
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE.

TOMI TERTII PARS PRIOR.



THESAURUS ANTIQUITATUM ET HISTORIARUM ITALIAE,

MARI LIGUSTICO et ALPIBUS VICINAE.

TOMI TERTII PARS PRIOR.



LUGD: BATAV:
APUD
PETRUM VAN DER AA.
MDCCIV.

J. Goeree In.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, MARI LIGVSTICO & ALPIBVS VICINAE;

quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

LIGVRVM ET INSVBRVM,

Seu

GENVENSIVM ET MEDIOLANENSIVM,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Collectus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae tabulae Geographicae, aliaeque, ut & Indices ad singulos Tomos locupletissimi.

TOMI TERTII PARS PRIOR.

Scriptores hujus Tomi proximo folio reperientur.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER AA, Bibliop.

MDCCIV.

SERIES SCRIPTORVM,
Qui in tertio Tomo Thesauri Antiquitatum Italiae inveniuntur.

PARS PRIOR.

Georgii Merulae, Alexandrini, *Antiquitates Vicecomitum*, *Libri* x. Pag. 1
Pauli Jovii, Novocomensis, Episcopi Nucerini, *Vitae Duodecim Vicecomitum, Mediolani Principum, singulorum veris Imaginibus illustratae.* 241
Jo. Ant. Castellionaei, Vicarii perpetui Abbatiae S. Vinc. in Prato, *Mediolanenses Antiquitates, ex Vrbis Paroeciis collectae, ichnographicis ipsarum tabulis, recentibus rerum memoriis, variis Ecclesiasticis ritibus auctae & illustratae.* 337
Bernardi Sacci, Patritii Papiensis, *Historiae Ticinensis Libri* x. *in quibus multa scitu digna recensentur de Italiae Populorum vetustate, dominio, & mutatione: Item de Provinciarum proprietate, & Rom. Ecclesiae amplificatione, &c.* 577
Jo. Chrysostomi Zanchi, Bergomatis, Canonici Ord. D. Augustini, *de Orobiorum, sive Cenomanorum, origine, situ, ac Bergomi rebus antiquis Libri tres.* 777
Joannis Baptistae Villanovae, *Laudis Pompejae, sive Laudae (nunc Lodi) Vrbis historia. Dedicata Illustrissimis ejusdem Vrbis Decurionibus.* Ex Italico in Latinum Sermonem transtulit Alexander Dukerus. 841

PARS POSTERIOR.

Othonis Morenae, Laudensis, & Acerbi Othonis F. *Historia rerum Laudensium, tempore Federici AEnobarbi Caesaris, cum Notis & Emendationibus Felicis Osii. Ad Amplissimos Vrbis Decuriones.* 945
Erycii Puteani, Mediolan. Profess. Eloquent. *Historiae Cisalpinae Libri duo: quibus continentur Res potissimum circa Lacum Larium à Jo. Jacobo Medicaeo gestae.* 1137
Alex. Dukeri *Comi Vrbis historia, & descriptio.* 1197
Camilli Ghilini, Mediolanensis, *Descriptio Lacus Larii & Vallis Tellinae.* 1203
Pauli Jovii *Descriptio Lacus Larii, sive Comensis.* 1209
Galeatii Capellae *de Bello Mussiano Liber adoptivus.* Ex Bibliotheca Ambrosiana. 1225
Ludovici Cavitelli, Patritii, *Cremonenses Annales: quibus res gestas memorabiles a Patriae suae origine usque ad ann. salut.* 1583. *breviter ille complexus est. Auctiores & Emendatiores.* 1251
Vmberti Locati Placentini, *de Placentinae Vrbis origine, successu, & laudibus, seriosa narratio.* 1. in fine voluminis.

GEOR-

GEORGII MERVLAE ALEXANDRINI,

ANTIQVITATIS VICECOMITVM

LIBRI X.

ILLVSTRISSIMIS VIRIS,

ALPHONSO VICECOMITI

PRAEFECTO,

ET

SEXAGINTA

Generalis Vrbis Mediolanensis Concilii

DECVRIONIBVS,

Marchio Jo. Maria, & Comes Antonius, Vicecomites,

FELICITATEM.




N secundam, Illustrissimi Cives, delati nobis muneris partem. superiore anno ex umbra, in qua integrum amplius seculum inglorius latuit, in præclaram vestri nominis lucem eduximus Tristanum Calchum de Mediolanensi historia optime meritum. quo ex opere quantum communi patriæ splendoris, tantum huic ordini auctoritatis accessit. Hic annus (ne nullum vobis attulerit nostræ sollicitudinis fructum) GEORGII MERVLAE editione notabitur. Is sub VICECOMITVM ANTIQVITATE Urbis totius res gestas ante Tristanum complexus est: eumque juvit non modo exemplo scribendi; sed etiam verbis, ac rebus locupletavit adeo, ut ceu senior Nisus Eurialo juniori videatur edixisse:

Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.

Itaque præposterè fortasse factum videatur, ut qui tempore, styloque præcessit, in scenam secundus prodeat: nisi maluissemus nascenti tunc primum Calcho obstetricari, quam male tornatum Merulam incudi reddere. Nempe non hoc primum Merula passus est prælum, sed ferebatur typis adeo incastigatis, ac rudibus, ut delicatiore lectorum seculo jaceret carie damnatus, ac situ; nisi urbanum & ipsi cultum vestra munificentia comparasset. Tristanus, ne sub alea pereundi diutius in incerta lateret chirographorum luce, quam solam viderat, propero prælo educendus fuit. Fecit etiam Merulæ moras nescio quis pudor noster, ac timor, ne unius Vicecomitum generis antiquior nobis fuisse, quam totius Urbis dignitas videretur, si à Merula potius, qui unius nostræ gentis nomen titulo præfert, quam à Tristano, qui totius rei Mediolanensis historiam profitetur, demandatæ nobis provinciæ procurationem auspicaremur. Sed cunctari nos diutius non est passus Illustrissimus Senator Paulus Raudensis: qui ut præclari operis suscipiendi toti olim ordini auctor fuit; ita nobiscum illud hodieque urgere pergit. Merulanæ Vicecomitum historiæ, vix justo alioqui volumini, adjungendos curavimus Duodecim JOVII Vicecomites, & PETRI CANDIDI Philippum Mariam: ut eodem clauderentur volumine, qui eodem in argumento versati sunt. Quod reliquum est nostrarum partium subinde à nobis nihilo minore studio, majore fortasse temporis compendio habebitis. Vos interim Rempublicam, ut facitis, in dies illustrate, vestrisque haud imparem nominibus, ac procurationibus efficite, ac Valete. Dat. Mediolani. Idib. Augusti M. DC. XXIX.

Nomi-




PIACENZA.
Porta de S. Raimondo.
B. S. Antonio.
B. S. Benedicto.
Castello.
Porta de Strad. leuante.
B. Str. leuante.
B. della Corneliana.
S. Siro
S. Giovani.
S. Antonio.
Palazzo de S. Severino
S. Steffano.
S. Paolo.
Palazzo della Comunita.
Piazza grande.
Il Domo.
Piazza del Borgo
S. Maria dll Compag.a
S. Savino.
Porte di S. Lazaro
Bol. di Campana.
S. Thome
B. di S. Lorenzo.
S. Lorenzo.
S. M. dl Carme.
Bol. di Borghetto.
Palazzo di Madama.
S. Sisto.
Porte di Borghetto.
B. di Fodesta.
Bol. di S. Sisto.
Porte di Fodesta.
IL PO.

Nomina Illustrissimorum

SEXAGINTA DECVRIONVM CONCILII GENERALIS MEDIOLANI.

Hieronymus Pusterla, J. C.
Marchio Alexander Vistarinus.
Co. Jo. Baptista Vicec. Co. Coriolani F.
Marchio Cæsar Brippius, Quæstor.
Hieronymus Marcus Antonius Brebia.
Comes Octavius Vicecomes.
Comes Balthasar Bilius.
Joannes Abbiatus Forerius.
Eques Carolus Vicecomes.
Marchio Joannes Maria Vicecomes.
Co. Hieronymus Plattus, Eques S. Jac.
Alexander Castillioneus, J. C.
Petrus Martyr Aliprandus.
Paulus Raudensis, Senator.
Paladinus Cribellus.
Horatius Assandrius.
Comes Octavius Archintus.
Comes Constantius Taberna.
Comes Carolus Rasinus.
Comes Ubertus Pirovanus.
Comes Aloysius Marlianus.
Ludovicus Meltius, J. C.
Comes Antonius Vicecomes.
Franciscus Gallaratus.
Marchio Franciscus Maria Vicecomes.
Balthasar Barzius.
Comes Joannes Serbellonus.
Antonius Rainoldus.
Comes Bartholomæus Caimus.
Scipio Tonsus.

Alexander Siccus, J. C.
Comes Joannes Ambrosius Pecchius.
Ludovicus Cribellus.
Joseph Raverta.
Marchio Cæsar Vicecomes.
Comes Philibertus Somalia.
Alphonsus Besutius.
Joannes Baptista Arcimboldus.
Jo. Paulus Sfortia Marchio Caravagii.
Galeatius Arconatus.
Comes Hieronymus Barbovus.
Comes Antonius Corius.
Mutius Foppa.
Jacobus Maria Stampa.
Julius Sclafenatus.
Paulus Camillus Abdua.
Hieronymus Advocatus, J. C.
Alexander Vicecomes.
Comes Carolus Franciscus Serbellonus.
Franciscus Castillioneus.
Comes Jacobus Mandellus Eques S. Jac.
Joannes Petrus Negrolus.
Comes Paulus Simonetta.
Comes Bartholomæus Aresius.
✠ . . . .
✠ . . . .
✠ . . . .
✠ . . . .
✠ . . . .
✠ . . . .

AD LECTOREM.



E fortè, prudens Lector, à Tristano Calcho nuper edito præoccupatus, alienum ab hujus scriptore historiæ animum attuleris, ejusque tum diligentiam, tum fidem identidem suspectam habeas; quæso te, ut omni deposito præjudicio, de totius controversiæ summa incorruptè judices. Tristanus Calchus cum bonarum artium stipendia in juventute sub Merula meruisset, historiæ Vicecomitum, quam ille decem jam libris magnam partem texuerat, absolvendæ admotus, non satis se posteritati commendatum iri existimavit, si Præceptori suo æquatus in ejusdem operis, & gloriæ societatem veniret. Itaque non modò retexere maluit rei Mediolanensis historiam, quàm Merulanam producere; sed unius Vicecomitum familiæ splendori totius Urbis claritudinem prætulit. Quin etiam Merulam, ceu ejusdem æmulum gloriæ, quòd in eadem causa versaretur, minùs amare cœpit, & observare, quàm ii soleant, qui suis aliquid modo præceptoribus acceptum ferunt. & quasi nomen suum non nisi in alterius litura posset inscribere, frequenter illi allivit atrum transverso calamo signum, carpit voces, & studium politioris sermonis vitio vertit. Ne diligentiam quidem, ac fidem, quæ vel una, vel prima historiæ laus est, illi reliquam facit. non observasse illum apud veteres Romanos scriptores multa hujus urbis propria, quibus suam poterat historiam locupletare: recentes quoque finitimarum civitatum, quarum res gestæ nostris plerumque consertæ sunt, annales, & publicas tabulas non legisse: denique Vicecomitum, quibus locaverat stylum, gloriæ usque adeo servire, ut dum ejus amplificandæ studio ubique prurit, præclara quæque, & à poëtis conficta pro veris habuerit. Utque animorum nostrorum erga amicos, & rivales motus affinia quoque contingunt, in Tristano facile sentit lector nescio quam animi in Vicecomitum genus obliquitatem. Hoc ego loco non recolo prudentissimum Josephi dictum, falli vehementer historicos, qui se veraces visum iri arbitrantur, si, quod ab aliis memoriæ proditum est, ipsi reprehenderint; aut aliter, quàm cæteri scripserint: cum id potius efficiant, nullius ut certa esse videatur assertio, & tota rei veritas nutet: quod mendacis historiæ argumentum sit, si de eisdem rebus non eadem omnes conscribant. Non commemoro Polybium historiam cum regula, & norma eo conferentem, quòd utraque dum variè distracta torquetur, enormis ubique, ac prava esse censeatur. Ita enim Merulæ succurro, ut Calchum de patria historia optimè meritum nullius criminis reum velim. Eadem utrique fuit causa rerum à Vicecomitum gente præclarè gestarum posteritatis memoriæ commendandæ. Quare æquum est, ut quod de se ab aliis credi vult Calchus, idem ipse de Merula opinetur, nullius illi hominis gratiam fuisse historica veritate antiquiorem. At quæ de Angleriæ Comitibus tradit Merula, eos

ante Mediolani novissimum sub Friderico I. excidium inter Longobardos proceres dignitate, & potentia facile principes extitisse; & ab eodem, cujus potentiæ præter cæteros fuissent adversati, urbe capta, securi percussos, uno Viviano, vel Galvaneo, cujus præcipua jam tum esset in Urbe authoritas, superstite, ac profugo; qui deinde reversus vindicandæ libertatis, tum instaurandæ sub Vicecomitum appellatione stirpis, author fuerit: hæc, inquam, & alia ejusdem generis, quæ nec ignorari potuerunt, nec negligi, quippe non scriptis modò, verùm etiam theatris digna, à nullo umquam probatæ fidei aliarum gentium scriptore commemorata sunt. Habent verò authores non magni nominis, duos scilicet nostrates Theologos Stephanardum Vicomercatum, & Calvaneum Flammam, quorum alter Vicecomitum stirpem à Jove, & Venere per Anchisen deducens, Anglumque Ascanii filium Livianæ historiæ, Virgilianisque inventis adjiciens, quem Angleriæ fundamentis inscriberet; alter metro, ut citra, & ultra veritatem historicam liberius vagaretur, abutens, ejus gentis seriem parum seriam, ac fabulæ similem reddiderunt. Audio. Sed quæ est ista Calchi ratio, domesticos, & rerum conscios testes repudiare, abrogare illis fidem; ab externis summam rerum nostrarum memoriam, ac diligentiam repetere? quæ est ista rara inter homines sapientia, contemnere sua, aliena admirari? quæ reconditæ eruditionis ostentatio, nihil probare, nisi peregrinum, & apud externos natum? cujusmodi illud est, Vicomercato, ac Flammæ non satis habere fidei, quoniam uterque Theologus est? Et Flammam cur poëtice potius, quàm Latinè, atque historicè de Vicecomitum origine loquentem facit? An quòd non modò Vicecomitum gentem in Angleriæ Comites revocat, sed & hos per Ascanium ab Ænea, Venere, ac Jove derivat? Quid ergò non historico pariter igne, atque aqua interdictum est Livio, qui poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis gestarum rerum monumentis tradidit, miscuitque humana divinis, quò primordia Urbis augustiora faceret, & Romanæ gentis cunabula consecraret? Scilicet si quid paulò liberiùs ad vulgi opinionem dixerit historicus, non continuò quidquid ab illo fluxerit, historiæ finibus eliminandum erit; neque si Romulus, ac Remus falsò Deorum proles dicti fuere, mendosè quoque fratres appellati sunt, & Romæ conditores. Licuerit Flammæ Liviano exemplo quod de Comitibus Angleriæ supra fidem acceperat non refellere, illud propterea Calchi suffragio ne damnetur, quod Vicecomites docuerit ab Angleriæ Comitibus propagatos. Sed ne tota hujus rei fides Vicomercato, ac Flamma stet testibus, primùm non recusat ipse Tristanus, quo minùs compertum sibi litteris, allatoque ex Germanis testimonio fateatur, Vivianum, seu, quod alii malunt, Galvaneum Angleriæ Comitem unum in Mediolani excidio suorum omnium stragi superstitem à Friderico Urbis expugnatore in Germaniam abductum esse, ibi in vinculis habitum, donec vel sororis interventu, quæ sacris Magorum cadaveribus indicatis, meriti pretium vitam fratris, ejusdemque libertatem ab Imperatore retulerit; vel elusis arte custodiis in patriam reversus fuerit, ubi & stirpem instaurarit, & eam, pressa Comitis appellatione ad invidiam tituli demittendam, avito gentis cognomine Vicecomites dici voluerit. Deinde ut apud nullos probati nominis authores quidquam de Angleriæ Comitibus in Vicecomites migrantibus viderit Calchus, profectò nemo æquus æstimator dubia statim pronunciet, quæ ab illo contigerit ignorari. Sed extat Petri de Castelletto Heremitarum Ordinis Magistri testimonium, qui & de superiore loco vir, ut per ea tempora, eruditionis æquè, ac pietatis eximiæ, Vicecomitum originem ab Angleriæ Comitibus totis palàm urbibus docuit, & eam stylo, ac voluminibus consignatam transmisit ad posteros; ac ne solis viveret caracteribus, ducto per seriem gentis penicillo, expressis eleganter imaginibus animavit. asservatur hodieque illud opus antiquissimæ, ne antiquari possit, veritatis obses, & cum eo anonimus alius, seu potius injuria temporis acephalus ejusdem author veritatis, cui nihilo minorem pretiosa caracterum caries fidem pariat. Demum si qua parte Merulana narratio de Vicecomitum origine labaret, non ei adstipulatos haberemus Bernardinum Corium, & Joannem Tarcagnotam oculatissimos historicos, quorum ille Mediolanensium res, hic omnium gentium, & nationum toto orbe gesta non minore fidei, ac diligentiæ laude, quàm nominis celebritate complexus fuit. Nunc qui Vicecomitum originem in Merula reprehendat, par illud, quod laudavi, simul historicorum sugillet. Sed quæ diximus satis, opinor, superque omnem Tristano, omnem Lectori religionem in Merulæ probanda fide possunt evellere.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Aquensis Provicarius S. Officii Mediol.
Hieronymus Septala Can. Ord. Pœnit. pro Illustrissimo Card. Archiep.
Visa pro Excellentiss. Senatu.

SVMMARIA AC CONTENTA LIBRORVM,

Qui in hoc GEORGII MERVLAE, de Antiquitatibus Vicecomitum, Volumine continentur.

LIBER I.

Continet brevem expositionem ab origine Urbis usque ad extinctos Longobardorum Reges; à quibus Angleriæ Comites, qui postea Vicecomites.

II. *Cum progenies Caroli defecisset; Berengarii, & Othones per vim imperant. Ex lege per suffragia Germani Proceres Imperium: Romani autem Pontifices Sacerdotium, & Regnum obtinent.*

III. *Obsidente Gottofredo Hierosolyma, Otho Vicecomes provocantem Barbarum singulari certamine occidit, Viperamque retulit. Fridericus armis Alexandrum persequitur, atque Mediolanum evertit.*

IV. *Dum junior Fridericus Pontifices perpetuo bello vexat, per contraria in urbibus studia perniciales seditiones & bella civilia exorta: quo mortuo, moxque occiso Actiolino, Turrianus rerum potitur.*

V. *Repetitur Vicecomitum origo. Nobiles patria fugati erant. Otho Vicecomes, tandem debellatis Turrianis, Pontificatum urbis cum regno obtinuit.*

VI. *Bella, & conjuratio in Othonem: prodigia in ortu Matthæi: Gulielmi captivitas: nuptiæ Galeacii: Matthæi exilium, & origo factionum referuntur. Henricus summæ rerum designatur.*

VII. *Henricus in Italiam descendens Mediolani ornamenta regia capit: ejectisque Turrianis, & Matthæo in procurationem restituto Laudem Pompejam recipit.*

VIII. *Cremona, & Brixia subacta, in Ligures Henricus concessit. Inde Pisas mari delatus Romam petit: ubi repugnante Roberti factione, non in Petri, sed in Lateranorum templo coronatur: mox in Hetruscos reversus moritur.*

IX. *Henrici factionem cis Apenninum Baucius infestat. Matthæus Papiam, & Alexandriam recipit, ad montem Catinum Guelphus occidione debellatur.*

X. *Res in Liguribus gestæ Philippi Valesii, Henrici Austriæ Ducis, atque Raymundi Cardani in Italiam transitus: Pontificis diræ, & Matthæi mors referuntur.*

GEOR-

GEORGII MERVLAE, ALEXANDRINI, ANTIQVITATIS VICECOMITVM LIBER I.

Continet brevem expositionem ab origine Urbis usque ad extinctos Longobardorum Reges; à quibus Angleriæ Comites, qui posteà Vicecomites.



MEDIOLANUM à Gallis conditum cum alii historici, tum Livius Romanæ historiæ auctor illustris tradit. Nam per Tarquinii Prisci tempora Ambigatus Celtarum Rex, ut Regnum prægravante populo exoneraret, Sigovesum, & Bellovesum ex sorore genitos magno hominum excito numero ad sedes novas quærendas è finibus Galliarum emisit. Alteri eorum sorte data Hercynii saltus obtigere. Bellovesus Italiam petiit. Hic ubi Alpes per Taurinos saltus transcendit; quos anteà alius non superaverat, haud longè à Ticino fluvio Thuscos fudit; moxque cum in agrum Insubrium venisset cognominem Insubribus (qui pagus erat Heduorum) urbem condidit, quam Mediolanum appellavit. Quidam scribunt, *Duce Brenno eos in Italiam descendisse Gallos; à quibus Mediolanum conditum fuit*; cum inter omnes scriptores constet ducentos prope annos anteà Gallos Alpes transivisse, atque eas occupasse terras; quæ inter Padum, & Alpes jacent: Brennum verò Ducem eorum Gallorum fuisse; qui Romam deleto ad Alliam exercitu cepere. Strabo Geographus *Mediolanum vicum jampridem fuisse* refert, *quod vicatim omnes habitarent; sed tempestate sua eximiæ dignitatis civitatem; quippe quæ Insubrium Metropolis esset.* Insubres appellari video ab idoneis historicis quicquid terrarum clauditur inter Larium, atque Verbanum, Ticinum, & Abduam fluvios; per quos lacus ipsi in Padum se exonerant: quanquàm Ptolemæus Novariam inter Insubres annumeret. Est, & in hoc tractu lacus non ignobilis; quem *Eupilim* Plinius appellat: hic Lambrum amnem transmittit. Contendunt quidam *in Liguribus Mediolanum positum*; cum Liguria Padum non excedat, eoque fluvio terminentur Ligures. De urbis nomine nihil equidem apud idoneum scriptorem legi. Fama est vetus, atque percelebris, à *Sue lanata* nomen urbi inditum: quod etiam Claudianus ingeniosus pariter, & eruditus Poëta innuere videtur. Facit hic *Venerem relicta Cypro ad nuptias Honorii & Mariæ Genuam navigare, atque inde per Apenninum in patentes Galliæ campos descendere*

—— ad mœnia Gallis
Condita lanigeræ suis ostentantia pellem.

Anno post orbem conditum 3453. ante Christum 600.

Crediderim hunc Poëtam, aut gravem aliquem habuisse auctorem, aut continentem famam secutum; quæ plerunque testimonii vim habet. Nobilis sanè regio tum cœli temperie, tum soli fertilitate, & affluenti rerum copia; unde civitas ipsa suo abundans populo, & propriis nitens viribus, semper Gentis caput fuit: & quotiens eversa, post excidium restituta, ubertate agri, & propinquitate Alpium; ex quibus hominum copia affluit, potentior surrexit.

A Possem hoc loco refutare non fabulas; sed magis somnia eorum, qui à Noë originem repetunt: sed cum impudenter, & stultè ab infantibus, & fatuis hominibus tradita sint, ea nec refellemus, nec auctores nominabimus. Opes, & vires Gentis quantæ fuerint, ex hoc maximè cognoscimus. Nam confecto primo Punico bello, cum Romana arma finitimis omnibus formidosa essent; *Insubres*, auctore Floro, *non solùm lacessere bello Romano ausi; sed id virium sibi superesse existimarunt, ut jurejurando Duce Britomaro se astringerent; non prius soluturos baltea; quàm Capitolium conscendissent:* factum & est: in Capitolio Æmilius discinxit. Mox vovere de Romanorum ma- B nubiis Marti suo torques: intercepit Jupiter votum; nam de torquibus eorum aureum trophæum Jovi Flaminius erexit. Virodomaro Rege Romana arma Vulcano promiserant: aliorsùm vota cecidere: occiso enim Rege, Marcellus Feretrio Jovi tertia post Romulum arma suspendit. *Hoc bello*, Plutarchus scribit, *Mediolanum amplissimam, & populosissimam Galliæ urbem fuisse, quippe Metropolim, pro qua strenuè pugnabant Galli, & obsidione Cornelium circumvenerant.* Deductæ sunt in agro à Gallis capto Placentia, & Cremona coloniæ. Ergo adempti agri injuria Insubres adjunctis Cenomanis, Bois, & Ligustinis populis, Duce Amilcare Pœno, Placentiam invasere; C qua direpta, & ex parte incensa, trajecto Pado, Cremonam obsident: à L. Furio fusi, & fugati cum ingenti cæde sunt: occisa enim, & capta supra quinque, & triginta millia hominum referuntur. Furius de Gallis triumphavit. Rursùm ferox populus accitis Bois, atque Cenomanis arma cepit: victi à Cornelio, & à Minutio Consulibus in deditionem venêre. Rebellarunt item: depugnavit L. Valerius Proconsul circa Mediolanum cum Gallis Insubribus, & Bois collatis signis: transiverant enim Padum Boi cum Duce Dorulacho ad concitandos Insubres: cecidere in ea pugna decem Gallorum millia. Pugnatum deinde inter Insubres, & Romanos variâ victo- D riâ: semper enim ad rebellionem Galli spectabant, adeoque duas colonias cædibus, & incendiis crebrò populabantur; ut multi colonorum tædio accolarum Gallorum colonias relinquerent, coactusque fuerit Senatus familias Romanas in supplementum & rescribere, & mittere. Erant tunc bella juncta Bojorum, Ligurum, & Insubrium: nam hæ Gentes inter se fere ex propinquo mutua auxilia ferebant: & quamvis sæpe fusi, atque fugati eorum exercitus forent, cæsa multa hominum millia, agri vastati, atque populati: non tamen ità infracti animi fuere, ut prælio abstinerent; immò magis illis opes, & spiritus ad redintegrandum bellum manebant: de- E bellati tandem, atque devicti à Claudio; qui de eis magnificè triumphavit, in jus, ditionemque Pop. Rom. coacti sunt. Pacatissima deinde Insubrium, & finitimorum populorum omnia manserunt; atque longa pace cuncta refovente, sub tutela Rom. Pop. & Cæsarum acquiescentes, terrestribus magis, quàm maritimis fructibus, & multitudine populi mirum

A. M. 3832. ante Ch. 221.

A. M. 3836. ante Ch. 217.

A in modum civitas excrevit: in quam sive aëris clementiâ, sive cultu agrorum, dignatione morum, & opum amplitudine Rom. Cæsares, quotiens otiosi forent, vel bella cum Germanis, atque Gallis essent, divertêre. Cæsar Mediolani ab hospite familiariter invitatus, cum oleum conditum pro viridi appositum foret, respondit excusanti; *non putabam me tibi adeo familiarem.* Trajanus non solùm urbem frequentavit; sed nobilissimum Palatium ædificavit in ea urbis parte; quæ adhuc nomen Palatii servat. Maximianus, *Hercules* quondam dictus, amplissimum templum *Herculi* excitavit, quod posteriores *Laurentio martyri* dicaverunt. Scribit Mamertinus in Panegyrico, *redeuntes è Galliis Diocletianum, & Ma-* B *ximianum Cæsares in Mediolanensi primùm Palatio ab iis adoratos; qui ex ordine dignitatis admissi fuerant: cum verò egressi limine per mediam urbem veherentur, ab ingenti populo in publicum proruente salutatos: quin ipsa Roma Gentium domina, ubi adventare Cæsares cognovit, lumina Senatus sui misit, beatissima illi per eos dies Mediolanensium civitati similitudinem majestatis libenter impertiens;* ut ibi tunc esse sedes videretur, quò uterque venerat Imperator. Theodosius senior Mediolani mortuus est. Valerianus etiam & ipse ibidem excessit è vita. Notant Eusebius, atque Hieronymus *Julianum Galli fratrem Mediolani Cæsarem appellatum.* Tradunt Herodianus, & Dion *Julianum Di-* C *dium Mediolanensem fuisse, atque cum pecunias, quas ingentes habebat, turpiter expenderet, novis semper rebus studens, in Patriam à Commodo relegatum:* hic idem post cædem Pertinacis Cæsaris Imperium Romæ licitando adversùs Sulpitianum adeptus est. Mediolani nuptias illas à Claudiano decantatas Honorius fecit. Novellus quoque Torquatus, qui ab epoto vino Tricongii nomen invenit, & mox ad Proconsulatum ex Prætura, honoribusque gestis progressus est, Mediolanensis fuit. *Statium Cæcilium*, cui primas in Comœdia partes Nigidius statuit, *Insubrem Gallum, & Mediolani genitum* quidam auctores sunt. D In hac item urbe cultæ fuere liberales omnes disciplinæ: nam & Virgilius Mediolani literis operam dedit. Albutius quoque Novariensis Rhetor non obscurus causas Mediolani apud L. Pisonem Proconsulem peroravit. Augustinus Româ accitus oratoriam artem professus est. Publicis operibus, & templis adornata fuit civitas. Durat in nostra usque tempora appellatio ædis Divæ Mariæ ad Circum, quo in loco subterranei fornices à fossoribus aliquando inventi sunt. Hoc idem etiam ubi Monasterium Majus nunc habetur quotidie spectatur, ad ludos videlicet Circenses, & Theatrales extructum utrunque opus. Templum est non incelebre Pauli ad Compi- E tum, ubi Compitales lares olim cultos, & Compitalitios ludos concelebratos colligere possumus. Patet adhuc area; quam Viridarium dicunt, deducto scilicet nomine à nemoribus, & viridariis; quæ plerunque Principes, & Potentes Populi intra mœnia tum animi, tum venationis, & aucupii gratia fecere. Prætereà Templa fuere Deûm ampla, & operosa; quæ posteà in appellationes nostrorum Martyrum conversa fuere: nam ædes Sancti Vitalis, Fausta jam pridem dicta fuit, & Sancti Martini ad corpus, Portiana, de duobus videlicet Philippi filiis Fausto, & Portio; qui eas magnificè struxerunt. Extant sexdecim striatæ columnæ, operis antiqui vestigium, sive propylæi, sive peristyli ejus templi; F quod Maximianus (ut suprà diximus) Herculi consecravit. Occurrunt frequenter urbem peragrantibus lapides vetustis literis inscripti, & signini operis fragmenta. Atque ne longior sim in his recensendis; per quæ pulchritudo, opulentia, atque majestas urbis quanta olim fuerit, cognosci possit, epigrammate Ausonii contenti erimus. Hic Gratiani Cæsaris præceptor, amœno profecto vir ingenio, & eruditione vetere, atque multiplici catalogum urbium nobilium versu composuit, & de Mediolano hæc inquit:

Et Mediolani mira omnia: copia rerum;
Innumeræ, cultæque domus; facunda virorum
Ingenia; antiqui mores; tum duplice muro
Amplificata loci species; populique voluptas,
Circus, & inclusi moles cuneata Theatri;
Templa, Palatinæque arces, opulensque Moneta;
Et Regio Herculeï celebris sub honore lavacri;
Cunctaque marmoreis ornata Peristyla signis;
Mœniaque in valli formam circundata labro
Omnia; quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt: nec juncta premit vicinia Romæ.

Ingenti incremento res Mediolanensis aucta tunc erat, & maxima accumulata diuturnâ felicitate bona. Nam quingentos & amplius annos, neque ab externo hoste, nec intestino bello Insubres vexati fuere. Græci quidam scriptores uno verbo abundè urbis amplitudinem exprimere mihi videntur, hoc est πολιάνθρωπον, Mediolanum multorum hominum civitas. Duravit innumerabilis illa populi multitudo usque ad Ambrosii tempora. Nam Augustinus in ultimo *de Civitate Dei* libro narrans *miraculum precibus Ambrosii ad sepulcra Gervasii, & Prothasii factum, rem dicit esse celebratissimam; tum quia perquam frequens populo foret civitas; tum quod in ea fortè per eos dies Imperator erat.* Sed sub Ambrosio Episcopo cùm pestifero Arii dogmate infecta laboraret Italia; & Ambrosius fortissimè rectam fidem defenderet, Mediolanum adeò contaminatum est, ut intrà urbem ipsam gliscente hæresi, ceu diversarum factionum Duces, duo Episcopi armis repugnarent. Pluribus tunc in locis Ambrosius in tro- Ab a. Ch. 380. phæi modum aras, atque sacella erexit; quæ hodie visuntur, & religiosè salutantur. Pulsus tamen urbe fuit Ambrosius; & victore mox Auxentio, velut civili bello, civitas afflicta est: post cujus feram mortem, revocato in patriam Ambrosio, omnis Italia ad benè sentiendum de Christo convertitur. Quievit per aliquot annos ab omni motu, & bello civitas. Sed jam tunc instabat Romæ fatum, & Italiæ clades. Postquam enim Mediolani mortuo seniore Theodosio, non sine pernicie R. P., summa rerum ad Archadium, & Honorium ejus filios delata est; Gothi, qui patrium solum ante reliquerant, tandem Duce Alarico Italiam invasere; ur- A. 400. bemque Romam, populatis, vastatisque finitimis locis obsident: quam, quia jam deses, & imbellis erat Italia, desuetaque armis, parvo negocio cepere. Tunc urbs rerum diutiùs potita imperare desiit, fœdæ Barbarorum libidini posteà obnoxia: quod eo tempore futurum supra quingentos annos Mathematicus Varroni prædixerat. Tradit Censorinus *supputato diligenter urbis natali, & ex duodecim vulturibus, qui Romulo augurium petenti apparuerant, duraturum Romanum Imperium dixisse ad duodecim secula, quod tempus duodecim vultures denuntiassent.* Agebatur annus Romæ sexagesimus quartus, & centesimus supra millesimum, cum illam Barbari evastarunt. Jam urbes, & populi rapinis, incendiis, & cædibus permiscebantur; cum Attila per Noricos Italiam ingressus, multitudine exercitus omnibus terribilis, Aquileïam per triennium obsessam cœpit, atque subruit; Venetiam diripuit; tum Transpadanos reliquos cædibus, & populationibus divexavit. Medio- A. 452. lanum tùm capitur, ac direptum incenditur. Substitit ad ripas Padi Attila, & sive precibus Leonis Pontificis, sive minis Apostolorum, qui oculis ejus obversati fuerant, in patrios fines rediit. Tunc res militaris adeò jacebat, nostrorumque hominum animos amissis semel armis is pavor incesserat, ut de Romano Imperio occupando penitissimi Barbari, & à sedibus suis profugi, de Italia opprimenda consilia agitarent. Nam Ostrogothorum Reges, & Eruli conjunctis viribus, & armis, cum Gallias, atque Germanias direptis urbibus, non sine magna cæde pervastassent, in Italiam arma converterunt. Quin etiam Genetloricus Vandalorum, & Africæ Rex,

Rex, ingenti multitudine transmissa, urbem Romam occupat; qui item deprecante Leone Pontifice templis pepercit; tecta quoque incendi, atque dirui vetuit. Post hæc Ostrogothorum Rex Theodoricus Italiam ingreditur; Odoacrem prælio victum Ravennæ obsidet; quem cum filio cœpit, atque utroque interfecto ad Ticinum usque perveniens Italia potitur; quam antea per quatuordecim annos Odoacer ipse tenuerat. Regnaverunt post hunc Theodoricum Gothi annos circiter centum, & quinquaginta: in quo tempore multa non libidinosè solùm, & crudeliter egere; sed homines lingua, & moribus plurimùm distantes, atque in ipsa victoria efferati, urbes multas direptis bonis, ejectisque civibus, aut evertere, aut Barbaris habendas concessere. Fœdissima quæque, & indignissima patientes populi nil aliud, quam vastationem, populationemque agrorum, & desolatas urbes deplorabant: præcisa erat omnis opitulandi spes; nulla consilia de libertate inibantur. Constantinopolitani Cæsares; in quibus aliquid opis repositum erat, aut domestico bello semetipsos conficiebant, aut ab externo hoste pressi, magis fines suos tueri; quàm aut alios defendere, aut oppressos sublevare volebant. Ergo cum nullum deploratis jam rebus foret remedium, omniaque diutiùs sub jure, & arbitrio insolentium Tyrannorum agerentur; deformata tot cladibus Italia fortunam vertit, & Deo Optimo Maximo sic volente, humana quoque consilia res affectas juvere. Nam Justinianus, sive miseratione quadam in consanguineos, sive ex indignitate facti motus, de liberanda Italia cogitavit. Hic compositis rebus in
A. 534. Oriente; Bellisarium virum fortem, ducem impigrum, atque ad omnia belli munera obeunda patientissimum; cujus item magnanimitatem, & imperatorias virtutes in debellandis Persis expertus fuerat, cum delectis militibus primùm in Siciliam transmisit; quam nullo resistente confestim recepit; mox Africam occiso Strozza Tyranno sibi subjecit; tum in Siciliam renavigavit, atque Lucanis se dedentibus Neapolim pervenit; quam diutiùs obsessam per aquæductum cœpit. Creaverant tunc sibi Gothi Victigitem Regem, virum humili genere, strenuum alioquin, & rei militaris scientissimum. Hic ubi Bellisarium Neapoli potitum cognovit, urbem Romam præsidio firmat; Præfectum relinquit Inderim cum quatuor millibus militum. Ipse Ravennam profectus, dispersos per Italiam Gothos in unum contraxit. Ad centum, & ampliùs pugnatorum millia habuisse Victigitem quidam tradunt; atque ubi audivit Græcum præsidium ultrò à Civibus in urbe receptum, Romam properè contendit; quam Bellisarius cum quinque millibus militum tuebatur. Reliquum exercitum diviserat is per urbes Hetruriæ. Dum hæc geruntur, Datius, qui tunc fortè Ecclesiæ Mediolanensi præerat, cum Civibus aliquot ad Bellisarium venit: Mediolanum in potestate Imperatoris promittunt, si vel parvum præsidium eò mittatur: superesse præterea opes, non solùm ad Gothos à se ejiciendos; sed planè ex omni Cisalpina Gallia submovendos; deesse autem, qui ex Imperatoris auctoritate res gerat. Hos Bellisarius libenter audivit, & collaudatos dimisit; pollicitus, ubi tempus foret, eam rem sibi curæ futuram. Victigis in dies magis urbem urgebat. Sed posteaquam cognovit Ariminum à Bellisarii Ducibus receptum, Romam obsidere desiit. Tunc Mediolanensibus legatis auxilia concessa. Præfectus est copiis Mundilas, vir animi magnitudine, & militari scientia præstans, atque cum eo Fidelis quidam Mediolanensis, Regiæ olim domus Præpositus. Ex urbe solventes Genuam navigant. Indè terrestri itinere per Apenninum ad Padum perveniunt; quem protinùs trajiciunt ad Ticinum, quam nunc Papiam dicimus. Obvii fuere Gothi; qui tunc valido præsidio munitissimam oppidi arcem tenebant, ubi pretiosa multa servabantur. Commisso levi certamine, compelluntur intrà urbem Gothi. At Mundilas, & copiæ per pontem urbi vicinum transiere. Fidelis, cum de via salutandi templi causâ divertisset, excussus ab equo interficitur. Hujus viri morte jactura aliqua facta est. Mundilas à Mediolanensibus recipitur; atque Comum, Bergomum, Novaria, & cætera ejus regionis oppida exemplum secuta, pulsis Gothis Imperatoris præsidia accipiunt. Victigis, ubi ea rescivit, quæ ad Mediolanum facta erant; Vrajam fratris filium in Insubres dimisit; ut Civitates, quæ à Gothis defecerant, recuperaret; quæ verò nondum desciverant, eas in fide contineret. Petivit à Theodeberto Rege Francorum ex fœdere nuper percusso auxilia. Hic Vrajæ decem millia Burgundionum misit; quibus copiis auctus Barbarus non procul à Mediolano castra posuit, diligentissimè vias omnes obsidens; ne frumentum, aut alii commeatus comportarentur. Mundilas haud magnum numerum equitum habebat; diviserat enim metu hostium præsidia; dispersi erant etiam milites per loca finitima. Urbem oppidani, qui concordes erant, satis defendebant. Difficultas erat annonæ, & fames in urbe populosissima timebatur, si Barbari diutiùs, quæ insederant loca, tenuissent. Hæc ubi Bellisarius cognovit (accersebantur enim subsidia) Duces alios cum majoribus copiis ad Mundilam misit. Hi ad Padum desedere; quem præ multitudine hostium trajicere non sunt ausi. Jam longinqua obsidione ad ultimum inopiæ ventum erat; nulla re abstinuere, quæ mandi posset. Ferunt *præ rabie matrem, alimentis omnibus defectam, filium absumpsisse.* Quare, cum propter simultatem inter Narsetem & Bellisarium obortam, res negligentiùs agerentur, minueretur que in dies expectatio opis, Mundilas pactus; ut cum peregrino milite sibi incolumi abire liceret; præsidia ab Mediolano, & reliquis oppidis deduxit. Tunc Gothi urbem ingressi, neque à cædibus, neque ab incendiis temperarunt. Interficiuntur sine discrimine puberes, & impuberes, senes, & qui arma ferre non possent; Burgundionibus concessæ mulieres; mœnia ad solum æquata. Cæsa fuere in ea vastitate supra triginta hominum millia. Excidio pulcherrimæ, & populosissimæ urbis; qui secuti Mediolanensium defectionem fuerant; metu tantæ cladis ad pristinum statim Imperium Gothorum rediere. Sed Bellisarius, quanquam in luctu maximo esset; revocato in Græciam Narsete, Victigitem Picentes, & Hetruriam infestantem, Ravennæ obsessum fame ad deditionem compulit; urbeque, ac thesauris potitus Constantinopolim petiit; quem Justinianus lætissimè suscepit. Intereà, qui in Italia erant Gothi, Papiæ sub Idovado Rege arma resumunt. Urbes avaritiam, & rapinas eorum, qui acerbiùs tributa exigebant, non ferentes, partim novandarum rerum consilia capiebant, partim ad Idovadum transivere: quare justo contracto exercitu, & populis nutantibus, non dubitavit acie adversùs Vitalem; A. 541. qui tunc Imperatoriis copiis præerat, dimicare: victorque Gothos ad Regnum denuò parandum erexit. Cæso Idovado, Totilæ Imperii summa traditur; qui Venetiam tunc fortè tenebat. Hic Rex appellatus confestim Papiam concessit, atque universa Gallia ad obsequium redacta, id copiarum comparavit; ut Italiam omnem direptionibus, & incendiis pervastarit; Romam quoque per summam rerum inopiam devicerit: nec potuit Bellisarius cum novo exercitu reversus, & classe instructissima, aut Romam obsidione eximere, aut hostem ferociùs sævientem reprimere: Quare Constantinopolim is repetit, relicta Italia Barbaris. Inter hæc Narsetem, de quo supra diximus, Justinianus cum copiis, & pecunia ingenti ad conducendum militem in Italiam remittit: accessêre auxilia Longobardorum, Herulorum, & Hunnorum, Persarum, & Ge-

A. 542. A. 547.

A. 755. phus, dum venatui nimis indulget, ictus ab Apro occiditur. Hujus morte regnavit Desiderius: hic aliquot annos pacem, & fœdera cum Ecclesia servavit; verùm sive augendi imperii cupidine, sive quòd ferox animus neque quiescere, nec pacem colere posset, Faventiam, Ferrariam, Comaclum dè Exarchatu Ravennæ cœpit: quæ res Pontificem commovit, tum verò per speciem salutandi Apostolorum templa Romam profectus, cives gravissimè vexavit, Pontificem Hadrianum imposito tributo stipendiarium sibi fecit: tum Hadrianus pro libertate populi, & Ecclesiæ dignitate tuenda, ad Carolum legatos mittit. Hic recens factum patris secutus, superatis Alpibus, continuò apud Ticinum cum Desiderio conflixit; quem fusum, & è fuga Ticinum petentem persequitur: incluserat se Rex cum valido præsidio urbi munitæ: quare cum obsidio longa foret, relicto Rolando, & Oliverio, qui castris præessent, ipse Romam ad salu-
A. 774. tandum Pontificem contendit: Papia postquam obsideri cœpta erat, sexto mense capitur, Desiderius cum uxore & filiis in Gallias relegatur, thesauri à Regibus congesti dissipantur. At Longobardi, Rege capto, partim se suaque Carolo dedunt. Algisius cùm de patre Desiderio, & Regno actum videret, ad Constantinum Imperatorem in Græciam abiit. Carolus rebus compositis Romam petiit, Pontificem adoraturus; à quo amplexus ad aras deducitur, peractaque re divina non solùm quæ Longobardorum Reges, & deinde Pipinus pater Gregorio tertio concesserat, ea affirmavit; sed illum ampliori Imperii jure donavit: ex eo Pontifex multarum Urbium dominus, & qui anteà Religionis majestate res tenebat, mox Imperio, & potentia metuendus fuit: etsi quidam historiarum ignari, & temporum nescii, ignorato rerum gestarum ordine, à Constantino Sylvestro Pontifici datum referant. Hic finis Longobardorum Regum, qui ducentos, & amplius annos maxima parte Italiæ potiti sunt: gens quamvis peregrina, tamen locorum cultu, nostri victus consuetudine, & bonarum artium studio, deposita in totum feritate mitiores facti, ut planè in incerto sit, magisnè è re Italica fuerit, post sublatum Gothicum nomen, urbes suis legibus, suisque Magistratibus vixisse; an unius Imperio paruisse. Profectò enim dum imperare singuli vellent populi, in mutuum exitium proruissent, aut seditionibus se confecissent, & cum diversa forent studia, dissidentibus animis (quod posteà accidit) nostri homines accitis barbaris, semel accepto jugo miseram & fœdam servitutem habuissent: nam Longobardi propterea quòd imperaturi populis venerant, cùm occiso Alboino jam multitudinis Imperantium pertæsum esset, Regem constituêre, cui cæteri parêrent Duces: nec fuit Regnum crudele, aut intolerandum: injuriis parcentes, furta, latrocinia, cædes, & rapinas severissimè vindicabant; rem quisque suam quietus possidebat: tanta securitas temporum, ut sive domi, sive peregrè, noctu, aut interdiu, ubicunque libitum fuerat, quisque requiesceret: atque ut Reges majestatem Regiam tueri, & fines proferre possent, pro sustentandis exercitibus, tuendisque finibus cæteri Duces dimidium rerum, & fortunarum suarum ei pendebant, quem Regem constituissent: hinc nomen Regium popularibus reverendum, finitimis formidolosum erat. *Disciplinas* prætereà *omnes tractavere Longobardi*; cujus rei documento sunt codices permulti illorum manibus conscripti; qui adhuc extant: hoc nec Gothi fecerunt, nec qui post Longobardos Italiam magis diripuere, quam habuerunt. Religionem nostram magnifico, & pio cultu prosecuti, Rom. Pontificem etsi aliquotiens bello lacessiverint, primi tamen omnium urbes illi, & populos, quibus

A imperaret, concessêre. Columbanum à Gothis progenitum, integritate vitæ reverendum, & in quo Divinitatis aliquid elucescebat, benignè suscepêre, acceptisque donis opulentum cœnobium is inter Alpes Cottias extruxit; quod postea in civitatem traductum Bobii nomen habuit. Lex etiam Longobarda celebratur, cujus præcipuè auctor Rotharis, & cæteri Reges perhibentur. Quare minimè mirandum, si post extinctos Reges, quidam Duces imperaverint, & Longobardi à civitatibus in partem juris, & libertatis conditione, qua ipsi erant, recepti sine discrimine, ceu indigenæ semper habiti fuerint. *Ab his Regibus prognatos Angleriæ Comites*, qui postea VI- B CECOMITES, recentiores historici tradunt. Legimus Fridericum Ænobarbum gente Suevum, cui Barbærufæ cognomen fuit; ubi Mediolanum evertit, Angleriæ Comites ut funditus tollerentur, in primis laborasse; sive quia Regiæ gentis reliquiæ cæteros genere, & opibus anteirent; sive id veritus, quod post aliquot annos evenit, ne ex stirpe Regia nasceretur aliquis, qui ad auctores generis respiciens, Regnum avorum aliquando assereret. Est igitur (Generosissime, & Invictissime Ludovice Maria Sfortia Vicecomes) in genere tuo Regum sanctitas; qui olim in Italia plurimùm polluere, & per Theudelindam, quæ & ipsa in Cœlum relata habetur Deorum C cæremonia, quorum in potestate præcipuè sunt Reges: neque hæc conficta, aut à vano auctore edita, ut primordia gentis augustiora fiant: nam belli gloria, & perpetuum per bis centum ferè annos Regnum à Regibus profectum, genus abundè testantur: neque Otho Vicecomes in pago Decii Canonicus ad Archiepiscopatum promotus, aliquot etiam annos exul, dominium urbis vel affectasset, vel obtinuisset adversùs Turrianorum opes, qui divitiis magnis, affinitatibus, clientelis, & plebis studio potentes erant; si peregrinâ, aut humili stirpe oriundus fuisset, nec finitimi Populi rem Vicecomitum crescere æquo animo passi forent; cum hoc natura comparatum habeamus, D ut rebus suis quisque timentes, novum Dominum juxtà nos constitui minimè patiamur; ac ne opes crescant, armis, & bello enixissimè repugnemus, nisi vetustas gentis, & Regum proles popularium animos ad accipienda imperia invitasset, perinde ac illis parêrent, qui Regnum velut hæreditarium reposcerent. Sedes autem, & domicilium Regum Ticinum, quæ posteà annos multos fuit, jam inde delecta, ex quo post Duces res ad unius potestatem pervenit; sive quia urbs sit domina fluviorum, quibus intersecta, & proinde munita regio; sive propter fructuosos campos, & maximè frumentarios, quorum fructibus exercitus, & populi copiosè ali possint, ut is demùm E Italiæ imperet, qui arcem tenuerit: *Arx autem, & flos Italiæ*, ut Cicero dixit, *est Cisalpina Gallia*. Secuti sunt & in hoc Gothi, qui Papiæ velut in munitissima Regni parte thesauros habuêre; ubi & Reges suos aliquando crearunt: nam Mediolanum à recenti strage, & ruina deformatum non visum est majestati Regiæ convenire: quanquam restituta urbe legimus Agilulphum voluisse Adcaldum adhuc impuberem, quem Theudelinda susceperat, in circo Mediolani Regem à populo salutari: & Aripertus moriens duobus filiis Regnum ità diviserit, ut Mediolanum alter teneret, Ticinum alteri parêret. Quam divisionem Joannes Galeatius proavus tuus se-F cutus (Ludovice Illustrissime) nulli Longobardorum Regum, vel magnitudine Imperii, vel rerum gestarum gloria cedens, cum è vita decederet, Joanni Mariæ Mediolanum, & Philippo Papiam regendam testamento legavit.

GEOR-

GEORGII MERVLAE, ALEXANDRINI, ANTIQVITATIS VICECOMITVM LIBER II.

Cum progenies Caroli defecisset, Berengarii, & Othones per vim imperant. Ex lege per suffragia Germani Proceres Imperium: Romani autem Pontifices Sacerdotium, & Regnum obtinent.

CAROLUS, cui res magnæ celeriter, & feli-
citer gestæ cognomen Magni fecere post
sublatos ex Italia Reges, Papiam, & Me-
diolanum Præfectis Francorum subjecit: ip-
A. 801. se in expeditiones varias proficiscitur. Romam re-
versus à Leone Pontifice, populo acclamante, Im-
perator appellatur; sed cum durum, crudele, atque
inhumanum videretur, eam gentem funditùs perde-
re, ex qua tot Reges continuâ serie fuissent, cùm
jam longa consuetudine cum nostris, externo depo-
sito more, parum à lingua & institutis nostris differ-
rent: accedebant vetusta connubia, ac veteres cum
Italiæ populis necessitudines, placuit Pontifici, &
novo Imperatori quicquid Longobardi nominis reli-
ctum erat, in eas demigrare regiones, ubi diutiùs
imperassent, & sedes Regia fuisset: ex hoc pars illa
Italiæ, quæ inter Apenninum, & Alpes à cæteris
terris Athesi, Pado, & Rheno Bononiensi amne di-
scluditur, Longobardia primùm appellari cœpit:
Ravennæ Exarchatus, & quæ olim Flaminia dicta
fuit, Romandiolæ nomen habuit: abiere continuò
universi Longobardi in fines sibi præscriptos. At
Carolus priusquam naturæ concederet, Ludovicum
filium Aquitaniæ Regem Augustum dixit, quem
mox Stephanus Pontifex in Gallias profectus coro-
A. 814. na, & ornamentis Augustorum ornavit. Hic Ber-
nardum patruelem, quem pater Italiæ præfecerat;
quòd cum Episcopis quibusdam, & primoribus ur-
bium adversùs se conjurasset, prælio victum, quam-
vis supplicem, securi percuti jussit. Tum Lothari-
A. 818. um filium regnare in Italia voluit, qui à Paschali
Pontifice Imperator appellatur; sed patre mortuo,
de Imperio filii certavêre: inter quos post pugnas,
& clades utrinque acceptas, ita demum bellorum fi-
A. 843. nis factus est, ut Lotharius teneret Imperium, Ca-
rolus in Galliis, Ludovicus in Germania regnaret.
Lothario successit Ludovicus, quem pater adhuc vi-
vens socium assumpserat, ut hoc nomine post eum
imperaret. Per hæc tempora invenio, Afros in lit-
tus Hetruriæ transmissos: cùm direptâ Româ, o-
nustis præda navibus in Africam renavigarent, vi
tempestatis undis obrutos fuisse; & cum refecta clas-
se iterum Italiam petivissent, secus Ostiam urbem
occurrentibus Romanis, ingenti cæde edita in na-
A. 855. ves compulsos. Lotharius jam ætate confectus, ne
filii de Regno decertarent, penes Ludovicum pri-
mogenitum Imperii, & rerum summam esse voluit,
tum reliquis filiis Regna partitus, quod residuum
vitæ fuit, otiosè in Religione exegit. Post Ludo-
A. 877. vicum Carolus, cui cognomen *Calvo*, quæsitum pe-
cunia Imperium tenuit. Hic cum Gallias repete-
ret, in transitu Alpium veneno interiit. Certatum
inde de Imperatore deligendo. Joannes Octavus,
qui tunc summum Sacerdotium gerebat, ut Ludo-
vicus Calvi filius, quem *Balbum* cognomine dice-
bant, Franciæ Rex, Imperator crearetur, enixis-
A. 879. simè laborabat: contrà Romani nobiles Carolo,
quem *Crassum* dictitabant, Pontifice in vinculis cu-
A stodito, summam rerum deferunt. Uterque per
biennium imperavit: tandem solus Carolus, enecto
per venenum Ludovico Imperio potitur. Hic post A. 888.
multa bella confecta, animo pariter, & viribus de-
fectus, abdicato Imperio sub Arnulphi patruelis cu-
stodia, & arbitrio conquievit; sed Arnulphus, an-
nuentibus primoribus Franciæ, ex custode Regio,
& Regni procuratore Imperium usurpat. Dum hæc A. 891.
geruntur, Longobardi limites olim à Pontifice, &
Carolo datos egressi Romanos bello lacessunt, qui-
bus cum milites non essent ad propulsandum hostem,
suaque tuenda, frustraque opem ab Arnulpho pe- A. 899.
tiissent, pars Berengarium Foro-Juliensium Ducem,
B Roma tamen oriundum Imperatorem faciunt: pars
Vuidoni Duci Spoletano Regnum deferunt: certa-
vêre pro Imperio: victor fuit Berengarius ope Ar-
nulphi, qui mox præmissa auxilia subsecutus, dia-
dema, & jura Imperii à Pontifice accipit, tum in
Franciam reversus, fœdo Phthiriasis morbo obiit.
In hoc defecit Carolorum progenies. Arnulpho Lu- A. 901.
dovicus filius succedit; sed in Italia Lotharius Rex
creatur. Per hæc tempora Hungari Foro-Juliensi-
um fines ingressi, fuso Berengarii exercitu, Tarvi-
sium, & maritima Venetiæ oppida diripiunt: nec
cessêre Italia, nisi acceptis à Berengario obsidibus,
& pace pecuniis redempta. At in altera Italiæ par-
C te Saraceni Apulos, Calabros, Salentinos, & pro-
ximos Romæ agros excursionibus vastabant. Urbem
Albericus Joannis Pontificis frater repulsis Barbaris
tuebatur, qui Româ ejectus, ut ab ingratis pœnas
expeteret, externa arma quæsivit, accitis Hunga-
ris, qui violato fœdere, quod cum Berengario fe-
cerant, Italiam intrantes, non Romanos, quos in
primis Albericus ulcisci cupiebat; sed Hetruscos di-
ripiunt, atque onusti præda, tum mares, & fœmi-
nas in fœdam servitutem abduxêre: deinde dulce-
dine lucri, & magnitudine prædæ gens rapinis as-
sueta, cùm populi inermes essent, anniversaria ar-
ma moventes, si quid fortunarum reliqui erat, id
totum auferebant. Duo tunc Barbari Italiæ incu-
D babant; alter Apulos, & Calabros, & Campaniæ
urbes premebat: alter per Venetiam effusus usque
in Hetruriam passim omnia populabatur. Berenga-
rius eam duntaxat Italiam tenebat, quæ Lombardia
dicitur. Tunc primùm vici permulti fossis, & val-
lo cincti fuerunt; & si quis locus patentibus sylvis,
paludibus, collibus, aut natura quomodocunque
munitus fuisset, in eum naturali præsidio freti con-
fugiebant, sua eodem conferentes. Vuido quidam, A. 928.
cum Saracenos repulisset, Pontificem Joannem oc-
cidit: cui sufficitur Leo; quo haud multò post mor-
tuo, Stephanus summus Sacerdos creatur. Beren- A. 929.
E garius interim à Rodulpho Burgundionum Rege
devictus, Hungaros, ad quos profugerat, in Ita-
liam evocavit: qui in patentes campos effusi, ferro,
& incendiis omnia vastantes, Papiam usque perve-
niunt, eamque expugnatam crudelissimè diripiunt.
Interea Itali, Rodulphi præsidio parum tuti, Hu-

gonem Arelatensem Comitem in Italiam vocavêre,
cui statim sine certamine Rodulphus cedens, in
Burgundiam rediit; sed Hugo, ut pacatum Reg-
num sine metu proditionis teneret, in exilium eos
A. 932. potissimùm egit; quibus auctoribus in Italiam de-
scenderat: qui ad Arnoldum Bavarorum Ducem con-
fugientes persuasêre, ut Italiam cum exercitu pete-
ret: hunc Veronenses in urbe receptum Regem I-
taliæ vocaverunt; sed Hugo devicto Arnoldo Vero-
nam recipit. Interea mortuo secundo Berengario,
tertius ejusdem nominis primi ex filia nepos in Ita-
A. 936. liam venit, & Saraceni ex Africa solventes, He-
truriæ maritima adorti, populationibus, & incen-
diis omnia vastant, atque oram Ligusticam præter-
vecti, Genuam urbem per vim capiunt, cæsis om-
nibus, qui arma ferre poterant, cum ingenti præ-
da impuberes, & fœminas abducunt; qui mox li-
berati in patriam reducuntur. Invenio apud scri-
ptores, *post restitutum Genuæ populum, muros urbis Me-
diolanensium impensa, & opera extructos fuisse.* Morte
Stephani Leo Pontificatum excipit; post quem A-
gapitus. Tunc famé profundâ laboravit Italia. Re-
versus Berengarius occurrentem sibi Hugonem Are-
latensem cum ingentibus copiis, priusquam manus
consererent, in colloquium evocat, atque conditio-
nibus certamen dirimunt: convenêre, ut Lotharius
Hugonis filius pari potestate, & æquo jure cum
A. 930. Berengario res Italiæ administraret. Igitur conso-
ciato Regno, pater in Gallias, unde venerat, re-
vertitur. Sed inter Reges neque sancta fides, nec
diuturna amicitia, atque societas diu stetit: siqui-
dem Berengarius Lothario contempto, omnia pro
suo consilio, atque imperio gerebat. Hoc tempore
Hungaros Italiæ imminentes Henricus Bavariæ Dux
duobus præliis superat, atque repentina excursione
ab Aquileïa Ticinum usque omnia populatus, præ-
da in naves imposita, per Padum in Patavinorum
fines rediit: diffidens verò copiis, si cum Berenga-
rio certandum fuisset, qui cum exercitu obviam ve-
niebat, in Austriam se recepit. Hungaros in Ita-
liam denuò impetum facientes Berengarius, missa
eorum Regi pecunia, ut finibus cederent, effecit.
A. 946. Moritur intereà Lotharius Papiæ, Rex magis no-
mine, quàm re; cujus uxorem Alundam, mulierem
sanè generosam Berengarius, ne per secundas nu-
ptias urbem dotalem alteri viro traderet, Mediolani
in vinculis habuit: usurpato Imperatoris nomine,
filium Albertum Italiæ Regem nuncupavit: quam
rem Pontifex, & quidam Italorum proceres ægrè
ferentes, Othonem Germaniæ Regem accersivit,
qui magno cum exercitu per Transpadanos veniens,
Berengarium, atque Albertum refugientes ad Tici-
num desecutus, eos prælio superat; quibus tamen
veniam dedit, & Longobardorum urbes, præter
A. 951. Veronam, & Aquileïam, illis regendas permisit,
rebusque in præsens ita compositis, in Germaniam
rediit, liberata Alunda, cum qua nuptias fecit, &
de ea filium genuit, cui posteà Othoni secundo no-
men fuit: tum in Franciam profectus, populos, &
A. 963. gentis Principes, qui à Ludovico Rege desciverant,
ad obsequium coëgit, pacataque Gallia in patriam
reversus, Hungaros Germaniæ urbes evastantes,
nunquam intermissis præliis propè ad internecionem
delevit: mox in Italiam accitus, Berengarium pu-
gna devictum cum Alberto filio relegavit, atque ita
Regno potitus Joannem Duodecimum, qui per opes
patris, & factione suorum Agapito suffectus fuerat,
Sacerdotio dejicit, propterea quòd per nimiam li-
centiam lasciviret, Ecclesiam dilaceraret, sacra pol-
lueret; & subinde admonitus, ut vitam, & mores
pro majestate Pontificatus componeret, minimè cor-
rectus, in vitio, & sententia permaneret. Romæ
per ea tempora ex prisco velut instituto annui Con-
sules creabantur, & Prætor urbanus ex nobilitate in
urbe jus dicebat. Erant duodecim Decuriones, qui
in consilium, quotiens inciderat gravioris rei deli-

A beratio, adhibebantur. Ergo post Joannem Ponti-
ficatu submotum, de creando Pontifice discordiæ
oboriuntur: alium Imperetor; plebs, & patres ali-
um deposcebant. Quare, cum diversa forent studia, A. 964.
Leo, & Benedictus Pontificatum per vices aliquan-
tum temporis tenuere. Tandem Joannes Tertiusde-
cimus Pontifex fit, qui favente Othone vel invitis
Romanis, & subinde eum insectantibus, in Pontifi- A. 965.
catu tamen constituitur. Sunt qui scribant, *huic
Othoni jus, & arbitrium creandi Pontificis, quem vellet,
datum*, cum id jampridem penes clerum, & popu-
lum fuisset: quanquam Carolo permissum inveniam,
ut non solum Romanum Pontificem is crearet, sed
B civitatibus Episcopos pro arbitrio suo præficeret.
Per hæc tempora Saraceni, qui Calabros, & Apu-
los gravi & fœda tyrannide premebant, urbibus pri-
mum pulsi, deinde supervenientibus Hungaris oc-
cidione deleti fuere. Joannes Pontifex juniorem O- A. 967.
thonem, ut patri gratiam pro merito referret, Im-
peratorem appellat. Mox mortuo Joanne, duo Be-
nedicti, alter alteri succedentes, Pontificatum ex-
cipiunt. Otho devicto Henrico Bavarorum Duce A. 968.
in Italiam vocatus, prælio à Græcis victus, Romæ,
quò se ex fuga receperat, obiit. Pontifex quoque
resolutis membris attonitus repentè moritur. Tunc A. 984.
Romani proceres, qui fortè id tempus frequentes in
C urbem venerant, pars Othoni Secundi Othonis filio;
alii Henrico Bavarorum Duci summam rerum de-
ferri studebant: fuere etiam ex Italis, qui Imperium
affectarent: quare in Othonem Tertium consensere.
Hic absumptis aliquot annis in componendis Germa-
niæ rebus, serò in Italiam venit; accersitus scilicet
adversùs vim, & opes Crescentii, qui ex Consule
urbis dominium cœperat, Pontifici maximè infestus.
Ergo restitutus in Sacerdotium Gregorius Quintus,
legem ex Pontificia auctoritate de Imperatore eli-
gendo, atque creando sanxit, quæ ad nostra usque
tempora per quadringentos, & ampliùs annos ser-
vata est, ne in Imperium veluti hæreditarium filii à
D parentibus excipiantur, aut qui opibus, & armis
plus possit, illud usurpet; sed paucorum procerum
suffragiis designatus, mox auctore Pontifice justum, A. 996.
& legitimum is Imperium possideat: delecti item
sunt Principes. His temporibus Saraceni ex Sicilia,
quam obsessam tenebant, Guilielmi Northmanni
armis pelluntur. Moritur intereà Gregorius Quin-
tus, cui sufficitur Benedictus Octavus. *Otho etiam
Romæ*, ut quidam tradunt, *veneno rapitur.* Me- A. 1003.
diolani posteaquàm Carolus, & filii deinceps, atque
nepotes Italiam tenuerunt, regnavere in ea Beren-
garii, & tres deinde Othones imperarunt: nihil
plane gestum invenio, quod memoratu dignum sit.
E In urbe authoritate, & opibus Antistites plurimùm
pollebant. Discors populus gravi odio, & interim
intestino bello ardescebat: hinc Patricii, illinc Ple-
bei infensis animis, & infestis armis se invicem dila-
cerabant. Præsul magis in partes Nobilium incli-
nabat. Quidam sunt auctores, *à Bonicione quodam
Carcani oriundo, corruptis pecunia Sacerdotibus, & fa-
vore Othonis Pontificatum urbis Landulpho fratri quæsi-
tum*; qui mox fratres, & propinquos opibus, hono-
re, & potentia auxit: eorum quippe ditioni oppida
quædam subjecit, & intrà urbem jura, & gentilitia
commoda elargitus est. Hinc Carcanorum, Piro-
veneorum, Melignanorum, Landrianorum profectæ
F familiæ de nominibus oppidorum, quibus denomi-
nabantur, appellatæ. Ex eo Capitaneorum orta
sunt nomina, civilium discordiarum, & odiorum
seminaria. Hinc etiam Patriciorum opes plus nimio
crescere, & indè superbiæ, atque in tenuiores inju-
riæ. Quare Plebs commota in Præsulem facto im-
petu, illum cum fratribus, cognatis, & clientulis
urbe ejicit. Tum primùm duæ ex una civitates fa-
ctæ, nam Plebeji intrà urbem se continebant: vi-
cos, & oppida Patricii infesti Patriæ habebant. Er-
go cum nulla inter cives concordia esset, res suas
miseri

miseri perdere, Capitaneorum tyrannide plerique opprimi, cuncta factiosorum procellis agitari. A Archiepiscopi, novandarum rerum avidi, Germaniæ Reges plerunque ad se vocabant, ut scilicet peregrinis opibus adjuti, per causam Sacerdotii Regnum inter cives compararetur. Præficiebatur tunc Mediolanensi Ecclesiæ is duntaxat, quem Populus suis suffragiis creasset: quòd si plures competitores de Sacerdotio pugnassent, tunc Imperatoris arbitrio Præsul dabatur. Mortuo Tertio Othone, cùm res
A. 1003. summum Imperium non haberent, Ardoinus Eporediensis Marchio, convocatis finitimarum urbium Principibus, atque Episcopis Imperator creatur; cui velut legitimè imperanti plurimi Populorum B
A. 1004. paruêre. Intereà Germanorum Proceres pro jure sibi à Gregorio Pontifice dato, Henricum Bavarorum Ducem Imperatorem designant. Hic in rebus Galliæ componendis diutiùs occupatus, adventum suum in Italiam remoratus, ex itinere cum Ardoino pugnam conseruit, atque prælio victus in Germaniam refugit. Brevi reparato exercitu, ab Heritperto Archiepiscopo accitus, Ardoinum denuò dimicans acie superavit, sumptoque mox supplicio de iis, qui capita conjurationis fuerant, Romam
A. 1014. proficiscitur: ubi auctore Stephano Pontifice Cæsar primum appellatus; mox Imperii ornamenta accepit: Saracenos Capua expulit, & in Apulis urbem Trojam C
A. 1023. Græcis colonis se dedentibus recepit. A quibusdam scriptoribus *Henricus Gibellinus hic nuncupatur de nomine oppiduli, ubi ortus.* Traditur *continentiæ singularis, utpote qui extra Sinegundam uxorem, usum veneris non habuerit.* Quare post mortem miraculis utrique editis inter Deos culti fuere. Quidam sunt auctores, *ab hoc Henrico cœptam consuetudinem ferreæ Coronæ, quam Mediolani is demum accipit, qui in Germania Cæsar designatus sit:* alii *primùm Othoni hujusmodi ornamenta data* ferunt: sunt qui *à Carolo factum* repetant: ego cum incerta tradantur, nec satis firmum originis auctorem habeam, quando res cœperit, minimè affirmare ausim. Verùm cùm per quingentos D fermè annos continuatum hoc sit, unde morem hunc ortum putem, quantum conjecturis assequi possum, breviter exponam. Occidentale Imperium à Carolo Pipini filio post extinctos Longobardorum Reges cœptum satis inter omnes constat, qui multarum gentium victor, tunc demum Imperio dignus haberi potuit, cum eam Italiæ partem subegit, in qua Reges diutiùs dominati, & Regia sedes fuisset. Ergo Populi Regio assueti more peregrina imperia haud pati, nisi apud ipsos, si non Regnum, saltem Regiæ dignitatis species aliqua mansisset, ut parêre magis, quàm servire viderentur. Profectò enim tunc gravis, & intolerabilis servitus, & infensi Domino Populares; ubi nec in consilium, nec in par- E tem dignitatis, & publicorum commodorum admittuntur, sed velut victi superbè prætereuntur, & parum necessarii negliguntur. Externi itaque Reges, cum in legitimi Regni titulum, tum ut alioquin contumaces animos mollirent, Italiam ingressi, Mediolanum primùm divertebant; ubi plausu & lætitia gratulantis Populi excepti, ferreaque insigniti Corona, jam Cæsares facti, urbium Primores aut donis locupletabant, aut Præfectura, & nova dignitate decorabant, aliis immunitates, & privilegia largiebantur: qua Cæsarum liberalitate, atque munificentia nostri Populi illecti, etsi peregrini Reges F raro in Italiam venirent; tamen cum se honoratos, & à dominis benignè amplexos viderent, minimè novandarum rerum consilia inibant; sed sub externo Regno fidem, ac officium colebant: & quamvis in urbe odia crescerent, cunctaque à Capitaneis repugnante Plebe agitarentur, tamen adventante Cæsare à certaminibus, & civili bello urbs temperabat. Er-
A. 1024. go tum deliniendæ multitudinis gratia, & ut infensum minùs Regnum foret; tum simulacro veteris Imperii Mediolani, atque interim Moguntiæ ferreo ornatu justè imperaturi decorantur. Post Henrici mortem Conradus gente Suevus, qui sub illo stipendia Princeps ordinum honestissimè meruerat, Cæsar A. 1025. per suffragia Procerum designatur: novarum rerum auctores in Germania primùm repressit: tum in Longobardos exercitum duxit, qui finibus egressi latiùs effusa populatione finitimos vastabant, Mediolanum A. 1037. Gentis caput circumsidet: jam mœnibus inhærebat, jam procedebat obsidio, & oppidani per eruptionem, ubi occasio aderat, in Germanorum stationes impetus facere, contrà ab hoste repulsi intrà urbem compelli, & pugna interim committi. Tum fortè Baverius miles, viribus ferox, & propinqua Cæsaris cognatione inflatus, jurejurando palàm omnibus se astrinxit, non priùs cibum sumpturum, quàm aut hastam intrà urbem jaceret, aut portas configeret. Ergo muris obequitans portis occursabat, probra identidem ingerens, non tulit insolentis Barbari minas, & magnifica verba HERIPRANDUS VICECOMES Regia stirpe progenitus: hic relicta statione portæ, cui præsidebat, armatus hosti ferocissimo occurrit; rem gladiis cominùs gerunt: tandem Heriprandus pugione suffossum Barbarum humi sternit, recisumque gerens caput protinùs ad suos gratulantes revertitur: cecidit & tunc Guido Comes Italiæ, & Imperatoris Signifer: exacerbatus graviore ira Conradus, suburbana succendi jussit; antè enim agrorum tecta exusta fere fuerant: tandem sive tædio longinquæ obsidionis, sive viribus, & patientia obsessorum fatigatus, sive ex eo deterritus, quòd Agrippiensis Coloniæ Archiepiscopus inter sacrificandum Ambrosium viderat potentissimæ Civitatis Patronum stricto gladio terribilem Conrado, & exer- A. eodem 1037. citui cladem minitari, relicto Mediolano Papiam concessit: mox Germaniam repetens Sclavos, & Hungaros, qui promissis auxiliis Italiæ Populos ad arma, & defectionem solicitaverant, ex itinere debellavit, Regnumque Burgundionum seditionibus, A. 1038. & intestino motu afflictum, Rodulpho Regi pacatum reddidit. Dum Conradus Longobardos urget, hostiliter cuncta populatus, sæpe spoliati Populi ut res suas aliquando defenderent, nec velut in perpetua servitute precarium victum haberent, seque in libertatem ab intoleranda tyrannide eximerent, desueta tunc arma homines imbelles retractare cœperunt; atque ut signum haberent, quo sublato arma caperent, exercitum cogerent, in bella prodirent, castra locarent, rem excogitavêre alioquin ridiculam; nisi tempora insignem fecissent, & multa ignoscenda miseris forent, quorum mentes ea formido, atque ignavia cœperat, ut Barbarico servitio semel pressi nec scirent, nec discere possent, quæ in bello majorum vires, & artes fuissent. Carrocium ergo veteris militiæ penitùs nescii, & antiqua instituta ignorantes, ad hunc modum non Mediolanenses solùm, sed cæteri Populi fabricarunt: carrus erat editior coccineo obvolutus panno, in cujus medio procera pertica statuebatur, ab cujus fastigio quoquoversùm deducti funes manibus virorum tenebantur interim carro subnixi: in summo Crux aurea, à qua vexillum album in Crucis figuram rubro intersectum dependebat: juncti boves, & albo instrati panno, intersecante concolori Cruce, currum trahebant: Carrocio præficiebatur vir, ut illa ferebant tempora, bello egregius, qui ut in magisterio reverendus esset, lorica, & ense publico donabatur: Sacerdos additus, tum rei divinæ gratia, tum ut mortifero vulnere ictis, & jam animam agentibus, sacra ministraret: sequebantur octo tibicines: hi omnes publica impensa, & dato salario alebantur: hoc signo freti Populi alacres in bellum prodire: ubi figebatur, illic Prætorium; hinc signum pugnæ petere, atque siquando premente hoste in castra refugissent, ad Carrocerium conferti, tanquam resumptis viribus pugnam renovabant; & jam nulla spe post relicta in hostem incedebant; cui id erat sanè

quàm formidolosum, cum resumptas vires ab iis,
quos insequutus fuerat, repentè velut novam aciem
exurgere cerneret. Morte Conradi ab armis, &
peregrino hoste quievit Italia. Sed Mediolani dis-
cordia continuatur, & domesticæ seditiones agitan-
tur, tantumque odii, & iræ inter Plebejos, & Pa-
A. 1039. tritios venerat, ut minimè concors, & quieta foret
civitas. Interim in Germania Henricus Conradi fi-
lius Imperator creatur: hic, cum de Pontificatu qui-
dam ambigerent, Romam properè contendit, ut
A. 1046. Sacerdotum lites componeret, ubi & coronatus est.
Sed cum Pontifices crebrò raperentur, brevi tem-
pore complures Pontificatum administrant. Et Hen-
ricus puer sub tutela tamen Matris regnare cœpit.
Summum Sacerdotium Romæ per ea tempora Be-
A. 1047. nedictus Decimus menses octo tenuit: in quo crean-
do cum pecunia fortè versata esset, atque deinde non
solùm largitione palàm profusa, sed factionibus ar-
matorum succincti Pontificatum quidam peterent,
ad tollenda certamina, & coërcendos in urbe tumul-
A. 1059. tus, castigandamque avaritiam eorum, qui muneri-
bus capiebantur, Nicolaus Secundus inito statim Sa-
cerdotio, ne Pontifices aut Populi studio, aut ex
Cæsarum arbitrio crearentur, jura descripsit, & ri-
tus tradidit creandi Pontificis paucorum Sacerdotum
suffragiis: quæ Decreta in nostra usque tempora Pri-
mores Sacerdotum, qui Cardinales appellantur, ser-
vavere. Mediolanensis Ecclesia, quæ ducentos, &
ampliùs annos libera, & sui juris fuerat, tunc pri-
mùm Rom. Pontifici se regendam permisit: cujus
exemplum cæteræ ferè Occidentis Ecclesiæ sequutæ
sunt, atque ex eo Romani Sacerdotii jura latè pa-
tuerunt, & opes longè amplificatæ. Mortuo Ni-
colao sufficitur Alexander Secundus, Mediolani or-
A. 1061. tus ex Badagiorum familia, Lucensis Episcopus,
Anselmus anteà dictus; sed Longobardorum Sacer-
dotes ægrè ferentes Pontificem non sui corporis fa-
ctum, Cadalum quendam Parmensem contra creant:
tunc Mathildis generosissima mulier, quæ Regiole-
pidi, Mutinæ, Mantuæ, & urbibus Hetruriæ do-
minabatur, illorum adversata studiis, Alexandrum
fovebat: cæterùm Cadalus potentia, & opibus suo-
rum fretus, Romam contendit: nutabant Cives,
atque in quem inclinarent, incertum erat: armatus
itaque Pontificis nomen usurpat, & haud ita multò
post prælio victus urbe cessit. Tum verò Henrico
procurante, & opera Mathildis, quæ Cadalo infen-
A. 1064. sa erat, Patres in Concilium Mantuæ coguntur,
quorum jussu Cadalus Sacerdotio dejicitur; atque ita
Alexander Pontificatum quietum habuit. Circa hæc
tempora Mediolani vis Nobilium, miseriæque Ple-
bis in dies crescebant: hinc seditio, atque discessio
Populi in duas partes; & indè irritatis animis utrin-
que armis sumptis pugnabatur: Optimates adversùs
Patriam, quam sola Plebs incolebat, incursiones ex-
ercebant; nam cum impares viribus essent, in op-
pida vicina concesserant, atque coacta manu tumul-
tuaria rusticorum, atque clientum urbem ingressi,
injuriis, & gravissimis detrimentis Plebejos affece-
re; alios violare, alios spoliare, hos cædere, ex li-
bidine animi multa moliri: quin etiam lex de vi, &
cæde lata fertur, quæ pauco ære illatas injurias di-
lueret, & cædis reos absolveret: provocati profe-
ctò magis sunt, quàm deterriti à maleficio animi:
quare cum nullus pœnæ metus foret, & scelerum
impunitas, nullusque superbiæ, atque libidini Pa-

A triciorum obviam iret, Lancio Curtius Nobilitati
apprimè infensus, miserorum causam adversùs vim,
& opes Potentiorum suscepit, improbitati Nobi-
lium fortissimè repugnans: quo facto Plebis defen-
sor unicus à tenuioribus Capitaneus creatur: hunc
Nobiles urbe ejiciunt, bona publicant, multaque
in ignominiam, & perniciem Plebejorum moliti do-
minabantur: jam in urbe Plebs serviebat, nec inve-
niebat, quo pacto jugum excuteret; destituti ope,
& patrocinio passim trucidabantur. Quidam tra-
dunt, hunc Lancionem, sive in pugna captus, sive
dolo circumventus in potestatem Nobilium cum ve-
nisset, excruciatum crudelem in modum morte fœ-
B dissima affectum. Deserta igitur tutore Plebs, &
contumeliæ obnoxia Herlembaldum Cottam, quam-
vis de gente Patricia, defensorem parat: hic Plebis
custos Nobilium libidini occurrens, Popularis ma-
ximè est habitus; sed quasi parùm odia flagrarent,
& veteri simultate turbulenta civitas non foret, res
gravis sequitur indignitatis plena, & quodammodo
detestanda. His fortè temporibus Sacerdotes Me-
diolani conjugati vivebant, adversus quos quidam
insurrexere, qui dicerent *cœlibatum in Sacerdote, si non
necessarium, honestum tamen esse; ut puris scilicet, &
incontaminatis manibus sacra tractet; quæ ab homine con-
jugato pollui & inquinari videntur:* quando nulla virtus
C æquè religiosum hominem commendet, quàm Ve-
neris abstinentia: reclamabat Guido Archiepisco-
pus, sive ut studia, & gratiam Presbyterorum cap-
taret, sive quòd Plebem alioquin sibi infensam magis
morbo animi, quàm justa de causa, Sacerdotum
nuptias improbare, & insectari cognosceret: certa-
tum est intrà urbem non solum studiis, & dissensio-
ne, sed & ferro: quidam cæsi sunt, alii urbe pulsi:
tum verò gliscente certamine, exacerbatisque ani-
mis, nullum non contumeliæ genus in conjugatos
est editum: quare cum licentiam gladiorum, & fu-
rorem vulgi Præsul extimesceret, Suffraganeos in
Concilium vocat, in quos cum multa tentaret Her-
D lembaldus, ubi secundùm se pronunciatum cogno-
vit, Populo convocato legem tulit adversùs Sacer- A. 1065.
dotes, quorum nuptias velut inconcessas Pontifex
damnaverat: protinusque impetu facto Gottofredum
Præsulem, qui Guidoni successerat, urbe ejiciunt:
hic comitatus multitudine Nobilium, in oppidum,
cui Castillionum nomen est, se recepit: quem coa- A. 1070.
cto exercitu Herlembaldus persequutus obsidet. Per
quæ tempora repentino incendio conflagrarunt in
urbe tam privata, quàm publica opera, atque ædes
Divi Laurentii ægrè defensa, ambusta mansit: ap-
pellatus hic ignis Castillioneus ab obsidione videli- A. 1071.
cet oppidi, in quo tunc armata Plebs Præsulem cir-
E cumsedebat. Reversus in Patriam Herlembaldus
Nobiles multos proscripsit, quorum publicata sunt
bona. Interim Thedaldus Castillioneus Ecclesiæ
præficitur: enimverò tunc erecta Nobilitas, ac sta- A. 1075.
tim congregati, duce Gulielmo Landriano, quem
parti suæ præposuerant, sumptis armis Patriam in-
gressi, Thedaldum in Episcopali sede constituunt:
moxque tum literis Rom. Pontificis, qui Cives suos
ad pacem, & concordiam hortabatur, tum procu-
rante Thedaldo discordiæ mitigantur, atque paula-
tim sanata propè simultate, depositisque odiis civi-
tas ante divisa in unum revertitur: multi ex infensis
amici sunt redditi, & reconciliata jam gratia Cives
F ab intestino malo aliquandiu quievere.

GEORGII MERVLAE, ALEXANDRINI,

ANTIQVITATIS VICECOMITVM

LIBER III.

Obsidente Gottofredo Hierosolyma, Otho Vicecomes provocantem Barbarum singulari certamine occidit, Viperamque retulit. Fridericus armis Alexandrum persequitur, atque Mediolanum evertit.

A. 1073. POST Alexandri mortem, Summum Sacerdo-
tium Hildebrando studiis, & clamore Populi
demandatur: Septimus Gregorius nuncupa-
tus est. Duo tunc in Italia Archiepiscopi
A. 1075. Romano Pontifici maximè adversabantur; Guiber-
tus Ravennatis Ecclesiæ Antistes, & Thedaldus Ca-
stillioneus. Ad compescendos igitur motus, cohi-
bendosque Sacerdotum quorundam spiritus, Late-
ranense Concilium indicitur, in quo Pontificatu
Gregorius potitur. Guibertus, & quidam ex Con-
juratis dignitatibus, & honore multantur. Dum
hæc geruntur, Henricus rebus adversùs Saxones
prosperè gestis, Pontifici rebellavit, conventuque
edicto cum multos Episcoporum in suam sententiam
A. 1077. traxisset, contumaciùs omnia agere, Pontificalibus
edictis repugnare: qua indignitate motus Gregori-
us, injectis diris Henricum Imperatoria dignitate
privat, sed deprecante Mathilde, petitâ etiam ve-
niâ Pontifici reconciliatur. Verùm impius, & ma-
lè animatus homo iterum in perniciem Sacerdotum
multa parat, Majestatem Romanam minimè veri-
A. 1081. tus, nec iras Apostolorum timens; cui ceu impio,
& nefario sacris iterum interdicit. Enimverò tunc
Henricum filium in Italiam misit, qui haud procul
Ferrariâ Mathildis copias devicit, novumque Pon-
tificem creat, quem Romam deducit. Urbi tunc
præerat fortè Guiscardus accersitus à Gregorio: hic
cum se imparem Henrico viribus, & multitudine
militum animadverteret, disjecto muro, quo Pon-
tifex velut obsessus occludebatur, Româ cedens,
Salernum contendit: quo in loco Gregorius mori-
A. 1085. tur, cui successit Victor Tertius. Hoc quoque in-
trà paucos dies defuncto, Urbanus Secundus Sacer-
dotum Princeps creatur. Hic cum animos civium
A. 1088. parùm quietos cognosceret, & subinde in tumultu
omnia esse, Romam relinquit. Revertitur iterùm
in Italiam Henricus haud cum magna militum ma-
nu. Defecerat jam ab eo Conradus filius; quare
A. 1093. ab exercitu Mathildis, qui ei occurrerat, facilè re-
jicitur. Sed Urbanus augendæ Religionis, & Chri-
stiani nominis illustrandi maximè cupidus, sive ita
volente fato, sive ingenti quodam spiritu ductus,
indignè ferens ea loca, ex quibus exordia nostræ
Religionis profecta erant, Barbaris parêre, de re-
cuperanda Judæa, potiundisque Hierosolymis consi-
A. 1095. lia agitare cœpit: ter in Italiam Episcopos magnæ
deliberationis gratiâ, frustrà convocavit: in Galliam
tandem profectus est, indictoque Concilio apud Cla-
rummontem Arvernorum urbem, concivit Primores
Sacerdotum, & Christiani nominis Principes cohor-
tatus, ut arma sumerent, nec impensæ prægrava-
rent, nec difficultatis viarum pigeret, aut quod ma-
ria trajecturi essent, deterrerentur; quando nihil in
vita gloriosius, aut Deo acceptius, & ad sedes Cœ-
litum, æternaque gaudia promerenda efficacius fo-
ret, quàm si sacra illa loca, quæ jussu divino Judæi
jampridem incoluissent, & ex quibus deinde salus
rerum nata foret, de Barbaris erepta, Christianis
A Regibus, & nostris Sacerdotibus restituerentur.
Tantùm igitur Pontificis preces, & authoritas va- A. 1096.
luere, & in Deum Optimum pietas in animis homi-
num effecit, ut ad trecenta, & ampliùs bellato-
rum millia in expeditionem nobilissimam cogeren-
tur: Cruce signati omnes incedebant, & proindè
Cruciarii appellati: Petrus cognomine Heremita,
ardore Religionis, & integritate vitæ celeberrimus,
expeditionis auctor à quibusdam perhibetur; nam
& maximam exercitus partem coëgit, & se ducem
professus est: assumpsit etiam fratres duos Comites
Gottofredum, & Eustachium, quibus cognomen
tunc erat Bullionis. Exciti igitur propriis sedibus, A. 1098.
B pro viarum compendio quisque Constantinopolim
pervenere: longè erant suspectissimi Alexio: tan-
dem Bosphorum Thracium transmissi, feracissimos
illos Minoris Asiæ agros populantur, opulentas ur-
bes per vim capiunt, atque diripiunt, expugnata-
que Antiochiâ, Syriam, Palæstinam ingressi, Hie- A. 1099.
rosolymis castra admovent, urbeque ipsa undequin-
quagesimo die posteaquàm circumsideri cœpta fuit,
potiuntur Idibus Junii Anno ab Salvatore nato, sa-
luteque terris data nonagesimo nono suprà millesi-
mum. Tunc victor exercitus plaudens, & venera-
bundus urbem ingressus, religiosissimum Sepulcrum,
prædæ oblitus, primum adiit; tunc Aras, & Sa-
C cella, in quibus vestigia, aut nati, aut peregrinan-
tis, aut docentis Domini extarent, læti, ac suppli-
ces salutarunt; nullum denique præteriere locum,
aut insalutatum, aut inadoratum, in quo priscæ Re-
ligionis memoria aliqua maneret. Tum universus A. eodem
exercitus Gottofredum Hierosolymorum Regem 1099.
creat. Ad Barbaros è Palæstina, Syria submoven-
dos, Mediolanenses demum Nobiles, viribus, &
opibus præstantes profectos legimus: qui tum acie
dimicando, tum in expugnandis Hierosolymis, e-
gregia facinora edidere. Joannem Raudensem, &
Rotium de Cortesella quidam scriptores celebrant;
qui inter primos mœnia Solymorum ascenderint. Cæ-
D terum Rotius in memoriam longinquæ, & præ-
claræ peregrinationis, ædem sub appellatione Do-
minici Sepulcri ædificavit; quæ adhuc Mediolani
reverenter salutatur. Sed OTHO VICECOMES rem
gessit in *Annalibus libris* valdè memorandam: illustre
virtutis specimen, & Regii generis, à quo progna-
tus traditur, argumentum certissimum, & quod
jam tunc ei Regnum portendit. Fortè dum Hiero-
solyma obsidetur, pugnæ multæ cum hoste ge-
runtur, qui suis auxilio venerat: processit Barbarus
viribus ferox, armorum, & corporis specie inter
cæteros eminens, & proinde terribilis; nostrosque
despiciens venire jubet, & congredi, si quis pug-
E nare secum de Christianis auderet. Enimverò tunc
universus obstupescere exercitus, certamen cuncti
abnuere, neque quisquam ex ea multitudine for-
tem tanti periculi adire: nam magnitudo, & im-
manitas faciei omnes perterrefecerat: tunc Otho
Vicecomes, in quo eximiæ vires, animus intrepi-
dus,

dus, & Regii spiritus aliquid hærebat; cum cæte-
ra turba partim defixi, partim ambigui starent, ar-
matus adversus provocatorem accessit, initoque pro-
tinus certamine, superbum Barbarum, & Insigni
horrido ferociùs exultantem, primo congressu vi-
cit, interfecitque: detraxit non arma tantùm, sed
& nobile spolium retulit: VIPERA stabat sinuosa,
nudum infantem seminecem, gementi similem, &
suffuso cruore turgidum dentibus tenens; gestamen
profectò fœdum, & barbaricæ crudelitatis docu-
mentum; nisi quòd hostium spolia, quò magis ab
humanitate recesserint, eò speciosiùs sunt victoriæ
monumentum. Insignis igitur tam memorabili fa-
cto ad suos reversus Otho, parta trophæa more hie-
ronicarum Patriæ donat, à qua non minus honoris,
& nominis accepit, quàm quod donaverat. Dica-
vere Cives legionibus Viperam; ut quotiens in ho-
stem prodiretur, Signa urbis non figerentur, nisi
priùs Vipera staret, qualem hosti detractam Otho
de Syria reportaverat; sive perpetuo Regiæ familiæ
gentilitio; sive magnis auspiciis, & certa præsum-
ptione victoriæ, quasi eo signo conterritus hostis,
victori Populo statim terga daret; sive ut in poste-
ros victoria redundaret, qui aliquando libertatem
nobis à peregrina tyrannide vindicarent, & Italiæ
incolumitatem suis armis afferrent. Celebrent Ro-
manarum rerum scriptores Corvinum, ostentent
Torquatum, quòd hic Gallo torquem abstulit, un-
de sibi, & posteris cognomen, ille auxiliarem ha-
buit Corvum, à quo postea Corvini: Noster pro-
fecto majore laude dignus; quippe qui in expediti-
one felicissima, in qua à barbaris, & impiis Domi-
nis possessa diutiùs Judæa erepta fuit, nostris Regi-
bus tradita, atque Sacerdotibus concessa: res præ-
terea non in Italia, aut propiùs Patriam, sed in alio
terrarum Orbe, alioque Sole trans maria gesta fuit.
Cæterùm Henricus cum Romam denuò venisset,
Paschalem Pontificem, à quo honorificè exceptus
fuerat, cum Principibus Sacerdotum in vinculis, &
custodia tenuit. Jura postulabat Pontifex conferen-
A. 1111. dorum beneficiorum sibi restitui, & super eos ar-
bitrium, & potestatem dari, qui velut obnoxii Ro-
mano Pontifici tributa penderent. Moritur per hæc
tempora Mathildis Regina, quæ in Æmilia, Fla-
minia, & Hetruria latè imperabat: huic cum nulla
A. 1115. soboles esset, Regnum, & opes testamento ad Ro-
manum Pontificem, velut æternum Petri Patrimo-
nium pervenere; atque in nostra usque tempora pars
Hetruriæ hoc nomen servat. Successit Imperio
Henricus Quartus, qui Patrem viventem in carce-
re usque ad mortem excruciavit; impietatem ta-
men paternam æmulatus, eundem Pontificem cru-
deliter tractavit, Sacerdotum bona dilanians: tan-
dem facti pœnitens, Callisto erepta ab antecesso-
ribus eligendorum Episcoporum jura restituit, si-
A. 1122. mulque agri, & cætera Pontificiæ potestati reddi-
ta sunt. Per Henrici Quarti tempora conflagrasse
iterum magnam Mediolani partem apud quosdam
invenio: facilè tunc fuit, oborto semel incendio
proxima quæque aduri; propterea quòd, sæpiùs e-
versâ urbe, restituta subinde ædificia stramine, cra-
tibus, & levi materia constabant, quæ flamma fa-
cilè comprehenderet. Ergo incendiorum metu
lege vetitum fuit: *ut spirante vento nemo unus ignem*
domi, sive ad cibaria coquenda, sive ad alios vitæ usus
accenderet. Quare nonnunquam vento perseveran-
te, vix panis, aut obsonia in urbe decocta invenie-
bantur. Agebat tunc in civitate Principem Sacer-
dotum Jordanus Clivius. Jamque cives foris bello
lacessiti odia remiserant: in finitimos arma conver-
sa sunt, qui civili dissidio elati erant: ita sedato tu-
multu domestico, sibi, & sociis illatas injurias a-
criùs ulciscebantur. Fortè bello Brixiani, & Cre-
monenses se invicem evastabant, atque succumbens
Brixianus, impetrato à Mediolanensibus auxilio,
exercitum confestim instaurat, hostem exultantem

A invadit, & refugientem ad Olii ripas persequitur:
atrox pugna editur, atque cæde ingenti facta, am-
nis ipse sanguine spumescens effluxit. Tunc Me-
diolanensis victor Laudem circumsedit, pridem à
Magno Pompejo, post purgata maria, devictosque
Piratas, conditam: ergo crebris incursionibus vexa-
ti Mediolanenses, & Sociorum injuriis commoti, A. 1109.
paulò diuturniore obsidione urbem ipsam cœpere:
graviter in victos sævitum: muri dejecti, abductus
populus, vicatim habitare jubetur; ne scilicet con-
gregati mala servitutis, & injurias conferendo, aut
de recuperanda Patria, aut de rebus novis consilia
agitarent: prohibiti insuper, ne conciliabula, aut
B mercatus haberent, sublata inter eos commercia,
adempta connubia, nulla concessa concilia: misera
profectò servitus, & calamitiosa conditio: inter
contrahentes id demum ratum erat, *quod is annuis-*
set, qui loco præerat: quòd si quispiam rem suam Præ-
side non authore abalienasset, is patrimonio multa-
tus in exilium agebatur: eadem quoque pœna is af-
fectus erat, qui noctu, aut clam præscriptos fines
excessisset, aut quicquam suarum rerum extulisset:
sedibus propriis pulsi, hujusmodi servitutem novem,
& quadraginta annos Laudenses servivere. Mortuo
Jordano Antistes divinæ rei creatur Bernardus Mo-
nachus, tum ob vitæ integritatem, tum ob sacra- A. 1123.
C rum Scripturarum scientiam; qui cum non ignora-
ret, quid oneris subiturus, & quantæ curæ Præsu-
lis essent ob graves Civium discordias, perniciosa
certamina, & quotidie cum finitimis emergentia
bella; maluit repudiato Sacerdotio otiosam, & qui-
etam vitam agere procul ab administratione magna-
rum rerum; atque in studium quietum se tradens,
tum docendo, & sacras literas interpretando, atque
subinde scribendo, aberrantes à divinis institutis,
rectisque moribus mentes veris præceptis instruxit:
otio item, & saluti hominum prospiciens, qui tu-
multuosâ, & turbulentâ vitâ quò profugerent sæpe
D quærebant, ampla & opulenta cœnobia ædificavit,
plurimosque statim sectatores habuit, qui relicto se-
culo sub sanctissimis institutis vitam peregêre, atque
tum summa virtute, tum etiam authoritate, quæ
illi ex studio, & scientia amplificata fuerat, unicum
exemplum erat ejus ingrediendæ viæ, & colendæ
vitæ, per quam tutò ad cœlestes sedes iretur: con-
celebravit maximè per otium rectissima, & hone-
stissima nostræ fidei studia: reliquit etiam præcla-
rissima ingenii monumenta pietatis plena, & medi-
tationis rarissimæ: nam illi in usu fuit ex terrestri-
bus cœlestia meditari; & quamvis literæ nostræ ob-
solevissent, tamen nec inelegans, nec infacundus
E Bernardus habetur. In Henrico Quarto Gibellina
domus cessavit. Cæterùm Germani Proceres sum-
mam rerum, & Imperium Lothario Duci Saxonum A. 1126.
demandant, qui familiæ Gibellinæ infensissimus,
Conradum, & Fridericum fratres ex Henrici soro-
re progenitos armis insectatur: tandem pace facta in
Italiam proficiscitur: Mediolanum primùm petiit.
Anselmus Pusterleus, qui tunc fortè Mediolanensi
Ecclesiæ præerat, ferreum Diadema imposuit: Ro-
mam deinde contendit, ubi Regio ornatu, & Im-
peratorio nomine ab Innocentio decoratur: hunc
Sacerdotio pulsum in sedem restituit: mox Germa-
niam repetens ex itinere, petente Cremonensi, Cre- A. 1135.
F mam obsidet: sed ubi cognovit insidias fraude Cre-
monensium sibi paratas, relictâ Cremâ illorum a-
gros populatur, atque haud ità multò post Veronæ
Lotharius moritur. Intereà Anselmus comparato A. 1138.
exercitu Novumcomum obsidet. Occiderant No-
vocomenses Clientem Anselmi Carcano oriundum:
eóque ira, & dolor Præsulis erupit, ut urbem ca-
ptam crematis ædificiis funditùs deleverit, Civibus
verò vallem habitandam concessit, & quæ olim in
editiore loco condita fuit, alieno loco restituitur
nobilissima Colonia, quam Populus Rom. ad Lari-
um lacum per Strabonem Pompejum emiserat; nec
Romanis

Romanis tantùm, ſed etiam Græcis Colonis celebrata, Cæcilio Poëta, & duobus Pliniis maximè illuſtris. Hoc etiam tempore Mediolanenſis Præſulis poteſtas, & juriſdictio acciditur. Genua Ligurum novum habuit Archiepiſcopum, cujus imperio Bobienſis Eccleſia, & tres Corſicæ Epiſcopi, velut Metropolitano paruêre: credo Pontifices, atque Cæſares hoc in primis veritos; ne tam lata juriſdictione patenti novandarum rerum materia oriretur, quotiens violentior Præſul Mediolanum teneret. Papienſis Puſterlei ductu, & auſpiciis vincitur, & haud longè à Mediolano velut ſuburbanum quoddam monaſterium Clarævallis Bernardo procurante ædificatur: quò primùm numeroſa Monachorum fraternitas, qui in medium viverent, coïvit. Frequentavit hic homo Mediolanum, cum ob urbis magnitudinem, & Civium opes, tum quia in regione, quam Orientalem portam vocant, religioſè educatus, fundamenta inibi ſocietatis inſeparabilis jecit. Sublato ex rebus humanis Lothario, duo Scophii fratres, qui Henricum (ut ſuprà diximus) arctiſſima propinquitate contingebant, Imperium excepêre. Duces profectò impigri, & quotiens prælio dimicandum, bellatores haud ignavi, & fortes; atque ut exercitum ſervarent, nulla pericula unquam refugêre. Conradus itaque prior juſſu Procerum imperat, *à quo auctores quidam tradunt Gibellinæ factionis orta nomina; etſi non protinus per Italiam diſperſa fuere.* A. 1147. Invenio in quibuſdam annalibus, *Martinum Turrianum*, quem ob corporis magnitudinem, & eximias vires Gigantem quidam appellaverunt, *in Aſia ſub Conrado ſtipendia feciſſe*: hic in pugna captus, dum à feris hominibus crudeliſſimè in A. 1152. opprobrium noſtri Dei dilaceratur, tormenta omnia hilari vultu ſubinde perpeſſus, Chriſti nomine ſæpiùs invocato, expiravit. Cæterùm Conradus omni fere exercitu in Syria amiſſo, reverſus in Italiam, vel ut alii tradunt, in Germaniam, moritur. Poſt A. 1155. quem Fridericus frater Electoribus magis non repugnantibus, quàm conſentientibus, Rex Romanorum creatur; ſtatimque per Taurinum ſaltum Alpes tranſcendens, Aſtam coloniam per vim cœpit: inde Derthonam rogatu Papienſium ſubruit: tum Mediolanum petiit; ubi ab Uberto Antiſtite, læto, & plaudente Populo, ferreo inſigni coronatur: mox ab Hadriano Pontifice titulum, & nomen Impera- A. eodem 1155. torium accepit. Sed cum is graviora à Romano Populo tributa exigere tentaret, oborto tumultu, urbe cum Germanis Proceribus pellitur: ferro quoque certatum eſt; cæſi utrinque multi, complures capti, qui haud ita multò poſt, deprecante Hadriano relaxantur. Tum Fridericus per Picenum in Umbriam, atque inde in Tranſpadanos transmiſſus, in Germaniam rediit. At Mediolanenſis Derthonam reficit, Papienſem graviter infeſtans: ferro, & igne utriuſque agri vaſtabantur: Papienſi majora detrimenta, utpote viribus, & armis longè impari, A. 1156. illata. Interim Hadrianus moritur, atque Alexander maximum Sacerdotium tenet ſuffragiis eorum, penes quos poteſtas creandi Pontificis erat. Hic Fri- A. 1159. derico minimè gratus, atque adeo ab inito Pontificatu infenſus, ubi adventare in Italiam Barbarum audivit, ſibi timens, relictâ Româ ad Francos profugit. Tunc Octavianus Cardinalis Romæ Pontificatum uſurpat, ſeque Victorem nuncupat: cui magna Italiæ pars, & Germanorum civitates metu Cæſaris confeſtim paruere. Alexander Victorem ſacris interdicit. Jam Fridericus Italiam ingreſſus erat, cujus imperata Longobardorum urbes fecere. Soli Mediolanenſes adverſati ſunt: quia ſcilicet Alexandrum Pontificem unicè venerati, partes Eccleſiæ pertinaciter tuebantur: manebat adhuc vetus odium, & antiqua ſimultas, & proinde infenſi animi: fovebat Fridericus Urbium inteſtinas diſcordias: Papienſium ſtudiis maximè obſequebatur; ad quem velut ad Dominum, atque domeſticum diſceptatorem

A legati Civitatum convenere. Expoſtulabat Laudenſis Urbis ruinam, ſervitutem miſerandam, & fœda exilia: Novocomenſis exciſa mœnia, & ſolo æquatas domos conquerebatur: reliquæ item finitimæ Urbes detrimenta, & intoleranda tributa deplorabant. Horum querimoniis motus Fridericus, ſub ſpecie liberandorum Sociorum, Mediolanum aggreditur: quam urbem diutiùs obſeſſam, atque demum urgente fame ſubactam ad ſolum evertit: Cives decimo ab urbe milliario pro numero portarum diviſi, A. 1162. relicto patrio ſolo habitare coguntur. Sunt auctores; Angleriæ Comites, qui inter cæteros Longobardos nobilitate, opibus, honore, & potentia pol- B lebant, & quotiens Germaniæ Reges Mediolanum diverterent, Præſuli aſſidentes ferream Coronam capiti illorum imponebant, ab Patritiis proditos fere ad unum occiſos fuiſſe. Hanc gentem ſtuduit in primis Fridericus penitùs tollere: quippe Alexandri perſeverantes in partibus Patriam defenſabant, Barbaro ſemper adverſati: duo, & viginti ſecuri percutiuntur, quorum bona, & fortunas omnes his diviſas accepimus, qui à Friderico adversùs Patriam ſteterant: ſuperfuit tanta clade unus, cui VIVIANO nomen fuiſſe ferunt, reſtituendæ Patriæ, & vindicandæ libertatis auctor. Juvit maximè Fridericum Gulielmus Marchio Montisferrati; tum ob recen- C tem cum illo affinitatem; tum quia ſalva, & incolumi re Mediolanenſi, fines Regni proferre minimè poterat. Tradunt alii, *Opicionem Malaſpinæ familiæ Marchionem cum cæteris conjuraſſe in excidium Mediolani*; quod parùm compertum habeo: illud verò conſtat, hunc Opicionem ingentis ſpiritus virum, & potentem in Liguribus fuiſſe; cujus honorificè meminit uterque Imperator Pater, & Filius in conventionibus pacis Conſtantiæ. Dum hæc geruntur, Octavianus, qui (ut ſuprà diximus) paucorum ſuffragiis Pontificatum uſurpaverat, Papiam, ubi indictus conventus fuerat juſſu Imperatoris, venit, ſalutatus à Populo, & ab ipſo Friderico ut verus D Pontifex adoratus fuit. Alexander, ubi hæc reſcivit, utrunque execratum ſacris etiam privat; atque literis, & nunciis Sacerdotium ſibi legitimè collatum, impietatem præterea, atque injuriæ Barbari quantæ forent, Chriſtianos Principes docet. Jam Friderico fere nullus in Italia repugnare audebat; nam ad Philippum Francorum Regem Alexander navibus Siculorum navigaverat. At Ænobarbus, ſubverſo Mediolano, in Veronenſes duxit; ad quos defendendos Socii cum exercitu venere: retrocedens itaque Barbarus Papiam ſe recepit. Alexander verò in Concilium venire recuſat; quòd ſe authore indictum non foret, quanquam locus medius E inter Germanos, & Gallos delectus eſſet. Intereà nova conflatur in Italia Societas multarum Civitatum, quæ Pontificis partes ſequutæ, fortiſſimè Friderico adverſari cœpere: harum opibus, & armis confiſus Alexander ex Francis in Siciliam renavigavit, atque inde Romam repetit. Moritur intereà Octavianus, in cujus locum ſtatim Guido Cremenſis genere ſufficitur. Cæterùm Longobardorum populi adventu Pontificis erecti munitiſſimas arces ex- A. 1164. pugnant; atque Germanico præſidio ex omnibus locis pulſo, in libertatem ſe vindicant. Fridericus igitur indignum factum, & rebellionem ulturus in Italiam deſcendit magno cum exercitu, hoſti mini- F mè ſimilis; nam velut amicus benignè Civitates alloquitur; atque in agrum Bononienſem cum perveniſſet, diviſis per Duces copiis Guidonem, qui Octaviano ſucceſſerat, & tunc fortè Lucæ agentem ſublevat, ipſe Anconam obſidet. Romanos deinde A. 1167 per primores populi, quos ſibi conciliaverat, Alexandro infeſtos reddidit. Interim Sociæ Longobardorum Civitates, ſive quia Barbarus, atque ejus Procuratores in bona, & ſanguinem nimiùm ſævirent, ut aliquando peregrinam tyrannidem excuterent, ſeque adverſus vim, & rabiem defenderent,

sive quòd Metropoli carentes caput non haberent, nec urbem, ad quam potissimùm consilia sua referrent, Mediolanum communiter restituunt: mirandum profectò quàm brevi tempore populo, & opi-
A. 1168. bus Civitas auctior facta fuerit. Præerat tunc Ecclesiæ, mortuo Uberto Piroveneo, Galdinus Salensis: *hunc* quidam annales tradunt, *Romani Pontificis jussu Mediolani primum tenuisse Sacerdotium, qui modò Urbis mœnia reficeret, privatasque domos, & templa instauraret, & utcunque posset erigeret, Circum, & Theatrum demolitur; quæ duo maxima opera fuerant ab excidiis Urbis servata, & à quibus Gothi, deinde Longobardi, & reliqui immanes Barbari, & feræ Gentes temperaverant, atque ita subruta sunt, ut vix vestigium appareat.* Videmus tamen passim in fossis, muris, & templis siliceos lapides antiqui operis, & priscæ elegantiæ. Fridericus post restitutum Mediolanum relictâ Anconâ Romam contendit, quem ubi Alexander appropinquare cognovit, in privatas quorundam nobilium ædes se recepit: ad hunc pecunias, & triremes Gulielmus à Sicilia misit; sed Pontifex in ea difficultate rerum magis consilio, quàm opibus indigebat; nam Fridericus quibuscunque oblatis conditionibus Rom. Populum à Pontifice avertere tentabat, siquidem ita demum se pacem dare, & ablata restituere promittebat, si Romano Populo disceptante de Sacerdotio duo Pontifices causam dicerent: in hanc conditionem cum Romanus bello defatigatus inclinaret, noctu Alexander Circejos abiit, Cajetam, Beneventumque concessit. Fridericus quoque peste conflictatus, multis suorum amissis, Romam reliquit; atque in Longobardos, qui adversùs se conspiraverant, arma convertens, ingenti territus eorum apparatu, in Germaniam properè concessit, hoste usque ad Alpes persequente. Tunc Confœderati Populi haud longè à via Æmilia juxtà Tanarum flumen urbem condiderunt: Commigravere in vicum, cui *Roboreto* nomen est, octo vicina Statielensium oppida: Cæsarea primùm dicta ad quindecim millia virorum constat, quare ipso, quo ædificari cœpta est anno, fossa, aggere, & vallo cincta fuit. Moritur Guido, in cujus locum sufficitur Abbas quidam ex Pannonia. Per hæc tempora in Britannis Thomas Episcopus occiditur; atque Hen-
A. 1170. ricus, qui tunc Britanniæ imperabat, per legatos se excusat, quòd se inscio cædes facta fuisset; cui venia promissis militibus adversùs Barbaros datur, & sive ad expiandum nefas, sive in emendationem da-
A. 1172. mni, quod Ecclesiæ passæ fuerant, Insula omnis Romano Pontifici vectigalis facta tunc fuit: hunc virum, cum ad tumulum ejus miranda fierent, Alexander exploratis miraculis in Sanctorum numero annotavit. Cæterùm Fridericus, cum rejectum ab Urbe Alexandrum intellexisset, neque ullis conditionibus à Civibus recipi; petebat enim tantùm sibi curam rei Ecclesiasticæ concedi, cætera jussu Populi administrarentur, in Italiam Alpes Julias transgres-
A. 1173. sus venit, statimque Segusiensium civitatem, quæ illi prima se objecerat, per vim cœpit; nec contentus præda, mœnia & domos evertit: exterriti excidio vicinæ Urbis Astenses, illi continuò se de-
A. 1174. dunt. Restiterunt Alexandrini nec vastitate proximorum, nec Germaniæ viribus perculsi: substitit tunc hostilis impetus; & quamvis hyems instaret, nihilo tamen seciùs Alexandriam circumsidet, per intoleranda frigora operibus, & munitionibus obsessos urget, atque ædificatis tabernaculis hyemando bellum continuat; sub pellibus, & tentoriis dura-
A. 1175. bant, nive interim, & pruinis obrui, dura & intolerabilia omnia pati, nulla mulieribus quies, utrisque juxtà erat; nunquam deposita arma: quare patientiâ, & constantiâ oppidanorum frustratus Barbarus, jam appetente vere ad fraudes vertitur; nam pactis induciis per cuniculos in urbem milites clam immittuntur, qui nocte portas refringerent: hos Populus interceptos trucidat, & protinus eruptione fa-

A cta tantis incommodis, & damnis Germanum afficit, ut in die celeberrimo Resurrectionis Domini obsidionem turpiter solverit: magna profectò Alexandrini populi virtus, magnaque sui fiducia, quippe qui primi furenti Barbaro pertinaciter restiterint, diutiùs obsessi in summa rerum inopia totam hyemem sustinuerint, neque conditionibus parére hosti voluerint: docuere certè, præferocem hominem, & secundis præliis elatum posse patientia, & viribus debellari. Relictâ Alexandriâ ad Papienses Ænobarbus concessit. Tunc induciæ quoque datæ sunt A. 1175.
utrinque; ut commodiùs de pace agi posset. Sociæ urbes Alexandro inconsulto, aut non assentien-
B te conditiones omnes ab hoste oblatas repudiavere. Tunc Fridericus novum ex Germania militem accivit, instauratoque exercitu proximos fines evastat, Alexandro, & Sociis petitam pacem negavit. Mediolanenses, cum hostem implacabilem viderent, undique milites, & majores vires contrahere, iras atque odia vicinorum magis exardescere, Papiensium, atque Novocomensium agros, qui in Friderici partibus perseverabant divisis copiis depopulantur. Alexander pro opera egregiè in bello navata, simul ut aliquando honesto munere diuturnæ obsidionis damna emendaret, urbi novæ Episcopum dedit, quam de suo nomine pro Cæsaria Alexandriam ap-
C pellavit. Intereà novæ Friderici copiæ per saltum, cui *Domossulæ* nomen est, Comum perveniunt. Agebatur jam septimus, & decimus Pontificatus Alexandri annus: ingens tunc formido Longobardos cœpit; nutabant Sociorum animi: solus Mediolanensis plenus fiduciæ, & animi interritus, Tyranni impetum sustinuit, à quo septimo ante anno patriâ subactâ, & funditùs deletâ, velut captivus certis in locis relegatus fuerat, tum prælio dimicare minimè timuit: extimulabant animos Patriæ excidium, atque exilium, libertatis, & vindictæ cupido, violata Pontificis potestas, quem tot annos impunè Barbarus crudeliter, & impiè persequeretur: egressi igi-
D tur urbem, cum jam Brixianorum, Veronensium, Novariensium, & Vercellensium auxilia accersissent, sublatis signis in vicum veniunt, qui Barillanus dicitur in via, qua Comum itur: hora erat fere A. 1176.
diei tertia; atque extemplò collatis signis manus conserunt: præmissi septingenti Longobardorum Equites primi pugnam ineunt; hos Germani ad Carrocium usque repellunt; quo in loco instauratis viribus aliquandiu atrociter pugnatum est: nam utrique prælium cientes vulnera pariter & accipiebant, & conferebant: stabant obnixi & armis, & animorum ardore: de summa rerum agebatur, & proinde ingens & in Barbaro, & in Mediolanensi metus erat;
E nihil a summo certamine remissum est, nemo pedem referebat, in eodem vestigio aut mori, aut vincere decretum erat; æquo Marte res agebatur: tandem Mediolanensis irâ accensus in hostem se concitat, cadunt frequentes, signifer Imperatoris occiditur, captaque est Aquila: Fridericus inclinari suos in fugam conspicatus, ex Imperatore Pugnator fit acerrimus, & ut aciem restitueret, equo in hostes fertur; at dum obvium quemque aut cædit, aut sternit, dulcedine cædis periculum velut cæcus minimè cavens, equo suffosso in terram sternitur; quem cæsum major pars rati terga protinùs dant: cecidere in ipso certamine Germanorum multi, plures in
F fuga aut cæsi, aut capti: occidio plurima Papiensium, & Novocomensium facta: castra eodem impetu capiuntur; præda ingens militi concessa: spoliis Barbarorum opulentus domum Mediolanensis rediit: Friderici uxor Comi relicta, virum pro conclamato luxit, atque oratores Mediolanum misit, qui corpus humandum peterent: sed is quinto, posteaquàm malè pugnaverat, die ornatu Imperatorio conspicuus per Papiam incessit. Hoc prælio res Germanorum ita fractæ fuerunt, ut in omnibus jam circulis fremere, & mox palam Proceres vociferare,

minimè

minimè mirum cladem eam acceptam, si homo impius profano, & diutino bello Summum Pontificem in Dei contemptum insectaretur: tum Episcoporum major pars imperia detrectare; quippe dictitantes, nisi Alexandro reconciliato adversa omnia ventura, atque Deum Optimum Maximum nunquàm prospera daturum, nisi pax daretur Ecclesiæ, & Pontifici sua jura restituerentur: quando Sacerdotio violato præsto semper vindicta foret, proinde pacificatum legati mitterentur: evidentibus signis tanta victoria, qua prope debellatus Tyrannus & injuriis, & bello finem fecerit, significata fuit: agebatur fortè dies festus sub nomine trium Martyrum *Sisinii*, *Martyrii*, *& Alexandri*, *de quorum sepulcris inter sacrorum solemnia tres Columbas profectas super Carrocii fastigium consedisse* quidam viderunt; quem diem in Fastos relatum deinceps Mediolanenfis religiosè coluit. Sed inter omnes Scriptores hoc constat, *prosperis Majorum tuorum* (Ludovice Maria Sfortia Vicecomes) *auspiciis felicissimè pugnatum*; nam inter reliqua signa, sub quibus Populus stetit, & victor evasit, fuit eo statu posita Vipera, quo ab Othone Vicecomite supra septem, & septuaginta annos in Syria partam retulimus, longè ea princeps cæteris signis antestabat. Matthæus Palmerius in chronicis, & M. Antonius Sabellicus magis incuriosus, quàm inelegans Venetarum rerum scriptor, *classe pugnatum*, *& mari profligatum bellum* referunt, *captumque Othonem Friderici filium*, *qui postea Venetias deportatus pacis inter Imperatorem*, *& Pontificem componendæ auctor fuerit*; quod ab hominibus parùm circumspectis temerè confictum, & memoriæ proditum redarguendum profecto est: simul etiam quia hujus mendacii assertores jam pridem illustres viri habentur, quos potissimum hi scriptores sequuti sunt. Agunt Veneti diem maximè solemnem, qua vicini populi ad salutandum templum nostra, & illa tempestate inclytum concurrunt, quòd in memoriam recuperati juris, hoste devicto, celeberrimum Pontifex fecerit; & proinde navalem pugnam, captivum Othonem, supplicem Patrem, & Alexandrum hosti insultantem, velut publico monumento testata & habent, & ostentant. Sed his hominibus hoc genus omnia facilè ignoscenda sunt, qui domesticæ quieti, & civium otio consulentes, ne qua exoriatur seditio, quæ plerumqne à pusillo, & eodem inopinato nata initio, maximas urbes, & potentes populos evertit, vel in minimis libertatem, & concordiam inter se communiunt: *contrà* enim *quam cæteras gentes fecisse*, *& sapientissimos viros præcepisse* legimus, historias Patriæ non solùm negligunt, sed Decemvirali decreto, quod maximè formidolosum apud eos habetur, obliterare, & delere penitùs student: ne scilicet discernantur inter se majorum, minorumve gentium Patritii, & proinde posteris ingenita dignitatis, & honoris æmulatio pestiferæ simultatis, & perniciosi odii origo fiat. Dicat quæso Palmerius, vel recentior quicunque historicus, *filiusne Otho Friderico fuerit*? Ego, quod equidem legerim, *duos tantùm ab Ænobarbo mares genitos* comperio *Henricum*, *qui & cum Patre*, *& post illius obitum imperavit*, *atque Philippum*, *qui in Germanis Regnum tenuit*: *Othonem nullum à Scophiis genitum legimus.* Sed cur tantopere de *Othone Filio*, *& re commentitia* solicitus sum, quando nulla Friderico classis, nec in illius ditione maritimæ urbes fuerint, apud quas naves ædificare, instruere, & parare potuerit? Nam duntaxat terrestribus copiis succinctus Germanos tenebat, & Longobardos interim rebellantes armis infestabat. Præterea jam tantæ Venetorum opes mari tunc patebant, ut non temerè faceret quisquam (de his loquor, qui mare Ionium, & Adriaticum sinum circumcolunt) qui non amicitiam, quàm bellum Venetorum maluisset: siquidem per ea tempora Vitalis Michaël Dux Venetiæ triremes centum habuit instructissimas, & naves onerarias viginti; cui per tumultum occiso, Sebastianus Zianus cognomine Dives suffectus fuit. Profugum prætereà Alexandrum fovebat Gulielmus Rex Siciliæ, cujus navibus in Gallias ad Regem profugerat, & rursum repugnantibus Sociis, & fortiter Friderico resistentibus, in Italiam reductus est; & cum Anagniæ exularet, ubi commodum illi erat, Siculorum classe commeabat. Tradunt item scriptores, *ea tempestate pacem inter Ænobarbum*, *& Venetos factam*, *fœdusque cum eodem Gulielmo percussum sive quia rebus suis timerent*, *sive ut alio non impliciti bello liberiùs gravem*, *& indignam Emanuëlis Græci Imperatoris contumeliam ulcisci possent*; *qui Henricum Dandolum fortè apud se legatum agentem*, *atque licentiùs loquutum*, *violato jure gentium*, *candenti lamina oculis admota excæcaverat.* Ergo nec filius *Otho* nomine, *nec item classis*, *& opes maritimæ Friderico* fuerunt, neque erat è re Veneta bello Germanum hostem lacessere. Omnis igitur laus, & gloria debellati Friderici, & restituti Pontificis gratia penes Mediolanensem est: suppetias tulere Veronenses, Brixiani, Novarienses, ac Vercellenses: nec Alexandrini fraudandi sunt gloria sua, à quibus fugatus primùm fuit Ænobarbus: sed Veneti illis æquales temporibus, nihil alienæ laudis usurpantes, factum ipsum castè, verè, ac simpliciter testati sunt. Positum est sepulcrum Sebastiani Ziani in majori æde Divi Georgii, cum elogio inepto, atque ineleganti; quia scilicet latinæ nullæ tunc literæ, & doctrina perexigua erat, & post enumeratas victorias, quas Zianus de hoste retulisset, hæc subjunguntur: *Binos conjunxit gladios quasi sequester pacis: duos gladios*, hoc est, *Pontificem*, *& Imperatorem*, *inter quos diutinum bellum intercesserat*, *concordes fecerit.* Picturam verò, quæ in atrio spectatur, poëticum potiùs argumentum, quàm fidem historiæ dixeris: ficta res hinc fuit, quòd in templo opulentissimo provolutus Barbarus supplex veniam accepit, & quòd multos post annos cum Juniore Friderico pecuniâ Pontificis classe instructâ pugnatum fuit. Quare cum aliquid veritatis subesset, à posteris recepta res fuit, & credita perinde atque vera foret, & quam nullus redargueret, atque refelleret, facilè inveteravit. Cætera, quæ de Pontifice vulgus celebrat, fabulosa planè sunt, & vix anicularum lucubratione digna. Sed diem festum agunt pridie nonas Aprilis, atque venerabundus populus templum Caritatis adit, velut una salutatione crimina expiaturus: quod indè profectum arbitror, quia illo in loco forsan Pontifex magnificè exceptus, atque diversatus fuerat, benignissimusque mox Pater templum muneraturus plenaria expiatione ad illud salutandum homines pellexerit. Abundè Longobardorum opibus constat, & in primis Mediolanensium armis defensum Pontificem: neque in recentioribus annalibus, atque etiam in fœderibus pacis Constantiæ, *Venetus nominatus est*: credo, quia nullæ illi vires terra erant, & Græco bello implicitus rerum suarum satagebat. Cæterùm Fridericus re malè gesta, sermone populorum, vociferatione militum, & Procerum tacita rebellione perterritus non armis, aut instaurato exercitu, & prælio ampliùs dimicandum ratus, supplex à Pontifice veniam petere constituit: legatos igitur de pace misit, sed locus deerat, in quem tutò convenirent. Bononiæ primùm conventus indicitur, sed ea velut suspecta repudiatur: mox delecta Ferraria; hæc quoque parum visa idonea: quare ex utriusque consensu Venetiæ deliguntur, propter inclytam tunc Gentis justitiam, & Urbis amplitudinem; sive quòd terrestri exercitu Pontifex, & Fridericus suffulti, unde vim uterque alteri inferret, in mediis aquis non haberent: prior in locum condictum Alexander per Siculorum triremes defertur, victoriam Mediolanensi ante omnia gratulatus, facultates Ecclesiæ pollicetur, hortatus subinde ne arma deponerent, neque paterentur impium Barbarum post tantam cladem se colligere, aut respirare, nisi reconciliatus

Pontifici damna emendaret, tributa remitteret, li-
A. 1177. bertatem Populis daret, ut suis legibus, peregrinâ
exempti tyrannide, viverent: hæc eo consilio Lon-
gobardis promissa, ut stante adhuc bello in quæ-
cunque voluisset fœdera hostis venisset: hac igitur
Pontificis pollicitatione, & hortatu, proximaque cla-
rus victoria Mediolanensis, sumptis denuo armis,
propiùs Papiam exercitum admovit, pecorum, &
hominum prædam agit, ferro, & igni cuncta spe-
ctante Barbaro absumit; qui curarum plenus, & da-
mnis Sociorum permotus, ut Pontifici quamprimum
reconciliaretur, per Ticinum, atque Padum Vene-
tias navigavit, ibique ad genua Pontificis procum-
bens dirus homo supplici voce veniam impetravit:
tunc primùm omnium Mediolanensi in decem annos
induciæ datæ, multaque in emendationem damno-
rum, & eversæ Urbis instaurationem elargitus est
Ænobarbus. Cæterùm ut aliquo piaculo exilium
Pontificis lueret, injunctum illi fuit, ut cum exer-
citu in Syriam trajiceret, depositoque Imperiali ti-
tulo & ornamento, quam dignitatem longinqua re-
bellione polluisse videbatur, Romam usque Pontifi-
cem privato similis prosequeretur: ubi restituto in
sedem Alexandro, iterum humi stratus calcandam
cervicem palam omnibus præbuit. Sunt qui scri-
bant, *prostrato hosti insultantem Alexandrum*, hæc Di-
A. 1178. vini Vatis verba *protulisse: Super aspidem, & Basilis-
cum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem:*
non continuit linguam Barbarus, statimque reper-
cussit. *Non tibi, sed Petro.* Ita expiato jam scelere,
ut dignus Imperio verè Christianus Cæsar nuncupa-
tur. Tradunt alii, *dictum Pontificis, & responsum
Tyranni Venetiis, non Romæ datum.* Cæterùm Fride-
ricus rebus in Italia compositis, reconciliatoque Pon-
tifice, in Germanos revertitur. Quieta tunc erant
A. 1182. Mediolani omnia, fides utrinque inviolata. Mori-
tur interim Alexander: succedit Lucius, hic pa-
cem, & amicitiam cum Friderico in primis quæsi-
vit, illi obsequens, adversus nunquam: quem ut
singulari aliquando beneficio promereretur, enixis-
simè elaboravit, ut Henricus filius Alemannorum
Rex designaretur: quam rem jam senior Pater in
primis optabat, & ut efficeret omni studio, & co-
natu procurabat. Socius ergo in Imperio favore Pon-
tificis Patri Filius: durabant cum Mediolanensibus
induciæ: ratus itaque juvenis id, quod forsan futu-
rum esset, ne post Parentis mortem, sive ubi indu-
ciarum tempus exivisset, bellum rebellantibus Lon-
gobardis grave, & periculosum oriretur; sive be-
neficiis populorum provocatus, pacem confici ante
omnia procuravit: quod illi haud difficile factu fuit;
nam feriato per aliquot annos ferro, cum jam diu
injuriæ nullæ intercessissent, deposita odia, & miti-
gati quodam modo erant animi, longo præterea bel-
lo afflictæ urbes pacem, & quietem exoptabant,
quando honestis conditionibus, & ex utilitate com-
muni pax futura esset: accedebat Filius pro commo-
dis Longobardorum efficax apud Patrem deprecator.
His itaque rationibus cum fœdera, & otium bello,
atque inimicitiis præverterent, Societatis Italicæ O-
ratores in Germaniam convenêre. Horum nomina
generatim in formula Pacis Constantiæ annotata con-
tinentur. Primi sunt Mediolanenses, quippe caput,
& Gentis Principes. Inter conditiones hæ fere pri-
mæ fuerunt: *Longobardi, ceu stipendiarii Friderico, &*
A. 1183. *Henrico filio tributa pendunto. Regi Alemanniæ Longo-
bardiam intranti, aut inde Romam petenti, urbes sine
fraude, & bona fide itineri necessaria, & copias ad vi-
ctum pro instituto præbento. Primores urbium dignitates,
munera, & privilegia à Cæsaribus donata tenento. So-
cietatis Italiæ salvum, & incolume privilegium: Immu-
nitates præterea, Jura viarum, pontium, ac fluviorum
privatim cuique populo Cæsares servanto. Longabardiæ
unum imponito de Proceribus aulæ, qui lites cognoscat,
jus dicat, conventus peragat, quem omnes in Italia dun-
taxat appellent, & à quo deinceps provocatio nulla esto.*

A *Quinquennio quoque exacto, fidem cum sacramento à Po-
pulis Nuncius Cæsaris exigito. Rata atque firma in tri-
ginta annos pax maneto.* Aliæ leges, & conventio-
nes, quas recensere longum esset, in eadem pace
leguntur. Quidam tradunt, *tunc primùm præpositos
universæ Provinciæ Præsides fuisse, qui Vicarii Cæsarum
appellarentur, & summos urbibus magistratus concessos
esse, quos Potestates dixerunt.* Ubi placuere conditio-
nes, privatim à civitatibus Nuncii venêre, qui acta
confirmarent & pacem ipsam ratam facerent: inter
quos PETRUS VICECOMES à Mediolanensi missus fuit.
Rebus in hunc modum compositis, tranquilla, &
tuta ab externo hoste omnia erant. Longobardi suis
B legibus vivebant, suosque habebant Prætores, quo-
rum non urbana tantùm jurisdictio erat, sed pro com-
modis Civium excubantes etiam de his, quæ foris
agerentur, soliciti quotiens hostis ingrueret, aut
populabundus fines intrasset, convocatis ad arma ci-
vibus, tum scriptis, & centuriatis militibus in mo-
rem justi exercitus illi obviam ibant, Romanos imi-
tati Consules, qui juri dicundo, & bello gerendo
occupati ex usu publico erant. Hac in parte non
videbitur alienum, aut narrationi rerum inconveni-
ens, proponere quibus institutis, & legibus populi
tot bellis invicem fatigati, perpetuis Germanorum
armis protriti, tot cladibus obruti, ac penè exhau-
C sti Rempubl. administraverint. Urbibus annui Con-
sules præficiebantur, hi curam Reipublicæ habe-
bant, ex quorum sententia, & arbitrio bellum, &
pax potissimùm agebatur, prout commoditas, & u-
tilitas Urbis postulabat: capessebant alii sine discri-
mine honoris, generis, atque census publica nego-
tia, rebus gerendis intererant, sententiasque rogati
nonnunquàm dicebant: huic hominum generi Cre-
dentiæ nomen erat, quòd scilicet taciturni audita
servarent, & arcana minimè enunciarent: nihil enim
taciturnitate, & silentio in publici negotii admini-
stratione conducibilius habetur: ergo qui in Conci-
lium abhibiti fuerant, hoc nomine fidei, & tacitur-
D nitatis admonebantur: hujus Factionis, sive Colle-
gii meminere Cæsares in edictis, & legibus pacis:
hoc etiam nomen usurpat nostra tempestate Vene-
tus, quotiens abeuntibus de curia Patribus silentium
eorum indicitur, quæ prodere capitale est: celebris
est regio Mediolani, in qua Turris spectatur ejus no-
minis, quia, credo, in eum locum deliberaturi de
magnis rebus coïrent. Interim sive publicæ alicu-
jus dignitatis gratia, sive ut rem, & dignitatem
suam à vi, & injuria potentiorum tuerentur, no-
vam Factionem constituebant magis, quàm Curiam,
etsi Consules suos sibi crearent. Archiepiscopus an-
nuum Vicarium, quem Vicecomitem appellabant,
E juri reddendo præficiebat: hujus præcipuè erat,
quæstiones exercere, supplicia, & pœnas capitalis
noxæ ultor irrogabat. Ex Consularibus in annum
Quæstores fiebant, penes quos tributa depensa, &
ex portoriis redacta pecunia reponebatur: horum fi-
des, & integritas in custodiendis publicis redditibus
jurejurando exigebatur, & ne rem projicerent, ad
disquisitionem expensæ pecuniæ plerunque vocaban-
tur: hos posteriores Thesaurarios à servandis thesau-
ris appellaverunt. Publicarum rationum duo erant
Præfecti, erogandæ duntaxat pecuniæ in urbanos
usus Domini: hi copias exterarum gentium Orato-
ribus, & peregrinis, qui publico exciperentur hos-
F pitio, præbenda item Legatis, & Magistratibus ab
urbe proficiscentibus expediebant: horum igitur o-
pera, & arbitrio sumptus intrà urbem fiebant, cle-
mentiæ, & liberalitatis publicæ ministri erant, quos
possis Romano more Quæstores, seu Copiarios ap-
pellare. Durabant factiones perpetuæ jam inde cœ-
ptæ, posteaquàm extinctis Longobardorum Regi-
bus ad Germaniæ Dominos res devenit: divisa erat
bifariam Civitas; quippe Nobiliores & potentia,
& opibus tenuem turbam, velut servitio perpetuo
dicatam habebant, quæ ideo in clientelam Princi-
pum

pum se dabat, ut ab injuria, & vi ditiorum tuta foret: sed per causam patrocinii, ut fere usu evenire solet, eò authoritatis, & potentiæ in civitatibus quidam pervenerant, ut dum injuriam, & vim propulsarent, authoratam plebem ita haberent, ut post longam clientelam servilem in modum tributa dependerent: quare ut quisque vel nobilitate, vel opibus pollebat, ita illi velut in servitutem dicati plurimi erant: hinc dixerim nata Capitaneorum imperia, quibus cæteri essent Stipendiarii, Vasallos, ac Deditiosos vocabant: parebant etiam Capitaneis Valvasores, qui ab inopi multitudine hoc distabant, quòd illi jus, & potestatem in alios obtinebant; hæc verò semper alienæ libidini subjecta erat: nihil Capitaneis exceptum stabat, quorum licentiam, atque superbiam quidam non ferentes, quamvis partis Nobilium forent, illorum tamen improbitati, & insolentiæ occurrere conabantur, & miseros sublevabant, injurias propulsando; quo nomine popularitatem, & famam inter suos compararunt: verebantur etiam, ne per impunitatem improbi homines injurias, & maleficia in se converterent. Verùm cum remedia malis nulla essent, passimque tenuior turba dilaceraretur, defecêre ab Nobilioribus non pauci, quorum opes haud mediocres erant, atque in unum coëuntes medium quendam Ordinem fecêre. Hoc igitur facto ab improbitate, & scelere Factiosorum se vindicarunt; ac interim oppressos erexere: de Mota dicebantur, nominis interpretatio incomperta adhuc mihi est: cæterùm qui novissima Feudorum jura Cæsares descripsere, ante omnes Curiam Mediolanensem celebrant, ut plane significare videantur hoc sive tributi, sive magis perpetuæ servitutis genus Mediolani primùm cœpisse: nam quotiens de obæratis in dominos, & rursùm de jure dominorum in obæratos certabatur, *cognoscendæ causæ, & dijudicandæ litis arbitrium Consulibus, & Patribus Curiæ Mediolanensis Cæsares delegasse* legimus: ut non solùm sine provocatione eorum judicium foret, sed quod hi statuissent, id à cæteris receptum vim legis quodammodo haberet. Multa quoque instituta pro sententia Jurisconsultorum Mediolanensium non tantùm extant, sed quotidie celebrantur Responsa Uberti Hortani, & Girardi Cagapisti, quibus aut consuetudinis, & morum Provinciæ, aut recentiorum legum prudentiores alios haud temerè inveneris. Et quando de institutis, & Magistratibus Longobardorum loquimur, fremant licet cæteræ Gentes, vel magis patienter, quæ dicturi sumus, audiant. Reges Longobardorum eos fuisse, qui legibus, & armis universam penè Italiam jam à Majorum virtute degeneratam, sublevaverint, erexerint, & exornaverint: nam posteaquam Regnum in ea occuparunt, in publicam utilitatem leges condiderunt breves; quippe quæ hominum scelera castigarent, & emendarent, atque utinam non obsolevissent, suppliciis, & pœnis à crimine, & noxa nos arcent adeò apertè, & absolutè, ut parùm interpretis indigeant, & omnia ita complectuntur, ut nihil ferè relinquant in cognoscentis ingenio, atque solertia, sive in universum præcipiant aliquid, & vetent, sive particulatim pro genere delictorum pœnas irrogent; ita nihil impunitum relinquitur: quapropter non possum non laudare quasdam Italiæ Urbes, quæ in hanc usque diem judicia sua ex Edictis Longobardorum magis, quàm ex Decretis Imperatoriis exercent. Jura quoque Feudorum, de quibus paulò suprà diximus, au-

A ctores habuere Angleriæ Comites, quorum vera, & generosissima proles Vicecomites nostri, Regno Majorum asserto, rem militarem jacentem, ac propè desitam in lucem, ac nomen revocarunt, constitutoque imperio externam vim repulere, & leges salubres tulere: Longobardis igitur multa debet Italia, vel quòd in eam primi Regnum, & Regiam dignitatem induxere, ut qui ante externis servientes, liberati servitio suis imperarent, leges non solum rectè vivendi, sed etiam regnandi dedere: & ne in Civitatibus promiscua, & confusa omnia forent, concessâ in infirmos potestate, Plebem à Nobilioribus discrevere; sed pax Constantiæ quid alienigenis B Dominis pendendum esset, præscripsit, & quanquam obnoxia foret, jus tamen Populorum non sustulit: Majestatem Imperatoriam qua fine observari, & coli oporteat, declaravit: minimè igitur mirum, si confirmandi Imperii particeps Gens facta fuit, & penes Mediolanensem populum multa reposita sint jura, quem vicinæ omnes Gentes revereantur, & timeant, ceu pacis, & belli arbitrum, legum moderatorem, præsensque auxilium, & tutelam; quotiens in discrimen res vocantur. Sed ut unde digressi sumus, redeamus, (A. 1189.) Fridericus jam bellis, & senio confectus, cum sibi, atque Filio reconciliatos Mediolanenses, cæterosque Longobardos haud ma- C lo in se animo esse cognosceret, atque Nepote ex Constantia, & Filio auctus esset, in Syriam, sicut cum Alexandro convenerat, expiandi sceleris gratia trajicere statuit. In tuendis Hierosolymis tunc maximè nostri laborabant, quam urbem proximè receperant: captus item in pugna fuerat Gulielmus Marchio Montisferrati Friderici Gener, quem vinctum in custodia Saladinus Damasci asservabat. Expeditionem igitur festinavit, atque in Ciliciam delatus (A. 1190.) dum fusos hostes insequitur, cedentibusque instat, in fluvium juxta Iconium urbem pugnam ciendo submersus interiit; & hic Friderici finis: post cujus mortem Galliæ, & Britannorum Reges in Judæam D cum exercitu transmissi, Acrim, quæ olim Ptolemais dicta fuit, per vim cæpere, Ascaloniam quoque expugnant, atque subvertunt, tum naves; quas Saladinus in terrorem Christianorum serpentibus oppleverat, demerguntur. Cæterùm Henricus post Patris mortem Fridericum filium jam quadrimum Regem Alemannorum designari fecit; mox ipse cum Uxore, & Filio Mediolanum venit, tum Genuam proficiscitur, atque inde solvens classe in Apuliam, & Siciliam defertur, confestimque utrâque terrâ po- (A. 1191.) titur; hæres enim Gulielmi erat Constantia. Opibus itaque, & titulo duplicis Regni subnixus Neapolim expugnat, Margaritam Reginam in custodia E habuit, ac omnes, qui dicto minùs audientes erant, & sumptis armis jam rebellionem parabant, penitùs debellavit; in Insula verò non solùm Episcopos, & Sacerdotes, quos ceu novarum rerum molitores timebat, trucidari fecit, sed & templa spoliat, Thesaurosque Siculorum in Germaniam secum transtulit. Cædes igitur, & sacrilegia immanissimi, ac rapacissimi hominis Cœlestinus Pontifex diris execrationibus primùm persequitur; tum illum velut abominatum Christiana communione privat. At Henricus ad Italos iterum, & in Siculos transgressus, Filio adhuc impuberi, velut legitimè regnaturo, utpote Avunculo succederet, Regia ornamenta tradit, Regemque F apud Siculos constituit, atque haud multò post Messanæ fato concessit, & peregrina in terra sepelitur. (A. 1197.)

GEORGII MERVLAE,
ALEXANDRINI,
ANTIQVITATIS VICECOMITVM
LIBER IV.

Dum junior Fridericus Pontifices perpetuo bello vexat, per contraria in urbibus studia perniciales seditiones & bella civilia exorta: quo mortuo, moxque occiso Actiolino, Turrianus rerum potitur.

1198. MORTE Henrici rerum summa Philippo illius fratri, annitente Rege Franciæ, defertur: quanquam, ut supra demonstratum est, puer in Imperium designatus foret. Post pacem Longobardis datam Mediolani aliquantulum remissa odia, domesticique motus quievere: nam & Potestates publico intenti commodo æquo jure omnia partiebantur, & proinde discordias & seditiones cavebant: vicinæ quoque urbes, dum se invicem bellis lacessunt, implorato sæpe auxilio, populum minime de novitate rerum cogitare permittebant, sed quies domi haud diutina fuit; nam cum duo, ut supra exposuimus, hominum genera in aliquo numero Capitanei, & Valvassores essent, plebes servorum prope loco, nullo consilio adhibita ducebatur. Quapropter ægre ferentes tenuiores, quòd velut servituri potentioribus parerent, denuo congregati veterem factionem renovant, novo addito cognomine; nam Divi Ambrosii *Credentiam* appellarunt: locus quoque delectus, in quem sublato versicolori signo, velut in concilium Lanii, Piscatores, Fartores, Sutores, Tonsores & id genus sellularii opifices coïrent. tunc multitudo, ceu jam exauctorata foret, sub juris tuendi, & propulsandi incommodi titulo non solum injuriis potentiorum intercedere, sed illis vim afferre tentabat: ægre itaque domi ex multiplici factione, diversisque studiis seditiones compesci poterant; quanquam mercatores, quibus paulò majores opes erant, Consules affectati, medii inter plebem & patricios, horum violentiam, & arrogantiam, illorum temeritatem, atque audaciam reprimere conarentur. at vicini populi, ubi per discordias potentissimam Civitatem a se confici cognovere, quasi liberati eorum metu, quorum viribus in officio continebantur, & pacem inter se colebant, sumptis armis in mutuas clades ruere, populationibus agrorum, & cædibus omnia permiscere. Cremonensis Bergomensem quantis maxime poterat, incommodis, & maleficiis afficiebat. rursum Bergomensis, expectatâ occasione, cum non essent qui fines defenderent, nihil moratus, hostium agros depopulatur, vicos & ædificia, quæ adiri poterant, incendit. Mediolanensis quoque, quanquam domestico conflictaretur odio, ubi finitimos vidit in armis esse, neque à maleficiis temperare, Ticinum transgressus, agros, qui ad Padum usque pertinent, fructuosos admodum invasit; neque prius abiit, quàm ingentem hominum, & pecorum prædam abduceret, vicos & in agris tecta succenderet, arbores recideret, nec solùm repentina incursione talia moliebantur, sed justo cum exercitu oppida obsidebant, tormentis, ac machinis concussa evertebant. Vastati erant quam latissimè urbium fines, inculta, deserta, & situ squalentia cuncta gentili quodam furore, & impetu stabant.
1210. Per hæc tempora, circiter annos Domini MCCX Dominicus Hispanus genere, per quietem à Virgine gloriosissima admonitus, Religionis novæ auctor fuit, quæ brevi per universam Europam diffusa, mirandum in modum coaluit. In Græcia quoque de Regno Constantinopolitano quidam inter se certavere: nam mortuo Emmanuële Imperatore, qui ingentes pecunias, ut quidam tradunt, Mediolanensi ad instaurandam patriam elargitus fuerat, filiamque Raynerio Montisferrati Marchionis filio cum Regno Thessalonicensi in matrimonium dederat, forte Isacium cum Alexio filio adhuc impuberi per insidias, & fraudem oppressos Alexius tyrannus in custodia tenebat: sed puer de vinculis in Germaniam profugit, opem & auxilia à Philippo Friderici filio cognationis gratiâ imploravit, cujus jussu Flandriæ Comes, & Bonifacius Marchio Montisferrati, contractis copiis, adjuncta etiam Venetorum classe, quæ tunc forte rebellantem in Illyriis Jaderam expugnaverat, puerum cum patre in Regnum reducunt. Alexius senior cum uxore, & filiis capitur, atque in Montemferratum abducti in carcere moriuntur. Verùm cum Isacius, & filii parùm gratos in Latinos homines se præberent, Regno rursus ejiciuntur, moxque Balduinus Imperator creatur. Quo in expeditione apud Adrianopolim occiso, Henricus frater Regnum obtinuit: quod factum ægre ferens Bonifacius Marchio in Thessaliam statim proficiscitur, atque Raynerio fratri, qui sine prole virili decesserat, successit. hic moriens sic Regna partitus est, ut Gulielmus major è filiis in Monteferrato regnaret, Thessalia sub ditione & imperio Demetrii foret. hoc quoque sine stirpe defuncto, Gulielmus frater Thessalia potitur: quod tamen Regnum per nuptias ad Constantinopolitanos dominos rediit, tradita Violantide Gulielmi filia Andronico Imperatori, de qua natus Theodorus, qui deinceps ex Joannis avunculi testamento in Monteferrato regnavit. Per hæc tempora, ceu parum odii & dissensionis, divisâ ut supra diximus civitate, conflatum foret, Conjurationem quidam fecere, quæ Valentium, sive Robustorum cognomen habuit: nam juventus patricia in unum conveniens sibi Potestates creat, multitudini audacter atque intrepide resistens. interim domi & foris impetu quodam magis quam consilio, & seditione facta, telis, quæ sors obtulerat, decertarunt. rixa sane potius quàm pugna. Quare furor ille protinus resedit, neque diutiùs malè sarta gratia duravit: appellatio tamen Robustorum mansit, quasi per eam alacrior juventus nomina in militiam daret. Hac tempestate Franciscus, genere Picens, paupertatis unicus amator, sectatores habere cœpit, qui sæculo renunciantes, inopes, & egeni, potu atque cibo emendicato contenti, extemporalem, & proinde ærumnosam vitam ducerent. Cæso Philippo, qui per inconstantiam procerum Regnum fratris filio, cum adhuc maturus imperii non esset, eripuerat, Otho dux
Saxonum Rex Alamaniæ creatur. hunc statim Mediolanenses in Italiam ad ornamenta, & Imperatoria nomina captanda evocarunt. quo propiùs adventante, 1207.

A tante, ad ejus occursum tota civitas effunditur, ferreoque coronatus insigni, prosequentibus urbis primoribus, Romam petiit; ubi per Innocentium Pontificem nomen, & auctoritatem Cæsarum accepit. salutaris fuit Othonis adventus; siquidem civitates quædam inter se bellum gerentes jussu illius arma deposuere: recepti quoque sunt exules, qui urbes tranquillas esse non sinebant. liberi tunc populi tam à peregrinis armis, quam à motu, atque contentione civili fuere. Sed cum Pontifice pax haud diuturna fuit: nam Otho debellatis oppidis in Longobardiam reversus, Actium Estensem, qui tunc forte Ferrariam, & Veronam obtinebat, propterea quòd Imperatori parere recusasset, & qui
B cum eo conspiraverant, ceu rebelles persequitur, probris & damnis afficiens. quare non passus Innocentius, ferocem Barbarum in Italos debacchari,
1210. illum sacris & Imperii titulo privat. Tum Juniorem Fridericum Henrico progenitum jam armis firmum, & materno Regno potentem ad se vocat, summam rerum, & ereptum Imperium promittit, modò in Germanos adversùs opes & arma Othonis transeat. Juvenis cupiditate recuperandi Regni inductus, & Pontificis pollicitationibus oneratus, simul etiam paterna, & avi auctoritate confisus, qui multos annos Regnum in Germanis, & in Italia Imperium obtinuerant, Genuam quamprimùm na-
C vigat; atque inde Papiam pervenit. huic præsto fuere Actius Estensis, Comes sancti Bonifacii, Marchio Montisferrati: quorum obsequio atque auxilio, nemine interveniente, Cremonam, & Mantuam protinus venit; mox per Veronenses in Germaniam transgreditur. interea Mediolanenses, qui in partibus Othonis perseverabant, pecuniam & auxilia illi adversùs æmulum, & infensum juvenem polliciti, crebris incursionibus eos primum infestabant, qui Fridericum sublevaverant, atque studiosiùs juverant, & frequenti cæde evastant. tum flagrante ira; cùm nullus obviam iret, agros popu-
D lantur, vicos & ædificia succendunt, oppida diripiunt; finis damnis & injuriis nullus. erat potentior Mediolanensis, etsi quidam icto fœdere inter se milites congregassent, vicina tamen omnia perdere conabatur. Cremonensis, & Papiensis invicem pertinacissimè bellum persequebantur, neque aut suorum cæde, aut detrimentis deterreri ab armis poterant. Mediolanensis tunc maxime, ut cœperat, ingentibus damnis adversarum partium populos agitabat, sive ut acceptas injurias ulcisceretur, sive ut cladibus afflicti à Barbaro deficerent: præcipue eam Liguriæ partem, quam Montemferratum appellant, bello fatigavit. Indignabatur enim studiis suis Marchionem enixissimè adversari: quod ubi
E Pontifici denunciatum fuit, Mediolanensi primùm mandat, ut Othonis partes deserat, temperetque ab injuriis, & maleficiis in finitimos. recusavit mandata: atque statim perseverantem in proposito Pontifex detestatur, ac sacris privat. enimvero tum irritatus populus, graviùs desævire in proximos cœpit, subitoque Ticinum, & Padum transgressi, tractum fere omnem illum, qui inter Padum, & Apenninum jacet, ferro & igni evastant: nihil quod lædi posset, intactum reliquit. Inter duos amnes constituti, cum accolæ sustinere vim non possent, atque in oppida munitissima concessissent, ædificia, & vicos igne absumunt. pugnabatur tunc non de
F imperio, sed uter esset. vasta erant omnia: atque bello internecino miseræ urbes se conficiebant: reduxit tandem exercitum Mediolanensis, postquam nihil reliquum in agris erat, quod aut incendi, aut subrui posset. Per hæc tempora Innocentius mori-
1216. tur: cui successit Honorius. Hic surgentem à Divo Dominico religiosam Fraternitatem, & instituta comprobavit. tum procurante Henrico Septariensi Archiepiscopo, ædes Divi Eustorgii hujus viri sectatoribus habitanda conceditur. In Longobardis maxime omnia bello flagrabant. Mediolanum fere vicini populi infestabant; propterea quòd ab Othone minime discederent. quare collecto exercitu, Aduam transgressus Mediolanensis Cremam oppidum obsidet. quicquid agri usque ad Olium pertinet, latiùs effusi populantur. ingens numerus captus pecoris, magna abducta præda: fines incolumes neque Brixianus, nec Cremonensis servavit: inclusi mœnibus continebantur. tunc Mediolanensis victor, ubi satis sævitum fuit, legiones reduxit, minime tamen otiosus; nam confestim trajecto Pado, cum nullus agros defenderet, Parmensem, Mutinensem, & Regiensem damnis gravissimis afficit; atque urgente ira nullum sævitiæ genus omisit. quam populorum calamitatem miseratus Honorius, pacem componi, ut ab armis discederetur, in primis laborabat. sed altiùs insederant odia, & magnitudine maleficiorum offensæ civitates neque arma deponere, neque capta restituere, & reconciliare gratiam volebant; erant enim qui opem & peregrina auxilia ad ulciscendas injurias, reponendaque Mediolanensi damna expectarent. cæterùm Fridericus, ubi satis virium adversus Othonem comparatum vidit, in Italos se convertit, socios & amicos defensurus, quorum præcipue querimoniis evocatus fuerat: sed Mediolani, quanquam hostis adventaret, manebant odia, & vetere simultate, recentique ira cuncta fervebant. Septariensem Præsulem, qui Claræ-Vallis templum dedicaturus erat, indignata plebes, honorem eum ab homine patricio desumptum, illum urbe pellere statuit. seditio protinus coorta est. Capitanei, & Valvassores ab Henrico stabant: Plebei ducem sibi Androgetum Marcellinum fecerant. jam pròxime ad certamen rès venerat: sed priusquam congrederentur, Henricus, à quo dissidium profectum erat, intervenit: quare statim sacerdotii auctoritate, & quòd in gente patricia non infimum locum is tenebat, remissæ sunt iræ, arma deponuntur, atque de Republica solliciti, defendendæ patriæ curam unanimes suscipiunt. descenderat in Italiam cum ingentibus copiis Fridericus: illum Honorius Pontifex trans maria mittere tentavit. ex Ravenna Cremonam Tyrannus petiit, in quem locum, velut in concilium, proceres convenerant: pacem & amicitiam in primis cum Mediolanensi facere cupiebat: sed cladis ab avo acceptæ memor populus, ne avi superbiam atque sævitiam nepos velut hæreditariam servaret, ferociter respondere, conditiones oblatas quascunque aspernari, bellum quam pacem quærere. ergo ubi nihil pacatum apud Mediolanensem, sed hostilia omnia cognovit, Veronam protinus revertitur: Acciolinum de Romano socium, & amicum facit, quem ea tempestate unice dilexit: contra Accio Estensi, & Mediolanensi maxime infestus. magno deinde conscripto exercitu de his gentibus, quæ Syriacæ expeditionis gratia multæ in Italiam confluxerant, ad Appulos transmittitur. Decessit per hæc tempora Honorius, cui Gregorius suffectus est. Hic iniquo animo ferens, Barbarum juvenem mercenariis succinctum catervis, 1226.
Appuliam subegisse, & ceu Ecclesiæ infensum Pontificiis opibus inhiare, illum de grege fidelium, & numero piorum exterminat. Sed Barbarus, ne videretur eorum vota frustrari, qui bellum Syriacum deposcebant; simul etiam ut transmarinum tyrannum sibi conciliaret, in Siciliam trajicit, atque sacerdotum jura violat: tum quicquid in Insula Pontifex possidebat, usurpat, relictaque maxima illic exercitus parte, ipse in Syriam cum triremibus quinquaginta transiit: protinusque cum hoste ita fœdus inivit, ut concessa illi Ægypto, Regnum Siciliæ quietus ipse possideat. quod fœdum atque exitiosum religioni fœdus posteaquam Gregorius intellexit, quem paulò ante devoverat, illum pro hæretico pronunciat: & subinde auxilium adversus nefarium tyrannum postulavit. sine mora Placentini, & Me-

Mediolanenſes militem dedere. Per ea tempora, publicâ pecuniâ Mediolani emptus eſt locus ad duo fora facienda, reddendoque juri ſubſtructa Baſilica: ſubter qua eſculenta & poculenta fere divenderentur. Vicina porticus Juriſconſultorum ſedes, conjuncta ſcribarum atque notariorum ſepta; quos nunc Cancellos appellant. utrinque areæ, quarum una mercatoribus, altera frumentatoribus, ac vinariis conceſſa: res urbi perutilis, qua & annonæ & commerciis inter cives proſpectum. Inſculpta effigies Oldradi, qui forte ea tempeſtate Præturam in urbe agebat. tunc ad res inter ſe contrahendas, vendendo, emendo, mutuum dando populus coire cœpit. potens & opulenta illis temporibus erat civitas; quippe quæ non ſolum fines ſuos à vi, & injuria defenderet, ſed propinquos, & amicos incolumes ſervaret. ea propter viribus, & armis præpotentis populi Fridericus permotus, pacem à Pontifice petiit, quam & impetravit. Interea Mediolanenſes Ligures omnes, qui cis Apenninum accolunt, congregato exercitu invadunt; quorum agros hoſtiliter prædantur, præcipue Montisferrati dominum vexant: qui magnitudine belli oppreſſus, cum vix reſpirare poſſet, etiam parum æquis conditionibus pacem quærebat, quam pro dignitate & commodo à Mediolanenſi accepit. ſed ille, ſive ſtudio in Germanos, & arctiſſima propinquitate Friderici, ſive quòd in armis frequenter verſatus foret, neque pacem, nec bellum pati poterat. quare haud ita multò poſt, inſtauratis viribus, rebellavit. præfecère tunc exercitui Mediolanenſes Ubertum Ogenatem, qui ex templò rebellantes populos excurſionibus vaſtat, magnam prædam agit, ferro & igni omnia perturbat, nec ſolum in Montemferratum arma movit, ſed Salaſſos, Taurinos, & ceteras Alpibus ſubjectas gentes vexat; quæ & ipſæ gravitate tributorum defecerant, & vicinum dominum ad arma ſollicitaverant. captus forte in ea pugna fuit Ubertus, quem crudeliſſimè excruciatum populi, velut ulturi injurias enecarunt. hujus morte permoti milites, quamvis ducem non haberent, tamen ductore tumultuario conſtituto, denuo populabundi hoſtium agros evaſtant. claſſem, qua tranſitus fluminis prohibebantur, capiunt, fabricatoque ponte ingentem numerum captivorum abducunt, quæcunque in agris inventa ſunt, adurunt, aut ſubruunt; oppida quoque ſitu & operibus munita expugnantur atque diripiuntur, graves pœnas cæſi hominis & rebellionis repetunt. Interea cum adventare Fridericum nunciatum eſſet, urbes quædam fœdere inter ſe percuſſo arma conſociant, Legatosque ad Pontificem mittunt rogantes, Barbarum moneat, ne exercitum in Longobardos ducat: quod ſi fecerit, & fortunam & vires populorum experietur. quorum oratione motus Pontifex, Legatos Bononiam mittit, qui de pace agerent. ſed eos eluſit Barbarus ad Venetos abiens, atque inde velut tergiverſando Aquilejam conceſſit. avertit autem eum ab Italia, cæptoque fere bello defectio filii, qui cum Mediolanenſi conſilia novandarum rerum agitabat. quare propere in Germaniam reverſus, illum cuſtodia aſſervari juſſit: quo mortuo, Conradum ex altera uxore genitum Regem in Alamannis conſtituit. eo ſane anno hyems egelida atque nivoſa fuit, viæ clauſæ: & Padus uſque ad hoſtia maris innavigabilis fuit, ut merces ab Adriatico ſinu plauſtris & vecterinis deveherentur: glacies adeo ſolida, ut per alveos fluviorum currus & jumenta commearent: fluxus aquarum ita compreſſi, ut molæ ad frangenda frumenta circumagi minime poſſent: vina in ſubterraneo ſervata loco concreta ſunt: præ magnitudine item frigoris vites, olivæ, ficus, & id genus frugiferæ arbores exaruere; famis & peſtilentiæ, quæ inſecuta fuit, cauſa & ſignum evidentiſſimum. Miſit fortè per ea tempora Imperator Cremonam Elephantem, Camelos, & Dromedarios, peregrina ſane animalia, & raro apud nos viſa; atque rogante Acciolino, & Veronenſi Italiam repetens, Mantuanum omnem agrum uſque ad urbis mœnia, ſuccenſis ædificiis & vicis, evaſtat; Brixiam pari clade afficit, atque fugato Accii Eſtenſis exercitu, Vincentiam per vim captam crudelem in modum diripit, ac prope funditus delevit, impoſitoque in Italia procuratore in Germanos revertitur. his temporibus Mediolani Prætor erat Petrus Teupolus; hujus pater Venetiarum Princeps Jaderæ ſummum magiſtratum antea tenuerat: hoc duce Mediolanenſis fretus exercitum congregat, circumpadanis omnibus bellum intulit, nihil intactum in Lomelino agro manſit, omnia incendiis & direptione afflicta fuere. quæ ubi Friderico nunciata ſunt, ſtatim in Longobardos exercitum ducere ſtatuit. tentavit priùs quorundam animos, quos ubi in perniciem finitimorum paratos, & proinde ſecum arma juncturos cognovit, minimum moratus, Brixianos fines ingreditur, in prædam omnia ad Olium uſque evertit. Mediolanenſis ubi vidit Accium Eſtenſem, & Comitem ſancti Bonifacii; qui tunc Mantuæ dominabatur, in partes adverſarii tranſiviſſe, impetumque omnem barbaricum, & molem belli in ſe venturam animadvertit, erecto Carotio, congregatoque milite obviam hoſti proficiſcitur, & haud longe ab Olio caſtra locat. ſubſtitit tunc Barbarus, ſatisque habuit in præſentia vada fluminis cuſtodire, ut hoſtem tranſitu prohiberet, cui cum & numero, & virtute militum impar foret; tum quòd etiam beneficio loci tutus eſſet Mediolanenſis; quippe paluſtribus in locis caſtra habens, nunquam poteſtatem pugnandi fecit, & ſi ſæpius educto agmine provocatus ad pugnam foret, ad inſidias ſe convertit. exercitum Cremonam ducere ſimulat, ipſe in ſilvis, quæ campo junctæ erant, cum delectis & expeditis militibus ſubſedit. egreſſi caſtris Germani nullo cum ordine neque imperio, magis fugere quam proficiſci videbantur. quos vere fugientes Mediolanenſis ratus, inexplorato & incompoſito agmine perſequitur. ubi ventum in eum locum eſt, in quo paratæ erant inſidiæ, Fridericus nihil tale timentes aggreditur. tum trepidatio magna; viſóque hoſte conſilii inopes in fugam repente verſi præcipites ire: terror & formido tanta, ut ſe colligere non poſſent. pallatos Barbarus acriter inſequutus, tergo inſtare. ingens tunc cædes facta. Elatus ſucceſſu Barbarus in ſigna convertit agmen. vim & impetum Germanorum ſuſtinuere ii milites, qui à virtute Valentes, ſive Robuſti dicebantur (Dux eorum Henricus Moguntiacus) animoſiùs pro ſignis decertarunt, prementemque Barbarum repulere; pugnatumque eſt uſque ad noctem; ſuperveniente pluvia prælium dirimitur: beneficio tenebrarum uſus Henricus, currum dilacerat, malum cum Cruce aurea & ceteris ornamentis in urbem defert. Imperator, ubi illuxit, ſpolia hoſtium tolli jubet, & quod reliquum è Carocerio ſuperfuerat, id Veronam miſit, in trophæi modum publico in loco ſtatuendum. magna profectò virtus Valentium tunc fuit, qui plenum triumphum exultanti hoſti non permiſere. vulneratus fuit, atque etiam in pugna captus Teupolus, qui Prætor in armis, & ſub ſignis populum habebat. hunc in cuſtodia diutiùs aſſervatum Fridericus graviſſimè excruciavit. Mediolanenſis collectis iis, qui à pugna & cæde ſuperfuerant, Borgomenſem invadit; à quo proditus, & Barbaro data auxilia fuerant. patuit ad inferenda damna aditus, operâ maxime atque etiam impenſis Pagani Turriani. nepos hic fuit Martini illius, quem in tormentis necatum ſupra memoravimus. indignabatur, proditorem impunitum manere: ſimul etiam, quia propinquos Borgomenſi vicos & agros habebat, verebatur, ne quandoque claſſem in ſe vicini verterent. ſive igitur à ſe ſuisque malum avertere conaretur, ſive quod jam tunc non ſolum amicitiam, ſed gratiam etiam in præpotenti urbe

urbe quæreret, per vallem, cui Saxinæ nomen eſt, in fines Borgomenſium hoſtem transmittit: fovit præterea, quantum in ſe fuit, ſpoliatos & egenos, pecunias, veſtes, & frumenta benignè præbens. itaque reparatis pro tempore viribus, poſt captum magnum pecoris & hominum numerum, exuſtiſque agreſtium tectis in agrum Cremonenſem exercitus ducitur. Cremonæ tunc agebat Fridericus, qui in dimicationem, nec crebris convitiis, nec excurſionibus perlici unquam potuit. tandem cum Barbarus mœnibus contineretur, nec copiam pugnæ, etiam tumultu & præliis laceſſitus faceret, Mediolanenſis cis Aduam exercitum reduxit. locus abeſt haud longe à fluvio, quò primum deducta colonia fuit. hunc *veterem Laudem* appellant. conſedit illic Mediolanenſis, caſtraque communiit. tutus erat exercitus tum ſuapte natura, tum levi opere. Per tres igitur menſes hoſti objecti, illum velut fruſtrando ingreſſu *novæ Laudis* prohibent: tandem oppidanorum quorundam dolis urbe potitur. Eos, quorum opera & armis receptus fuerat, liberaliter amplexus muneribus & honoribus proſequutus eſt, adverſarios in Appulis relegat. arcem deinde portæ, qua Cremonam itur, inædificat, moxque ut ſocios aut defenderet, aut ſublevaret, quos Mediolanenſis graviſſimis detrimentis affecerat, Papiam petiit. ad quem finitimæ urbes Legatos confeſtim mittunt, auxilia pollicentes. ſoli Mediolanenſes, niſi æquo jure, amicitiam recuſarunt. Barbarus coactis copiis in Brixianorum fines contendit, urbemque ipſam omni circum populato agro menſes tres obſidet. Interea Papienſis cum belli detrimenta minime ferre poſſet, deditione in Mediolanenſium poteſtatem venit. quo facto exterritus imperator, ſoluta obſidione Veronam ſe recepit. Interim Mediolanenſis, recentis injuriæ non immemor, iterum Borgomenſes infeſtat; ac ſtudio vindictæ quoſcumque nactus erat, ſpoliat, oppida diripit, vicos ſuccendit. non defuit iræ fortuna. fortè grando non temere aliàs viſa arbores omnes frugiferas contudit, & disjecit, ſata evertit, pecora & armenta interfecit. Ceterùm Fridericus, ubi jurejurando fidem à Patavino, & cæteris Venetiæ populis exegit, ferox animi militum robore, & ſociorum fide, atque armis præpotens, evertendi Mediolani, & tollendi Pontificis conſilia agitare cæpit. Hoc ubi Pontifici compertum fuit, illum palam ſolemni die velut rebellem, & Apoſtolici imperii everſorem excommunicat. Legatum rebus in Italia gerendis conſtituit: nuncios in Hiſpanias, Gallias, & Britanniam dimiſit, qui eos homines docerent, quæ foret Barbari impietas, & quam fœdum & nefarium facinus in perniciem religionis aggrederetur: quippe qui minime ab avita iniquitate & ferocia diſcedens, Romanum Sacerdotium violaret, majeſtatem Pontificiam perdere tentaret. Horum oratione multi, qui à Barbaro ſteterant, ſimul etiam metu pœnæ, & religionis reverentiâ, mutato conſilio ad Pontificem tranſeunt. Fridericus ubi à ſe eos defeciſſe animadvertit, quorum opibus rem tantam moliebatur, mercenarium militem variarum gentium conducit. erant tunc fortè in Italia conductitiæ catervæ Germanorum, Appulorum, Sardorum, & Siculorum. quare haud difficilè illi fuit brevi exercitum numeroſum comparare. Primum Bononienſem aggreditur, qui in Pontificis partibus perſeverabat, aliquotque ejus agri oppida expugnat: deinde Padum tranſgreſſus, per Cremonenſes traducto exercitu, trajectaque Adua, in Inſubribus conſedit. primo impetu capit Marlianum, Landrianum, Petri baſilicam, & alia non ignobilia ejus tractus oppida. Appropinquante hoſte trepidatum in urbe fuit, atque ad arma diſcurſum. Fridericus ubi juventutem in armis eſſe audivit, minime ultra progreditur: ſed cum tumultus inter cives metu hoſtium gravior coortus eſſet, atque diverſa quædam & ſentirent, & loquerentur, res ad

A conſilium defertur. erant *qui intra urbem tenendum civem cenſerent, ſatiſque ſibi in præſentia eſſe, ſi pro mœnibus dimicantes hoſtem propellerent, quando per inopiam rei frumentariæ, & jam deficiente commeatu perſeverare diutius in obſidione Germanus non poſſet, atque ita ſine vulnere & cæde patriam liberatum iri: periculoſiſſimum ſane pugna decertare, & fortunam belli experiri:* inclinabant in hanc ſententiam plurimi; ſed Otho Mandellus vir gravis & intrepidus, atque, ut patiebantur tempora, gerendi belli minime imprudens, labantes animos etiam ignavia, & torpore occupatos excitat, & confirmat: *Fortium non eſſe muro & foſſa ſe defendere, & item hoſtem formidare,* B *aut congreſſum extimeſcere, perinde ac inexpertus, aut incognitus foret. clypeus & haſta, non vallum aut foſſa nos tegant. in dextra noſtra defenſio. audendum profecto eſt, quando & manus & arma nobis adſunt. in hoſtem ſatis ſuperque cognitum, & ſæpe à nobis fuſum alacres & minime trepidi ruamus; præſtat enim in patenti campo congredi, & mortem oppetere, quàm mœnibus circumſideri, & inopia atque fame domitos barbaræ libidini, & crudelitati ſubjici.* Hoc ſermone ingens alacritas, & pugnæ ardor inter cives factus eſt, prælium & pericula omnes depoſcere, nihil ii detrectare, qui per vires & ætatem arma ferre poterant, ſine diſcrimine cives obarmari. ſacerdotibus conceſſa arma ad- C verſùs nefarium hominem, in quo nullus Dei metus eſſet, quique ſacra pollueret, templa ſpoliaret, amplitudinem Pontificiam violaret. Erat tunc in urbe Gregorius de Montelongo miſſus à Pontifice, hunc potiſſimum ſequuti cives, ſocia agmina cum præfecturis finitimis jungunt. ſtupuit Imperator, ubi tantam populorum vim in armis, & ſimul coiviſſe conſpexit. appropinquantes acies ſtatim pugnam ineunt, & dum utrique loco cedere turpiſſimum putant, cædes magna editur. Saraceni, quos Fridericus hoſti objecerat, cum prementes ſuſtinere non poſſent, primi terga dant: tum cæteri Barbari, ſanguine & D fuga ſuorum perterriti, in caſtra ad Fridericum refugientes paſſim cæduntur, viæ cadaveribus impletæ, equi ac milites captivi multi fuere. ſic amiſſa ſuorum parte Imperator propinquum clivum occupat, ibique caſtra locat. affuit poſtridie Cremonenſis quippe recentes ulturus injurias, quas poterat opes, Barbaro ſuggerebat, qui ſociorum auxilio adeo elatus eſt, ut proximæ pugnæ eventum nihili faciens, certam fortunam ſibi ſponderet, & præſumptione victoriæ vincula & carcerem identidem adverſariis minaretur. at Mediolanenſis, ubi exultantem ſupra modum Barbarum, & præſidio loci, novo præterea milite addito ferociùs agentem co- E gnovit, fontium aggeres intercidit, atque protinus per inciles foſſas, quibus agri irrigabantur, vicina omnia caſtris diluit. ſtagnantibus aquis ne obrueretur exercitus, aut diluvio intercluſus per inopiam commeatuum conficeretur, ſtativa Fridericus mutat. digredientem Mediolanenſis deſequitur, ſub occaſum Solis in eum caſtra metantem continuò per emiſſarium Ticini partem (proximus enim erat fluvius) derivat. ubi vero illuxit, circumcurſare, arbores & trabes dejicere, vias obſtruere, quacunque Barbarus evadere tentabat, occurrere. Inter hæc Novocomenſis, nec fidus ſocius, nec bonus amicus ad Germanos tranſiit, cujus defectione, atque F imminente hoſte, quem circumfuſæ aquæ magis in pugnam irritabant, quàm intercluderent, conſilio rem geri placuit, ut Barbarum dolo & fraudibus circumveniant. Nemus erat inſidiis aptum: in hoc expediti milites occultantur, tum in fugam cæteri convertuntur, quos vere fugientes Fridericus exiſtimans, foſſam, quæ nullo præſidio tenebatur, tranſilit, cedentes urget. repugnabat noviſſimum agmen, ne fraudem is ſuſpicaretur: ita in inſidias facilè pertracti Barbari fuere. lætus tunc ſucceſſu Otho fugientes revocat ſuos, ſignumque pugnæ dat. extemplo converſi proruentem excipiunt, exi-



liunt è lateribus alii, hostem adoriuntur. perculsi eo terrore Germani quamvis non haberent, quo se tutò recipere possent, tamen diffugiunt. instantibus nonnulli repugnant. retro, maxima pars ad fossam fertur. hos consectatus Mediolanensis magnum numerum interfecit. Papiensium & Cremonensium ingens cædes facta. doli & clades barbaro repositi fuere, cui stagnantes aquas deducere conanti, accolæ Ticini intercessere. ita multis amissis fraude præterea petitus, jamque tumultu in castris oborto, cum apertum discrimen cerneret, in Appuliam relictis Longobardis, sive illic hyematurus, sive proditores, ut ipse identidem jactabat, ulturus Fridericus abiit. at Mediolanensis victor domum revertitur, beneficii utique non immemor, quod à Pagano Turriano acceperat. Nam cum de Prætore creando ad populum relatum foret, suffragatione eorum, quos sua indulgentia post adversam pugnam recreaverat, & cura attentissima servaverat, is præturam obtinet. *Hunc Paganum primum* invenio *in hac familia solemnem magistratum gessisse; supra quem neque domi neque foris alius claruisse* in annalibus *legitur, præter eum Martinum, quem crudelissimè necatum supra commemoravimus:* in quo scriptores variant; nam *alii patrem, alii avum, sunt qui proavum hujus* scribant. commentitia, ne dicam secum pugnantia, à scriptoribus traduntur, dum quisque pro ingenio suo magis quàm diligenter, & verè res gestas memoriæ mandare studet: sed quæ nunc exponimus, ea veri maximè similia, & non admodum discordare in eis scriptores invenio. vallis est Saxinæ in Comensi Italia, ubi officina habetur ejus lapidis, qui ad esculenta vasa cavatur, tornaturque in hac divitiis, & potentia cæteris etiam finitimis Turriani pridem excelluere. Hos plebes Mediolanensis in urbem deduxit, non tam ut jurisdictionem haberent, quàm contra factionem, atque insolentiam potentiorum, qui licentiùs in fortunas & corpora tenuiorum desævirent. Receptus à populo cum potestate Paganus, jura omnibus mansuete & magnifice dicere, neminem violare, temeritati improborum fortiter resistere, pro commodis urbis excubare. gratiam igitur & studia plebis hoc pacto captans, viam ad regnum sibi & suis affectavit; stabat enim officiorum memoria, & prompta remunerandi voluntas, in his scilicet, qui, ut supra diximus, à periculo & cæde elapsi, benigne accepti, & humanissime habiti fuerant, & subinde liberali patrocinio à vi & audacia improborum tuti erant. Perseverabant patricii in superbia, & crudelitate, quibus plebes, ceu ad tollendas injurias nata, ludibrio & contemptui erat: jactabatur à plerisque lex vetus, plena odii & invidiæ, qua major in dies patriciorum libido accendebatur: flagrabant animi fœdo Landriani patricii flagitio. Hic creditorem, à quo sæpius appellabatur, quasi debitum soluturus, ad se in villam vocavit, interfecitque, mox paleis & fœno, ne cædes cognosceretur, obruit. ergo summi tunc in urbe magistratus auctoritate vallata plebs, qui communia commoda propugnaret, & ab injuria defenderet, jam vetere & gravi famulatu libera, audacius superbiæ patriciorum resistere, illorum votis adversari, rerum participare, vires & opes potentiorum nihili facere. Paganus item omnia prospicere, quæ miseris salutem allatura essent, frumentum gratuitum dividere, nudos vestire, egenos suis impensis alere. at patritii, qui violare, auferre, rapere pro libidine cuncti soliti erant, cum illorum jussis parere oporteret, quos despectissimos habuerant, veriti insuper, ne infimæ multitudinis licentia eò progrederetur, ut superbo dominatu in communem perniciem tam privata quam publica verterent, & acceptæ injuriæ ultores vicem nobilitati redderent, suos & ipsi sibi magistratus, & defensorem parant, qui Sacerdotio venerandus, aut alia dignitate potens in urbe esset. Opportuna igi-

A tur ad hæc mors præsulis fuit: & cum de successore certaretur, seditiosa & tumultuosa erant omnia. Res aliquandiu dissidentibus animis, & præ metu extracta est; dum utrique plebes & patricii timent, ne parti suæ inimicum & infestum in sacerdotio constituant, post contentiones atque certamina eligendi Præsulis, potestas & arbitrium Leoni de gente Peregorum defertur. Hic ab adolescentia recenti tunc in Francisci disciplina enutritus, salutiferisque præceptis institutus, in congregatione & fraternitate Minorum vitâ & moribus clarus habebatur: quem Archiepiscopum minime recusant; utpote saluti animarum, & publico commodo sine discrimine aut
B factionis, aut ordinis consulturum. hoc spondere videbatur vita in religione probatissima procul ab his omnibus acta, per quæ mortalium plerique ambitione, & odio affecti discordias serere, & seditiones, dum opitulari suis quisque necessariis cogitat, provehere student. Verùm, quod à natura nobis insitum est, id fere nulla cultura mitescere, aut evelli & extirpari penitus potest. nam Leo sub alterius olim arbitratu educatus, adepta dignitate ceteris major, ubi non per vices interpolatum, sed perpetuum obtinuit imperium, pro arbitrio rem gerere, eorum studiis primum obsequi, qui tenuiores opprimere adnitebantur, & divitiis pollentes cæteros sibi obnoxios habere. contra improbitati nobi-
C lium, & potentiæ novi Antistitis Turrianus intrepidè resistere, contumeliam à miseris propulsare, eorum causas suscipere, in contentionibus superior esse: ita gliscente turba ad certamen deveniunt. Stabat à plebe Paganus, quo patrono tantum animorum & fiduciæ plebeji conceperant, ut non contradicere, & repugnare voluntatibus opulentium auderent, sed supplicia & pœnas anteactorum scelerum exigere. Leo contra omni ope nitebatur, nihil non cogitare, atque moliri, quod ad jura & dignitatem patriciorum defendendam pertineret. Indignum sane & turpe existimabat, atque ignominio-
D sum, primores urbis, qui genere & opibus reliquos anteïrent, eos multitudinis imperio & sellulariorum jussis parere. His certaminibus cum utrique duces satis virium compararent, major in dies seditio gliscebat: neque propinquo hoste, aut jam agros populante, remitti ira, & reconciliari animi poterant. quod si vis arcenda, aut maleficia prohibenda, suspensis rebus, atque irritatis animis, velut dimisso munere, arma capessebant, nunquam sub iisdem signis & eodem ductore militantes. Plebes, patritio bella gerente, inermis domi desidebat. Patricius contra, plebe in expeditionem profecta, de statu urbis parum curans, & belli securus intra mu-
E ros feriato ferro se continebat. Sed quamvis in diversas voluntates distracti essent cives, atque militia pertita foret, publicas injurias haud inultas relinquebant. desertoris Novocomensis agrum invadunt, quem omnem graviter populantur, ferro & igni cuncta subvertunt, arbores etiam excidunt. nec integri à calamitate Papienses fuere. cum his quoque acriter pugnatum est, cædes utrinque facta, atque magnus captivorum numerus abductus, parique marte discessum est. Sed cum absumpti longiore bello agri, deserti vici, & inculta propè omnia manerent, permutatis captivis inter utrumque populum pax conficitur. Dum hæc geruntur, Gre-
F gorius Pontifex moritur, cui Celestinus sufficitur 1241.
Mediolanensis genere ex familia Castelleonea. hoc quoque intra decimum octavum diem rapto, Innocentius Quartus Pontifex creatur. Ligur erat de 1243.
Fliscorum genere progenitus. primus instituisse traditur, *ut Cardinales rubro galero, & concolori dependente spira ornati incederent, quasi hoc gestamine à cæteris Episcopis discreti internotescerentur.* Cæterùm Fridericus posteaquam summum Sacerdotium ei demandatum cognovit, quem sui studiosissimum expertus fuerat, neque inter Principes Sacerdotum

alium

alium temere magis amicum, & benevolentiorem habuerat, hilarem vultum, dissimulato dolore, & lætitiam palam omnibus ostendit: per noctem cum gemitu & lachrymis ad cubicularios, & amicos conversus, *amisimus* inquit *amicum*; *non enim fere potest Pontifex Romanus, & idem Gibellinus esse.* erat Friderico Egentius filius, qui ea tempestate in Sardis regnabat. hic, sive jubente patre, sive quòd videret, Longobardorum civitates Mediolanensium consiliis & pollicitationibus ad arma & rebellionem solicitari, illorum fines, transmisso per Ligures exercitu, aggreditur; nihil tamen memoratu dignum egit: vastandis agris aliquot dies absumpsit: confestim repulsus est, & ne cedentem persequerentur, pestilentia gravior impedimento fuit. inter hæc Innocentius contumelias & nefaria Friderici facinora indignè ferens, quem implacabilem, & ad omne moliendum scelus promptum & instructum videret, neque esset in Italia quem sacrilego homini, & impotentissimo tyranno opponeret, in Gallias transire statuit. Genuam primùm navibus defertur, inde protinus per Padanos, Ligures, & Taurinos Alpes transgressus, Lugdunum pervenit, quem in locum primores patrum in concilium vocavit. mox Fridericum Rogerium, cum citatus parere recusasset, insolentissimum tyrannum, & Ecclesiarum direptorem titulo Regio, & nomine Imperatorio privat, dirisque injectis Christianæ religionis exortem
1245. facit. agebat forte tunc in Alpinis Barbarus, cui præter horrendas imprecationes hoc etiam accessit. nam Fridericus Castulonensis Regis filius, qui Papiæ in carcere custodiebatur, effractis vinculis profugit. redeuntem propere in Longobardos Fridericum Egentii filii res egregiè gestæ non nihil recrearunt. expulerat hic de civitatibus eos fere omnes, quos patris inimicos noverat; jam enim per Hetruriam, Flaminiam, & Longobardos duarum factionum diversa studia, & perniciosa nomina vulgata erant: iidemque cives flagrante domestico odio, non solum animo dissentiebant, sed ferro diversa sectabantur. Gibellini à Germano Cæsare stabant. Guelphum nomen Pontificis partes tuebatur. res sane perniciosa: ex qua populorum excidia, & subinde urbium ruinæ profectæ fuerunt, adeoque in animis nepotum hæc mali labes, & perniciosa appellatio propagata est, ut in nostra usque tempora ista dominante peste, violato sanguinis jure, cædes passim per urbes fiant, bona diripiantur, domus ad solum æquentur, cives in exilium alii agantur, trucidentur alii: & dum quisque sibi, aut parti suæ reponi injurias, & maleficia formidat, in eam plerumque ætatem gladios distringit, cui immanissimus quisque barbarus parceret. hujus domestici furoris, & inexplebilis feritatis vis, origo, & nomen à juniore Friderico cæpit, qui avi crudelissimo exemplo Mediolanum excidere parabat, gentem suis votis perpetuò adversantem. Ticini primum accolas aggreditur. occurrit Mediolanensis: castra secus fluminis ripam locat, transitu primùm Barbaros prohibens, mox vero viribus fidens, retrocedendo transeundi fluvii copiam hosti fecit. cupiebat acie congredi. tum Imperator filium Aduam versus cum parte copiarum dimisit, ut incursionibus, & assidua populatione eos homines afficeret, quorum damnis necesse esset Mediolanensi copias dividere: & proinde viribus impar cum hoste prælio dimicare non auderet. Sed præfecturæ, quæ ad Aduam pertinent, concita ejusdem tractus juventute, manus cum juvene conserunt, atque captum Mediolani in publica custodia servant. qui haud ita multò post è vinculis ad patrem venit: cui cum haud prosperæ res forent, pertinaxque & odium & bellum in eum Longobardorum vigeret, in Appuliam recedere commodius visum fuit. interea Conradus adversus patrem res novas molitur, atque procurante Pontifice Rex in Alamannis creatur, sed brevi raptus, parentem gravi cura, & metu novi belli exoneravit. De morte juvenis apud scriptores non eadem invenio. scribunt quidam, *aliquot menses in Italia post obitum patris eum regnasse.* Veneti per hæc tempora fœdus cum Gregorio adversus Barbarum percutiunt, classisque, suggerente Pontifice pecunias, Venetiis instructa est: quâ statim apud Sipuntum duodecim Friderici longæ naves cum oneraria, in qua mille homines impositi fuerant, capiuntur. amissa classe satius Friderico visum fuit in Taurinos reverti propter cæptas factiones, & perseverantia odia. filius præterea Egentius, comparato quem potuit exercitu, missisque auxiliariis militibus ab his populis, qui Pontifici infensi erant, & contrariæ partis opes imminui studebant, patris inimicos penitus tollere curabat. Brixianos bello vexat, nixus præcipue Cremonensium auxilio: hi commeatus benignè præbebant. sed dum omni ope Cenommanorum fines infestat, diutius etiam urbem ipsam oppugnat, Parmenses, quos ob cognationem Pontificis Fridericus ceu adversarios patria expulerat, devictis contrariæ partis civibus, Parmam recipiunt. quæ res de Taurinis Tyrannum revocat, accersitaque ingenti sociorum juventute, conductis quos undique potuit militibus, Parmam continuò obsidet. Jam convenerant ingentes copiæ de his populis missæ, qui Barbaro infensi, Pontificis partes sequebantur. urbs valido erat munita præsidio, nec nisi magno apparatu capi poterat. oppidani, & peregrini milites eo erant animo, ut nonnisi per vim, aut alimentorum inopia coacti, deditionem facerent. castra itaque Fridericus haud longiùs ab urbe aggere, & vallo munivit, domos item, cum paulò longior obsidio duraret, & templa in civitatis modum ædificat, ut non solum hyemare sub tectis milites commodè possent, sed etiam haberent, quò tutò ab excursionibus se reciperent, prædamque asservarent. nomen celebre, sed haud auspicato Victoriæ tanquam urbi indidit, monetamque feriri jubet, quam *victoriatos* appellavit. assidebant Parmæ Germani, præliis subinde obsessos lacessebant, & crebris incursionibus vicina infestabant. continuata est biennium obsidio auxiliis duarum factionum; nam quasi rerum summa illic verteretur, utrique vires intendebant. Guelphi, ne Parma caperetur, suos Gibellini contra Imperatori milites & arma subministrabant, qui velut in regia constitutus, jura illic populis dabat, legationes exterarum gentium audiebat. frequentes ad eum legati venerant cum muneribus, peregrina ducentes animalia, aliàs raro à nostris hominibus visa. tunc in castris omnia convertuntur; nam somnum, vinum, epulas, scorta, otium, delicias ita Fridericus & milites adamarunt, ut relanguescentes in castris septa extruerent, in quibus speciosæ puellæ concluderentur: viridaria animi, & voluptatis gratia haberent: negligentiùs ita omnia fieri, quæ militaris disciplinæ ratio exigebat: ingens institorum numerus confluxerat. nimiâ indulgentiâ omnia corrupta erant. ergo cum per luxuriam atque licentiam ea negligerentur, per quæ virtus militum firma & erecta stare solet, Fridericus fortè contempto hoste in aucupium egressus, longius à castris venandi studio progreditur. Germani, qui præsidio Victoriæ relicti erant, Parmam usque populabundi excurrunt, vagè quidam per agrum effusi prædam agunt, alii propiùs urbem accedentes in pugnam oppidanos provocabant. Legatus Pontificis, qui intra mœnia præsidio præerat, temere vagantes sine imperio cum nulla militari disciplina hostes conspicatus, solvendæ obsidionis occasionem arripuit; nam ex templo quicquid copiarum habebat emisit: qua eruptione ex insperato hostes circumveniuntur. nihil prope certaminis fuit. non erant signa, ad quæ se reciperent: non duces, qui ordines instruerent, aut fugam sistere possent. ingens fugientium per agros facta cædes. intra munitiones

refugiunt alii: sed præ multitudine irrumpentium cum fores portarum occludi non possent, eodem impetu Victoria capitur, ibique non minor occisio edita fuit. Scribunt quidam *in pugnam & cædem mulieres procurrisse, acutas sudes, & ferro præfixas perticas cum uncis, aliæ pectines ferreos longis asseribus alligatos gestabant. hæ vallum & fossam transgressæ ab ira & studio vindictæ*, cujus is sexus avidissimus est, *alios jugulant, alios trucidant, corpora dilacerant, semineces, & humi jacentes sæpe repetito vulnere confodiunt.* Stimulabat eas truculentissimorum immanitas Barbarorum, & crudelitas inaudita; namque captivos persæpe Barbari, & qui cum eis militabant, excruciatos ac laceros per tormenta intra mœnia ante ora suorum projecerant. exactæ sunt pœnæ sceleratorum operum. castra deinde diripiuntur. reperta est in thesauris Regiis corona magni pretii. militi fere omnia concessa sunt. cecidere Cremonensium plerique. hi Victoriæ præsidebant: quorum Currus sive Carrotium, quod sub nomine Bertaciolæ pro signo habebant, captum, Parmam deportatur. spoliis hostium Parmenses multi ditati sunt. Lego in quibusdam annalibus, *à Mediolanensi missa ad Parmensem auxilia, qui strenuam operam in profligandis Germanis, expugnandaque Victoria navaverunt.* Nam quamvis inexpiabile maneret in urbe odium, tamen ob recentia, & gravia accepta à Barbaro detrimenta in exitium tyranni universa civitas conspiravit. Imperator ex sylvis venationi intentus, cum fumum prospexisset, captam Victoriam prius intellexit, quam nuncius ad eum veniret. tum strage suorum, & spoliis perterritus, retro in fines Cremonensium abiit. urbem ipsam, ob trucidatos cives, & amissa signa mœstam & consternatam, ingredi veritus vicinis in oppidis substitit, ibique collectis iis, qui à cæde & incendio castrorum superfuerant, conscriptoque novo milite contrariæ partis oppida infestare cœpit. Placentinos quoque cladibus & incendiis vexavit: nec ipse expers calamitatis fuit. transiverat in Æthruscos, ut ibi suæ factionis opes firmaret, in Appuliam mox profecturus. interim filius Egentius exercitum cogit, atque ex agro Faventino in fines Bononiensium invadit. sed dum loca obequitat, Regio habitu deposito, & gregarii militis veste majestatem occultans, explorabat diligenter metandis castris locum ab insidiis tutum, aquationi & pabulationi idoneum, & minime difficilem, à Bononiensi milite cognitus intercipitur, Bononiamque perductus est. tunc eruptione facta exercitus omnis à Bononiensibus profligatur. Rex aliquot annos in vinculis custoditus fuit. tandem præ tædio longinquæ captivitatis & carceris custodia moritur, atque in æde Divi Dominici sepultus est: cujus conditorium adhuc manet, ac spectatur. Fridericus in *Appulis*, vel ut alii tradunt, *in Sicilia decessit, fraude Manfredi filii, quem ex nobili concubina susceperat.* convalescentem à morbo parentem injecto in os pulvino suffocavit. Hunc finem habuit ne-
1250. farius homo, sævus tyrannus, perpetuus sacerdotum hostis, templorum spoliator, majestatis Pontificiæ elusor, quietis Italicæ perturbator, & exitialis discordiæ auctor: à quo deinceps cruentæ seditiones, & cædes in mediis urbibus non cessavere. Traditur à rerum scriptoribus, *Matthæum Vicecomitem eo anno*, qui millesimus ducentesimus quinquagesimus ab nato Christo numeratur, *quo Fridericus teterrima morte affectus fuit, natum fuisse.* Institutus fuerat à patre Conradus ex legitimis nuptiis hæres, qui bello à Guilielmo Rege in Alamannia vexatus in Italiam demum transgreditur. juvit eum Acciolinus tyrannus quibuscunque rebus potuit, transportatoque in Appuliam exercitu inimicas urbes expugnat, ac diripit, quo terrore rebelles cæteros populos edomuit. Siciliam biennium possidet; neque ita multò post per insidias Manfredi occiditur. duplici hic parricidio patris atque fratris regnum com-

A parare studebat. Per hæc tempora Mediolani stabat in armis juventus, ad fines tuendos parata: & ut socios à vi, & injuriis defenderet, ea omnis ex valetudine, quam nimius calor fecerat, pene absumitur. ex morbi genere Calidarius exercitus denominatus fuit. cæterùm Innocentius Pontifex, post mortem tyranni in Italiam revertens, Mediolanum 1251. à populo invitatus divertit. incredibile dictu est quo amore atque honore tam publice quam privatim exceptus fuerit. portæ, & viæ, quà Pontifex iturus erat, perpetuo ornatu renidebant. obviam cum liberis & conjugibus effusa multitudo, Pontificem salutantes, & ejus nomen identidem invocantes, B ovantium voces, & plausus gestientis populi pro miraculo Pontifici erant: qui pietate, & prompto obsequio motus, urbem ipsam in tutelam accipit, Prætoremque imposuit, qui populo jus redderet; nam posteaquam rebellis Barbarus, numinis violator, Romanum sacerdotium fæda ignominia affecit, & in concilium Patrum vocatus ad emendanda scelera, contumax parere noluit, Lugduni appellatione & potestate Imperatoria mulctatus fuit, aliquot annos nullus legitimè imperavit: ea propter Pontificalibus jussis Longobardi subjecti fuere. sed Laudenses pro eo, quòd præsidia Acciolini & Bossii Doariensis recepissent, qui illo fortè tempore C Cremonam tenebant, sacris interdicuntur, obsessaque urbs fuit, quæ in duas divisa partes diversa præsidia Mediolanensium, & Cremonensium accepit. noctu atque interdiu atrociter intra mœnia pugnatum est. Verùm Cremonensis, quia diffideret, viribus, & armis adversariorum vim sustinere posse, sive motus vetere in Laudenses odio, per occultum colloquium Mediolanensem hortatur, *ut quam urbis regionem uterque possideret, eam everteret:* ad hæc responsum: *Mediolanenses esse socios, qui fidem, & auxilium suum implorassent, eos servare, non perdere.* Deducunt præsidia Acciolinus, & Bossius, Vistarinus dehinc dominationem urbis per decennium habuit. D Cæterùm Innocentius ex Longobardis Perusiam petiit, atque inde in Appuliam profectus, eos populos ditioni & potestati suæ subjicere parat: turbatæ civitates in Germaniam nuncios mittunt. Conradinum avus, ut alii, patruus hæredem fecerat. Indoles egregia in puero erat, jamque in eo Gibellinæ factionis primores non parum spei reponebant: atque plerique ad iter & expeditionem opportuna pollicebantur, si quando regni maturus in Italiam descenderet, ut quæ juris & ditionis avorum fuerant, ea reciperet. Annus à partu salutari millesimus 1252. ducentesimus quinquagesimus secundus effluxerat, E Leone Archiepiscopo, & Petro Advocato Novocomensi Mediolani Prætore. triplex per hæc tempora pravæ hæreseos secta populum in perniciosam opinionem distrahebat, Catari, Concoregii, & Gazari. convictos Cataros Oldradus Dresanus Prætor viginti ante annis concremandos pronunciaverat. Extat, ut supra diximus, hominis lapidea in Mercatorum foro effigies, & eulogium, quo posteris judicium & impiorum supplicia testata manent. Cataros flammis Oldradus tradidit, sub anno Domini M. CC. XXXII. sed semel inquinatæ mentes à prava opinione, malisque erroribus non desistebant, sive quia nullus ad rectam fidem aberrantes deduceret, sive quòd ea tempestate civili discorF dia Itali homines Romanis Pontificibus, & juniore Friderico diversa studia fovente, in perniciem propriam ruerent. ita gliscente hæresi, Petrus Veronensis, nefarii sacri, & abominatæ opinionis Inquisitor Mediolanum venit. hic pro magistratu & imperio diligentiùs de impio crimine inquirere cœpit. vita, mores, & doctrina per populos admirationi erant. convicti plurimi pœnas publico judicio dabant. resistere scientiæ non poterant; miranda opera edebat: ita relictâ malâ opinione bene sentire multi cœperant. conjuratum est in hominis necem.

necem. hi, quorum opinio stare non poterat, percussorem subornant, qui fortem rectæ fidei propugnatorem, tertio Kal. Majas à Novocomo Mediolanum repetentem, in nemore apud Barlassinam duplici vulnere confodit. *Conjurationis auctores Cataros* quidam tradunt, quorum opinioni assentior. opulenta erat illa factio, quæ promissâ pecuniâ facilè percussorem invenire potuit: versus item leguntur sub inscriptione *Thomæ Aquinatis*, in quibus Catarorum gladio *martyrem occubuisse* testatum manet. cæterum de loco factæ cædis, & latronis cognomine non idem proditum memoriæ est. *qui cædem in nemore apud Barlassinam factam* scribunt, *de Porrorum familia Acharinum* nominant: at qui juxta Medam *occisum* tradunt, *Balsamum* appellant; nam & in actis Inquisitorum invenio, *auctorem conjurationis fuisse Balsamum, qui pecuniam pactus fuit:* ita uterque vicus, & utraque familia infamis in nece hominis habetur. comprehensus sicarius decem dies in vinculis habitus est; verum dato pretio, corruptisque custodibus effugit. tunc indigne ferens civitas, detestandam cædem inultam manere, continuò in prætorium accurrit, hisque direptis, quæ in eo erant, Prætorem cum apparitoribus, & tribus judicibus ad tribunal Archiepiscopi fraudis reos statuunt. ægre vita concessa: magistratu Prætor ejicitur, mox primores urbis delecti Perusiam petivere: Pontificem docent, quantum miraculorum invocato martyris nomine fieret, religiosam populorum venerationem, quantus concursûs eorum foret, qui sepulchrum salutarent, & vota subinde persolverent. in concilium patrum relata omnia fuere, statimque virum, quo apud Deum deprecatore miranda opera in terris ad salutem gentium gererentur, cœlo dicaverunt, & in numerum sanctorum, destinata die, qua cædis memoria recoleretur, ascribi jussere: præcipua dehinc religione cultus cognomen Martyris tenuit, propterea quod recentissimo affectus martyrio fuisset. eximio studio, & cura singulari Innocentius Pontifex Prædicatorum fraternitatem fovit, ad ædificanda templa, sustentandosque fratres multa benignissime præbens; & ut promptiùs emendicatam stipem populi conferrent, privilegia & immunitates remissâ scelerum pœna concessit. ferox interea populus in proferendis finibus & ulciscendis injuriis occupatus, raro arma deponebat: trajecto Ticino turres propinquas subruit. Mortarium oppidum invadit, quod per vim ad deditionem compellit. arx stabat egregie munita, ea tormentis, & machinis quassata destruitur. per hæc tempora Innocentius post Appuliam subactam Neapoli moritur. substituitur in Pontificatu Alexander
1254. Quartus. Regium nomen Manfredus usurpaverat, Pontificem Neapoli pellere parat, qui relictâ urbis custodiâ Octaviano Cardinali Ubaldina gente progenito, ipse Romam profectus est. In Hetruscis domestico furore, & odio incitatissimo omnia agitabantur; nam divisis semel per factiones civitatibus, cædibus & exilio nullus modus erat: sed civilia arma, discordiasque populorum, & publicam Hetruriæ stragem missis auxiliis Manfredus provehebat, hoc etiam nomine Pontificem bello lacessens. verum Florentiæ adeo intestina pestis exarsit, ut cæde, & fuga pene exhausta, & deserta civitas in potestatem Manfredi sine pugna pervenerit, illique diutius paruerit: nec transpadanæ gentes integræ manserunt. invaserat eas communis Italiæ labes, & exitiale odium, nihilque domi tranquillum erat. bellis, & mutuis cladibus se conficiebant: hinc nactus occasionem Acciolinus tyrannus cum ab his staret, qui Cæsarum rebus studebant, diversarum verò partium opes affligeret, non pauca oppida partim expugnata, partim deditione facta subegit; mox justo exercitu comparato, res Pontificis vexare acriùs cœpit. ea tempestate Ubertus Palavicinus Cremonæ, & Placentiæ ex præfectura do-
A minatum obtinuit: Gibellinum nomen & hic sectabatur, pro quo ampliando multum adnixus. utrique igitur, fœdere inter se icto, arma conjungunt, bellum adversus Pontificem, & Guelphum nomen profitentur. redegerat in potestatem Ubertus Cremam, & aliquot Brixianorum oppida. Legatus Pontificis ingentes transmiserat copias, his opem laturus qui pro dignitate & Imperio Pontificis stabant, domoque pulsi, & bonis mulctati fuerant; & ad Olium fluvium, quo limite Brixianorum fines à Cremonensibus discernuntur, uterque exercitus consedit. Legatus Pontificis numero & virtute militum confisus, negligentiùs, quamvis
B propinqui hostes essent, agere cœpit. hunc invadunt Acciolinus & Ubertus, atque statim commisso prælio fugientes, & nihil resistentes profligant. capti multi fuere, occisi plurimi: Guelfæ factionis principes fere aut cæsi aut captivi fuere. Archiepiscopus Ravennas Pontificii exercitus ductor, & Brixianæ ecclesiæ Antistes capiuntur. mox victores Acciolinus & Ubertus, divisâ prædâ, copias abducunt, atque hic Cremonam rediit, ille Brixiam contendit, quam oppugnare parat: sed oppidani posteaquam captivum Episcopum, & tot generosos homines vinctos in custodia teneri cognoverunt, continuò deditionem faciunt. Tyrannus urbe poti-
C tus, nihil indignatus adversùs se arma sumpta fuisse, contra quàm ingenium & mores, & experta in alios sævitia & impietas poscere videbantur, in victoria paulò clementior adversariis veniam dedit. exardescebant Mediolani odia, & ex longinqua simultate nobilioribus infima turba contumeliose insultabat. tunc Capitanei & Valvassores auctore Archiepiscopo Paulum Seresinatem sibi Potestatem faciunt, quem signiferum ad contundendas plebejorum vires, ac debilitandam Credentiæ auctoritatem habuere. Plebes contra Martinum Turrianum cum imperio esse jubet, ut in magistratu constitutus insolentiam patriciorum reprimeret, & liberta-
D tem publicam tueretur. sic per discordiam ordinum accensis animis, dum suos quisque sublevat, & adversarios deprimere studet, eò contentionum, & certaminum rem perduxere, ut in armis, & viribus urbana omnia negotia reposita forent, & vix à sanguine invicem temperarent. Ad componendas igitur seditiones, & jus æquabile servandum, placuit unum Prætorem esse, qui æqualiter omnibus, procul ab omni morbo animi jura daret: quare de publico consensu jus & arbitrium deligendi Prætoris religiosis quatuor viris vitæ probatissimæ defertur. ex templo peregrinum hominem, à studiis factionum abhorrentem, urbi præficiunt; quo facto à do-
E mestico motu quies facta fuit. Sed Martinum interea patriciorum querelæ sollicitabant, qui per longam licentiam, & quandam regnandi consuetudinem, parum justi suæ potentiæ æstimatores, se in ordinem redactos æquato jure cum cæteris querebantur; neque à solita libidine, & violentia abstinebant, domi & foris per impotentiam grassati omnia permiscebant, nihil ab eorum vi & injuria tutum erat. quare tot malis afflicti inopes arma capiunt, nobilitatem omnem cum Leone Præsule urbe ejiciunt, atque proposito edicto bonis & urbe mulctant. Soresinas ad tutum receptum Seprium oppidum præsidio munierat, huic Novocomenses o-
F pitulantur. Leo quoque, posteaquam plebem in se concitam vidit, Varesium se recepit. majore tunc cura Martinus angi, quippe qui verebatur, ne expulsi adversarii ex tuto receptu patriam graviùs infestarent, & magnitudine damnorum motus in urbe surgerent, continuo armatam plebem in profugos induxit. Pugnatum extra urbem atrociter fuit, & civili sanguine cruentati sunt agri; nec prius cædibus finis factus fuit, quam Pontifex intercessit, cujus jussu reconciliata gratia, Leo & patricii in urbem recipiuntur: relegati tamen quidam

fuere: sed ut concordia diuturnior & stabilior, odiumque alioquin inextinguibile mitigaretur, ceu offensarum acerbitas omnis deposita foret, duo in urbe Principes pignore necessitudinis sese astringunt. Martino Pauli soror in matrimonium datur, *qua affinitate rediisse in amicitiam ordines, & deposita odia, duraturamque tranquillitatem* plerique existimabant. cæterum plebes, quæ pertinacissime tunc odium servat, & injurias minime dissimulat, quotiens libidinose & avare magistratus in eam desæviunt, Bonum Toranium patriâ Bononiensem gravioris olim tributi auctorem, quique imperatas pecunias acerbiùs exigendo, multos bonis spoliaverat, depositâ præturâ repetundarum reum facit. convictus cum erepta restituere, aut noxæ satisfacere non posset, fœde occiditur, abjectusque in fossas urbis insepultus jacuit. Capitanei & Valvassores in patriam recepti, ceu recuperato jure imperiosiùs omnia facere, vix à vi, & contumelia quiescere, diutiùs urbana negotia tractare, ad ea spectare, quibus priscas vires reciperent, & cæteris imperarent, & qui domi odia & arma exercere non valebant, extra pugnando ferrum, & discordias renovarunt. forte Novocomenses in factiones divisi de imperio urbis inter se certabant. Rusco Capitaneos in auxilium accersit, qui haud cunctanter adsunt, oppidumque ingressi adversarios prosternunt. partem oppidi Vitanus, alteram pars diversa obtinebat, quibus plebes Mediolanensis Capitaneorum cæptis repugnans propere opem tulit. depræliati sunt utrique acerrime. tandem Vitanus vicit, atque pulsis adversariis urbi præficitur. Per hæc tempora dissidebant inter se Germani proceres, quorum
1257. suffragiis Cæsares designari solent; atque per dissensionem animorum duo ad Imperium electi fuere, Alphonsus Castulonensis Rex, & Ricardus Britannorum regis filius: sed in transpadanis Acciolinus jam comparato regno, dum Cæsaris amicos fovet, contra Pontificis socios armis, & maleficiis lacessit, atrocia & execranda facinora edidit. reduxerat relictâ Mantuâ, quam expugnare summa ope adnitebatur, in Veronenses exercitum, eos mox expugnaturus, quos studiosiores rei Romanæ videbat: tunc Patavini immanis tyranni feritatem, & scelerata facta perosi, recepto præsidio, ab Acciolino deficiunt. quod ubi is rescivit iræ impatiens, & cæco furore effervescens, Patavinos, quos secum in expeditionem adduxerat, ad duodecim millia obtruncari statim jussit: qua horrenda inhumana crudelitate fere omnium popularium animi ab eo alienantur. nefarium præterea & dirum hominem sublata cruce, arreptisque armis populi insectabantur: neque diutiùs cum Palavicino amicitia stetit. nam quis fidum socium, aut perpetuum amicum sibi cum speraret, qui tanto popularium cruore conspersus, nefarium quoque bellum cum eo pastore gereret, cui Christus in gregem suum parem Deo potestatem in terris concessisset? In hoc animorum habitu oderant finitimi omnes, atque exhorrescebant Acciolinum, atque ab eo dissociati novos amicos conciliabant. quare suadente Bosio Doario, qui ea tempestate inter Cremonenses nobilitate, & divitiis præpotens erat, dissoluto fœdere Ubertus Palavicinus vires & arma cum Turriano communicat, qui per speciem tuendæ libertatis hac societate viam ad regnum affectabat: quod sibi haud difficile videbat propter insolentiam & improba patriciorum facta, quos plebes violata tolli cupiebat. sed Martini consilia patricios minime latuere. nudi præsidio Acciolinum supplices adeunt, & sortem suam calamitosam miserando rogant & obtestantur, uti se à libidine & crudelitate factiosorum tueatur. Arma & opes adversus seditiosos & violentos cives Tyrannus promittit, hortatus bono essent animo, & haud diutiùs exulaturos, benigne multa pollicitus affirmat, comparandum quacumque via militem monet.

A cupiebat hic uno conatu atque labore profugos patria domum reducere, & Palavicinum omnino perdere post dissolutam societatem studebat. Ceterum Martinus, novo socio atque præsidio succinctus, cum acie dimicandum esset, propterea quod adversariis propugnatorem impigrum accessisse videbat, eorum animos lenire, & metu servitutis exonerare statuit, qui peregrino auxilio perculsi magis jugum imponi, quam infensum hostem arcere à finibus putarent. Ad concionem igitur multitudinem opificum, & id genus ceteros, qui victum opera, & manu quærebant, in ædem Divæ Theclæ convocat. multa ibi ad conciliandam populi amicitiam, levan-
B damque curam, qua plerique angebantur, quòd dominus appellaretur, præfatus, jurejurando fidem obstrinxit, quæcumque aut domi aut foris agi oporteret, ea omnia ad consilium Credentiæ relaturum: sine quorum permissu nihil quicquam negotii acturus esset. facile illi fuit hoc sermone tumultuantem plebem temperare, cum propter antiquam, & adhuc flagrantem in patricios simultatem, tum quòd ipse mansueto & miti ingenio præditus foret. nihil illi præter titulum ad regnum deerat. præterea à cædibus & sanguine aversus habebatur: clemens admodum, utpote qui capitali noxæ nunquam subscripserit, etiamsi de inimico, vel exule supplici-
C um sumendum fuisset. cur enim ajebat *hominem occidi jubeam, qui adhuc neminem progeneraverim? Sterilis illi uxor fuisse* traditur. Erat in civitate tunc Acciolinus adolescens, de Marcellina gente procreatus, ingentis spiritus, nec animorum urbis imprudens, popularis admodum. huic jam ab initio suspectum erat, quorsum cum externis Martini fœdera & simulatæ conciones tenderent. in multitudine liberiùs surgentem Turriani potentiam, ceu fraudis, & tyrannidis suspectam accusabat. hunc hi potissimum sectati sunt, qui paulo opulentiores de Mota dicebantur. ita plebe divisa, cum alii pro Martino, primus à Marcellino staret, in certamina deveniunt: nec incruenta seditio stetit, siquidem
D adolescens gladio suffossus occubuit. Martinus sublato æmulo ex præside Credentiæ, dominus palam nuncupatur. at patricii posteaquam adversariorum res auctas videre, & ducem Domini nomen usurpasse, rebus suis diffidentes, eos sibi in primis conciliare student, qui à Marcellino steterant, & rem Turrianam oppugnaverant: atque ne ducem intra muros desiderarent, Gulielmum Soresinatem factionis suæ caput faciunt, cujus virtute & opibus subnixi, tenuioribus insultare, & vim nonnumquam inferre cœperunt. Martinus contra suos à vi defendere, cohortes armatorum secum habere, in
E via cum adversariis interim decertare, vulnerari alii, complures occidi, frequentes in urbe cædes fieri: exarserat inter cives simultas. Hanc miseratus calamitatem Romanus Pontifex, ne domesticum bellum latiùs procederet, iratos animos mitigare, & metu novæ tyrannidis levare tentat. Philippum Ravennatem Archiepiscopum in Longobardos mittit. hic ut certamina tolleret, & concordes cives depositis armis extra omnem metum faceret, eos ablegavit, qui inter factiosos eminere videbantur. dejicitur tunc regno Martinus, & patria profugus mendicare cogitur. in exilio amicos & propinquos monere, & orare non cessabat, ut exulis misere-
F scerent, & securitati, & otio suo consulerent. proponebat patriciæ gentis insolentiam, quotidianas injurias commemorabat, quos legibus ita demum obtemperaturos ajebat, si in metu forent: & se ita ablegatum, ut servitus injungatur, & velut defensore privati æterno in servitio perinde, ac mancipia libidini & imperio patriciorum serviant. hoc sermone incitati quidam, clandestina consilia ineunt; tum certam diem constituunt, qua propius urbem accedat; futurum enim, ut periculum in quo constituti sint multi conspicientes, res novas aggre-

aggrediantur. nihil cunctatus Turrianus statuto tempore advenit, cui in æde Divi Dionysii præsto haud pauci fuere, quos discriminis & imminentis periculi ita admonet, ut pro certo habeant, nobilitatem nihil non in servitutem & perniciem plebis moliri, atque de salute, & opibus eorum actum, nisi continuò præsidia adversariorum invadant. Convenerant armati ii fere patricii, qui domo pulsi haud longiùs ab urbe vagabantur: quippe veriti, ne mœnibus inclusos inimici circumvenirent. ita satius visum, ancipiti metu adversarios fatigari. ea propter in regione Orientali summa ope pugnatur. Baldus Giringellus tumultuariam manum contraxerat, atque in ipso templi limine adversarios invadit. prælium factum est acre. resistebat Martinus, quamvis tunc viribus impar: sed adjuncto subsidio, prostrato inimicorum agmine, in urbem victor introducitur, cui nemo unus repugnare ausus de hinc fuit. in exilium eos egit, quos adversæ partis studiosos noverat, quique in concionibus graviter loquuti subinde in certaminibus arma contra se tulissent: præcipue Gulielmum Soresinatem nobilitatis protectorem fugari voluit. hic enixissime patriciam gentem defensabat. Non imprudens rerum Turrianus erat: & quamvis propensos plebejorum animos haberet, non tamen confestim principatum in urbe occupavit. Exules patricii & errabundi ad Acciolinum profugiunt, afflictas res, violenta inimicorum facta, & inopiam suam conqueruntur, rogant, & obtestantur, quando ejus spe ducti exilium magis quam conditiones ab hoste oblatas acceperint, eos ne deserat, sed, quod pollicitus erat, auxilio dato in domum, & in patriam reducat. docent præterea, quanta illi fiet nominis & imperii accessio, si nobiles viros per vim & contumeliam sedibus pulsos susceperit, atque ab iujuria & maleficiis vindicaverit. Tyrannus sociorum audita calamitate, ne supplicum vota frustrari videretur, exercitum contrahit: tum Cremonam versus pergere cœpit. convenerant eo Bosius, & Palavicinus: milites conscripserunt. supervenerat cum auxiliari turba Accius Bonifaciensis comes. substitit aliquantisper tyrannus. erant præterea in armis oppidani. quare ex itinere Urciolos obsidet: verùm ab Capitaneis vocatus, dissoluta obsidione Mediolanum versus contendit: ponte ad Cassianum oppidum Aduam trajecit. *præsto illi fuisse Valvassores* quidam tradunt. alii contra *neminem occurrisse*. perculsus tunc animi, & rerum dubius Acciolinus, perinde atque aut illusus, aut proditus ab iis foret, quibus auxilio venerat, Moguntiam, ne irritus captorum existimaretur, expugnare parat. Interea certior per suos Martinus fit (jam enim Soncinum usque duxerat exercitum) de transitu tyranni: qui ne frustra subsidio veniret, magis quàm quòd spem potiundi oppidi haberet, Moguntiam circumsedit. extemplo is ire pergit, atque eodem ponte copias trajicit. fluvium Palavicinus atque Estensis & Bonifaciensis observabant, ne regredi hostis valeat. tunc Acciolinus Moguntiam relinquit, atque Tricium contendit. arx erat oppidi inexpugnabilis. hanc capere cum minime posset, vicina omnia ædificia succendit, protinusque Vicomercatum (hoc oppido & præfecturæ nomen est) concessit. nihil hostile in eo tractu fecit. Difficilis erat commeatus, & proinde omnibus innoxius, beneficio potius quam metu, aut maleficio commeatus & frumenta ad se deduci in primis studebat. Martinus interea Mediolanensem populum sub signis habebat, vias obstruere, quacunque commeatus duci oporteret, eosque sæpe intercipere. extimuere tunc Germani & Itali milites, ne per inopiam frumenti ancipiti hoste circumclusi debellarentur. tunc Acciolinus cum res suas in angusto sitas videret, aciem instruit, atque Cassianum repetit. occurrunt illi ex adverso dispositi hostes. a tergo Mediolanensis instabat. prœlium ineunt. certatur totis viribus. Transierat ad Martinum Brixiana juventus; nihil tamen inde deterritus, pugnam invadit, vociferans, Brixianos fidem in lacinia gerere. jam circumventus erat, atque dum per confertissimos hostes erumpere conatur, sinistrum crus tragula trajicitur. accepto vulnere ferocior ad flumen evasit, vada explorans. tetigit tunc animum vicinæ arcis nomen, protinusque exclamat: *Heu Cassan, Assan, Bassan, hic mihi fatalis hora.* ita vado amnem transgressus capitur, vivusque Soncinum, altero telo in caput impacto, perducitur, ubi ab ira & rabie cibum, & remedia respuens, inter minas, & atrocia verba defecit. ita eventu maternæ prædictionis fidem affirmavit. Monuerat illum mater, sive astrorum prudens, sive veneficiis, & responsis umbrarum docta, *id genus desinentiæ terras caveret, quòd illic fatis suis terminus daretur.* Hic patre natus sacrilego insidioso & fallaci, matre venefica, à pueritia odio religionis, & sacerdotum imbutus: quanquam ubi adolevit, statim rationem aliam vitæ iniit ad tempus, ut postea cognitum fuit, ferociâ, crudelitate, & perfidiâ depositâ fidem colere, amicos constantissime juvare, hosti gravis, cæteris neque insuavis nec ineffabilis, promissis stare, bella feliciter & prudenter tractavit. Dux rei militaris expertissimus, pericula ut forti animo deposcebat, ita non incaute obibat. tolerandus sane homo, dum privatus vixit: verùm ubi imperare cœpit, jam magna transpadanæ regionis parte in potestatem per vim redacta, in eo omnia conversa fuere. torva facies, terribilis incessus, sermo gravis, superbus, rapax, violentus, perfidus, crudelitatis inhumanæ, in omnem ætatem sævissimus, Dei contemptor, Sacerdotum hostis perpetuus. sacrilegia, & violatam fidem, velut sancta & minime formidanda, prædicare, templorum thesauros surripere, eorumque vectigalia intercipere, Sacerdotes spoliare. Quibus rebus ab Innocentio Pontifice publice detestatus, excommunicatusque fuit, velut rebellis sacrosanctæ Ecclesiæ æternis suppliciis devotus, efferatam crudelitatem truculentissimo genere vesaniæ exercuit. Veteres & splendidas familias de pluribus urbibus non ejecit solùm, sed pene delevit. Oderat eos, quibus timori erat, ac deinde crudeliùs excruciatos aut lacerari, aut jugulari jubebat: Vix mihi credibilia ea videntur, quæ scriptores quidam memoriæ prodiderunt: *Infantes ab gremio matrum raptos, atque adeo in conspectu parentum erutis oculis, & genitalibus excisis, stando, vigilia, atque inedia pariter enecabat; quidam continuo sitis tractu, cum non haberent, unde arentes fauces recreare possent, urinam propriam bibere compulsi fuere: sed quasi tot virorum cædibus parum satiatus esset, matronas nobiles prostitui, speciosæ atque pudicæ virgines passim constuprari. neque adhuc tanta injuria expleta feritas fuit: post raptam pudicitiam, vulgatumque corpus easdem in teterrimo carcere diutiùs custoditas, gemitu, lachrymis, & mœrore confectas fœde & miserabiliter mortuas legimus:* & cum civitates tot viduatas civibus, & nefando scelere perculsas videret, & proinde, ne conjurarent adversùs se etiam domesticos, & propinquos extimesceret, illos omnino tolli curavit. parricidiorum igitur magnitudine, & atrocitate scelerum materiam uberem scribendi fabulæ præbuit. Extat Musati Patavini *tragicum carmen*, non admodum inelegans, in quo atrocia hominis facinora, violentus spiritus, & feritas plusquam barbara repræsentantur, ut plene omnium nocentissimus, quos terra sustineret, dici possit. Nunquam profecto de sceleribus suis tam bene sensit, ut sperare potuerit simplicem mortem, & tragulæ ictum: dignus qui excarnificaretur, & eos vivens cruciatus sustineret, quos ira hominum, & feritas ad luendas cupiditatis & sævitiæ pœnas excogitavit. Occiso tyranno, civitates spoliis, & continuis funeribus exhaustæ, jam à nefario, & libidinoso dominatu liberæ, gratulabundæ primùm in

in aliquot dies supplicationes decernunt; frequens supplicantium, & vota Deo reddentium turba in templa coibat. tum libertatem capiunt, popularemque statum per annuos magistratus, perpetuo sublato imperio, instituunt. Tarvisani, atque Patavini, in quos crudelissime sævitum fuerat, nequid stirpis & sanguinis tyranni superesset, Aldericum fratrem (is audita fratris cæde clam ex Tarvisio se subtraxerat) armis persequuntur. in arcem sancti
1261. Zenonis, tuta erat situ, & operibus, confugit. Tarvisani, Vincentini, & Patavini, conjuncto Estensi, & Venetorum primoribus, arcem corona oppugnant. ex inopia victus seditio inter custodes oritur. ita arx nullis certis conditionibus deditur. è tribus filiis maribus, unus sub patrui nomine ferociam adhuc infans gentilem ostendebat; hic sub oculis parentum occiditur, transfixi pueri proprio in cruore natabant. efferaverat rabies illorum animos, quorum parentes, atque propinqui crudelissime necati fuerant: mortuos dilacerant, jecur alii mandunt. Aldericus, & uxor revinctis manibus, laqueo per terram distrahuntur: puellæ quoque à gremio matris raptæ, fusis crinibus, certatim turbâ vulnera inferente, contrucidantur. ita cadente tyranno universum genus à stirpe extinctum est. Martinus victorem exercitum, & præda opulentum Mediolanum reduxit, tuncque clarus, & potens habitus. Invenio in quibusdam annalibus, *post cædem Acciolini renovatas pristinas societates inter Longobardos fuisse:* princeps autem inter socios, omnium consensu, Martinus declaratur, tum ob urbis amplitudinem, tum propter recentem de communi hoste victoriam. jam is vim, & speciem dominationis assumpserat. nihil amplius de Credentiæ sententia agere, opificum subjecta collegia, se uno contentus, nihil in administratione urbana, aut ratione belli cum aliis communicare; mulctavit & patria, & bonis eos fere omnes, quos suspectos, aut invisos servabat. extorres patricii à Summaripis, quæ familia Laude nec inops, nec ignobilis erat, excipiuntur, atque benignius tractati sunt. Martinus periculosum existimans inimicos, quos domo profugos odiis, & bello exercere studebat, etiam longius à finibus summovere, vicino in loco foveri, conscripto milite Laudensem agrum invadit. statim oppido pelluntur adversarii: ita in potestatem Turriani oppidani, graviora detrimenta veriti, devenere. hoc facto, ut minùs negociosus ab urbanis seditionibus foret, & tyrannidem affectanti nullus contradicere auderet, Paulum uxoris fratrem, quo ducem patricii maxime nitebantur, omnibus officiis prosequitur: fatigabat quoque Paulum soror precibus, & magnis pollicitationibus, ne surgentem mariti potentiam aut refringere conaretur, aut impediret. Remissus ille beneficiis, & oratione sororis, tunc omnia agere, nihil prospicere, quo eos à vi defenderet, aut protegeret, qui illi & se & sua crediderant. Quare proditas partes suas patricii existimantes, Soresinatem repudiant, & in tutelam Jordani, qui Rusconæ familiæ primus in Novocomo dominatum obtinuerat, se tradunt. Commovit hæc res maxime plebem, quæ eò intentiùs voluntati Turrianorum obsequi, illorum partes juvare, vim & impotentiam patriciorum magis extimescere, ne scilicet per novam amicitiam detrimentum aliquod rebus suis afferrent. Cæterum qui domi remanserant, occulta primum colloquia cum exulibus habere, eorum fugam, quoad vires patiebantur, pecunia sublevare, alios ab amicitia Turriani avertere, clandestina consilia de reducendis profugis struere. Hæc ubi Martino cognita fuerunt, Palavicinum, quem, ut supra diximus, socium fecerat, protinus pacto quinquennii stipendio ad se accivit. Mediolanum is comparato mercenario milite, & voluntariis eum sequentibus ingreditur. Tunc peregrinâ ope satis sibi fidens Turrianus, quietiore animo esse, minus de hostium potentia solicitari; interim dies festos agere, ea fere cum Palavicino communicare, quæ ad stabiliendum regnum, & fines proferendos pertinere videbantur. Tradunt *Ubertum*, ut erat bellicis artibus instructus, & civilis usus experiens, *ingenio præterea acri, & exercitato, contemplatum urbis amplitudinem, populi ingentem numerum, & rerum affluentiam, ad amicos dixisse: Regnum facile Mediolani constitui posse, si modo penes unum summa imperii foret, qui sua potentia intestinas discordias cohiberet, seditiones componeret, ne continuis certaminibus de potentatu plebes, & patricii inter se discordarent.* Hoc sermone Martinus maxime adductus, ut omnia sui arbitrii faceret, nihilque de alterius consilio gereret, Credentiam populi in totum sustulit. neque vanum fuit Palavicini judicium, falsaque virium potentissimæ urbis æstimatio; nam hoc usque in tempus res Longobarda sæpius periclitata de summa imperii fuit, incerta, & vagæ vires, dum timidus atque diffidens sibi quisque sive genere, & amicitiis polleret, sive divitiis & factionibus abundaret, in vicinos populus imperium aggredi minime ausus fuit: atque unius urbis dominationem usurpans, sive populi jussu princeps creatus foret, metu atque invidia popularium fines extendere non poterat; sed inter suos regnare contentus à vi & rapinis domesticorum non abstinens, finitimos latrociniis infestabat: inter tot mala cum jam continuatione laborum, cædibus, vetere simultate, & recenti duarum factionum impotentiâ, universa fere Italia attenuata & plane exhausta foret, Vicecomites surrexere, de quibus deinceps dicemus.

GEORGII MERVLAE, ALEXANDRINI,

ANTIQVITATIS VICECOMITVM LIBER V.

Repetitur Vicecomitum origo. Nobiles patria fugati erant. Otho Vicecomes, tandem debellatis Turrianis, Pontificatum urbis cum regno obtinuit.

VICECOMITUM gentem à Regibus Longobardorum prognatam satis constat; nam, ut supra memoravimus, capto Desiderio, regiaque appellatione, ac potestate penitus extincta, quicquid Longobardi nominis per Italiam dispersum erat, cum liberis, fortunis, atque conjugibus in eas commigrarunt regiones, quas reges eorum incoluerant; & quamvis deinde per Carolum, & nepotes, moxque per Germanos Cæsares, & eorum procuratores, quos universales Vicarios vocant, Longobardorum civitates administrarentur, tenuit tamen consuetudo, ut Angleriæ Comites, quæ reliqua proles Regum supererat, Archiepiscopo subservientes, regia ornamenta designatis Cæsaribus imponerent, quasi ita demum Regni titulus legitimus, & coronatio solemnis haberetur, si regia ministrante stirpe tradita fuisset. Magnum profecto indicium splendoris familiæ, atque vetustatis, quæ regiæ vicis non expers, ministerium tantæ rei velut hæreditarium obtinuerit: sed in eo bello, quo per quatuordecim annos Alexandrum profugum, atque errabundum Fridericus primus Pontificatu dejicere conatus est, opesque ecclesiæ violato atque polluto summi Sacerdotii jure gravissime afflixit, & rebellantes Longobardos perpetuis cladibus vexavit, Angleriæ Comites, qui à Pontifice stabant, & cæteros in partibus ejus continebant, dum Barbaro fortiter resistunt, à suis proditi simul cum patria interiere: & si qui elapsi periculo fuere, ad invidiam mitigandam, quam appellatio Comitum præ se ferebat, Vicecomites deinceps, quasi superadditis litteris odium imminueretur, appellari voluere. quamquam Heriprandus, & Otho, quorum egregia facta supra commemoravimus, multos annos & Fridericum, & cladem patriæ antecesserint, & Vicecomitum, non Comitum cognomen habent, nisi forsan scriptores, qui recentius res memoriæ prodiderunt, quoniam eadem erat familia iisdem orta majoribus, posteriorem duntaxat appellationem, quasi celebriorem, relictâ primâ, usurpare maluerunt. sed Constantiæ *Petrus Vicecomes*, cum acceptæ utrinque conditiones fuissent, *Mediolanensium jussu, velut publici auctor pacem ratificasse* traditur. Quidam juris, & legum interpres recentissimus, historiæ, & veritatis parum curiosus, *Vicecomitem hoc in loco magistratus, non gentis, nomen esse* contendit: quod ego vix crediderim; quando legati Constantiam missi de generosis familiis, atque indidem oriundi fuere, unde venerant, neque peregrino homini, ut fere hi sunt, qui magisteria municipalia gerunt, res tanti momenti, & publica auctoritas demandari debuit: sed non equidem contenderim, restitutâ patriâ, & pace composita, gentem nobilem sub eodem nomine coaluisse, eamque tenuisse appellationem, velut auspicatiorem, quæ à victoria cœpisset. Trium Vicecomitum mentio celebris habetur, quorum in confesso sunt opera, neque fides generis ambigua, sed à Petro usque ad A Othonem Archiepiscopum, qui diversæ partis opes afflixit, & gentem patriciam ab exilio, & fuga in patriam revocavit, regnumque Matthæo fratris filio deinde tradidit, anni paulo minus centum interfuere: per quod tempus nullus claruisse de Vicecomitum familia memoratur, sive quia tot suorum cædibus afflicti, & Germanis Regibus infensi, publica gubernacula abnuerint, sive quòd perseverantem in animis multorum invidiam, humili sorte contenti, nihil magni appetendo, obliterare magis, quam refringere voluerunt. Laudanda hujusmodi consilia, ingentesque Deo agendæ gratiæ, qui regiam prolem servaverit, donec vindicandæ libertatis, sanan- B dæ patriæ, & asserendi regni opportunitas daretur; neque enim aliud domesticis malis, civili incendio, & peregrinæ injuriæ remedium afferri poterat, nisi unius arbitrio res administrarentur, qui concordiam procuraret, militiæ studiosus exercitus cogeret, sumptus bellorum impensis suppeditaret, prolatos fines ab impetu inimicorum, & à maleficio integros custodiret; prope enim ad discrimen summum ventum erat; nam funesta recentum factionum nomina, & perpetuum illud, ac familiare Italiæ venenum per hominum mentes disseminatum, non solum animis, & studiis à se ipsis dissentire, sed ferro decertare populos cogebant. Ita nulla pu- C blicæ salutis, & augendæ patriæ in universum cura erat; nam quamvis metu Friderici Primi icto fœdere civitates ad externam vim propulsandam conspirassent, constans tamen non fuit societas, nisi dum hostis propinquus illorum capitibus imminebat, quo summoto, aut pace data, dissoluta statim fœdera, dissociati populi fuere. coïbant interim duæ, tresve civitates, ut communi periculo occurrerent. quidam perseverante implacabili ira, quamvis proxima incendia ad se transire viderent, obviam hosti prodire nolebant: sic facilè cum singuli incurrenti hosti se opponerent, universi vincebantur. Necesse igitur fuit ad quietem rerum, sistendasque D ruinas, unum aliquando dominum constitui. sed alio in loco regnum commodiùs, aut magis ex auctoritate imperantis, & usu militari locari haud potuit: sive quia vetus sit gentis metropolis, cui pro vetere amore, ac imperio cæteri minime contumaces parere dedignarentur: sive ob ingentem populi multitudinem, opificumque turbam, unde facile sit numerosum exercitum conscribi, & instrui. Soli præterea ubertas ad sufficiendos commeatus, quotiens longiùs à patria in expeditionem proficisci oporteat: accedit urbis opulentia, quamvis ea in mediterranea sita, in qua tamen per industriam civium, & artium novarum officinas mer- E catura non mediocris exercetur, vectigalia porro, atque portoria dependuntur, & imperata tributa sine detrimento exigi possunt. Quod si vera fateri volumus, non alia debuit familia cæteris imperare, quam quæ regio progenita semine, avorum regna repeteret, mitis atque benigna, in qua humanitatis,

tis, & clementiæ plurimum fuerit, crudelitatis, & vindictæ minimum; quippe hactenus in hostem sæviens, ut aut injurias ulta, aut depositis armis omnes suos putaret, à cædibus & sanguine abhorrens; ut scilicet haberet quibus imperare posset; Regum vera proles, & cui fata juste imperium restituere. fremant licet cæteræ gentes, quæ posteaquam à peregrinis armis Romanæ opes oppressæ fuerunt, dominationem aliquam inter Italos obtinuere: nullam profecto inveneris gentem, cui plura nostri homines debeant. Hæc libertatis arx, & columen rerum fuit, regnum apud Barbaros supra quingentos annos relegatum, velut postliminio ad Longobardos reduxit, rem militarem jam pridem desitam in exercitationem & gloriam revocavit, patriam à dominatu multitudinis eripuit, & ex tumultuosa, atque turbulenta quietam reddidit, ac tranquillam: quos vero populos in potestatem suam redegit, eos aut ab externa tyrannide, aut ab improbis, & domesticis dominis liberavit, ne servilem vitam perpetuò exigerent. Sed nimirum potentissimæ urbis, & veteris, ac amplissimæ familiæ, concordia fata, & ita amica sydera fuere, ut neque altera sine alterius auspicio, atque opibus aut regnare, aut vigere potuerit; neque enim Vicecomes res avorum asserere, fines proferre, & cæteris id locorum formidolosus esse potuisset, nisi patriæ vires, & potentia affuisset; neque rursus urbs maxima, eademque opulentissima tam diu incolumis maneret, & Longobardorum domina appellaretur, nisi ductu, atque auspicio eorum hominum, quos Regia familia, principum mater, & fortissimorum virorum alumna genuit, ac educavit. Ergo, quando ita potenti justitiæ & Parcis placitum est, quicunque rem Longobardam salvam, & sui imperii esse voluerit, is Vicecomitem amplectatur, illi obedienter & prompte pareat, illum sedulo colat, & tueatur, nec minus Mediolanum amet, revereatur, & enixissime in eo servando laboret: sed jam ad institutum revertamur. Cum duæ factiones diversis jampridem opibus, & patrociniis nixæ de potentatu inter se contendunt, una populi causam agere simulabat, altera potentiæ optimatium studebat. in hac Soresinas princeps erat: adjungitur ei Otho Vicecomes. plebes, quæ suæ libertatis, & commodorum custodem Turrianum fecerat, dulcedine quadam vindictæ jugum in cervices accipit. in urbe certari cœptum. sed multitudini impar nobilitas, domo excessit, haud tamen à maleficiis quieta: nam agros urbi propinquos, per excursiones hostiliter direptis vicis, populatur. tunc certamini & hujusmodi injuriis assuetus populus, confestim arma capit, adversarios finibus summovet: qui Bergomum confugientes, non solum in urbem recepti fuere, sed fœdere arma cum oppidanis conjungunt, protinusque Aduam transmissi vicum Locarni expugnant, atque succendunt. Martinus haud cunctanter obviam profectus, retrocedentes profugos in Bergomenses persequitur, illorum agros ad mœnia usque populatur. Quo detrimento moti oppidani, cum ad hostem repellendum vires non superessent, conditionibus pacem redimere tentant, ejectis his, quorum causa bellum conflatum erat. hostilis ita exercitus Mediolanum abducitur. dimissi exules, quibus domi omnia inimica, extra quoque vix quicquam tutum erat, minime longiùs à patria oberrabant. eos clam pecunia & armis patriciæ gentis studiosi juvare non cessabant: itaque inimicorum agros per latrocinia deprædabantur. Tabiagi arcem occupant, opportunum ad excursiones locum, quo terrore cives maxime perculsi sunt. Martinus, subito delectu habito, in populatores invehitur: quibus in arcem compulsis, expugnare eam adortus est, munitionibusque circumdat. Sed penuriâ aquæ tolerari diutiùs obsidio non potuit; per vim Martinus arcem obtinet, in captivos gravissime de-

A sæviit. Catenati fere omnes Mediolanum perducti, mox in teterrimo carcere crudeliter excruciati concluduntur. Qua facti atrocitate, *quicquid patriciorum nominis erat longiùs à patria fugam, & inopiam perferre* decreverunt: frustrati scilicet præsidio, amissaque reditus omni spe, partim Parmam, & Regium, alii Mantuam exulatum abiere. Quingenti, & eo ampliùs suis propriis impensis equo meruerant, cæterorum ingens numerus, qui domo fugati cum virtute, & amicorum beneficio, propterea quòd haud parvo usui his futuri videbantur, à quibus recepti fuerant, ita calamitatem sustinebant, ut etiam adversarios de regno, & fortunis parum quietos facerent.

B Moritur interea Leo Archiepiscopus, plebi & Turriano nomini longe infensissimus, cui cum nihil fortunarum ab odio adversariorum & 1257 longinquo exilio reliqui foret, in vico, quem Legnanum appellant, parum religiose, & sine pompa funeratur. Statim de Præsule creando inter cives certatum est; neque enim ea dignitas, quæ plurimum in ea urbe pollebat, sine populari strepitu, & concertatione demandari poterat. Duo ad Pontificatum aspirabant, Ramundus Martini frater, & Franciscus Septariensis. Turrianus prærogativa suorum, multa præterea largiendo, pollicitando, atque interim minis, fratrem Archiepiscopum creari fecit.

C Septariensis contra suffragatione eorum, quibus suspecta Martini potentia erat, ceu moderationis egregiæ, & tanto ferendo oneri magis idoneus, summus in urbe Sacerdos designatur. In hac animorum dissensione, intestinaque discordia Urbanus Pontifex maximus, procurante & summa vi adnitente Octaviano Ubaldino Cardinale, qui tunc 1262 ulciscendæ contumeliæ tempus advenisse videbat, Othonem Vicecomitem Mediolanensis Ecclesiæ Antistitem facit. fortè cum è Galliis legatione obita Romam Octavianus repeteret, in ædem divi Ambrosii divertit: benigne à sacerdotibus templi acceptus fuit. is dum singula quæque diligentius per-

D scrutatur, in donaria & thesauros incidit. Abundabat ea tempestate fanum religiosissimum auro, argento, gemmis, & fabrefactis vasis, atque supellectile, qua in sacrorum cærimoniis, festisque diebus aræ Deûm magnifice exornari solent. Gemma tunc fulgoris eximii, & inde pretii ingentis adeo Legatus exarsit, ut eam protinus de altari auferre tentaverit. Templi vim æditui timent, atque statim Legati desiderium, & quid in animo concitaret, Martino renuntiant. qui haud cunctanter conscensis equis, & cum magno suorum comitatu in aream, quæ pro templo patet, accurrit. stupefactus repentino concursu, & tanta civium frequentia Octavia-

E nus, æde progreditur. hunc prior Martinus ab equo salutat, seque officii causâ advenisse inquit; ne scilicet quem ad iter paratum intellexerat, is non prosequente procerum multitudine, urbe cederet. Simulata verba quo tenderent Legatus cognovit, atque statim Martino deducente urbe cessit. post id factum nihil non cogitare, meditari, atque aggredi, ne tam insignem contumeliam Turrianus inultam ferret: neque prius quievit, quam æmulum infensissimum invenit, qui inimicam gentem à stirpe everteret. Tradunt quidam, neque à fide multum abhorret, *non ideo cum turba & armatis ad ædes sacras Turrianos concurrisse, ut thesaurum & gemmas serva-*

F *rent; sed magis, quòd in comitatu Ubaldini Otho Vicecomes esset, illi longe charissimus*; verebantur siquidem, ne ad res novas populum excitaret; tum quia & ingentis spiritus ferebatur, tum quod natales generosissimos præ se ferebat, quanquam humili sacerdotio Decii (hoc pago nomen est) fungeretur: quippe ea dignitate contentus non existimabatur, qui primoribus Sacerdotum se addixisset. Cæterum Martinus posteaquam inclinasse in partes adversariorum Pontificem cognovit; neque alio consilio eò dignitatis atque imperii Othonem promotum, nisi ut a-

liquando

A quando illius præsidio ejecta gens patricia domum reduceretur, interesse rerum existimavit animum & studia Pontificis metu armorum ab exulibus ad se a vertere. continuo Palavicinum ad se cum his copiis, quas conductitias habebat, vocat, eorumque agros invadit & populatur, qui per amicitiam Pontificis securi à vi fuerant, & gravissimis cladibus afflixit. Enimvero tunc detrimentis suorum irritatus Urbanus, Othonem magis fovere, illi omnia suppeditare, quæ ad obtinendum sacerdotium, & exules sustentandos idonea videbantur. ex Pontificio ritu illum consecrat, & his ornamentis donat, quæ adeundo sacerdotio legitima erant. Dimissus à Pontifice Otho, ut faciliùs dignitatem caperet, simulque eorum vires retunderet, si qui adversari conarentur, exules ex itinere congregat: deinceps in eam regionem contendit, ubi inimicorum opes minus possent. ad Verbanum lacum progressi, confestim nudam præsidio Aronam capiunt. Turrianus ubi occupatam arcem cognovit, quæ receptaculum ex fuga & præda, atque etiam causa gravioris excursionis foret, & subinde urbanos motus excitaret, tumultuarium militem contraxit, atque in hostem propere contendit. resistebat Otho, interim extra munitiones prælio dimicans: tandem circumsessus, cum alia via integer nisi pactione abire non posset, servatis suis arcem tradidit, quæ continuò subversa fuit. duorum deinde vicorum arces demolitæ fuerunt, ne aliquando ab adversariis occupatæ, proximum tractum infestassent, & ad nova consilia quosdam in urbe excitassent. sic defensis finibus, hosteque pulso Martinus postridie nonas Septembres gravi morbo corripitur: timens inde Philippus, ne languente fratre, quidam affectandi regni consilia caperent, priusquam is expiraret, sine ullo publico consilio dominium arripuit. paulò post Martinus extinctus est, anno post natum Christum millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, duodecimo Kal. Decembres, & in templo Clarevallis tumulatur. tunc opes suas Philippus magnis affinitatibus munit. filiam Gulielmo Pusterleo in matrimonium dat: ipse alteram
1263. duxit uxorem ex Biragorum familia. Novum deinde Comum per factionem Vitanorum, expulso Ruscone, obtinuit. nuptiis, & debellato adversario elatus, qui Comi potens cæptis acerrimè repugnabat, quasi satis domestica arma ad res defendendas valerent, Ubertum Palavicinum cum peregrino milite missum facit, ærarii inopiam ad toleranda militiæ impendia causatus. Exierat jam illud quinquennium, per quod tempus ex fœdere, & conventis illi sive socio, sive mercenario stipendia soluta fuerant. haud sane potuit incolumitati rerum quicquam, & securitati suorum pejus Turrianus consulere: Regnum adhuc non stabiliverat; perseverabant in urbe odia, occulta præterea novarum rerum consilia quidam inter se agitabant, multorum animi præcipue ad rebellionem erecti erant, posteaquam sui corporis designatum Episcopum videre. Igitur cum res adhuc in discrimine verterentur, fœdera, & amicitiæ renovandæ, novi conquirendi milites erant, effundendæ pecuniæ, quibus minime parcere debemus, quotiens nondum satis firma sunt imperia, & hostili timore exempti non sumus. Sed cum in omni re fortuna plurimum valeat, tunc profecto vires suas exercet ubi regna jactantur, & ita mentes obtenebrat, ut ingruentia mala nec ludere, nec cavere valeamus; nam qui novas copias conducere, & undique auxilia contrahere debuit, is ceu satis domi virium & armorum haberet, ac diversa pars debellata, extinctaque esset, eum à se hominem dimisit, quo socio atque amico vim & insidias inimicorum facilè sustinuisset. Peropportune igitur ad perturbandum Turrianæ gentis statum, exulesque restituendos ea societas dissoluta fuit. indignatus Ubertus nihil prius quæsivit, quam ut primo quoque tempore superbo, & avaro tyranno desiderium sui

faceret, in societatem & amicitiam Othonis & exulum transiit, quos nihilominus fovere & defendere Pontifex perseveravit: quamvis icto cum Uberto fœdere, eorum agri vastarentur, qui in ditione & potestate Ro. sacerdotii erant. Per hæc tempora Urbanus Pontifex crebris & magnis Manfredi tyranni injuriis lacessitus, ut à vi, & importuno sacrilego se liberaret (non desistebat is vicinas urbes ad rebellionem sollicitare, discordias civiles excitare, atque in Sicilia præcipuè templa, & Sacerdotes expoliare) ad peregrina auxilia confugit. Erant tunc in Italia externi, & indigenæ milites, voluntariam militiam sublata cruce professi, Africanæ expeditionis
B residuum: hi prompti pro defendenda majestate Rom. Sacerdotii discrimina omnia libenter subiissent; sed deerat dux, cujus auspiciis arma nefario homini inferrent. egit itaque Urbanus cum Ludovico Francorum Rege, ut Carolum consobrinum, 1265.
eundemque generum Narbonensis Galliæ Comitem, quam nunc Provinciam appellamus, in Italiam cum exercitu mitteret, qui conjunctis utriusque gentis copiis Tyrannum ferocius exultantem invaderet; quo debellato regnum Siciliæ pollicetur. hac conditione minime cunctatus Gallus Romam mari devehitur, atque protinus de communi Sacerdotum consensu Rex Siculorum declaratur. sequuta virum
C uxor ipsa quoque Regina salutatur. Descenderant interea in Longobardos magnæ Gallorum copiæ, quarum duces Guelpham factionem in primis conciliare studuerunt. ita fœdus & amicitiam cum Turriano faciunt, qui benigne commeatu & vestibus eos juvit; timebat enim minas & arma Palavicini. nec fuit societate contentus, quin ut aliquo justo titulo Carolus eos protegeret, Narbonensem hominem Emberram nomine illius jussu prætorem Mediolani accipiunt. quo facto mirum in modum externum Regem sibi devinxerunt: hinc vires & consilia adversariorum aliquantulum fracta. Ceterum Palavicinus novæ societatis anxius, ne diversæ fa-
D ctionis studiosi incolumes à detrimentis forent, Mediolanenses, qui per Padum negotiantes commeabant, succensus ira spoliat, atque prædam militibus partitur. obmurmurarunt cives, conqueri spoliati liberius cœpere; sed Philippus jacturam à suis acceptam neque ulcisci, nec res repetere voluit: sollicitabant ejus animum majores curæ; neque sibi satis quietis & otii tum propriis viribus, tum peregrina amicitia videbat. Arces in finibus Novocomensium, atque Novariensium stabant, sedes belli, & ad inferenda damna locus opportunus, si ab adversariis occupatæ forent: eas vir animorum urbis, & quid in bello locorum commoditas valeat non im-
E prudens, ante omnia tollere curavit. post hæc Bergomenses adortus eos in potestatem & ditionem redegit. in confini agro oppidula quædam expugnat, tum augendi imperii, & conciliandarum gentium studiosus, Novariam & Laudem Pompejam brevi recepit; quarum civitatum dominio auctus arma Palavicino inferre statuit. In Placentinos igitur, & Cremonenses prædatum copias mittit, defendendis finibus Palavicinus intentus populatoribus occurrit, satisque habuit qua hostis ingruebat illi obviam ire. Philippus interim ad defectionem Brixianos sollicitat, qui statim ejecto Palavicini præsidio ad illum transeunt. Erant in Philippo indoles animi, & quæ-
F ritandi regni artes: accedebant factionis pertinacissima studia, ut si diutius vixisset, bello, & consilio, metu præterea, & beneficiis finitimorum plerosque aut amicos, aut subditos habuisset. repentina morte magno suæ gentis damno præventus fuit ad annos MCCLXIII. & in eodem templo, ubi Mar- 1263. alii
tinus conditur. Post hunc Napus Mediolanum & 1265.
cæteras urbes, quæ sub patrui ditione fuerant nemine repugnante statim obtinuit. Hic, ut populares ad parendum promptiores redderet, & vicinos metu armorum à vi comprimeret, ne item otio

miles languesceret, trans Olium flumen copias induxit; Palatiolum oppidum expugnat, diripitque: ita exterriti vicini partim Turrianorum imperium accepere, partim in amicitiam veniunt. Dum hæc geruntur, Carolus ubi de Longobardis Romam milites pervenisse cognovit, adjunctasque esse auxiliares factionis Guelphæ copias, in Samnites transiit. imposuerat præsidia his locis Manfredus, quæ opportuna arcendo hosti noverat, montanas fauces munitionibus, ac præsidiis, & præcipue Casinatem saltum firmaverat. Carolus præsidia dejicit, atque angustias occupat. deduxit in patentes campos exer-
1266. citum Manfredus: ad Beneventum castra castris conjunguntur; nulla dimicandi mora facta est. confligunt acies, præliumque inter utrosque atrox committitur. Carolus postquam suos cedere vidit, in adversam aciem invehitur, fugam suorum sistit; sed dum incautius urgenti hosti resistit, in terram prosternitur: occisum quidam clamitant, atque perturbatis ordinibus, terga dant Galli: fugientes Manfredus insequitur, atque extra ordines depugnat. Carolus, qui pro mortuo habebatur, inter suorum fugam repente, & præter spem comparuit, atque Manfredum dispallatos consectantem occidit. ita desperata non solum victoria, sed etiam vita, superior Gallus evasit. cecidere in ea pugna utrinque viri non ignobiles. Post tam præclaram victoriam Guelphum omne nomen Carolo adhæsit, cujus præsidio in Hetruria adversæ factionis duces in exilium pulsi fuere, restitutique sunt exules: & subinde novi magistratus fovendæ factionis gratia creantur. Perturbata erant in Hetruscis omnia propter contraria studia, & animorum differentiam. bellum intestinum per Italos exarserat: cædis & vindictæ cupidine flagrabant cives. Legitime nullus post cædem Conradi imperabat: curam, & administrationem rerum in Italia duntaxat Clemens Pontifex capessiverat, & Carolum, quem cædes Tyrannorum clarum, & metuendum fecerat, Appulisque in potestatem redactis, Siculi imposito stipendio regem acceperant, ad procurationem rerum in Hetruriam misit. trepidi vicis suæ Gibellini per nuncios Conradinum ado-
1267. lescentem, qui in Germania summam rerum hæreditario jure sibi debitam affectans, exercitum instructum paratumque habebat, in Italiam accersunt. maturavit adolescens; sed sive tædio viarum, sive amœnitate urbis captus Veronæ menses tres desedit: nihilo tamen secius à bello cessatum fuit; nam Fridericus Hispanus illius nomine, & auspicio Siculorum potitus erat. tunc per Longobardos Conradinus iter faciens Papiam venit: ad eum Gibellini concurrunt, quorum ope & auxilio ad Ligusticum mare superato Apennino, transiit. affuere Pisani, quorum navibus in Hetruriam defertur: resistunt adversæ factionis duces, quos parvo negotio fudit. Lucensium dehinc fines devastat. occurrit ei regii exercitus ductor, quem Marescalcum appellant: hunc prælio superatum interficit. ita subactis Hetruscis ab Henrico vocatus Viterbium venit, inde Romam petens à populo & Senatore, qui obviam prodierant, Imperator consalutatus, deinde in Capitolium deducitur. Guidonem Feretranum cum auxiliari milite dimisit: ipse reliquam exercitus partem in Marsos secum duxit; quo in loco expeditas Carolus copias habebat: atque haud longe ab Alba Marsorum castra castris junguntur. manus ex-
1268. templo conserunt. Carolus admonitus Germanos facile circumveniri posse, Marescalcum in habitu regio cum parte copiarum in hostes præmisit; ipse collem sago militari indutus cum fortissimis & expeditis militibus substitit. Depugnavere Galli cum Germanis atrocissimè horas ferme tres: plurimi utrinque cæsi: Marescalcus occiditur. inde in fugam vertuntur Galli. tunc Germanus fusum hostem ratus palantes desequitur, occisos spoliat, cædibus & spoliis intentus sine metu vagatur. Carolus incompo-

A sitos conspicatus de colle digreditur: dispersos, atque divisos aggressus est. in unum coire, conglobari, aut ad signa reverti non poterant. ita dispalati passim interficiuntur. superato tanto exercitu, & ducibus non ita multo post captis, atque occisis, regnum Appuliæ Carolus recipit. Hetrusci post duplicis pugnæ felicem eventum statim imperata faciunt. Ceterum Emberra, quem supra Mediolani præfectum diximus, victoriis Caroli elatus, & ferox, exules contumeliis & cædibus divexat, qui longinquo attenuati atque fracti exilio, tamen quoquomodo insolentem & acerbum barbarum ulcisci statuunt. Paganinum Emberra forte Novariæ præ-
B fecerat: hunc in via, qua Vercellas itur, crebris vulneribus exulum manus confodit: relictum cadaver, & suo cruore conspersum quidam Turrianorum ad sancti Dionysii deferunt, ibique sepeliunt. tum barbarus prætoris cæde exasperatus, primores urbis de vindicta deliberaturus convocat; sed iræ, & dolori dum nimis indulget, atque temerarius, & furibundus inexpectata facti veritate, ceteros in ultionem provocat, animum ad rem atrocissimam adjecit: cognatos & propinquos eorum, qui Paganini cædem fecisse dicebantur, eos sine discrimine comprehensos occidi jussit; cruentata corpora, & repetitis vulneribus dilacerata plaustris imposita, per me-
C diam urbem ad sepulchra efferuntur. quattuor & quinquaginta fœdissimè trucidati jacebant adolescentuli juvenes, & seniores in acervo positi. Atrox facinus, & miserandum spectaculum! Qua supplicii fœditate non solum barbaro; sed consiliorum sociis invidia magna conciliatur. In urbe fere nemo unus fuit, qui caput, & fortunas sævissimi hominis detestatus, execratusque non sit. ipse quoque Napus, qui cæde adversariorum letari alioquin debuerat, adversus domesticos: *utinam sim falsus vates*, inquit: *Sanguis iste in filiorum & nepotum nostrorum capita recasurus est.* Mox levandæ invidiæ gratia, simul etiam ut luctum eorum mitigaret, quorum propinqui
D interempti fuerant, funestum prætorem magistratu dejicit, atque etiam ex urbe expulit. jurisdictionem annuam, & quæ interim semestris fuerat, trimestrem esse voluit; sive quia nimiam potestatem jurisdicundo, & perinde multis odiosam per annum existimaret; sive quo plures summi magistratus participaret, eo plus gratiæ apud exteros sibi conciliaret. sic eo anno quattuor prætores divisis temporibus jura in civitate reddiderunt. Verum ne expulso Emberra, Carolus fœdera rupta, & alienatam gentem à se existimaret, Franciscus Turrianus in Appuliam cum honestissimo comitatu mittitur, regi victorias, & partum nuper regnum gratulaturus: præterea ut
E fœdera, quæ cum patruo, & patruelibus facta fuerant, renovaret. Hunc Carolus comiter excepit, & apud se aliquot dies magnificè habuit: tum imaginaria militia, & magnis muneribus à se abeuntem donavit, qui regiæ dehinc liberalitatis, & lautitiæ æmulus, domi, & inter suos magnificentius, quam res, aut mos patrius pati videretur, vixit. Quidam scribunt, *Napo dominante censa fuisse Mediolani civium capita circiter triginta millia; eorum videlicet, qui arma ferre possent.* Manebant in urbe odia, & quamvis dissensiones animorum armis Napi compressæ viderentur; tamen in agris furta, rapinæ, & homi-
F cidia crebra fiebant: ad quæ exturbanda mala peristereonas, in quibus varii generis columbi nidificant, statim subrui jussit. Stabant hæc frequentia, nec intuta furum, & grassatorum receptacula, in quibus alii pernoctabant; tum, ubi commodum videbatur, in cædes & latrocinia prodibant: alii congesta furta, & spolia asservabant, loca armati defendentes, si quispiam ad sua vindicanda accessisset. ita Napus publicam utilitatem paucorum redditibus prævertit. Ceterum Clemens Pontifex designatum ab Urbano Archiepiscopum impensius fovebat, neque precibus & magnis pollicitationibus à proposito dimo-

dimoveri aut deflecti poterat: quin etiam antecessoris exemplum sequutus Mediolanensem populum publice detestatur, sacrisque interdicit, præscripta die, ante quam Othone recepto, in gratiam sine fraude, aut piaculo redire liceret. Habebat pro indignissimo, præsulem, quem princeps Sacerdotum dedisset, eum in sedem non admitti, & patria expulsum alienæ opis indigentem precariam, & ærumnosam vitam agere. Non sine immortalis Dei consilio Pontifices duo eodem tenore, & animo constanti Othonem juvere: nihil potentia, & armis Caroli deterriti, quem ea tempestate florentem, ac bello felicissimum, præterea adversariorum protectorem noverant. Ecclesiam Mediolanensem prærogativa suæ factionis repugnante Pontifice Raymundus invaserat; nam Septariensis civiles discordias perosus, & quòd impar æmulo foret, sponte sacerdotio cessit: quo facto quosdam ad Pontificis sententiam, & Othonis factionem avertit; ita qui contra tendere soliti erant, hi mutato studio, tumultus in urbe movere, gravius fremere: alii per fora, & conciliabula identidem injuriam, atque contemptum conqueri immortalis Dei, cujus iram placare, nisi sacra urbi restituerentur, nemo posset; imo graves expectandas pænas ab iis, qui ejus Sacerdotis, quem in terra Christus alterum Deum esse voluisset, auctoritatem, & honorem violarent; & ita jussa Dei aspernarentur, quasi ejus ope mortales non indigerent. his vocibus, ac talibus querimoniis permotus Napus legatos Romam mittit, qui populum religione solverent, & interdictis liberarent, causamque sacerdotii disceptante Patrum sacrario agerent: eos nec mœnibus recipi, nec audire Clemens voluit. rejecti ad Carolum contendunt, ut eo deprecante admittantur: Rex benigno vultu excepit, quorum postulata postquam intellexit pro salute, & dignitate fidelium sociorum defendendas opes regni pollicitus, legatos insuper suos cum Turrianis Romam mittit: utrosque Pontifex Regis respectu admisit, accersitoque Othone in consistorium introducuntur. tunc regii priores in hunc modum disseruere. Si pro sociis atque amicis, quorum nunc opes, & fortunæ in apertum discrimen veniunt majestatem tuam Pontificum Maxime deprecaturi venimus, non equidem mirari te existimamus: imo vero magis proditos, atque desertos eos putares, quibus cum fœdus & amicitia jam pridem juncta fuit. neque Rex noster dignos patrocinio, & favore eos duceret, si contumaces tibi reluctarentur: utpote qui nec venerationem apostolicam, nec immortalem Deum esse in animo haberent: aut in eo perseverarent, quod pontificiam majestatem imminuere, & violare videretur; sed cum titulum sacerdotii ita quidam appetant, ut sopita odia accendant, & jam languescentes simultates per seditiones, atque discordias domesticas excitent, atque nutriant, non edictis tuis odio, aut superbia reclamant; verum otii, & securitatis civium studiosi, cum de summa rerum periclitentur, illud duntaxat expondituri veniunt; salubriusne, & ex commodo publici status sit Raymundum, an Othonem ecclesiæ inter Longobardos clarissimæ Antistitem imponi. neque tanta est in eorum animis vecordia, ut tibi legem præscribere velint, aut in eo contendant, non des eis quem præsulem placuerit. non ita longe à reverentia, & cultu nostrorum sacrorum absunt, ut ignorent, tantum potestatem tuam in terris pollere, & humana divinaque omnia jura in majestate tua ita reposita, ut à censura, sententiaque tua, qualiscunque ea fuerit, nulla deinceps sit appellatio; sed dicet aliquis, cur non continuo imperata fecistis? Præsulem in urbem admisistis? Illius dicto de more ecclesiastico obedientes non fuistis? Facta hæc omnia nempe forent, nisi ab diuturno odio, & domestica discordia perpetuæ in urbe seditiones orirentur, & per civiles motus cædem, ac sanguinem, & interim per exilia

A civium frequenter pars altera dominaretur. dicant quæso, certaminis, & sanguinis, an potius concordiæ, & pacis gratia? sacerdotii magisteria inter gentes constituta sint; & qui præfecturas gerunt, sive ad religionem, cærimoniasque sacrorum, sive ad jura reddenda, & ad rem populi tractandam spectent, nunquid in primis pestes in animis hominum insitas, & interim latius serpentes ita excidere, & penitus tollere debent, ne aliquid resideat, ex quo furori domestico incrementa fiant. Exitiale igitur bellum, & cladem patriæ avertentes imperiis tuis beatissimè Sacerdos repugnare visi sunt, verbis, atque studio hactenus reluctati, ne vim, & arma tibi, B aut tuis inferrent. Non itaque aut superbiæ, aut odio imputandum est, quod contra sententiam tuam tendere videntur: potius tranquillitatis, & publicæ salutis ratio subest: an alienatos abs te, & amplitudine apostolica Turrianorum animos, aut non potius in auctoritate Pontificis, & à te stare dixeris? Caroli copias, quem è Galliis magnis propositis conditionibus excivisti, ut aliquando improbi hominis, & nefarii tyranni malefacta ulciscerentur, ab alpibus descendentes in finibus suis læti excepere, affatim omnia ad iter tutum, & expeditum præbuere, frumento, commeatu, & hospitio benigne prosequuti: tum percusso fœdere arma consociave- C runt, qui si in ipso Italiæ limine nobis sese opposuissent, aut cum hostibus consilia agitassent; profecto enim difficilimus transitus foret; & haud à damno, & clade integris per infestas terras commeare licuisset. jam erectæ gentes ad bellum erant, & externum exercitum velut hostilem ferro lacessere parabant. Omnes tunc sine certamine quievere, & velut pacati, atque amici nihil nobis denegantes Romam usque transmiserunt. hinc nimirum celeris illa, & insperata victoria: his sociis, atque amicis acceptum referri oportet quicquid juris, & imperii post cæsum & debellatum Tyrannum Pontificis potentiæ accessit. Appuli, & Siculi in ditionem, & D imperium redacti non forent, nisi ab Ecclesia Romana Turrianus stetisset, & pro sacerdotibus arma accepisset, rapinæ & sacrilegia à templis & Deorum aris summotæ non forent. Audias igitur clementissime Pater eorum oratores, qui tui juris esse volunt, ut non nihil Regi invictissimo concessisse te ostendas: simul etiam ne qui optimus & sanctissimus Sacerdos haberis, idem indicta causa, adversus reos pronunciasse dicaris. Cum regius finem dicendi fecisset, & mitigatus Pontifex aliquantulum esset, Turrianus ita exorsus est:

„NISI tibi Romane Pontifex parere decretum „esset, majestatemque apostolicam summopere co- E „leremus; cujus numeri tanti facimus, ut eo viola„to nihil prospere mortalibus cessurum ducamus; „à te profecto spreti, atque repulsi, aut domum, „aut nova consilia, aut ad amicitias, & fœdera con„cilianda, denique ad inimicos tuos accessissemus, „ut externa ope subnixi arma, & bellum ostendere„mus; sed in eo perseverantes, quid saluberrimum „erat; quippe venerationem amplissimæ Sedis au„cturi, deprecatorem Regem paravimus, in quo „spes omnes nostræ sitæ sunt: & qui de sacerdoti„bus maxime omnium sit promeritus; eo scilicet „sublato tyranno, cujus contumelias & sceleratam „avaritiam perferre nemo poterat, deinceps regno F „potitus, regioque nomine honoratus, ita dicto „tuo audiens regnat, ut ad arcendas injurias, de„fendendaque sacerdotum jura armatus & promptus „existat. Hunc adivimus, rogavimus, hortatique su„mus, non ut arma pro societate & amicitia capiat, „aut partes nostras ita suscipiat, ut veterem tuam „amicitiam violet; sed ut eo intercessore nos æquo „animo audire velis, nostramque causam ita demum „accipias, si justa, & patriæ tranquilitatem allatura „videbitur; neque enim aliter à vobis, qui in hoc „apostolico sacrario considetis, petendum est, nisi

„ut ex æquo, & bono controversia decidatur, & execrationes maneant, si ambitione, & factionibus Sacerdotium Raymundo, potius quam consensu, & ex utilitate communi deferri studemus: neque ab re hoc in loco erit Sanctissime Patrum factum ipsum, de quo ambigitur, atque viribus non nunquam certatum est, breviter exponere. Mortuo Leone, qui per omne Sacerdotii tempus nihil prius duxit, quam in civitate ira odioque ardente, certamina perniciosa serere, & patricios in contumeliam plebis obarmare, ut velut mancipia fœdæ & perpetuæ servituti addicta libidini & licentiæ patriciorum resistere non auderent; plebs ipsa quæ in tutelam Turriani se tradiderat, confirmans prærogativam eorum, qui pro vetere jure & consuetudine præsulem rei divinæ facere solebant, Raymundum Archiepiscopum designat, quem fratres, & propinqui non tam jure sanguinis amplexi tutatique sunt, quam quod cernebant, eo pastore perpetuam inter cives concordiam fore; atque ita ex æquo utrumque ordinem degere: sed ut magno in populo, & contentione civili diutius exercito, usu plerumque evenit, Franciscus Septariensis paucorum suffragiis Sacerdotio præficitur. Inter hæc Urbanus Pontifex antecessor tuus neutri parti subscribens medium quendam de numero eorum delegit, qui domi continuos motus, certamina, & cædes fecerant. tum urbe pulsi latrociniis, atque rapinis in excidium patriæ conspirantes omnia perturbarunt. Contradiximus, fateor, edicto Pontificis: designatum Antistitem longe summovimus; ne scilicet excidium patriæ sub nomine, & potestate Sacerdotii moliretur. An ignoras Pontifex, quantum cladis gens superba, & ferox semper civibus suis intulerit? Quid dedecoris, atque calamitatis etiam Romanæ Majestati importaverit? Satis testata est eorum impietas, & violenta arma. cum Acciolino sævissimo tyranno per causam recuperandæ patriæ fœdus, & amicitiam fecere. hoc in pugna occiso, Palavicinum sectati in amicos tuos quid non injuriarum & maleficii ediderunt? Ita demum in fœdere, & amicitia perseverantes, si utrique infesti rebus fuissent; cum enim Philippus stipendia subduxit, & hominem bello pernecessarium à se dimisit; nempe quia videbat illo socio, atque amico nullam cum Sacerdotibus perpetuam gratiam fore, in quorum perniciem impius, & durus homo ex innato odio adhuc spirat, nunquam mitior sane factus. Sed novus iste Antistes non sacerdotium, sed regnum invadere parat: exulum ac latronum manum collegit, Aronam oppidum oppugnare adortus est. inde turpiter non sine cæde, & sanguine multorum pulsus, ubi conatus vanos animadvertit, per auctoritatem hujus sacratissimi ordinis, & per execrationes, jus, ut ait, sacerdotii vindicare sibi, ceu successor Ambrosii contendit. Dicat, quæso, vir arrogans, & factiosus, sitne ejus, qui rei divinæ administrationem deposcat, multitudinem latronum obarmare? Hostilem in modum fines patrios populari? Arma in cives convertere? Nescit profecto, nescit assuetus imperiis, atque rapinis homo, etiam ubi de jure disceptatur, nisi violenter, & injecta manu, quod suum putat aut reposcere, aut vindicare. à majoribus certe, & minoribus earum gentium, quarum factionem fovere eum videmus, minime degenerat. hi spreto æquabili jure, vi, & armis, potiusquàm legibus, & judiciis decertarunt. Sed hæc, ut præsentia tempora postulant, homini insolentissimo, & magnis natalibus elato condonemus: illud ante omnia miramur, quod sacrarum rerum moderationem, & gubernacula is assumere velit, qui alioquin ab re divina abstinere, & velut ignarus è medio cedere, procul à jure, & consuetudine virorum vivere deberet: nisi forte illi animos uterque parens à recta fide abhorrentes; imo in totum diversa sentientes faciunt. Notum profecto est quid opis, & favoris iis palam, & occultè contulerint, qui veram religionem disputationibus, & vario certamine oppugnare conati sunt. Quid ergo sororis nuptias commemorem, quæ homini hæretico, & Ecclesiæ rebelli in matrimonium data est: quasi parum fida inter dispares, & varios amicitia, & minime constans affinitas foret, nisi idem de Deo sentirent, & eodem cultu tenerentur; tantum enim abest ut nostra sacra, nostrasque cærimonias Antistes Otho capessere debeat, ut nullus magis hoc ministerio arcendus, atque in ultimas terras velut abominatus, & detestabilis deportandus sit. Quæso abstineat templis, & in occulto resipiscens quid publica sacra, nostrique sacerdotes velint edicat; quando salvis cærimoniis, & incolumi Ecclesia, hujusmodi præfecturam ab homine impuro, & perversa sentiente geri nefas sit. An illud palam non est, Mediolanensem ecclesiam, si pravum Antistitem semel ea nacta fuerit, non tantum Italiam, sed universam prope Europam in falsas opiniones, & perniciosam labem deducere. Vetera commemorare libet, quando recentiora omnibus fere nota sunt. Ambrosius sua tempestate doctrina, moribus, & sanctitate vitæ populos ad veræ religionis dogmata instituit. idem perniciosas hæreticorum sententias confutare, & pro salute commissi gregis fortiter decertare, discrimina, & pugnas omnes intrepidus subire; tantum tamen ingenio, & studiis impiorum confisum legimus Auxentium, ut adversus rectæ fidei magistrum pestiferam doctrinam per Italiæ civitates disseminaverit, atque identidem bello, & armis veræ fidei cultores fatigaverit: multi nefario scelere, & profani hominis doctrina contabuere. Ingravescens morbus adeo ægras mentes invaserat, ut vix acerbo remedio adhibito, revocari ad sanitatem potuerint. Interest non tam publicorum sacrorum, quàm Romanæ religionis qualem Præsulem nostra sortiatur Ecclesia; quo enim se Pastor noster inclinaverit, illic Sacerdotum imperia, reverentia, & opes ceteris minime reluctantibus, stetere. Romano Sacerdoti reliquæ Occidentis Ecclesiæ haud gravatim, ubi Mediolanensis succubuit, paruere. Galliæ, & Hispaniæ non contradixerunt: fera, & immanis Germania libens obtemperavit: in altero orbe feroces Britanni annumerantur; hi tamen jugum accepere, & ceu vectigales facti, perpetua tributa pendunt: denique secundùm Romana jura nostri Præsulis edicta valuere. Te igitur, sanctissime patrum, publico nomine, & ex religionis, & nostrorum sacrorum utilitate rogamus, & obsecramus, ut omnium circumspectissimus maturato studio, quæ ad publicos usus, & Christi Salvatoris pietatem faciunt, atque in commune conducunt, ea omnia solertissime circumspicias, eumque Præsulem nobis des, qui miti sit ingenio, procul à morbis animi, sincera, & recta sit mente, procul ab imperandi cupiditate, & ulciscendi libidine, publicam utilitatem amplectatur: urbanæ quietis, & concordiæ studiosus pro omnium otio, atque salute, die noctuque invigilet, minimum iræ, & odio indulgens; neque studio partium teneatur, veræ & sinceræ fidei cultor, ne forte ubi salus rerum, & animarum nutat, & fides pollui, & contaminari videtur, illic prudentia, & solertia ejus defuisse videatur, cujus numine in terris omnia geruntur.

Sub hæc dicta obmurmuravere Patres, visique sunt Turriani oratores acerbius in Othonem invehi, & superbius, quàm detestabiles deceret causam agere: adversus quos jussus Otho dicere mansuetè, & magnificè respondit:

„Nec novum, nec inopinatum mihi est summe Sacerdotum: vosque ceteri Patres religionis principes, rerumque nostrarum arbitri, ab seditiosis

"hominibus, improbisque tyrannis talia nunc obji- A
"ci, qui posteaquam in Civitatem recepti fuere, ve-
"teres, & illustres Familias implacabili odio, tum
"patria pulsos, atque fugatos cives bello, & armis
"insectari numquam destiterunt. sed optarem ut hu-
"jus sacrosancti Consistorii rationem aliquam habu-
"issent, cujus amplitudinem sua ista petulantia pro-
"fecto non parum læsisse existimari possunt. Quare il-
"lud me in primis sollicitum facit: ne si causam di-
"cere, & objecta paulo liberius diluere voluero,
"perinde ac sacratissimi loci, & Apostolicæ maje-
"statis nescius videar: & quamquam graves contu-
"meliæ, & acerbissima facta me admodum torque-
"ant; illa tamen injuriarum differentia me gravis- B
"simè angit, & cruciat, quod parentum manes, af-
"finesque meos à flagitiosis, & impuris hominibus
"per supremam ignominiam exagitari sentio. atque
"utinam jurgiis tantum, & contentione hujusmodi
"ad augustissimum hoc tribunal certaretur! injuriis,
"& ferro intra fines, atque etiam extorrem me per-
"sequuntur: nomen omne patricium pariter, & ex
"professo perosi exitiabili odio, & continuis malefi-
"ciis prætextum hunc apponunt, quod gens patri-
"cia, quasi regnum in patria teneat, plebem longo,
"& continenti servitio oppressam habeat, ceu non
"satis constet, si quid potestatis in tenuiores nobili-
"tas habeat, id aut vetere, & gentilitio jure com- C
"paratum, aut Cæsarum indulgentia, & benignita-
"te datum esse; qui, ut promeritis gratiam refer-
"rent, aut suis beneficiis externa, peregrinaque au-
"xilia quærerent, indiscretum populum manere no-
"luerunt, sed velut discrimine quodam inter amicos,
"& inimicos facto, cives gradu, honoribus, & sua
"amicitia distinxere. sic civitates opulentiores, at-
"que illustriores fuere; sic veteres conservatæ fami-
"liæ; sic novitii cives in patriciatum assumpti di-
"gnatione regum in ordinem honestum pervenere:
"ita qui dignitate, & opibus eminebant, iis humi-
"lior turba addicta, stipendia etiam persolvit. Nul-
"la profecto foret Cæsarum beneficentia, aut cur D
"tantopere pro regibus, atque principibus, aut in
"potentioris gratiam dimicaretur, si divitias, com-
"moda, & honores non speraremus, aut fortiter,
"& rectè facta irremunerata starent. Quare non satis
"intelligere possum, quæ tanta rabies mentes isto-
"rum in perniciem nobiliorum, & opulentiorum
"invaserit: quos lacerant, domo ejiciunt, bonis spo-
"liant, & porro fugatos quiescere non permittunt.
"Superbia profecto intolerabilis, & inaudita arrogan-
"tia, pati non posse primores civium in urbe splen-
"descere, & immunitates, privilegia, atque opes
"penes eas gentes non stare, quibus ea potentissimi
"principes aut concessere, aut elargiti sunt. nisi for-
"te dicant, pares opes, paremque potentiam liber- E
"tatem appellari debere: quod tantum à libertate,
"& populari civitatum statu abest, ut nisi Senato-
"res, Decuriones, & quicumque publica munera
"curant ex genere, censu, & ætate eos delegeris,
"multitudo incondita dominetur necesse sit; cujus
"turbido, ac temerario dominatu non solum res pu-
"blica, sed privatorum negotia labefactari, & everti
"semper soleant. Pernicies profecto, & clades urbi-
"bus parata est, quotiens ex æquo, & pari jure cives
"degunt, & meliori, atque potentiori parere recu-
"saveris. Sed cur nunc hæc commemoro? Ceu in
"ambiguo sit, civitatem sine Senatu bene admini- F
"strari, & Senatum nisi ex primoribus urbis consti-
"tui posse. Quod tamen cum ita sit, res, & vitam
"nobiliorum isti funditus sacrilego, & nefario cona-
"tu perditum ire student. Patieris obsecro æquo a-
"nimo, clementissime Pater, si verbosius calamita-
"tem nostram conquerar; & quanta adversariorum ira
"atque crudelitas sit exposuero. Hi non imperare ce-
"teris, aut suo nutu cuncta in urbe regi postulant:
"sanguinem miserorum sitiunt, & exhauriunt. om-
"nia permiscent, perturbant, & rapiunt. nemo à
"vi, & injuria liber, nemo à damno, & contume-
"lia intactus, nemo patientia, pretio, amissisque
"bonis à vexatione tutus erat. spes una reliqua in Sa-
"cerdotii reverentia, & Præsulis præsidio stabat; sed
"homines cæci, crudelitate immanes, furore vecor-
"des facto tumultu, sacrorum Præsulem armis domo,
"& urbe ejiciunt. Vide, quæso, quo superbiæ, &
"temeritatis novi homines, & haud ita pridem in ci-
"vitatem asciti evasere: vel magis attende, maxi-
"me, atque optime, partium dolos, perfidiam;
"tum qua fraude regnum usurpaverint. manebant in
"urbe multos jam annos constituta inter cives colle-
"gia, ut invicem inopiam sublevarent, mutuaque
"ope à potentiorum violentia tuti viverent. hæc om-
"nia sub specie tollendæ conspirationis Martinus su-
"stulit. Restabat populi Credentia; sic enim infimo-
"rum civium, & sellulariæ turbæ conciliabulum ap-
"pellant, quod olim plebes tutandæ potissimum li-
"bertatis gratia adversus licentiam improborum com-
"paraverat: cujus ordinis potestas, & auctoritas tan-
"ta fuit, ut id demum sive bello, sive pace ratum
"foret, quod Credentia jussisset. Audite, rogo, qui-
"bus artibus Martinus ex Præfecto Credentiæ omnia
"ditioni suæ subjecerit. Primum voluntati eorum
"numquam adversari, qui gentem patriciam quo-
"cumque modo lacesserent: pro illorum sententia,
"atque votis judicia reddere. quo studio, atque ob-
"sequio illecta multitudo illi perpetuam potestatem,
"velut publici consilii auctori, urbisque domino de-
"ferunt. tunc magis, atque magis in optimates sæ-
"vitum. Suspecta interim Turriana audacia, atque
"potentia plebi erat. qua curâ, quove metu ut ci-
"vitatem in præsens exoneraret, continuo cives in
"concionem advocat, jurejurando affirmat, *se ni-*
"*hil de suo consilio, suaque sententia facturum: sed omnia*
"*ad primores populi relaturum.* Tunc nihil de viribus
"Martini plebes extimescere, & secura privatæ dun-
"taxat rei, & commodo proprio intenta esse. Non
"defuit sibi impotentissimus Tyrannus, causatusque
"Acciolini vires, & odium, qui in Venetia, & Ce-
"nomanis dominabatur, fœdus, & arma cum Pala-
"vicino, quem nobis nunc objiciunt, iniit, con-
"junctoque protinus exercitu, intoleranda damna a-
"micis tuis, Beatissime Pater, inferunt. mox occi-
"so Tyranno, & nova societate, atque victoria sub-
"nixus plebi illudens nomen, & imperium Creden-
"tiæ abrogat; solus rempub. tenet, & gubernat:
"dominus deinde salutari, & appellari voluit. inter-
"ea oppressa nobilitas, quæ etiam servire pro tem-
"pore recusabat, cum rapinis, ferro, & cædibus
"modus non esset, minus calamitosum duxit exula-
"re, & longè à finibus patriæ vitam agere, quàm
"domi per libidinem, & intemperantiam adversari-
"orum atrocissimè dilacerari. Perseverabat nihilomi-
"nus animus, & cupido gentis extinguendæ, quos
"insidiis, & armis insectari non desistebant. Obsti-
"nata profecto feritas, & infesta ira! quam conti-
"nuatæ rapinæ, civium cædes, exilia, & denique
"servitus patriæ imposita exaturare non potest. Sed
"numquid Sacerdotii dignitas inviolata ab istorum
"nefario ausu mansit? Minime. Leonem, quem sua
"fraternitas singulari cultu, & egregia reverentia et-
"iamnum prosequitur; quia intrepidus constanti pa-
"trocinio Pontificatus jura defendenda susceperat,
"miserorum causam sublevabat, atque interim à pa-
"triciis detrimenta, & contumelias propulsabat, sa-
"cerdotio privant: egenum deinde, atque mendi-
"cum in summa inopia mori coëgere. post cujus o-
"bitum dignatione hujus sacratissimi consistorii Præ-
"sul, & sacrorum Antistes designatus fui. Pontifi-
"cia tunc jussa per contumaciam, & parendi dedi-
"gnationem aspernantes, non solum urbe me non re-
"cipiunt; sed vix fines ingressum hostili modo per
"vim arcere tentaverunt. Non equidem; cum nul-
"la reverentia, nullusque metus, aut auctoritas Pon-
"tificis me defenderet, amicorum manu succinctus
"Aro-

"Aronam cepi, non sane ut detrimenta patriæ inferrem, sed ut quocumque modo in diœcesi mea constitutus non jura in totum præsulis amisisse, aut possessione omnino summotus existimarer. Subito audaces, & impii homines tumultuarium militem contrahunt, oppidum obsident, Pastorem operibus, & machinis oppugnant. Frustra sæpius auxilium, & fidem tuam, sacratissime Pater, invocavi. nihil majestas tua, nihil jura Pontifici alia juvare potuerunt. tandem fame ad deditionem compulsus vita mihi, & meis concessa, arcem tradidi. Tam insignem contumeliam, & apostolicæ auctoritatis contemptum ne impunitum nefarii homines ferrent, diras decessor tuus in eos injicit, sacris cives omnes interdicit; ut scilicet sacramentis mulctati ad venerationem, & obsequium reducerentur. sed nihil is profecit. an hi metu futuræ pœnæ, & sacris interdictis obedientes essent, in quibus nulla religio, nullus Dei metus, nihil sancti manet? & qui nec rectè factis præmia, nec sceleri supplicia, quasi nullus post mortem ultor criminis existat, sperent? Sed cur nunc, dicet aliquis, venerabundi, & supplices pacem exposcunt? Ad genua procumbunt? Liberæ populi voces, acres eorum quærimoniæ, qui diutius sacris carere non possunt, gravis occupati regni invidia, & perpetuæ rebellionis infamia illos hæc facere cogunt. Non imperata facturi huc venere; sed magis ut ex hac disceptatione odium levent, & qui pertinacissime recusant, parere simulent. Vesani profecto homines: quasi non intelligamus, quid sibi simulata oratio velit. Quid non pugnantia postulare, & loqui se vident: promptos ad imperia tua se ostendunt qui tantum jam sibi arrogant, tantumque licentiæ sumpserunt, ut jam Romano Pontifici creandi Sacerdotis liberam potestatem non permittant. Sub conditione, inquiunt, Præsulem dabis: quieti, & concordiæ consulas. cur non dicitis; arma cape Pontifex, exules, & qui in profundo miseriarum jacent, tu funditus perde, humanitatem omnem exue, jura Pontificatus projice; & tu nobiscum eos dilaniabis, qui miseri in exilio victum mendicant: alioquin de sententia, & judicio tuo cognosci, & statui apud majorem magistratum requiremus. Vecordes sanè, atque inauditæ superbiæ, & temeritatis homines, velitis, nolitisve, semper Mediolanensis Ecclesia sub jure, & arbitrio Romani Pontificis stabit. Illi sine provocatione obtemperabitis, illi velut singulari, & perpetuo domino servietis. Et me, atque parentes hæreseos insimulant. Sint quæso per vos quieti meorum cineres: pax sit cum mortuis: parcite manibus; satis enim constat, eos piè, & rectè de fide sensisse, qui ex ultima voluntate Christiano ritu sacro loco sepulti fuere: qui enim moriens religiosè funerari mandat, & cujus ossa non à profanis, sed religiosis viris palam componuntur, eum neque pertinacem in mala opinione, nec in hæresi persistentem dixeris. Dicite, quæso, quis eos notaverit, aut eorum nomina detulerit: proferte criminis, & impietatis testem, sub quo judice revicti, quid deinde pronuntiatum fuerit. Sororis autem maritum, quem ejusdem sceleris arguunt, non est meum in præsentia defendere. Vivit ille in loco celebri; neque potest cuiquam esse occultum, quæ dogmata sequatur, quorum sententiam profiteatur, & quorum hominum fautor, studiosusque sit: in quo tuendo, atque excusando longior, atque solicitus non ero. Desinant tandem manifesti sacrilegiorum, & rebellionis adversus Pontificem, templorum expilatores, iniqui, & intemperantes homines, in quorum superbiam, crudelitatem, & avaritiam universi Longobardorum populi clamare non cessant, tam magnificè de se prædicare, & si quæ Carolo contulerunt, ea non in Pontificis gratiam; sed ut illo socio, atque amico, ejusque favore, & armis subnixi regnum per cædes, & exilia civium comparatum ita stabilirent, atque firmarent, ut filii deinceps, & nepotes illud per manus acciperent, & patrum intemperantiam, atque libidinem sequuti, patriam scelere lacerarent. & istuc illorum consilia, atque facta omnia spectasse arguit efferata Emberræ carnificis, non prætoris sævitia, qui non tam iræ, & dolori suo indulgens, quam nimiæ istorum cupiditati extinguendæ tollendi inimicos obsequutus, nefariè sub fratris vindicta gladios distrinxit, amplius quinquaginta cives nihil commeritos, propinquos, & cognatos eorum, qui cædem fecisse arguebantur, uno edicto, atque una præconis denunciatione perniciosus alieni odii, & execrabilis feritatis satelles contrucidari jussit. & quasi parum ira, & dolor expiatus esset, cum viæ cadaveribus constratæ starent, & miseri suo cruore innatarent, illos in plaustra imponi, & per ora vulgi ad sepulcra pertrahi voluit. Qui tunc gemitus, qui luctus, quæ lachrymæ, quam lamentabiles queritatus in urbe fuere; quæ porro detestationes, & execrationes in eorum capita, & fortunas, quorum consilio, atque ministerio atrocissima cædes & facta, & spectata esset! & tamen funesti homines ceu nondum iræ, & feralibus animis per tot cædes, & tam longa exilia satisfactum sit, in medium procedunt, interdicta deprecantur, & de pace, Sacerdotio, & concordia civium tam insolenter in cœtu divorum agunt.

Non passus est causam ultra perorari unus proscriptorum civium, qui tum forte aderat. Hic dum atrocissima illa cædes in urbe edita foret, crebris confixus vulneribus morienti similis inter acervos occisorum jacens cruentus, & semianimis à morte, atque immanitate se inimicorum subtraxerat. Conversus in Pontificem, & reliquos, qui in sacrario considebant, interfectorum nomina, & numerum crebro commemorando, respersam cruore humum, tum distracta cadavera, & diras insultantium voces repetendo, tantum odii, & irarum in Turrianos congessit, ut de consistorio abire confestim Legati juberentur. Nec longior inter Patres consultatio facta; nam decretum statim fuit, *ut tantisper sacris interdicta maneret civitas, dum Pontifici deditio facta, atque in sedem suam receptus Otho foret.* Cur tam pertinaciter duo Pontifices eodem tenore Othonis partes susceperint, & constanter defenderint, cum nulla, quod sane à scriptoribus tradatur, merita intercessissent, haud equidem dixerim: nisi quia data fides, & auctoritas pontificia agi videbatur; neque æquè facturum Turrianum Patres censebant, si Mediolanensem ecclesiam, quæ non ita pridem ditionis, & potestatis Romanæ se fecisset, eam sua vi, & ex arbitrio magis, quam nutu, & voluntate pontificia regeret: quasi hoc nomine semel acceptum jugum excussisset, ac reliquæ deinceps occidentis urbes exemplum sequutæ minime Romano Antistiti obnoxiæ, pro suo jure, & arbitrio suos sibi Sacerdotes crearent. Revocantur mox in consistorium Legati, qui cum imperiosius Pontificem verba facere, & ceteros Patres obmurmurare adversus se viderent, sive rebus diffidentes, sive ne graviorem iram abalienatis Patrum animis in suos concitarent, *deditionem, & imperata Pontificis se facturos* dixerunt. Ita de concilio dimissi, hi ad Carolum; alii, unde venerant Mediolanum abiere. Ceterum Otho non ignarus, metu magis, & popularium querelis, quam reverentia religionis legatos consensisse, & proinde Tyrannos vix promissis mansuros, unum è numero Cardinalium deligi curavit, qui eum in sedem reduceret. Per hæc tempora Gulielmus Marchio Montisferrati Ferdinandi regis Hispaniæ filiam uxorem duxit. Quo conjugio elatus, soceri præterea auxilio, atque opibus subnixus finitimos armis lacessere cœpit, brevique tanti momenti vires ejus fuere, ut quos defendendos suscepisset, hi in omni certamine superiores evaderent. Et haud ita multo post fatigatis

gatis adversariis, regnum inter suos obtinuit. Ceterum Napus quamvis intelligeret adversus se Pontificem palam loquutum, & eos qui in concilio fuerant alienatos esse, nihilo tamen secius rebellem animum gerebat, prætores, quos patriciæ genti inimicos cognoverat urbi dare, opes regni undecumque poterat emunire, omnia diligentius circumspicere, quibus & suorum insidias cavere, & externum impetum arcere posset. inter hæc Legatus à Pontifice adventare nunciatur. huic Turrianus cum multitudine Sacerdotum, & civium turba venerabundus occurrit. Honorificè exceptum in urbem deducit. postridie Sacerdotum primores, & qui in finitimis locis Sacerdotiis præerant in concilium vocantur. Mandata Legatus exponit; quibus si parere voluerint, reconciliari Pontifici statim possent, & populus ab execrationibus liber esset. Nihil recusavit Napus; utpote qui videret diutius interdictis sacris mæstam, atque attonitam civitatem ad motus, & arma spectare. Deditionem itaque secundum Legati postulata facit; *ut posthac subjecta, atque obnoxia summo Sacerdoti res Mediolanensis maneat, utque ex illius nutu, atque imperio in Longobardis cuncta de cetero gerantur.* De Othone item recipiendo actum: & jurisdictione illi tradenda, hoc est, *ut arces, oppida, agri, & quicquid antiqui juris antecessores possederant, id omne ille inviolatum habeat.* Confirmari præterea Cæsarum, & Pontificum decreta voluere; *ut scilicet immunitas templorum rata maneat: ne dehinc tributa Sacerdotes Tyranno dependant, neu liceat divinæ rei addictum violare, aut patria, & bonis mulctare: quod si quippiam detrimenti id genus hominibus illatum foret, id pro æstimata injuria, & dato damno rependeretur.* Quas conditiones, etsi duræ essent, & in perniciem suam Vicecomitis potentiam comparatam satis cerneret, haud tamen gravatè in præsentia Turrianus accepit. Per obsides præterea fidei conventiones firmantur. Legatus, quamquam ab timore ea nasci cerneret, posteaquam omnia ob rem Pontificis, & dignitatem religionis facta vidit, urbem ab interdicto sacrorum, & ignominia detestationum liberat. Tunc statim templa patuere, & pro Christiano more statis, atque solemnibus cærimoniis frequens opera datur. Confluxit ingens mortalium turba: sacræ ædes continuo repleri, thura incendi, aræ omnes salutari, ubique omnipotenti Deo laudes, gratesque cantari, quòd tandem à diris, & imprecationibus finis esset, atque in gratiam cum Pontifice reditum
1268. foret. Legatus interea traditis oppidis præsidia imponit, ut sub nomine Pontificis, & sponsione adversariorum Othoni pacata omnia maneant. Forte per ea tempora moritur Clemens Pontifex, atque ex dissensione Patrum creatio summi Sacerdotis extracta est. Ita aliquandiu sine Antistite Romana Ecclesia stetit. Enimvero tunc Turriani morte Clementis elati; ut est fluxa hominum fides quotiens à metu liberi sumus, promissa abnuere, conventis non stare, Othonem & à patria arcere, & contumeliis afficere. Exercitum præterea Napus contrahit, Viglevanum trajecto Ticino, per vim capit; tum oppidanos jure perpetuæ servitutis Mediolanensi populo subditos facit. Fovebat interea proscriptos Ubertus Palavicinus, qui tum illius armis, & viribus, tum propinquitate locorum, & continuis damnis in metu adversarios habebant. Napus igitur, ut ea cura se exoneraret, atque vicinum hostem longe à finibus submoveret, Palavicinum Cremona conspiratione quorumdam civium ejici curavit. Per ea tempora Florentini eos fere omnes patria expellunt, qui Germanorum Cæsarum partes sequebantur. Pisanorum quoque res classe à Genuensibus superata, afflictæ mirum in modum fuere. Ceterum Napus cum Carolum regem sibi propensum cognosceret; morte vero Clementis patriciorum animos consternatos, ac Othonem, in quo spei multum pars diversa reposuerat, amisso præsidio ino-
A pem aliena in terra exulare; Laudem Pompejam ingressus Vistarinam gentem, quæ ea tempestate gratia, & opibus inter ceteros eminebat, oppido ejicere contendit. Pugnatum est acriter. comparaverant Vistarini ingentem amicorum, & clientum manum: fortiter resistebant. In dimicatione Napus equo prosternitur; & cum urgentes adversarios sustinere non posset, in prætorium pedes refugit, atque ægrè ab irruente multitudine defensus Mediolanum non sine dedecore revertitur. Quam repulsam vir nec civilis scientiæ inscius, & gerendarum rerum minime imprudens impatientius ferens, confestim quantas maximas potuit copias contrahit. Lau-
B densium fines iterum hostiliter invadit, & propius urbem consedit: neque solum ignominiam abolere studebat; sed dominium oppidi expetebat. Oppidani cum viderent quanto in discrimine res sitæ essent, neque bellum trahi, aut quisquam vicinorum opem ferre posset, ad deditionem haud difficulter compulsi fuere. In Vistarinam gentem ab dolore recentis injuriæ sævitum. Nam Succius ejus familiæ princeps cum duobus filiis Mediolanum vinctus perducitur, qui in custodia macerati enecantur. ceteris graviora tributa imposuit; & ne detrimentis obruti aliquando in dominum consurgere, & à tyrannide eximere se tentarent, arces duas Napus æ-
C dificat: tum Fisiragam familiam Vistarinis infensam, & quæ in certamine civili ab eo steterat, honore, & opibus cumulat. Ita nova excitata factione, & præsidio arcibus imposito, procul ab omni defectionis cura urbem obsequentem, atque obedientem in reliquum habuit. Interea extorris, & vaga nobilitas, cum omnis fere spes restituendæ patriæ morte Clementis, & Palavicini adempta esset; ne sine duce dispersi oberrarent, adversariis, qui potentes erant, ludibrio futuri, Squarcinum Burrum opulentum hominem, & in gerendis rebus minime ignavum, sibi principem constituunt. Filiam hic Matthæo Bonacosam nomine protinus uxorem dedit:
D quibus nuptiis satis superque in præsens sublevati profugi fuere, nataque mox proles generosissima, quorum virtute, & armis devictis adversariis, civitas ante lacerata, atque divisa in unum coivit, & deinde dominari cœpit. Ergo Burrus, ne timido, atque imbelli res suas patricii tuendas commisisse dicerent, extemplo vicinorum auxilia quærit. Cum Montisferrati domino de socero in Italiam accersendo, in cujus tutelam, & administrationem res Mediolanensis deinde traderetur, agere cœpit. Consilium Gulielmus approbat, atque Squarcinum magnis pollicitationibus oneratum in Hispaniam ut maturet, hortatur. Non ignarus erat soceri aucto-
E ritate, & viribus regnum in Longobardis, si ad eum nobiles domo profugi aliquando inclinassent, facile obtineri posse. Profectus in Hispaniam Burrus regem docet, quam levi præsidio res magna confici possit: tum propter generi vicinas opes, tum quòd inter se certantes populi jam ad omnia subeunda, ut acceptas injurias invicem infensis animis ulciscerentur parati essent. Consilium Ferdinandus minimè aspernatur, statimque militaribus decoratum insignibus hominem generosum in Italiam datis quingentis equitibus remisit. Divisi in finitima loca barbari alii Papiæ; partim Novariæ commorati sunt, atque inde crebris excursionibus agrum omnem, qui ad
F Ticinum vergit populantur. Interim usque ad urbis mœnia excurrebant. Erant quidam eorum ex levi armatura agiles magis ad agendas prædas, quam ad pugnam idonei. Ergo cum direpti vici permulti forent, & in agris tecta succenderentur, ingensque hominum, & pecorum præda ageretur, agrestes partim in urbem, alii in montes; & munita loca, ut se, & sua servarent, confugiunt: jam prope tumultum cives venerant. Tunc Napus eam juventutem, quam metu adversariorum in armis habebat repente in unum contrahit, atque in eam protinus

nus regionem ducit, quam barbarus deprædabatur. Pallantes prædatores nactus tantum cædibus, & spoliis intentos aggreditur, fuditque. Interfecti complures, capti permulti: à cæde qui fuga se subtraxerunt, posteaquam in tutum locum recepti sunt, adeo perterriti fuerunt, ut statim in Hispaniam reversi sint. Post hæc Napus Gulielmum Marchionem pro infensissimo habuit: tum patriciam gentem acrius premere, his omnibus arma inferre, qui inimicorum necessitates pecunia, aut commeatu sustentassent. ita defecti plerumque alimentis in summa miseria, atque inopia illi vitam trahebant: nihilo tamen res Turriano tranquilliores erant; nam Comenses, qui in illius ditione, & potestate decem annos fuerant, sive insolentiam hominis non ferentes, sive ab studiosis diversarum partium solicitati animum novandis rebus intendunt. Præfecerat oppido Turrianus Acursium Cuticum. hunc oppidani comprehenderunt, atque vinctum in custodia tenuerunt: neque carcere liberatus est, nisi reddito Simone Locarnensi, quem Turriani in ferrea cavea conclusum Mediolani sub gradibus Prætorii acerbissimè cruciabant. Duæ per idem tempus veteres, & generosæ familiæ relicto Napo, in partes patriciorum Biragenses, atque Castellionei transitionem faciunt: nec movit Castellioneos cognatio, quæ cum Francisco Turriano intercedebat. Haud cunctanter Napus copias contrahit, Castellioneos aggreditur, vicos & agros rebellantium diripit, ædificia succendit. Deinde Castellionum (hoc oppido nomen est) per vim captum diruit. Dum hæc geruntur Cardinales longius interregnum pertæsi, tum etiam gravioribus convitiis fatigati; quod per dissensiones animorum in factiones divisi rei Christianæ principem non crearent, & proinde diutius Romana Ecclesia gubernatore careret. Tandem Gregorium genere Placentinum in maximo Pontificatu constituunt. ad hunc,
1271. posteaquam peractis cærimoniis, jura Pontificis administrare cœpit, Otho proficiscitur petens quod per mortem antecessoris sibi negatum fuerat, id jussu, & auctoritate ejus consequeretur. Othonis postulata, & si justa erant, non statim tamen exequi Gregorius voluit: neque illum à se rejecit. Indictum forte erat Lugduni Concilium, festinabatque in Gallias. Satius itaque duxit litem, & certamina in re præsenti componere, quam severiore edicto feroces homines, aut metu execrationum non ad officium, sed arma compellere. Sequutus venientem in Longobardos Gregorium Otho substitit Placentiæ. Promiserat Pontifex confecto Concilio, ubi in Italiam reversus esset, Ecclesiæ Mediolanensis vel invitis adversariis, & titulum, & imperium se illi daturum. Turriani adventanti Gregorio longius à patria occurrunt: quem supplices, & venerabundi, ut alterum in terris Deum, & rerum dominum excipiunt, atque muneribus ampliter donant. Retulit aliquam pro obsequio, & liberalitate sine alterius offensa gratiam Gregorius: nam Raymundum propinquis, & fratre petente, Aquilejensi Sacerdotio præficit, inde in Gallias ire pergit. Turrianus propinquo adversario percussorem proposito præmio subornat. Verum Otho cognitis insidiis, & quo in discrimine, atque periculo versaretur, Lugdunum contendit. ita elusis inimicis, vitæ, & incolumitati consuluit. Sunt qui tradant *Pontificem nefandi consilii conscium fuisse.* Napus iterum adversus Castellioneos arma movet: Sepriensem omnem agrum, & in primis ejus familiæ amicos, & clientes quantis potest damnis vexat. indignissimè & gentis, & præfecturæ rebellionem ferebat. timebat præterea, ne si defectionem impunitam tulissent, alii in patriciorum partes transirent. Sed Novocomenses, cum viderent successu prælii Turrianum insolescere, & ulciscendæ injuriæ studiosum, veriti ne in se arma is converteret, milites comparant, quibus Simonem præficiunt, quem, ut supra diximus, à cruciatu, & ignominia liberave-

A rant. Hic statim adjuncta exulum, & patriciorum manu, fines Mediolanensium deprædatur. Ita Napus à direptionibus & populatione vicinorum ad domestica defendenda avertitur. Summittebant quotidie subsidia Novocomenses. ita bellum paulo diutius fuit: opportunitate locorum gravia incommoda utrique pertulere. Per hæc tempora scribunt quidam *Edoardum Britannorum regem, cum in Italiam venisset,* 1273.
urbis opibus, & amplitudine permotum Mediolanum divertisse. Interea Gregorius jam Concilio peracto, in Italiam revertitur. Instabat Otho, ut in patriam, atque designatum Sacerdotium reduceretur. Pontifex, sive quòd non sine armis, & sanguine per con-
B tumaciam Napi res confici posset, sive quòd videret per amicitiam Turrianorum quietiorem statum Romanæ Ecclesiæ futurum, Othonem ipsum cum reliquo comitatu spernere visus est, mandavitque ut Bugelæ commoraretur. Secessit statim in præscriptum locum Archiepiscopus turbatus valde, atque mœrens, quòd eum Pontifex frustraretur, atque ab his fere omnibus desertus esset, qui ei adhæserant: aliquantulum temporis velut deposita recuperandi Sacerdotii cura, quievit. Duo tunc paribus suffragiis ad imperium designati fuere, Alphonsus Castulonensium rex, & Rodulphus comes, & cum de summa rerum certandum inter eos foret, jus omne
C imperii rogatu Pontificis Rodulpho conceditur. Moritur interea Gregorius, cui sufficitur Petrus Ta- 1276.
rentasius, quem quintum Innocentium ex ritu religionis appellarunt. Hoc intra paucos dies defuncto, Adrianus pontifex creatur, qui summum Sacerdotium vix quadraginta dies tenuit. Successit illi Joannes hujus nominis primus & vigesimus, qui haud ita multo post moritur. Galaranus deinde summam Christianæ rei capessit, cui tertio Nicolao nomen inditum fuit. Jam Carolus plus nimio potens erat, & novo Pontifici valde suspectus, ne aliquando succedentibus rebus, per discordias, atque intestina populorum bella regnum in Italia affectaret: neque vi-
D debatur in tanta rerum occasione aut quieturus, aut in officio mansurus, nisi contra eum comparatæ vires forent. Igitur duos ex fratre nepotes his populis præposuit, quos seditionibus agitatos facile peregrinum dominum accersere, & res novas moliri existimabat: alteri eorum Ethruria gubernanda traditur: procurationem Exarchatus, & rei Bononiensis alter suscepit. Ceterum Ethruriæ procurator Gibellinos extorres in patriam restituit, atque sub Pontificis nomine præsidia, & magistratus urbibus imposuit. Nicolaus quoque senatoriam potestatem, quæ antea penes populum fuerat, usurpavit, & quæcumque muneris, & officii senatorii erant, Romæ
E per se, & ex suo arbitrio administravit. Forte per eos dies Veneti ad Picens latus appulsa classe, oram omnem maritimam populantur, protinusque Anconam obsident, Legatosque subinde Romam bellum, quasi juste susceptum, excusantes mittunt. hos Pontifex ingressu urbis prohibuit, tum vero abeuntes accersivit. Sed cum liberius increpiti in defendendo bello, quod lacessiti Picentibus intulissent, perseverarent, Pontifex neque audire, nec respondere quicquam voluit. Imo statim è conspectu suo non sine ignominia rejecit. Urgebantur nihilominus obsessi; sed etiam qui obsidebant difficultate commeatuum, & eruptione oppidanorum detrimenta susti-
F nebant. Quare cum utrique fessi essent, æquo fœdere pacem composuere. Ceterum Nicolaus sive rem Italicam à vi, & dominatu externo defenderet, sive ut per speciem arcendi hostis, & tuendorum finium regnum suis pararet, duos de Ursina gente ad regiam dignitatem promovere in animo constituit, quorum alter in Longobardis dominaretur, qui munitione alpium, ac valido præsidio Germanos coërceret. Alter in Ethruria regnaret, cujus armis Galli Siciliæ domini ab ora maritima summoverentur, siquando Italiam invadere tentarent. Decrevit item, ne

ne quispiam regio prognatus genere, aut regia appellatione insignitus senatoriam dignitatem intra urbem gereret. Hoc enim titulo quidam regii sanguinis homines honorati non magisterium urbicum se gerere existimabant; sed viam ad tyrannidem factam sibi persuadebant. Cum talia Pontifex meditaretur, membris repente attonitis, è vita discessit. Interea Napus Rodulpho in Germanis sine æmulo regnanti oratores mittit, qui dominium Mediolani Romanis Regibus jam diu stipendiarium pollicerentur; seque libenter omnia præstiturum, quæ ad ingrediendam Italiam, & imperii dignitatem, atque nomen assequendum idonea duxerit. Legatorum verba libenter Rodulphus audivit; tum Napum pro vetere jure, atque potestate Procuratorem in Longobardis facit: equites adhuc, & pedites non paucos ex Germania cum oratoribus Mediolanum transmisit. Peregrino præsidio Napus Casonum filium juvenem forma, & viribus

274 egregium ad fines tutandos præposuit. Hoc anno, qui fuit quartus & septuagesimus supra ducentesimum & millesimum post Deum ex Virgine natum, ex Britannis, Hispania, & Galliis Reges ipsi, adjuncto Carolo Rege, ingentem exercitum ex Sicilia in Africam adversus Saracenos transmiserunt. *Auctorem tantæ expeditionis* quidam tradunt *fuisse Ludovicum Francorum Regem, qui ceteros principes ad pia bella vocaverit, & primus omnium de finibus copias eduxerit.* Interim gens patricia partim diuturno, & gravi exilio fatigata, partim tributis exhausta, cum nihil superesset, quo fugam, atque inopiam tolerarent, vicinique ferè omnes, in quibus spem aliquam redditus, & præsidii collocaverant, absumpti essent: adversarii contra favore, & peregrino auxilio res suas firmas haberent, ad Gotofredum Langusci comitem, qui forte id temporis divitiis, clientelis, & magnis affinitatibus Papiæ Princeps erat, adeunt, exilium, calamitatem, inimicorum odia, & rabiem, quæ cædibus, & fuga miserorum expleri adhuc non possit, subinde commemorant, supplicesque orant, eorum partes suscipiat, furorem improborum, & crudelium hominum compescat. Dux omnium consensu constituitur, atque dominium urbis promittitur, ut perpetuo sub illius ditione & gens patricia, & populus futurus sit. Hoc sermone Gotofredus permotus, haud cunctanter milites quoscumque potuit, contrahit; existimabat enim, quod factum iri non admodum difficile videbatur, si profugos in patriam reduxisset, summam rei penes se futuram. quod si de potentatu contendendum foret, eorum ope, & auxilio, à quibus accersitus esset, superiorem facile futurum. In fines igitur Mediolanensium impetum facit, atque populabundus in regionem Verbano lacui finitimam pervenit. Confestim montani homines, & qui Verbanum lacum circumcolunt, cum superba, & crudelia Turrianorum imperia sustinere diutius non possent, ad Languscum deficiunt: Arona, & Angleria sine certamine capitur. Otho quoque assumpta secum parte exercitus, Seprium oppidum primo impetu ad deditionem compellit: in tumultu omnia erant: confugerat intra mœnia ingens rusticorum turba, quorum tecta succensa, populatique agri fuerant. Minime cunctandum in tanto discrimine ratus Turrianus filium cum externo præsidio Angleriam versus præmisit. Ipse cum urbano exercitu in hostes progreditur. Gotofredus ubi ad Angleriam Germanum agmen consedisse cognovit, ad fluvium, quem Gualeram dicunt, contendit, ut opem suis, qui in oppido inclusi tenebantur, ferret: in hostem castra munientem Germanorum continuo manus transmittitur: atrox prælium in ripa fluminis committitur: Stabat inter Germanos equites unus præ ceteris viribus, & animo excellens, hic ante omnes pugnæ, & cædis cupidus in hostem defertur: quem conspicatus Gotofredus admisso equo, hasta transfixit: sed equus clamore, & ictibus certantium trepidans in voraginem

A cœnosam prolapsus, è tenaci limo evadere minimè potuit. ita irruentibus barbaris, infelix capitur: captivo duce, ceteri terga dant, passimque fusi cæduntur. Non minor cædes fugientium, quàm in pugna facta fuit. ex fuga Novariam alii; pars Papiam pervenere. Strages ferè circa primores stetit; siquidem duo & viginti nobilissimi viri capti fuere, qui Gallaratum perducti palam jussu Napi cum Gotofredo percutiuntur. Hoc prælio quasi subacti adversarii forent, triumphanti similis cum exercitu victore Turrianus domum revertitur. Sed Langusci cædes multum irarum, & odii in animis cognatorum ingeneravit: sanguinis quoque invidia multorum studia

B à Turriano avertit: nec dehinc in gratiam Turrianus cum Langusca familia redire potuit. Theobaldus item Vicecomes decollatus fuit. Archiepiscopi hic frater erat; vel, ut alii, *fratris filius*, in obeundis periculis minimè ignavus: ex muliere nobili Pirouanæ gentis filios duos susceperat, Matthæum, atque Ubertum. Ceterum profuga nobilitas suorum audita clade, Vercellas ad exulantem Othonem proficiscitur. Convenere etiam eo quicumque ab adversa pugna superfuerant: rogant, & obtestantur, *quamvis fugatus exercitus, totque clari viri occubuerint, non putet tamen adeo res fractas esse, ut non sperandum etiam sit, eas in melius aliquando reponi*

C *posse: modo reliquias exercitus colligat, atque eos evocet, si qui à clade integri manent, ut denuo cum hoste congrediantur, ne per metum, ac desperationem Turriano omnia concedant.* Commemorabant identidem ærumnosa exilia, tot patriciorum indigna funera: sed ante omnia recentis crudelitatis admonebant, & contumeliosæ eorum mortis, qui tam fœdè velut latrones, aut proditionis rei capite mulctati forent. „Ad ea Otho, intelligere se, ait, quantis demersi „malis essent; quantopere ab adversariis premerentur, quam illorum nefaria amentia, qui miserorum „bona, & sacerdotis jura occupassent; & demum, „quos domo, & patria semel expulissent, eos insi-

D „diis, & perpetuo bello vexare non desisterent. „Quod si jacturam reparare, & res ruentes sistere „volumus, duce eo opus est, qui quidem intrepi„dus etiam sua virtute hosti terribilis sit. Quod cum „à me abesse videam; totque nobiles viros amiseri„mus jam præliis adversis, magnisque calamitatibus „fracti, abstineamus, quæso, paululum à certami„ne, dum partes nostras ita muniamus, ut si fortu„na belli denuo tentanda sit, superiores evadere pos„simus. Neque tamen ego hæc dico, quod detre„ctare pericula velim, qui pro restituenda nobilitate, sedeque recuperanda mortem ipsam libens oppe„terem. Atque utinam pro animo vires suppete-

E „rent: certe jam fugæ, & miseriarum finis foret. „Quod si me ducem vultis, hac lege arma suma„mus, atque cum adversariis ita congrediamur, ut „non de vita; sed de potentatu certemus. Hactenus „ferrum stringemus, tela vibrabimus, vulnus infe„remus dum hostis armatus adversus nos stabit: si „arma fugiens abjecerit, veniamque petierit, parci „jubeo, nec ultra victoriam ira, aut ferro grasse„tur. Temperantiam, moderationem, & clemen„tiam vel ducis, vel pastoris imitemini, qui sine dis„simulatione, remisso odio, illi ignoscere paratus „est, suum qui fratrem occidi jusserit. Vindicta „sit penes Deum omnipotentem, qui flagitia, &

F „scelera pulchrè ulciscitur: nec mites, & mansue„tos umquam deserit. Post hunc sermonem Novariam versus ire pergit. Sequuta est eum multitudo exulum: convenere deinde frequentes eo, quicumque Turriano nomini infensissimi ad partes, & amicitiam Vicecomitis accesserant: & cum haud exigua manus videretur, Ticinum trajiciunt, atque Seprium usque effusi, oppido, & arce primo impetu potiuntur. Napus ubi occupatum oppidum ab hoste intellexit, filium cum peregrino equitatu obviam Vicecomiti præmittit; non tam ut cum hoste confligeret,

fligeret, quam ne latius populatores se effunderent. Accessere interim utriusque auxilia. Quicquid exulum sive de Mediolani, sive de vicinis urbibus foret, ex quo Turriani regnare cœperant, ii omnes domo per injuriam pulsi, spe recuperandæ patriæ injecta, ad Othonem confluebant. Exciverat Turrianus partim mercede, partim ex fœdere, aut beneficio de proximis civitatibus multos. Ita cum utrique affatim copiarum adesset, propiusque consedissent, levibus præliis se invicem lacessebant. Ceterum Napus domestici, & peregrini militis fiducia; quamquam numero haud multum superior foret, arcem, quam hostis præsidio munitam habebat, oppugnare tentavit. Huic se continuo cohors exulum opponit, & ne propius accedat, fortiter resistunt. Interim obsessi patefacta porta in eos erupere, qui oppugnationem apparabant; quos cum longius summovissent, superveniente hostili subsidio, intra mœnia, & arcem nonnumquam compellebantur. sic aliquantisper uterque exercitus levi pugna, atque incursionibus decertavit: neque tamen altero superior erat. Otho cum suos ad prælium comparatos haberet; nec temere certaminis avidos continere intra vallum posset, congredi in patenti campo constituit. copias itaque castris educit. Turrianus contra aciem instruit. nulla pugnandi mora facta est: tela conjiciunt, tum collato pede, gladiis rem gerunt. plurimi vulnerantur: multi cadunt. In civili sanguine, & cæde inimicorum Otho minimè mansuetudinis, & humanitatis oblitus est. Nam cum vim adversarii tolerare non possent, in ipso ardore animorum, acrique pugna gladios reponi, ac civibus parci jussit, quos servare, non perdere cupiebat. Opportunè igitur pro voto Othonis nox supervenit. ita à prælio, & cæde cessatum est. Postero die Turrianus cum somno refecti milites forent, novaque auxilia accessissent, Vicecomitem ex successu prioris diei paulo negligentius agentem agmine facto adoritur. Otho in aciem, ut in tumultuaria pugna ferè usu evenit, copias sine ordine duxit. anceps certamen aliquamdiu fuit siquidem Othoniani fœdum, & periculosum existimabant urgenti hosti cedere: & eo magis, quòd pridie per clementiam ducis occasionem profligandi belli amisissent. contra Turrianus instabat suos hortans, & segnitiem adversarii accusans, cui in ipsa victoria quiescendum non fuerat. ita & metu periculi, & indignatione animorum acrius inter se pugnabant. Cadebant utrinque multi, dum quem cepisset locum quisque tueri niteretur; summa enim belli in eo certamine verti videbatur. Napus cum adversarii dimicationem vix ferre possent, agmen, quod subsidio laborantibus servabat, qua pugna acrior erat, immisit. tum impressione facta, inclinata acie, terga Othoniani protinus dant. Diffugere alii in propinquos montes, alii silvas petivere: pars ab his capiuntur, qui ubi fusos adversarios viderant, ad eos consectandos à ceteris divisi itinera obsidebant, quà recursuri ad tutiora loca sperabantur. Ægrè servatus Otho cum paucis Novocomum contendit. quem oppidani, atque eos, qui à fuga, & cæde superfuerant intra urbem recipere noluerunt. Secundum duas adversas pugnas proscripta nobilitas non satis tutam etiam in ambigua fide Comensium extra oppidum moram existimantes, alpes versus abiere. Ad oppidum devenit, quod incolæ Lurangum dicunt: quo in loco aliquandiu etiam in summa inopia substitere. Otho cum fugam, atque necessitates nemo victu, aut pecunia sublevaret, ceu desperatis rebus, Canobium petiit, hoc oppido nomen est. continuo portæ clausæ sunt. Tunc ægrè ab oppidanis, ut biduum saltem in finibus eorum commoraretur impetravit: per quod sanè tempus sæpius habito cum primoribus colloquio, tum precibus, & magna pollicendo eos ad se traxit: nec solum oppido receptus; sed milites pro opibus, & copia loci, tum cetera ad instaurandum bellum idonea accepit. Vagantes, & inopes profugi, posteaquam in locum tutum receptum Othonem cognoverunt, eo convenerunt. Accessit Simon Locarnas Turrianæ genti maximè infestus: Gulielmus quoque Marchio Montisferrati Turrianorum opibus invidens cum exulibus conjungitur. Justus erat exercitus, naves, quibus accolæ per Verbanum commeant cum delectis militibus Otho conscendit, atque noctu Angleriæ arcem per vim cepit. divisis deinde copiis Aronam contendunt. eam partem, quæ lacum contingit, classe appulsa, Simon Locarnas, quem navibus Otho præfecerat, oppugnare admotis machinis aggreditur. à terra vero Gulielmus Marchio cum mercenario milite propius muros subit. Ancipiti oppugnatione arx, quamquam valido præsidio tenebatur, summo in discrimine posita erat, atque obsessi ægrè à mœnibus oppugnantes propulsare poterant. Cassonus cógnito arcis, & præsidii periculo, expeditum Germanorum agmen secum agens, extemplo hostem ab oppugnatione avertit. prælium ineunt. Mediolanensis juventus Cassonum celeriter sequuta subsidio affuit. Longius certamen factum. Nam Turrianus, si tot copias denuo congregatas fudisset, debellatos propè adversarios existimabat. Otho, & extorris nobilitas reditum sibi in patriam ea victoria sperabant, suoque fuso exercitu, unde bellum repararent non satis cognoscebant. Mercenarii præterea milites cum duce velut ex professo odio dimicabant. In pugnam igitur utrique ruentes cædem ingentem edebant. Conferti & inferebant vulnera, & excipiebant. Tandem sustineri germanorum impetus non potuit. passim in fugam Othoniani vertuntur: & qua tutus receptus videbatur, diffugiunt. Otho, & Simon, ubi terrestrem exercitum fugatum novere, & Gulielmum cum paucis mercenariorum Ticinum versus fugere, relictis navibus, hic Comum, ille Novariam contendit. Præda major, quam cædes facta fuit. Qui desiderati sunt, ii ferè in pugna cecidere. Nam potitus castris Turrianus, spoliis contentus captivos inermes, atque nudos dimisit. Ad Othonem reliquiæ exercitus, & quicumque factionem nobilitatis fovebant protinus conveniunt: quos in concionis modum circumfusos alloquitur ea primum enumerans, quæ in exilio sustinerent. „ Quid deinde calamitatis, & funerum profugi à patria perpessi forent, quanta inimicorum ira, & rabies, à quibus nihil humani expectandum esset. „ Quare respiciat quisque non in commune tantum; „ sed ea etiam, quæ ad quemque privatim pertineant. Quod si suas, hostiumque vires æstimare voluerint, adeo recenti clade se depressos non dixerint, ut nulla erigendi reliqua spes sit. Martem „ communem ducant, & eam esse bellorum varietatem, ut nonnumquam ex inopinato, desperatisque rebus victoria reportetur. finem profectò exilii, & incommodorum adesse. arma iterum „ compararent: quicquid præsidii haberi potest, id „ omne contrahant: profectò enim cum adversariis „ lætioribus, ut puto, auspiciis dimicabimus. Hoc sermone recreati aliquantulum nobiles ad veteres hospites, atque amicos revertuntur. Interim Novocomenses, etsi à Turriano rebellaverant, illiusque fines hostilem in modum vastarent, exules tamen jacturis exhaustos oppido recipere recusabant. quin etiam commeatus, & arma pernegabant. & erant in oppido non pauci, quos defectionis jam pœniteret, atque redire in amicitiam cum Turrianis vellent. Instabat Locarnas, ut Othonis partes susciperent, eorum miserescerent, qui diuturna fuga ad summum inopiæ compulsi essent; & ceu omnibus contumeliis opportunos adversarii armis persequi non desisterent. Metuendos vicinis civitatibus Turrianos, quorum ea esset insolentia, atque crudelitas, ut nullis conditionibus recipere patricios vellent, peregrinoque militi non in acie ferire, aut sternere, sed victos trucidare, atque morientes dilaniare jubeant: quippe

quippe sanguine magis, quam victoria gaudentes, sacrorum præterea Præsulem per contemptum Pontificiæ auctoritatis sede, & finibus arceant: eos dumtaxat in urbe patiantur, qui odii, & scelerum satellites sint, quique exulum bona possideant. His, atque talibus verbis pars oppidanorum ad Simonem coire, in occulto colloqui, consilia ad res novas agitare, sollicitare ceterorum animos. Suspecta res iis fuit, qui Turriano nomini favebant. jurgia primum; tum vero dissensio, atque seditio inter cives facta: inde ad arma concursum. Duces factionum cum armatis in publicum prodeunt. Episcopus urbis pro his stabat, qui Othonem juvandum censebant. Huic Locarnas se adjungit, atque diversa sentientes invadunt. certamen mox crevit. vulnerari multi; plurimi cadere: pugna nequaquam partim virtute Ducis, tum multitudine eorum, qui Episcopum affectabantur diu esse: in Prætorium pars altera confugit, quod præsidio, & munitionibus firmat. inde noctu, atque interdiu, velut ex firmo propugnaculo tela in adversarios mittere; ac interim descendentes cominus decertare. Tandem, cum non ultra vim oppugnantium sustinere possent, relicto præsidio, urbe cedunt. Simon devictis adversariis, factum omne Archiescopo significat, & urbem, & cives, qui domi remanserant omnes in voluntate, & partibus ejus manere significat. Haud cunctatus Otho patricios, & amicos de vicinis locis excivit, coactoque tumultuario milite Comum proficiscitur, atque in oppidum receptus magis profligandi, quàm instaurandi belli consilia capit. Tantique momenti adjuncti Comenses fuere, ut Otho, sive mutata fortuna, sive quòd majoribus viribus bellum reparaverat, in omni pugna dehinc superior factus, adversarios tandem debellaverit. Hoc anno, qui fuit mil-
1277. lesimus ducentesimus septuagesimus septimus ab Christi natali, Lambertini gens vetus, & opibus potens cum clientibus, & amicis Bononia pulsi fuere. Thomas item Aquinas subtilis philosophus, & sacrarum litterarum interpres minimè contentiosus, cum multa, & spatiosa volumina *de ratione differendi*, *rerum natura*, *moribus*, *atque de religione nostra* omnium accuratissimè, & verissimè conscripsisset, è vita discessit, & haud ita multo post in divos relatus tanti inter recentiores scriptores nominis fuit, ut in hanc usque diem frequentissimi illius doctrinam capessant, & sectam fortissimè à ceteris discrepantes tueantur. Hoc eodem anno Innocentius Quintus ab ordine Prædicatorum ad Romanum Pontificatum assumptus est. Interea Otho Comi, ut supra diximus, bellum renovare, eos ad se accersere, qui ad amicitiam venerant, aut aliquo beneficio affecti erant. Conspiraverant cum eo finitimarum civitatum Principes. hi partim imperio, & gratia; partim mercede magnas copias secum duxere. Juventus quoque Comensis frequens, & alacris nomina dedit. Majore coacto numero, quàm sperabatur, in oram Verbani exercitus inducitur. agros populantur, vicos diripiunt. Accolæ lacus magnitudine detrimentorum deditionem faciunt. Ad Larium traductæ mox copiæ tractum omnem usque ad Adduæ hostium una excursione subigunt. Leucum oppidum, & Clavate in potestatem, & ditionem Othonis deveniunt. Napus, cum adversarios tantam vim militum coëgisse præter opinionem videret, atque undique auxiliares accedere, ac terrore periculi vicos deseri, & oppida deditionem facere, ad salutem suorum pertinere ratus, ne hostis latius populando vagaretur, filium cum externo præsidio Canturium usque præmittit. Otho sive odio civilis sanguinis, sive quia arma civilia non satis pia; quamquam sedem, & dignitatem jure collatam recuperare nisi certando posset, à bello tamen, & certaminè abesse voluit. Ricardo itaque Langusco homini veteris familiæ, & exercitato belli gerendi summam tradidit. ipse vero inermis, sed reverentia Sacerdotii venera-
A bundus, quo plus auctoritatis inter suos haberet, Pontificio indutus amictu, & ceteto ornatu pro majestate religionis insignis, aurea cruce antecedente, stipatus præterea longo Sacerdotum ordine Archiepiscopum se dici, & ita salutari voluit. subsequebatur exercitus. Ad eum frequentes non exules tantum, sed & veteres amici, aut adversariorum potentiæ æmuli conveniebant. Non cessabat rebus suis undique vires, & præsidium quærere. Principibus civitatum post victum hostem pecunias, & imperia in suos polliceri, omnes benignè excipere, si quos infensos arbitrabatur, eos humaniter alloquendo magnis pollicitationibus sibi conciliare, nonnullos in
B partibus, ut perseverarent hortabatur. sic non modo populares; sed etiam externos homines in fide, & officio continere, tum ad subeunda pericula promptos, & ad opem paratos reddere. Hoc animorum habitu, rebusque ita firmatis, insignia sacerdotii proferens ad oppidum, cui Decimo nomen est, pervenit. Napum sollicitabat appropinquans Otho. præterea domesticos tumultus verebatur. Quare ne ancipiti hoste & domi, & foris circumveniretur, non solum in urbe ad majores copias cogendas aliquamdiu commoratus est, sed; ut res urbicæ custode non carerent, cum Magistratus unus, & reddendo juri, & armis tractandis sufficere haud posset,
C duos Mediolani Prætores constituit, Pontium Amatum Cremonensem genere, & Oldradum Tangentium Brixianum: ut partito munere, prout res, & tempus exigeret, alter in expeditiones proficisceretur, urbana negotia alter curaret: in primisque caverent, ne qui motus inter cives orirentur. hæc illi sollicitudo, hic timor erat. satis sibi incursiones hostium arcere in præsens videbatur; nam eo numero militum, quos secum duxerat, manu decertare periculosum existimabat. Pontius interea cum equitatu, atque peditatu Decimum versus pergit. Napus cum Francisco patruele subsequitur; nam uterque, & principatum inter suos, & velut ex æquo
D rempublicam tenebant. Progressi in conspectum hostium venere. Insolentius tunc, atque audacius verbis, & conjectis telis se invicem continuo lacessunt. ira, & cupido vindictæ utrosque accenderat. factionum Duces, & quibus cura exercitus data erat, hi ordines circumire, atque suos hortari cœpere, *alacres pugnam ineant*, *atque intrepidi congrediantur: & quando prælio res committatur fortissimè quisque depugnet.* Adhortatione Ducum acriter concurrunt. Pugnatum est atrocissimè. neque studium, nec virtus ad pugnandum deerat. non milites tantum telis, aut gladiis se confodiebant; sed Duces ipsi, ubi aciem inclinatam videre, de summa rerum desperantes in
E confertissimos hostes procurrunt. Dimicando alii interficiuntur; captivi alii in manus inimicorum deveniunt. Pontius in prima acie pugnam ciebat quacumque se ingerens. hic equo prostratus occubuit. Franciscus item Turrianus gladio suffoditur. Napus etsi desperatæ jam res essent, fugientium tamen agmen sistere conabatur. Equo perterrefacto, turba præterea, ac multitudine fugientium oppressus sine vulnere in terram decidit, quem jacentem, & pulvere fœdatum inimici circumsistunt, atque studio vindictæ obtruncare parant. Sæviebat Ricardus Gotofredi necem ulturus: interfectusque fuisset, nisi Otho in ipso ardore pugnæ, & inter micantia arma
F instituti sui minimè oblitus intercessisset. Plus clementiæ, quam iræ, & vindictæ indulsit: minimè insultans eum servavit, à quo supplicium sumere debuerat. Cæde, & captivitate procerum universus dissipatur exercitus, eoque prælio, eaque strage gens Turriana debellata est. Post eam victoriam, & Urbem, & Sacerdotium Otho obtinuit. Atque ut facti memoria perpetua staret, diem qua profligatum bellum fuit solemnem, & maxime religiosum celebrari dehinc voluit. Mediolani posteaquam nunciatum fuit fusum exercitum, clademque acceptam à

Turriano, & ita res afflictas esse, ut de cetero nulla salutis spes, nedum reparandi belli consilia relinquerentur, tantus terror cives invasit, ut palam de facienda deditione loquerentur. Pauci arma capiunt, quamvis custodiendæ, defendendæque urbis ratio vix constaret. Erant qui dicerent *perseverandum in bello minimè esse: & satis fidei, & beneficiis, quæ populus à Turriano accepisset, satisfactum esse: nec perturbari fortunas civium pertinacia oportere.* Alii, quorum animi ab anteactis cædibus, atque rapinis agitabantur, metu vindictæ iterum sumenda arma censebant: *satius esse in prælio mortem oppetere, quam ad libidinem inimicorum inermes, atque supplices gravissima quæque sustinere, atque pati: experienda omnia non studio partium; sed ne perpetuo efferatis, & truculentis dominis serviant.* Accendebat irritatas mentes Oldradus: *non temperare à sanguine, & cædibus victores; quocumque modo exilii detrimenta, & armorum jacturas emendare: odium, & iram in tempus repositam, ut acerbius desæviant: eam hominum naturam, qui diutius patria expulsi fuere, & hunc esse bellorum civilium exitum; ut qui victores evasere, nec rapinis, nec cædibus finem faciant, modo incolumitati suæ prospiciant.* Inter hos tumultus, & hujusmodi querimonias Cassonus (non enim prælio interfuerat) relicto oppido, omnique deducto præsidio, Mediolanum contendit. Clausæ portæ ex terrore adversi prælii stabant: quas custodes aperire cum nollent, per vim juvantibus paternis amicis eas refregit. Alienatos, & infensos complurium animos cognoscebat: nihilominus relicto ad custodiam portæ præsidio, ipse cum paucis in forum mercatorium, quod Burletum novum appellant, pervenit. „Ibi in armis populus stabat: supplex, & cum lachrimis fidem, & auxilium implorare cœpit: multa, & vetera suorum beneficia identidem commemorans: „quantum plebi indulsissent, pro cujus libertate nihil incommodorum detrectassent. Jam tres & viginti annos continenter cum illis pugnatum, qui „miseram plebem improbo quodam dominatu premerent: & meliore conditione, atque imperio fuisse sub Turriano, quam cum olim principatum „gens patricia obtineret, à cujus vi, & injuria nemo tutus erat. Neque tantopere adversam pugnam „expavescant: quippe memores plus cladium inimicis illatum, quam ipsi acceperint: neque subsidii „spem præcisam, aut res adeo debilitatas, ut reparari non possint. Quod si non aliud ad sustinendas „calamitates belli moveat, exemplo ducantur adversariorum, quos tot jacturæ exilii, & adversæ pugnæ numquam ita fregere, ut non etiam adversus „victorem insurrexerint, arma paraverint, vel iniquissimo anni tempore. ne putent una dimicatione „de rebus, & imperio actum. Sustineri posse paucis opibus, & modico præsidio adversariorum potentiam. Hæc, & alia hujusmodi cum dixisset, quæ ad movendas mentes pertinere videbantur, nemo unus lachrimis, aut precibus calamitatem miseratus opem promisit. Ita repudiatus ab his, pro quibus acriter contra factionem, & potentiam paucorum pugnaverat, clam patria cedens in Laudem Pompejam contendit. Ingressu oppidi prohibitus in suburbanis pernoctavit. Postridie Cremonam petiit: inde quoque convitiis affectus non sine dedecore fugatus Parmam se recipit: quo in loco *benignè exceptus fuisse* traditur. Ceterum Mediolanenses cum res Turriana sine spe jaceret, constaretque Cassonum Parmam potius exulatum, quam ad opes quærendas abiisse: ut venia Populo, pax, & salus aliqua afflictis rebus daretur, armis, dissensionibusque civilibus finis tandem fieret, *non amplius repugnare Pontifici, aut exules, & Pastorem patria, & sede arcere* constituunt. Igitur de publico omnium consensu oratores ad Othonem mittuntur, qui dicerent: *reditum in patriam de voluntate civium patere, locumque, & dignitatem sacerdotii Antistiti concessam: hoc stare in animis cunctorum, ut divisa civitas, & tot intestinis discor-*

A *diis dilacerata in unum tandem coeat. Hoc tantum rogare, ut laboribus publicis, & civili sanguine parcatur: sitque victoria salus, & tutela tam publicis, quam privatis negotiis; ut scilicet quies à simultate, & vetere illo odio fiat, ut meliore conditione in pace permaneant. Sciat denique urbem, divinaque omnia in sua potestate esse.* Pauca de lenitate sua is primum locutus est, quo minore in metu ii essent, qui arma adversariorum secuti fuerant. „Consolatur, & recreat supplices: & quando victoriam publico nomine gratulatum veniunt, „jamque urbs in potestate præsulis foret, conservare se omnes velle, daturumque operam, ne qui „eorum violarentur. Gratias agendas Deo, quod

B „uno conflictu peracta res sit, jamque expiatos dolores, & finita odia: ne aut iras, aut studia vindictæ timeant. Ab hoc sermone collaudato civium animo, & obsequio, legatos domum remisit: tum ut pro dignitate Religionis, & reverentia Sacerdotii extra omnem tumultus, & novandarum rerum metum, depositis etiam armis recipi à civibus posset, nobiles captivos Comensibus custodiendos tradidit. In arce Baradelli in vinculis durius habiti Napus, Musca, Heroch, Lombardus, Caverna. Horum quidam tetro carcere macerati, ac tædio longinquæ captivitatis miserandum vitæ exitum habuere. Napum annales quidam tradunt *squalore, &*

C *illuvie putrescente corpore, natisque subinde pediculis fœdissimè absumptum.* Nec cessavit in morte eorum ira, quos in superbo dominatu is contumeliis, & cladibus affecisset. siquidem de carcere per terram pedibus tractus, ut fera in silvis sine ullo funeris honore sepelitur. Ita turbæ, & seditionis popularium securus Otho, priusquam viam ad urbem ingrederetur, ab ira, & impetu patriciorum præcavendum existimavit. Advocata igitur concione, conversus præcipue ad eos, qui patria, & bonis mulctati, exilio, & cæde propinquorum exasperati cupidine vindictæ exardescebant, in hunc modum verba fecit: „Quotiens exilium grave, & diuturnum, gesta cum

D „civibus bella, acceptas subinde clades, & post continuata damnis damna, tot duces, militaresque viros amissos, unam hanc pugnam, qua propè debellati hostes fuere intueor, hoc vobis affirmare ausim, omnipotentem, & justissimum Deum semper „ab iis stare, qui mitiore ingenio justiora arma tractant. Nam quamvis de imperio certetur, & pro „recuperandis bonis, atque patria arma sumpta sint, „hactenus tamen in hostem stringere gladios, vulnera inferre convenit, dum armatus in acie repugnat: ut scilicet pugnando superiores fiamus. In „prostratum adversarium, & qui abjectis armis veniam petat, sæviendum minime est: neque infe-

E „stum animum, nisi dum manus conseruntur, existimare oportet. si terga dat hostis, sanguine, atque cædibus parcendum est. Post victoriam armatum animum, & cruoris avidum gerere ejus profecto est, qui nihil humanitatis in se contineat, „bellorum vices ignoret, aut Deum criminum, & „crudelitatis vindicem non putet: qui eos in primis „ex alto respicit, ac protegit, atque in omni pugna „victores, etiam cum afflictæ opes videntur, facit, „qui in prostratos, & victos desævire nesciunt, & „mansuetudinem potius, quam immanitatem sectantes ignoscere magis, quàm ulcisci cupiunt. Quod „si fortè quispiam tam vecors, aut adeo aversus à

F „religione, & à superorum cultura manet, ut non „credat Deum mortalia curare, atque pro misericordia, & clementia nihil nobis gratiæ reponi: is „quamquam vel dictante in contrarium conscientia „dissimulare metum Dei, & ingenitam impietatem „non possit, obsecro, quæ dura, & calamitosa per „tot annos sustinuerimus, & proximæ pugnæ eventum consideret. Nam, per immortalem Deum, „quis sibi tantum polliceri aut sua, aut militum fiducia, & numero auxiliorum ausus foret, ut post „rem totiens malè gestam, tot exercitus fusos, & „spo-

„ ſpoliata caſtra, tot cohortibus cæſis, iniquiſſimo
„ anni tempore, cum non tantum de poſſeſſione Sa-
„ cerdotii; ſed de vita, & libertate dimicaremus, u-
„ no congreſſu, atque uno, ut ajunt, ictu patriam,
„ dignitatem, & opes recuperaverimus, tantumque
„ pœnarum ab inimicis expetitum, ut expiatus pla-
„ ne dolor, atque injuriis ſatisfactum ſit. Hoc non
„ patientia in rebus adverſis, non vigore, & con-
„ ſtantia animi, non robore militum; ſed beneficio
„ divino effectum eſt; quia ſcilicet juſtius arma ſum-
„ pſimus, contenti potius injuriam propulſare, quam
„ inferre. Adverſarii ante potentiſſimi crebris infla-
„ ti victoriis de noſtra ſervitute, & univerſæ gentis
„ excidio cogitabant: nunc partim in acie cæſi ja-
„ cent; alii catenati cuſtodiuntur. Deo nimirum hæc
„ accepta referre debemus: illi gratias agamus: ille
„ ſcelera, latrocinia, rapinas, & mortes ulciſcatur:
„ nos jam odii, & ſimultatum finem facere decet.
„ neque inſolenter, & crudeliter victoriam in adver-
„ ſarios exerceamus: injurias victis condonemus. pel-
„ latur ex animis noſtris omnis vindictæ cupido: pa-
„ triam reconditis gladiis, benignoque animo ingre-
„ diamur: tecta, & domos, in quibus nati, educa-
„ tique fuimus, incruenti reviſamus: ſatis, ſuperque
„ tot peremptis (quod dicere horreo) parentavimus:
„ plus nimio gladii cruore maduerunt: nimis multa
„ vidimus funera: Deum ignoſcendo, & miſerando
„ propitium nobis reddamus. An Divinum numen
„ amicum, aut proſpera eventura nobis putatis, ſi
„ in furore domeſtico, & publica clade perſeverabi-
„ mus adverſus eam charitatem, quam in nobis na-
„ tura, patria, & lex ſanguinis ingeneravit? Ego a-
„ troces, & indignas injurias, propinquorum cædes,
„ & quicquid maleficii editum in nos fuit, libens ad-
„ verſariis ignoſco: & quando in patriam, qua diu
„ caruimus, & pro qua penè ad internecionem pu-
„ gnavimus victores revertimur, non ut hoſtes, aut
„ exitiabiles tyranni cædibus, & rapinis inhiantes
„ portas ingrediamur; ſed mites, atque clementes,
„ nihil in perniciem alterius moliti auſpicium tran-
„ quillitatis, & perpetuæ pacis faciamus. Pacata ſint
„ omnia: nihil importunum appareat: omnes ſe pa-
„ cati oſtentent velim. Plaudat populus: ſecura nos
„ civitas ſpectet; haud enim fas eſt manſuetum, &
„ vigilantem paſtorem niſi ſervato, & exultante gre-
„ ge, Sacerdotium accipere. Hac oratione mitigati animi, remiſſaque ira fuit. Acclamavere omnes: *cum armis deponenda eſſe odia: & quod benignus Paſtor ſuaderet, id libenter facturos eſſe.* Tunc Otho ex Religionis inſtituto, & cærimoniarum ritu mitra, & paſtoricio ornatus pallio, antecedente aurea Cruce cum lituo, quo populis venerabilior foret, Mediolanum verſus ire pergit. Univerſa protinus effuſa eſt civitas: ſacerdotes primi generatim quiſque pro habitu ſacrorum, & animorum pſalmos, & hymnos Deo omnipotenti concinebant. Subſequebantur cives olivarum ramos geſtantes; quaſi pacem perpetuam, & tumultus, ac ſeditionis jam finem pacifera fronde portendentes. Succlamavere omnes, & qui præce-

A debant, & qui proſequebantur *ſervatorem adveniſſe.* Multis manare præ gaudio lachrimæ, ubi venientem Archiepiſcopum in clariſſimo pacis habitu ad ſe conſpiciebant: terram herbis quidam inſternere: & procumbentes religiosè ſalutare: lætitia, & exultatione civitas plena erat. In ædem Divi Ambroſii, hoc eſt in ſedem ſuam Otho deducitur. Aræ frequentes accenſis odoribus fragrabant: ingentes erant precantium, & gratulantium voces: ſuſcepta pro ſalute, & concordia civium vota perſoluta magnificè fuerunt. Tum his peractis, quæ ineundo Sacerdotio ex inſtitutione divina conveniebant: *ad populum præteritis malis affectum pacem, quietem, atque otium attuliſſe*, inquit.
B *jam Dei benignitate cædibus, & præliis finem factum: etiam iis omnibus malis, quæ civiles diſſenſiones afferre ſolent: ſi modo ſibi invicem reconciliati verè in gratiam ultro, citroque præteritorum facinorum data, acceptaque venia, redierint. Nemo poſthac per conſcientiam contractæ, parataque noxæ aut ſibi metuat; aut alteri fraudem moliatur. Cæterum de urbis ſtatu ſolliciti ſervandæ concordiæ, & privato commodo animos intendatis. Deo tamen ante omnia laudes, & grates jugiter agamus, ut à metu, & vexatione liberi in amore, & otio vitam traducamus.* Ab hoc ſermone à templo in prætorium tranſivit, convocatiſque in curiam primoribus populi, ex ſacrorum præſide de omnium conſenſu dominus urbis conſti-
C tuitur: ut is ſuo juſſu, atque nutu urbana negotia adminiſtraret, quibus Sacerdotum jura diſponeret. Sed ne diei memoria inhonorata maneret, & velut ingrati nihil decernerent, quo acceptam victoriam Deo optimo maximo teſtarentur, conſtitutum lege fuit, *ut qua die Turrianus prælio devictus fuit, atque deinceps lætiora eveniſſent, ea ſancta, & religioſa apud eos maneret.* Duratque diei religio, & obſervantia: ſiquidem *Agneti virgini* dicata ara fuit non Mediolani tantum; ſed per urbes, & oppida, quæ ſub poteſtate, & ditione Vicecomitis fuere, cui publicitus ſolemnia munera offerrentur. Feſtuſque dies *in commemorationem tormentorum, & cædis ſanctiſſimæ puellæ* foret: qua de-
D precante is victor evaſiſſet, qui juſtiora bella tractaret. Jura præterea non dat prætor: neque lege agi ea die licet: publico ferè omni munere abſtinetur: quin etiam plerique à privato opere ceſſant. Hæc eſt diei reverentia, hic ſacrorum cultus, hoc perpetuum victricis familiæ monumentum. neque hac tantum pietate Deum proſequutus eſt; ſed item muneribus ex honore eos affecit, qui relictis adverſariis, etiam armati ad eum tranſiverant, ſperantes ex victoria, & liberalitate præmia. *Tres familiæ* in annalibus leguntur *Marcellini, Mirabiles, & Caſtoni.* Hi beneficio Othonis in patriciatum, & curiam venerunt: Cataneorum appellationem deinde ſortiti. Qua di-
E gnatione perpetua illa factio Vicecomitum fuit. Geſta ſunt hæc anno poſt natum Chriſtum milleſimo du- 1278.
centeſimo ſeptuageſimo octavo, Rodulpho Romanorum Rege. Per quod forte tempus, poſt duos Pontifices intra quindecim menſes raptos, Romana Eccleſia non habebat ſummum Sacerdotem.

GEORGII

GEORGII MERVLAE, ALEXANDRINI,

ANTIQVITATIS VICECOMITVM LIBER VI.

Bella, & conjuratio in Othonem : prodigia in ortu Matthæi : Gulielmi captivitas : nuptiæ Galeacii : Matthæi exilium, & origo factionum referuntur. Henricus summæ rerum designatur.

SACERDOTIO, & rerum potitus Otho, cum
ii ferè urbe nullo cogente cessissent, qui in
Turrianorum partibus perseverabant, & se
proinde suspectos, atque invisos victori exi-
stimarent: quamquam illius lenitas, & clementia no-
ta omnibus esset, quasi tutiores foris, & in aliena
terra, quàm domi, & in patria viverent, ipse ad
statum civitatis componendum animum convertit.
Eos primùm urbe, & magistratu summovet, quos
adversarii reddendo juri præfecerant. Administratio
rerum urbanarum Ricardo Langusco traditur, cu-
jus fidem, & egregiam operam in debellando hoste
is expertus fuerat: Magisterii tempora contraxit,
Præturam, quæ ferè annua fuerat, semestrem con-
stituit, diesque solemnes Kal. Januarias, atque Quin-
tiles designavit, quibus Prætor magistratum accipe-
1278. ret. Ita judicia petentibus ex æquo sine vi, & in-
juria reddebantur. Jam tempus præturæ exierat,
atque Albertus Fontanæ urbi præficitur. Otho in-
terim nihil magis quærens, quàm beneficio, & cle-
mentia opes firmare; plurimum enim spei in chari-
tate civium reponebat, neminem eorum, qui cum
Turriano aut senserant, aut militaverant in exilium
egit, aut bonis mulctavit: & si quos aversos, & a-
lienatos à se noverat, necessitates domesticas, & in-
opiam sublevando, multa insuper largiendo, alios
in pristinum statum restituendo eos sibi conciliabat,
ut facile quivis diceret, illum nec ambitiosum, nec
studio vindictæ duci; sed humanissimi pastoris, &
moderati gubernatoris munera exequi. Nihilo ta-
men secius propinquas civitates in amicitia contine-
re, primores vicinarum gentium honorificè appel-
lare, præmiis interim afficere, & quibuscumque po-
terat officiis sibi adjungere. Exacto anno in prætu-
ra idem Albertus reficitur. Sed quamvis in vicinis
conciliandis, augendisque amicorum opibus pluri-
mum eniteretur Otho, tamen Turriani quidam,
quamvis longius summoti forent, ad societatem, &
rerum novitatem principes populorum sollicitabant:
Comi Advocatos, Brixiæ Maciones, Laudæ An-
tegachos, Cremonæ Cavalcaboves. Hos omnes
beneficiis, & adhuc multa pollicendo; eorum quo-
que cognatos, & amicos Otho sibi devinxit. Una
erat Cremonæ Amatorum familia divitiis, & affi-
nitatibus potens. eam semper Otho infensissimam
sibi habuit. Sed quamvis undecumque res muniret,
non tamen à cura bellorum liber erat. arcem Mon-
torfani valido præsidio Turrianus tenebat finitimis
infestus: animos etiam ad spem turbandæ civitatis
iis faciebat, qui veteris offensæ memores parum sin-
cera fide reconciliati Vicecomiti erant. Hanc in
primis Otho obsidere, atque expugnare parabat.
Desederant Cremonæ reliquiæ Turriani nominis. Ra-
tus itaque minimè duraturam fidem, & amicitiam
cum ea civitate, in qua adversarii quotidie versaren-
tur, Turrianos inde ejici curavit. Sed dum nimis
amicos fovet, & bene meritis præmia tribuere stu-
det, adeo iram, & odia irritavit, ut per vicinæ

A urbis rebellionem instauratæ sint adversariorum vi-
res, & de summa rerum periclitatus fuerit. Duæ
veteres, atque potentes familiæ ceteros cives in Lau-
de Pompeja anteibant Vistarini, & Antegachi: hos
velut dominos inter suos constituere parat: atque ut
metu, & armis ad ea, quæ imperassent, cives co-
gerent, his Bergagi arcem; hoc enim oppido no-
men est, custodiendam cum magno præsidio tradi-
dit. Qui continuo agros adversariorum passim po-
pulantur, nisi, graviora minantes, jugum accipi-
ant. Quare populationibus, & minis lacessiti cives,
simul etiam quòd pro indignissimo habebant, iis pa-
rere, quibus pares forent, Cassonum Parmæ exu-
B lantem ad se accersunt, qui haud cunctatus cum
Germano milite quantas potuit copias secum duxit.
Propinquo non contenti Laudenses auxilio, Ray-
mundum Turrianum, quem supra diximus Aquile-
jensi Ecclesiæ præfectum fuisse, de Venetis evo-
cant. ita duo patrueles cum exercitu Laudem in-
grediuntur. Multitudo erat ingens, ducesque stre-
nui: & cum non solum prohibere populationibus
hostem, sed etiam acie decertare possent, Berga-
gum oppugnare aggrediuntur, quod, pulso adversa-
riorum præsidio, primo impetu capiunt. Deinde
Lambrum transmissi Melegnanum, & Landrianum,
cum nemo resisteret, occupant. Inde ad Adduæ
C ripas reversi quicquid locorum à Tricio usque ad
plebem Uncini pertinet ferro, & igni permiscent:
ingentem hominum, ac pecudum prædam abdu-
cunt: nemo finibus arcere, aut obviam ire audebat.
Transgressi deinde fluvium arma iis inferunt, quos
eo in tractu amicos Otho habebat. Trivilium, &
Caravagium haud ignobilia oppida ad deditionem
compellunt. inde Cremam adorti capiunt, diripi-
untque, atque injecto igne, funditus prope ablu-
munt. Rursus cis Adduam regressi, atque effusius
excurrentes Papiam usque perveniunt. Ager erat
opulentus, unde præda major facta: incendiis cun-
cta vastabantur. Rustici, atque agricolæ, ut se,
D & sua servarent, in urbem confugiunt. Oppidani,
cum milites ad fines defendendos, aut ad hostem
procul arcendum non suppeterent, conclusi intra
mœnia, atque per stationes dispositi stabant. Ser-
vata fuit amnis beneficio pars agri incolumis; eo
enim velut limite ab incursionibus distinebantur
prædatores. Insula est trans Adduam Fulcheria no-
mine, hanc invadunt, direptamque omnem præter
Ripam altam tenent. Vagabatur impunè hostis:
deserta præsidiis omnia erant. Othoni satis in præ-
sentia videbatur, si clausis portis ab hostili vi, at-
que impetu cives defenderet. Turrianus propius
Mediolanum deprædatum progreditur, magis ut a-
E nimos civium tentaret, quam quod prædam, cum
res suas in tutum cives comportassent, agere spe-
raret. Insedit haud longè à mœnibus speculaturus
quid intra urbem pararetur. Ubi pro portis excu-
bias, & stationes in muris dispositas conspexit, &
ita territos adversarios, ut ne acie quidem dimicare
aude-

auderent: ferocior paulo ab metu, & ignavia obsessorum infesto cum præsidio in Ticinensis portæ suburbana invehitur, atque subverso vallo, fores templi Divi Eustorgii conjecta hasta percussit. Proximus erat furnus, de quo panes rapuit: tum ferocius insultare obsessis cœpit, ut eos per ignominiosa verba in pugnam provocaret. Otho patienter injurias, superbiam, & temeritatem hominis ferre: cives vero detrimenta belli non admodum ægre pati: quamvis non temere alias graviores vastationes perpessi essent. Cæterum Cassonus, posteaquam nec tumultus in urbe fieri, nec pellici ad pugnam posse oppidanos cognovit; ne tempus inter timidos, & qui vallo, & stationibus se tuebantur sine præda, extra spem potiundæ urbis tereret, cum loca alia, & opimos campos petere posset, omissa oppugnatione urbis, Bergomum versus cum exercitu ire pergit. Ex itinere Bergnanum oppidum aggreditur, in quo expugnando aliquot dies consumpsit. Per quod tempus hoste paulo longius amoto, jam vi, & tempestate belli aliò conversa, aliquantulum Otho respiravit, tumultuariumque militem congregans Adduam versus contendit: non ut prælio decertaret; sed ne in tanto rerum discrimine clausus, obsessusque desideret: Cassianum se recepit fretus maximè fluvii opportunitate. Jam Bergnano Turrianus potitus erat: inde agmen adversus hostes movet. Vix se ostenderat cum repente præsidio Othoniani cedunt. tunc Otho abundante adversariorum multitudine, & fuga suorum perterritus relicta Cassiani arce, Mediolanum revertitur. Fugientes Turrianus insequi noluit. Satius illi visum est desertam ab adversario arcem præsidio munire, & fluvii accolas in potestatem redigere, quam vagos, & transverso itinere diffugientes consectando cædibus indulgere. Vaprium per deditionem recipit: victor deinde passim agros vastat, & populationes perpetuas effusius exercet. intoleranda erant belli damna: nihil integrum circa urbem manebat: in summo periculo, atque discrimine res versabantur. Ad peregrina igitur auxilia Otho cogitur, quando domestico milite injuriosum, & potentem hostem propulsare, & populationibus prohibere, & patriam à tantis incommodis suis armis tutari non posset. Erat Gulielmus Montisferrati dominus vetus nobilitatis amicus, cujus fidem, atque animum pridem etiam adversus eumdem hostem expertus fuerat. hunc pacto quinquennali stipendio, ad se evocat. Accepta pecunia ex suis, & finitimis urbibus milites conscribit. Mediolanum continuo petit: quem adventantem cum plausu, & clamore universus populus excepit. Ingens erat lætitia, quasi advenisset is, qui hostem finibus arceret, & patriam à tanta calamitate, & obsidione liberaret. Accidit lætæ civitati aliquid adversi: casu equi confractis cruribus, Gulielmus Pusterleus moritur, cujus desiderio mœsta, velut in publico luctu, civitas fuit. Aggregato mercenario milite, & duce strenuo, atque amico, Otho statim urbem egreditur, atque in eas regiones contendit, quas adversarii deprædati fuerant, & præsidiis tenebant. Tricium aggrediuntur, ac sine mora capiunt; deinde Vaprium obsident. Raymundus cognita obsidione oppidi, cujus opportunitas in trajiciendo flumine magna erat, cum expeditis cohortibus illuc festinat. Superveniente adversario obsidionem solvit Otho, nec tamen longè digreditur. castra utrique in propinquo locant acie quamprimum decertaturi. Abstinuere tamen pugna: satius visum est conditionibus rem componi, quam Martis fortunæ se committere. Induciæ inter eos factæ: arx Vaprii Conrado Castellioneo, & mercatoribus, velut sequestro custodienda traditur. Disceptator, & arbiter pacis Gulielmus in hunc modum conditiones dixit: *Quicquid injuriarum, & maleficii longinquum bellum importasset, id omne remittatur: captivi ab utraque parte gratis liberentur: erepta bona sive agri, sive res moventes sint, quæ compareant Turriano restituantur: arces, & oppida, quæ in finibus Mediolani haberet, communes amici suo præsidio custodiant.* Acceptis conditionibus ab armis discessum est. Verum haud diuturna pax fuit: exulceratis vetere, ac insito odio animis, cum de principatu, & dominio urbis uterque contenderet. ita ludificati Turriani possessione veteris agri, & arcibus fraudantur. Post hæc cum quidam abalienati hac perfidia viderentur; alii vero sibi timentes iis locis se continerent, in quibus amicorum præsidio à vi tuti essent: quoquo modo eos tollere parat, quos dubiæ fidei, & novi alicujus consilii suspectos habebat. Convivium magnificè instruit. invitat amicos simul, & eos, quos inclinatos ad defectionem, & fraudem suspicabatur. eo scilicet consilio, ut inter epulas trucidarentur. haud occulta fraus fuit. Duo Conradus Castellioneus, & Ubertus Uncinas, quos in primis perdere cupiebat, cognitis insidiis, cædi se subtrahunt. Hic in castrum Uncini profugit, quam arcem munitissimam habebat: recepit Gotofredum insuper Turrianum cum præsidio quingentorum militum. Castellioneus in Laudem abiit. Non defuit Ubertus ulciscendæ proditioni; nam statim Gotofredum ad finitima loca evastanda emisit, qui latè excurrens intoleranda detrimenta usque sub mœnia urbis inferebat: nonnumquam cum adversariis pugnans multos eorum cepit. Missi sunt Laudem captivi Mediolanensis juventutis milites circiter quingenti, qui vincti custodirentur. Per id tempus Papienses ægrè ferentes tantum prædæ ab agris abductum iri, magis ulciscendi studio, quàm ut spoliatione Laudensium accepta incommoda resarcirent, fines illorum deprædantur: præda onustos Turrianus juxta Albirate adortus (hoc vico nomen est) dimicando fudit, stragemque non parvam de his fecit. Non erat sine metu insidiarum Otho, abalienatis quorumdam à se animis, qui etiam cum inimicis sentire dicebantur, eoque gravius bellum adversus se reparari videbat. Pecuniam igitur Gulielmo haud parvam, ut novos conscriberet milites misit. Hic continuo mercenarios, quoscumque potuit contrahit: Castrum Uncini circumsidet, quod haud ita multo post per vim captum solo æquavit. Interim Otho, quamvis vacuus à bello non esset, urbanam tamen jurisdictionem non in postremis habebat. Prætores, ut jura pro tempore, & legibus æqualiter omnibus tribuerent, atque ex forma, & consuetudine judiciorum negotia civilia expedirent hortabatur. Sed mercaturæ summum studium illi erat, tum privatæ utilitatis gratia, tum ut vectigalia, & portoria urbis uberiora fierent, ne tot bellorum incommodis exhaustos cives novo tributo prægravari oporteret. Per hæc tempora Comes Casates Mediolanensis Ecclesiæ Archidiaconus in collegium Cardinalium assumptus est. Sed Gulielmum cupido quædam invadendi regni cepit: pulchrè hic noverat utriusque factionis vires, & opes jam defecisse, ut consilio, & dolis magis, quam armis oppressa parte altera, cum novos dominos plerique jam indignarentur, ipse rerum potiretur. In Hispaniam igitur ad socerum extemplo proficiscitur, docetque quid spei, & fiduciæ ad regnum occupandum habeat: quingentos equites cum pecuniis ad iter, & persolvenda stipendia accipit. In Italiam properè revertitur, ac statim quoscumque potest milites scribit. Ticinum trajicit, atque in hostes profectus Laudem veterem statim expugnat: inde contractis propinquarum urbium auxiliis justo cum exercitu progressus Laudem alteram obsidet, in qua urbe præsidia erant Turrianorum; & ii ferè milites, qui vel amicitia, vel fœdere Turrianis conjuncti erant, portis erumpunt. Sed statim, atque levi certamine intra mœnia, amissis aliquot militaribus signis, compelluntur. Vexillum urbis

Mediolanum deportatur, ut scilicet fuga hostium testata maneret: simul etiam ut amissis signis, hostis instare cladem sibi cognosceret: cui deinceps adversa omnia accidere. Ceterum Cassonus, ad custodiam oppidi relicto præsidio, cum reliqua militum parte Vaprii arcem aggreditur, eamque primo adventu recipit. Tunc Gulielmus, cum videret bellum ab iis fieri, & arces capi, quos mœnibus conclusos obsidebat, obsidionem solvit, conductitias cohortes, & tumultuarium militem, quique gratuitam militiam per gratiam Viceccomiti præstabant, eos secum trahens haud longè ab oppido properè occurrit eo animo, ut cum adversariis, priusquam castra munirent, congrederetur. Cassonus item ubi hostilem aciem appropinquantem cognovit, nihil cunctatus in pugnam contendit. Infensis animis decertabatur: atque eo atrocius certamen erat; quòd pro summa rerum dimicabant. Suos igitur uterque in tela, & vulnera urgebat, tantoque ardore pugnatum: & uterque alterius impetum ita sustinuit, ut nemo capto loco cederet, aut vestigio dimoveretur: adeoque obstinati erant animi, ut mallent pugnando vitam amittere, quam terga adversario dare. Tandem cum Vicecomitum vires intolerabiles essent, Turrianorum acies inclinatur, fusique protinus fuere. *Occubuere quingenti*, ut traditur, *milites*, *octingenti capti*, *qui Mediolanum omnes missi fuere*. Sed cædes gravior, & illustrior victoria Cassoni morte facta est; quo occiso, dispersi, dissipatique Turriani sunt. Nam Raymundus ceu planè desperatis rebus, cum paucis, qui ab adversa pugna, & fuga superfuerant Aquilejam rediit. Laudenses ea clade perculsi continuo oratores fœderum, & pacis gratia ad Othonem mittunt. Sed cum victis conditiones dare Otho vellet, ne recusando quæ is imperasset calamitatem patriæ afferrent, iis primùm urbe summotis, qui Turrianorum opes fovebant, & proinde defectionis auctores fuerant, patriam, & agros Archiepiscopo dedunt. tum in verba, & leges illius juravere. Deditione Laudensium, & recenti victoria elatus Marchio, quasi suo ductu, suaque virtute devicti, & subacti adversarii, finibusque fugati procul à patria abiissent, eo superbiæ, & arrogantiæ progreditur, ut qui ante mercenariam militiam agebat, & sub alterius nutu, & imperio viveret, potentiæ æquas partes, ut regni socius affectaverit. Quare ut pari jure acceptus in regni societatem videretur, prætorem & ipse urbi imponit, ut suo scilicet arbitrio, atque mandato res civitatis administrarentur. Laborabat in primis, ut aliquo præfecturæ titulo gradum, atque aditum ad dominatum pararet. Otho sollicitus maximè hoc facto erat, atque perturbatus infidam societatem Gulielmi habebat: præferocem animum extimescebat, jamque insidias prospiciebat: nihil non regnandi causa ausurum hominem pro comperto habebat. Sed quamvis tot gravia, intoleranda, & periculosa ingruerent, maluit tamen in præsentia ea dissimulare, quam cum æmulo, cui peregrini, & conductitii milites parebant, & res feliciter gestæ, conciliatis quibusdam civium, animos dabant, aperto bello decertare. Ceterum Gulielmus nihil non cogitare, tentare, & moliri, quod ad Vicecomitum potentiam convellendam, opprimendumque Othonem idoneum videretur: labefactareque in primis urbanas opes statuit. Ergo intestinum hostem Vicecomiti comparat. Soresina gens vetustate generis, & magnis opibus pollebat: eam quibuscumque potest officiis amplectitur; annitebaturque, ut inter ceteros emineret: & velut in dominatu æmula Othoni infesta secum in illius perniciem conspiraret, & sentiret. Bossium præterea Doariensem patria pulsum Othoni, & ceteræ nobilitati longè infensissimum Soncini dominum constituit. Hæc, & talia ad quærendam in urbe gratiam, opprimendamque nobilitatem Gulielmus cum

A faceret, aliquos à factione Othonis avertit; ita nobilitati maxime infensus erat. Adversus illius insidias, gliscentemque in urbe potentiam domesticas opes per novas amicitias Otho opposuit; nam Guidonem Castellioneum primum sibi adjungit: Mandellos præterea, Pusterlcos, Carcanos, & eos, qui de Moguntia appellantur multa pollicendo ab æmulo ad partes suas traxit. Conspiravere subinde omnes, ut Gulielmum regni affectatorem, cum primum occasio daretur, urbe, & finibus pellerent. Circumacto præfecturæ tempore, idem Joannes jussu Marchionis Urbi præficitur. Tunc Gulielmus, quasi continuato magistratu, jam sub ditionem, & potestatem Urbem redegisset, nihil de novitate rerum timens in Montemferratum revertitur. Otho

B vero, ne quam opportunitatem bene gerendæ rei, & recuperandi imperii fortuna dedisset, eam per metum, & ignaviam amitteret, continuo equum conscendit: amicos, & eos in primis, cum quibus consilia novandarum rerum communicaverat adit, rogat, & obtestatur in proposito perseverent: monet advenisse tempus, quo patriam ab externo dominatu, improbo, atque fallaci tyranno eximant. Indignum profecto esse, mercenarium hominem velle his imperare, quorum sæpius stipendia meruerit. An scilicet externo serviemus: aut illius jussis obtemperabimus, qui per insidias, & fraudem

C dominari ei urbi paret, cui vicinos omnes populos non ægrè obedire videamus? Quod si virtute, & armis regnum comparare vellet, profecto enim, ut est hominum natura regnandi avida, minus iniquum videretur. sed quis ferat hominem fallacem magis fraudibus, quam viribus nixum talia in aliena patria moliri? Cædis identidem, exilii, atque injuriarum, quas ante sub novis dominis pertulerant, admonebat: neque mitiorem sperarent Gulielmum, si semel jugum accepissent, quam Turrianos experti essent. His, atque hujusmodi verbis ad arma multitudo concitatur. In prætorium contendunt: Prætorem novitate rei perculsum circumstant: vim minantur, nisi intra præstitutam diem magistratu, &

D urbe cesserit. Gulielmum præterea nuntiis, & litteris monent, ne Mediolanum veniat. ex eo inter Othonem, & Montisferrati principes implacabile odium, & perpetuæ inimicitiæ mansere, novumque mox Prætorem Jacobum Sumaripam genere Laudensem Otho urbi præfecit. *Per hæc tempora inter Genuenses, & Venetos navibus decertatum fuisse* apud quosdam scriptores invenio, *& Ligurem, profligata Venetorum classe, longè superiorem evasisse*. Guido item Turrianus sive corrupto, sive decepto custode, de arce Baradelli, in qua vinctus tenebatur, aufugit. Ceterum Otho inimico, & infenso Gulielmo, du-

E rum, & periculosum ratus sine peregrino favore, atque præsidio regnum nuper partum tueri posse; nam & hostis consilia struere, ut ignominiam tolleret, ereptumque regnum recuperaret, non cessabat: & civitas adhuc à domesticis odiis libera non erat: legatos in Germaniam ad Rodulphum novum Cæsarem mittit, qui etsi ante Turriano favisset, tamen cum Longobardorum principes in primis beneficio, & pro jure imperii sibi obnoxios parare studeret, libens legatorum postulata audivit, & icto subinde fœdere, equites centum, & sagittarios sexaginta Mediolanum misit. Ita Otho, quamvis

F vicini hostes illum lacesserent, tamen novi regis amicitia, peregrinoque præsidio satis opes in præsentia firmaverat. Novocomensis interea Leucum, & Clivate invadit. Hostis erat inopinatus, & vicinus: cujus debellandi negotium uni mandare & invidiosum, & parum tutum videbatur. Matthæum copiis Otho præfecit, duosque collegas illi addidit Guidonem Castellioneum, & Thomam Origonium, qui confestim adversus hostem profecti non agros solum tutati sunt, sed castra expugnant, atque diripiunt, capta oppida recipiunt, atque exercitum

præda

præda onustum cum multitudine captivorum domum reduxere. Lætatus supra modum fuit hac victoria Otho; rebellem enim populum priusquam latius per fines excurrisset, oppresserat. Matthæi quoque virtus jam eminebat, ut scilicet hoc felici auspicio, lætoque belli eventu rerum administrationem is capesseret, qui mox princeps in patria foret,
1284. omniaque deinceps obiret, quæ regiæ potestatis essent. Ita ceteris à magistratu summotis, uni Matthæo gubernandam urbem permisit. Hoc anno qui fuit ab nato Domino quartus & octogesimus supra millesimum & ducentesimum, Carolus, quem supra diximus regnum in Appulis, atque Siculis obtinuisse, moritur. Ceterum Gulielmus, cum propriis viribus, externoque præsidio Vicecomitem obnixum videret, alio bellum conferre statuit. Derthonam in Liguribus capit, atque repugnantem episcopum sive palam, sive clam (hoc enim parum constat) continuo jugulari mandavit. Cæde sacerdotis, & nova urbis adeptione major Othoni cura, atque molestia hæsit, plurimumque Marchionis opes timere. domi res præterea haudquaquam tutæ erant. Quare ne ancipiti bello eodem ferè tempore vexaretur, Soresinatem gentem Gulielmo amicam, & obnoxiam ad se avertere, & in partes suas transferre in primis studuit. Novocomensis vero sive à Gulielmo sollicitatus, sive quòd ægrè ferret non solum erepta sibi oppida, & spoliata castra, sed tot captivos Mediolani in custodia detineri: Muscam Turrianum, quem supra in pugna apud Decimum captum diximus, vinculis liberat, atque subinde contracta juventute, quæ ulciscendæ injuriæ cupida erat, ducem belli facit. arcem Seprii statim capit. Graviore tunc in metu Otho esse: Comensem sibi infensissimum, & prostratum hostem, & planè debellatum adversus se erectum videbat: & præterquam quod ægrè fines à maleficiis defenderet, intestini certaminis reliquias tollere, & nova popularium consilia cavere, si Musca vicinorum studio, & opibus fretus in bello perseverasset, vix poterat. Consilio igitur, & conditionibus cœptum incendium à se propulsare, & restinguere tentavit. Gens Ruscona ea tempestate Comi potens erat: hanc magna pollicendo sibi conciliat, quorum opera, & armis oppido primùm Musca ejicitur, tum oppidani in amicitiam cum Othone redeunt. Et ne homini ingrato beneficium collatum diceretur, simul etiam, si gratia pro merito relata foret, ceteri in res Vicecomitum propensiores essent: Petrus Rusconus jubente Othone in prætura Mediolanensi constitutus fuit. Hoc facto Turriani, ceu nulla spes eis relicta esset, (deserti enim ab his erant, quorum odium inexpiabile adversus Vicecomitem existimabatur) neque ad renovandum bellum opes suppeterent, nullusque suppetias ferret: tentavere conditionibus, potiusquam armis finibus cedere. Aliquantulum temporis utrinque ab armis, atque detrimentis cessatum est: pacemque deinde in hunc modum inter se paciscuntur, ut bona, fortunæque ereptæ Turriano restituantur: quæ ita demum is possideat, si Ravennam exulatum ierit. Dura sanè conditio: graveque erat tam longè à patria exulare: tamen quando ex magno, & uberi prædiorum proventu inopes extra solum patrium vivere non possent, in præscriptas terras abiere. Verum conventis haud diu Otho stetit. Turriano paterna vectigalia ampla erant, quibus facultates magnas comparare, largitionibus novos amicos conciliare, & veteres ad novitatem rerum provocare posset: præterea suo sumptu milites alere, quos & circum se haberet, & prout res posceret, ad excitandos motus emitteret. Ita metuebat Otho, ne aliquando reparatis utcumque viribus, civitatis status perturbaretur. Prævertit igitur incolumitatem regni ei honestati, quam fides exigere videbatur. Exulum itaque bona, contra quam convenerant, intercepta fuere: quæ subinde partim publicata, partim diversæ factionis civibus, & ante omnes Vicecomitum amicis contributa fuere. Sic Turriani finibus pulsi, & agris, ac fœnore fraudati, cum nihil haberent, unde vitam agere possent, in Venetiam, relicto Ravennati solo, demigrarunt; ubi apud Raymundum Aquilejensis ecclesiæ antistitem aliquot annos vixere. Durant in eis locis illorum nepotes ex veteri nobilitate, & diuturnis opibus adhuc in factione potentes. Per hæc item tempora Opicius Estensis Marchio fines ampliavit Regio Lepidi potitus: Mutinam vicinam urbem occupavit; & haud ita multo post Faventia, & Forum Livii in illius ditionem, & potestatem devenere. Jam popularium studia in Turrianos consenuisse, & ex loci distantia cessisse illorum nomen de mentibus videbatur: conversique cives ad curam rerum domesticarum, & in suis quisque negotiis occupati dominatum Vicecomitis non iniquè ferre. Tunc Otho posterorum potentiæ, & constituendo inter suos regno prospicere statuit: quod ita demum in nepotes perseveraret, si Matthæum administrationi reipub. designasset, qui jam tunc populum dicto obedientem haberet, ne scilicet eo mortuo, sive per discordiam, & contentionem popularium, sive jure quodam gentilis imperii cognati inter se decertarent. Gravis præterea erat ætas, quæ utrumque munus, & rei divinæ, & urbicæ administrationis obire vix posset. Ad curanda igitur sacra conversus, urbana gubernacula Matthæo tradidit, cujus potentia ut minus invidiosa esset, annuos ante dumtaxat collegas addiderat: hoc idem rursus instituit. De omni nobilitate præfectos quattuor urbi deligit: Matthæum ipsum, Henricum Moguntiacum, Othonem Mandellum cum eo, ut extra annum magistratus non procederet. Ita exacto anno, ceteri jurisdictione, & publico abstinuerunt, atque uni Matthæo urbis præfectura, & regni procuratio per quinquennium jubente patruo, cessit, rebusque in hunc modum compositis, se totum venerabilis sacerdos sacris, & cærimoniis tradidit. Habent quidam annales: *statim atque urbica negotia solus administrare Matthæus cœpit; sive quia domi legibus, & moribus jura redderet, proculque à vi, & injuria res urbis agerentur; sive quòd in omni militari negotio pro sententia cuncta succederent, Magnum appellari cœptum:* quod cognomen non solum dum viveret celebratum est; sed deinde ab omni ætate, omnibusque scriptoribus notatum, & memoriæ proditum manet. Patruum tamen in primis coluit, & quoad ille inter homines egit, tamquam ad dominum, quæcumque ad statum urbis pertinebant, semper retulit, ex illius consilio, atque nutu omnia gerens. Sanè Vicecomitum res ea tempestate satis stabilitæ, & firmæ existimabantur Matthæo dominante, Othone antistite, suffragante Rodulpho novo Cæsare. Gens tamen Castellionea (credo quia ægrè ferebat quòd in mandandis honoribus, & præfecturis Otho eam præteriisset) ut aliquando intelligeret Vicecomes, eos minimè in ordinem redactos esse; animum præterea, atque vires ad pellendam hujusmodi injuriam superesse, amicos, & clientes continuo colligunt: aggregantur item eis hi fere omnes, quibus Matthæus invisus, & opes timori erant, comparataque multitudine, Seprii arcem, quæ paulo plus decem millibus passuum à Castelliono abest, invadunt: validoque imposito præsidio, excursionibus vicinos vicos agitare cœperunt. quo metu fere universa præfectura à Vicecomite defecit. Minimè cunctatus in amicorum, atque suorum discrimine, & damnis est Matthæus. Latè patet Sepriensis præfectura; nullus enim inter Insubres tractus habetur, aut opulentior, aut qui frequentius habitetur. Hinc ferè profecta est vetus urbis nobilitas, & hi præcipuè, qui semper factionis Vicecomitum fuere. Profectus itaque obviam Matthæus, hostili fugato præsidio, arcem recipit, victorque opinione celerius domum cum ingenti gloria revertitur.

tur. *Huic viro*, quantum memoriæ proditum est, *jam ab ortu multa victorias, & regna portenderant. Forte qua natus est die armenta, quæ ligata in stabulis continebantur, eodem temporis puncto refractis vinculis passim per vias, & campos mugitus graves, & insolitos edidere.* Ad cujus rei miraculum cum multi concurrissent, clamore excitus pater: *hic puer*, inquit, *si vixerit, subsidium aliquando, & lumen genti nostræ jam pridem attritæ, ac prope extinctæ daturus est.* Tum prodigio lætus filium his artibus erudiri voluit, quibus ingenia ad magnas opes, rerumque fastigia excitari solent. Per omne autem pueritiæ tempus alacris, & sui fidens terribili voce à ceteris discretus, Brugia, velut à rugitu appellabatur. Cum adolevisset ex fœmina nobilissima prolem sustulit generosam, & felicitatis alias inauditæ. Tanta in juvene virtutis indoles, adeoque cœptis ejus fortuna aspirabat, ut illum cives colerent, & miro affectu venerarentur. Ad rempub. ubi accessit, interno, externoque bello composito, jam dignus imperio videbatur. Igitur à patruo, qui animo futuram nepotum amplitudinem præsagiebat, ita rebus præfectus est, ut penes eum unum urbis, & regni universa jurisdictio foret: neque inviti tam cives, quàm peregrini illi paruere. Judicia ut ex æquo sine metu, aut gratia cognoscentis, ac sine fraude legum semper redderentur in primis curavit: quin etiam priscorum regum exemplo ex prætura jus dixit, & quæ ordinarii juris erant, ipse cognovit, atque extra præturam apud se, *ut de controversiis disceptaretur* mandabat. Ita sine provocatione judicia exercebat. Quo facto multitudini admodum gratus extitit, quæ nihil magis optat, quàm ut lites, & controversiæ magis ex cognitione, & arbitrio principis tollantur, quam ex forma, & legum præscripto pronuncientur: quando haud facile falli, aut corrumpi queat, qui legibus præest, nec inopi injuria fieri, aut vis, & fraus legi sub cognitione principis possit. Religionem vero in primis coluit, sacerdotem quotiens sacra facturus erat, amictu, & sacerdotali habitu ipse ornabat, & sacrificanti subinde palam ministrabat, domesticos, & familiares ita instituerat, ut Deum cum primis timerent, & piè colerent; quæ lex Divina mandaret, ea & cognoscerent, & inviolata servarent, ecclesiasticos autem ritus procul ab omni superstitione tenerent: denique ut de Christo optimo maximo rectè sentirent, & reverenter, ac piè loquerentur, minimè eorum opinionibus adhærentes, quibus Catholica, & vera Fides pollui, aut bene de Deo sentientium mentes contaminari possent. Salutis animarum crebro eos admonebat, ut nihil eorum negligerent, quæ ad propitiandum Deum pertinere viderentur. Per jejunii dies ut operam sacrarum litterarum doctoribus darent, ut inde divina mandata perdiscerent, & quo pacto iratum Deum mitigare possent, qui una re maximè hominibus crimina remittit, si scelerum pœnitentiam proprio ore sacerdoti exposuerint. Diligens proinde exactor eorum, quæ quisque gessisset, vitæ, ac morum severus, & inexorabilis censor in eos graviter animadvertebat, qui præ pudore flagitii, aut metu piaculi confessionem peccatorum refugientes sacerdotes supplices non adirent, mallentque per contemptum legis in scelere perseverare, quam aliquando confesso crimine veniam cælestis iræ expectare. In maximarum rerum deliberatione gentis patriciæ potissimum seniores, & quicumque per ætatem, & usum rerum paulo prudentiores haberentur, eos in consilium adhibebat: illorum sententias crebro rogare, benemonenti numquam contradicere, amicorum libera consilia non invitus audire. In cognoscendis, atque puniendis criminibus minimè truculentus, aut sævus, lenior, quàm durus peccantes etiam minus legitima pœna castigabat: capitalia crimina numquam solus cognovit, raro sceleris, aut maleficii convictum capite, aut bonis mulctavit: & tamen haud inultum

A scelus erat: à fontibus, & noxiis exilio, aut carcere, potiusquam morte, & sanguine pœnas expetebat. *Nulli vim in tanta fortuna attulisse*, *aut potentia abusus* traditur: facilis, temperatus, & clemens. Præturam urbicam, & oppidorum præfecturas nobilioribus non ultra annum dabat, ne scilicet longa, & continenti potestate animi insolescerent: simul etiam ut quo plus honoris, & commodi publici impertiretur, eo plus gratiæ apud suos quæreret, quorum studio, & opibus in novitate regni maximè tutus erat. Commendabant præterea hominem eximiæ vires, ne dicam ostentationis prodigiosæ. Ferreas equorum soleas manibus in diversa distractas
B nonnumquam refregit. Quid igitur miramur si his naturæ dotibus præditus, tot rebus fortiter, & gloriosè gestis, homo invictissimus fundamenta ejus imperii jecit, quod ducentos, & amplius annos in Longobardis durat: cujus deinceps filii, atque nepotes barbara imperia, peregrinaque arma ab Italia ita propulsarunt, ut incolumes, & florentes patria, nostrisque finibus perfruamur. Jam finitimis Mediolani opes, & Matthæi arma timori erant: partimque à vi, & injuria quiescebant; alii fœdere, & societate crescens Vicecomitis regnum juvabant. Unus Gulielmus quiescere minimè poterat. Stimulabat ingentis spiritus virum proferendarum finium cupido,
C & dolor dominationis ereptæ. Multa itaque cogitare, atque moliri, copias contrahere, & expedire, ut Othonem, & Matthæum principatu exturbaret. Spem haud dubiam debellandi hostis recens Papiæ receptio faciebat: qua urbe fraude, & dolo domesticorum militum potitus fuerat. Perseverabat per ea tempora in Longobardis genus urbanæ militiæ, quæ tum cœperat, cum Federicus primus Pontificem Alexandrum Urbe, & Italia pulsum insectaretur, eos omnes atrociter infestans, qui in partibus Alexandri fuerant. Ergo ex vetere instituto urbana juventus nomen in militiam dabat: equos, & arma quidam publicitus accipiebant: frumenta, atque
D stipendia modo menstrua, modo annua præbebantur, ut semper instructi in procinctu belli starent. Accedebant immunitates, & commoda plurima, ut militares labores alacrius tolerarent. ita suos milites populi alebant, qui ferè intra mœnia continebantur. Interim longius à patria, ut hostes summoverent, injurias ulciscerentur pro jure fœderum progrediebantur. Interim sine publici consilii venia latrociniis, & prædæ assueti homines sub externo duce merebant: & augendi stipendii causa juventus, conversis in suos armis, patria alios expellebant, alios accersere, locupletum bona diripere, & quem voluissent dominum etiam popularibus
E imponebant. Quæ Papiensi per ea tempora acciderunt. namque ab hujusmodi milite Marchioni Batiennorum Augusta prodita fuit. Hanc Papiensis conjurationis, & fraudis suorum nescius, congregato domestico milite, recipere intendit. dumque versus Padum properat, fit ad Laumellum obviam Gulielmus. Statim manus conserunt: miles, sicut convenerat, populares relinquit: qui circumventi, cum hinc tyrannus urgeret; illinc fugientes miles ferro exciperet, & confoderet; oppidum, & sua (jam enim in manus inimicorum venerant) tyranno dedunt. Ita per insidias regno auctus ceteris finitimis maximè formidolosus erat. Conveneie statim apud
F Cremonam legati populorum, qui paulo ante fœdus, & societatem inter se conflaverant, ut pro communi salute, & incolumitate adversus vires, & insidias Marchionis communiter bella gererent. Tunc milites decernunt, quos civitas quæque pro copia, & facultate instructos, & ornatos haberet, in cumque subinde locum mitteret, quem opportuniorem, magisque idoneum ad propulsandas hostis injurias, suaque tuenda existimaret. Non sinebat Gulielmus vicinos quietos esse: & nunc solus, nunc inito cum aliis fœdere alienos fines infestabat, atque in primis Asten-

Astenses lacessebat: ad quos defendendos socii supra mille & trecentos tum equites, tum pedites misere. Enimvero tunc Gulielmus magis elatus est: & cum videret ab adversariis principem Matthæum designatum, ut illius potissimum ductu, & viribus arma tractarent, Vicecomitem bello aggredi statuit. quoscumque potest milites conducit, & catervas popularium, qui (ut supra ostendimus) domestico stipendio militabant, in unum cogit. Additi sunt quidam Turrianæ gentis, quorum factione domi res Vicecomiti majore in periculo essent. His comparatis copiis, plurimum animi, & fiduciæ illi aderat debellandi adversarii sive acie decertare, sive agros deprædari usque sub urbis mœnia oporteret. Ticinum trajicit, latiusque excurrendo ingentem hominum, & pecorum prædam abducit. vici direpti, ædificiaque rustica succensa sunt. Pervastatis agris, Mediolanum versus pergit. Rivus est ad irrigationem agrorum à Ticino derivatus, quem accolæ Ticinellum appellant. Hic Gulielmus stativa habuit. Matthæus item cum exercitu tumultuario ibidem obviam illi fit: pugnam utrique continuo ineunt. atrociter depugnatur. Marchionis agmen aliquamdiu restitit: verum cum superante adversariorum turba, sustinere impetum, & arma vix posset, satius esse duxit Gulielmus acie cedere, quam si in certamine perseverasset, occidione vinci. Ita servata plurima exercitus parte, Papiam se recipit, ubi novum conscripsit militem, & quantas maximas potuit pro fœdere, & amicitia ab omnibus copias comparavit, atque acrius de integro reparatis viribus, Vicecomitem aggredi parabat. Et certe si dimicatum foret, in dubio erat, uter eorum Gulielmus an Vicecomes è certamine victor abiisset. Interea ad defectionem sollicitati Alexandrini, qui sub imperio, & ditione Marchionis erant, motus in urbe faciunt: cujus rei nuncio perculsus Gulielmus Alexandriam cum his ferè copiis, quas paratas habebat, protinus contendit. Exterriti oppidani magnitudine exercitus, veriti item ne per iram, si armatus, & cum multitudine urbem dominus ingressus esset, gravius in eos desæviret, quos novitatis suspectos, & conjurationis auctores haberet; latiusque ira grassaretur, nisi cum paucis illum intra mœnia recipiunt, atque postridie oborto tumultu, domum, in quam Gulielmus diverterat, circumdant, proditos, & excidium sibi imminere clamitant. Quid enim, nisi ut eos perderet, quos dubiæ fidei, & in se conjurasse existimaret, urbemque ipsam diriperet, tantum copiarum propius mœnia duxisset? & quando satis illi compertum foret, sub ejus ditione Alexandrinos invitos vivere, ad unum eos occideret, qui in urbe opibus, & dignitate pollerent: mox reliquos pro libidine, & ira in universum populum aut domo pelleret, aut fœdæ, & graviori servituti addiceret. Hæc, atque talia clamitantes in ædes irrumpunt, manus injiciunt, & vinctum in privata custodia biduum tenuere: deinde in vetere urbis prætorio caveam ligneam ædificant, & in ea conclusus Princeps duodeviginti menses, contra quam vetus gentis nobilitas, & regii nominis decus poscebat, vitam idibus Februarii finivit. Clades per somnum illi denuntiata fuit; *siquidem*, ut annales tradunt, *pridie quam ferox populus impetum in eum faceret per quietem viderat se à multitudine mugientium jumentorum humi sterni, & subinde proculcari.* Hujus Gulielmi, & Alexandrinorum Dantes Florentinus novi, sed non inelegantis, neque injucundi carminis apud nos auctor mentionem facit in septima ejus oda poëmatis, in quo circulos descripsit animarum, quæ penitus eluto scelere, ad beatorum sedes aliquando transituræ sunt. Habeo auctores, qui scribant *consilio, & pollicitationibus Astensium Alexandrinos ad defectionem concitatos, pactamque primoribus urbis pecuniam, si in perniciem Tyranni conjurassent.* Ceterum capto, & mortuo Gulielmo, animi Alexandrinorum in nomen,

A & prolem illius tanto odio flagrarunt, ut edicto populi cedere de Monteferrato Alexandrinus cogeretur, ne quisquam de cetero sub filiorum, ac nepotum jurisdictione staret. Extat adhuc decretum ad abolendam nominis, & gentis memoriam. Nam Caroli Siculorum regis, & Gulielmi supradicti, atque nepotum nomina ubicumque scripta inveniantur abradi, & in totum deleri jubentur. Gesserat fortè Alexandriæ magisterium populi Nicolinus quidam de Monteferrato, qui & si spurius esset, tamen quia cognatus Gulielmi erat, illius nomen de omni publico monumento sublatum fuit. Et quando Montisferrati, quæ pars est Liguriæ cis Appenninum

B meminimus, non inconveniens erit ejus regionis situm, fines, urbium præterea, & populorum nomina etsi strictim, paulo tamen inquisitius, quam ceteri fecerunt, exponere. Nam prisci geographi nuda tantum nomina tabulis subnotarunt; quidam contra quam magni, & eruditi viri regiones ipsas discreverint, & terminaverint, urbes, & populos enumerare contenti, modum, & ordinem perturbavere. Posteriorum item quidam nimis indiligenter, ne dicam temerè, de ea gente nonnulla tradiderunt. Mons itaque perpetuo fertilis, & habitabilis diei ferè spatio ab Alpibus divisus, atque discretus per patentes interim campos collibus magis, quam jugis

C attollitur, ac proinde nihil incultum, aut inaratum colonus relinquit. Hunc à dextra parte Tanarus, à sinistra Padus urgent; nec ultra progredi sinunt. & quatenus à fluviis discedit, & quodammodo subducitur, ferax admodum planicies interjacet. Hanc terram possumus Mesopotamiam appellare; gemino enim amne clauditur. Mons ipse quà fluvii confluunt haud longè ab Augusta Batiennorum desinit, quam posteriores, parum detortis litteris, *Bassignanam* nominant. Sublicio ponte illic nostro tempore Padus jungebatur: sed illum vis increscentis fluvii dissolvit, funditusque subvertit. Supra Augustam Valentium est, vetus sanè oppidum, quod aliquando (ut Pli-

D nius tradit) *Forum Fulvii* dicebatur. in tumulo situm est Pomarium, cujus arx natura, & operibus valida habetur: tum Fraxinetum, & Casale sancti Evasii, opulentum sanè, & frequens oppidum, quod ætate nostra Gulielmus Theodori Paleologi abnepos bello, & armis inclytus, idemque princeps pace generosus, atque magnificus in urbis dignationem transtulit: & de nomine Pontificis, qui episcopum loco dedit, *urbem Sixti* appellari voluit. Hinc natus Facinus Canis patrum memoria gerendi belli exercitatissimus, ductorque impiger, & animosus. Interjacent campi uberes, oppida quoque sunt aliquot, quorum præcipua Burgum sancti Martini, & O-

E cimianum, quæ aliquando Marchionum sedes fuit. Nam *illuc ad Federicum convenisse eos* legimus, *quorum consilio, & hortationibus Mediolanum obsedit, atque evertit.* Procurrunt haud longè à Casali divisi colles, velut rami, quibus mons lancinatur. Circumluit eos fluvius, castella, & vici haud ignobiles in collibus, & vallibus posita sunt, Pons Sturæ à fluvio nomen trahens; tum Gabienum à Gabienis Liguribus aut conditum, aut nominatum. *Incoluisse eam oram hos Ligures* significare videtur Plinius sic scribens: *Padus è gremio Vesuli montis celsissimum in cacumen Alpium elati finibus Ligurum Gabienorum visendo fonte fluens.* Tum Verrucula, Brusaschum, Sanctus

F Raphaël, Gratium, Mons Calvus, Cherium, Mons Calerius: unde initium Ferratus Mons habet, ad Tanarum inde vergens, in quem torrentes per Astensium fines influunt. *Asta est colonia malo usuræ quæstu*, (ut Blondus ait) *maloque modo quæsitis divitiis opulenta.* In eo tractu vestigia adhuc remanent, & *turris Polentiæ* à Scriptoribus olim celebratæ præcipue ob nativum velleris colorem. Hinc enim Polentinæ lanæ, de quibus Martialis:

Non est lana mihi mendax, nec mutor aeno:
Si placeant Tyriæ; me mea tinxit ovis.

Silvius in tertio Punici belli libro : *fuſci villi Polentiam feracem* cantat : & Plinius *præcipuas nigri velleris opes habere Polentiam* tradit. Fuit etiam & Induſtria oppidum, juxta quod *Bondigomagum* ita appellatum, quod illic incipiat præcipua altitudo Padi. Nam Ligurum lingua Bondingum ſignificat *amnem fundo carentem*. Miror in hac parte Blondum haud indiligentem illuſtratorem Italiæ affirmare *in dextra Padi decem à Ferraria millibus paſſuum poſitum Bondigomagum*, quod poſteriores *Bondinum* dixere ; atque eo magis, cum eo in loco deſinat altitudo Padi, qui bifariam ſupra Bondinum dividitur. Totus enim Stellatam uſque defluit amnis, atque, ne hyemantibus aquis agros inundet, aggeribus magnis, atque perpetuis coërcetur: quippe immenſus, atque profundus multum terrarum interlabitur, augmentum accipiens poſt Taurinos. Quod ſi dum apertos errores coarguimus joco venia datur: Dicat quæſo aliquis, quibus architectis, & machinis, quorumve hominum viribus mœnia, atque domos ab Alpium radice ducenta, & amplius millia tranſportaverit : niſi forſan amne ſecundo, & altius intumeſcente adjutus chorographus fuit. Poſt Aſtam recurvatur mons, & uſque in Tanarum flexum agit, in cujus ſummo arx eſt Annoni, atque ex adverſo trans fluvium arx altera etiam in colle poſita eſt, quam Aratii dicunt: *Tanari* ſcilicet *clauſtra*: Felicianum item non ignobile oppidum in Alexandrinorum, & Aſtenſium confinio. Rurſum mons ſe colligit, pauloque laxiores ſunt campi, in quibus vetuſta oppida Solerium, & Quadringentum à depravato quadraginta familiarum vocabulo vocitatum. Durat in oppidanis inſita quædam ab antiquo ferocia, ſeque Romanos jactant. Quare cum tractum illum Romani ferè coloni tenuerint, eum locum quadraginta Romanarum familiarum ſedem fuiſſe exiſtimare poſſumus. Interſecat deinde Alexandriam Tanarus, in quem vix mille poſt paſſus Burmida influit. Pugnant rurſus fluvius, & procurrentes colles, in quorum altero Pavonum habetur; in alterius cacumine Caſtellum Montis poſitum eſt. Terga montis multis, & opulentis oppidis nitent. Sanctus eſt Salvator cum arce firmiſſima: Caſtelletum, Lugum, Vignale, Mons Magnus. Cetera longum eſſet enumerare, quæ etiam ſileri ſine jactura deſcriptionis poſſunt. Hanc omnem terram à qualitate montis, qui à ſe ipſo conſurgit ab alpibus ſeparatus, recentiores *Montem Ferratum* dixerunt, in qua quadringentos circiter abhinc annos Gulielmus cognomento Longaſpata, tum Conradus filius, Bonifacius, atque nepotes continua ſerie uſque ad Joannem ſupraſcripti Gulielmi filium regnaverunt, cui ſtirps nulla erat. Theodorum itaque Paleologum ex ſorore genitum à Byzantio accivit, atque moriens illi regnum reliquit. *Tanarum*, ſi Plinium ſequimur, *Apenninus emittit*. Si Decimum Brutum, atque Strabonem, *ab Alpinis Liguribus ortum habere* dicimus. Albam Pompejam à dextra perluit, *in qua natus fuit, & educatus* (ut Dion auctor eſt) *Pertinax, qui duos menſes poſt occiſum Comodum Romæ imperavit :* quamquam idem hiſtoricus non *Pompejam* ; ſed *Ligurum Albam* vocat. Hinc Apennini juga, & non iniqui colles incipiunt, ſeque paulum ſubtrahunt, quibus feraces Statielenſium campi, & aquæ ſubſunt. Civitas à *calidis aquis*, quæ illic erumpunt, appellata: & quia ſalubres, & morborum præſentia ſunt remedia, à Græcis, & Latinis ſcriptoribus celebrantur. Durant etiamnum earum potentia, & naturæ benignitas. *Conditores fuere Statieli, Gens Alpina*; quantum ex Plinio colligimus, cujus verba, quæſo, paulo diligentius eruditi viri aſpicere, & cernere velint: quamquam *Statielenſium non Statielorum fines* Decimus Brutus in quadam ad Ciceronem epiſtola ſcribat, cum fugam Antonii nuntiat : tum quibus legionibus, quove itinere latronem in Gallias feſtinantem perſequatur. Hic ego Straboni ſuccurram, quem interpres indiligens magis, quam ignarus mutilaſſe videtur : & quod noſtris hominibus tradendum erat, ſuppreſſum id fuit. A Græcè ſic legitur in quinto geographiæ volumine καὶ ἀκȣδιςατέλλα μικρὸν ἐν παρόδῳ, quod nos ita interpretamur : *haud longe à via*, hoc eſt Æmilia *Aquæ ſunt Statielorum*. Quidam vero hoc ſolum convertit: *paululum in tranſitu ſunt Aquæ.* Sed hujus urbis diœceſis olim latè patuit. Univerſus ferè tractus contributus ei fuerat. Vetuſta manent pontificum diplomata, in quibus *eos omnes populos, qui in una mœnia apud Roboreti vicum ædificandæ urbis gratia pridem convenere, juriſdictionis Aquenſis fuiſſe : & illinc ſacra petiiſſe* conſtat. Hinc Merula, ut vetuſtatem gentis penè oblitteratam repræſentet, ſimul etiam eruditioni ſtudens, ſe *Statielenſem* nuncupavit. B Erigitur per campos patentes Æmilia via, quam poſt devictos à ſe Ligures Æmilius Scaurus muniri voluit : & à Placentia Ariminum uſque, ut Flaminiæ committeretur, perduxit. *Hanc* recentiſſimi rerum ſcriptores antiquitatis ignari *ſublatam* pro ſermone vulgatiſſimo appellant : ſecus quam duo ſunt oppida memoratu digna : *Caſtellatium*, & quod priſci Ligures *Gamondium* dixere. Hinc relictis ſedibus, ſecum traducto templorum jure, coloni Alexandriam demigrarunt, moxque urbe condita, tantum populi deſerto in loco crevit, ut vix credibile ſit, inde progreſſos, qui Alexandriam ædificavere. C Boſchum amiſſo imperio, titulum adhuc veteris nobilitatis ſervat. Hinc marchiones aliquando dicti, ſub quorum ditione vicina aliquot oppida fuere. Leguntur fœdera, & ſocietates cum his à finitimis facta. Genuenſis præterea cum eiſdem diuturna bella geſſit, à quibus oppida partim per vim cepit, partim pecuniis emit. Viſuntur veſtigia Caſtri Marcorum, vel, ut poſteriores, *Maringi*. Abeſt vix duo paſſuum millia ab Alexandria, atque ſecundum Tanarum villa eſt fori : pervetus uterque deſertus nunc vicus : floruit dum Alexandria conderetur. Spectantur delubra diruta, teſſellata pavimenta, ſilicei antiqui operis lapides cum epigrammatis : evidens ſanè teſtimonium. D Perſeverant adhuc in ea gente Romana verba, obſervationes, & ritus antiqui : *ſtrena*, *topiarium*, *proſa*, *reſtibilis ager*, *amula vas* ad vinum, & aquam gerundam, & *mactra*, in qua conſpergitur, vulgo dicuntur. Cives pagatim rempub. gubernant, templaque Deum ſacrata habent : nec in vicinia Sacerdos jus ſuum exercet, aut ſacris operatur ; ſed pro vetere, & gentilitio pagorum inſtituto res divina, atque civilis geritur. Nuptiæ præterea per confarreationem ſolemnes, hoc eſt libo inter nubentes, & affines, atque cognatos partito, fiunt : & ut poëticum uſurpemus :

E

Inſulaque in geminos diſcurrit candida poſtes:
Et veteres luſere ſales, & more Sabino
Excipit hic triſtis convitia feſta maritus :

Obſervant alii ſolis ad tertium Idus Novembres occaſum : & qualis is fuerit, talem hyemem augurantur : nubilo pluvioſam, ſereno aſperam, augentque identidem, aut minuint non lacernarum, aut reliquarum veſtium ; ſed univerſarum pellium pretia. Aſt ii, quorum vites in collibus ab injuria frigoris, & gelu tutæ ſunt, occidens ſydus ſpectantes promercali vino pretium faciunt. Quin etiam anicularum eſt obſervatio, & religioſa quidem: *Pulegium per brumale ſolſtitium floreſcere* Plinius, & F Gelius tradunt. Verum, quaſi illud miraculò fiat, pervigilant plerique intentiore cura obſervantes qua hora in florem aridus colliculus turgeſcat. Non incelebres inter Statilienſes noſtra, & patrum ætate Marchiones de Inciſa fuere : quod oppidum geographus quidam non indiligens *Libernam* putat à Plinio, & Ptolemæo olim appellatum. Juga ipſa fluvii quatuor aperiunt : Burmida, per cujus vallem ad Alpinos, & Ingaunos Ligures itur, atque Caſſinos perluit : tum Urba notabile, & certum diſcrimen Apennini, & Alpium Vada perlabitur, quod

quod oppidum idem ad Ciceronem Brutus *in confinio montium positum* tradit: Lemorus Gabium præterlabitur, *cujus incolas Marchionum appellatione dignatos* legimus. tenues profecto, sed perennes sunt fluvii, atque Lemorum Urba, Urbam Burmida, Burmidam Tanarus excipit, qui illorum aquas, & famam aufert. Scrivia magno hiatu montes dividit, quem Paulus Diaconus *Iriam* appellare videtur: scribit *Majorianum haud procul Derthona juxta Iriam fluvium occisum.* Ita beneficio fluviorum cum maritimo Ligure commercia continua, & facilia habentur: & Genua vetus, & dives emporium perpetua, & magna mercatura celebratur: sarcinariisque jumentis merces ultro, citroque pro compendio viarum comportantur. Qua vero Iria in plana exit, in supercilio montis, ceu faucium custos est *Serravalle*, *ab re* nomen habens, supra quod mille passus Antiria intercidit, cujus vestigia, & ruinæ visuntur: nomen adhuc durat. Forsan *in hanc Tiberius Cæsar*, ut Tranquillus scribit, *equestris ordinis virum*, *matris familiarem*, *& cui moriens curam funeris demandârat*, *condemnavit:* nisi forte magis Iria ea sit *fluvii* cognominis. Nam Ptolemæus *Iriam civitatem haud procul Derthona* locat. Possumus conjicere, & forsitan non malè interpretamur *Antiriam ex anti præpositione Græca*, *& Iriam dictionem compositam esse*; prospicit enim vetus in monte edito arx confluentes ex adverso fluvios. In flexu Appennini, velut in cubito *Derthon est colonia Romana*, & *memoratu* (ut Strabo refert) *digna:* & quamvis eam Ænobarbus supra trecentos abhinc annos evertit, veteres tamen adhuc supersunt portarum fornices, & semirutæ cloacæ, ex quibus quantæ fuerint urbis opes facile deprehendimus. In Æmilia via Pons est *Curoni à torrente* nomen sortitus. Deinde Vicheria, quæ in antiquis monumentis *Vicus Iriæ* appellatur: & secus montem Clastidium olim *Hannibalis horreum*, cum ad Trebiam desedit. *Ligusticæ gentis esse* Livius in tertio belli Macedonici libro confirmat. Inter Æmiliam, & Padum Sale, & Castrum Novum Gotorum opus, qui Derthonæ commorabantur. *Illic non temporaria*, *sed perpetua stativa* (ut in quadam Cassiodori epistola scriptum est) *habuere: ne dum irruente hoste congregarentur*, *moram rebus afferrent*, *simul etiam ne per hyberna divisi carptim opprimerentur.* Sub Placentinorum fines hi Ligures protendunt. Gens cæli clementia, terrarum ingenio mitior, & magis socialis semper habita, quam montani, atque maritimi. *Durum sanè*, *& assuetum malo*, ut Virgilius inquit, *genus hominum!* Sed antequam ab hac descriptione discedamus errorem magni cosmographi coarguemus. *Attribuit* Ptolemæus *Augustam Batiennorum*, *& Derthonam Taurinis*, *qui sub Salassis sunt*; quod apertè falsum est, si certus, & perpetuus Italicarum gentium limes Padus regiones disterminat. multum enim Salassi ab initio, & flexu Appennini absunt. In hoc autem auctore refellendo minus sollicitum me facit Padi ortus ignoratio, *quem à Lario nasci is* tradit. Cisalpinæ præterea Galliæ lacus, populos, & flumina; etsi pro siderum ratione cuncta metiatur, & dividat, confundere, & perturbare magis, quam discernere mihi videtur. Sunt alia in hac regione oppida, quæ non commemorasse, nullum aut famæ, aut antiquitatis dispendium erit. Cannabensis terra tota trans Padum etiam nunc à *feracitate*, *& copia Cannabis* nomen inditum servat. inter Taurinos, & Vercellenses posita est. Hieronymus tamen in quadam epistola *Lugusticam urbem Vercellas* scribit, *& suo tempore penè habitatore vacuam*, quod, nisi de Levis Liguribus intellexit *gente veteri*, atque *potenti*, ut Livius tradit, & *à quibus Ticinum conditum fuit*, non video cur ad Ligures Vercellæ pertineant. Trans utrumque flumen Padum, atque Tanarum Montisferrati domini & nunc, & pridem prolatis finibus imperavere. Sed jam ad institutum revertamur. Matthæus potenti hoste, & pertinaci æmulo

A sublato, Vercellis statim potitur. Papiensi nihil incommodi dedit. Satis illi tunc visum fuit, si ejecto homine, quem Gulielmus urbi præfecerat, liberi viverent. Concessit item Alexandrinis, *ut pro suis legibus*, *liberisque suffragiis suos sibi magistratus crearent:* 1292. atque anno post Gulielmum captum, qui fuit alter à nonagesimo post mille & biscentum annos à partu Virginis, Ubertus ab Alice, & Nicolinus Merulanus unus ex atavis nostris, qui triennium antea magister populi domi fuerat, Mediolani ex prætura jus reddidere. Moritur per ea tempora in Germania Rodulphus: nondum in Italiam venerat, quæ tunc maximè Cæsaris præsentia ad intestina

B bella tollenda, civilesque discordias sanandas indigebat. Quare in illum velut ignavum, & imperatorii muneris negligentem idem Poëta eadem in oda acerbius invectus est. *Licuisset sanè vulnera Italiæ sanare*, *quæ diuturno attrita morbo recreari vix poterat.* Sufficitur deinde procerum suffragio Arnulphus Boëmorum Rex, ad quem legati mittuntur, qui regnum, & imperialem titulum illi gratularentur: tum vero *procurationem in Longobardis Matthæo demandari* postularent. Haud invitus postulatis novus Cæsar annuit; satis enim compertum illi erat, utcumque Longobardos obnoxios sibi haberet, ceteras Italiæ gentes haud invitas in obsequio mansuras,

C atque antecessores suos, ut primum ad imperii celsitudinem designati fuere, nulli rei æquè studuisse, quam ut administratio rerum Italicarum ex illorum auctoritate penderet. Procurator igitur, sive (ut vulgatissimum verbum usurpemus) *Imperialis Vicarius* Matthæus delegatur: quæ dignitas, ut splendidior foret, simul etiam ut opinione, & amicitia Arnulphi popularibus metuentior, ceteris autem venerabilior esset, cum Cæsare fœdera professus est: & quasi illo auctore cuncta gerere videretur, Aquilam Imperii signum tunc primum sustulit, quam deinceps filii, & nepotes gestavere. Ita spreto prætoris, & capitanei vocabulo, *Cæsaris procurator* nun-

D cupari cœpit: atque ex eo fines latius proferre instituit. Virium itaque, & armorum fidens eos sibi subjicere statim aggressus est, qui pro ferocia aliquando rebellaverant, invisumque novum regnum habebant. Novocomenses itaque juris, & ditionis suæ facit: & haud ita multo post Ticinum trajicit, in Montemferratum deinceps arma illaturus. Gens erat infensissima; & Joannes patri superstes, quamvis impubes esset, principem agere cœperat, opesque paternas tutorum fide, & amore popularium integras tuebatur. Ad illum præterea ii fere confluxerant, qui studio partium imperia Matthæi pati non poterant. Puerum itaque bello aggreditur, &

E avorum regno evertere tentat. Hostiliter fines ingressus Tridinum oppidum primo impetu capit. Arx muro, fossa, & valido præsidio munitissima stabat. eam diutius circumsedit: & tandem admotis scalis, magnaque defendentium parte cæsa, expugnat. Quod posteaquam divulgatum fuit, continuo plerique, quasi nulla salus alia, nisi fuga comparata esset, cum liberis, & uxoribus, ac omnibus, quæ secum ferre poterant, longè à domo in densas silvas demigrant: alii in saltus, & montes hosti inaccessos aufugere. Matthæus ultra progressus cuncta latè populatur, vicos diripit, succenditque, castella per vim capit: nullus vaganti obviam ire. Joannes

F ob recentem patris mortem sui dubius, bellique gerendi per ætatem minimè gnarus, nec propulsandæ injuriæ potens, fugiendo, & latitando se hosti subducere, & periculis eximere. Oppidum (ut supra demonstravimus) est Pons Sturæ. Hoc, exercitu trans Padum misso, Vicecomes repentè capit. Inde ad Montem Calvum contendit, quem oppidani præsidio destituti conspecto hoste, dedunt. Jam omnia latius evastabantur: nulla spes opis ostendebatur: ingens terror omnium mentes concusserat. Ita universa Montisferrati ora per conditiones

ditiones Matthæo traditur. Ab injuria, & detrimento intacti plurimi fuere. Præfectus devictæ genti imponitur: & tributa annua tria fere millia librarum Aſtenſis monetæ imperantur. Non parum ad Matthæi laudem acceſſit, quod adverſarium debellaſſet, tantum terrarum ſubegiſſet, exercitum præda onuſtum domum reduxiſſet. Amplior itaque in dies apud populares eſſe: vicini virtutem, & fortunam maximè admirari. Hoc forte tempore Petrus Craſſus, qui aliquot ante annos inter primores ſacerdotum cooptatus fuerat, Mediolani moritur, ampliſſimoque funere elatus fuit: quod fœminarum lachrimæ, & ejulatus quodam modo dehoneſtare viſa ſunt. Lege itaque cautum fuit, *ne mulieres dehinc funera proſequerentur.* Inſignem annum lætæ Matthæi res, & compreſſus matronarum luctus fecere. Sed eum præcipue inſignem, & memorandum mors Othonis fecit, quæ, etſi immatura non erat, plurimum tamen acerbitatis civitati præbuit. Vir fuit in omni rerum ſtatu facile unicus, ſive ſacerdotii curam gereret, ſive urbana negotia adminiſtraret, bello pariter, & pace clarus; ſed in exilio longè clarior vel virtute, vel patientia. ſexdecim ferè annis patria, focis, & aris extorris, armis adhuc, & inexpiabili adverſariorum odio aſſiduè fatigatus eſt, acie ſæpe devictus, amiſſis propinquis, ambiguiſque ſociis perſeverarentne in partibus, an magis ad hoſtem tranſirent? rerum, & auxilii inops, animo ſemper interrito, & contra adverſa erecto ſtetit. Numquam ad pacem, & fœdus cum victore venit. Tandem profligato hoſte, ſacerdotio recuperato, & urbis gubernatione ſuſcepta, in ipſa victoria mitis, clemens, atque temperatus fuit. Injuriarum in primis oblitus gentem patritiam ita domum reduxit, ut nemini diverſarum partium injuria fieret. Patriam ipſam diuturno odio, & pernicioſis diſſenſionibus agitatam, tum rapinis, cæde, & civili cruore exhauſtam, & prope everſam, pace omnibus data, penè in integrum repoſuit. Parem deinde per totidem ferè annos domi, cum ſanatæ adhuc civium mentes non forent, atque vicini populi infeſti eſſent, animi magnitudinem, prudentiam, pietatem, atque clementiam reipub., & ſacris operatus oſtendit. Multa in commune bonum, ad opera publica, & templorum ornamenta conſtituit. Aræ Agnetis ad quotidianum ſacrificium proprium ſacerdotem deſignavit, annuo ſtipendio ad ſacerdotum, & magiſtri alimenta comparato, qui ſacras litteras publice interpretaretur, ad ſublevandos, curandoſque inopes; quotiens morbis afficerentur, medico pro opera in ægrotos ſalarium annuum de proventu prædiorum dependi voluit. Seceſſerat ſenio confectus paſtor, relicta rerum cura Matthæo, in Monaſterium Claræ vallis, ibique morbo correptus è vita migravit pridie nonas Augusti quinto, & nonageſimo poſt ducentos & mille annos, ex quo Deum, & Hominem Virgo genuit. Magnificè pro Sacerdotii amplitudine, tum ſuorum cura, & opibus, civiumque amore funeratus in Pontificali æde, & lapideo ſepulchro conditus fuit, in quo ſexaginta poſt annos Joannes Matthæi filius Sacerdotum potentiſſimus ſepultus eſt. *Floruit per Othonis tempora* (ut quidam tradunt) *populi multitudine, & rerum copia civitas; etſi numquam otioſa ab externo bello, & ſeditione domeſtica manſit.* Ingens erat opificum copia, peditum, equitumque innumerabilis turba; qui civilem ſcientiam tenerent, & proinde aut reſponderent de jure, aut de cauſis judicarent ſupra centum numerabantur. In rationem annonæ amplius centum & quinquaginta millia civium capita veniſſe conſtat. Duo tunc cives viribus, & naturali prudentia maximè pollebant, Ubertus de Cruce, & Gulielmus Puſterleus, currentes ille equos manu comprehenſos, quamvis contra niterentur, retentabat, & morabatur. Jumenta piſtrinorum ſaccis onuſta ſuſtinebat: & interim pondera ipſa humeris contra ſcalas ferebat: altero inſtantem pede nemo unus veſtigio dimovere poterat. Puſterleus vero vix litteris primis imbutus prudentiſſimus ſuæ ætatis habebatur. Hunc in prætura Bononienſi juriſperitiſſimi, & qui leges interpretabantur in primis admirati ſunt, quod prudentiſſimè de cauſis, controverſiiſque omnibus, nullo adhibito juriſconſulto, judicaret. Matthæus poſt patrui mortem prætorias domos habitare inſtituit, quas repentino igne deflagratas majores, & magis ſpecioſas reſtituit. Jam illius liberi ad puberem ætatem venerant, quorum indole motus vicinarum urbium dominia appetere ſtatuit. Novariam occupat, Galeatiumque primogenitum ſubinde prætorem urbi impoſuit. Et quamvis Arnulphus, cujus nutu rem Mediolanenſem adminiſtrare videbatur, ab Alberto Rodulphi filio occiſus eſſet, nihil tamen ab his deterritus fuit, quæ animo conceperat. Pecunias imperare, & durius exigere à popularibus cœpit. Honore, & commodis, quibuſcumque poterat, eos proſequi, ſi qui à ſe ſteterant, parteſque propugnaverant. Contra eos deprimere, ſpoliare, atque contemnere, quorum ſuſpecta fides pro vetere in adverſarios ſtudio, cœpit. Cremonenſes paulo inclementius tractare cœpit: quo nomine cum Laudenſibus ſtatim conjurant. Utraque tunc civitas gravioris tributi exactione, & civium exilio, atque fuga exhauſta erat. Statim itaque à Matthæo deficiunt, quem ut etiam domi perturbarent, & ad priſtinas ſeditionum procellas traducerent, reliquias Turrianæ gentis è Venetia accerſunt. Aggregantur eis aliquot Mediolanenſium familiæ, ſive ob veterem cum Vicecomite ſimultatem, ſive creſcentis potentiæ invidia, initoque inter ſe fœdere, quas quiſque poterat, copias comparant. Caſtellionum circumſident. Gens Caſtellionea, & Franciſcus Carcanus in excidium Matthæi multa moliebantur. Maximè tunc anxius Vicecomes erat duarum urbium defectione, conjuratione popularium, & adverſariorum adventu. Cernebat præterea animo id, quod res erat, ſi Caſtelliono inimici potiti forent, bellum grave diutius in viſceribus manſurum, atque ægrè fines defendi poſſe, quando haberent adverſarii, quo ſe tuto à latrociniis, & excurſionibus cum præda reciperent. Ergo tumultuarium militem contrahit, atque Caſtellionum protinus contendit. Stabat tunc forte inſtructa hoſtilis acies: nec mora; manus conſerunt, atrociterque pugnatur. Verum Turriani duces numero hominum, & viribus impares ſervata ſuorum parte, de certamine abiere. cedentes Matthæus, quatenus loci natura permiſit, ardentibus ſuorum animis inſecutus eſt. ita levi pugna victor exercitum domum reduxit. Duo illum præcipue per ea tempora angebant: quis ſacrorum ſummam in urbe teneret. Othoni ſucceſſor Ruffinus Lucenſis genere deſignatus fuerat; ſed is prius, quam ſacerdotium iniret, raptus eſt. In demortui locum Franciſcus Parmenſis ſufficitur. Incertum erat quo is animo in Vicecomites eſſet: nihilo præterea minus torquebatur, quòd Arnulpho occiſo, nulli adhuc procerum ſuffragiis imperium demandatum eſſet: quippe non pauci, ceu procuratio inanis foret, quando ſummæ rerum nullus præeſſet; ad nova conſilia, agitandaſque ſeditiones jam mentem, & animum adjecerant, qui ab hujuſmodi conſiliis facile quieſcerent, ſi Cæſaris nutu res in Longobardis adminiſtrarentur. His curis anxius ſatius in præſentia exiſtimavit ignoſcendo, diſſimulando, aliquo præterea beneficio iratos animos placare, atque reconciliare, quam graviore vi urgere, aut detrimentis afficere. Continuo Cremonenſes, & Laudenſes clementia, & benignitate moti in gratiam redeunt, atque ut bona fide reconciliatos animos Matthæus crederet, Turrianos à ſe protinus dimittunt. Ita conſilio, & lenitate magis, quam viribus, aut injuriis bellum vicinum, & periculoſum

Matthæus

Matthæus sopivit. Multorum præterea animi, & præcipue popularium, qui abalienati erant, hac mansuetudine rursus in amicitiam convertuntur. Interea Suardi vetus, & ea tempestate gens divitiis, & clientelis potens Bergomo pelluntur. timuit Matthæus: erant Suardi Vicecomitis potentiæ studiosi, atque illorum opibus Bergomenses in amicitia Matthæi perseverabant, qui alioquin diversas partes secuti arma inferre videbantur. Veritus igitur Matthæus, ne proximos agros Bergomensis invaderet, qui ab hostili injuria Addua fluvio tuti videbantur, Leucum oppidum cis Adduam transferri jussit. Ita adempta obtinendæ ripæ facultate, cum exercitus vix possent transmitti, satis vicinis castellis, atque vicis, ut integri ab excursionibus, & damno manerent prospectum fuit. Per hæc tempora Opicius Estensis moritur, cujus Actius primogenitus quæ paterni juris, & ditionis fuerant, ea statim obtinuit. In Germania item Albertus Dux Austriæ ad Romanum Imperium designatur. Non erat hic nescius Vicecomitis potentiam magni ad utrumque momenti esse; sive Romam nominis, & imperatorii juris habendi gratia petere constituisset; sive civitates, quæ pro eo quod diutius designati Cæsares aut morte præventi, aut domesticis, & vicinorum bellis impliciti in Italiam non venissent, jam contumaces imperia detrectabant, ad fidem, & obsequium redigere pararet. Hic ergo Matthæum pro antecessorum instituto negotia Insubrium procurare voluit. Allectus forte per id temporis fuit inter primores Sacerdotum Nicolaus Tarvisanus genere nostræ theologiæ peritissimus, & prædicatoriæ fraternitatis magister, & rector. proficiscens ad titulum, nomenque cardinalis capessendum, Mediolanum tunc divertit: quem Matthæus, propterea quod Apostolico fastigio proximus haberetur, honorifice, & comiter excipit: nec spes, & opinio falsa fuisset, si in pontificatu is diutius vixisset. Ceterum cum in novitate regni, & hoste circumstante uno, eodemque tempore fines tueri, motusque domesticos comprimere plerumque oporteret, ne quando hosti occurrendum foret, civitas sine custode, & præfecto velut deserta staret; Matthæus Galeatium, quem Novariæ præfectum diximus, Mediolanensis populi magistrum, & rectorem constituit. Ipse cetera pacis, ac belli munera majore animo, atque expeditus sub domini titulo exequebatur. Res tunc urbis satis quietæ existimari poterant patre ad hostiles incursus prohibendos parato, & filio ad civium negotia, reique publicæ curam delegato. Sed minimè diuturna quies fuit. Nam haud pauci tam Guelphæ, quam Gibellinæ factionis, ut Matthæum domo, & regno pellerent, conjuravere. Invidebant gloriæ hominis, neque illius imperia, quamvis civilia ferre poterant. Audita popularium conspiratione, Joannes Marchio Montisferrati, quem (ut supra demonstratum est) Matthæus post patris captivitatem, & mortem avorum opibus, paternoque regno spoliaverat; ratus advenisse tempus, quo sua vindicare, & acceptas injurias hosti reponere posset: continuo patris amicos convocat, hortatur, orat, & admonet; si velint ad priscos, atque legitimos dominos reverti, eoque tributo liberari, quod inviti annuum Vicecomiti penderent, arma sumant, seque sequantur. Regii juvenis exhortatione excitati, simul etiam veterum dominorum memoria permoti, cum Matthæus insidiis, & armis suorum ita implicaretur, ut vix domi tutus foret, nedum longius arma inferre posset, haud cunctanter insurgunt, arma capessunt, in Vicecomitis præfectum impetum faciunt, atque finibus, & oppidis cum præsidio propellunt, Joannemque dominum suscipiunt, & appellant. Recuperato regno, confestim pro opibus, & fide popularium milites congregat, duasque vicinas civitates, Vercellenses, & Novarienses sive metu damni, sive magnis pollicitationibus à Vicecomite avertit. quorum rebellione Novocomensis permotus, simul etiam promissis auxiliis ad Joannem defecit. qui trium populorum novo auctus imperio quantas magnas potest copias comparat; atque ad Ticinum populabundus pervenit. Conceperat animo juvenis Mediolanensem agrum pervastare; tum Matthæum compluribus invisum, defectione urbium lacerum, & debilitatum in conspiratione popularium patria, & regno exturbare. Jam amnem trajiciebat: cum subito Galeatius pro ripis obstitit: delectam juventutem duxerat. hostem transitu continuo prohibet. tum cedentem persequens in Montemferratum redire coëgit. Accidit eo anno Raymundi mors ejus, qui Aquilejensi Sacerdotio præerat, rebus Matthæi minimè importuna. siquidem illius ope, atque impensis cognati, & clientes exilium tolerabant: tum veterum amicorum suffragio, & opera, tum præsulis auctoritate, atque præsidio Vicecomitem aut proditis oppidis, aut civilibus armis quiescere non sinebat. Ceterum fugato Marchione in spem Matthæus venerat recipiendarum urbium, quæ paulo ante defecerant. quin etiam finitimi à motu, & armis quieturi existimabantur. Verum Cremonensis precibus, & magna pollicendo Actium Estensem ad se vocat. Hic properè cum exercitu Cremonam petiit: nec prius urbem ingressus est, quam nova adoptione ab oppidanis se, & sua dedentibus in dominio constitutus fuit. Rebellione Cremonensium, propinquoque tyranno, qui bello, & minis finitimos partim territaret, partim ad motus, resque turbandas excitaret, quidam inter se consilia adversus Vicecomitem ineunt, atque cum Actio, quas contrahere potuerunt copias consociant. Henricus Moguntiacus, & Bergomensis populus ad Estensem transeunt, statimque pontem haud longè à vico Cassiani super Adduam fabricant, transmissoque exercitu, vicos, & agros populantur, tecta succendunt, prædas agunt. Magno in metu tractus, qui ad Adduam pertinet, erat. Diffugiebant alii in loca paulo munitiora: alii collectis iis, quæ secum ferre poterant in urbem confugiebant. res in periculo positæ erant. Tunc Matthæus subitario milite contracto, prædatoribus occurrit, qui in castra propere redeunt. Constitit haud longè Matthæus. Actius congredi minimè ausus est, atque aliquantulum à pugna se continuit. Verum ne ignavus, & timidus à suis existimaretur, utpote qui cum hoste decertare minimè auderet, levi inito certamine, seque potius defendens, quam adversarios premens in tutiorem locum copias suas reduxit. Tum vero relicta Cremona non sine dedecore, nulla re illustri facta, Ferrariam, unde digressus fuerat, revertitur. Fuere tunc, qui dicerent: *Si fœdere, & amicitia Vicecomes, & Estensis jungerentur, facile reliquas Longobardorum civitates illis obtemperaturas.* Quis enim conjunctas duorum dominorum opes non formidaret? aut quis arma inferat? quando alterius jam tantæ vires essent, ut lacessitus adversarios debellaret: quisve clam, aut palam duplici consociato regno insurgere auderet. Fœdus igitur inter utrosque continuo percutitur: neque eo contenti affinitatem contrahunt. Traditur Galeatio Vicecomiti Matthæi filio in matrimonium Beatrix Actii soror; sed in *mulieris nomine*, *atque statu* scriptores variare video: alii *Beatricem*; quidam *Agnetem* nominant. Utrique *virginem fuisse* referunt: Dantes *viduam*; *utpote quæ ex Nino Galluræ filiam genuisset*. In Hetruria sub ea tempora avorum opibus, & factione popularium largiter Gallura poterat: & cum Pisis princeps factionis suæ foret, in Sardis agris ditissimus, aliquot etiam oppidorum dominus erat. Pulsus deinde patria ab Ugolino avunculo, & Rogerio Archiepiscopo cum uxore, liberis, amicis, atque clientibus in propinquam calcinariæ arcem confugit: moxque addito Florentinorum, atque Lucensium præsidio, con-

fluentibus etiam profugis, Piſanum omnem agrum
excurſione, & populatione vaſtabat. Mortuo Ni-
no, ad fratrem Beatrix reverſa ſecundo nupſit. E-
go viduam crediderim: atque ut quæ Dantes tra-
dit, vera affirmem, cum hominis auctoritas, tum
mulieris ſepulchrum facit, quod adhuc Mediolani
in æde Divi Franciſci marmoreum extat. Inſculp-
ta eſt ſupplicantis feminæ effigies: atque in ipſo fa-
ſtigio *hinc vipera*, *illinc gallus* conſpicitur: duorum
ſanè maritorum inſignia. Et quamquam prioris vi-
ri appellatio per ſecundas nuptias aboleri debuit;
tamen ſive hoc moriens Beatrix in lapide inſculpi
voluerit, ſive filius ſuperſtes hoc fecerit, ut teſta-
tum poſteris maneret, matrem bis nupſiſſe; & pro-
inde per eas nuptias plures cognatos, amicosque ſi-
bi conciliatos fuiſſe, duarum familiarum inſignia vi-
ſuntur. Præterea ſunt auctores, *Galeatium domo pro-
fugum Tarviſii honorificè exceptum, atque ibidem aliquot
annos judicia reddidiſſe:* illa ſiquidem prætura priva-
tam vitam agere non videbatur, & exilii incommo-
da compenſabat. Nec diuturnior magiſtratus fuiſ-
ſet, qui ferè annuis vicibus mutari ſolet, niſi Joan-
na privigna interceſſiſſet. Nupſerat ea Riciardo Ca-
minati, qui tunc factionis Gibellinæ ſtudio, & a-
micitia Germanorum Cæſarum in Tarviſanis princi-
pem locum tenebat, atque imperia, & procuratio-
nem rerum peregrino nutu exercebat. Ergo ne pro-
fugus, & egens mendicaret aliena in terra, privi-
gnæ beneficio vitam cum dignitate egit. Poëtæ
præterea enarratores *Beatricem viduam*, *& filiam Ca-
minati in matrimonium datam* referunt: quos ego ſe-
cutus ea haud ambigam affirmare, quæ Dantes di-
cat. Quamquam vatis petulantiam neſcio, an livo-
rem mirer, qui apud inferos ſub priſtini conjugis
perſona Vicecomitum gentem nobilitate, & nomi-
ne Gallurarum familiæ longè cedere palam prædi-
cet. Mandata ſunt Nini ad filiam, ut prece, &
piaculis in maturanda expurgatione ſe juvet: quan-
do is animæ ſtatus ſit, ut expiato ſcelere felices ſe-
des ſperare poſſit. Nam mater prioris mariti imme-
mor, jam mutatis vittis, aliò mentem, & animum
pro fœminarum ingenio tranſtulit. Exprobrat, il-
lam viperæ monumento, ſub cujus ſigno Mediola-
nenſes bella gerant, numquam tam fore illuſtrem,
quam Galluræ nomine claruiſſet. Sed cur hæc Dan-
tes? aliquando cogitavi. Longè nobilior Galeatius,
tum opibus potentior, & urbis amplitudine illuſtri-
or, quam Gallura. Quis enim Mediolanum Piſis
cedere, aut Vicecomitem Galluræ dixerit? niſi for-
ſan quo tempore vates talia tractabat, regno, &
patria pulſus Vicecomes eo calamitatis, & miſeriæ
dejectus erat, ut nulla reditus, & recuperandi re-
gni ſpes reliqua foret. quod ego vix crediderim.
Nam quamvis quo tempore Matthæus exulabat, co-
mœdias ille conficeret; decem, & amplius annos
poſt reſtitutos Vicecomites Dantes vixit. Et quam-
quam morte Henrici ſeptimi Gibellina factio mul-
tum jacturæ accepiſſet; res tamen Vicecomitis mu-
nitæ ſtabant. Tradunt quidam *morbo animi potius,
quam quòd ita ſentiret, vatem locutum.* Id quod mi-
nimè affirmaverim; quamquam Leonardus in hiſto-
ria illius epiſtolam velut ab irato, & vindictæ avido
homine potius, quam à prudenti, & temperato
ſcriptam redarguat. Ego ut ſemel, quid ſuper hoc
ſentiam, proferam: neque temerè, nec mentis vi-
tio Vates hæc dixit. Rapto Henrico, in contrarias
factiones diviſæ Hetruſcorum, & Longobardorum
civitates atrociter inter ſe decertabant: & quidam
patria fugati, ut injurias, & rapinas ulciſcerentur,
& amiſſa recuperarent, externis armis adjuti in ad-
verſarios acerbiſſimè deſæviebant. Joannes præter-
ea hujus nominis Vigeſimus ſecundus auro ditiſſi-
mus, ex quo Romani Pontifices regnum tenuere;
Matthæum, & filios diris execrationibus agitabat,
pecunias factioni Pontificiæ affatim ſuppeditabat:
potentiſſimos reges in perniciem Vicecomitis exci-

A taverat: denique procurationem Italiæ Roberto re-
gi mandaverat. Quo facto maximè Longobardo-
rum animi in mutuas clades accenſi erant. Coive-
rat Guelphum nomen, ut funditus Matthæum tol-
leret. Ad hæc, & hujuſmodi alia reſpiciens Vates,
ceu deſperatæ res eſſent, Galluræ Gallum Medio-
lanenſi Viperæ præpoſuiſſe videtur. Forſitan pro
affectu perſonæ ſecundas nuptias indignantis verba
alius accipiet: ſi credendum eſt cineres, & ſepultos
manes id curare. Sunt qui *nec ad natales*, *nec ad o-
pes reſpexiſſe*, *ſed potius mulieris pudicitiam ſugillatam*
dicant: *Quòd videlicet*, *quæ bis nupſiſſet*, *ea pudicitiæ
corona donari non poſſet*, *quæ olim ſemel nuptis dabatur.*
B Longè repetita expoſitio: & licentiore poëmatis jo-
co ineptior neſcio, an argutior exiſtimari debeat.
Non deſunt qui *divinaſſe umbram* exponant: quando
annos circiter ſeptem poſt Dantis obitum Ludovi-
cus Bavarorum Dux paribus ſuffragiis cum Federi-
co ad Romanum Imperium deſignatus, debellato
mox, & capto æmulo, quaſi ea victoria titulum,
& nomen Imperatorium obtinuiſſet, Italiam adver-
ſus Pontificis voluntatem ingreſſus, captivis ceteris
fratribus, Galeatium in Hetruriam abduxerat, ubi
profugus, & egens è vita deceſſit: atque iterum vi-
dua mulier ſecundi conjugii pœnitens priores vittas
optaverit. Abſurda hæc commenta, & ſomnia ho-
C minum, qui rerum geſtarum neſcii, ubi fides labo-
rat, paulo audacius, ne dicam impudentius fatua
multa proferre ſolent. Verum ut ad nuptias rever-
tamur: pacta Beatrice, ampliſſimi utrinque appara-
tus facti ſunt. Matthæus, ut Galeatius dignus pa-
tre, & imperio ad uxorem accederet, principum
civitatis liberos ſplendidè ornatos illi comites dedit.
Actius item feſto ſponſalium die in conſpicuo pro-
cerum, ac matronarum conventu Galeatium milita-
ribus ornamentis donavit. Traducitur ſubinde Me-
diolanum mulier: lautiſſimè omnes excepti: epulæ
multifariam exquiſitæ, ſumptuoſa convivia exhibita,
pretioſæ veſtis, tum auri, atque argenti magna co-
D pia, ingentia munera comitibus data, ut magnifi-
centiæ nihil aſtrui poſſet. Matthæo nova fœdera,
nova amicitia, atque affinitas animos dabant, ut
eos ulciſceretur, qui cum hoſte ſenſiſſent, arma in-
ferre pararent, aut rebellionis ſuſpecti eſſent. Pa-
pienſes igitur, qui ad Joannem Marchionem incli-
naſſe ferebantur, primum aggreditur: agros ad ur-
bis usque mœnia hoſtiliter vaſtat. Muris oppidani
ſe continuere, populatores arcere finibus minimè au-
ſi, aut illatam vim propulſare. Tum Vicecomes,
cum nemo obſiſteret, propius accedens ſuburbana
diripit, ſuccenditque; quo igne correptæ portæ
conflagrarunt. Indignè ferebat agros vaſtari Phi-
E lipponus Languſcus, qui ea tempeſtate princeps in-
ter Ticinenſes erat: & ne tam inſignem contume-
liam, illataque damna Matthæus inulta haberet, in-
ſidiis, & domeſticorum dolis illum adortus eſt. Jam
nuptiæ Galeatii inviſæ propinquis, & cognatis e-
rant: & proinde ad res novas tendebant. cum his
Languſcus conjurat. *Detectis inſidiis*, *Matthæus Pe-
trum Vicecomitem patruelem fratrem*, *ſive*, ut alii tra-
dunt, *patruum conjurationis participem*, *& ad Alpes fe-
ſtinantem revocavit*, *& in libera cuſtodia in arce Sego-
zani ſervari juſſit.* Uxor Archiochia, ut virum libe-
raret, arreptis armis, accerſitisque amicis, & clien-
tibus, Seprii præfecturam hoſtiliter invadit. capti-
F vitate ſoceri, & mulierum lachrimis Conradus Ru-
ſca inter Comenſes ea tempeſtate opibus, & factio-
ne potens in perniciem Matthæi cum æmulis con-
ſpirat. Hæc fuit conjurationis origo, qua fraude
ſuorum, adjunctis etiam externorum viribus Mat-
thæus paulo poſt regno deturbatus fuit. Ergo ut
domeſticorum inſidias, & hoſtium arma devitaret,
res urbanas diligentius adminiſtrare, & ſi quid ad
regni defenſionem, tuendos fines, arcendamque
vim pertinere videbatur, id omne ſtudioſius obire.
Præfecturam populi Galeatius filius, ut ſupra dixi-
mus,

mus, gerebat. Reddendo juri Brachium Pistoriensem, mox sexto circumacto mense, Bernardum Pollentanum Ravennatem præficit. Annus agebatur
1302. alter post mille & tercentum ab ortu Domini. Jam Petro in vinculis detento, cognatorum plurimi, deinde popularium à Matthæo abalienantur. In cognatorum odio, atque ira, incitatisque ad vindictam animis, ratus Languscus parvo negotio Matthæum regno dejici posse, ne in tanta opportunitate sibi deesset, vicinarum urbium principes in societatem traxit. Avidus erat Languscus cum recentissimæ injuriæ, tum etiam veteris ulciscendæ contumeliæ. Forte biennio ante Matthæus, ne inultam fraudem, & avaritiam Manfredus Beccharia haberet, qui aliquot ante annos, ingenti accepta à Vicecomite pecunia, Gulielmum Marchionem in procinctu pugnæ deseruerat, cum Langusco, & nobilitate Papiensi, quæ patria, & finibus factione, & armis Manfredi pulsa erat, societatem iniit, reductisque in patriam nobilibus, Manfredus cum plebe ejectus: inde Veronam militatum sub Cane Scaligero abiit. Ceterum ut sanctiora fœdera, firmiorque amicitia, & diuturnior societas inter utrosque maneret, Matthæus filiam Ricardo Philipponi despondet: quo conjugio fides, & amor perpetuus sperari poterat. Verum, ut sunt variæ hominum in parandis regnis voluntates; & dum magna appetimus, concidit fides, nullaque fœdera aut inviolata, aut integra servantur: Matthæus statim Papiæ dominatum affectat. Inde tantum iræ, & odii Philipponus concepit, ut nuptiis, & affinitati cœptæ protinus renunciaverit; atque adeo animi exarsere, ut deinde in gratiam redire numquam potuerint. Antonius itaque Fisiraga, Simon Advocatus, & Gulielmus Brusatus in fœdus, & societatem cum Langusco sub specie tuendæ libertatis, quamvis Matthæo re ipsa ruinam, & exitium pararent, devenіunt. In tanto rerum motu, vario animorum habitu, & procerum conspiratione Albertus Scottus ad conjuratos accessit ingentes copias secum ducens. Huic statim gerendi belli imperium tradunt. Nobilitate, & opibus ceteros anteibat: neque quiescere poterat, nisi Vicecomiti parem gratiam redderet. Eluserat forte Matthæus Scottum, dum Beatricis nuptiæ tractarentur. Studebat Albertus fœdus, & societatem cum Estensi inire: quam etiam rem Actius cupiebat. Parmenses debellare, & ditionis suæ quacumque via facere is adnitebatur: quod facile socio, & amico Scotto, futurum intelligebat. Nam Albertus res Placentinorum administrabat; tum factione, & opibus familiæ inter finitimas gentes largiter poterat. Hujus filio sororem Beatricem collocare statuerat: & jam per internuntios de nuptiis agebatur. Inter hæc Scottus, sive nimio futuræ nurus gaudio elatus, sive ut Matthæum ab iis deterreret, quæ magna animo concipere videbatur, eum ad se vocat, tum affinitatis, & nuptiarum consilia aperit. Movit ea res Vicecomitis mentem; cognoscebat enim, si majores opes Scotti fuissent, illum in tantis viribus à vicinorum injuria nequaquam temperaturum. Verum, ut animo vafer erat, multa dissimulare, nuptias, & societatem cum Estensi haud improbare; *Circumspici tamen omnia accuratius oportere*, inquit, *ne novi conjugii aliquando pœniteat.* Ab hoc sermone Albertus, dum circumspectius cuncta agere studet, rem in longius extrahit. Matthæus nuntios Ferrariam properè mittit. Jam enim de fœdere, & affinitate actum fuerat. expertus præterea Actius erat, quid Matthæi vires possent, & quantopere incolumitatis utriusque referret, si nuptiarum vinculo in societatem, & amicitiam coirent. Ergo mutata sententia Beatrix Galeatio despondetur. quod factum Scottus ægerrimè tulit: & magis, atque magis indignatus nihil deinde parabat, & moliebatur, nisi quod Matthæo cladem, & exitium afferret. Opportunè igitur Scottus ardente

A in vindictam animo imperator idoneus creatur: qui, ut erat gerendi belli peritus, cum res ipsa cunctationem non reciperet, suas, & conjuratorum copias in fines Mediolanensium confestim duxit. Populante agros hoste, trepidatum in urbe est: atque haud pauci, quos à se Matthæus stare sperabat, jam mutata voluntate, palam ad conjuratos transeunt. Cives in ambiguo positi prout res aut lætæ, aut adversæ accidebant, ita studia sua modo in hanc, modo in illam partem convertebant. Matthæus undique circumventus continuo eos rogat, & accersit, qui studio partium, aut pro fœdere, & amicitia opem afferre debebant. Itaque statim periclitanti de summa rerum Vicecomiti subsidia adsunt. Confluxere
B præterea ii ferè omnes, quorum res, & opes à Vicecomite pendebant. *Coivisse* quidam tradunt *circiter quindecim armatorum millia:* neque Matthæus numero militum adversariis multum impar erat. Dubium, & rebus diffidentem faciebant Urbani tumultus, fides ambigua, & renovata odia, quæ in multis consenuisse videbantur. Illud sæpe secum, & etiam adhibitis amicis deliberavit: satiusne esset intra mœnia milites continere, quorum metu in officio, & fide hi tenerentur, si qui novis imperiis studerent; atque in uno labore, unisque copiis nutantem civitatem firmaret: an magis patente in campo
C acie dimicare. Interea Venetus, & Genuensis audito, quod Matthæus in summo discrimine, atque periculo esset, memores pacis, quæ inter utrumque populum Matthæo disceptatore, & arbitro confecta fuerat, legatos Mediolanum de paciscenda pace inter Matthæum, & conspiratos mittunt: nam quamvis in armis essent, & instructæ utrinque starent acies, uterque tamen fortunam belli experiri verebatur, malebatque cunctando bene gerendæ rei occasionem expectare, ut certam, & incruentam victoriam reportaret: & ut de pace commodius agi posset, induciæ fiunt. Tunc statim nuntii ultro, citroque commeare cœperunt, conditionesque propo-
D sitæ sunt. Postulabant conjurati, ut exules primum in patriam reciperentur, quibus etiam sua, quæ comparerent, restituerentur: in ceteris pro æstimatione, & arbitrio prioris domini pecunia lueretur. præterea non posse ex æquo in civitate degi, nisi regno Vicecomes renunciaverit. res sanè dura erat. non poterat Vicecomes in ordinem cogi, qui perpetuam urbis præfecturam gesserat. aut qua via securus, & incolumis versari inter æmulos, & hostes posset, quos dominatu exturbarat, & cum quibus totiens de vita, & imperio dimicasset. Aliquantisper uterque substitit. Posteaquam vero exivere induciæ, desperata jam pace, prælio decernere statuunt.
E Non erat commodum Matthæo longius à patria cum hoste confligere: sed dubia popularium fides, suorum insidiæ eum urgebant, ut fortunæ martis rem committeret: quasi uno conflictu decerneretur, quis in Longobardis supremum imperium habiturus esset. Quid enim mœnibus, & muro clausus sperare debebat, nisi circumstante hoste, perpetuo metu macerari? in cujus potestatem, & arbitrium, absumptis per ignaviam viribus, aliquando veniret. Galeatio itaque filio cum aliquot cohortibus ad custodiam urbis relicto, exercitui Bernardum Ravennæ Dominum, qui superiore anno prætor in urbe fuerat, præficit. Jam Albertus in ripis Adduæ consederat, convenerantque eo Languscus, Fisiraga, &
F ceteri omnes, quibus Matthæi potentia invisa erat, quique illum funditus evertere conabantur. Ubi Scotto appropinquare Matthæum nuntiatum est, Fisiragam continuo copiis præponit. Ita uterque ductor, legato in castris constituto, cetera belli munera alacrius obibat. Scribunt quidam *secus Adduæ ripas utrumque ducem constitisse, & interventu fluvii factum, quo minus manus consererent.* Ego magis eum sequor, *qui exilium Matthæi, & filiorum versu* conscripsit. Hic tradit *Vicecomitem, & Scottum juxta*

Lambrum caſtra habuiſſe. Cur enim debuit Matthæus in citeriore ripa ſtativa locare, præſidia diſponere, vada obſervare, ut hoſtem tranſitu prohiberet, ſi Laus Pompeja ſub poteſtate, & arbitrio Fiſiragæ erat, qua tuto exercitus tranſmitti poterat? quid? non Scotto trajiciendi Padi facultas erat, ut inde per patentes campos liberè ſe effunderet? Ita Lambro dirempti jactu telorum, & levi pugna ſe identidem laceſſebant. At Scottus numero militum fretus noctu amnem trajicit. Matthæus ubi illuxit hoſtem propius ſigna inferentem conſpicatus, ad Meltium receſſit. foſſa, & aggere oppidum munitum erat. oppidani Matthæi partes tuebantur. Campi lata, & præcipiti foſſa ſciſſi erant: inter quam, & oppidum Matthæus caſtra redegit. ita facilius hoſtilis vis, & impetus ſuſtineri, & repelli poterat: neque aut incautum opprimere, aut munimenta ſupervadere licebat. Scottus foſſam, quia parum profunda videbatur, complanare, & munitiones ſubvertere parat. Matthæus contra aggerem attollere, propugnacula ſtruere, oppugnanti reſiſtere: & ſi quid disjectum, & interruptum videbat, id reficere, & reſarcire: nihilo tamen ſecius de fœdere, & componendis rebus ſermones utrinque fieri. Ita aliquot dies in tuendis alter munitionibus; alter in oppugnandis caſtris abſumpſere. Interim graviores Mediolani motus excitari: multi non clam, aut per occulta colloquia nova conſilia inire, ſed in cœtu, & palam de Matthæo obloqui: Turrianos identidem recipiendos in urbem vociferari: *populum tandem ſervitio, & tyrannide liberari oportere.* Ad hujuſmodi motus compeſcendos idonea præſidia Galeatio non erant: ut orientem tamen tumultum quadamtenus comprimeret, Petrum, quem nova imperia molientem pater ſervari juſſerat, teterrimo in carcere clauſit. Quo facto magis irritata uxor generum lachrimis, & obteſtationibus non prius fatigare deſiit, quam Comenſium juventute armata, bellum Vicecomiti intulit. Moguntiaci item audito, quod Mediolani populus in excidium Matthæi ſurrexiſſet, tum etiam Comenſes averſi eſſent, ipſi conjuratis aggregantur. Hæc Matthæus componendis rebus intentus ignorabat, qui ubi minimè convenire cum adverſariis potuit, armis decernere conſtituit. Aggeres caſtrorum dejicit, & foſſam, quatenus milites educi in certamen commodius poſſent, replet. Jam duæ equitum turmæ propius hoſtium caſtra pervenerant: cum ſubito Galeatius oriente ſole patri nuntiat in urbe omnia inimica eſſe: populum in fide contineri non poſſe: palam, & apertè arma inferri: Comenſes, & Moguntiacos ad hoſtes tranſiviſſe, magnitudine tot ingruentium malorum obrutus Matthæus, cum nullum afflictis rebus remedium circumſpiceret; etſi ſpes fœderum, & pacis ſæpe eum fruſtrata fuiſſet, iterum condictis induciis per nuntios Scottum in colloquium vocat. Die dicta ad colloquium veniunt. Tunc prior Scottus: *Vides, Matthæe, quem in locum domeſticorum inſidiis, & conſpiratione vicinorum res deducta ſit. Satius ego exiſtimo conditionibus bellum componi, quam armis, & viribus decertare. Quid armorum adverſus te conflatum ſit vides. Flagrant animi in cladem, & exitium tuæ gentis. ſi obſtinatus fueris, præſens eſt calamitas, quam propulſare nullo pacto potes. illud tamen non deſpero pro auctoritate, & armorum imperio, inteſtinam diſcordiam, & mota bella, etiam non mala conditione componi poſſe; quando adhuc vires integræ: nec filius urbe pulſus; aut ipſe prœlio fuſus ſis. Non patria, & focis extorris, amiſſiſque bonis profugus, & inops errabis: dominatu patria liberanda eſt. Quo facto iratas mentes mitigari, & gratiam popularium reconciliari poſſe video. Perpetua imperia peroſi cives numquam ſe liberos, & à vi, atque maleficio tutos putabunt; niſi urbana negotia pro annua vice præfectus juſſu populi adminiſtraverit. Sed neque tibi, aut tuis, depoſito ſummo magiſtratu, quicquam periculi, aut noxæ metues: etiam ſi exules recepti in urbem*

A

fuerint. namque perpetuum urbis regimen numquam Turriano deferetur. annua, & ſemeſtres fient præfectorum vices: æquè Turrianus, & Vicecomes populo inviſus, ſi magiſteria urbica continuare voluerint. Quare cenſeo regnum penes me, tamquam ſequeſtrum, & fœderum ſponſorem deponas. Ita ſervitio liberatos ſe cives putabunt: & tibi, atque tuis tuto, & ſine metu damni vivere licebit. Ad hæc Matthæus quid reſponderet, incertus erat. Angebatur animo, quòd olim ceteris majori ſibi iis æquato jure parendum eſſet, quos antea dicto obedientes habuiſſet: præterea ſe parum ſecurum inter eos verſari poſſe videbat, cum quibus tot annos de potentatu contendiſſet: quique exilio ex-

B

hauſti, & inopes, omnia facturi eſſent, ut erepta recuperarent, tum etiam cædibus, & exilio inimicorum incolumitati, & propriæ ſaluti conſulerent. Sed quid faceret? nihil pacatum circumſpiciebat: vicinos omnes inimicos: viribus, & dolis ſe premi, majoreſque in dies copias adverſus ſe coire: & ſi certandum fuiſſet, adverſarios planè victores cognoſcebat. Tot prægravatus curis animum deſpondet: ſubindeque inconſultis filiis, atque amicis, regnum poſtridie idus Junias, velut fiduciarium cum ſceptro, quod procurationis inſigne erat, Scotto pacis auctori, & conventionum ſponſori tradit. Partem exercitus dimiſit, atque Placentiam conceſſit. *Hoc,*

C

ceu nimis celeri deſperatione factum, quidam damnant. Potuiſſet oblatis variis conditionibus, tempus protrahere, donec majoribus auctus copiis hoſti reſiſtere valuiſſet. Nondum ab Eſtenſi miſſa auxilia Adduam trajecerant: quæ ubi Matthæum abjeciſſe rerum procurationem cognovere, domum protinus per Cremonenſium fines revertuntur. Sed dum agros populantur Cremonæ novi motus excitati fuere: & niſi primores civium reſtitiſſent, facile Eſtenſis Cremona potitus foret. In tumultu, haud pauci occiſi ex Actianis fuere. Sed cum per errorem in agros hoſtiliter invectos dicerent, ut per fines ſine maleficio cohortes tranſirent, permiſſum eſt.

D

Ceſſerat agro patrio Matthæus: omnia Mediolani in tumultu, & trepidatione adhuc erant: nullus præfecturam urbis ſuſceperat. Scottus in hoc rerum ſtatu, & inter diſſidentia populi ſtudia dominium urbis uſurpare tentat. Et ſanè voti compos fuiſſet, niſi Conradus Ruſca, qui forte Mediolani cum præſidio erat, Scotto regnum affectanti fortiter reſtitiſſet. Gens item patricia magna de ſpe dejecta eſt. Nam qui pulſo, & fugato Matthæo, utpote liberi, adminiſtrationem civitatis penes ſe futuram, atque ita in libertatem redire ſperabant, mutatis dominis, in graviorem ſervitutem devenerant. Turrianorum reliquiæ Aquilejæ exu-

E

labant. Ii ſive vocatu Scotti, ſive audita Matthæi fuga, juvante Alberto Scaligero, qui ea tempeſtate Veronæ imperabat, ad Inſubres contendere. iis primum portæ clauſæ. Itaque paſſuum millibus tribus ab urbe triduum conſtiterunt. Quarto tandem die populus arreptis armis, expugnata porta, quam *novam* dicunt, refractiſque clauſtris, Turrianos proceres, qui ſupra quinque & viginti annos patria, & focis extorres fuerant, domum reducunt, publicisque negotiis præficiunt. Tunc civilia depoſita arma: agri, & cetera bona exulibus reſtituuntur. Turrianus continuo firmandarum rerum, & muniendi regni gratia novas amicitias facit, novaſque affinita-

F

tes contrahit: majorum amicos novis officiis, ſummaque liberalitate proſequitur. ſiquidem Turriano Guidoni Languſcus filiam uxorem dat: Scottus Franciſco Turriano neptem filiam collocat: Simonino item Petri Vicecomitis filia deſpondetur. Ceteræ item familiæ, quæ genere, & opibus in civitate pollebant, Turrianus per nuptias ut ſibi arctiſſimè conjungerentur magnopere ſtuduit. Sed fides, & gratia haud diuturnior inter eos ſtetit. Namque Muſca (hoc Turriano tyranno nomen erat) ſive gentis odio, veteriſque offenſæ memor, ſive ut plebis

bis voluntatem, & studia propensiora in se redderet, haud ita multo post universam nobilitatem patria expulit, populique præfectum Gulielmum Brusatum genere Novariensem facit. Matthæus interea Placentiæ exulabat, qui ubi cognovit Muscam, & ceteros Turrianos in urbem receptos, rerumque potiri, irrita fœdera, nullasque conventiones servari, primum injuriam cum Alberto expostulare, fraudem sibi factam vociferari, multo etiam gravius, quòd per fidem interpositam regno spoliatus fuerit, conqueri; Scottus hominem lenire mollioribus verbis cœpit: quasi plebes fuerit, quæ veteres dominos receperit. se tamen omnia tentaturum, ne mendicus, & vagus oberret. Enimvero tunc accensus Matthæus, ne inimici, & proditores fraudem inultam habeant, relicta Placentia, Padum trajicit, amicos congregat, eosque milites accersit, qui nondum arma deposuerant. Cum non exiguas copias comparasset, Orium primum, qui vicus agri Laudensis est, pervenit. inde in fines Comensium ingressus populabundus ad Comi usque mœnia contendit. Ferro, & igni omnia fœdata erant. Multa præterea dictu acerba adversus oppidanos jactabantur, ut eos scilicet in dimicationem, & pugnam perlicerent. sed neque ignominia, & verbis asperioribus irritati, neque populatione agri, aut incendiis tectorum moti in prœlium prodire voluerunt. Matthæus, ne cum iis bella gereret, qui mœnibus, & fossa se defendebant, in patriam arma convertit. Tres illius filii Joannes, Luchinus, & Marcus vix dum puberes apud patris amicos, commutatis sæpe latebris, aliquandiu manserant: deinde cum se parum tutos cernerent, in ædes Divi Eustorgii cum matre demigrarunt. Ita majestate templi, tum deprecantibus bonis, & religiosis viris aliquantisper ab injuria, & vi servati fuere. Sed posteaquam pater agros vastare cœpit, tecta agrestium succendere: neque tam prædam ageret, quam perdere omnia cuperet: detrimentis populo ad ultionem irritato, monentibus amicis, pueri patria cesserunt. Scribunt quidam *ducentos mercenarios equites, qui Galeatium, & uxorem, ubi Matthæus regnum deposuit, Bergomum incolumes deduxerant, non statim finibus cessisse, sed proximè suburbana diutius oberrasse, ut rei exitum expectarent.* Horum etiam præsidio tres fratres cum matre periculo elapsi fuere. Beatrix, & si à Bergomensi honorificè suscepta fuisset; ea tamen ad Actium fratrem proficisci voluit. Gravida erat mulier, & Ferrariæ septimo idus Decembres filium peperit, quem de avunculi nomine Actium appellarunt. *Pulsum omnino finibus, & regno Matthæum*
1302. *secundo post mille & trecentos annos* omnes ferè scriptores consentiunt. Nam biennium conspiratione suorum, & finitimorum armis jactatus variè fuit. Sed cum res Mediolanensis in jura, & ditionem Turrianorum rediisset, deplorataque omnia essent, dimisso mercenario, & voluntario milite, Veronam Matthæus petiit: sive affinitate cum Scaligero fretus; nam cum res illi prosperæ essent, *filiam nuptum Bartholomæo Scaligero dederat*; *sive quod* (ut Franciscus Petrarcha tradit) *Canis Magnus ea tempestate unus esset, qui exules, & inopes exciperet: neque eos à se excluderet, qui claro genere nati amissis opibus, atque fortunis Veronam confugissent.* Interea Musca Turrianorum major regnum capessit, eosque duntaxat urbi præficit, & præfecturæ titulo illustrat, qui pridem factionis Turrianæ studiosi fuissent. *Repugnasse Albertum Scottum* quidam tradunt, *ne statim Musca suo nutu, suaque voluntate publica negotia ordinaret, atque biennium prætores ab eo constitutos Bernardum Scottum, Antonium Fisiragam, Pinnum Vernatiam, qui Mediolani jus dicerent.* Per hæc tempora Bonifacius Octavus, qui novas constitutiones veteri juri pontificio addiderat, centesimo quoque anno Romam petentibus, si piè, & religiosè sacras ædes salutassent, expiationem scelerum concesserat, à Sarra Colum-

A nensi per insidias capitur, & in vincula conjicitur. *Mortuum illic* quidam scribunt; alii *solutum vinculis Romam profugisse* tradunt, *ubi paucos post dies præ mærore, & indignatione, aut injecta manu interiisse* dicitur. Benedictus Undecimus genere Tarvisanus illi suffectus fuit: qui si diutius in apostolico fastigio stetisset; profecto enim in antiquum imperium Matthæum restituisset. Non erat immemor voluntatis, & officiorum, quibus Vicecomes redeuntem è Galliis prosequutus fuerat; sed in Pontificatu non perennavit. Vacavit Summo Sacerdote per discordiam, & contraria patrum studia annum ferè Romana Ecclesia: tandem Clemens Quintus Burdegalæ natus
B Princeps Sacerdotum creatur. Hic primus in Gallias Romanas opes, Latinosque Sacerdotes traduxit, ut Italia, & urbe Roma relicta, publica Christianæ Religionis negotia in terra Gallia tractarentur. Quæ res non solum de potentia, & opibus Italorum plurimum imminuit; sed cladem, atque perniciem universæ ferè Italiæ attulit. Musca interea Vicecomitis amicos, & eos omnes, qui in exturbandis avis opem adversariis præstiterant, partim occidi imperat; alios bonis mulctatos in exilium egit. Frequentia eorum nomina deferebantur, qui aut propinqui, aut studiosi Vicecomitis fuissent. Quare crudelitate, & avaritia tyranni multi in vo-
C luntarium exilium abiere. nonnulli latronum insidiis excepti occubuere. Jam invisus Musca omnibus esse, sævitiam, rapinas, & gravia tributa populus ferre haud poterat. Et quamvis nobilitas ferè ex civitate pulsa foret: haud tamen pauci hominis crudeli avaritia ad nova consilia incitabantur. sed illum iræ popularium, & imminenti vindictæ mors eripuit. Filios reliquit Castonum, Paganum, Rainaldum, Odoacrem, Napum, Muschinum. Guidetus fratri in gubernatione rerum successit: vir sane paulo civilior, & haud immiti ingenio, utpote qui cædibus, & sanguine civium minimè lætaretur; injurias persequi nesciebat, inimicis non admodum
D gravis. una dumtaxat plus habendi cupiditate ferebatur. cujus imperia sustineri potuissent, nisi nova vectigalia, atque portoria constituisset, tributaque graviora imperasset. Pecunias undecumque is conficere, thesauros ingentes cogere, ex quibus mercenario militi stipendia persolverentur: metu videlicet peregrini præsidii firmas opes durare, atque in fide, & officio civitatem contineri sibi persuaserat. Per ea tempora facinus tetrum, & memorabile in Longobardis accidit. Dulcinus homo nefarius, & supra quam dici possit temerarius, atque audax cum Margarita, sive ea uxor, sive amica erat, criminari primum Sacerdotum divitias, & abundantes
E voluptates cœpere: tum privatim ab illorum principibus maledicta orsi, sine discrimine nobiles, & humili loco natos non per virtutem, aut popularium suffragiis, & alio quovis merito; sed largitione, & gratia Sacerdotia capessere. Sordidissimum quemque nunc divitiis, atque interim lænocinio, & flore ætatis primoribus Sacerdotum conciliari: atque inde ad summas dignitates, & honorum fastigia promoveri: tum per luxum, atque libidinem ingentes Sacerdotii redditus ad templorum ornamenta, sustentandosque pauperes olim designatos, turpiter dissipari, atque absumi. Hæc atque talia identidem jactantes, ceu novi sacri, & perfectioris cujusdam
F religionis Antistites, multorum animos erroribus imbuêre. Ubi vero vulgata res fuit, viri, ac mulieres innumerabiles coivere. Voluptates tunc habitæ non solum vini, & epularum; sed promiscui, & nefandi concubitus: mares passim fœminis miscebantur: nullum pudoris discrimen erat: omnia concessa, quæ ad exsaturandam libidinem convenire videbantur. Jamque multitudine ipsa defensi propalam disciplinam profiteri: conventicula in urbibus, & agris haberi: denique in omnibus conciliabulis multa in contumeliam Sacerdotum jactari. Secta

deinde excitatur, legeſque ſectatoribus propoſitæ, magna non morum tantum, ſed etiam ſacrorum corruptela. Finitimi hac velut contagione infecti; tum etiam licentia, & illecebris adducti Romano ſacerdoti fortiter, & palam contradicere cœperunt. Ad novos ritus, nefariaque inſtituta tollenda, Clemens Quintus Pontifex primum per nuntios nefandi facti auctores, & peſtiferæ ſectæ magiſtros, & diſſeminatores admonuit: tum gravius increpare cœpit, & propoſitis diris execratus, ad ſanitatem reducere conatus eſt, ut ſcilicet relictis propudioſis ſacris, Romano Pontifici ſe obnoxios, & dedititios profiterentur. Ingens erat turba, atque eo vecordiæ, & temeritatis ventum, ut niſi vi, & armis coacti, ad reverentiam Romani Sacerdotis, patrumque recta inſtituta converti vix poſſent. Quare juſſu Pontificis ſublata crux fuit. ad quod ſignum innumerabilis multitudo arma continuo capit. Nam plerique omnes Alpini, quique Padum, atque Ticinum accolunt Chriſtianam fidem pollui, nefandos ritus induci, & majeſtatem Pontificiam violari indignè ferebant. Expectavere nefarii, & audaciſſimi homines venientem adverſus ſe exercitum: tandem abundante cruciferorum multitudine exterriti in montana Novarienſium refugiunt, ut anguſtiis montium, & difficultate viarum, impeditoque ſaltu ſe aliquamdiu tegerent. ſed undique circumſeſſi, neque inopia rei frumentariæ, nec urgente fame ad deditionem compelli potuere. Vix credibile quanta patientia, & conſtantia, quave animi magnitudine Alpina frigora, & diuturnam inediam pertulerint, omnibus tandem alimentis defecti, occidione miſerandum in modum interire maluerunt, quam pœnitentes facti in manus Pontificis, etiam promiſſa venia, devenire. Dulcinus, & uxor vivi capti ſunt, Vercellaſque perducti, atque membratim diſcerpti cremantur. in quorum cineres etiam ſævitum fuit. Poſt nefandi ſacri ſublatos ſacerdotes, extinctiſque iis, qui conſcii ſacrilegi conatus fuerant, Clemens tunc in Lugdunenſi Gallia agens Arnaldum cognomine Pellaguram in Italiam ad componendas civiles diſcordias, motuſque ſedandos, qui in Longobardis, & Hetruſcis quotidie oboriebantur, mittit. Multæ enim civitates per tyrannidem oppreſſæ erant. nam populorum capitanei municipali continuato magiſterio, dominium inter ſuos quiſque obtinuerant. Sub ſervitio, & ditione Scaligerorum ſtabat Verona: Paſſarini Mantuam, Paduam Carrarienſes occuparant. Mutinæ, & Regio Lepidi Eſtenſis imperabat: cujus gentis per ea tempora opes tantæ fuerunt, ut Carolus Secundus, cui cognomen Claudo erat, Neapolitanorum, & Apulorum Rex non infra nobilitatem gentis, & regii nominis amplitudinem exiſtimaverat, ſi Beatricem filiam Actio Eſtenſi in matrimonio conjungeret: *Quas nuptias à Dante ſub perſona Ciapetæ, ceu nobilitati familiæ, & majeſtati Regiæ parum convenientes, damnari* enarratores poëtæ dicunt: *quòd videlicet Carolus nimis ſe demiſerit, ſanguinem ſuum vulgaverit, veterem nobilitatem contaminaverit, denique crudelior in filiam fuerit, quam in ſervas, & captivas barbari piratæ inventi ſint.* Non fuit illud Beatricem nuptum dare, ſed potius vendere: quando ad Caroli opes, quæ latè patebant ſi quis reſpexerit, vilis, & maximè ignobilis Eſtenſis exiſtimari poſſit. Avaritiam Caroli, & parum honeſtas nuptias vates acerbius taxat: nomen generi ſupprimit: Carolum apertè lacerat. Eſtenſem Actium enarratores explicant: quamquam parum felices nuptiæ fuere. Nam Fliſcus, quem Actius ex alia muliere ſuſceperat, ægrè ferens ſuper ſibi novercam inductam, dolo circumventum patrem necat, ſtatimque Veneto opem ferente, pontem, quo Padus jungebatur, occupat: tum arcem Thealdi in altero pontis capite ex adverſo urbi appoſitam expugnat. At oppidani parricidium peroſi, hominem crudelem, atque fœdum,

A quovis ſupplicio dignum ſibi dominari indignè ferentes, arreptis armis, & urbis parte occupata, Romanum Pontificem dominum conclamant. Deſcendere in aciem, ac dimicare de regno cum popularibus Fliſcus auſus non eſt: ne tamen rebellionem inultam Ferrarienſis haberet, ignem in tecta injicit: quo incendio ferè dimidia pars urbis conflagravit. Cæde Actii, ſuccenſiſque domibus permoti cives, Fliſcum urbe, & principatu pellunt. patriam vero, & ſua omnia Veneto dedunt. Legatum Pellagura Cardinalis tunc agebat. hic Veneto mandat, ut à Ferrarienſi abſtineat: quando in ditionem, & poteſtatem Pontificis urbs veniſſet. Venetus imperata

B contempſit. hunc diris, & execrationibus, quæ niſi pontificia poteſtate expiari poſſent, agitare Clemens cœpit. Potitur interea arce Thealdi Venetus: & cum minas, & abominationes floccifaceret, denunciatio crucis adverſus eam gentem facta eſt: expiatione criminum pro auctoritate ſummi Sacerdotis iis propoſita, qui arma adverſus contumacem populum tuliſſent. Quo edicto multi mortales Bononiam coivere. Quin etiam Clemens ipſe, ut vires Venetorum comminueret, de Narbonenſi Gallia equites in Italiam miſit: atque in propoſito perſeverantes ſacris interdicit, publicèque abominatur. Magnam, & amplam mercaturam non ſolum per u-

C niverſam Europam; ſed etiam per Africæ, & Aſiæ loca maritima gens Veneta exercebat: horum bona, & merces prædæ expoſuit; mercatorum autem familias perpetuæ ſervituti addixit, ut, ceu bello captos, divendi liceret, libertatemque pretio redimerent. Quo nomine in Galliis, atque Britannis Veneti ingenti detrimento affecti fuere. Per eadem tempora bellum civile in Hetruſcos flagrabat. Urbes partim ſe ipſas cæde, & exilio civium exhaurire; aliæ finitimo bello vexatæ in mutuas clades ruere. Clemens Pontifex ad incendia extinguenda Cardinales in Italiam miſit. Hetruſcos Gibellinos Robertus Neapolitanus Rex, accepta à Florentino pe-

D cunia agitabat. Guelphi Piſtoriam obſeſſam acrius premebant. Cardinales gravia minari, eoſque deteſtari, & execrari, qui partes Roberti, & Florentinorum ſequebantur, conſtituta die, qua ſine piaculo arma deponere, & ab obſidione diſcedere liceret: neve diverſarum partium urbes, & oppida injuria, aut armis laceſſerent. Robertus metu dirarum Legatorum edicto ſtatim paruit: ceterique Hetruſci ab armis, & injuria finitimorum quievere. ſoli Florentini, & Lucenſes in obſidione diutius perſeverarunt. utrique populo ſacris interdicitur. Jam longior obſidio, aſperæque res propter inopiam victus erant. Coactus Piſtorienſis deditio-

E nem ea conditione paciſcitur, ut exuli Florentino, & cuicumque Gibellino incolumi, & ſine injuria Piſtoria cedere liceret. Promiſſa impunitate urbs deditur: & ut convenerat, à re, & maleficio peregrini milites liberi cum exulibus abiere. Muri ad ſolum diruti ſunt. agrum inter ſe duo populi diviſere. foſſæ complanantur. Ita Piſtoria mœnibus ſubverſis, amiſſoque urbis titulo, in duorum populorum ſervitute, & ditione aliquantiſper manſit. Ceterum Florentinus poſſeſſione Lucenſem fraudat. Namque ea multitudo, quæ cuſtodiæ loci relicta erat, noctu, atque interdiu numquam intermiſſo opere foſſam oblimatam repurgat, muros reficit, por-

F tas inſtaurat. Ita Florentinus ſolus Piſtoria potitur. Per eos dies Curtius Donatus opibus, & factione potens; quia in defendenda patria ſedulo laboraverat, in diſſenſione populi, & cæde civium Florentia ejectus, in fuga ſubinde confoſſus interiit. In ſuſpicionem affectati regni venerat; quòd cum exulibus adverſus factionis ſuæ commoda ſentiret. Suſpectum novandarum rerum, & ſuis infenſum maxime hoc fecit, quod Ugotioni Faſſiolani filiam, qui nomini Guelpho infeſtiſſimus erat, augendæ potentiæ gratia in uxorem accepiſſet. Verum Curtii cædem

dem haud inultam inimici habuere. Nam socer ad obterendas Guelphorum opes Tarlatos Aretio pulsos, ut in patriam reciperentur enixissimè juvit. Interea Pellagura contracta ingenti multitudine eorum, qui cruce insigniti partes Pontificis ex professo tuebantur, acceptoque à Florentinis equitatu Ferrariam aggredi statuit. Oppidani adventu Legati, & ingenti multitudine perterriti, cum præsidium arcendo hosti non sufficeret, metu etiam execrationum permoti, in Pontificis gratiam redeunt, validumque Legati præsidium recipiunt. Ad Castellum Thealdi atrox pugna facta est, in qua majorem cladem Venetus accepit, ut neque vires, nec arma Pellaguræ sustinere posset. Decedente Veneto, deductoque præsidio, arx Legato deditur: & haud ita multo post Ferraria in arbitrium, & ditionem Pontificis universa rediit. Recepta Ferraria mitior fit Clemens. Ita Veneto culpam ignoscit, moxque diris liberat, atque pace supplicibus data, ecclesiastica etiam sacramenta restituit. Invenio *Galeatium Vicecomitem Matthæi filium in hoc bello sub Pellagura stipendia meruisse, ac fortiter, & cum magna gloria cum hoste dimicasse, haud umquam accepto vulnere à pugna deterritum:* sed gravior semper adversus hostes insurgebat, & quod vix credibile videtur, in certamine duobus, & viginti equis suffossis, numquam captivus, sed victor semper evasit. Viri probitatem, & animum admiratus Pellagura illum carum, & in summo honore, & pretio apud se habuit. Guido interea exemplum patrui sequutus, eos ferè urbico magistratu impertiebat, qui inter finitimos gratia, & opibus pollerent, Vicecomitisque potentiæ æmuli, infestique fuissent. Undecumque amicitias focillare, factionis studia renovare, socios gratia, & beneficiis ad officium, & fidem servandam provocare. amicitiam tamen in primis Scotti colebat. Scottus item, ut perpetua gratia cum Turriano foret, evidentique signo finitimi existimarent, sinceram fidem, sanctamque inter utrumque societatem esse, domum cum factione sua reversus, simul ut diversæ etiam partis vires diminueret, largiusque inter suos posset, ante omnia curavit ut custodia Placentinorum, & urbana administratio biennium Guidoni Turriano committeretur. In tutelam igitur, & arbitrium Guidonis Placentia traditur, Passarinusque Turrianus Prætor urbi præficitur. Res satis firmatæ erant, nisi domo profugi, dum reditum in patriam quærunt, Scottum perturbassent. Nam Ubertus Landus, Vicecomes Pallavicinus, & Lancelottus Anguissola, ceterique cives, qui ex domestico certamine Bobium paulo ante perfugerant, coacta exulum manu, civitatem acrius premebant. Ceterum Guido ad otium urbis, & concordiam civium multa procurabat. quamquam ab armis civilibus cessari non poterat; nisi in urbem profugi reciperentur, ut sine discrimine factionum ex æquo cives viverent. Utrique igitur, & qui domi agebant, & qui patria ejecti fuerant componendi dissidii, atque belli arbitrium Guidoni permittunt. Hic statim exules in civitatem recipi statuit. Quam rem ægrè ferens Scottus, suos in arma convocat. Præfecerat urbi Tignagam Pallavicinum Guido: accomodaverat se prætori Gibellinæ factionis quidam: peregrinum præsidium Scotto aversum erat: impetum tamen Albertus in prætorem facit. atrox pugna editur. in ea opes, & libertas factionum vertebantur. mortem oppetere, quam loco decedere utrique malebant, atque pro domibus, & focis concidere, quam denuo fugati extra fines oberrare. Prætor cum præsidio instantibus adversariis fortiter resistere. Interficitur Rolandus Barbarubia de gente Landorum: ea cæde prætor conterritus statim fugatur: ita pulso de principatu Guidone, post tres menses, & annum, ex quo imperium urbis illi permissum fuerat, Scottus juvante factione, dominium urbis rursus obtinuit. Exules intra fines patrios oberrantes, accersitis auxiliis, vicos, & agrestium tecta ferro, & igni impune pervastabant. arma, & milites socii, & amici in contraria studia divisi utrisque suppeditabant: loca populationibus obnoxia fossa, & vallo muniebantur; sic Placentinus gravi detrimento diutius afflictus est. Demissæ etiam per Padum naves pontem, quo fluvius junctus erat, discutiunt, multique mortales dum hi hostilem impetum arcere; illi tela conjicere, & vim inferre parant, miserabiliter periere. Interea Franciscus Archiepiscopus moritur, cui extemplo prærogativa suorum, tum suffragante plebe, Castonus Turrianus suffectus fuit: sacerdotiumque annuente Neapolione Ursino, quem, ut supra ostendimus, sanandis simultatibus, & tollendis intestinis discordiis Pontifex ad Italos miserat, occepit, statimque Bononiam usque cum honestissimo comitatu profectus est, ut Pellaguram salutaret, illique gratias ageret, quòd sibi in confirmando sacerdotio favisset. Lætus salutatione, & officio Archiepiscopi Legatus, illum benignè excepit, & aliquamdiu honestè apud se habuit. quæ res suspectum Guidoni patruo Castonum reddidit. Verebatur quorsum Legati liberalitas tenderet. Ad quam suspicionem certius quiddam accessit; *clam enim, atque palam colloquia cum Galeatio Vicecomite eum habuisse* quidam Guidoni nuntiarant. ita ex eo fides, & gratia apud patruum diminui cœpit. Ceterum Guido nuper partum regnum non tantum domestico; sed externo etiam milite in primis munire, & defendere annitebatur. Per ea tempora habebat conductitias catervas alter Guido Delfini Gallici filius, qui Turrianum genus se contingere jactabat. Hunc tum cognationis opinione, tum etiam quòd dux impiger, & militaris negotii non imprudens dicebatur, pacto stipendio evocat. Exulante Matthæo, in Longobardis, & Liguribus intestina odia, domesticæ seditiones, civilis rabies, & crudelia arma jam pridem inde cœpta, dum Romani Pontifices cum Germanis Cæsaribus graves discordias, & tetra bella, divisis in factiones civitatibus, gerunt, exarsere. Quare visum est hoc loco quædam paulo altius, de factionum scilicet origine, repetere; tum quibus auctoribus importuna, & funesta prodierint nomina, unde cives in excidium propriæ suæ gentis proruerint; tum gentili simultate, avitaque durante rabie, miseri filii, atque nepotes ferro, cædibus, igni, atque rapinis funditus penè sese exhauserint. Res non sanè vetus propinquum est malum; & grassante ulciscendi, & regnandi libidine, velut per manus acceptum: quamquam nullis certis monumentis res tradita sit. Credo majores, cum litteræ, etsi inelegantes, tamen aliquæ forent, tædio subeuntium malorum, neve ea ad posteros transirent, minus curiosos in re tetra, & funesta extitisse. Ita forsan putavere posteritatis otio, concordiæ civili, & urbium tranquillitati consuli potuisse, si nulla certa, & constans facti detestabilis memoria maneret. Nam quæ Bartholus, & alter legum interpres de factionum origine tradunt, ea non solum falsa, sed ineptissimè commenta fuisse dicimus. Disserant, & respondeant, si diis placet, de facti jure civilis scientiæ studiosi: quotiens vero de facto ambigitur, id alii exquirant, & explicent. *Discordasse miseros cives, & arma in se ipsos convertisse sub primo Federico, posteaquam is Romanos Pontifices injuria lacessere cœpit,* recentiores historici tradunt. *tunc plebem ab optimatibus discessisse.* Ea ut vim, ac maleficia à se propelleret, Romano pontifici se totam dicavit. Ita humilior turba majestate sacerdotii à vi, & contumelia potentiorum tuta stabat. qui vero nobilitate, magnis divitiis, aut armis, & longis clientelis in urbibus eminentiores erant, hi, ut ceteros obnoxios sibi facerent, popularibusque interim imperarent, & sine metu judiciorum, aut pœnæ quicquid libitum foret agere possent, ad recentiorum Cæsarum vires, & gratiam respiciebant. Porro ea factio, quæ præ-

præsidio Pontificis incolumitatem, & salutem suam tuebatur, Guelpha appellata fuit. qui vero opinione, & potentia Cæsarum eminere, & regnare studebant, hi Gibellinos se appellare voluere: quæ appellatio ab eo Henrico, qui primus Germanorum procerum suffragiis ad imperium evectus est, fluxit. Gibellinus enim dictus est Henricus, de vico videlicet, ubi ortus erat. Qui deinceps secuti sunt Cæsares, præter Lotarium, ab hoc Henrico aut progeniti fuere, aut eum cognatione legitima contigere. Lotarius Gibellinæ familiæ hostis fuit. Nomen, & appellatio gentis consenuisse per undecim Lotarii annos existimabatur: nisi eam renovasset, & instaurasset in Italia Federicus Junior, qui Gibellinos omnes palam coluit, quotquot à se adversus edicta, & opes Pontificias stetissent. *Guelphos nuncupatos* quidam tradunt *ab eorum duce*, *qui Secundo Conrado in Sicilia primum*, *tum alibi restitissent*. Huic Guelpho nomen erat. *Quo cæso*, *siqui descendentes in Italiam Cæsares*, *Romamque subinde petentes non modo intra urbes non reciperent*; *sed finibus quoque arcerent*, *eos Guelphos appellari* invenio. Verum (ut supra diximus) juniores historici multa falso, & secum dissidentia memoriæ mandant. Quare vix certi quicquam de origine, & nomine factionum affirmare ausim. Res durat Italiæ calamitosa, & funerum plena. Illud tamen subjiciam, me longè ab iis dissentire, qui pestiferæ dissensionis Federicum Ænobarbum auctorem faciunt. Nam etsi infestus Pontifici Federicus foret; nulla tamen erant inter populos contraria studia, nullæ diversæ voluntates: neque factionibus inter se decertabant; sed populariter hi à Pontifice stabant; illi Cæsarum partes sectabantur. Quam rem sic esse abunde testatur formula Constantiæ pacis, quam juniores jurisconsulti instar legis recepere. Societatem, & amicitiam unanimes, & idem sentientes sine differentia ordinum, & factionum Longobardi universi, Papiensi duntaxat excepto, servabant: atque paciscendæ pacis gratia ii Constantiam convenere, qui triginta antea annis fœdus inter se percusserant, Federicumque ipsum acrem, & inexorabilem Alexandri hostem acie aliquando vicerant, & trans Alpes fugaverant. Neque post mortem Alexandri dissolvi ea societas, aut dissociari animi potuere. Sed in Annalibus, & Actis urbium hæc nomina imperante Ænobarbo nequaquam legimus. Designatus ad imperium vivente, & annuente patre Henricus Siciliam, quam dotalem per Constantiam uxorem habuerat, libidinosè, & crudeliter vexare cœpit. Deûm templa ornamentis spoliavit, Cælestinoque Pontifici infestus filium reliquit quadrimum, quem Rogerium Federicum nominavit, ut videlicet duplici nomine maternum, paternumque avum unde progenitus erat testaretur. Mortuo Henrico Philippus primùm, tum Otho ad Imperium designantur. Honorius Pontifex Othoni iratus Rogerium Federicum jam Imperio maturum, deposito Othone, regni titulo, & imperialibus ornamentis exornat, qui simul atque imperium adeptus est, ab Avo non degenerans, Honorium armis, & gravi contumelia lacessit: mox insolens, & gravis tyrannus paterni sacrilegii hæres templorum jura, & redditus usurpat. Gregorium, Cælestinum, & Innocentium bello, & quibus potuit injuriis affecit. immanis sanè Barbarus: quippe qui amplitudinem Pontificiam violare numquam destitit. Tunc viguere odia: cœpta dissidia aucta sunt: & recenti injuria irritatis animis, eo domesticus furor, atque sævitia progressa est, ut miseri mortales abjecta ea charitate, quam sanguis, & patria ingeneravit, humanitatis penitus obliti atrocius, quam feræ inter se dimicarint: non victoria contenti, aut inimicorum exitio satiati, nisi iis cum tota prole extinctis, qui diversa sensissent. Tunc ferox, & impotens Barbarus quocumque in populo eos discerni voluit, qui suæ, quive Pontificiæ factionis forent. unde consuetudo tenuit, ut in omni negotio publico nihil citra factionum discrimina geratur. Quæ exitialis consuetudo ferè in urbibus, oppidis, & præfecturis Italiæ in hæc usque tempora durat. Hæc autem pestis, & pertinax hic animorum habitus ab Hetruscis primum cœpit. Gens ea seditionibus, & domesticis armis jam inde agitata, ex quo Romanus Populus bella in Hetruria fecit. Scribit Livius in decimo ab urbe condita, *Hetruscos ab Aretinorum seditionum exorto motu de rebellione cogitasse*. Tunc Aretio genus Licinium præpotens ob divitiarum invidiam armis popularium patria ejectum fuit: neque Hetruria ipsa prius ab Romano dictatore pacari, Aretinorumque seditiones componi potuere, quam gens Licinia cum plebe in gratiam reducta fuit. Sed Pistorii post mille, & quingentos ferme annos, Cancellarii, & Pancratici auspicatiora in cladem Italiæ seminaria (quod equidem nollem) dissensionum, & civilium armorum dedere. Quo furore Volaterrani, Miniatenses, Aretini, & Lucenses acti qui contraria sensissent, eos patria ejecere: tum præ impotenti ira efferati, & vicinorum, cognatorumque sanguine semel inquinati, nulli ætati parcentes domos ad solum diruerunt. nihil tam crudele, & atrox erat, quod ad internecionem adversariorum non aggrederentur. Jam morbus per universam sparsus Italiam dominabatur. tunc velut digladiantium par utraque factio vires suas experiretur, ad Parmam veluti in arena congredi, & depugnare voluerunt. Superior fuit Gregorius Montelongus. Superbus, & crudelis Barbarus ex insperato victus turpiter ex Longobardis fugatur. Hoc loco Mediolanensi jure gratulari licet. In contrarias voluntates ceteræ civitates distractæ erant, & pro diverso animorum habitu arma tractabant. Soli Mediolanenses unanimes per ea tempora nulla domestica dissensione agitati, propriæ saluti, & libertati operati, nullis conditionibus Barbaro conciliari potuere. immo vero his se applicabant, qui ferum, & sacrilegum hominem infensum habuissent. memores erant cladis ab Avo acceptæ, cujus ferociam, & immanitatem in Nepote agnoscebant. Ergo tum recenti patriæ excidio, tum exultantis juvenis superbia subsidia obsesso Legato Mediolanensis submisit. Sed numquid per fraudem filii in Appulis enecto Federico, simultates, & intestina odia quievere; aut ad concordiam, & sanitatem reversi sunt Itali? Minimè sanè. Gravior tunc domi discordia oborta, in reponendaque injuria magis mentes exarsere. In Italiam descendit Conradus, ut Patris videlicet opes reciperet: atque in Appulos transmissus per insidias à fratre occiditur. ita duplici parricidio Manfredus Siculis, & Calabris potitur. Ad hujus fidem, atque præsidium Gibellini ex Hetruria Guelphorum armis fatigati confugiunt. hos primum à se cum exiguis copiis dimisit. Verum, cum in suos sævitum fuisse ægerrimè ferret, majora auxilia protinus summittit. Guelphi acie victi Florentiam deserunt. Gibellini patriam defensore vacuam ingressi, de illa evertenda consultarunt. tunc animum & ab odio, atque ira invictum Farinata Ubertus præstitit. in vindictam, & exilium direpta bona ab adversariis exacuebant. civili præterea sanguine commaculatus in ruinam urbis ruere debuit. Prævaluit tamen patrius amor, unusque intercessit, quominus pronis, & accensis ad excidium exulibus pulcherrima Hetruscorum civitas subverteretur. In Manfredi potestatem, & ditionem Hetruria omnis devenit. Regis præsidio nixi Gibellini in nomen Guelphum debacchabantur. nullus damnis, & exiliis modus. ipse quoque Manfredus ea victoria, & novo regno elatus, pro Patris, & Avi licentia, atque avaritia templa spoliat, & sine ullo pudore, aut numinis reverentia redditus usurpat. contempta adhuc summi Pontificis auctoritate, sacerdotia, quatenus suæ ditionis erant, administrare voluit, & nisi res ecclesiastica ad nutum, &

& ad voluntatem suam omnis facta fuisset, exempla, & cruciatus in eos edere, qui imperia detrectassent. Temerarii hominis, & impii tyranni injurias, & sacrilegia Urbanus Tertius (ut supra diximus) non ferens, simul etiam factioni pontificiæ metuens, quæ in dies, crescentibus æmulorum viribus, minui existimabatur, ad peregrina arma convertitur, Carolumque Ludovici Francorum Regis fratrem, magnis oblatis conditionibus, ad se vocat. Jam de Narbonensi Gallia copiæ in Hetruriam pervenerant: moritur inter hæc Urbanus: cui suffectus Clemens itidem Carolum hortatur, ut in hostem publicum invehatur. Conflixere reges: Manfredoque in pugna occiso, regnum Siciliæ, & Calabrorum Carolus statim obtinuit: Mox Conradinus Federici nepos vocatus Gibellinorum Alpes transgressus, Romam annitente Avi factione deducitur, invitoque Pontifice Imperator consalutatur. tum in Carolum invectus prælio vincitur, & sine ullo majorum respectu mox securi percutitur. In victoris Caroli tutelam, & fidem omnis pontificia factio se dedidit. Siculi interea superbiam, avaritiam, & solutiorem Gallicæ gentis cupiditatem non ferentes, constituta die Gallos nihil tale timentes singuli suos adorti ad unum obtruncant, insulamque, & sua Petro Aragoniæ regi, cui Constantia Manfredi filia nupserat, dedunt. De regno Insulæ certatum est diutius. Pontifices à Carolo stabant. Petrus quod uxoris hæreditarium erat, id se vindicare ajebat. Tandem convenere, ut singulari certamine controversia, & bellum tolleretur. Locus pugnæ ad Burdegalam deligitur. Arago cum suspecta, & infida omnia cerneret, de conditione loci multa causatus in certamen non prodiit. Capitur interea Junior Carolus. Martinus pontifex indignum ratus Petrum pontificalibus jussis non parere, illum non modo publicè execratus est; sed pro auctoritate, & jure sacerdotii alterum Carolum ex Francorum rege progenitum Aragoniæ dominum creat. Carolus captivitate filii mœstior, dum in comparando milite intentius operatur, interiit. Post mortem patris Carolus cognomine Claudus regnat, eosque omnes, qui sub patrocinium, & protectionem parentis se tradiderant quibuscumque rebus potest, in perniciem adversariorum juvat. Quo tempore Bonifacius Octavus recentium legum conditor Gibellini nominis ex professo hostis, contra quam sacerdotii præfectura, & religionis pietas exposcebat, verba pestifera protulit. Initio magni jejunii, cum genibus nixi, atque cernui miseriam nostram, inspersoque super capite cinere recogitamus, Summus ille Pontifex, pulvere ob Porchetæ Spinolæ oculos (hoc Genuensi Archiepiscopo nomen erat) infuso, hæc subjecit: *memento homo quòd Gibellinus es, & cum Gibellinis in pulverem reverteris.* Sub hoc sacerdotum principe ad annos mille tercentum, idem Pistoriensis populus discordiarum civilium, ac malorum sator, & auctor, iterum nova concitata seditione, Hetruriam in contraria studia, discordesque voluntates impulit, novisque inditis nominibus, hi Albi, illi Nigri in tumultu civili vocitati sunt. Gliscente domi certamine, Florentiam utrique venerunt, ut scilicet pro arbitrio potentis populi, quem communem amicum putabant, domesticæ controversiæ componerentur. Verum ut noster animus in cognitione causarum, & dum lites adjudicamus, modo huic, modo illi est propensior, disceptator ille populus contagione infectus bifariam & ipse scinditur. ita funesta orta dissensio, crudeleque certamen inter cives suscitatur. Domo, & patria pelluntur Albi, quorum etiam bona publicata fuere. Novi exules partim profugo Gibellino adhæsere; alii in propinquas urbes, vicinaque oppida demigrantes, quærendæ dumtaxat rei, tuendæque vitæ occupati, factionis, atque civilis ambitionis obliti quievere. Caroli Philippi Francorum regis frater, cui cognomen *sine terra*, Romam

A petens Florentiam forte diverterat: & dum furorem domesticum sedare tentat, Nigros secutus, ut pars altera patria ejiceretur auctor fuit. Hujus perfidiam Dantes conqueritur, & accusat: (In numero Alborum fuit poëta, & proinde domo fugatus plus viginti annos errabundus, & egens alienis impensis vitam egit.) Unum ego hic subjiciam, quod forsan in aliam partem, atque dicam plurimi accipient, me non parum mirari duos integerrimos homines Dominicum Calagurritanum, Franciscum Picentem, sive Umbrum divino suffragante spiritu duarum fraternitatum fundatores, & principes, cum suo tempore hæ pestes pullularent, sævoque urgente tyranno
B urbes rapinis, fuga, & cæde civium exhaurirentur, nascenti malo non intercessisse. & ut erant intrepidi morum censores, & graves criminum objurgatores, eos in primis etiam coram animosè corripere debebant, qui civili sanguine commaculati miseras civitates funditus perdere nitebantur. Hoc perfectionis Christianæ intererat: hoc animos infectos, & semper novo vulnere exacerbatos mitigasset. His interpretibus, & (ut sic dicam) arbitris in sinceram, & perpetuam gratiam reditum foret. Hoc denique charitatis erat opus, quam Christus humani generis redemptor in primis ut colerent, discipulis mandavit: profecto enim excisæ penitus
C radices morbi funestissimi fuissent. Sed ideo deterritos sanctissimos viros puto, ne, quod officii sui erat, apertè, & propalam factiosos criminarentur, propterea quod religionis principes, & rerum domini, dum uterque suæ ditionis Italiam facere tentat, civitates in domesticas dissensiones, funestaque bella impellebant. ita necesse erat alterutrum offendere: atque interim Romano pastori liberius contradicere; quod non sine piaculo, & religionis macula tentassent. Hæc, & talia veriti, officio se satisfacturos putavere, si bonorum conventicula, & fraternitates, sive collegia excitassent, sectatores hortati, ut sæculo renuntiantes nudi, & inopes
D Christum amplecterentur. ita salutari exemplo vel taciti ad concordiam, & charitatem miseros tunc mortales in se ipsos desævientes à cædibus, & vindictæ studio avertissent. Sed proh dolor, religiosi postea viri, qui à turba secesserant, remoti videlicet à rerum commercio partim velut contagio quodam correpti ad civilia certamina animos applicarunt; alii ut longius à conspectu tot malorum, & seditionum procella se subducerent, in tranquillissimo portu trans Alpes philosophantes non tam speculationi altissimarum rerum, quam frivolis quæstionibus, & captiunculis quibusdam vacabant. Quanto conducibilius fuisset, si extirpandis odiis, dome-
E stico furori sanando operati fuissent, à quorum institutis, & inveterata corruptela duo integerrimi viri, & usque in senium acres etiam scelerum objurgatores, tum indefessi rectè vivendi præceptores Vincentius Hispanus, & Bernardinus Senensis longè abfuere. Non solum lapsas, & umbratiles religiones aliqua ex parte ad bonos mores, & vera patrum instituta hi revocarunt; sed quo magis efferati animi cædibus, & rapinis gaudebant, eo viri sanctissimi fortius, & constantius repugnabant. Inter gladios cruore adhuc madidos incurrentes sine metu supplicii, aut mortis in eos invehebantur, qui per sanguinem, & suorum cædes regnum quærerent. Fremant
F licet ceteri, qui contemplandis cælestibus se totos dicavere: Si veri rerum æstimatores esse volumus, exutam feritatem, mites animos, tranquillitatem domesticam, civilem concordiam, & eam religionem, qua Deum piè, & sincera mente colimus, tum si quæ sine fraude reconciliata inter populos gratia, hæc omnia Bernardino, & Vincentio accepta facere debemus. Digni cælo viri, & velut Dei à posteris colendi! Sed ad institutum revertamur. Post Juniorem in Appulis sublatum Federicum designati in Germania Cæsares partim præ ignavia oscitantes,

partim vicinorum bellis impliciti, neglecta Italia, umbra, & imagine imperii fruebantur. Romani vero Pontifices Galliis oblectati, rem pontificiam per procuratores administrari in Italia contenti erant. Pastore destituti, & regni moderatore Itali homines domestica arma semel capientes in se ipsos ubique ruere, atque saevire. Duo Caroli pontificiam factionem enixissimè defendebant. Tum Robertus Patris, & Avi regno potitus Guelphi nominis signifer, atque protector; Pontificis etiam auctoritate vallatus, magnisque copiis succinctus ea tempestate Ligures, & Longobardos longa discordia, & perpetuis incommodis domi exagitatos sollicitabat. In alteram factionem minacem, & infestum animum gerens, triginta, & amplius annos civitates ab intestinis malis, & externo vulnere quietas esse non permittebat. Hujus vires, & impetus Matthaeus Vicecomes primum sustinuit: tum filii, & nepos ex omni Liguria, Longobardorumque finibus expulere. Consenuerat vetus societas, qua Cisalpini populi externam vim propulsabant, libertatemque suam tuebantur. Dissolutae confoederationes erant. nihil in medium ob contraria studia, diversasque voluntates consulebatur. peregrino regi omnia obnoxia. fugerat ille consularis magistratus, cui ceteri socii parerent: & cujus nutu, atque jussu rapta repeti, bellaque raptori indici solebant. Duo interim, aut quatuor, & quinque ad summum vicini populi societatem inter se constituebant, magis ut factionis vires, & opes foverent, quam ut mutuo praesidio incolumes essent. Post Constantiae temporariam pacem, qua Longobardi se deditiios priori Federico, atque Henrico filio ad tempus professi sunt, durabat adhuc vetus illa societas: Praetores tunc primum urbibus impositi jussu populi, & ex municipali jure, & ordine disceptantes judicia litiganti ex aequo reddebant. deinde Magister populi ad libertatem videlicet, & commoda plebis procuranda creabatur. Hunc Capitaneum dixere: ita triplici magistratu consulibus duobus, praetore, & populi praefecto publica negotia administrabantur. militiam tamen summopere colebant: domesticum magis, quam peregrinum praesidium domi alentes, cui ex vectigalibus, portoriis, & aliunde confecta pecunia stipendia persolvebantur. semper in armis stabant tuendis finibus appositi. Verum ut castrensis est frivola fides, mobilesque militantium animi, & plus habendi cupiditate in rapinas, & injuriam proni, in patriam saepe conjurarunt, atque interim vicino tyranno auro libertatem prodidere, moenibus, & patria cedentes, hostiliaque ausi agros tantisper populabantur, donec aucto stipendio, vel nova conditione cum popularibus reconciliarentur. Secundi erant urbani milites in omni publica administratione nomen ab eo Divo sortiti, in cujus tutela civitas posita foret. Hinc Mediolani Robustorum societas Ambrosii, Alexandriae Petri appellationem sortita fuit. In omni civili dissidio, atque certamine magni momenti erat hic miles. Triplex itaque erat in urbibus ordo. nobilitas, miles, & plebes. gens scilicet infima, & sedentaria multitudo. Non absimilis fuit haec rerum procuratio Graeciae Amphictyonibus: nunc etiam Antiates, Seduni, Veragri, & id genus Alpinae gentes hoc statu rerum, & pertinaci societate, atque amicitia libertatem suam tutantur adversus vicinorum regum impetus, & arma semper invicti, formidolosi caeteris, finitimos plerumque sine dimicatione ad quascumque voluerint conditiones compellunt. Sed foedera antiqua, & sanctum societatis nomen, ac indissolubile illud vinculum primus labefactavit, concussit, atque dissolvit, & concordes, atque idem sentientes Longobardos in domesticas dissensiones, civiliaque odia, & arma traduxit, ut supra diximus, Federicus Junior sub Constantia matre educatus, impietatis, atque saevitiae, tum paternae superbiae, atque rapinae haeres. tunc obortis seditionibus, in bella impia proruentes miserae civitates, Romano etiam Pontifice intestina damna fovente exhaustae penè sunt. Florentinus hujus pestis fons, & origo universos penè Hetruscos ad partium studia, intestinaque certamina caede, & exilio civium laetatus compulit. Carolus, quem Urbanus, ut supra diximus, adversus Manfredi arma acciverat, duplici victoria eo superbiae, & arrogantiae progressus est, ut deditione Hetruscorum non contentus, Longobardos, Ligures, Salassos, & ceteras Subalpinas gentes aggressus fuerit. Conciliaverat sibi earum gentium principes jam inde, cum ex Alpibus copias in Appulos transmitteret; nam ex itinere Caroli ductores ei factioni auxilio fuerant, quae Caesarum votis, & potentiae adversabatur. praeterea haud pauci ex urbium praefectura, dum magistratus continuant, viam ad regnum paravere. Hi Regis praesidio nixi, cum potentatus aemulos patria ejicerent, Regis amicitia res firmare conabantur. ita plerique discordes populi, & domestica contentione jactati, ut quietem ab intestinis incommodis compararent, aut Carolis se dediderunt, aut in eorum fidem, & amicitiam sua committebant. Florebat ea tempestate inter eos Ligures, qui cis Apenninum accolunt, Gulielmus Marchio Montisferrati. vetus erat illi nobilitas, affinitates splendidissimae, armis, & rebus magnificè gestis celebris, & finitimis omnibus metuendus, Caroli opibus perpetuo, & fortiter resistens. hic de imperio cum Vicecomite aliquando proelio dimicavit. Vercellas, Alexandriam, Derthonam, Novariam, & postremo Papienses ditionis suae fecerat. Foedus, & arma metu Tyranni quidam consociaverant: & nisi ab Alexandrinis circumventus fuisset; profecto enim regnum in Longobardis is obtinuisset. Actiolinus in Venetis saevissimam tyrannidem exercuit, Junioris Federici commilito, expeditionum socius, & post illius mortem Gibellinae factionis assertor, etiam defensor saevus, & acer fuit. qua tempestate Bossius Douariensis Cremonam, Ubertus Pallavicinus Parmam, & Placentiam oppresserant: neque satis tuti sibi, nisi per diversa popularium studia, civilesque furores videbantur. Comites, qui de Sancto Bonifacio appellantur, Guelpham factionem amplexati partes pontificis sectabantur. hos Verona, & principatu Scaligeri exturbaverunt: quorum Mastinus, posteaquam regnum adeptus inter Veronenses fuit, Guelphis infestus non prius ab exilio, caede, rapinis, domorum subversione destitit, quam eos ferè omnes sustulit, qui divitiis, potentia, & majorum opinione, & nomine inter ceteros pollerent. Successere Albertus, & Bartholomaeus utrique Scaligeri. hi partium studio, & muniendae tyrannidis gratia fugandis civibus, & caedibus modum nullum fecere. Non minor fuit sub Pinamonte tyranno Mantuanorum calamitas. usum equorum iis interdixerat, qui diversa sensissent. Capitale erat equos conscendere: & nisi ad ejus nutum, atque arbitrium cuncta tam privata, quam publica gesta fuissent, continuo horrendos cruciatus in adversarios edere. ita Gibellina factio Mantuam obtinuit. Post Tyranni obitum, dum fratres regnum obtinere conantur, in mutuas caedes proruerunt. In hoc ferè Longobardorum Annales consentiunt: & ita esse Gulielmus Ventura, qui civilibus, & externis per ea tempora bellis interfuit, tradit. Cremonam hic morbus atrociter invasit: gravia fuere intestina vulnera, incredibilis profugorum multitudo: nam ejecto Bossio Douariensi sub annos Domini MCCLX Gibellini nominis circiter decem millia patria emigravere, qui alias sedes, aliudque domicilium quaererent. Horum filii, atque nepotes aris, & focis extorres post annos quinquaginta sub Henrico Septimo in patriam restituti sunt. neque satiari caede, & exilio tot virorum rabies potuit, nisi arces, & tecta in agris adversariorum succenderent, ad solumque diruerent. Bononiensium calamitates per domesticas contentiones, intestinaque arma gravissimae fuere.

re. tandem pulsis Lambertinis, & Asinellis penes plebejos, qui Guelphum nomen profitebantur, summa rerum mansit. Ceteræ ferè Longobardorum civitates, & oppida, in quibus inexpiabile vigebat odium; cum Caroli submissis auxiliis in dissensionem, & pugnam urgerent, exitiali furore, armisque domesticis detrimenta undecumque penè ad excidium accepere. Astam civitatem aut juris, & potestatis suæ ut faceret, aut amicam, & sociam haberet Carolus in primis laborabat. Inter Astenses duæ veteres, & opulentæ familiæ de principatu urbis contendentes gentili sanguine, & cædibus fœdatæ, ad ulciscendas injurias irritatis animis in novas societates coibant. Gutuarius Solariis impar, eos secum pertraxit, quibus opes timori, & invidiæ erant. conflatæ societati inditum nomen *Bechintinere*. intra mœnia continuo decertatur, atque in area Divi Secundi, quem urbis patronum Astensis magnificè colit, ingens strages, dum cedere loco uterque turpe, & periculosum putat, peracta est. consuetudine armorum, & multitudine cædium efferati animi à detrimentis, & atrocitate maleficiorum desistere nequaquam poterant. Sociorum calamitatem miserati Papienses legatos mittunt, quorum oratione, & opera primum mitigatæ mentes fuere; mox remissis injuriis in gratiam reditum est. Opulenta tunc Asta mercatura, & diuturno transalpes fœnore erat. sic domi instructos milites paratos semper habebat, externumque præsidium copiosè effusa pecunia conducebat: atque interim fœdera, & inducias auro ab regibus, & hoste redimere. Albenses injuriis vicinorum lacessiti, & damnis, tum etiam armis à Rege vexati in Caroli fidem, & potestatem deveniunt. Albæ præfectus regius cum valido præsidio plurimum agebat. vicinas urbes in Regis amicitiam sollicitabat. si qui vero populi civili contentione agitabantur, iis primum suppetias ferre, quos ad Regis arma, & opinionem respicere animadvertisset. tum aut fugatis adversariis, aut per causam componendi certaminis alios in jura, & arbitrium Caroli traducebat. Alexandrini, nova civitas ex Romanorum coloniis ædificata, pro vetere Romanæ gentis dissidio plebe à patribus dissentiente primùm agitati sunt: tum per impia Junioris Federici arma ipsi quoque, ut ceteri Longobardi, in factiones divisi. ita duplici discordia, & bifariam pugnantibus animis inter ordines de administranda repub., hoc est plebejine, an nobiles res urbis gubernarent: tum vero de principatu per factiones crudelissimè decertatum fuit. Exules Alexandrinos Astensis pecuniis, commeatu, & militibus magis in excidium patriæ, quam ut fugatis adversariis, in sua restituerentur, juvabat. magni momenti Alexandrinus imperia inter suos quærenti erat: civitas populo frequens, ut quævis alia: & quia fines angusti erant, continenter cum vicinis bella gerebant: paucis jugeribus contentus quisque satis videbatur sibi locuples, si prædiolum, quod majores in divisione agri accepissent, id servasset. *In omni vetere Longobardorum societate Alexandrinus coivisse* legitur. atque utinam externo implicitus semper bello fuisset! numquam in se miseri cives totiens, & tam crudeliter manus, & impia arma obvertissent. Papiensi civiles motus, gentiliaque incommoda primùm domestici milites importarunt: & per eos in plebem arma mota fuere. Tunc dissidentes à patribus plebeji Joannonum Becchariam sibi præfectum faciunt: quo ductore cum militibus continuo decertarunt, quos patria ejiciunt. Qua injuria gravius irritati milites, atque finibus oberrantes adversarios, quoscumque nacti erant, alios spoliare, alios pulsare, & occidere: vicos præterea, & castella invadentes hostiliter diripiebant, ferro, & igni cuncta vastantes. Astenses, ut gratiam benemeritis sociis referrent, per legatos & discordiam, & civilia certamina componere tentarunt. sed plebes viribus, & armis superior numquam bona fide in gratiam cum milite redire potuit. *Ingentem multitudinem stipendiis Papiensium meruisse tunc* legimus. Scribit idem Ventura Astensis, *se vidisse aliquando quinque hominum millia, quos sua pecunia Papiensis conductos in armis haberet:* & sive domo fugati, sive novandarum rerum gratia adversus populares conjurassent, intolerabili detrimento Papiam afficiebant. per quæ item tempora Astenses, & Papienses metu Caroli regis, qui bello, & injuriis Gulielmum Marchionem lacessebat, vires cum eodem, & arma consociant. Verebantur siquidem ne, debellato Gulielmo, ipsi deinde in ditionem, & servitutem Regis compellerentur. Non permittebat quietos vicinos esse Carolus, quos si non armis palam fatigabat, fraudibus, & dolis adoriebatur. Maritimi Ligures gens discordiosa tunc maximè inter se contendebant, jam inde factionibus decertantes, ex quo Federicum Juniorem Innocentius Quartus propter continentes injurias, & perpetua maleficia, vocatis in concilium patribus, Lugduni imperiali jure, & Cæsarum ornamentis privavit. Tunc qui Federici partes sectabantur, Genuæ *Mascarati*; pars illis opposita *Rampini* appellati. quamquam sunt, qui tradant, *post Federici mortem Innocentium elaborasse, ut Genua profugi in patriam restituerentur:* quorum damna ut emendaret, pecunias etiam liberaliter exposuit. Et quia Ligures in nostra usque tempora perpetuo motu, domesticisque armis jactantur, non ab re erit quibus magistratibus, atque præfecturis publica illorum negotia administrata fuerint: tum vero grassante intestino morbo, peregrino quamquam hoste vexati, ab domestico certamine numquam cessaverint, exponere. Ad annos Domini MCC sub consulari imperio res Genuensium stetit. in magistratu urbico quatuor annui præficiebantur consules: circumacto consulatu, totidem delecti cives sufficiebantur. horum præcipuum munus erat litigantes audire, causas cognoscere, & de controversiis statuere. Penes consules procuratio reipub. annos ferè nonaginta mansit: peregrinum prætorem annuente Federico Primo accepere: id quod universis Longobardorum civitatibus idem concesserat. Prætoris supremum jus erat, abs quo provocatio nulla. unde credo prætoribus potestatis nomen inditum: quamquam olim sub Romanis Cæsaribus id nomen legamus. Ceterum hic magistratus, & hoc urbicum imperium instabile, & nonnumquam intermissum, variè quoque jactatum fuit, ut nunc consules, interim prætores jus dicerent. sub annos MCCCXVIII potestates in magistratum perpetuum, quatenus annuæ vices patiebantur, venere. & haud ita multo post indigenam præsidem, qui libertatem tueretur, & commoda populi procuraret, crearunt. Invenio *potestates duos Genuenses de gente duntaxat patricia domi, & foris publicis negotiis aliquando præfectos.* Sub adventum Henrici Septimi; sive quia prætorum, & capitaneorum pertæderet; sive quia annuæ magistratuum ambitiones discordiarum causa essent, duodecim viris, quorum sex nobiles, & totidem plebeji erant, res summa committitur. His additur unus, quem *Abbatem, sive custodem populi* dixere. Post Henrici obitum duplicatur regentium numerus: ex utraque gente viginti quattuor delecti, qui urbem regerent. rursus ad pristinos magistratus reditum est. Prætor peregrinus erat: patricii duo Præsides. Civilia tunc aucta sunt odia. armis universa ora Ligustica conflictata est. pulsi Genua Spinolæ, & Auriæ. mox qui domi erant, ab exulibus obsessi Genuam Pontifici Joanni ita dederunt, ut procuratio penes Robertum Regem foret. Rege deinde ejecto, tædio præfectorum, quorum vices gubernationi obesse videbantur; quidam vero ita magistratus peterent, ut cum imperio libertatem patriæ adversus plebis commoda usurparent, Ducem plebes sibi creat. Primus Dux Simon Bucanigra. quindecim post annos, à Venetis accepta clade, Joanni Vicecomiti Archiepiscopo se

Genuenſes ſubjecere. Vix biennium Archiepiſcopus, tum Galeatius, atque Bernabos fratre progeniti Genua potiuntur: & inde ſub Ducum imperio Reſpub. iterum rediit. Duæ opulentæ familiæ inter ſe diſcordes plebejum hominem in ſummo magiſtratu ſtatuunt, popularitati plus, quam patriciis conveniret indulgentes. & ſanè parum quieti, & otio civitatis proſpexere, qui ducem non per ſuffragia populi; ſed per factionum vires, & arma creari voluere. Placentini per diſceſſum militaris turbæ, mox per contrarias voluntates in ſeditiones delapſi ſunt. Denique dominante civili ira, & gliſcente diſcordia, nullum non fuit in Gallia Ciſalpina oppidum, nulla civitas, nulla denique gens, quæ diſſentientibus civium ſtudiis, gravia detrimenta non ſuſtinuerit. Exulante Matthæo moritur Joannes Marchio Montisferrati ejus Gulielmi filius, qui Alexandriæ (ut ſupra diximus) mortem obierat. nulla illi aut virilis, aut fœminea ſtirps fuit. Ergo moriens unum Violantidis ſororis filium, quemcunque Andronicus pater voluiſſet, ſucceſſorem regni fecit. *Per codicillum*, ſcribit Ventura, *Græcum adoleſcentem ab Avunculo hæredem inſtitutum, atque ſubinde conſenſu procerum legatos Conſtantinopolim miſſos.* Jam Andronicus Theodorum filium primum ab ultimo in Italiam mittere parabat: niſi illum nuntii retardaſſent, qui à Monteferrato venientes, affirmarunt Joannis uxorem poſt viri obitum aliquid in utero ferre; & proinde filium Conſtantinopoli retineret: quando legitimus rerum ſucceſſor ſperari poſſet. Ad hæc dubius, & ſuſpenſus animi Andronicus jam legatos ſine filio dimiſſurus erat. tunc Jacobus, cui cognomen de Sancto Stephano erat: *artes ſunt hæ*, inquit, *Thomæ Salutienſis, qui te commentitio partu deterrere, novaque fabula eludere nos cogitat, ut videlicet regnum hærede vacuum invadat, & ceu caducum excipiat. Ego tantiſper hos oratores his commorari cenſeo, dum eat nuntius, qui uterum Reginæ diligentius exploret, atque inde redierit.* Placuit conſilium Andronico. mittuntur in Italiam legati, qui celeriter in Thraciam reverſi, ementita de conceptu Reginæ omnia renunciant. tunc lætus Andronicus, iis omnibus comparatis, quæ ad iter neceſſaria videbantur, Theodorum filium in Ligures tranſmittit. Genuæ prætor Ubertus de Petra Papienſis genere erat: Capitanei duo Barnabas Auria, & Opicinus Spinola: uterque ſplendidis conjugiis, & magnæ affinitati inhiabat. Barnabas filiam Thomæ Salutienſi in matrimonium dat: Opicinus Theodoro Paleologo Argentinam à ſe progenitam deſpondet. Haud parva ex his nuptiis peregrino homini ad hæreditatem adeundam acceſſio facta eſt. Inter Genuenſes Opicinus ea tempeſtate opibus, gratia, & hoſpitiis florebat. oppida præterea, & vicos in Liguribus poſſidebat. Quare ſoceri opibus, & armis adjutus in Montemferratum Theodorus proficiſcitur, primumque Caſale pervenit. adjungitur Theodoro Philipponus Languſcus. Uſurparat Salutiorum Marchio, ad quem Aſta profugi confugerant, priuſquam Theodorus in Italiam veniret; cum in tumultu omnia forent; Clavaſſe, Montem Calvum, tum aliquot oppida quæ ſub ditione Joannis fuerant. Græco igitur intercedunt, atque omni vi, ne regnum obtineat, repugnant. Theodorus milites conducit: atque ubi juſtum exercitum coiviſſe videt, Pontem Sturæ obſidet: neque prius diſceſſit, quam oppidum, atque arcem in poteſtatem redegit: & haud ita multo poſt Mombello potitur. Philippus Achaiæ princeps forte per ea tempora Subalpinis populis imperabat, cujus etiam nutu, atque arbitrio plurimum Albæ, & Aſtæ publica negotia gerebantur. hic Theodorum in colloquium ad locum, quem Ruptæ Pontem appellant vocavit, & primum, ut erat in omni re diſſimulator, & proinde fallax, juvenem amplexus exoſculatur: multa deinde, quæ Theodoro ad recuperandum regnum, firmandaſque eorum opes, qui Aſtam

A tenebant ſubjecit, fœderaque inter ſe faciunt. Aſtenſis milites Theodoro, ut Marchionatu potiatur; ipſe vero præſidia adverſus vires Salutienſis, exulumque arma, qui fines patriæ infeſtabant, promittit. poſtridie ad ratificanda fœdera, eaque omnia exequenda, quæ pacti fuerant, Aſtam itur. tum convocatis in concionem Decurionibus, de ineunda ſocietate cum Theodoro, ut pridie actum fuerat, refertur. Inclinati erant ad ſocietatem animi, niſi Philippus, contra quam & ſenſerat, & loquutus fuerat, Theodorum minimè ſocium adjungi debere ſuaſiſſet. nullam cum illo fidam, & diuturnam ſocietatem manſuram, quando eo ſit patriæ natus, qui pro in-

B genio, & moribus gentis numquam fidus ſocius, aut amicus verus fuerit. *An violare*, inquit, *vultis jusjurandum, quo fœdera priora ſancivimus? Ita enim convenimus, quo tempore ad communem ſalutem, atque incolumitatem conſociati fuimus, niſi communi conſenſu nova ſocietas nulla ineatur. Proinde ſi vultis duratura fœdera, omnino à vobis Theodorus Græcus, & peregrinus homo repudietur.* Turbati admodum fuere eorum, qui aderant animi; nam qui ex pridiano complexu, blandoque Philippi ſermone ſanciri fœdus expectabant, unde tam ſubito mutata voluntate, Theodoro Philippus adverſaretur mirabantur. Dimiſſa concione, Aſtenſes ſecundum ea, quæ ad Pontem Ru-

C ptæ convenerant, cum Theodoro ſocietatem firmant. ita Græcus juvenis novo ſubnixus ſocio Montem Calvum aggreditur. Tuebantur Oppidum exules Aſtenſes, nec niſi obſidione capi poterat. caſtra itaque circum locantur, & ad ſubvertendos muros tormenta, & machinæ admotæ. obſidio paulo longior proceſſit. Per Octobrem menſem partem Oppidi noctu Theodorus ingreditur, ſperans, oppidanos ad deditionem compelli; ſed in irritum res cecidit; triduum enim illic fruſtra commoratus, relicta parte, quam ceperat, abiit. Per Decembrem autem menſem Clavaſſi arcem, nocte deceptis cuſtodibus adortus, Oppidum obtinuit. tunc ſine cer-

D tamine vicina quædam oppida in poteſtatem Theodori venere. Anno inſequenti MCCCVII Theodorus idem, adjuncto Comite Philippono Languſci Lugum obſidere aggreditur. Oppidani, cum obſidionem tolerare nequirent, deditionem intra quindecim dies, niſi ſubſidio Carolus affuerit, paciſcuntur. Audito ſociorum diſcrimine Reinaldus regios milites contrahit: adjungitur ei Princeps, & haud longè à Vignale (hoc oppido nomen eſt) caſtra locant, opemque obſeſſis ferre tentant. Philipponus caſtris cedere Theodorum, & in propinquam arcem ire perſuaſit, ipſe temere in hoſtem invehitur. Gallici milites vim, & impetum adverſariorum fortiter

E ſuſtinent, graveque certamen editur. Prementem Gallum Languſcus cum ferre non poſſet, terga dat, acies continuo diſſipatur, dux ipſe capitur, atque vinctus in Narbonenſem Galliam tranſmittitur, aliquotque dies in vinculis habitus eſt. Liberavit eum Opicinus Spinola per conditiones; nam Carolo Siculos debellare cupienti triremes, remiges, & epibatas Liguſticos, Rege ſtipendia ſuppeditante, pollicitus eſt: qua item conditione Mons Calvus, & Vignale Montisferrati oppida eidem Opicino traduntur, quæ is nomine dotis filiæ authorata aliquamdiu poſſedit. Oppido potitus Spinola eos omnes ſtatim domum reduxit, qui Generi partes ſequuti, pa-

F triaque ejecti, bona quoque amiſerant. Urgebat Carolus Subalpinas gentes, novumque Legatum principio veris Raimundum nomine in Italiam cum præſidio transmiſerat. Regi primum Albenſes, tum Aſtenſes paruere. per Septembrem majores in Italiam copiæ è Galliis deſcendêre, quarum metu Salutienſis Marchio confeſtim oppida, quæ Carolo patri eripuerat, reſtituit, ſeque Regis dedititium profeſſus eſt. Timuere Aſtenſes Caroli vim, quamquam illi obedientes eſſent. Quare nova fœdera cum regio Præfecto, interpoſito jurejurando, ineunt.

eunt. Convenere ut eos pro hoste uterque haberet, qui alteri infesti essent. ita Astenses profugi iis locis continuo cessere, quæ regiæ ditionis essent. Rebus in hunc modum compositis, Rainaldus præmissis copiis, ad Regem revertitur. Philippus paulo ante ex Peloponeso in Italiam cognomen principis Achajæ reportaverat: fœdera, ut supra diximus, cum vicinis populis ita faciebat, ut per speciem ferendæ opis eorum libertati insidiaretur. Sed hominem dolosum, & plurimis invisum per Ægidium Legatum Carolus principatus parte mulctatum sibi subjicit. Non erat tunc simplex in animis Longobardorum, & Ligurum habitus. terrebat alios Carolus gravis, & assiduus hostis: horrebant quidam Principis dolos, & artes, quem agnoscebant nihil non moliri, atque tentare, ut amissarum rerum jacturam vicinorum detrimentis, & servitute emendaret. Studebant nonnulli Theodori rebus, ut avitum regnum, quod etiam avunculus legaverat, aliquando recuperaret: & quamquam peregrinus foret, cognatio tamen, & matris genus illi non solum studia, & favores procerum; sed etiam popularium amorem conciliaverat. Apparebat in eo indoles magni, justique regis, neque populos accersiti successoris pœnitebat. Dum hæc in Liguribus, & Longobardis geruntur, erectique essent ad nova imperia animi, in Germanis Albertus ad fastigia rerum designatus juxta Rheni ripas à fratris filio interficitur. Coivere subinde proceres, ut Cæsarem novum crearent. Discordes erant animi, studiaque contraria, nec quem unum rebus præponerent satis inter se conveniebant. Fuere qui dicerent Philippum Francorum Regem imperio dignum esse, jamque in eum quidam inclinabant. res tamen aliquamdiu, non idem sentiente collegio, extracta fuit. Interea Nicolaus Pratensis Cardinalis Gibellinæ factioni metuens, quam tegere, & defendere non cessabat, Clementem Pontificem periculi, & ingruentis calamitatis commonefecit, *si Philippo, cujus animus per recentem Bonifacii offensam, & contumeliam irritatus fuerat, rerum summa deferatur, neque eum, qui potentissimus esset, à vi, & maleficio temperaturum, donec opes, & auctoritatem Romani Sacerdotii ita diminueret, & extenuaret, ut de hinc filii, atque nepotes majestati, & potentiæ Pontificum impune illudere, & adversari possent. Quare si securitati suæ cavere, resque sacerdotum incolumes esse velit, summum imperium à Philippo avertat, intercedatque illorum studiis, qui ad potentissimum alioquin tyrannum inclinent.* Ubi persuasum Clementem vidit, de Henrico Lucemburgi Comite subjecit: *Huic paternæ opes haud magnæ sanè erant, justitia, prudentiaque, tum rerum gestarum gloria, quam natalibus, aut gentili regno illustrior. quod si quæ sit voluntas Pontificis proceres noverint, consensu omnium facile Henricum Cæsarem creatum iri, qui pontificum imperata obedienter facturus esset.* Prudens, & salutare visum consilium, atque confestim per internuntios suffragiorum dominos hortatur, & monet, ut Henrico rerum gubernacula tradant. qui ut Pontificis votis obsequerentur; tum etiam quia dignitatis Germanæ, & veteris retinendi juris magnopere intererat, indigenam potius, quam advenam rerum potiri, Henricum Romanorum regem creant.



GEORGII MERVLAE, ALEXANDRINI,

ANTIQVITATIS VICECOMITVM

LIBER VII.

Henricus in Italiam deſcendens Mediolani ornamenta regia capit, ejectisque Turrianis, & Matthæo in procurationem reſtituto Laudem Pompejam recipit.

1308. AGEBATUR annus à ſalutifero Virginis partu milleſimus trecenteſimus octavus, cum Henricus pro vetere inſtituto argenteo diademate in Germania inſignitus ſtatim viros partim illuſtri genere editos, alios ſacerdotio venerandos ad Clementem ea tempeſtate Avinione agentem legatos mittit, qui peterent, *ut quod Germani Principes juſſiſſent, ejus Pontifex auctor eſſet, atque ita cum bona illius venia in Italiam Henricus tranſiret, Romanique Imperatoris titulum, atque nomen eodem auctore acciperet.* Poſtulatis libens Clemens annuit, biennio præſcripto, intra quod in Italiam veniret: quando Cæſareæ majeſtatis, & ſalutis Italorum plurimum referret quam primum eas inviſere civitates, quæ Germanis Cæſaribus obnoxiæ forent. Fervebant per populos diſcordiæ, vetera, & inteſtina vulnera graviora in dies renovari, quæ niſi Cæſarum præſentia vix ſanari poſſent. Quattuor è primoribus patrum deſignantur legitimæ coronationis ergo, qui novum regem alpibus appropinquantem magnificè exciperent, Romamque deducerent. Ceterum Henricus cognito quod Clemens electioni annuiſſet, minime cunctandum ratus; etſi res graves eum urgerent, veritus tamen, ne paulo diutius in Germània commorari eum oporteret, Legatos ad Longobardos, & Hetruſcos mittit, qui monerent, *ut à vi, atque domeſticis armis deſiſterent: quando hoc in primis curet, ut Italiæ civitates depoſito civili odio, injuriarumque oblitæ, exules ſuos recipiant, atque domo fugati cum popularibus in gratiam redeant:* iisque promittebat auxilia, qui mandatis paruiſſent, adverſus eos qui plus viribus poſſent. *Reſpondiſſe Florentinos ſuperbius neſcio, an imprudentius* ferunt: *videri ſibi non convenire ei principi, qui pacem, & otium Italiæ promittat, cum barbaro exercitu ab alpibus deſcendere. de recipiendis autem exulibus tunc commodius tractari ubi Cæſar advenerit. Aretinos vero, quos Florentini urgerent, & injuriis laceſſerent, bello liberari non convenire, niſi acceptis Guelphis, qui in tutelam Florentini populi ſe tradiderant: neque hoc ægrè ferre debet Imperator, cujus præſidio, & auctoritate patria fugati in propria ſua reducti ſæpe fuere. quare Aretinorum agros, & urbem numquam à maleficiis, & detrimentis externorum vacaturam, niſi exules, qui ad fidem, & opem Florentini populi confugerant, in domum reſtituerentur. Imprudenter reſponſum* Dantes vates haud illepidus in quadam epiſtola ſcribit: & Florentinos homines alioquin non improvidos, *cæcos* appellavit. Haud in totum caſſæ, & vanæ ceciderunt ab Henrico denunciationes: ſiquidem Tarlati gens Aretina, dum externum ſubſidium expectant, & propinquo Cæſaris adventu confiſi, prœlio nonnumquam cum hoſte decertantes, hoſtilem exercitum finibus cedere coëgerunt. Sed Mediolani longior, & gravior conſultatio fuit. Res Turrianorum in ſummo periculo, & diſcrimine verti videbatur, ſi, quod Conſtantiæ Epiſcopus petebat, Henricus intra urbem receptus foret; quid enim ſi ferrea corona negata fuiſſet? Invidiam profectò, & odium Longobardorum ſubire Turrianus videbatur. præterea metuebat diverſæ factionis vires, quæ & ſi longo exilio imminutæ videbantur, tamen multorum animi ad nova conſilia erecti ſtabant. Incompertum item illi erat, ſe, an Vicecomitem magis Henricus ſuſciperet, atque defenderet, atque ita receptus Cæſar, ſi urbe fugatos ſecum duxiſſet principatu Turrianum dejiceret. His, & talibus curis agitatus vicinarum urbium proceres in concilium accerſit. Sententiæ variæ tunc; ac diſſidentes dictæ. Philippus Languſcus quæ magna; & perpetua Cæſarum beneficia in gentem ſuam fuiſſent commemorare, tum quantaque incommoda, & detrimenta acciderent, ſi Cæſari non paruerint, cujus nutu, atque juſſu multos annos res Longobardorum procurata foret. *Quid non,* inquit, *majores noſtri ſtipendiarii Cæſaribus fuere? Leges ab eis accepimus: honores & dignitates nobis contulere. Quid non magnam profecto injuriam nomini Cæſareo faciemus, ſi Henricum Romam petentem cum honore reverenter non exceperimus?* Contra ſentiebant alii, atque Languſcum parum libertati populorum, & incolumitati factionis ſuæ conſulere. *Quid enim extorres magis optant, quam ut cuncta Germanis regibus, quibus Guelphi inviſi ſunt ſubjiciantur? Ut ſcilicet Cæſarum præſidio ſubnixi in principatum reſtituantur, atque ita acceptas ab inimicis injurias crudeliter ulciſci valeant.* In hunc ferme modum altercantes proceres concilio cedunt. Guido inter pugnantes voluntates, & contrarias ſententias Procerum ſaluti rerum metuens, modo in hunc, modo in illum obvertens oculos, hæc identidem ſucclamabat: *Cur in medium non conſulitis? cur privatæ commoditati tantum indulgetis? ira iratum nobis cæleſte numen conſpicio, Fortuna mentes occæcat.* Duo deinde religioſi viri, invito Guidone, in Germaniam per ſpeciem gratulationis profecti ſunt, qui voluntatem Henrici explorarent, atque dicerent: *ita demum à cunctis incredibili honore, atque reverentia exceptum iri, ſi omnibus æquus veniat, nulli ſpem, aut cauſam novandarum rerum faciat. eſſe nonnullos, qui præoccupare animum, & gratiam novi Cæſaris inire ſtudeant, ut ex illius opinione, aut ſi honorificè appellati fuerint, viam ad regnum inter ſuos comparandum faciant, atque ita tam publicæ quam privatæ rei detrimenta importent.* Ab Henrico hoc in primis petivere: *ne patiatur Longobardorum quemquam, duobus duntaxat exceptis Turriano, atque Languſco, ſe amicum Cæſaris palam profiteri.* Ceterum Henricus, cognita & Pontificis ſententia, pertentatisque Etruſcorum, Longobardorum animis, priusquam biennium exiret, quod præſcriptum à Clemente fuerat, duo ſibi in primis propoſuit: *ea comparare, quæ itineri cum dignitate peragendo idonea forent; alterum, ut domeſticas opes, quæ mediocres erant, & perinde infirmæ, muniret: tum vero fines affinitate aliqua latius proferret.* Ad filii itaque nuptias animum intendit. Erat forte Vinciſlao Boëmorum regi filia unica Eliſabeth nomine. Gens hæc trans Danubium incolunt: Albi fluvio diſcreti ad Oceanum ſeptentrionalem pertinent. de-

ſponde-

spondetur puella Joanni Henrici primogenito. Reges autem ita nuptias paciscuntur, atque convenere: *ut quando nulla virilis proles Vincislao esset, regnum Boëmorum Lucimburgensis juvenis per uxorem dotale possideret.* Novarum opum adeptione, splendidoque conjugio magna virium accessio facta. Quo autem plus opum, atque potentiæ quæsisse novus Cæsar nunciabatur, eo majore in metu Turrianus, atque Italiæ Guelphi erant. Sollicitabatur item Vicecomes: qui, etsi inops & exul erat, congressusque hominum præ pudore fugeret, tamen multa cogitare, atque etiam circumspicere, quo Cæsaris absentis amicitiam, & gratiam iniret. itaque utriusque, Vicecomitis, & Guidonis dispar votum, dissimilisque conatus maximo in negotio erat. Anno qui fuit millesimus tre-
1309. centesimus nonus calendis Octobris Guido Turrianus facinus aggressus est novum, & sibi, gentique suæ exitiale. Castonus Archiepiscopus ambigua fide, ex his, quæ supra diximus, erat. fratres quoque omnes novandarum rerum suspecti. in unius potestate, & custodia arx Tritii tenebatur: ceteri cum Archiepiscopo nescio quid novi consilii tractare videbantur. opportunos suspicioni eos appropinquans in Italiam Henricus, & invidia perpetuæ præfecturæ faciebant. Igitur ut opes firmaret, securusque insidiarum, & propinquorum foret, Archiepiscopum, & tres cum eo fratres, qui pontificali in æde erant, capi jussit, atque vinctos nocte, quæ insequuta est, in arcem Angleriæ misit. Napinus fratrum minimus in aucupium forte prodierat, hic ubi fratres à patruo captos audivit, Tritium versus contendit. Guido fugientem persequi mandavit. expediti equites, Leone duce, ad vicum, cui Cinusculo nomen est, desequuti fuere. nobiles medici quominus interciperetur restitêre. ita juvenis, uno duntaxat ministrorum saucio Tricium profugit. Guido oppidum continuo obsideri jubet. Arx erat munitissima, & validum in ea præsidium. commodum præterea erat Borgomensi amico commeare, tum propinquitate fluminis, frumentum, arma, & cetera tolerandæ obsidioni opportuna comportare. captivitate, & vinculis Archiepiscopi, tum obsidione duorum fratrum Antonius Fissiraga, & Philipponus Languscus, tum ceteri factionis studiosi Mediolanum continuo veniunt, Guidonem rogant, & obtestantur, *iram remittat, captivos relaxet, obsidionem solvat, ne Turrianorum opes funditus perditum eat.* Parere recta monentibus is noluit, imo magis in vindictam accendi. Tunc veritus Fissiraga, ne furens homo in pueros desæviret, impuberes mares Pagani, & Moschini filios, quos Guido in vinculis habebat, secum in Laudem duxit. obsidio procedebat, arxque oppugnabatur. Inter ea Paganus alter Patavini Sacerdotii præfectus Mediolanum venit. Iterum Fissiraga, & Languscus redeunt, Guidonem obsecrant, & obtestantur: *hanc ulciscendi cupiditatem deponat: aliquid juri sanguinis, & naturæ donet. nefarium esse, etiam regnandi causa in eos sævire, quos natura conjunctissimos nobis fecit, tum reverentiam tanti Sacerdotii contemnere: immane vero, & detestabile Sacrorum Antistitem, ceu capitis reum in teterrimo carcere contineri.* His precibus, ne dicam objurgationibus, magis ad ultionem accendi Guido. *hoc commeruisse Archiepiscopum, & fratres, qui in suam, & filiorum necem, & perniciem conjurassent, nec se, & filios salvos, regnumque tutum, & incolume futurum, nisi Castonum, & Germanos fratres captivitate ad omne facinus irritatos, perpetuo in vinculis teneat.* Exacerbaverant alioquin implacabilem hominem Pelaguræ execrationes: qui ut nefarium conatum ulcisceretur, *urbem sacris se interdicturum* minabatur, *nisi Archiepiscopus vinculis liberaretur.* pertinax stabat in sententia Guido, nihil propinquorum precibus, & amicorum consiliis dabat, gravia Legati mandata aspernari. Tandem timentes Paganus, & Fissiraga, ne præ impotenti ira, & metu conjurationis asperius quiddam in suos is statueret; ita convenerunt: *ut recepta Tritii arce Guido Castonum, & fratres relaxaret, sponsore, sive sequestro Zonfredo Turriano.* Arce tradita, Episcopus cum fratribus liberantur. Potitus Tritii Guido arcem subrui fecit: Archiepiscopus Laudem primum ad Fissiragam, inde Bononiam petiit. apud Pelaguram aliquot menses commoratus id egit, ut patrui sacrilega rabies, & temeritas damnata, impunita non esset. Religio non solum afflicta; sed plane præsenti insania in æternum polluta videbatur. Mandavit Pelagura continuo vicinarum urbium Episcopis, *ut Guidonem Mediolani Capitaneum, & duos filios, pro eo quod in Archiepiscopum violentas manus injecissent, apostolicisque mandatis non paruissent, ab aris, focis Deorum, & Christianis cærimoniis excluderent.* sævos homines, atque feros religiosi patres adirê non sunt ausi, vincula, cruciatus, & publicationem bonorum his minabatur: si qui Legati litteras, & mandata in concione recitassent. Verum, ut satisfecisse mandato Pontificis viderentur, Comi, Marliani, & ceteris in vicis, atque oppidis, quæ Mediolano finitima sunt, palam non solum patrem & duos Turriani filios; sed quicumque consilium, & operam in capiundo Archiepiscopo præstiterant, diris sempiternis, atque execrationibus obligavere. diras Guido contempsit, resque Turriana ex eo labi cœpit, semperque studium ulciscendæ injuriæ in animis viguit, donec Castonus consociato Vicecomite patruum potentatu dejecit. Ceterum Guido cum violato Sacerdotio, & cognatorum fuga se invisum civibus videret, ut ægras mentes leniret, atrium in dextra palatii parte ædificat, quod duodecim appellationem habuit, quia forsan illuc duodecim viri publici negotii curatores, ceu ædiles conveniant. arcem item Montorfani pridem à Matthæo subversam instaurari voluit. Loci opportunitate, tum valido præsidio imposito defendi fines poterant. quod si aliquorum fides ambigua, aut suspecta arma eo in tractu fuissent, facile in officio contineri, aut comprimi poterant. Ceterum Matthæus longo jam exilio exhaustus, & egens vitam alienis impensis, & amicorum liberalitate ægre sustentans nihil gravius ferre, quam quod præ inopia is deesset, quem in Germaniam ad Henricum mitteret. plurimum interesse in opes recuperandas, adversarios debellandos cognoscebat, si Henricum, priusquam ad Italos adventaret, aut promisso obsequio, aut significatione prompti animi conciliasset. quiescere in rerum occasione, quamvis finibus pulsus, non valebat. indefessus & erectus adversus omnem impetum fortunæ animus stabat. sperabat in calamitate aliquid supra ceterorum sortem: filiorum, atque nepotum fortuna, quam propria egestate mœstior: *cujus patientia quanta foret, & quid calamitosus senex spei haberet, tentasse aliquando Guido* fertur. Post fugam, & relictos fines Matthæus ad Veronensem Canem profugerat: mox turbam & congressum hominum devitans, graviore urgente cura, forsan & meditationis gratia in angulum Benaci lacus recessit. desertus erat locus. senem miserum, & inopem domestici, & propinqui deseruerant. jam ludibrio cunctis esse, dies integros Benaci ripis solus oberrare, retia interim texere, atque piscari. Calamitate, & inopia adversarii elatus Guido unum è domesticis, ut inopi, & profugo illuderet, in Veronensium fines mittit, qui solo in loco Matthæum nactus, *scire*, inquit, *cupit Guido, quidnam solus hic mediteris, & agas.* respondit senior. *Retia tendo ideo solus, ne quis piscanti obstrepat.* tum ille: *en qua via, & quando redire in patriam speras?* tum Matthæus: *eadem, qua pulsus sum; sed non priusquam illius flagitia nostro, si quod est, scelere præponderaverint. In præceps tunc ille forsan agetur, ego vero sublimia repetam.* Scribit alius, *senem hæc subjecisse: Tempori me accommodo: quam rem Guido tuus agere in tanta calamitate nesciret.* Hæc prudentissimi senis responsa ubi Turriano Mediolani renunciata fue-

fuerunt, *exclamasse unus ex astantibus* fertur: *omnia Matthæus amisit, spem meram, atque sensum retinuit, proinde minime contemnendus: spirat adhuc ad principatum, & regna.* Sapienter ad utrumque respondit, & futurorum Vates fuit: siquidem secretum magna meditantem procul ab hominum frequentia agere oportuit. Postea vero, exuperante Guidonis scelere, qui in rerum felicitate temperare sibi nesciebat, ut infra dicemus, Matthæus in patriam, & regnum restituitur. Ingravescebat ætas ultima, senem circumstabant incommoda: non tamen eum adversa ita quassaverant, ut ad recuperandas opes animum non erigeret; Vir autem deerat, qui novi Cæsaris ingenium tractaret, illumque Vicecomiti subinde, & exulibus conciliaret. Forte dum peregrinatur Franciscum Garbagnatem offendit. hic Mediolano pulsus, accepta à Turriano gravissima injuria, cæde etiam suorum ad ultionem irritatus, vitam pro tempore docendo jus civile Patavii sustentabat. hunc Matthæus adit, *& quando*, inquit, *Francisce calamitates, miseriæque nostræ finem habebunt? Opes, honores dignitatesque omnes cum patria amisimus, inopes, & egeni in aliena terra peregrinamur, dura vita, & acerba conditio nobis est, inimici regnant, nobis insultant, & miseriæ illudunt. De reditu actum est, nisi adventantem in Italiam Cæsarem præoccupaverimus. adhuc in ambiguo est, nos, an adversarios magis suscipiat, ac foveat. duce, & moderatore in re tanta nobis opus est. noster erit Cæsar, si primi eum occupabimus, cujus favore & auctoritate sine cæde, & sanguine domum redibimus.* Sic communem sortem miserando virum vindictæ alioquin avidum ut in Germaniam proficisceretur, impulit. Deerant viatica, Matthæus omnium inops nihil suppeditare valebat. ne tamen in tanta bene gerendæ rei opportunitate suæ propriæ, & exulum saluti Franciscus deesset, vestes, & libros, qui sibi à fuga, & exilio supererant; ut pecunias ad iter necessarias conficeret, divendit. Tradunt quidam, *equos, & comites à Riciardo Caminate, qui in Travisanis potentissimus erat Garbagnati, ut securus per feras gentes incederet, Galeacio rogante, datos.* Apud Henricum exulum causam sapienter hic egit. Nemo Longobardorum procerum Henrico, & aulicis præter Guidonem, Languscum, & paucos nominis Guelphi principes notus erat. nam religiosi viri, quos supra in Germaniam profectos diximus, hos dumtaxat in Longobardis dominari dixerant. De Gibellinorum opibus mentio nulla facta. hoc idem exploratores affirmabant ex Italia reversi. Franciscus Gibellinorum vires, & quæ essent eorum in Romanos reges studia, exposuit, & quantopere designati Cæsaris in Italiam adventum expeterent. Guelphos vero maximo in metu esse, arma parare, nova fœdera inire, ut finibus Cæsarem summoveant. quod ita esse facile cognoscet, si in Italiam nuncios miserit. Hæc lætus Henricus audivit. Reversi Oratores Turrianum, & Languscum principatum inter Longobardos tenere renunciant, popularibus tamen invisos. contra exules domoque fugatos nullam aliam spem reditus, aut reconciliandæ cum adversariis gratiæ, nisi in Cæsaris adventu habere. Ex eo Henricus Franciscum apud se carum habuit, atque in consilium magnarum rerum semper adhibuit. Hac primum via Gibellini adversariorum viribus, & armis oppressi sublevari, & respirare cœperunt. Quo hæc gerebantur anno Carolus secundus moritur. Sunt tamen qui tradant, *illum priore anno vita defunctum.* ego Palmerio, & ceteris scriptoribus magis assentior, qui *decessisse Carolum* MCCCVIII litteris prodiderunt. Id quod sic esse Regis diplomata, tum etiam fœdera, & deditionum conditiones, quibus Robertus subscripsit, satis testantur. Post patris justa Robertus in Narbonensem Galliam transcendit, ut avorum regna inviseret, simul ut Clementem Pontificem religiose salutaret, cui se deditituim profiteretur. Pergratus fuit Clementi in Gallias Regis

A Roberti transitus, cui haud gravatim Pontificiæ ditionis regna, quæ pater, & avus in Italia obtinuerant, concessit: & haud ita multo post, cum fama appropinquantis Henrici factionem Pontificiam admodum territaret, ad firmandos sociorum animos, factionisque opes defendendas per montanos Ligures in Sallassos Robertus descendit. Huic statim Mons vici sive Regalis, Savilianum, Carascum, & Alba Pompeja, tum aliquot ejus tractus oppida paruere. Inter hæc Philippus Sabaudiæ comes, cum tot populi in jus, & potestatem Regis se permisissent maxime motus est. Verebatur siquidem, ne Astenses, qui se patrono, & defensore ad propulsandas exulum
B injurias usi fuerant, regiæ ditionis fierent. Cives in concionem convocat, tum etiam per urbis conventicula, atque vicinorum conciliabula, quæ suæ cum Carolo patre, Robertoque filio inimicitiæ fuissent, exposuit. ab Astensibus jusjurandum exigit, quo modo astricti Regi numquam ut domino parerent. Erat tunc Astæ Opicinus Spinola domo, & magistratu pulsus, hic Genuam Roberto se traditurum pollicebatur, si in patriam reductus foret. Venerant etiam per ea tempora Astam ab Henrico Legati, qui in frequentissima concione nunciaverant, *Cæsarem in Italiam ad Calendas Septembres perventurum; & proinde quòd Imperatoribus obnoxii forent, nequaquam*
C *in fidem, & potestatem alterius domini se traderent. in primis autem fœdera cum Roberto repudiarent.* Responsum legatis haud acerbè, tum vero Philippo audiente, palam dixere, *se Imperatoris dedititios esse, cui uni quoad viverent semper obedirent.* Deinde Legati Cuneum, ubi Robertus erat; inde Savonam, Genuam, & Pisas petivere eadem Imperatoris nomine nunciantes. Vix Legati abierant, cum de omnium consensu oratores ad Robertum deliguntur, qui fœdus & societatem cum eo ineant. Tunc Philippus gravia Legatis minari, si ad regem irent, aut de societate verba facerent. Minis deterriti homines accedere ausi non sunt. res Astensis per duos Con-
D sules administrabatur. hi præter Philippi voluntatem Albam Pompejam pergunt, quo in loco Robertus, & uxor mulierum ea ætate pulcherrima erant, & cum eo circiter quingenti equites ad pugnam instructi, atque parati quotiens opus esset. Legatos Rex benigne vidit: quos etiam mensa sæpius dignatus est, illud identidem in conviviis jactans; *inter omnes Longobardos Astenses, qui tunc urbem obtinebant, caros sibi esse, quorum societatem & amicitiam in primis cuperet.* Tunc consules jurisconsultos domo accersiverunt, quorum consilio fœdera conficerentur: sed metu, & denunciatione Philippi Asta cedere consulti juris ausi non fuerunt: Robertus tamen his fe-
E re conditionibus fœdera cum Consulibus percussit: *ut iis, qui domi erant, adversus exulum injurias opem subministraret, denique Astenses omnes in tutelam suam reciperet, quos ubique à vi, & injuria defenderet. Contra vero Astenses Regi, & hæredibus quotannis quattuor, & sexaginta argenti puri pondo se depensuros* paciscuntur. Placuere utrisque conditiones, confirmataque societas fuit. Rex deinde quinto idus Augusti cum uxore, & firmo præsidio Astam venit, viri atque mulieres obviam progressi, ita honorifice receptus in urbe fuit. Postridie epulum magnificum in æde minorum fratrum exhibuit, in quo auri, & argenti modus ingens, nulli discumbentium epulæ nisi vase
F argenteo appositæ, vina quoque aut aureo, aut argenteo poculo effusa. Quæ res ingentes Roberti divitias indicabat. Die insequenti cum sibi animos civium satis conciliatos cognosceret, Alexandriam petivit. *Lunam tunc notabiliter antelucano tempore defecisse* traditur, eodemque anno pridie Kalendas Januarias circiter horam diei nonam sydus solis hebetatum est. Ceterum Alexandrini jam diu dissensionibus, fuga, & exilio suorum invicem conflictati, numquam bona fide in gratiam redierant: nunc, oborta inter ordines discordia certabant. interim, motis

motis per factiones armis cruentam pugnam in urbe edebant. ita qui viribus, & potentia minus poterant, hi urbe cedentes, finibusque oberrantes, perpetuis detrimentis patriam, & adversarios lacessebant. tunc forte utraque factio ad quietem urbis, tollendaque certamina Roberto Regi urbem dedunt; obliti videlicet odii veteris, quo Carolum Roberti patrem persecuti fuerant. *Infensissimum fuisse Alexandrinis Carolum* declarant vetera, ut supra diximus, Alexandrinorum decreta, quibus nomen regis de publicis monumentis tolli, & deleri jubetur. Veruntamen ad urbis concordiam, & otium sub ditione, & imperio Regis se dedunt. Discedens ab urbe Robertus Ugonem Bautium, cui etiam regiæ ditionis ceteri cis alpes populi parebant Alexandrinis præfecit. Henricus inter hæc Italiæ appropinquabat, jamque populi nova consilia inter se inibant. Itaque veritus Ugo ne adversus Regem Alexandrini conjurarent arces præsidio regis custodiendas, vocato in concionem populo, postulavit: sic enim posse in fide, & officio eos contineri ajebat, si qui nova consilia struerent. Regem præterea liberalius pecunias, & opem daturum. Mussare primum quidam, tum paulo apertius præsidi contradicere. agnoscebant inimicorum ingenia, & artes: velut ex compacto res ageretur, ut tradita Regis custodiæ arce, non quies domestica, sed perpetua servitus nasceretur. tunc diversæ factionis principes palam dicere, penes Bautium non solum arces, sed portas urbis ponendas. tum quicquid is imperasset obedienter facturos esse. Gliscente tumultu, Regius Præfectus exilium, publicationem bonorum, mortem denique his comminari, qui dicto obedientes non forent. Gulielmus Inviciatus Præfectus populi Alexandrini erat: is ubi vidit, ad Ugonem multorum animos inclinatos è concione primum abiit. Exterriti Gibellini, & in primis Lancevegiæ, iis collectis, quæ secum ferre poterant, in propinquos vicos, vicinaque oppida, in quibus factio sua prævaleret, abiere: neque tamen fugatis adversariis, qui domi manserant res lætas habuere; siquidem extorres, conjunctis sociis, atque amicis populabundi usque ad patriæ mœnia progressi cuncta ferro, & flamma crudeliter fœdabant: deditione Alexandrinorum Henrico, quando ab alpibus descendisset occurri posse videbatur. Dum hæc in Liguribus ad augendas Guelphorum vires, & constituenda locis præsidia parantur, Florentini, & socii, qui regnum inter suos occupaverant, ut incolumes essent, etiam supra facultates milites conducere, veteres socios, & amicos novo fœdere, honestisque conditionibus confirmare; eos vero, quos infensos Germanis Regibus noverant, consociare. tum missis Legatis, non solum Longobardos; sed etiam Venetos sollicitavere, ut secum contra novum Cæsarem conspirarent; verebantur enim, ne pacatis Longobardis exercitum ad se Henricus duceret; præterea Etruscorum exules spem reditus certam, & magnam in Henrico posuerant. Mittuntur ad Venetos societatis, & fœderis gratia oratores. Veneti beneficio æstuariorum tuti, tum etiam quia ex usu suo non erat Henricum nova societate inita adversus se provocare, fœdera cum Florentino aspernati sunt. verum qui externum hostem metuebant, peregrinaque bella vitabant, domesticis armis, & conjuratione intestina periclitati, quod minime verebantur, de summa rerum pene sunt. In Venetis ea tempestate duæ familiæ magnis opibus, vetere nobilitate, potentia, atque affinitatibus, Teupoli, atque Quirini pollebant. Hi ægre ferre ceteris pares vivere, urbana magisteria quia nulla, sola, & perpetua in urbe essent querebantur, in libertate servire se ajebant. Jam illud indignum, ab origine urbis claras, illustresque familias nihil ab ea turba differre, qui haud ita pridem convenissent, moxque in patriciatum ascripti fuissent. tum crescente numero, se à commodis, &

A honoribus publicis quodammodo excludi; hæc moleste ferentes contra libertatem patriæ conjurant. Ubi ea multitudo coivit, quæ opprimendæ patriæ sufficere existimabatur, in forum mercatorium, cui vicinas domos habebant, primum armati prodeunt. inde per vicum, qui à mercibus celebre nomen sortitus est, ad ædem divi Marci, sublatis signis, contendunt. Convenerant eo cum armis hi fere patricii, quibus salus, & libertas patriæ cara erat. In faucibus vici acris, & atrox pugna facta; eo enim in loco potissimum victoria vertebatur. Inibi conjuratorum signifer dejecto à fæmina lapide ictus concidit: quo casu consternati qui sequebantur aliquantulum

B substitêre. existimavere plerique, non fortuito ictu; sed telo à resistentibus demisso signiferum concidisse. tunc acrius adversarii instare, & facto agmine occurrentes repellere. conjuratos angustiæ loci juvere, ne retrocedentes, superante multitudine, opprimerentur. ita paucis suorum amissis, Boëmundus seditionis auctor, cum ceteris, qui impia arma moverant, in domos se recipiunt, quas valido præsidio firmant, ut videlicet ingruentem turbam propulsare possent. Primores patrum cum cernerent, non sine multorum cæde expugnari domos posse, consilio potius quam viribus tetrum facinus vindicare statuunt. ita depositis armis civilibus, flu-

C ctuantem statum tranquillum reddere parant. summo opus esse magistratu à quo provocatio nulla futura sit. Tunc primum Venetiis Decemviri creantur, qui non statim in conjuratos grave aliquid edidere; sed in leniendis animis, placanda ira reconciliandaque inter cives gratia aliquantulum operati sunt. ita sedato tumultu, cives ad negotia sua quisque revertuntur idemque quietis & tuendæ libertatis omnibus studium erat. & haud ita multo post Boëmundus, & conjurationis conscii in vincula Decemvirorum jussu conjiciuntur: moxque indicta causa, capite mulctantur. Utrique familiæ ignominia addita est. Erat Teupolæ gentis insigne coccinea arx. ea

D Decemvirorum decreto, in obtortum cornu, quod etiamnum durat, conversa fuit. De gente Quirina creare ad certa tempora Ducem non licet. Domus eorum, qui capita nefarii facinoris fuerant, partim ad solum æquatæ: aliæ ad sordidos usus, & opera illiberalius edenda addictæ sunt. *Area, in qua pisces, farcimina, casei, salsamenta, olera, & cetera id genus esculenta venduntur, complanata, & facta ex ruinis domorum* traditur. quæ mansere ædes, eas partim puellæ vulgati corporis prostantes, & scorta vulgatissima incolunt; in ima alterius domus parte mensæ fixæ sunt lanieniæ: superiora tenues quidam magistratus tenent, regionum circitores, qui vim, &

E fraudem nocturnam inquirunt. Tum triumviri, quorum est aurum, & argentum probum, an improbum sit explorare, atque publica nota signare: alii solventes è portu naves paulo accuratius exquirunt: his ne instructæ sint armis, quæ navigationi, & propulsandæ injuriæ necessariæ sunt. Sed neque dies, qua conjuratio oppressa fuit, incelebrata manet. namque supplicatione quotannis indicta, altero postridie idus Junias die Dux, & Patres gratulabundi ædem divi Viti temporario ponte ad commoditatem trajiciendi facto, reverenter salutant. mox Princeps in Prætorium reductus eos fere omnes Senatores, qui in curiam ingrediuntur, prandio lautissimo acci-

F pit; publico item actu, & privato opere abstinetur. Conspiratione in hunc modum sopita, Decemvirale consilium æternum mansit; quod mercuriale à die, qua in atrium coëunt, appellare possumus. horum præcipuum est cavere, ne quid detrimenti res publica capiat. læsæ majestatis severissimi ultores, adulterinæ monetæ, & perversæ veneris inquisitores, & vindices asperi: cruenta ferè sunt hujus magistratus imperia, cui diuturnam libertatem, rerum tranquillitatem, civium concordiam, imperii incolumitatem accepta facere Venetus debet. Quare *parum*

verè Antoninus Archiepiscopus *per factiones depugnatum* scribit, *& Gibellinos à Gradenico Duce stetisse. contra vero Teupolos, atque Quirinos, adjunctis Guelphis, totis viribus, ut principatu illum dejicerent, enixos esse.* Nam si certamen aut ordinum, aut factionum, & non pro libertate patriæ fuisset; profectò enim memoria tam nefarii conatus neque solemnis, nec tanto tempore replicaretur. Nulli rei curiæ proceres æque student, quam ut omnis penitus domestici dissidii memoria aboleatur, ne aliquando in mentibus nepotum perniciosa avorum certamina renoventur. De Legatorum cæde, *quos in tumultu trucidatos* Antoninus refert, *alterum de gente Adimanda, alterum Siccum fuisse:* si vera tradit. Forsan ardens pro libertate tuenda patricius participes novi consilii illos existimavit, quando conjurati rerum potiti societatem cum Florentino non abnuissent. nimis loquax, ne dicam fatuus, & improbè mendax in omni recentium rerum expositione est iste Antoninus. Ceterum Robertus è Longobardis abiens Bononiam petiit. quo forte tempore Ferrarienses, inita cum Pollentanis fratribus societate, arcem in Padi ripa occuparant, atque Venetos ad bellum provocaverant. Ferrariam Roberto Pelagura regendam ita tradidit, ut dominium urbis penes Pontificem foret. Sub regia custodia ii comprimi videbantur, qui novas res molirentur. Degus Catelanus cognomine De rata, cujus opes in Beneventanis haud mediocres erant, Ferrariæ cum cohorte regia præficitur. Vix Robertus Bononia cesserat, cum oppidani superbiam, avaritiam, & contumelias barbari hominis non ferentes, alii populare imperium affectabant, alii libertatis & munificentiæ priorum dominorum recordati, reducendos Estenses conclamabant. proinde oborto tumultu, in Deghum invehuntur. In arcem Barbarus fugit: unde statim præsidium in armatam turbam emittitur. inter oppidanos, & peregrinos acris pugna editur. cecidere utrinque multi. oppidani vincuntur, è quibus circiter triginta capti laqueo interempti: alii in custodia habiti grandi pecunia vitam redemêre. Etrusci interea, quamquam regis præsentia sublevati, & recreati aliquantulum essent, exules tamen metuebant, quorum magna copia ad Henricum confluebat. Robertus nova fœdera, promisso ad omnem hostium incursum auxilio, percutit, atque dehinc Neapolim profectus est. Jam Henricus per nuptias regna conduplicaverat, novaque affinitate, & imperii majestate fines tutos habebat. Venerant ad eum Germanorum proceres, & Sacerdotum primores, qui illum Romam usque deducerent. *Occurrit illi juxta alpes Joannes Molianus scholasticus, Ecclesiæ Tulensis Pontificis,* ut scribitur, *Cappellanus.* Hunc Clemens miserat, ut iterum jusjurandum ab Henrico in hunc modum exigeret: *Romanæ Ecclesiæ dedititius Henricus esto. majestatem Pontificum defendito. Catholicam fidem purè, & reverenter colito. prave de religione sentientes insectator: quoscumque hæreseos fautores, & defensores Pontifex abominatus fuerit, eos bello, & armis fatigato; donec ad rectam fidem conversi Pontificum jussis paruerint. fœdus præterea, amicitiam, & affinitatem cum barbaro disparis cultus, aut qui armis, & injuriis Christianum nomen divexet, nullam contrahito.* Plura à Cæsare Scholasticus exegit, quæ ideo præterimus; quia ridicula sunt, & commentitia. Indigna profectò quæ inter Pontificalia responsa, atque decreta annumerentur. Henricus libens in verba Joannis juravit. *Clementi obsequi, & parere* in primis statuerat. Verebatur Clemens, ne antecessorum superbiam, & impietatem Henricus secutus, Pontifici Italiam ingressus adversaretur. Quare non satis habuit uno juramento fidem astringere: tum quo is animo in defendendas pontificis opes esset explorare. Hoc forte anno per Julii mensem, pulso Alberto Scoto, Placentini diuturno bello fatigati Guidoni se dedunt. Scotus in castrum Arquati cum amicis, & clientibus aufugerat.

A sub Septembris finem Henricus alpes Julias transgressus Segusionem primum: mox ad Augustam Taurinorum, inde tertio Kalendas Octobres Astam pervenit. Sunt qui tradant, *Segusioni illum usque sub idus Novembres commoratum:* atque hi fere accessere, qui cis alpes, & Apenninum opibus & potentatu pollerent, tum etiam qui Ligurum principes essent. Eporedienses primi se, & urbem Henrico subjecere. Astenses, ut supra diximus, fœdere in fidem & tutelam Roberti se permiserant: Cæsari tamen paruere, quem etiam intra urbem recipiunt; quamvis secum Castellanos duceret: quæ factio domo, & patria aliquot ante annos pulsa fuerat.
B ægre Solariensi id fuit. resistere autem venienti Cæsari periculosum erat. Henricus ab oppidanis deditionem, fide interposita, & sacramento, postulavit; id quod majores Germanis Cæsaribus præstiterant. In concione certi creantur, quibus deditionis faciendæ formula datur. rursusque ex suggestu Nicolaus Senensis *Non satis Henrico* inquit *ad justam deditionem esse, quod pauci de publico consensu fecissent, nisi Astenses universi se, & sua in jus, & potestatem Henrici dedant.* hoc plurimis molestum. Quare sententias separatim exquirere commodum non erat. novo itaque more quid quisque vellet exploratur: ut qui se, sua, & patriam in potestatem, & jus Henrici tradi vellent, ii stantes; qui vero contra sentirent
C humi sedentes sententiam suam significarent. Fremere tunc omnes, contrariæque voces exaudiri. clamitare alii: *Fiat deditio.* plures palam reclamare. nihilo tamen secius Henricus in tumultu deditionis *formulam confici, & in codicem ex tabula transcribi* mandavit. Præficitur deinde Astensibus Nicolaus; hic novis legibus populum astrinxit, peregrinoque præsidio arces, & castella Astensium custodiri voluit: tum pecunias pro libitu imperavit, quas etiam acerbius exigere, ut præsidia, & peregrinum militem aleret. ægerrimè hoc Astenses ferre. majus erat tributum quam quod dependi à populo opulento posset. In
D omni cætu, foro, & templis querelæ palam audiebantur. hinc veritus Nicolaus, ne si crebri cives coirent ob acerbam coactionem nova consilia caperent, edicto vetuit: *Ne plusquam tres viri unum in locum convenirent.* Ad Henricum Astæ commorantem primi è Longobardis accedunt, Tibaldus Brusatus Brixia fugatus, Philipponus Languscus, & Antonius Fisiraga: hic Laudem Pompejam per vim obtinebat. Papiensis Langusco parebat. uterque imperata Cæsaris se facturos dixere. duarum nobilium civitatum dominatum illi pollicentes: res novo Cæsari grata: quippe ad reliquos Longobardorum, si obsequium abnuissent, coërcendos maxime idonea.
E quo nomine Fissiraga, & Languscus Henrico cari fuere: quos etiam benignius tractavit. Dum Astæ disceptante Henrico, exilii, & fugæ causas hi agunt, ut illius cognitione, & jussu, invitis adversariis, in patriam recipiantur, alii magna pollicendo, Cæsaris gratiam, atque favorem aucupari student: Matthæus, relicto Benaco, in oppidum, cui Nogarolæ nomen est, concessit. omnia cogitare, & circumspicere, quæ tutum iter per inimicas gentes præstare possent. Adversarii exulis consilia, & quam ingrederetur viam observabant. dispositi erant per loca custodes, qui gradientem interciperent. Ubi autem Henricum fines Italiæ attigisse is comperit,
F deposito civili apparatu, sumptoque gregarii militis habitu, non luce, aut palam, neque per publicum iter incedens; sed noctu ignotas vias, occultosque calles ingressus, quicumque occurrissent, eos timere: quotiens illum strepitus pedum, arborum crepitus, & fragor terruit, & subsistere fecit: noverat, in rerum novitate jugulum suum, proposito præmio, peti. Tandem, mutato sæpe habitu, & beneficio noctis tutus, nulli cognitus, vili circumtectus amictu, uno comite contentus Astam intravit, protinusque ad Franciscum Garbagnatem divertit.

vertit. vix salute ab equo data, Ad Regem, inquit, *pergas. aditus tibi patet: cui me venisse nuncies. importunum tempus* Franciscus ait. *Omnia silent. Rex quiescit.* instare tamen Matthæus, ut Cæsarem adeat. ita Francisco internuncio, per intempestam noctem in cubiculum Henrici deducitur. Impatiens erat moræ Matthæus. desiderium ultra ferre non poterat. In conspectum Regis ubi venit, caput aperuit, rejectaque in tergum penula, tum cancellatis manibus ad genua procumbens, subinde dixit: *Tune es illa periclitantium salus? Tune, quem ego jamdiu, sive vigilem, sive dormiam protectorem expecto: qui ejectos, & exules reconciliata cum inimicis gratia, in patriam, & domum restituas? Amplectorne, & osculor illius pedes, qui opem fessis, & exhaustis nobis allaturus est?* Tum pauca pro communi exulum causa locutus, in hospitium abiit. Nox, ut diximus, obscura, & cæca: peregrinus habitus, vestis, & ornatus virum occultabant. nemo tamen unus fuit, qui generosam faciem non miraretur, in qua plurimum priscæ fortunæ, & amplitudinis adhuc inesset. Nam & paucis ante horis juxta Alexandriam cæsaries, & oris majestas in servili ministerio, & mendici habitu illum quis esset prodidit. sitiens forte, & de via fessus, ut puer ego a senioribus accepi, aquam à muliercula petivit. illa benigne vinum præbuit. mox manus, & faciem lavit. majestate vultus mota fœmina in homine regios spiritus, & animum in tenui vestitu magna molientem agnovit. continuo nuncii cursitantes per Gibellinorum hospitia, advenisse Matthæum dictitant: cujus adventu adversarum partium quidam læti sunt, quibus domi, & in regno beneficia is contulerat. ubi illuxit ad magni exulis ædes totis viis concurritur. læti salutant, domo educunt, in publicum progredientem sectantur. centum equites Gibellini nominis longo ordine, & agminatim illi occurrunt. princeps Riciardus Ticionus erat. Matthæum suspiciunt, & præ gaudio lachrymantes in regias ædes deducunt. Germani proceres repentinum, & frequentem concursum eorum obstupescunt, qui tam studiose hominem affectarentur: & quo magis procedebat, eo magis advolare, & complecti. alii Regi nunciant, velut monstrum apparuisse, ad quod spectandum tam peregrini, quam cives undique confluerent. Henricus, cui Matthæi adventus notus erat, rem dissimulans subrisit. Forte Antonius Fissiraga ad Henricum primo mane venerat: hic studio & multitudine deducentium, tum etiam sermone aulicorum perculsus: *Hic*, inquit, *Cæsar, de quo tanta nunc dicuntur, Longobardorum olim pestis fuit, factiones fovit, & auxit: & cum de potentatu certaretur, civilia arma excitavit, diuturnoque & grandi detrimento, ceu gravis tyrannus civitates affecit.* Ad Regem introductus ubi fuit, illum reverentissime salutavit. Stabat haud longe à regis latere Philipponus. hunc Matthæus patentibus brachiis, si pateretur, amplexurus erat. in contrariam partem Languscus avertitur: nihilo tamen minus Matthæus refugientis latus complectens: *tempus nunc*, inquit, *& anteactorum malorum oblivisci, ut in pace, remissis injuriis, communi utilitati inserviamus; quid enim in pacifici Regis adventu aliud debemus, nisi omni simultate abjecta, sincero animo in gratiam redire?* Humiles Matthæi voces, atque mansuetum animum Fissiraga procaci subinde sermone incessit. *Ecquis tam patiens non indignabatur, sævos in pulcherrima Italiæ parte Tyrannos, qui injuriis, rapinis, & cædibus omnia fœdaverunt, bella intestina proseminarunt, nunc de pace, concordia, remittendisque injuriis verba facere?* Matthæus nihil perturbatus *tempus est*, inquit; *discordiis, & iræ finem dare.* ad hæc subridens Rex, *Certe jam dimidia pax facta inter vos integra conficienda est.* abnuere utrique Fissiraga, & Languscus: neque à gravibus, atque criminosis verbis præ impotenti ira temperarunt. Ex eo Henricus Matthæum prudentem, & miti ingenio præditum existimavit, quem etiam inter omnes

A Longobardos præcipuum habuit. Doluere admodum Fissiraga, & Languscus quod Astam venissent, atque obsequium externo Regi præstitissent. Inter hæc Castonus Archiepiscopus cum Napino fratre Astam veniunt. vincula, carcerem, ereptas de manibus arces, & insignem Sacerdotii contumeliam impunitam manere pati non poterant. præterea patrimonio spoliati, patruo infenso, ac finibus summoti in perpetua egestate se victuros videbant. Propositum illis erat quacumque via amissa recuperare. Opportune igitur Matthæus advenit: cum quo si conjungi possent, accedente Henrici auctoritate, & imperio, facile, vel invito, & repugnante patruo, B in patriam redirent. tum si quid controversiæ foret, id parvo labore sub magno arbitro, sapientique disceptatore tolli posse. Venerant adhuc ad Matthæum Mediolanenses alii, quos Guido fugaverat. nobilitatem omnem invisam is habuit, neque se satis incolumem, aut securum ducebat, si patricius paulo opulentior domi mansisset. Sic Astam profugerant & qui de potentatu certaverant, & quos novandarum rerum suspectos Guido patria ejecerat, omnes communis commodi gratia inter Matthæum, & Castonum fœdus, & amicitiam conflari optabant. ita pronis ad societatem animis, statim amici, & socii Matthæus, & Castonus facti fœdus inter se solem-C niter paciscuntur. Tabulæ adhuc durant, quarum exemplum Isidorus Turrianus vir sane generosus, atque magnificus ex Foro-Juliensibus, cum hæc scriberem, ad me misit. Igitur pro instituto patriæ primores exulum constituti, pacificandi, reconciliandæ gratiæ, cognoscendæ controversiæ, atque transigendæ litis Matthæo arbitrium, & potestatem in omnibus demandavere. Solemni stipulatione res indigebat, & communi consensu peragenda erat. Constituentium nomina hæc: *Ubertus Vicecomes Matthæi frater, Cressonus Cribellus, Lodrisius Vicecomes Petri filius, Amiragus, Osnagus, Franciscus Garbagnates, Villanus Cribellus*, Habitabat tunc Matthæus do-D mum Simonis Roveri. Tabulis mandatoque confecto, Castonus cum fratre Napino ad condictum locum veniunt. postulavere utrique, filios, fratres, & propinquos conventionibus adesse. Archiepiscopi fratres Mosca patre progeniti *Napinus, Paganus, Rainaldus, Odoardus, & Moschinus.* Matthæi filii *Galeacinus, Joanninus, Luchinus, Balatronus, & Stephanus.* Hæc summa conventionum.



„Injurias, rapinas, damna, cædes, tum quic„quid detrimenti ex fuga, & exilio sustinuere, si„bi invicem sub abolitione utrique condonarunt, ut „bona fide, sine fraude in concordiam, & gratiam E „redisse existimarentur. quod si discordiæ, & con„troversiæ inciderint, arbitrium decidendæ litis, „& pacis componendæ penes Archiepiscopum sit. „neque de cetero Matthæus, quique cum eo sen„tiunt quicquam moliantur, & tentent palam, vel „occulte adversus præsentium rerum statum Medio„lani, Bergomi, Comi, Cremonæ, Novariæ, „Vercellarum, Laudis, Derthonæ, Papiæ, & Ca„stri Cremæ nisi prius consulto Archiepiscopo. „si qui in amicitiam, & societatem cum Archi„episcopo coiverint, eos Vicecomes tueatur, & „defendat. dominium Mediolani Matthæus neque „aggrediatur, neque titulum, aut nomen usurpet, F „nisi annuente, & consentiente Archiepiscopo. Re„nuntiavit præterea Matthæus præfecturæ urbis, & „cuicumque administrationi reipublicæ, ut neque „Galeatius filius præfecturam aliquam in supradictis „locis quærat, aut usurpet. cuicumque obviam ad„huc ibunt: si quis perpetuos magistratus, aut do„minia supradictis in populis affectaverit. iisdem „item legibus Napinus, & ceteri fratres teneantur. „Publicum urbis consilium præfecti collegiorum, „& ordinum, milites, & qui in præsidio erunt pro „nutu, & voluntate duntaxat Archiepiscopi deli-

A „gantur. denique nulla sit in urbe custodia, quam Archiepiscopus recusaverit. Dimidia pars militum Castonum custodiat, & defendat: qui tamen quotiens ratio publici commodi exiget, rempub. tueantur. Præfecti urbis, & qui jus dicent, sortito magistratum accipiant: neque ad opinionem privati cujusquam curatores reipub. designentur. Oppida, vici, & castella jurisdictionis Archiepiscopi, ea extra sortem sunto. Nulla sortitio de magistratu fiat; neque eis Matthæus publico, aut privato nomine vim fieri sinat. Matthæus item consilium, & opem Archiepiscopo ad recipiendam Angleriæ arcem dato. tum quicquid Sacerdotii juris fuerit defendito. jus Archiepiscopus derivandi aquam de fluminibus Ticini, & Adduæ irrigandorum agrorum ergo habeto. Castrum Tricii, Vaprii, Brignani, & Castelleti Napini, & fratrum extra sortes publicas esto, semperque Archiepiscopus, & fratres arcem, & Turrem Tricii possidento. agros siquis in finibus Mediolani post captivitatem Castoni per commutationem obtinuit: etiam si juris ecclesiastici forent, eos Archiepiscopus, & fratres, & eorum hæredes recipiant. Matthæus itidem quæ ad eum, & cognatos pervenêre, ea teneat. ne vero de finibus ambigant; & proinde lites & certamina, excitent: vicinos agros neque emito, nec Matthæus acquirito, qui ad duo millia passuum Turriano propinqua sint. Hoc ante omnia, interposito jurejurando, à Matthæo exegêre, ut Romanum Pontificem observet, & revereatur: neque summi Sacerdotii amplitudinem lædat, aut cum his sentiat qui Pontifici rebelles fient. Archiepiscopo pareat, cujus etiam imperata libens faciat. proscriptorum, aut damnatorum utriusque gentis, si qui pacis conditiones abnuerint, Matthæus cognatorum, & propinquorum bona habeto, Archiepiscopo, & Napino super suos jus esto. Archiepiscopum, & fratres indemnes, si quid detrimenti ex hujusmodi concordia acceperint, Matthæus præstato. Nuptias ita utraque gens contrahito, ut siquid in finibus Brignani dotis nomine detur, id uterque pecunia luere valeto. quæcumque controversiæ inter utramque gentem, sive privato, sive publico nomine inciderint, Archiepiscopus earum judex esto: cujus etiam arbitrio affinitates contrahantur. Dotes sacerdos pro fortunis, & opibus nubentium conficito. Rata hæc, & firma, & bona fide uterque servato. de lite, & controversia Archiepiscopus etiam feriarum tempore cognoscat, & pronunciet. uterque quod alteri promisit servato. Fidem si quis violaverit, aut pacta non servaverit, ei triginta millia aureorum mulcta esto. à judicio, & sententia Sacerdotum neuter discedito; neque forum devitato. Si compromissum factum fuerit, sine exceptione servato.

Hæc omnia testibus vocatis, per solemnem stipulationem inter Castonum Archiepiscopum, & Matthæum Astæ confecta fuerunt, in regione Bergonionum, in ædibus Valeriani Bergonioni, quas tunc inhabitabat Episcopus Basiliensis, consiliarius Henrici Cæsaris anno post salutem humano generi da-
1310. tam millesimo trecentesimo decimo pridie nonas Decembres. Archiepiscopus fratrum, Matthæus filiorum sponsores fuere supradictorum. Prudens sane in dandis, accipiendisque legibus Matthæus fuit ita obsecutus Castono, atque Napino, ut alioquin irritatos homines in perniciem patrui magis inflammaret. sic suo quodam nimio obsequio Turrianos minus providos ad ea cavenda, quæ in consiliis regnorum accidere solent, reddidit. His confectis, Matthæus Henrico suadere in primis cæpit; uti quam primum Mediolanum peteret, neque Germanos milites expectandos esse. Alpes Henricus cum haud magno comitatu transcenderat. sequuti fuerant proceres quidam, & Sacerdotes. militare præsidium

exiguum habebat. substitit Astæ, partim, quod supra diximus, ut publicas controversias, atque dissidia civitatum componeret, partim ut validiore comparato præsidio, siqui in via restitissent, eos per vim ad obsequium cogeret. Cæsari consilium Matthæi placuit. Noverat, Philipponum Languscum hoc ægrè ferre, quod se facilem, & benignum Vicecomiti præberet, quem etiam in consilia magnarum rerum adhiberet. Dubius erat Henricus, Papiam, an Mediolanum prius peteret. insidias Turriani timebat: ceteræ præterea civitates recusassent nisi prius per deditionem Mediolanensis, titulum, & coronationem Regni assequutus foret; & proinde rebellionem paratam videbat. Usus est igitur Matthæus ea
B monere, quæ securum facerent, & metum rebellantibus afferrent. hoc suadebant Pisanorum Legati, qui ingentem vim auri secum detulerant, atque Henrico donaverant. Postridie itaque idus Decembres Casale Sancti Fuasii, quod oppidum paulo ante Theodorus Paleologus obtinuerat, profectus est. inde, trajecto pado, Vercellas, & Novariam petiit. Prosequebatur officii, & obsequii gratia adhuc Italicorum procerum multitudo. populi libentissimis animis excepêre; neque solum obedienter quæcumque is imperasset facere; sed pro avorum deditione adhibito jurejurando, se Cæsaris dedititios profite-
C bantur, munera, & ad victum necessaria affatim exhibentes. Erant videndi Cæsaris perquam cupidi; sexaginta enim, & amplius annos designati ad Imperium in Italia visi non fuerant. commoratus aliquantisper Novariæ, dum Mediolanensium studia explorat, ingeniaque tractat. Leves videbantur animi, & fides eorum nutare, qui adventu, & favore Henrici, vires Guelphi nominis diminui, & gratiam, atque auctoritatem Pontificis convelli providebant; & proinde ab obsequio averti. Matthæus Henricum hortari quippe dicens, *paucos futuros, qui non cupiant quæ is jusserit facere.* ita Ticinum trajicit. Continuò accolæ fluminis adsunt magnis voci-
D bus Regem consalutantes. Maciente constitit. in occasum sol vergebat, egelidus erat dies. ibi pernoctavit. ubi illuxit occurrêre illi nobiles quicumque in urbe relicti fuerant. plebeji quoque visendi studio egrediuntur. Conterritus Guido jam pro populi animo præsidium disponit, milites convocat, Cæsari in via intercessurus. Talia meditantem amici circumsistunt, orantque, saluti suæ, & suorum juxta consulat. Docent, *impares esse vires, & frustra Cæsari obluctari, in quem tam promptè Mediolanensis inclinet. satius esse, odium, & iram in adversarios dissimulare, quando mitis, & clemens Cæsar id in primis curaturus sit, ut in concordiam, & pacem cives coeant.* In-
E solens erat serviendi Guido, verebaturque ne recepto Henrico, in ordinem cogeretur, atque ex Principe in privati formam decideret. Legati Florentinorum per ea tempora aderant; ingruens periculum, & imminens discrimen rerum cernebant. Hi persuasere, obsequium Regi præstaret. *interesse reipub., & propriæ salutis verbis potius disceptare, quam armis certare, atque populi studiis repugnare.* Tunc Guido vel invitus cum præsidio, & prosequente amicorum, atque clientum ordine Regi occurrit, non imperata facturus; sed magis ut dominum se ostentaret. Aquilas, & imperatoria signa cuncti venerabantur, Henricum dominum consalutabant. signa,
F & imagines Imperii propinqua, & super caput Guido conspicatus iræ moderari nequivit; quin ea de manu ferentis raperet, humique sterneret. Superbum id omnibus, & indignissimum videri: attamen Regi appropinquans ab èquo descendit, pronusque pedes exosculatur. Henricus in præsens contumeliam dissimulavit, illumque hilari vultu excepit: subjecit tamen; *Jam Guido adversariis ignosces, pacique, & concordiæ operam dabis. agnosces tandem eum, cui non parere nefas sit. fidelis esto: de compositione rerum, & concordia in civitate agetur.* Ita ad suburbana Vercel-

linæ

linæ portæ sine ornatu imperatorio biduo ante natale Domini deveniunt. in vetus prætorium Henricus, Regina in ædes Archiepiscopi divertêre. Nondum expiata ab captivitate Archiepiscopi erat civitas; neque licebat sine piaculo sacris operari. Imperator suo privilegio nixus in æde Divi Eustorgii solemne sacrificium confici voluit. postridie in campo, qui pro æde Divi Ambrosii late patet, Matthæus Vicecomes, Castonus Archiepiscopus, Paganus Patavinus Episcopus, & alii Sacerdotes deditionem Henrico faciunt. Accessit etiam per eos dies Mediolanum Isnardus Thebanus Episcopus Prædicatoriæ fraternitatis Præfectus designatus, & cum eo Romani Populi oratores splendidissimè ornati. misêre item Genuenses Bernabam Auriam Sardiniæ tunc Dominum, quattuor & viginti legatos is secum de publico nomine agebat. Purpurati omnes incedebant. statores, & administri plus quinquaginta, qui in ministerio domestico, & in via subservirent. Fremere interea ii, quibus rediisse in patriam exules grave erat, passimque vociferari, *non retinendos domi Malexardos*; sic enim profugos tunc appellabant: propius seditionem ventum erat, nisi Henricus intercessisset. Hic statim Matthæum, & Guidonem, tum eorum cognatos, & amicos ad se vocat; quibus concordiæ, & futuræ pacis leges dixit.

„Ut de cetero nulla inter eos injuriarum mentio „fiat; sed ante actorum obliti sincero animo in gra„tiam redeant: quod si quis offensæ nomine sibi sa„tisfieri postulet, illi ex sententia, & jussu Cæsa„ris satisfiat. in patriam revertantur omnes, qui do„mo, cum de regno dimicaretur, pulsi fuêre: id „habeant in civitate regis juris, quod ante habue„rant: nec quisquam veterem noxam ultra præscri„ptum Cæsaris emendari, & resarciri postulet: nul„lus profugo contumeliam exilii exprobret: sua e„xules, etiam ultra præscriptionis tempus, vindi„cent. remittatur omnis mulcta ex quo ab urbe exu„larunt; sive contumaces adversus edicta fuerint; „sive offensa intervenerit. imperatas pecunias, & „tributa per exilii tempora, etiam quocumque no„mine damnatus pœnas non solvat: nemo unus con„ditiones violet. si quis sententiam Principis non ser„vaverit mille librarum auri obrizi pœna esto. præ„terea iratum Regem sibi sciat: iisdem conditioni„bus, & edictis teneantur amici, & sectatores utri„usque familiæ. pacem, & concordiam veram am„plexu, & osculo, Rege spectante, Principes con„firment. Declaratio, atque interpretatio conditio„num, & legum, quotiens ambigent, sit penes „Henricum: & quodcumque is statuerit, id ratum „sanctumque esto.

His conventionibus, atque decretis in concordiam, & pacem convenêre; & ante divisa civitas in unum coivit. Turrianorum complurium nomina subjicere non absonum videtur; quorum principes fuere *Castonus Archiepiscopus Mediolani, Paganus Episcopus Patavinus, Guido, & Simoninus.* Amici Turrianorum *Zaveterii, Calices, Vedani, Paravesini, Jacobus Morigius, Jacobus Judex, Zobius, & Thomas Bernadigii, Barinii duo Zacharinus, & Beltraminus.* Vicecomitum nomina, Matthæus sponsor filiorum Galeacii, Joannis, Stephani, atque nepotum. Præsentes fuere Moschinus, & Marcus filii, Ubertus Vicecomes pro Vercellino, & Otholino filiis absentibus spopondit: Joanninus etiam filius, Ludovicus Vicecomes quondam Petri sponsor fratris absentis. hi præsente Rege, conditionibus, & legibus annuêre: quas ut observarent bona sua cum pœna obligarunt: fides quoque, & jusjurandum intervenit. Ita palam injurias, & quamcumqne noxam, tum siquid damni fieri oporteret, sibi invicem condonantes, ad evidens concordiæ, & reconciliatæ gratiæ signum se invicem complectuntur, & exosculantur. testes fuere sacerdotes venerandi atque illustres viri.

A Redintegrata in hunc modum civitate, vocantur in consilium Decuriones, & ceteri qui negotiis publicis præerant. De re frumentaria, cogendaque pecunia refertur. obmurmurantes qui aderant diversa censuere. intercessit tamen prætor, ne sententias quidam corrigerent. ita descendentibus de curia Patribus, ad arma discursum est. tumultum imperialis militiæ præfectus edicto sedavit. Henricus pro templo Divi Ambrosii è suggestu paucis Mediolanensem populum alloquitur. post quem Astensis his verbis: *Legitimum Imperatorem Henricum esse, quem Germani proceres delegêre, & Romanus Pontifex confirmavit: proinde regni in Longobardis jura, & insignia illi, & coro-* B *narium aurum cum munere dari oportere.* Ex ea concione Recuperatus prætura abdicatur, atque Henricus novum prætorem genere Gallicum, cui Joanni Calciæ nomen erat, urbi imposuit. huic regiæ vices demandantur. Statim quattuor, & viginti cives creari petit, qui supremam potestatem de publico consilio super regia coronatione, & munere decernendo haberent. Fuere qui Prætoris postulata probarent: alii dividendam sententiam censebant; ut videlicet ex viginti quattuor duodecim de plebe, & totidem Catanei, sive Valvassores deligerentur. Evicit hæc sententia; atque ita decretum est. Tunc Prætor Matthæum Vicecomitem, & Guidonem C Turrianum ad se vocat, mandatque ut de viginti quattuor civibus deligendis quod senatus jusserat id efficiant. Delecti confestim in curiam coëunt; tertio calendas Januarias coronandi Cæsaris dies constituitur. Postridie nonas Januarias celebris erat dies adorantium Magorum, & stellæ ducentis replicata memoria. de munere, coronarioque auro primum conticuere qui in consilio erant: alios privati commodi ratio premebat: illos ira, & vetus in Cæsarem odium agitabat. paucos publica utilitas, & inopia tenuiorum movebat. ita quamvis regius Præfectus ut munus constitueretur instaret; nullus tamen sententiam dicere audebat. Conjecere cuncti D in Gulielmum Pusterleum oculos; hic erat generosus, & potens, minime ambitiosus, vita, atque moribus integer, & proinde popularis. rogant, ut palam dicat *quid pecuniarum Regi donandum sit.* Invidiosum erat quod rogabatur. Rursus conclamant *quæcumque fuerit Gulielmi sententia, eam nemo aut infringat, aut calumnietur.* Tunc surgens Pusterleus sine præfatione *quinquaginta aureorum millia donari* censuit. Assensum est continuo. Ceterum Matthæus *Numquid Reginam indonatam relinquemus* inquit? *Rege dignum est munus. Reginæ decem millia nummûm dari* censeo. Magna visa est largitio. Guido hoc ferre non potuit, & in rationem publici commodi sur- E gens: *Bonine viri, & civis est intolerabili tributo patriam exhaurire?* & de concilio abiens præ indignatione magis quam quod ita sentiret, subjecit: *Cur non potius centum millia donamus?* identidem clamitans *absolutus est hic numerus*; atque ceu de consilio ejectus foret, domum contendit: secuti permulti aperte sententiam laudabant: utpote qui tenuioris turbæ, & publicæ inopiæ rationem habuisset: quamquam hac velut popularitate dominatum urbis, à quo dejectus fuerat, is recuperare sperabat. At nobiles qui quorsum verba Guidonis tenderent prospiciebant, secundum Gulielmi sententiam munus decerni postulabant. frustra tamen elaborarunt: quod e- F nim per iram Guido dixerat; quia major summa erat, id à regio scriba exceptum, jubente prætore, ex urbis consuetudine in acta relatum fuit; quamquam viginti quattuor viris non placeret; quippe qui videbant, tantum invidiæ, & odii se subire, si alienam rem, atque fortunas popularium projecissent. Postulantur deinde pro vicis portarum quattuor, & viginti viri: hi continuo ex regionibus pridie calendas Januarias in statutum locum coëunt. Ubi de pecunia agi cæptum, una omnium sententia, & vox fuit: *Promissum munus ab his esse, penes quos potestas nulla,*

nulla, qui neque satis norunt unde tantum auri excudi possit: solvant qui adeo alieno ære liberales, in suo non. instante magis, & increpare Gallicus Prætor, *ab hujusmodi sermone desisterent; numquid ab eorum sententia provocari liceat, quibus permissa semel potestas foret? sed potius de inveniendo argento consultetur.* Mœsti Patres in atrio Prætorii usque sub occcasum solis de conficienda pecunia consultantes stetêre. tandem ita dimissi sunt, *ut per noctem de re pecuniaria cogitent, tum postridie redeant.* Res per urbem divulgatur. mercatores Regem adeunt fere quinquaginta. collationem pecuniæ non modo difficilem; sed impossibilem exponunt: liberius eos accusant, qui ea largitione urbem perditum eant, neque jus decernendi habuerint. Vocandos in consilium septingentos viros, qui in omni magna, & difficili consultatione fere coire solent. Responsum est de amplitudine, & jure imperii *multum hoc nomine detractum iri, si quod semel decretum est turba corrigeret. improbos præterea, & ingratos eos esse. An ignoratis quid Cæsari debeatis, qui patriam vestram ex dissensione, & certamine civili diutius vexatam, quietam reddiderit, tot cives profugos, & errabundos domum reduxerit, concordesque fecerit? numquid muneris pœnitet? largitionem hanc profecto sponte facere debuissetis. quare satius erit de redigendo auro tractare, quam inopiam causando tempus terere.* ita mercatores dimissi sunt. Divulgabatur interea, *tumultum in urbe excitari, atque in omnibus vicis, castellis, & conciliabulis adversus Cæsarem homines gravia loqui, ut de conspiratione timendum esset.* Tunc Henricus nescio quid mitius dixit: *Suæ mentis non esse ut quisquam civium muneris nomine prægravetur.* Itidem responsum est jureconsultis. Exposuere, & ipsi civium inopiam: & quantis malis, atque perpetuis incommodis ex intestino bello civitas afflicta foret; & magis regiæ amplitudinis referre, si ex arbitrio bonorum pecuniam, & munera acceperit, quam si ex paucorum voluntate universos cives affecerit. Inexorabilis stare Henricus, neque precibus, nec lachrimis flecti poterat: nihil mercator, nihil jureconsultus, nihil ceteri lachrimantes cives exorare poterant. Magna animo is conceperat, quæ nisi ingenti pecunia efficere non valebat: ideo nihil ex his, quæ semel promissa fuerant, precibus, & inopiæ condonare voluit. perstabat in sententia, atque increpare, quod qui olim in externo, civilique bello non centum, sed biscentum millia dependissent; nunc pacata civitate, centum millia donare ei domino pernegent, à quo tranquillitas, & salus urbis pendeat. Non est hæc inopia, sed avaritia, atque quædam in Cæsarem mala mens, malusque animus. *excudatur argentum; atque hujusmodi verbis aliquando finem facite.* Responsum est: *vectigalia, atque portoria Rex licitetur, atque à redemptoribus eam pecuniæ summam, quæ promissa est, exigat. repræsentent argentum cives,* inquit, *quod in tempus exacturi sunt. præsenti pecunia Regi opus est.* Magis obdurati hoc responso animi fuere, atque liberius conqueri, & ceu desperata res esset, *fame, & jejunio nos conficiat,* ajunt; *numquam quod ab aliis promissum fuit, id per nos conficietur.* Fortiter resistentes, & licentius obloquentes ita dimittuntur, ut rursus quattuor, & viginti viri, qui pro suprema potestate concessa munus statuerant, in consilium vocarentur. Advenerat coronationis dies: ad solemne sacrum alii officii causa, alii rei visendæ, quam numquam alias viderant, sacerdotes Itali, atque peregrini convenerant. affuit etiam Dux Austriæ, Delphini Gallici duo, Theodorus Paleologus, & Manfredus; hic Salutiarum; ille Montisferrati Marchio. civitatis item Longobardorum Legatos, ut se deditítios Cæsaris profiterentur, misêre: præter Alexandrinos, & Albenses, qui nuper in deditionem Roberti venerant. Castonus Archiepiscopus, sacris in æde Divi Ambrosii rite peractis, eaque subinde præfatus, quæ pro recenti instituto legitimam coronationem facerent, & Cæsari, atque Regno felicitatem portenderent, *ferream coronam* super caput imposuit. ita Henricum Longobardorum Regem declaravit, sceptrumque tradidit aureo præfixum pomo, in quo brevis Asiæ, Europæ, & Africæ inerat descriptio: *Fastigium crux ex solido auro decorabat.* Assidebat Regina solutis crinibus, cujus item caput aureum insigne illustrabat; *ferream coronam* Theologus quidam, & jureconsultus, quorum nomini parco, *ideo designato Cæsari dari* scribunt, propterea *quod Longobardi gens bellicosa sit, quæ juga pati non velit, & nisi ferro domari, & in officio contineri non possit.* Ego hanc illorum opinionem neque refutare, nec approbare ausim: illud autem dico, puerile hoc videri talia litteris mandasse, quæ vix risus captandi, & somni arcendi gratia dormitantibus ancillis aniculæ narrarent. In ea perstamus sententia, quam supra diximus. Ceterum ut memoria facti celebrior ad posteros transiret, sive ut obsequentiores populos nostros Cæsar haberet, octoginta ex proceribus, qui adstabant, militaribus ornamentis donavit. Primos Matthæum, & Gulielmum Pusterleum parazonio tribunitio accinxit, muneribusque ampliter prosequutus est: qua liberalitate in factionem Cæsarum multos pertraxit. jam cives mandatis regiis parebant. Gallicus homo invisus omnibus, durus erat, inelegans, atque difficilis. ita magistratu summovetur. controversiæ atque lites statim obortæ. repetebant exules bona: at qui possederant, ea sine judicio reddere nolebant, conventionesque spernere. ad tribunal regium itur. Henricus *pœnam centum libras ei* constituit, *si qui exuli sua repetenti non restituisset. quod si judicio certari oporteat, de causa regius Vicarius cognoscat. Tum, audita utraque parte, actorem si injuste petiverit, æstimata lite, ad impensas reo solvendas condemnet. Reus contra, si rem petitam denegaverit, mulctetur.* Hanc Regis sententiam sine contradictione quidam accepêre. *Venisse ad Henricum tunc Opicinum Spinulam, sellamque argenteam, quæ tres caperet, illi donasse* apud auctorem idoneum invenio. Interea Moguntiaci ad Henricum gratulatum venêre. intelligere, sese debito, & vetusto honore fraudari. Cæsares recentiores *Reges demum* appellari, *si opulentissimi regni insignia in æde Baptistæ Joannis sumpsissent:* ædes manet pretiosis ornamentis, & thesauro ditissima. Carolus cognomento magnus Francorum Rex Desiderium debellavit: tertio illo titulo non prius designatus fuit, quam Regnum Longobardorum adeptus est. Extant adhuc apud nos *privilegia, & diplomata* sub hac inscriptione. *Carolus divino suffragio Francorum, Longobardorumque Rex, ac Romanus Patricius.* Lege pontificum decreta, si vana non sunt; profecto enim invenies *regni Longobardorum appellationem patriciatu Romano, & imperatorio nomine priorem fuisse.* Ceteri quoque Cæsares deinceps hoc titulo ornati fuere. Indignissimum profectò est, & ut liberius loquamur, legitimus ille non erit Imperator, qui coronationis ordinem perturbaverit. Vetus est consuetudo à Cæsaribus servata. *Cur nos hoc honore, & veluti jure fraudas?* Nihil adhæc Henricus. verum, ut inani quodam honore dignatos Moguntiacos reconciliaret, jus coronandi Regis restituit. quod beneficium haud gratuitum fuit: quinque millibus aureorum privilegium eos redemisse constat. Redeuntem in urbem Henricum cives adeunt. iterum inopiam exponunt; tum quam difficilis sit pecuniarum coactio: rogant præterea, *ut urbis calamitosæ misereatur.* Nihil effecêre. Avidus erat pecuniæ Cæsar. belli, & itineris impendia ad corrogandas undecumque pecunias urgebant. Superbè respondet, *Ingratos esse homines, qui Cæsaris beneficia non agnoscant, qui domestica arma sustulerit, civitatem quietam reddiderit, suprema dignitate illustraverit; quòd voluerit Mediolani potius quam Moguntiæ ferreo diademate insigniri.* Reclamabant cives, *Insignia regni illustriora, & Cæsari amplissimum inter Longobardos Mediolani potius quam alibi regio nomine insigniri.* Ceterum Henricus, ne civitas

civitas magistratu careret, apud quem cives de causis, & lite certarent, Nicolaum Senensem Prætorem urbi constituit. improbus hic vir, arrogans, & insolens domi in mercaturæ magisterio æs alienum grande conflaverat, quod cum dissolvere non posset, solum verterat. in prætura constitutus, ceu dominus, non Prætor, cives acerbius tractare cœpit; cruciatus, & supplicia levem ob culpam minari, pœnasque statim sumere, si quis contradicere, aut jussis intercedere ausus foret. ita metu pœnæ conterriti cives quæcumque is mandasset confestim faciebant. vocat hic continuo eos vigintiquattuor, qui condendis novis legibus, ut supra diximus, delecti fuerant. Plerique novas leges ceu libertatem expetebant. Miseri plane, ne dicam stulti, qui non intelligerent *quorsum vocatio tenderet, & quid condendarum legum potestas data damni allatura foret.* Existimabant se liberari servitute, ut æquo jure degerent, ne semper paucorum imperio parerent. Resistebat Paganus Moschæ filius: sive quia hominis contumeliosam superbiam ferre non posset; sive quod videret, per causam novandarum legum, graviorem servitutem afferri. Prætor acerbius comminatus est Pagano; utpote qui ne salutares leges conderentur, impedimento esset, neque promissis staret. Hoc sermone perculsi qui in consilio erant nihil contradicere. Surgens tandem Stephanus Vicomercatus; *Nos*, inquit, *unum habemus dominum, qui & idem est legum conditor: jurisdictionem ille tibi in omni negotio publico tradidit: illius vices obibis. tantum tibi deferimus potestatis; & itidem sicut rerum domino parebimus. quid enim tibi polliceri, aut præstare de nobis Paganus potest? Numquid illi soli condere leges novas, aut veteres antiquare licet?* Nicolaus iræ impatiens: *Vix me contineo*, inquit, *quin manu mea caput recidam, te truncum ignobilem faciam: quod nisi è vestigio sponsore caveris, te quæcumque jussero obedienter omnia facturum, capite mulctaberis.* Expavêre qui in consilio erant, ceu uno sævi hominis nutu trucidari omnes possent. Unus Paganus verba collegæ intrepidus laudavit, subjecitque, *Non unius Stephani; sed omnium qui considemus hæc est sententia. communis agitur causa: commune periculum pariter subibimus. numquid putas, nos adeo ignavos, ut tibi velut domino serviamus? & ne putes nos vilia mancipia, quasi adversus minas tuas insurgere non audeamus: en ego Stephani vadem me constituo.* Tunc ceteri se *idem facturos* dixere. Timorem tamen, & ignaviam Prætor agnoscebat: quamquam talia dicerent: atque id potestatis sibi dari deposcit, quod retro Prætoribus concessum de publico consilio fuisset. sine provocatione alii leges violabant, & pro arbitratu tollebant, quorum libidini obviam numquam itum est. Hæc acerba verba, & gravia imperia cunctos ita perterruêre, ut servitus morte potior visa fuerit. ita præ timore libertatem, & opes publicas projecêre: neque post hac resistere, aut luctari mandatis, & imperio Præfecti ausi sunt. Tunc summa petitæ pecuniæ, ut exactio tolerabilior fieret, ad quinquaginta nummûm millia in præsens dividitur. Nullus in urbe census: neque bona aut fortunæ civium descriptæ erant. Certus pecuniarum habitus non habebatur. taxandæ pecuniæ hic modus inventus est: *ut summa major quinque, & viginti aureos non excederet*; altera pensio *quindecim*; tertius ordo *decem conferret.* Ita trifariam divisa coactione, tria hominum millia describuntur, & pro triplici milliario quinquaginta millia nummûm quæstori pernumerantur. *partiendi oneris, & exigendæ in hunc modum pecuniæ auctorem Neapolionem quendam fuisse invenio.* Iniquum videbatur, ex paucorum arbitrio id exigi, aut in solos tenuiores à divitibus tributa averti. pecuniæ tamen asperius exigebantur. nulli venia. nihil inopi remittebatur actione facta, agri, domus, & res moventes divendebantur. passim præco sub hasta, & arbitrio quæstoris ad emenda bona turbam

A vocabat. Vix exacta quinquaginta nummûm millia erant, ecce Philippus Sabaudiensis, quem Henricus, ut uxori morem gereret (huic Reginæ soror nupta erat) procurandis rebus præfecerat, ne Cæsaris commoda negligere existimaretur, centum, & viginti cives (legitimus hic numerus in publicis negotiis curandis habebatur) vocat. in atrium conveniunt. hos primum Regis nomine hortatur, ut quod reliquum muneris foret id expediant. Defixi stare cives; nam qui se immunes una depensa pecunia existimabant, ubi rursus tributum imperari, neque laxamenti quicquam exactionibus dari vident, ad Henricum confugiunt, gementes, & lachrymantes hujus pensionis gratiam petere, clamare, *exhaustam* B *priori exactione urbem, bona multorum venundata, domos spoliatas, & eorum videlicet, quibus pecuniæ copia non erat.* Conquestio gravis erat, lachrymæ manabant, inopiam quanta foret ostendebant. Nihil miseratus est Henricus. sic mœstiores discessêre. Postridie iterum in consilium veniunt. tunc nova habendæ pecuniæ ratio excogitatur, ut per capita civium, & ex descriptione census ad perficiendum munus pecunia exhiberetur. Indicitur trigesima universis pariter civibus, sive urbem, sive agros incolerent. hi dumtaxat exempti fuere, qui paucos ante dies quinquaginta millia nummûm persolverant. querelæ mul- C torum passim audiebantur. avaritiam alienigenæ gentis omnes accusare, aliter quam speraverant accidisse. Adventus Cæsaris, quem ante expetebant, omnibus invisus. accidisse sibi aliter quam speraverant. domestico domino serviebant, & si quid extortum erat, id omne in patria remanebat. nunc externos tyrannos rapinis ditatos, spoliis onustos abire, quæ secum in longinquas terras abducant. homines implacabiles, feros, atque inclementes, quos nullæ lachrymæ, nullæ querelæ, nullæ denique supplicum voces commovere, aut flectere queant. Nulla profecto speranda libertas, imo intolerabilis, & calamitosa semper habenda servitus, à qua libe- D rari quidem nepotes possint. stipendiarii Cæsari stipendia non inviti pendimus. Hic novus Cæsar munera graviora stipendiis exigit, nostræque urbis principes antea discordes, secumque pugnantes nostro sanguine gratiam, & amicitiam à Germano Rege modo ineunt, minime ad inopiam patriæ respiciunt; Triumvirum ingenti largitione tam divites quam inopes exhauriuntur. Si florentissimæ nobis res essent, vix quod pecuniæ petitur expedire possemus; nedum longinquo dissidio, diuturnoque bello fere absumpti. perpetua sub ditione, & imperio esse non recusamus; modo prædæ avarorum hominum subjecti non simus, nostræque fortunæ arbitrio pauco- E rum non diripiantur. His querimoniis nihil imperiosus, & egens dominus donavit. imo argentum paulo acerbius exigebatur. Fremere tamen cives, & *graviora de Cæsare obloqui* non cessabant. ita timens Henricus, ne ob extortas pecunias quidam rebellionis consilia facerent, sub specie officii utriusque factionis principes secum Romam ducere constituit, centumque nominavit; ut scilicet honorificentior, & splendidior eo comitatu incederet: citati nominatim fuere Matthæus Vicecomes, Galeacius, Lodrisius, Ubertinus Vicecomites: ejusdem prætera sectæ quinque alii Gulielmus Pusterleus, Cressonus, Cribellus, Landulphus, Burrus. Turrianæ F familiæ Guido, & filii, Paganus, & frater. Gaudere tunc plebes, quasi civilibus malis defuncta, his abductis, qui antea certaminis, & dissensionis auctores fuerant; *quis enim posthac discordias serere, aut intestina certamina movere audebit? Gratulari Deo in templis humilior turba cœperat, ceu hac via otio urbis consultum fuisset.* Nobiles contra de cœtu, & conspectu popularium se subducere, publico abstinere, infrequentes in aula versari. Quæ ubi Henrico nota fuere, continuò ad se vocari patricios jubet. *Pauci accedere, alii imperia detrectare, quidam clandestina consi-*

consilia iniisse, *& contra Henricum conjurasse* dicebantur. Tunc is anxius, consilia quæ forent nobilium, & quid in urbe ageretur exquirere diligentius cœpit. Multas agnoscebat conjurandi causas; primum quod moleste cives ferrent *tantum pecuniæ extortum fuisse*; deinde *quod Guelphus à Roberto*, *& Florentinis sollicitaretur*, qui partim videbant, si diutius Germani in nostra Gallia versati fuissent, *opes suas opprimi*, *& debellari posse*; partim levitate eorum, qui semper novis imperiis studerent. Rumore, & his rationibus Henricus optimum factu ratus Matthæo, & Guidoni qua se ad iter accingerent, diem præscribit. Hoc ubi divulgatum fuit Galeacius Vicecomes, & Francischinus Turrianus in communi discrimine ingeniosi videbant, Henricum, amandatis primoribus, patriam occupaturum, extra Ticinensem portam proxime pontem cretarium in pratis eunt; remotisque arbitris, longiorem sermonem de novandis rebus habuere; quippe à colloquio discedentes dextras taciturni junxere. Hoc circumstantes observavere; etenim, nisi de rebellione tractavissent, desertum in locum non venissent; neque tantopere fidem porrecta manu astrinxissent. Postremo ex gestu, & Francischini verbis deprehensa conjuratio fuit. gestiens hic, & lætitiæ plenus nescio quid enunciavit; unde *consensisse urbis principes adversus Germanos* appareret: quamquam contra Galeacius omnia dissimulare, & silentio tegere, nihil ex vultu, aut ex sermone demonstrare, unde super novo consilio suspectus esset. *Guidonem filio referenti quid secreto cum Galeacio tractasset dixisse* ferunt, *consilia summæ rei cum eo inisti*, *qui ex usu rerum plura te novit.* Interim plerique eorum, quos Henricus comites delegerat, Regem adeunt, *se paratos* dicunt *quocumque voluerit ire*; *neque quicquam*, *& si longius sit iter*, *recusare*; *modo viatica adsint. Indignum profectò esse*, *suis sumptibus eos tantum viæ conficere*; *proinde ut dignus Cæsare*, *& urbe comitatus progrediatur*, *de publico copiæ præbeantur.* Justa poscere visi sunt: nam sive nascentes motus sopire, sive magnificentius Rex incedere velit; quando id publicæ salutis, communisque utilitatis intersit, publicitus etiam pecuniæ exhibendæ sunt. Sed quid Rex faceret? inops erat; populum intolerabile tributum exinaniverat. negotium tamen pecuniæ Nicolao, de quo supra diximus, dedit. Hic continuo Decuriones, tum eos omnes, qui urbicis negotiis præerant, in curiam vocari jubet: sententiam Regis de argento his erogando, qui Romam cum eo profecturi essent, exponit. Ad hunc sermonem conticescunt omnes, nihil rogando, hortando, denique minando is proficiebat. tunc clausis foribus, ad Henricum progressus; *elingues*, inquit, *& muti sunt qui in concilium venere. si me audies*, *inedia eos macerabis*, *tum verò comites viæ in vinculis tenebis: tibi*, *mihi crede*, *illudunt. an ignoras*, *Galeacium*, *& Francischinum occulta colloquia inter se habuisse? consilia quæ fuerint nemo novit: rebellionis*, *& infidelitatis signa dederunt. tu pacem urbis*, *& civium concordiam procuras: redintegratis animis*, *principem pati nolunt: adversus te conjurant*, *in cujus manu libertas*, *& salus sua posita est: te avaritiæ*, *atque rapinæ insimulant*, *ut obiter tumultus causas faciant.* Henricus magnificè, neque inclementer respondit: *Rumoribus non decere Regem credere*, *& ita animadvertere in eos*, *si qui proditionis*, *aut conjurationis insimulantur. exploratores nostri vicatim quid loquantur homines observant. hi nunciant*, *plebem*, *& infimam turbam adversus nos gravia loqui: & proinde conspirationis suspectos esse*; *Matthæum vero*, *& qui cum eo consentiunt contra nos nihil fraudis moliri. exploratius quiddam in tanto facto expectamus. proinde dimitti eos volumus*, *qui clausi jejunio macerantur*; *ita brevi utrius sit ambigua*; *plebis*, *an patriciorum fides comperiemus.* Mox constricti Decuriones relaxantur. lenitatem, & clementiam Henrici plerique laudaverunt: quippe ignorantes unde constans paulò ante Henricus, tam subito lenis factus esset; nam haud ita multo post ficta fabula fuit, *reum mortis igne combustum iri.* In publicam aream extemplo ingens Germanorum multitudo armata concurrit; ita locus, cui Brolio nomen est, valido præsidio munitur. urbanæ cohortes velut subsidiariæ in foro stabant. Sic paratis in statione militibus, equitatus imperatorius per urbem discurrere cœpit: vicos, & domos nobilium invisere; si quis palam, aut clam armatos haberet. *Mane acta hæc fuisse pridie idus Februarias* quidam scribunt. Matthæus ubi appropinquare Germanos audivit, potentiorumque domos obire, in penitiore ædium parte Galeacium cum juventute delecta occultat; ipse in vestibulo cum paucis familiaribus, ceu facti ignarus deambulabat; interim sedebat: introgressi equites nihil armorum vident: & si qui cum Matthæo erant inermes esse: utpote qui salutandi gratia venissent. Matthæus quasi omnia placata forent, placido vultu, quid quærant rogat, vinumque afferri jubet. Bene poti Germani continuo ad Turrianorum ædes pergunt. complures in armis offendunt: illuc enim tamquam ad factionis nidum ii advolaverant, quibus cum Francischinus consilia conjurationis communicaverat: hoc ipso decepti, quòd pridie constitutum diem arma sumpsissent. Post meridiem per vicos *ad arma* clamatur, ingens tumultus excitari, cursitantes quidam per urbem amicos, & vicinos, ut arma adversus Barbaros caperent, concitare: clamitare alii, *Vicecomitem*, *& Turrianum in gratiam*, *& fœdera venisse*, *conjunctosque esse utrosque in excidium Germani Regis:* signa consociata pro Turrianorum domibus visa. voces præterea audiebantur frequentes: *nimium patientem fuisse populum*, *qui tantam rapinam sustinuerit. summovendos ex urbe Germanos:* alii edocti à Guelphis, qui Mediolanum venerant, ut majorem turbam suscitarent, persanctè jurabant, *Galeacium Vicecomitem*, *& Francischinum pro Turrianis domibus armatos sese exosculari*; *quod scilicet in cædem Germanorum concordes essent: quid ergo otiosi sumus? cur Barbaros non aggredimur? Deleatur omnino gens rapax*, *& infida: quid nos timere debemus*, *si Principes nostri concordes sunt?* His vocibus etiam qui medii stabant sumptis armis, in societatem prodeunt. nobiles quoque nonnulli; & si res mira videbatur, *in concordiam Matthæum & Guidonem venisse*, *qui de vita*, *& imperio tot annos dimicassent*, tamen frequenti acclamatione commoti, Turrianis se applicant. Germani equites in regionem novam, unde & porta nomen habet, agmine facto, contendunt. obstat Turrianus; nam tum beneficio vici, tum multitudine armatorum barbari agminis impetum sustinebat: atque interim urgentes repellere. Henricus laborantibus suis ex turmis, quas paratas habebat, subsidium emittit. pugna acris facta est. complures interfecti. constituti in præsidio equites locum deserunt. Interea hi nobiles qui, ut supra diximus, initio tumultus falsis vocibus moti Turriano se aggregaverant; cum nullum factionis suæ principem viderent; sed Turrianorum satellites, atque clientes dumtaxat arma tractare: *numquid & nos duces*, *quos sequamur habemus? Cur nemo ex nostris concordiam*, *& pacem nunciat? Cur pauci*, *vel plane nulli de nobilitate ad tumultum accedunt?* Ante Turrianas ædes armis res geritur. nisi forte quisque & domum, & viciniam suam tuetur. talia inter se jactantes à pugna abstinent. Duo fratres Riciardus, & Philippus ex ea familia progeniti, quæ Petræsanctæ nomen habet, arctissima propinquitate Castonum Archiepiscopum, & reliquos fratres contingebant, patrum nobilitate, atque propria virtute nobiles. hi ubi audivere, *concordes Guidonem*, *& Matthæum esse*, confestim arreptis armis, nimium crudele, coacta amicorum manu, Germanos adorti ad domos usque Turrianas insequuntur; quo in loco cum neque Viperam, neque ulla insignia nobilitatis viderent, *se deceptos* clamant: atque obversis equis in regiones suas revertuntur. vicinia

cinia est Braidæ populo frequens, & Turrianis domibus contermina. hi sive metuentes, ne Germanus victor præda Turrianorum non contentus in se arma converteret; sive quod factionis Turrianæ nimium studiosi forent, universa ad Barbaros debellandos accurrit. ex omnibus denique novæ portæ vicis in pugnam itur. ceteri Gibellini, relicto Turriano, quem per errorem sequebantur, abiere. Decubabat tunc forte Zonfredus Turrianus: is strepitu, & clamore excitatus; quamvis morbo gravaretur, de fenestra quanta voce potuit exclamans: *cur*, inquit, *insani hæc arma tentastis? cur pugnam hujusmodi cietis? an hoc certamine vobis, & mihi: tum propinquis, & patriæ cladem ingruentem non cernitis?* nihil talia identidem clamando proficiebat. Occæcaverat seditionis auctores vindictæ, & regnandi cupido. Zonfredus hic minime factiosus erat, odii civilis, & contentionis juxta expers, his semper adversus, quicumque imperium in urbe quærerent. Ad tumultum, & certamen duo primi accurrêre, Joannes Calcia, quem primum urbi Rex præfecerat, & Henricus aulæ magister, cum haud magno equitatu. Jam porticum, & aream, quæ pro templo Divi Fidelis patet, pertransiverant. Proximæ erant templo Turrianorum ædes. viso hoste, utrique subsistunt. Tunc hippoctoxotæ Germani in oppositum agmen contento arcu irruunt; multi vulnerantur. cives pugnæ alioquin inexperti, fluente sanguine, trepidarunt, atque perturbati, ut sagittarum ictus devitarent pone ædem sinistro lateri propinquam refugiunt. dextrum latus nudaverant; sinistrum paries defendebat, quos inermes Germanus eques conspicatus cursitando confodit. ita saucii in fugam convertuntur. instans tergo hostis magnam peditum occidionem fecit. Franciscus, & Simon conjurationis, & pugnæ auctores de periculo, & imminenti cæde fuga se subtrahunt. equorum ornamenta, ne fugientes retardarent, recisis vinculis dejiciunt urbe decedentes. in arcem Montorfani jam præ nimio cursu deficientibus equis, se recipiunt. ceteri equites qua tutior, & brevior via ad fugam videbatur, eam evadunt. Redierant in pugnam Riciardus, & Philippus cognatorum precibus victi. hi dum irruentem Barbarum sustinere conantur, saluti suæ parum prospexêre. Philippum lethali vulnere transfixum, & semianimem Barbarus expoliavit. Riciardus, occupato in spoliis hoste, de pugna recedens in Guidonis domum abiit: atque occlusis foribus, trepidus, & exanimatus Guidoni in cubiculo decubanti, *abeundum*, inquit, *est*; *succubuere tui: fugientium terga premit hostis*; *restitui res non potest: sola fuga servari possumus.* Nec plura locutus infirmum hominem è lecto sustulit. vicinam maceriam transgressi per hortos religiosarum mulierum in interiorem ædium partem penetrant. ibi quoque cum parum tutus esset Guido, transmutatis latebris, ad Jacobum magnæ Virginis tribunum transivit. distabat domus longius; & proinde minus suspecta, & inquisitoribus parum obvia. In tanto rerum turbine, & civium strage Matthæus consilium prudens, & sibi, & suis salutare capit. Domi, ut supra diximus, Galeacium cum magna amicorum manu occultum habebat, mandaveratque ne in publicum, nisi vim, & injuriam repulsurus prodiret, si quam civis aut Barbarus sibi, & viciniæ inferret: ipse per posticum inermis, & cum tenui comitatu in propinquum Tridentini Episcopi hospitium contendit. hic unus secretorum Regis particeps, & ab epistolis magister erat. *Ad Henricum*, inquit, *me deducas, ad cujus imperium vivimus*; *pro quo vel libens mortem oppetam. vim, & arma eorum metuo, qui voti, & studii nescii sunt. Quare nisi te deducente, accedere non ausim.* ita Episcopo duce, Matthæus inter frequentem Germanorum cohortem, quæ pro ædibus excubabat, ad cubiculum Regis deducitur. Habitus, & facies hominis spem magnam dubiis Germanis de-

A dit; statimque conclamant, *Matthæum fidelem, & Cæsari obsequentissimum esse.* Rex viso Matthæo admodum gavisus; *& quid*, inquit, *ubi Galeacius tuus est, quem affirmavêre quidam cum Turriano arma conjunxisse, nobisque pariter infestum esse? de te jam nihil metuo; & in fide, atque obsequio, quamvis titubes, manere certum habeo: suspectum conspirationis vulgi sermo fecit. ego autem vix credidi, te in nos conjurasse, & nova consilia cum his communicasse, qui nos infensissimos ideo habent, quod te exulem, & egenum in patriam restituerim. Sed cur, obsecro, tam sero huc venisti? quid non pugnantium clamor per universam fere urbem sublatus, & discursantium fremitus te movit, atque excitavit?* Ad

B hæc Matthæus. *Regum maxime, me tuo præsidio servatum, & tua benignitate honoratum, siquid nunc sum, profiteor. hoc idem sentiunt, & prædicant, qui me sequuntur. à te stamus quæcumque imperaveris facturi. quod nisi pro salute tua, & majestate Imperii extrema quæque pericula subirem, grande profecto admitterem nefas; quid si cum adversariis adversus te consensissem? serius ad te; nempe veritus ne peregrini milites per vicos discursantes me, quem non satis norant, pro hoste transfixissent: ita, ut tutus, & securus accederem Sacerdotis hospitium adivi, rogavi, & obsecravi, ut me ad te deduceret. Hic, si quid mentior, coarguere potest.* Episcopus, ut Matthæum sublevaret, atque defenderet, illum apud se

C in initio certaminis fuisse affirmavit. ita moræ caussam facile Rex credidit. Interea Galeacius contra patris mandatum arma capit, in publicum cum ea manu, quam secum habebat progressus in vicinitate quoscumque nobilitatis studiosos convocat: extemplo in aream, quæ Piscinæ nomen habet, ingens armatorum turba advolat; tum quod regio opulentior foret; tum quod incolæ aut nobiles essent, aut Gibellinum nomen profiterentur. Accessere de Ticinensi porta ad signa Galeacii plurimi in unum glomerati; quid agerent, & quos sequerentur ambigui erant. levitas, & avaritia Barbarorum invisa omnibus ne Germanis equitibus adjungerentur fa-

D ciebat. verebanturque ne tributi non pridem dependi jacturam præda emendarent, atque ita promiscuè cives prædarentur, & occiderent. Dum talia secum tractant, de Ticinensi, & Vercellina regione altera manus ad Viperina signa accurrit, Galeaciumque ducem facit. instructa acie, in locum descendunt, quem ducis curiam appellant. Stabant illic Germanorum cohortes, quo se verterent haud satis certæ, quoscumque in armis aspiciebant extimescentes. frontem aciei Boschinus Mantegatius servabat: quem nuper ab exilio in patriam Henricus restituerat. propius Germanos accessit. Hunc Barbarus cum sermonem nostrum non intelligeret ceu hostem gladio

E verberabat: atque transfixisset, nisi sublata galea, vultu hilari, & subridenti ore, se amicum significasset. ita cum eo ad Germanorum agmen accessit, quos per interpretem edocuit, Galeacium Vicecomitem Matthæi filium, & ceteros armatos Regis dedititios esse, pro quo vel mortem non inviti obirent. Nos ille patria profugos, inopes, & errabundos domum reduxit. nostra servare, & incolumes ab omni injuria, & detrimento esse, nisi Rege incolumi, & dominante non possumus. tunc læti & alacres hoc sermone fuere Germani. Boschinus deinde ad Galeacium revertitur: eoque internuncio Vicecomiti Germani conciliantur, dextrasque fir-

F mandæ amicitiæ, & fidei gratia contingunt: atque è vestigio utrique consociati per vicos prædabundi discursant. Turrianorum amici *à Vicecomite se proditos, & quod in conjuratione fidem non servasset* clamitabant. illorum domus direptæ; permulti quoque obtruncati sunt. Invenio, *tunc primum tetra, & perniciosa factionum vocabula Mediolani audita:* Gibellini à Vicecomite stabant. hi ut Germanos sanguini, & prædæ alioquin imminentes in adversarios magis incitarent, eos Guelphos dictitabant. Guelphum nomen Cæsari invisissimum ea societas & amicitia red-

 debat,

debat, quam illa factio cum Roberto Rege fecerat. jam in campum pervenerant, qui de Ponte Veteri nomen habet. agmen anteibant Galeacius, & Episcopus Germanus. hunc quid agendum sit rogat Galeacius. At ille Austriæ Dux in Comensi Suburbano haud parvas copias habet; Divi Simpliciani cœnobium tenet: fossa, & muro interclusus distinetur, quominus subsidio nobis esse possit: porta milite nostro firmanda est, ne Guelphus illam occupet. Portæ Cresso Cribellus cum peditatu custos imponitur. hunc fidum rebus suis, & Turriano inimicissimum existimavere propter cædem patris, quem Turrianus juxta torrentem Guazam pugnando interfecerat. Ex eo, quamvis nurum Turrianam domi haberet, ardens tamen in vindictam erat. Galeacius paulo post ad portam contendit, & quingentos equites introduxit. hi de salute ducis admodum solliciti, adolescens incolumis ne esset statim exquirunt. Vix puberem egressus ætatem Henrico Italiam petenti comes datus fuerat. Sequuti sunt adolescentem nutricii: his salutem filii, & vitam mater commendaverat. Ex suburbano paulo ante tumultum ad Regem venerat, à quo discedens pene interemptus fuit. obequitantis secus templum Divi Marcellini injectum missile inerme latus hausisset, nisi accurrens nutricius telum subiisset, vulnusque repulisset. ora vestimentorum dumtaxat perstricta fuit, nulla corporis parte sauciata. Trepidavere Germani ob periclitantis Reguli casum; atque confestim alacres in pontem veterem redeunt. Magna profecto fuit nutricii charitas, qui pro salute alumni in apertam mortem incurrerit. Ceterum furens Cribellus ubi fusos Guelphos vidit ad Galeacium, & Theutones voce alta clamitat: *Perdatur penitus in urbe Guelphus.* Excipientes Germani verbum gladios stringunt, ostentantque subinde dicentes, *his vestra res agitur: hi à vi, & injuria adversariorum securos vos facient.* Barbarorum sententiam plerique omnes, atque in primis ductores ordinum probabant. At Galeacius ceteris natu minor cives miseratus, quos perituros crudeliter videbat, ita audientibus cunctis, clara voce inquit, *in locum ubi certatur properemus: ita siquid periculi reliquum est, id totum nostris armis tolletur; simulque eos confirmabimus, quorum fides in ambiguo certamine nutat. proditionis capita, & eos, qui inimica arma adversus Regem movent puniendos censeo.* Mutavere consilium extemplo armati, & subinde *parendum Galeacio* ajunt: *utpote qui mitiora, & salubriora moneret.* sic protinus in agmen coacti ad regiones Turrianorum contendunt. cæsos, & cruentos humi jacentes complures offendunt. pars magna à cæde fugiendo subtracta erat. Germani, cum deessent cum quibus dimicarent, domos ingressi quoscumque obvios habuere trucidant, alios spoliant; neque solum Turrianorum bona diripiunt; sed etiam eorum, qui procul à studio partium, & à certamine aberant. Lanificio magnas opes Sagazoni quæsiverant. horum domos Barbarus irrupit, diripitque. Jure belli omnia sua dictitabat; neque eos servavit Galeacius, quamvis *bonos cives, & imbelles esse homines, quibus parcendum foret*, inclamaret. Magnitudine prædæ captus Barbarus abduci non poterat, ita crescente in dies damno, domos, & quæ in eis erant, pacto pretio redemêre. Sex dies à direptione, & rapina cessatum non est. Guidonis domus succenditur, & qui contigui erant detrimenta accepere: quamvis medii, & neutro inclinarent. Venerat, ut supra diximus, Mediolanum Paganus Patavinus Episcopus, ut discordias inter cognatos, & certamen ob recentem injuriam obortum componeret, ubi tumultuari cæptum est, clamore pugnantium attonitus, sacerdotali ornatus amictu, dextra pastoralem lituum gestans ante Zonfredi fratris ædes constitit. à consilio cognatorum uterque semper abfuit, ab omni civili seditione aversi. Aderant quidam Gibellini nominis, ut sua præsentia Sacerdotis, & fratris bona defenderent: sed nihil venerandus ornatus, lituus, & pastoralis apex juvere: irrumpens in ædes Barbarus equos, vestes, pretiosa, & sacra vasa diripit. Cæterum ut primum ad arma concursum fuit, accitu Cæsaris Castonus, & tres fratres ad illum veniunt. ad hos Cæsar; *& cur armati cives concurrunt? quid iste vult tumultus?* Respondent *se inscius rem tantam actam fuisse, & quæ causa motus excitaverit penitus ignorasse: eos quamquam non invitos apud se Henricus habuit.* Interea Matthæus, permissu Cæsaris domum reversus, equum protinus conscendit, atque in eas fertur regiones, ubi tumultus major audiebatur, magisque Barbari desævire nunciabantur: suos hortari, ut in partibus perseverarent, cædibus parcerent, tam cives, quam peregrinos ut à præda, & vindicta abstinerent hortari: forte ad Jacobum accessit, in cujus domum, ut supra diximus, Guido delitescebat; quamquam id ignoraret. Fores famuli pulsant: accurrit Jacobus: servis, & domesticis minime credebat; ne scilicet quisnam in domo lateret, manifestarent. Viso Matthæo, haud parum timuit. anxius ejus vicem erat, qui fidei suæ se commiserat. verum dissimulato metu, placidoque vultu, *quidnam*, inquit, *Matthae quæris? domus tua est.* tunc ille: *ut te, & tua serves istuc veni*, protinusque famulos armatos ostendit. *tuum*, Jacobus, *præsidium*, inquit, *non repudio. verum illud te rogo quando tuo consilio, tuaque opera furor iste civilis, & tanta civitatis clades finem habere potest, innocentes serves, iratos hominum animos mitiges, ferri licentiam corripias, Barbarorum arma comprimas.* Salubria verba, mansuetum, ac mite Matthæi ingenium erat. Ceterum Barbari dulcedine prædæ à vi, & direptione nihilo minus abstinebant. omnium bona promiscuè diripiebantur, iique spoliati sunt, tam qui in Cæsarem conspiraverant, quam qui pro majestate Imperatoria depugnabant: neque tantum in urbe intestinum malum vagabatur; sed in suburbanis, & urbi propinquis oppidis, atque vicis pro libidine, & avaritia Barbarorum omnia misceri. Permittebatur cuique injurias, & accepta damna aut emendare, aut inimico reponere. Ceterum Henricus Guidonem, & filios, tum circiter viginti, quos novarum rerum, & armorum auctores cognoscebat, conquiri jussit. his diem dixit, qua, datis sponsoribus, urbe cederent; finesque terminavit, quos egredi non liceret. Riciardus Petrasancta edicto paruit, & quo imperatum erat, dato sponsore, abiit. Francischinus, & Simoninus contumaces in arce Montorfani cum aliquot suæ factionis se continuere. Guido Alexandriam proficiscitur. In exulum tabulas relati sunt qui imperia detractaverunt, aut nullo spondente, urbe cesserunt. Post hæc exilium publico præconio iis indicitur, qui pro censu descriptas pecunias non solvissent. Interea Venturinus, Bencionus Fori novi Comites, tum alii, qui antea Crema exulaverant, ultro Othorinum Soresinam Cæsaris Vicarium deligunt; id quod Henricus comprobavit. ita illo Prætore aliquot dies Cremenses pacata omnia habuere. Res perturbarunt Fori novi Comites, dum sua vindicare student, quæ ipsis exulantibus erepta fuerant. ita denuo certamen civile excitatur. Venturinus, convocatis amicis, Comitibus occurrit, quos dimicando vicit, atque ejecit. Prætor sine noxa oppido cedens Mediolanum venit, Cremensium motus, & arma Henrico exponit, rem ad proceres is refert. Statuêre, ut duo Mediolanenses Cremam legarentur. delecti Gulielmus Pusterleus, & Cavalchinus Moguntiacus. hos Cremenses haud inviti excipiunt. Rogavere quidam, ut in magistratum Othorinus rediret, jura, ut cœperat, regio nomine dicturus. Bencionus contradixit, Legatisque respondit, *se non Cæsaris tantum amicitiam colere; sed cujuscumque finitimi amicum esse; at nequaquam se passurum, ut peregrinus quisquam in oppido cum imperio sit.* Factioni suæ hic metuens contumax ideo adversus mandata fuit. eum sæpe

sæpe ad se Cæsar frustra vocavit. ceterum haud ita multo post is Crema pellitur. Per eosdem dies Vitani à Rusconibus, quos pridem domo ejecerant, Como pelluntur. exules Prætor, & peregrinum præsidium in oppidum introduxerant. Studebat Henricus civitatem redintegrare, & concordem facere: quod haud effici poterat nisi domo fugati in patriam redirent. Ceterum Guidonis reditus ad quietem, & pacem pernecessarius existimabatur. Philipponus itaque Languscus Simonem Colobianum, Gulielmum Brusatum ad se accersit, mandatque *ut Guidonem ubicumque is sit inveniant, protinusque ad se deducant.* Forte Cremonæ inventus est Guido; illuc enim ab Alexandria profectus erat. De reditu longa consultatio dies ferme octo habita. Henrico renunciant, *Guidonem ita demum reventurum, si obside idoneo, à vi, & noxa securus, & tutus fuerit: præterea ita fidem Imperatoris exigere, ut Valeranus illius germanus frater ceu fidei obses in arce Montorfani à filiis servetur.* Majestate Cæsaris res indigna visa fuit; ita Guido in patriam non rediit. Ergo sub Idus Martias Nicolaus urbis Præfectus Zonfredinum, & Zaninum fratres tum Angefossium, & Jacobinum Turrianos, & alios circiter septem de eadem familia accersit. his mandat, *ut sponsoribus caveant, se illuc ituros quo Cæsar relegaverit.* sponsione continuo fidem firmant, viaticaque præparant. præscriptum ut ante solis occasum patria cedant. Postulavere de Cæsaris familia comites, ut indemnes eant. datur à Nicolao unus ex Præfectis prætorianæ cohortis. jam ad portam, quæ Romana appellatur, venerant; Germani milites, qui eos observabant, impetum faciunt, jumenta apprehendunt, sarcinas dissolvunt, cunctaque diripiunt. prætoriani resistere, & repugnare acrius. Turpe erat eos non defendere, qui fidei, & custodiæ suæ traditi fuerant, ut incolumes patria cederent. Barbaros præda stimulabat. gladios utrique stringunt, deprælianturacrius: superat Germanus: Turriani amissis omnibus, alii in prætorias ædes; quidam ad vicinos amicos confugiunt. In hoc rerum motu, civilique pugna Mediolani renovatur ea societas, cui, ut supra diximus, Credentiæ Ambrosii nomen erat. Convenere mille, & ducenti cives mercatores; & si qui alii à studiis factionum procul essent. sustulere signum ex nigro, & albo, in cujus medio aquila visebatur. Factio hæc *Imperatoria* appellata fuit: jurejurando adacti, quatenus Imperatoris partes defenderent, atque tuerentur. tum eos accusarent, si qui de Henrico obloquerentur, aut aliquid novi consilii inirent. Præficitur huic ordini Legiensis Episcopus. Matthæo Vicecomiti, Gulielmo Pusterleo, & magnæ parti nobilium ægre hoc fuit. videbant Motæ factionem pridem ad frangendas patriciorum vires initam, hoc nomine instaurati. itaque Imperatorem adeunt; & quo plures discordi in populo Cæsarum defensionem profiteantur, eo quietiorem urbem futuram, novisque consiliis neminem operam daturum; & proinde munitiores Henrici opes futuras. Ita altera societas conflatur; cum hoc tamen, ut nullus de gente Vicecomitum, aut Turriana nomen in eam daret. Signum erexere pannum croceum, in cujus medio passis alis stabat aquila. Constituta in hunc modum duplici factione, iterum jussu Imperatoris Turrianis, gravi indicta pœna, *ut urbe abeant* edicitur: *ea loca petituri, quæ Henricus voluerit. de fuga item per sponsores caverent. quod si fecissent in relegatorum non exulum numero haberentur.* Postridie item Matthæus, & Galeacius relegantur. hic Tarvisii; pater vero Astæ: sive hoc elevandæ invidiæ gratia fecerit Henricus, ne partem civium fovere, & amplecti, alteram vero aspernari, & deprimere diceretur; sive ut his morem gereret, qui adversus Matthæum cum Turriano senserant, parum constat. Urgebat Henricum pecuniæ inopia. principes viri dona deposcebant. ita undique argentum conficiebat. Fœnore agrorum di-

A tissima est ea Religio in Longobardis, qui *Humiliatorum* cognomen habet. à præfectis Cœnobiorum nomine mutui argentum petivit. pernegavere Fratres & mutuum, & si quicquam tributi ab eis peteretur: audax responsum indignatus Cæsar continuo egenos, & latrones in possessiones illorum immittit. tecta agrestium prædantur, & subinde evertunt. agros vastabant; undique ad prædam concurrebatur. damno, & detrimento affecti, vix pecunia clam data, veniam redemerunt. Dum hæc Mediolani geruntur Macioni vetus, & potens familia cum Episcopo Brixia pelluntur. Sacerdos vix quintum, & vigesimum annum attigerat Bartholino Madio progenitus:

B *Brixianos, & Bergomenses maxime omnium Longobardorum perniciosis seditionum nominibus commaculatos, & infectos fuisse* scribit Blondus: & quod plerique gentium obtestantur, & execrantur, duo hi populi pertinacissime tenere gloriantur; & ne unquam longo tempore sanari possit hic morbus, filios, & nepotes ad pernicialia studia parentes instituunt. Publica negotia aliter quam sub titulo factionis administrari apud eos nefas est: & quod abominandum omnibus, publica signa, quotiens in prælium prodeunt, factionem indicant. Herbæ, arbores, terræ fructus, colores vestium, habitus, incessus hominum, digitorum crepitus, oris hiatus suam propriam partis, quam quisque sectetur, significationem habent.

C *Interfectos fuisse ab hospite advenas viatores, qui allium, quod natura divisisset, cultello scinderent, ceu diversarum partium forent,* hæc Blondus vidit: alius de hac gente duos in sacratissimo, & maxime venerando die mysticum panem cum manducassent, per transversum ova rescindere; cum ceteri, qui in mensa erant in oblongum scinderent: correpti, saltem ea die perniciosos affectus, & odia dissimularent, gestientes respondêre, *ab institutis patrum discedendum non esse, & quæ domi didicissent, ea pertinacius ceu maternos amictus custodienda esse.* Petebant ab Henrico Brixia profugi, ut in Sacerdoti-

D um, & patriam restituerentur. Cesserat paucis ante diebus Brixia Matthæus Madius Episcopi patruus, quem Henricus honorificè apud se habebat. ita, juvante patruo, Cæsar *præsidium ad Episcopum, & exules reducendos* decrevit. Deligitur Mediolani juventus, præficiuntur Comes Sabaudiæ, & Episcopus Legiensis. Abduam trajiciunt. extemplo his aggregatur magna transabduanorum manus; Olium qua vadari licebat pedibus transeunt, Urceos primum perveniunt, inde vicum, quam arcem liberam vocant, invadunt, atque diripiunt: vicina omnia ferro, & igni vastavere; Romanum per vim capiunt, oppidanos spoliant, & quantis maxime possunt de-

E trimentis afficiunt: inde in Cremonensium fines reversi, Soncinum oppugnant, cuncta præter arcem populantur, tecta succendunt. Brussatorum factio Brixia potiti diversæ partis homines partim domo, & aris ejecerant, in vinculis alios conclusos habebant, suis, & vicinorum damnis conterriti cum premente Henrico de Imperio, & vita periclitarentur; neque enim ad sua tuenda vires suppetebant; captivos relaxant, atque Imperatori urbem dedunt. Prætor imponitur Marullus Marchio Malaspina. hunc Brussati honorifice suscipiunt. Per ea tempora Mediolanum accitu Cæsaris Reinaldus Concoritius Ravennas Archiepiscopus venerat. Exulante Matthæo,

F Henricus eos in consilium vocat, quibuscum arcana communicare solitus erat. consultant de iis ad obsequium redigendis, qui imperia detrectassent, ne alii, quibus invisi proceres Germani erant, rebelles fierent. Itaque dies octavus à resurrectione Domini constituitur, quo auxilia sociorum, & amicorum in certum locum coirent. Venêre Mediolanum sexcenti equites, quos desultorius equus sequebatur. his mandatum *ut ceu in procinctu expeditionis instructi, atque armati starent.* ita comparato equitatu, Papiam ad solemne festum Henricus proficiscitur. Sabaudiæ Co-

Comes custos Mediolani relinquitur. hic instabat vehementer, ut jumenta, & plaustra ad frumenta convehenda quam primum cogerentur: quosdam grandi pecunia mulctavit, qui ad constitutum tempus non venissent, aut negligentius mandata curassent. Interim Austriæ Duces Mediolani, ut sacris diebus populus lætior esset, convivium magnificum apparant, generosæ matronæ, virique nobiles invitati, ut celebratior memoria epuli duraret. Circiter duodeviginti ex familiaribus, & domesticis ad militiæ auspicatius tyrocinium gladio, atque hasta militari donantur. Per eosdem dies Franciscus Garbagnates, & ceteri nobiles apud Regem instare, ut Matthæus, & Galeacius in patriam redirent. In evidenti erat utrumque odio magis ex vetere simultate, tum quorundam invidia, quam quod publicum commodum projicerent, aut conscii conjurationis fuissent: sed, ut in magnis urbibus fere accidere solet, potentes viros tenuioribus invisos fuisse. Hæc ita esse Rex credidit, atque confestim exulantes patrem, & filium per litteras ad se vocat. Revocatus ab exilio Matthæus Papiam venit, quem Imperator placido vultu excepit, prandioque dignatus est. Discumbenti Lompoldus Austriæ Dux ferculum obtulit, subinde inclamans, *hoc tibi promotionis magnæ signum Matthæe sit.* Vera sane Regulus ominatus fuit. Peractis sacris, postridie idus Apriles Henricus Mediolanum reversus Matthæum reduxit. Tunc annona difficilis Mediolani erat; propterea quod agricolæ undique comparata frumenta in castra conducere cogebantur; quanquam segetes maturæ messi essent: triticum tamen, zea, & fœnum, quod raro alias acciderat, caro vendebantur. Archiepiscopus Ravennas rebellionis suspectas civitates, ut Henrico se dederent, magnopere laborabat. tres præcipue vicinæ civitates Laus Pompeja, Cremona, & Brixia, urgentibus factionum principibus obsequium palam abnuebant. Ceterum fugatis domo, & patria Turrianis, Henricus formidolosus universæ Italiæ esse: contra anxii vicem suam ii potissimum erant, qui pridem Germanis Cæsaribus obstitissent. Venere Mediolanum ea tempestate duo Pontificis Legati Archiepiscopus Salernitanus; alter de collegio eorum, qui sacris operanti Pontifici subserviunt, & proinde Capellani dicuntur. Erat apud Henricum Antonius Fissiraga cum de subigendis rebellibus consultaretur: is clam de consilio digressus Laudem contendit, quid rei frumentariæ in urbe foret exquirit, horrea tam publica, quam privata invisit. inopia frugum deterritus; videbat enim brevi fame rebellem populum ad deditionem compelli, consilium defectionis omisit. Regem, quem offenderat, per advocatum, & precatorem lenire, & placare tentavit: ita à Comite Sabaudiæ per litteras, & nuncios patrocinium adversus iratum Cæsarem deposcit: neque nisi accepta à Comite fide, Mediolanum venire ausus est. Ad iram Cæsaris mitigandam Legatos secum duxit, qui in conspectu Cæsaris humi strati, genibusque nixi, obortis lachrymis, de publico nomine petita venia, claves portarum, velut certissimum deditionis signum, in medium jactant: magis indignatus tunc Cæsar nihil supplicibus respondit. Severus erat aspectus; de vindicta cogitabat. Comes, ut ei patrocinaretur, qui in fidem, & tutelam suam se permiserat, Fissiragam exanimem ad Reginam deduxit. hujus soror Comiti nupserat. Clemens mulier, mitique ingenio prædita humi jacentem, & lachrymantem sublevat, ad virum deinde conversa; *rogo*, inquit, *supplicibus culpam ignosce, certissimumque veniæ signum in nobilissima corona dabis, ut timenti bene sperare liceat.* Comes in patrocinium perstabat. ita conjugis, & Comitis precibus Rex non nihil donavit, & conversus ad Antonium inquit, *Longe te ea fallit Longobardorum opinio, qui te ideo in factione principem fortem, & animosum vocant, quia pertinax mandata nostra detrectas: fidem tuam, & an*

A *dictis mansurus sis experiemur: etiam animos civium tentabimus, si obedienter, te procurante, urbem tradiderint. Hoc si effeceris, non modo salvus eris, sed inter aulicos egregium locum promittimus: sin vero aliter animati cives nobis non paruerint, quas meritus es perfidiæ pœnas dabis.* Ab his vocibus Henricum aulæ, & militiæ præfectum ad se vocat: quæ agi velit exponit. Tum Bassianum Fissiragam Antonii germanum fratrem, & alterum Antonium cognomine de Laqua custodiendos tradidit, donec Laudensis imperiale præsidium portis receperit. Henrico cum equitatu appropinquanti portæ clauduntur. aliquantulum is substitit. armati pro mœnibus dispositi stabant, quæ

B rebellionis, non deditionis manifesta signa erant. tunc commotus Henricus arborem suspendio deligit, Legatosque subinde, superiore detracta veste, sic allocutus est: *si vel amicus, vel alius hic adest, cujus sermoni populares credant, hic in patria nunciet; vos, atque alterum Antonium, cum ceteros, qui relicti apud Regem sunt, nisi nobis continuo portæ patuerint, supplicia gravia passuros atque demum morte ignominiosa affectum iri: agrum præterea, vicos, & castella ferro, & igni statim evastabimus.* Post hæc conversus ad ministros: *Lictor*, inquit, *laqueum collo injice.* Conterritus Laqua cruento imperio, plurimum tamen constantis, & generosi animi exhibuit; quippe qui

C prudenter, & libere respondit: *Non hac via urbe potieris. longe is fallitur quicumque putat, nostra nece, nostroque sanguine civitatis portas aperiri. imo vero magis hac fœditate supplicii animos irritabis. obstinatius profecto ceu desperata salute pugnabunt, extrema omnia potius sustinebunt, quam deditionem faciant. quos in stationibus armatos conspicis, eos non inhumana crudelitas, aut conspersa nostro cruore arbor; sed lenitas, atque clementia Regis ab armis ad deditionem avertet. Hoc mihi credas velim: quanquam in acerbissimo casu miseris vix credendum sit. in patriam me mittas; quicumque enim alius apud deditionis contumaces verba fecerit, is profecto omnia frustra tentaverit. solus ego sum, qui ma-*

D *le animatos, & obstinatos cives placare, tum ad deditionem sine armis redigere possim: utcumque autem cives responderint, ad vos redibo, neque fidem elusero: Regis voluntatem & mandata efficere in primis percupio.* Haud ea incredibilia videri. ita jurejurando astrictus Antonius in patriam dimittitur: qui simul ac ingressus est hilari vultu obviis bonam spem obtulit, mitigatum Regis animum nuncians. Hoc uno sermone cunctos lætos reddebat, propinquis, & familiaribus eorum, quos velut obsides Henricus tenebat, quam calamitosa sors foret enarrare. jam quisque ad flectendos multitudinis animos pro salute suorum operam pollicebatur. tamen quia efficacior illius ora-

E tio videbatur in frequenti concione hujusmodi verba habuit.

„ Quid cladis Guido Turrianus & ceteri novi con-
„ silii adversus Henricum populares acceperint, ne-
„ minem vestrum latere potest. res aspera nunc, nu-
„ per in vicina Metropoli edita est. hi præterea bo-
„ nis, & fortunis spoliati, principatu dejecti, pa-
„ tria, & finibus pulsi sunt, quibuscum fœdus &
„ arma conjuncta erant. Temeritas sua, & incon-
„ siderata tanti facinoris susceptio illis cladem, &
„ excidium attulit. Non vires suas novêre, non sa-
„ tis voluntates popularium periclitati fuere; eo sci-
„ licet dementiores, quod exulibus, & Henrico in-
F „ tra urbem recepto, non prius exploraverint, qua
„ fide cum æmulis, & inimicis reconciliati forent,
„ quam conjuratio iniretur, & an occultè quicquam
„ fraudis subesset: quod si de potentatu rursus dimi-
„ cari oportuisset, utri Rex propensior futurus es-
„ set. ita dum properantius, parumque instructi Ger-
„ manos adoriuntur Cæsari rebelles, quem fide, &
„ obsequio alioquin conciliare debuerant, superbæ
„ nunc dementiæ pœnas luunt. Nihilo tamen secius
„ vos rebellionem ostenditis haud ita multum cani-
„ bus absimiles, qui silvas, & nemora perlustrantes
„ ad

,, ad aprum allatrant, quem propinquum, & irru-
,, entem expectare minime sustinent. In tanto so-
,, ciorum discrimine, ne dicam clade, ceu opes ad-
,, huc, & vires supersint, ferrum retractatis; nisi
,, forte Turriano prudentiores ii sunt, qui Guidonis
,, viso excidio, veriti scilicet, ne de propinquo ar-
,, ma in se obverterentur nescio an magis de rebelli-
,, one cogitarent, clam domum refugerunt; quid
,, rei frumentariæ, quid armorum in urbe, quæ mul-
,, titudo arma ferre posset, exquisivêre. tunc iis o-
,, mnibus fere defecti, quæ tolerandæ obsidioni,
,, summovendoque à mœnibus, & finibus hoste ido-
,, nea sunt, temerarii consilii pœnitentes ad Cæsa-
,, rem nos mittunt; ut videlicet nova consilia dissi-
,, mulando deditionem faceremus. Infensus Rex no-
,, bis vindictam de rebellione cogitabat: remollien-
,, dus, & placandus erat. ita deprecatorem paravi-
,, mus Philippum Sabaudiæ Comitem, cui per ar-
,, ctissimam affinitatem Rex multa concessurus exi-
,, stimabatur. Reginæ soror illi nupta est. causam
,, Philippus suscipit. ad regem deducimur, ut Lau-
,, densi ignosceretur oramus: veniam denegat; in
,, deditione spes una reposita erat. Dedititios a-
,, versatus est, supplices, & gementes contempsit,
,, atque eo irritatior sæva, & horrenda minatus est.
,, Perculsi tunc animi: pavor consilium omne de pe-
,, ctore excusserat, quid potissimum tentaremus in-
,, ter minas iratissimi Principis incertum erat. Ve-
,, rum, sive hoc fortunæ vestræ, sive consilii alicu-
,, jus fuerit ad Reginam deducimur. Hinc initium
,, benè sperandi. humi stratos, & lachrymarum ple-
,, nos clemens, & misericors Domina erigit, spem
,, dat, ad virum deduxit. Implacabilis atque trucu-
,, lentus acerbè in primores nostræ urbis invehitur,
,, Antonii Fissiragæ tum fidem, tum inconstantiam
,, vehementius accusans: rursus infimis precibus, &
,, fluentibus lachrymis ad genua provolvimur, ve-
,, niam petimus. duriorem & magis ferocem in nos
,, Regem invenimus. Quid hic referam Reginæ stu-
,, dium, iteratas preces; virum quodam modo ar-
,, guere visa est, quod tantis lachrymis nihil conce-
,, deret. Verum ille in proposito acerbo, & duro
,, perseverans tristissima quæque identidem nobis mi-
,, nari, Fissiragam perduellem postulare: generosis-
,, sima Domina virum mollire, & mitigare precibus
,, non desistebat. Mitior is aliquanto factus beni-
,, gnius nos sic alloquitur: *fidei pariter, & salutis ve-*
,, *stræ vos admoneo; si imperata obedienter feceritis, si*
,, *in fide, & officio manseritis, si quod verbis nunc di-*
,, *citis re ipsa egeritis, tunc pacem dabimus, magnaque*
,, *populo non reluctanti pollicemur: contra vero & urbis*
,, *eversionem, & internecionem gentis promittimus:* per-
,, fidiam Fissiragæ nobis opprobare non cessabat, il-
,, lud subinde jactans: *Experiar tandem aliquando Antoni*
,, *deditionem facturus ne sis; ut scilicet urbs, Deûm tem-*
,, *pla, humanaque omnia in Cæsaris jus, & potestatem,*
,, *ut par est, deveniant. Imperia nostra contumax po-*
,, *pulus detrectat: pœnas profecto fraudis, & perfidiæ*
,, *statim dabitis: numquid præsentem videtis exercitum,*
,, *& militem nihil aliud expetentem, nisi ut bona vestra*
,, *diripiat? Porro quam pertinax, & rationibus tuis Fis-*
,, *siraga inimicus es? Obsequium abnuis? An quæ tibi*
,, *pro fide, & officio promisimus oblitus es? Fortunas sal-*
,, *vas, & honestissimum in aula locum quo tandem animo*
,, *æstimas? Hæc ceu vilia, ut video, respuis, beneficia-*
,, *que nostra aspernaris, iram denique, & bellum paci,*
,, *& amicitiæ prævertis.* Sub hæc Præfecto aulæ cu-
,, stodiendi, veluti fidei pignora, tradimur, ut si
,, appropinquanti ad urbem portæ non patuerint sub
,, oculos rebellantis turbæ, ab ea, quæ prima oc-
,, currerit arbos, suspendamur: deinde per agrum
,, discurrens hostis vicos, ædificia, rusticorumque
,, tecta diripiat, ferro atque igni omnia evastet, præ-
,, das abducat, nulli rei parcat, quæ dirui, everti-
,, que possit, ut vestra clade Cæsaris populi, si qui
,, ad conjurationem forsan inclinarunt, ii discant quid

A ,, sit Cæsari resistere, illius imperata non facere. Ar-
,, det in vindictam hac recentissima provocatus inju-
,, ria, fidei ruptores impunitos manere non patitur.
,, Inexpiabile est odium, & sanè justum. si funditus
,, subvertere urbem non dabitur, in Legatos desæ-
,, viturus est: quorum sors quam tristis, & acerba sit
,, numquid ignoratis? Barbarus catenatos habet, cru-
,, delissima quæque minitando excruciat; & forsan
,, præsentia supplicia pro gentis feritate intentat. hos
,, pertinacia vestra, & rebellio non Regis indignatio
,, enecabit. quod si atrox Legatorum nex, qui nihil
,, commeriti sunt, non movet, at duo imminentia
,, mala, fames, & pestis vos moveant. Fames ma-
B ,, cerabit obsessos: altera, grassante morbo, fere ad
,, unum interficiet. in strage ruentium, & multitu-
,, dine funerum sero deditionem facietis. Oratores
,, vestri interea, tum alii non ignobiles cives ob con-
,, tumaciam, & rebellionem vestram excruciabun-
,, tur, mortem immeritam forti animo sustinebimus,
,, quando fraus aliena, nulla in nobis causa cædis:
,, illud autem longe miramur, unde hoc vel rebel-
,, lionis, vel contumaciæ consilium, ceu salutare
,, tam repens obortum sit. Heri vacua horrea aspe-
,, xistis; nihil defendendæ urbi, aut summovendo pe-
,, riculo provisum erat. frumenta, arma pugnæ ido-
,, nea deerant: numquid divino aliquo beneficio re-
C ,, pleta horrea fuere? aut unde nova juventus adve-
,, nit, novaque soboles succrevit? Unde quæso ad
,, bellum animi tam subito erecti? ego, ne mecum
,, fidei non servatæ agatur, quamvis paratum sit sup-
,, plicium, ad Regem tamen redibo. par discrimen,
,, atque periculum Legatorum est: malo clementi-
,, am externi Regis experiri, quam inter perfidos
,, annumerari, & abeuntem circumspectabitis? Non
,, veniet vobis in mentem supplicii, quod iratus Im-
,, perator sumpturus de nobis est? An ignoratis in
,, quæ fata nos projeceritis? Latronum more stran-
,, gulabimur. jam video: placet. vestrâ pertinaciâ,
,, ne dicam perfidiâ peribimus. penes vos omnis cul-
D ,, pa. Utinam ante hanc diem mortui essemus!
,, quanquam in acerbissima morte illud nos solabitur,
,, quod ruinam patriæ non spectabimus, non stra-
,, gem civium, non famem, atque pestem, quæ ma-
,, la in mortis limine ita ominamur, ut ea Deus O-
,, mnipotens à vobis avertat; defectionis, & conju-
,, rationis veniam desperatis? ceu iratus dominus le-
,, niri non possit. Facessat hic obsecro metus, man-
,, suetum Cæsarem vobis pollicemur, si in illius fi-
,, dem, & veniam vestra permiseritis. ignoscere no-
,, vit ubi ex animo venia petitur. Aderit generosissi-
,, ma matrona. ea, si mutatam mentem cognoverit,
,, causam nostram apud lacessitum virum fortiter a-
E ,, get. ita incolumitas, & vita certa est. Forsan al-
,, ter metus vos exagitat, ne peregrinus miles ma-
,, leficiis, & prædæ assuetus à vi, & rapinis tempe-
,, rare nequeat? Vos incolumes futuros, & ab inju-
,, ria tutos spondeo. jam edixit Henricus, ut nemi-
,, ni vis fiat, nihil hostile in quemquam miles aggre-
,, diatur. hospitum domus tutæ, mulieres & pueri
,, servati ab injuria erunt: victui necessaria exponi-
,, te; ea miles non rapiet; sed emet: nisi forte ino-
,, pem, aut egentem Germanum putatis. Mediola-
,, nensi auro plenas zonas gerit: pecunia loculos ve-
,, stros replebitis.

Hæc eo dicente, stupor omnes qui aderant, de-
F fixit. tum manantibus lachrymis subjicit: *statuite nunc utrum fœdo, & crudeli supplicio corpora nostra dare, patriamque simul perdere velitis; an magis per deditionem nos, & patriam simul servare.* Oratione, & lachrymis victi cives portas extemplo pandunt; Imperiale præsidium recipitur. extorres quoque reducti, quorum plerique ob longinquum exilium vix domos, & agros proprios agnoscebant. Ceterum nova soboles aliena in terra progenita patrum, & avorum bona, quæ numquam vidisset perlustrare gestiebat.

GEORGII MERVLAE, ALEXANDRINI,

ANTIQVITATIS VICECOMITVM LIBER VIII.

Cremona, & Brixia subacta, in Ligures Henricus concessit. Inde Pisas mari delatus Romam petit: ubi repugnante Roberti factione, non in Petri, sed in Lateranorum templo coronatur: mox in Hetruscos reversus moritur.

REDACTA, sive metu, sive voluntate in deditionem Laude, Venturinus Bencionus, qui paulo ante jugum detrectaverat, fratrem cum clavibus ad Henricum mittit, qui in jus, & arbitrium Cæsaris Cremam oppidum subjecit. Cremonenses, & Brixiani in rebellione perseverabant. Cæsarem duæ civitates angebant, quod adeo contumaces jussis contradicerent. Thebaldus Brussatus beneficio Regis in patriam nuper receptus Brixianos ad defectionem sollicitabat. in utrumque populum Cæsar ducere constituit. Ceterum Regis magna clementia fuit, qui Laude potitus rebellionem populo ignovit; in facti quoque auctores nihil quicquam succensuit. at Valeranus longe à fratris mansuetudine, & clementia abfuit: diversabatur forte is apud honestum civem minime factiosum. minister in interiorem domus partem penetraverat: aquila appicta parieti inerat, de cujus collo laqueus carbone signatus pendebat. Improbus, ne dicam iniquus famulus, dominum illuc pertraxit, & heus, specta quæso quam malignus, & perfidus sit hospes: vix agnosci crimen, vel agnitum risu absolvi debuit: extra culpam is erat; forte Cremonensis, qui in famulitio legatorum venerat, collum devinxerat; sic enim postea cognitum fuit. in obscurum, & tetrum locum ceu læsæ majestatis reus hospes demittitur, concurrunt propinqui, & amici morum laudatores, & innocentiæ testes. nihil testimonia, & laudatio profuerunt quominus absolutionem ceu perpetrati criminis quingentis aureis redimeret. Mediolani interea regionatim milites scripti, & sub vexillis ordinatim concenturiantur. vexilla crux rubra intersecabat, in cujus medio passis alis Aquila inerat, ut sic conjuncto signo juncta majestas Imperatoria, & urbis dignitas ostenderetur. Ceterum Henricus plaustra, & jumenta ad commeatus, atque frumenta comportanda ex urbe, & agris contrahit, atque Matthæum expeditioni præficit, mandatque, ut Abduam versus copias ducat. ipse cum Regina, assumpto Antonio Fissiraga, quem in libera custodia habuerat, ne si ante dimissus foret, rursus populares ad arma concitasset, Laudem petiit. Post discessum Imperatoris Germani milites, qui in præsidio relicti Mediolani erant, licentius per urbem vagari, in vicos etiam sæpius prodire, prædas quarumcumque rerum frequentius agere; omnibus promiscue vis inferri. rapiebant, spoliabant, verberabant, maleficia, & rapinas hoc nomine importunissimi Barbari prætexebant, quod Guelphorum, qui Cæsaris hostes forent, bona & fortunas diriperent. Interim tamen leno, âleator, aut ignobilis aliquis fur, ne omnia impunita haberentur, suspendebatur. Ceterum opulentior quispiam vinculis astrictus quasi Guelphus vitam auro redimere cogebatur. oppressis non licebat suam calamitatem conqueri. postulati injuriarum, & rapinæ aut absolvebantur, aut contumaces Prætorem non adibant. quod si quis vel injustè damnatus esset, pœna ab eo exi-

A gebatur. ita mulctatitia pecunia plenos loculos Germanus habebat. tunc etiam fartores, caupones, piscatores, & id genus homines, si quid esculenti, aut poculenti venale proposuissent, id eripiebatur. Pretia repetenti, ceu omnia Cæsaris essent, nihil raptor impendere, atque interim gravia minari. duo collegia, quæ ad libertatem populi conflata diximus, magis injuriam fovere, quam vim propulsare, qui sub Imperatoris titulo conveniebant, hi Credentiæ sancti Ambrosii in omnibus adversari. Postremo contumeliosius, si in conventicula coivissent, minari. ita libidini, & avaritiæ Barbarorum omnia patebant, atque impunè cives violari, spoliari, atque interim

B verberari. Jam centuriati domestici milites, atque urbe digressi Abduæ ripas contigerant, quem in locum plerique etiam Papiensium, Placentinorum, Bergomensium, & eorum fere, qui Imperatori deditionem sponte fecerant, convenerant. accesserant ad Henricum Brixia, & Cremona fugati. Thebaldus Brussatus factionis princeps, quamvis hostis Cæsaris esset, auxilia misit. Magnitudine exercitus in se comparati, factio, quæ Cremonam tenebat, admodum trepidavit, satiusque existimarunt precibus, & supplicum modo petita venia, & deditione facta iratum Cæsarem lenire, quam pertinaci rebellione illi obsistere: quanquam aperta esset conjuratio.

C Nam cum finitimis, quos Cæsaris hostes noverant, in illius contumeliosum excidium societatem, & amicitiam composuerant. Post pulsos atrociter ex Cremona Gibellinos, finibusque fugatos, duæ familiæ nobilitate, & opibus pares potentatum in urbe diversis moribus, diversaque via affectabant. Cavalcaboves, & Amati, uterque Guelphus. Gulielmo Cavalcabovi divitiæ ad quæcumque tentasset suppetebant. hic inopes primum sublevare, alios juvare, criminis, & capitalis noxæ reos defendere, judicia perturbare, in negotiis amicorum diligens, & intentus nihil cuiquam denegare, cujus industriam, & operam sibi aliquando commodam agnovis-

D set. Sic inter suos largiter poterat, quamvis tenuioris turbæ invisus à majorum instituto non discederet, qui cives quacumque vi, atque injuria sibi subjicere studebant. Contra vero Supermons (hoc Amato nomen) mansuetiore erat ingenio. nihil eum nobilitas, & opes efferebant, publici commodi à juventute studiosus, quos potentiores opprimebant, eos sublevare; & quamvis una, eademque factio urbi dominaretur, tamen ita cum factioso certabat, ut miseros, & oppressos erigeret, & à vi defenderet. ita multitudini maxime gratus, & parti nobilium non invisus erat. Temperare à maleficiis Cavalcaboves nesciebant; quamvis Amatus constanter

E resisteret. Pulchrum eis videri per injuriam crescere, atque per vim ceteris plus posse. Amatus in propulsanda injuria popularis erat. Interea lex lata est, qua Gulielmus, & ceteri Cavalcaboves urbe dumtaxat cedere coguntur. ita velut tyrannis exonerata civitate, cum nullus metus ab exule Gibellino esset,

esset, conversis ad rem quærendam cunctorum studiis, Cremonensium opes floruere. Ceterum postea quam Matthæus Vicecomes apud Melcium tædio bellorum civilium procurationi renunciavit, Turrianus in urbem receptus, ut factionis vires firmaret, cum Gulielmo fœdera fecit. Cavalcabos externis opibus, & nova societate subnixus legem, de qua supra diximus, abrogavit. fœdus inter se Guido, Cavalcaboves, & ceteri Guelphi nominis principes ita ineunt; *ut Henrico in Italiam descendenti fortiter resisterent, neque paterentur regia insignia Mediolani accipere; alii Romam petenti occurrerent, atque ita regio, & imperatorio titulo dejectus apud Germaniæ proceres, quasi Cæsarum majestatem ludificatus, contemptui, atque despectui maneret.* Justam ergo Regis iram in se Cavalcabos agnoscebat. domo præterea profugi, cædes majorum, & spolia, nec non etiam graves contumelias ulcisci magnopere cupiebant. hi Regem quotidie ut communes hostes aliquando ulcisceretur instigabant. Ergo conscientia scelerum tactus Gulielmus, desperataque venia, cum ingentes copias in se armatas videret, patria profugit. sequuta est fugientem studio partium ingens popularium turba. At Supermons Amatus, & complures non ignobiles viri, tum etiam plebeji Guelphi nominis propugnatores, qui in pellendis domo, & urbe Gibellinis minus acerbi fuerant, neque adversus Cæsarem consilia inivissent, sordibus, & squallore obsiti, Regi adventanti occurrunt. plurimis laqueus è collo pendebat. fluentibus lachrymis urbem vix egressi, humi miserandum in modum procumbunt. flebilis erat vociferatio; vitam sibi donari poscebant. ad Padernum usque (id vico nomen est) hoc habitu progrediuntur. debuit Rex supplicibus, & casum suum miserantibus aliqua in parte veniam dare. inclementior fuit, gemitus, & lachrymas non respexit, humilia verba, & preces audire, aut mœstos vultus spectare noluit, veniam exposcentes custodiendos tradidit. ita in duabus arcibus Castellioni, & Paderni conclusi multi miserabiliter periere. Ceterum qui domi manserant nihil clade popularium deterriti, appropinquanti Henrico occurrunt, umbellam, & cetera ornamenta proferentes. quæ omnia Cæsar aspernatur, ira accensus, & avidus vindictæ Cremonam cum Mediolanensi milite ingreditur. Exulum ingens numerus erat, quorum major pars in exilio suorum procreata fuerat. Jacobus Radenascus quærendis opibus intentus prædives factus mercatura erat. hunc Gibellinus Cremonæ, quia divitiis affluebat, principem factionis habuit. Henricus aliquantisper Cremonæ desedit. expectabat ab iis auxilia, qui imperii vectigales erant. exules interea illum orare, atque hortari, ut inultas injurias non sineret: ita Rex ut rebellionis scelus, & clades amicorum suo damno hostes luerent, privatorum turres, & urbis mœnia dirui mandat: nihilo tamen secius quotidie rei multi fiebant; quasi non bona fide deditionem fecissent, neque sincero animo cum adversariis in gratiam rediissent. Iterum exules exemplo eorum, qui rem Turrianam funditus evertant, ab Henrico petunt, liceret sua recuperare, atque occidione adversariorum ita opes firmare, ut posthac maleficii, & exilii securi forent. Henricus, quia imperii, & majestatis referebat veteres amicos sublevare, atque tueri, plurimum exuli Gibellino permisit; ita nova soboles in reponendis injuriis, sarciendisque detrimentis modum servare nescivit. namque tam Italus, quam externus miles cuncta sine discrimine diripiebat; & qui aliquid habuisset, quod rapi posset, is pro Cæsaris inimico habebatur. Deinde Henricus aspera pro concione locutus, ducentos ex iis, qui aderant, in compedibus teneri jussit: eorum vero, qui patria cesserant, incensæ domus ad solum diruuntur. Mulctam centum millia aureorum Cremonensi statuit, portoria, & vectigalia, quæ juris populi fuerant, Imperatorio fisco in perpetuum

A addixit; jus præterea sanguinis, & cædis, etiam per leges faciendæ, sustulit, omnia ademit, ex quibus urbana jurisdictio continetur. Nimis atrociter in eos sævitum est, qui ad clementiam Cæsaris confugerant. namque si impunita non erat relinquenda conjuratio, satis erat de iis supplicium sumere, qui auctores facti fuissent; reliquos servare oportuit, neque civitatem penitus perdere; ut videlicet haberet, unde annuos redditus exigeret, neque ceteros, qui illi in Italia obsistebant, eo desperationis induceret, ut extrema quæque pati mallent, quam ad fidem, & veniam illius confugere. namque horribili sævitia, & immani vindicta perterriti qui sponte domo aufugerant,
B Brixiam petentes in obstinatissimam rebellionem Brixianos, alioquin male animatos, impulere. Recepta Cremona, Brixianorum fines hostiliter invadit. Erant in exercitu cum Henrico Brixiana auxilia, ut supra diximus, his imperatur, ut aut domum abeant, aut in patriam cum ceteris arma inferant. Brixianus ubi ingressum fines Henricum cognovit, pacisci deditionem tentat. Cæsar conditiones non accepit, de facienda deditione tunc agi posse dixit, cum peregrinum præsidium recepisset. responsum est, *numquam in civitatem Germanos milites receptum iri.* Marolus Malaspina, quem Henricus Brixiæ præfecerat, propalam rebellante
C populo, urbe abiit, cujus discessu perterriti oppidani sunt. Censebant in desperato veniam esse, & justa in se, ceu in hostes, arma inferri licere. Cæsari perspectissimum à Brixianis in se odium erat, quos nisi maximis detrimentis, & obsidione subigere nequiret. Vicos igitur, & castella, concessa militi præda, diripit, & evertit. Oppidum *Romanum* nomine, vel, ut alii tradunt, *Rosate* primum adoriuntur, obsident, atque oppugnant. Cecidit in pugna Germanus homo, quem Cæsar ob egregiam virtutem militari honore, atque ornamento dignatus fuerat; cujus cæde conterriti qui præsidio erant, noctu ex oppido profugiunt. Postero die oppidani
D defensoribus destituti deditionem faciunt, atque portis egrediuntur. Pendebant è collis lora, mœsti vultus, voces querulæ, cancellatim manus junctæ erant: quo sane habitu veniam, si quid peccassent, mereri potuerunt. Verum immanis Barbarus quoscumque obvios promiscuè trucidat, neque pueris, aut fœminis pepercit: nec à cæde destitisset, nisi spes ingentis prædæ oblata fuisset. ita oppidum ingressi omnium rerum prædam, nihil Italo militi impertientes, egere. impuberes, & fœminæ ab ira, & immanitate barbarica in stativa Mediolanensium profugientes servati fuerunt. Post hæc Henricus Brixiam versus proficiscitur. adventanti nulli aut
E privatim, aut publico nomine obviam venêre: propius castra admovit: Oppidani vicinorum clade perterriti obsidionem, quantacumque ea foret, sustinere statuerunt. sic continuo muros reficere, propugnacula struere, ea omnia parare, quæ summovendo ab oppugnatione hoste usui forent. Accesserant vicinarum urbium Guelphi, qui studio factionis magis quam injuria lacessiti in Henricum conjuraverant: neque se satis tutos domi putabant, prævalente diversa factione; hi, ut impetum, & arma Germanorum sustinerent hortabantur.

„Maxime autem populares Brussatus in odium „Henrici concitabat, atque etiam obarmabat, ut
F „æquo scilicet animo detrimenta ferrent; nam & si „grave, acerbumque sit colonos abduci, vicos di„ripi, atque incendi, ædificia subverti, denique „quicquid in agris esset corrumpi, atque destrui: „illud multo gravius æstimarent liberos, & conju„ges in libidinem Barbarorum dari, domos non spo„liari, sed ad solum everti, patriam muris denuda„ri, denique se ipsos aut in carcere teterrimo mori„turos, aut crudeliter à Barbaris, & à domestico „inimico trucidari; neque duraturum in obsidione „peregrinum Regem posse, cui non admodum ea suppetant

„suppetant in externa terra, quæ alendo exercitui opus sunt. urbem præterea naturali situ, & opere munitissimam esse, & à vi, atque periculo tutam. Non poterant nisi cum magno dolore ferre incendia, quæ in omnibus partibus conspiciebant, fugam agricolarum, & rusticorum, prædam ingentem abduci. tamen hoc se solabantur, quod si à mœnibus repulsus hostis, re infecta à Longobardis recederet, celeriter amissa se recuperaturos confidebant. Ceterum Henricus pertinacissimam in rebellione urbem obsidere cœpit, cui tam diutius assidendum esset, undique milites accersit: pecunias quoque imperat. Primum Episcopos, & ceteros sacerdotes paulo opulentiores, tum Cataneos, & Valvasores, & id genus homines, qui stipendiarii, & vectigales Cæsarum essent, ad se vocat, diemque præscripsit Idus Junias, qua in castra venirent. Archiepiscopus continuo paruit. ceteri Sacerdotes avaritiam agnoscebant. ita fortiter mandata detrectantes contradicunt. non egere subsidiis Regem, pecunias quoque suppetere. Verum ut sub specie novi conscribendi exercitus, religiosos patres, quorum redditus abundantes essent, si contumaces forent, sacris ædibus exturbaret, & proinde expoliaret, præterea mille, & ducentos homines urbis præsidio relictos esse, quibus stipendia de publico solvantur; neque incolumem existimari patriam, si longius illi abierint.

Hoc sermone Regius Præfectus de pecunia in aliud tempus agi satius existimavit. tum urbanos milites ita partitur, ut vicibus, ne incustodita staret civitas, ad Regem commearent. Per eadem tempora Papia ii pelluntur, qui Manfredi Beccariæ partes defendebant, quo nomine Mediolani trepidatum est: præcipue autem extimuêre qui favore Henrici rerum quodammodo potiebantur. Præfectum adeunt, contentiosius petunt, ut novi milites in patria retineantur. Discrimen, & periculum à novitate Papiensium imminebat. Verum tamen ut incolumitati sociorum consulerent, novum equitem, atque peditem deligunt, quos Novariam mittunt. Tumultuabantur Novarienses, civileque bellum inter se agitabant; atque ex oppido Brussati, & Cavallacii veteres familiæ oppido pulsi erant. instabat Præfectus, ut milites novi ad Regem irent. contra Catanei, & Valvasores *numquam in castra se ituros* dicere: quod si tantopere novo milite opus esset, vicarios ex iis, qui ad custodiam delecti erant, promittunt. Ægrè assensus Præfectus extemplo mandat, ut expediti vicarii trans Abduam eant. procedebat obsidio. pro muris frequentes pugnæ fieri: alii capti; complures cæsi: obsidionis, bellique mala utrosque urgebant. Thebaldus Brussatus omnia circumspicere, & moliri, ne Brixia Henricus potiretur. Mons Brixiæ imminet rupe & impedito saltu alioquin inaccessus, ex quo urbs omnis, & hostilia pariter castra spectari poterant. hunc Thebaldus cum haud paucis militibus, qui præsidio essent, conscendit. Conspicati in cacumine montis adversarios Barbari, confestim propius ad montem accedunt; neque radices tantum obsident, sed in juga evadunt. prœlium committitur. Germanus victor superiora tenet. diffugiunt Brixiani quacumque ad salutem, & ad fugam via ostendebatur. Thebaldus in pugna ictus prosternitur. Germani, hoste dejecto, atque fugato, in castra se recipiunt. pauci, ut cæsos spoliarent, remanserant. hi inter cadavera Thebaldum adhuc spirantem offendunt. se mortuum simulabat, ut è manibus hostium elaberetur. hunc ad Regem ducunt, quem acerbissimis verbis ita incessit: *Sceleri, & proditioni assuete, servandæ fidei nescius, omnium porro ingratissimus, nefaria bella adversus eum concitasti, cujus armis, & favore restitutus in patriam eras? quid tibi profuit ad Turrianos confugisse? Nunquid illorum ope, & auxilio perditas opes recuperasti? minime sane. Regnabant Brixiæ Macioni; tu vero*

A *ro exulabas. Hi jussu nostro, te, & sceleris populares in civitatem recipientes etiam in regenda republica socium admisere; ut tecum scilicet æquo jure viverent. recens erat beneficium, nuperrime gratia reconciliata. tu perfidus, & nefarius homo minime Deum, quem juraveras, veritus quos in pacis, & concordiæ signum nostro in conspectu amplexus, & exosculatus esses, patria, domibus, & aris ejicis. jam tuo supplicio homines credent, ea sancta esse, quæ violasti, neque in populares atrociter desævient.* Vulnus lethale erat. quare veritus Cæsar, ne superveniente morte supplicio eriperetur, illum diligentissime curari voluit. Deposcebant ad crudele, & immane supplicium exules Thebaldum. B atrox, atque nefarium facinus illius commemorabatur, qui in Federicos propinquos, & filiæ conjugio sociatos aliquando sævissimus, generum, & ejusdem gentis aliquot ad se vocavit; epulas apponit, exaturatos nihil cognationis jura, & sacra mensæ veritus, in convivio obtruncat. contrucidatur etiam gener, qui bene monenti uxori infelix non paruerat. discedentem virum mulier perfidiæ, & crudelitatis paternæ haud ignara deprecabatur, ne ad lethale convivium accederet. Instabant itaque exules, ne tot parricidia, proditam fidem, & exilia Henricus inulta relinqueret. Octavus jam dies post captum Thebaldum erat. remedia corpus aliquantulum firmaverant. C illum Cæsar equo alligari jubet. ita perfidus per exercitum raptatur. in quattuor deinde partes dissectus est. tum ex adverso urbis perticæ longiores defixæ sunt, in quarum fastigio caput, pedes, & manus deligantur. Triste sane & luctuosum suis spectaculum! Eadem etiam hora Brixiani quattuor aliquot ante dies capti bobus alligati dilacerantur. Oppidani nece suorum exacerbati, portis egressi, sine spe salutis, frequenter hostem lacessere, atque ne Thebaldi cædes inulta esset quinquaginta cives diversæ partis, quos in vinculis tenebant de mœnibus suspendunt. Dum hæc ad Brixiam geruntur Henricus Matthæo Vicecomiti in universum D sine provocatione rem procurandam tradit, qui magistratu inito per præconem edixit: *ut quicumque per ætatem arma ferre possent, se ad exercitum sequerentur:* pœnam quoque iis statuit, si qui præsto non fuissent, aut imperia detrectassent; & haud ita multo post mercatoribus mandat: *ut certam pecuniam conficiant.* Verum hi priore tributo exhausti; simul etiam quod videbant finem nullum petendæ pecuniæ futurum, nisi ex vinculis tribuere quicquam voluere. ad octo millia nummûm confecta sunt. Sed cum ea summa non sufficeret, ab Turrianorum amicis duodecim millia nummûm exiguntur. ita Matthæus cum magno equitum, & peditum numero ad E Henricum proficiscitur. Brixiani magnitudine copiarum fossa, & vallo circumventi opera, & munitiones aliquando evertere tentarunt. turres duas ligneas Valeranus Henrici frater ad mœnia promovebat. in eas oppidani erumpentes ignem injiciunt, aggeremque subvertere conantur. Germani contra ne opera absumerentur obsistere. Oppidani acrius instare: & quo difficilius incendia à turribus repellebantur, eo majore vi hostem premebant. Jam fusi Germani, atque à munitionibus fugati erant, turres, & castella defensore vacua flagrabant. Valeranus dum fugientes suos sistere, atque incendia avertere studet, sicut erat inermis in confertissimos F hostes incurrit. sequuta est juventus Germana, præliumque restituitur. Oppidani retrocedere cœperunt. suos Valeranus, *ut fugientes premerent*, hortatus, gladium lateri comitis inhærentem deripit: neque prius refugientes insectari destitit quam propius mœnia compulsi fuere. ibi ceu victor dum exultat, & quasi rem magnam fecisset incaute agit, forte emissa ex oppido sagittâ lethale vulnus accepit. Germani percusso duce, subsistunt. spatium retrocedendi hosti datur. cecidere in ea pugna permulti Theutonici. Valeranus Veronam defertur, ibique

paucos

paucos post dies moritur, atque honorifice sepultus est. Per eos dies Legati tres Mediolanum veniunt, quos Pontifex ad Henricum legitimæ coronationis gratia mittebat. inde Brixiam versus pergunt. Henricum præterquam quod longioris stationis tædia, & non servata à Brixiano fides, quem non vulgari beneficio affecerat, in ultionem concitabant, fratris cædes plurimum exacerbavit, propiusque mœnia castra admovit. Muri præalti erant, dispositaque tormenta stabant, defensores aderant: urbem tamen ab omni parte aggressus milites hortari; *ne violatam fidem, majestatem imperatoriam illusam, demum fratris mortem inultam sinerent.* Proditores identidem Brixianos appellabat, cæcos, & in sua damna pertinaces; utpote quacumque pœna non defuncturos: vix etiam si universi obtruncarentur; neque tot hominum cruore fratris manibus parentari posse. Miseratione, & luctu Regis permoti milites à lachrymis non temperabant, identidem & ipsi expetentes pugnam, ut in ulciscenda fratris cæde quæ sua foret alacritas aliquando cognosceret. Mons ab alpibus divisus in vallem, quam Camonicam dicunt, porrigitur, in cujus summo planicies extenditur, vertice urbem supereminet. per hunc commeatus, & frumenta importare licebat. Si Rex priusquam oppidani vallo, & munitionibus circumdedissent, illum occupasset, quod facile erat, omni commeatu, subsidio, & ceteris rebus, quæ producendæ obsidioni usui sunt, Brixianos interclusisset. Montem itaque aggreditur: vallum, quod ab radicibus ad urbem usque perductum erat, Matthæus Vicecomes, adjunctis Ligusticis sagittariis, qui nuper in castra venerant, subvertere parat: Oppidani contra pro vallo, & fossa pugnare: nihil reliqui utrique faciebant; propterea quod si Barbarus vallum subvertisset, civitas capta foret. ita prompti in apertam mortem incurrere, & munimenta tutari. Contra instabat Henricus: suos in pugnam urgebat. jam videbat, si monte potitus foret, rebellem populum debellatum esse. Genuenses sagittarii pro vallo stare neminem sinebant. multi cecidere. ita multitudine sagittarum obruti defensores locum, & vallum deseruêre. In urbis medio turris erat ingens, ex qua quid hostis moliretur, & faceret prospici poterat. in ea speculator positus perticam linteo præfixam in eam partem jactabat, qua premente hoste sui cederent. ita momento temporis quo mitti subsidia oporteret cognoscebatur. Dato signo, continuo oppidani illuc convolant, unde sagittarum ictibus defensores depulsi erant, jamque ascendentes ab aggere deturbant, alios occidunt. pugna denuo renovatur. utrinque sub vallum plurimi cecidere. Oppugnabant, ex altera parte Albuinus, & Canis grandis Scaligeri fratres. habebant domesticum, & voluntarium præsidium. accesserant etiam mercenarii milites. hi latus montis adoriuntur. ascendentes oppidani dejiciunt. Inaccessus alioquin erat locus: ita cum frustra ascensum tentassent, signo receptui dato, in castra revertuntur. Hoc velut successu elati oppidani recedenti hosti plausu, & sublato clamore insultant. Interim in diversa parte, defensore pulso, victor Germanus fossam transgressus vallum interrumpere: res in extremo periculo verti. Insultabat Barbarus: *resistite* clamant obsessi. *Deestne animus, ac fiducia? quos integros superavimus, numquid eos pugnando fessos, atque saucios non dejiciemus? in hac die fortunarum nostrarum eventus constat; quid reliqui ad conandum videtis? Salus patriæ in manibus, & virtute vestra posita est.* His vocibus confirmati præsidium constituunt, ne redintegrata pugna Scaliger ascensum montis obtineret; tum in agmen coacti ad vallum perveniunt. Jam Mediolanensis ascenderat, atque ex editiore loco repugnantes dejecerat. in hunc velut de improviso impetum oppidani faciunt, tunc comminus pugnatur, cædes in ipso vallo facta ingens. ex vallo complures dejecti, atque suorum

A strage obruti. cruor è fossa manabat. Genuenses sagittarii ne major cædes fieret effecere parum: namque tuti ab ictu sagittarum oppidani de vallo descendunt; satis enim ea die se fecisse existimarunt, si hostem prope victorem & à monte, & à vallo deturbassent. In hac pugna Rebella Grimaldus fortissime se gessit, ultimus à certamine discedens clara voce suos increpabat, si terga darent. Mediolanensis quoque in oppugnando vallo virtus spectata fuit. In Matthæum Vicecomitem Brixianus invehebatur, propterea quod non solum Turrianos potentatu, & patria expulisset: sed quod Langusco, & Fissiragæ excidium pararet. Interea Matthæus in periculo

B fuit. Nellum is quendam cognomine de Massa familiarem, & militaris negotii non expertum cum mercenario milite in statione collocarat: ut scilicet excubaret, ne incauti aut de improviso sui opprimerentur. Ceterum Nellus nihil ab obsessis timens securo somno se tradidit. speculatores castra obeuntes, ubi negligentius se habere vigiles, & custodes cognoverunt, cives docent, facile somniculosos hostes opprimi posse. tunc agmine erumpentes in Mediolanensium castra perrumpunt, dormientes opprimunt, inermes occidunt, ignes injiciunt; tenebræ magis quam hostis timori erant: timor major quam periculum; quippe nesciebant quo fugerent, aut

C quonam in loco hosti se opponerent. saluti fuit rivulus per Mediolanensium castra defluens. hunc transivere quidam: propiusque Matthæi tentoria progressi sentiunt illuc armatos concurrere: nam in trepidatione, & repentino tumultu ad prætorium ducis fere confluere milites solent. ita veriti, ne transitu prohibiti, insurgente hoste, ex adversum, atque à tergo circumvenirentur, injecto in multas partes incendio, in patriam se recipiunt, illud identidem clamitantes, *haud inultam quam intulisset Mediolanensis cladem stetisse.* Obsidente Henrico Brixiam Franciscus Petrarcha scribit, *prodigia multa & in Italia, & apud exteras gentes spectata fuisse.* In Galliis

D Sol, & Luna notabiliter defecit. insoliti sideris terribilis facies apparuit. Luna tergemina. faces præterea variæ. circuli cœlo sparsi cum crucis imagine inspecti. In Italia Septentrionis partes deflagrarunt: puro & sereno cœlo sine ullo fulgure horrendum intonuit. in Patavinorum finibus equa *pullum novem pedes habentem* progenuit. in Cisalpina Gallia insuetæ aves devolarunt, quarum cristatum erat caput, pluma cinericio colore sanguineis maculis distinguebatur, quamquam grandiores natu quo tempore secundus Fridericus seditionibus, & impio bello Italiam vastabat, ea specie alites visas dicerent. Per idem etiam tempus intra vestibulum Matthæi Vicecomi-

E tis prodigium in admirationem homines convertit. Vir supra usitatam magnitudinem equo, qui excederet naturalem habitum, insidens prima vespera per horæ spatium armatus obambulavit, attonitis prodigio qui aderant raptim ex oculis aufertur: interjecto deinde triduo, eodem habitu, pari mole corporum, eodem in loco, atque tempore horam fere unam duo depugnarunt. Novitate monstri consternati omnes: sed magis ubi similiter uterque evanuit. res vix credibilis, nisi Franciscus testem prodigii Musatum Patavinum afferret. Ergo igitur ne existimatio facti in ancipiti foret, quod alius tradidit, ipse repetit. proinde fides penes curiosum novarum

F rerum inquisitorem, quæ suo tempore acciderunt, maneat. Ceterum Henricus, ubi munitionibus, longa obsidione, & cædibus ad deditionem compelli Brixia non potest, frumento, commeatu prohibere obsessos in totum studuit: fossam itaque ab monte ad urbem perduxit. tum perpetuas munitiones facit, ne quo loco intrare subsidia possent. ita circumvallata Brixia ab inopia rei frumentariæ plurimum premebatur. proinde Henricus existimabat, fame confectos sine conditionibus deditionem facturos. inedia plurimi deficiebant. fuere qui cum non habe-

rent unde viverent ad hostes profugerent, quos non adeo crudeles existimabant, ut si panem famescenti minus porrigerent, saltem liberam fugam concederent. sed miseris aliter accidit. deprehensi ante urbis portas laqueo enecabantur: neque tamen sævo suorum supplicio esuriens turba, quæ defendendæ urbi minus idonea erat, contineri intra mœnia poterat. minus malum ducebant iram victoris subire, & manibus hominum perire, quam domi, deficiente cibo miserabiliter confici. ita in dies languescentium ingens numerus in castra veniebat. demum Rex ipse in esurientes sævire desiit. Venerant ad Henricum, ut supra diximus, duo Cardinales. hi necessitate obsessorum moti pacisci deditionem frustra tentavere: quibus discedentibus, Lucas Fliscus intervenit. hunc etiam Clemens in Italiam miserat. adventu Flisci Cardinales in castra redeunt. processerat obsidio sub Octobrem. necessitates omnes pertinacissimè obsessi non solum indigenæ Guelphi; sed, ut supra meminimus, externi tolerabant, qui metu Henrici illuc velut ab armis, & vi adversariorum tuti confugerant. hi propositis eorum cladibus, in quos sævitum fuerat, ne per conditiones deditio fieret, suadebant. postremo spe, & alimentis defecti dedendæ urbis negotium tribus Cardinalibus dedêre. ita ex arbitrio Sacerdotum Brixia Henricus potitur: quanquam continuò urbem non ingressus est. sex dies, valido tamen præsidio imposito, in castris egit: per quod tempus Guelphi fere omnes, quibus invisus Imperator erat, in montana refugêre, post quorum fugam muros subrui, & ad solum æquari is jussit; sive ut magnificentius existimaret, complanata fossa, disjectisque mœnibus, ingredi; sive quod sæpius dum Brixiam obsidet, jactasset, se nunquam per portas intraturum. *Venisse ad Henricum* invenio *per eos dies Gibertum Corrigiam cum Parmensi auxilio.* secum is tulit coronam, quam, ut supra scripsimus, Parmensis, capta victoria, secundo Friderico eripuerat, eamque Henrico donavit, qui munere, & insigni Cæsareo recepto, Giberto Guardastalam ejus curiæ, rem præterea Parmensem procurandam tradidit. Ceterum cum quidam apud Cæsarem de Corrigio obloquerentur, clamque eum proditionis insimularent, veritus ne Imperator obtrectatoribus obsequens illum in vinculis teneret, clam Cæsare Parmam revertitur. Potitus Brixia Henricus sexaginta millia aureorum nummûm ad sustinenda belli impendia dependi ab oppidanis voluit: tum sexaginta, & amplius cives delegit, qui se Romam usque officii gratia prosequerentur. his peractis, Cremonam rediit; inde Placentiam petiit. Placentini statim imperata fecere. Prætorem Lambertum Ciprianum urbi imposuit. *ex Placentinis per Appennini partem, quæ Cotiæ alpes dicuntur, Genuam profectum* quidam scribunt. Ego contra invenio *Papiam de Placentinis venisse.* Civili contentione agitabantur Papienses. ejecto, ut supra diximus, Manfredo Becharia, Languscus urbe potiebatur. Henricus, quod juri suo conveniret controversias componere, Papiæ paucos dies egit. futurum videbat, ut inter se Manfredus, & Languscus armis decertarent: nisi se disceptatore contentiones compositæ forent. Matthæum Vicecomitem, & Manfredum ad se vocat. uterque amicos, & mercenarios milites secum habebat. Papiæ appropinquantes, multitudine copiarum perterritus Philipponus ingressu urbis prohibuit. veruntamen ne Henrico adversari existimaretur, eos ingredi cum parva manu permisit. triduum commoratus Papiæ Henricus est. venit ad Languscum per id tempus Gibertus, gentiles, & conductitios equites secum ducens. fœdus, & amicitiam facere cum Langusco is affectabat. Languscus Giberto filiam nuptum dedit. ita per nuptias publicum, & privatum fœdus firmatur. Tunc Henricus studium, & fidem in se Matthæi pulchrè cognovit, laudavitque hominem, quod copiis succin-

A ctus venisset. Ambigua erat Langusci fides: quem infensum sibi ob restitutos in regnum, & patriam Vicecomites, pulsosque Turrianos crediderat. milites præterea amiserat, dum Brixiam obsidet, & oppugnat. ita Langusco facile fuisset Henricum mœnibus clausum perdere, aut quicquid libuisset in illum moliri & perpetrare, nisi Matthæi præsidia vicina fuissent. Discedens Papia Henricus, ut comiti Sabaudiæ morem gereret, Philippum illius ex fratre nepotem titulo dumtaxat tenus Achajæ Principem, Papiæ, Novariæ, & Vercellis præesse voluit. mox Genuam versus ire pergit. Matthæus Mediolanum reversus, ne Henrico Romam profecturo,
B Mediolanensis officium cessaret, duodecim viros deligit, qui illum comitarentur; pecunia deerat. vocati Decuriones, quos sapientes appellabant, trium mensium viatica constituunt. Hoc item tempore sexcentis civibus arma, & equi de publico data sunt. impensis plerique gravabantur. his optio datur, ut centum tertiolorum libris equestris militiæ dispendia luerent. Mutui nomen habebat hæc summa, quam si quis sponte exposuisset, is ab omni belli onere liber esset, donec ea restituta foret. Triduum solvendæ pecuniæ præscribitur. Tunc haud pauci conditionem accipientes pecunias repræsentavêre. verum quia, vt ille dixit, bellum non ordinata solum, &
C decreta comedit; sed etiam extraordinaria deposcit: in urbe vicatim, & extra per diœcesim, atque præfecturas omnes census descriptus est: coactioque ita indicta est, ut pars decima ejus summæ, quam census quis fuisset, exhiberetur: cum hoc tamen ut qui centum antea libras dependisset, ei pro rata parte decima detraheretur. sic nova certe, & haud ita multum importuna extorquendi argenti excogitata ratio fuit. Henrico petente interim Genuam, Philippus Achajæ Princeps eas civitates, quibus præerat ad novitatem rerum concitat; quanquam Novarienses in fide Cæsaris constanter mansere. Ceterum Guido Comitis Flandriæ filius, cujus præclara fue-
D rant facinora; in eo enim bello, quo Philippus Francorum Rex Belgas gravissimè premebat, is regnum defendit, & patrem à fœda captivitate post cædem procerum liberavit; demum qua potuit conditione pace facta, descendentem in Italiam Henricum prosequutus, contracto ad Brixiam morbo, Papiæ moritur. Interdicta sacris erat urbs; & ne sepulturæ honore careret, jussu Henrici Derthonam cadaver defertur, ibique magnificè, & religiosè funeratur. Placentini tumultuantes ab Henrico deficiunt. Guelphi opulentiores cum præfecto Gibellinos de urbe expulere; & haud ita multo post Gibellini Albertum Scotum in castro Arquati exulantem vocant;
E cujus ope, & armis Guelphos ejiciunt. ita rursus Placentia sub arbitrium Imperatoris rediit. paucos autem post menses Albertus Scotus, fugato Ubertino Lando cum iis omnibus, qui partes illius tuebantur, Dominus Placentiæ factus est. In Liguribus intestina certamina ob civiles discordias gravissima fiebant. Grimaldus, Aurei, atque Fliscus Genuam in medium tenebant. Opicinus Spinula exulabat. Hic congregata exulum multitudine, simul etiam Theodori Paleologi generi ope nixus, Ligusticum tractum, qui Padanos Ligures contingit, evastat. vicos, castella, & agros adversariorum diripit, tecta succendit, magnoque detrimento eos
F afficit, quorum armis domo ejectus fuerat: neque hi finem damnis, aut pacem ab Opicino, nisi auro dato impetrare valuerunt. verum quia is novarum rerum appetens erat; ut longius à patria cederet inter conditiones explicatum imprimis fuit. Decertabant Spinolæ, & Aurei de potentatu. Flisci, & fere Liguriæ Guelphum omne nomen Aureos juvabat. Hi Henrico dum Brixiam obsidet sagittarios etiam miserant: cum ad Appenninum venisset obviam Legati venientes Genuam, & omnem Ligusticum tractum, quatenus sub ditione Genuensis esset, juris,

juris, & potestati Henrici subjiciunt. Venerat Derthonam Opicinus. hunc Rex munere antea delinitus benigne excepit. accessit & Bernabas Aureus. ita utroque deducente, tum Gibellinæ factionis studio, Henricus Genuam maximo cum apparatu honorificentissime ingreditur. Hiemis sævitia & maris asperitas tres amplius menses eum in Liguribus remorata est. per quod sane tempus uxorem illic amisit: in cujus morte multum jacturæ Rex ipse, & religiosi viri passi sunt. Rei divinæ nobilissima matrona apprimè studiosa sacerdotes liberalitate, & munificentia fovebat, egenos, & mendicos datis alimentis sustentabat, aulæ proceres, & qui à Rege honores, & dignitates expetebant, juvare, si quos abalienatos, & infensos Cæsaribus agnoscebat, eos bona spe, aut beneficio, & interim liberali opera viro conciliare: virum Romam petentem sequuta, felix profecto fuisset, si illum imperatoriis ornamentis insigniri vidisset. in æde minorum fratrum sepulta est. nomen Margaritæ fuit. Hic illud subjiciam haud sane absonum narrationi rerum. Riciardus quidam Marlianus fatidicos libros, ceu à Sibilla editos domi diligenter asservabat, utpote qui à majoribus ad se per manus venissent. in his contineri jactabat, *Henricum, priusquam è Liguria solveret, moriturum.* hic ubi Regem incolumem Pisas delatum cognovit, sortibus iratus, libros combussit. illud subinde dictitans; *ista profecto vaticinia alium posthac non fallent: quanquam, si eventum spectasset, moriente Regina in Liguribus prædictio in totum vana non fuit.* Ceterum ad Henricum Genuæ agentem peregrini milites, & si qui in Italia Gibellini nominis paulo opulentiores erant, partim voluntarii venêre: alii mercenarios misêre, ut facile eorum desideria, qui in Cœnomanis occubuerant, is supplere posset. Omnibus pro liberali obsequio, atque opera Rex honorificam gratiam retulit: quippe nova hos dignitate, & munere ditavit: illos comitatu, & famulitio regio nobilitavit. Gulielmo Pusterleo insulæ Fulcheriæ, quam nunc Abduæ glaream vocant, Cressoni Cribello Leuci, & viciniæ, quæ emissarium Larii attingit, jura contulit: Ludovico Vicecomiti, quem postea Lodrisium appellavere, Seprium, & jura in præfecturam tradidit. Jam tempus Mediolanensibus Legatis præscriptum abierat. Princeps erat Luchinus Matthæi. Quare ne populus Legatorum impensa plus æquo prægravaretur, octo ex eis Imperator à se dimisit; quattuor duntaxat retinuit, qui illum Romam usque prosequerentur. Interea Antonius Fissiraga, data abeundi venia, dum *Laudem* repetit *Vicheriæ*, vel, ut alii scribunt, *Bassignanæ* à filio Manfredi Becchariæ, qui præsidio ea oppida tenebat, captus in vinculis conjicitur. Tunc Philipponus Languscus Sabaudiensem Præfectum docet: Fissiragam inter Laudenses cognatione, & opibus majorum largiter posse; quem eximi è vinculis quocumque modo oporteret. hoc facile factu esse, si Manfredum, qui tunc forte Papiæ erat, in custodia servari jusserit; quippe filius ut patrem liberaret Antonium relaxabit. ita Manfredus in vinculis continetur. Enimvero tunc primores factionis Gibellinæ, qui Henricum affectabantur, palam Philippum Cæsari, & Cæsareæ factioni infensum dictitare: quippe qui eos insectaretur, quos studiosos Cæsarum cerneret. Aderat forte Petrus Sabaudiæ comes. hic ægerrimè ferens, cognatum apud Cæsarem gravius accusari, Franciscum Garbagnatem, qui paulo acerbius in Philippum invehebatur, alapa percussit. Interea à novis consiliis factionis Guelphæ principes vix & ægre quiescebant. nam qui olim inter suos potentes fuerant, ii amissa dominia recuperare, & acceptas injurias ulcisci cupiebant. ita Guelphum omne nomen in Longobardis, Hetruscis, tum etiam in Flaminia adversus opes Henrici conspiravit. Urgebant Gibertus Corrigia Regienses, Bononienses Cavalcaboves, postremo ii fere omnes, qui Cre-

A mona, & vicinis oppidis per Henricum ejecti fuerant. ita instante Turriano, atque Florentino Robertus compositæ societatis, & conjurationis Princeps, & Dux creatur; ut scilicet Henrico Romam petenti intercederet. Interim novæ conjurationis opibus Gibertus Corrigia, & Gulielmus Cavalcabos adjuti Cremonensium fines invadunt. Vastatione agrorum oppidani permoti deditionem ad tempus, nisi subsidia affuerint, paciscuntur. Galeacius Vicecomes sero venit: ita Cremonâ Cavalcabos potitur. In Gibellinos sævitum fuit. Jacobus Radenascus occiditur. Ceterum Galeacius Cremam profectus, Cremonenses, quos Henricus per arces Cremonæ vicinas custodiendos distribuerat, eos omnes
B in continenti Mediolanum deduci jubet, qui teterrimo in carcere diu macerati miserabiliter mortem obiere. Enimvero tunc ii magis, quod fortunis, & bonis spoliati fuerant, patriaque ejecti, res novas quotidie moliri non cessabant. ad quietem itaque populorum Henricus Philippum Sabaudiensem ambiguæ fidei hominem, qui nova consilia cum hostibus inire ferebatur, præfectura primum privat. tum vero Guarnerio Aspurgensi procurationem universam in Longobardis demandat, ut penes eum summa publici negotii sine provocatione foret. ita contumaces animos per hominem peregrinum Imperatoriæ ma-
C jestati subjici posse confidebat. nihil tamen de Matthæi potestate, & jurisdictione diminuit. confirmavit præterea quicquid juris & potestatis antecessores Mediolanensi populo contulissent. Papienses vero rebelles, & imperii hostes pronunciat, ut si quis rebellem civitatem expugnasset, is in eam, & fines imperium perpetuo haberet. Cremæ Simonem Philippi Pistoriensis filium: Laude Henricum Flandriensem sine provocatione præficit. è plebe quibusdam Cataneorum titulum concessit. Ex Genua, eodem jubente, Florentiæ mercatores ejecti sunt, quorum merces, & opes, ceu rebellium, partim prædæ expositæ; partim confiscatæ fuere. Multa
D ad Florentini populi contumeliam ibidem Cæsar statuit. Interea Guarnerius cum haud magna manu per Martium mensem in Laudem primum venit, ibique denunciat quid juris & auctoritatis sibi Cæsar delegasset. per quod tempus Soncinates, pulso Cæsaris præfecto, oppidum Gulielmo Cavalcabovi dedunt. Præfectus in arcem profugit. arx in oppidi angulo posita manu, & operibus munitissima stabat, ita qui in ea continebantur à vi defensi oppugnantibus fortiter resistebant. Matthæus ut obsessos liberaret, militem Mediolanensem summittit. Guarnerius item Bergomenses, & Cremenses, qui Cæsaris beneficio reducti in patriam fuerant, ad se con-
E vocat, Soncinumque protinus pergens illud oppugnare aggressus est. Defendebant mœnia Bergomo, & Crema fugati: hos, & oppidanos, ceu in præclarum facinus, si hostem repulissent, hortari, & urgere Gulielmus non desistebat; quippe si oppidum servassent, illos liberos à metu ætatem acturos: se vero Cremonæ perpetuo potiturum. Forte inter oppugnandum speculatores ab arce cohortem peditum ab Cremona venientem prospiciunt. clamatur subsidium adventare. circiter centum, & quinquaginta pedites erant: in quos invectus Guarnerius eos extemplo fudit. Germani equites cæde gaudentes multos occidunt. Victor Guarnerius Soncinum re-
F vertitur. Cæde Cremonensium Soncinates perterrefacti, tum qui pro vallo, & munitionibus stabant, relictis stationibus, in domos quisque suas diffugiunt. Cavalcabos ubi mœnia deserta defensoribus vidit, portam continuo aperiri jubet: suos in agmen cogit ut ferro per stationes hostium evaderet. Admonitus fuit Guarnerius; eo cum equite Germano properat. jam egrediente præsidio in porta pugnam facit. Cavalcabos in cæde suorum ad Guarnerium supplex accessit: quis hic foret petit: ubi Cavalcabovem intellexit, rebellionis, & novarum rerum aucto-

auctorem: illum statim obtruncari jubet. Cecidere in eo certamine Cremonensium permulti: cæde Cavalcabovis, & sævitia Germanorum, qui nemini parcebant, perterrefacti Bergomo exules ad populares suos, qui auxilio Guarnerio venerant, accurrunt, rati eos mitiores inter Barbaros quam si domi fuissent. Hoc idem fecere qui Crema pulsi fuerant. ita miseratione popularitatis complures servantur. Bencionus vivus capitur. hunc supplicem, & ut sui miseresceret rogantem, Nazarius Quinzonus in factione altera potens jugulari voluit. Guarnerius in vindictam pronus ceteros captivos sine discrimine obtruncari mandaverat, & eos in primis, qui subsidio Cavalcabovi venerant. hos etiam precibus popularium donavit. cur enim vita mulctandi minime rebelles? Cæsaris præfectos receperant; neque per malitiam ita domo cesserant, ut bellum Cæsari inferrent: sed factionis nomine fugati, iis se applicaverant, quorum viribus in sua reduci, & patriam recuperare confiderent. ita Guarnerius, sive ut sociis, & amicis gratificaretur; sive quia non admodum injusta arma movissent, culpam ignovit: cum hoc tamen ut in custodia servarentur. Captivi Soncinates supra triginta strangulantur; & haud ita multo post Galeacius Vicecomes cum Mediolanensi equitatu adveniens Cremona, atque Bergomo, adjunctis exulibus, castrum Bassani in finibus Cremonensium adortus, illud per conditiones recipit. Invenio in quibusdam Annalibus, *priusquam Henricus Genua solveret, comitem sancti Bonifacii, procurante Imperatore, acceptis centum millibus librarum minuti æris, quicquid ditionis, & gentilitii juris Veronæ possidebat, id omne Scaligeræ genti tradidisse.* quod factum Henricus subinde confirmavit. Interea Brixianos fines perpetuis latrociniis exules infestantes, salem, merces, & cetera, quæ plaustris vehebantur intercipiunt, prædamque inter se dividunt. jacturam haud parvam Mediolanensis, & Bergomensis; horum enim ferme merces erant, accepere. Ceterum Guarnerius Laudem Pompejam versus venit: Matthæum Vicecomitem, & ceteros urbium principes veluti in concilium advocat: dolis, & insidiis se fatigari videbat: nam qui obsequium præstiterant, partim imperia recusabant; mutare fidem alii, & proinde omnes defectionis suspecti erant; postremo injuriæ, & maleficia popularium complures ad nova consilia irritabant. Guarnerio perexiguæ erant copiæ. peregrinus miles locorum, & sermonis juxta nescius: ad hæc ferox pluribus infensus erat. Ducem igitur indigenam omnes expetebant, qui consilio, & clementia hos in fide, & officio contineret, illos ad servitium traduceret pro ingenio, & factionis commodo. Sententiæ dictæ sunt; omnium tamen una vox fuit, *neminem Matthæo Vicecomiti anteferendum esse:* sive nobilitatem hominis, prudentiam, & populorum studia spectaveris: sive quod amicitias Cæsarum semper bona fide is coluerit, à quibus numquam desciverit; quippe qui & ex illorum auctoritate, atque opinione rem Mediolanensem procuraverit. ita Matthæus publico consensu Guarnerio socius datur. Post hæc Laudem ingressi, vocato in concionem populo, è primoribus partim Soncinum custodiendos mittunt, quorum unus Zanonus Trasonus fuit: relegantur alii. ejecti etiam Mediolano quidam fuere; & haud ita multo post Henricus Galeacium Vicecomitem Placentinis præficit. Matthæus, comparato novo exercitu, Papiensi bellum infert, quorum fines, temporario ponte super Ticinum fabricato, ab omni parte populatur. Profectus est primum illuc Galeacius cum mercenario milite: deinde Actius Malaspina prætor subsequitur. ducebat hic urbanos milites. haud procul Abiate Papia profugi cum eis conjunguntur, trajectoque amne, Laumellum primo impetu capiunt. Langusci comites quos possunt milites primum populares contrahunt, & peregrinos accersunt. Ve-

A nêre Alexandrini, & Astenses auxiliarii; Laumellum protinus circumveniunt, frustraque dies decem oppugnant. tandem soluta obsidione, abeunt. Ceterum Galeacius inter utrumque fluvium late effusus cuncta deprædatur. Tunc diversæ factionis Principes iterum in fœdus, & societatem coëunt. aggregatur eis Regius Præfectus, cui Alexandrini parebant. Gibertus Corrigia cum Parmensi, & Turriani, si qui nondum finibus cesserant, opibus amicorum sustentati conveniunt. Astensis, Cremonensis, & Vercellensis ab exulibus lacessiti in societatem trahuntur. Henricus cum adhuc in Liguribus ageret Veronam Albonio, & Cani Scaligeris fratri-
B bus, Tarvisium Riciardo Caminati, Mutinam Francisco à Mirandula gubernandas ita demum tradidit, ut procuratio illorum dumtaxat foret, dominium penes se maneret. Derthonenses, & Astenses, ejectis Gibellinis, Roberto Regi se subjiciunt. Parere imperatori Guelpha factio in Longobardis nesciebat; & proinde ad Robertum respiciens nova consilia adversus illum agitabat. Robertus, qui in fidem, & ditionem suam se permiserant, eos adversus Henricum excitabat. urebant illum Henrici successus, quo bene rem in Italia gerente, Pontificis factio neque tuta, neque salva esse poterat. Papienses exulum injuriis, & armis lacessiti fatigabant. hi in pro-
C tectionem Roberti confugiunt, atque palam bellum adversus Henrici socios, & amicos parant, quorum consilia, & arma Guarnerius ut oppugnaret, & frangeret, iterum copiis contractis, Papiam aggreditur. Tunc in Taurinos Philippus ire pergit, hoc discessus suspicionem nomine elevans, quod sibi uxor ducenda esset: quæ nuptiæ ut celebriores fierent duodecim de primoribus Papiæ, & totidem Vercellensium ut se officii gratia prosequerentur postulavit. Riciardinus Philipponi præ ceteris abeuntem Taurinum usque comitatur. Simulatæ erant nuptiæ, ut videlicet argentum extorqueret. namque nobiles viri ut Taurinum pervenere continuo in vincula con-
D jiciuntur, quos non prius se dimissurum is dixit, quam stipendium præfecturæ solverent: ita duorum populorum primores per fraudem diutius asservati fuere. Interim milites Mediolani conscribebantur. hi ducente Galeacio, Ticinum denuo trajiciunt. Carlascum oppidum invadunt, & obsident. Theodorus Marchio Montisferrati, & item Philippus, ut erat ingenio mobili, cum Galeacio sociatur. oppidum oppugnant. è Papia supra triginta expediti pedites, cum in occasu sol esset, venêre; rati beneficio tenebrarum vigiles fallere propius oppidum penetrant: sed, ut fere evenit, deprehensi ad unum suspenduntur; quo supplicio oppidani deterriti
E extemplo se, & sua Galeacio dedunt. *Pactam pecuniam, & spe præmii majoris proditum oppidum* quidam tradunt. Posthæc Guarnerius in Vercellenses ducere statuit. Vercellas Collobianus favore, & opibus Advocatorum obtinebat. hanc gentem dominatu urbis evertere; quippe Cæsaribus adversantem Guarnerius parabat. Igitur propius urbem cum copiis secreto festinat; verum imparatos minime offendit. Noverant Advocati ad se versus exercitum pergere. ita cum expeditos, & instructos milites, atque amicos in armis haberent, irruentem hostem fortiter sustinent. dimicatum in urbe est. Interim Guarnerius Philippum proditionis suspectum stricto
F ense impetit, qui nisi constanti animo vim illatam repulisset, obtruncatus profecto foret. Intercedentes famuli partim cæsi, vulnerati alii fuerunt. Philippus in evidenti discrimine ad Simonem Collobianum transiit: cui fugæ causam quærenti respondit: *ut fugerem iratus Guarnerius fecit. in me enim gladios armatus intentavit: quod nisi domesticorum ope defensus forem, crudelem in modum occubuissem.* Collobianus ut bona in spe esset, neque minas, aut vim Barbari extimesceret apud se inquit: *nihilo tamen secius Guarnerius Vercellenses urgebat.* Ticiones de potentatu

tentatu cum Advocatis certantes enixissime Guarnerius juvabat. ita aliquot dies in urbe ipsa inter cives certatum fuit. Gravis erat Mediolanensi militi mora: præ inopia haud pauci dilabebantur. Matthæus Vicecomes, cognito suorum discessu; impendia enim militiæ prægravabant, ad Guarnerium, & Prætorem ut exercitum domum reducant scribit. Vix Guarnerius Mediolanum redierat, cum Ticiones externo præsidio destituti domo, & patria cesserunt. per quod tempus Germani equites, qui Guarnerii, atque Vicecomitis stipendia merebant, natura ad prædam proni nulli parcebant: modo aliquid rapere possent: senes pariter, & pueros occidebant. ad hæc sacerdotibus vim inferre, templa violare, superbe, crudeliter, atque etiam libidinose in urbibus, atque vicis cuncta agere. In Laudenses præcipue gens ea desæviit, in quorum liberos, & uxores contumeliæ edebantur. illatas injurias ulcisci Guarnerius non curabat. ita libidini, & avaritiæ Barbarorum in Longobardis nihil exceptum erat. Inter hæc Franciscus Turrianus oppidum Montorfani adhuc cum præsidio tenens, cum in adversariorum potestatem omnia venissent, illud Novocomensi Episcopo tradit: apud quem aliquot dies commoratus, inde Cremonam petiit; ubi Guidonem patrem graviter ægrotantem offendit. quo mortuo, atque honorifice funerato Florentiam profectus inde ad Robertum Regem accessit. Uterque Rex, & Florentinus nimiopere Turrianas reliquias, & gentis factionem fovebant. revertentem in Longobardos Franciscum latrones in via spoliavere; quamvis ut à latrocinantium injuriis tutus foret, in comitatum pontificialis nuncii se dedisset: sarcinulis direptis, prædaque divisa Comes Panagi, qui insidias fecerat cum uxore, & liberis Mediolanum se recepit; moxque accepto stipendio cohorti præficitur. Jam in Hetruscos Henricus navibus applicuerat, cum Astenses urbem Ugoni Bancio Procuratori regio solemniter dedunt, atque in Roberti potestatem vectigalia, & portoria publica subjiciunt. Castellanos Gibellinæ illic factionis principes à domo, & patria profugos Philippus Sabaudiæ comes exceperat, opemque implorantibus suggerebat. ita veriti Solarienses, ne viribus externis Gibellini adjuti domum reducerentur, ad fidem, & opes Roberti confugere: sub cujus tutelam, atque præsidium universi in Italia Guelphi se permiserant. In conditionibus de vicinorum defensione discretè additum fuit: ut scilicet iis omnibus Rex bellum inferret, qui Guelphos aut armis lacesserent, aut domo fugassent. hinc multi animos ad novam fortunam erexêre; quippe regio favore freti popularibus redire in gratiam magnis conditionibus oblatis recusarunt. Papienses, hortatu Langusci, ne exules, qui, comparato ab amicis subsidio, propius patriam omnia populabantur, aliquando à popularibus in urbem reciperentur, Ugoni Baucio patriam dedunt, & velut dedititii vectigalia, & portoria publica; tum arbitrium administrandæ reipub. illi permittunt: videlicet ut eos amicos, & inimicos haberent, quos Rex jussisset. cum hoc tamen ne adversus Romanum Pontificem, aut eos, si qui partes illius sequerentur, arma inferret, & urbani milites plus triginta millia passuum ab urbe in expeditionem abducerentur, neque ultra viginti dies impensis gentilium mererent. Philippono Langusco primus locus datur inter eos, ut is publici consilii princeps foret. Magisteria urbica in speciem libertatis pauca populo relicta sunt. Notarii, & annonæ præfecti, & curatores viarum suffragiis civium, aut sorte deligebantur. Monopolium salis penes Regem fuit: cui item quotannis pro censu in urbe, & finibus descripto pecuniæ viritim penderentur. summa pensio in capita sex soldi fuere: media quattuor: qui vero minimum census fuisset, soldos duos is dabat. De reficiendis Ticini pontibus, instauratione fori, & prætorii in primis

A mentio facta est. Sex plebeji, totidem ordinis militaris negocio urbano ita præficiuntur, ut Languscus, aut unus filiorum constituti collegii principes essent. magistratus dumtaxat bimestris statuitur. De Alexandrinis in conditionibus honorifice actum fuit. juris & ditionis Roberti tunc Alexandria. De Philippono Langusco, & Guelphis defendendis à Rege in primis multa præscripta fuere. Exulabant ea tempestate Papia duæ veteres familiæ Bechariæ, & Curtii. hos ceu perduelles in exilio perpetuo manere jusserunt, ut numquam in amicitiam, & tutelam Regis venirent, aut super eis, gratiave cum plebe reconcilianda sine consensu Langusci, & majoris
B partis eorum, qui rempub. curarent, potestas ulla foret. Duo ante omnia nominatim explicata sunt: primum ut à vi, & armis novi Cæsaris Papiensis populus defenderetur. alterum de relaxandis civibus, & Ricardino Philipponi filio; quos ut supra diximus, per causam nuptiarum Sabaudiensis abduxerat: neque nisi accepto præfecturæ stipendio, relaxare statuerat. Intererat regiæ auctoritatis, & Guelphi status eos captivos liberari: tum vero ita rem transigi, ut deinde neque stipendii nomine, aut alia quavis de causa à Papiensi Philippus quicquam ceu debitum repeteret. Conditiones à procuratore acceptas ut ratas, perpetuas populus speraret, Rex per litteras
C Neapoli missas, affixo aureo sigillo confirmavit. Quattuor tunc urbibus Robertus Ugonem Baucium multis titulis honoratum Prætorem imposuerat: ut simul jus diceret, arma tractaret, pacem cum quibus vellet nomine Regio faceret. Ceterum Henricus & si probe norat quos homines Robertus foveret, atque defenderet, illum tamen ad se invitat; quod si Genuam venire recuset, saltem Romæ futuræ coronationi interesset. Magnificentior, atque illustrior ea fore Regis præsentia videbatur. Robertus cur interesse non posset multa causatus Joannem fratrem cum equitatu subinde misit. hic simul urbem ingressus est, multa largiri, atque majora
D pollicendo primores populi ad se trahere tentavit. Gens Ursina armis, & viris opulentior statim illi adhæsit. Columnenses contra vetus, & potens familia amicitiam, & societatem cum Rege abnuere; quamvis magnis pollicitationibus onerarentur, à Cæsaribus olim ea steterat. hos aggreditur, ut quos conditionibus conciliare non poterat, eos vi, & armis cogeret. Henricus nuncios ad Robertum mittit, qui cum eo fraudem, & dolos expostularent: quod sub specie officii Romanos proceres in conjurationem adversus se, & civilia arma concitaret; idque moliretur ne in augustissimo Petri templo coronaretur. Mirabitur hic aliquis forsan, cur Henricus
E Robertum Gibellino nomini infestum sibi amicum sperare posset; hoc faciebat Clemens Pontifex, qui per nuptias fœdus, & amicitiam componi inter Reges curabat: ita Pontificis persuasu Petrum Friderici Siciliæ Regis filium per oratores filiam in matrimonium petentem repudiaverat: igitur pro indignissimo habebat Cæsar adversus se illum conjurasse, cujus fratrem alteri prætulisset. Præmiserat Henricus, ut Longobardos partim ad deditionem redigeret, partim discordes componeret, Romam Ludovicum Sabaudiensem. hunc populus haud invitus respectu Cæsaris excepit, eique protinus Præfecturam urbis, quam Senatoriam vocant, demandavit. qui haud ita
F multo post, constituto Vicario, ad Henricum tunc Brixiam obsidentem rediit. Interim in urbe odia, & inimicitiæ gliscebant: certamina majora oboriebantur. ita Columnenses adversariorum armis fatigati per nuncios Henricum rogant, ut rursus cum præsidio Ludovicus eat, qui cæptos tumultus opinione Cæsaris comprimat: ratus Henricus ideo magistratum contemni quod apparitorum, atque Statorum numerus exiguus foret, quinquaginta duntaxat Germanos equites, qui Ludovico apparerent, Romam misit. Ceterum is urbem ingressus majorem

rem tumultum offendit, quam qui reverentia Cæsaris, & jussu magistratus sedari posset: arma undique movebantur. belli consilia alii agitare, & palam dicere, *Henrico resistendum, ne urbem introeat.* Corrupti præterea erant quos abiens juridicundo præfecerat: ita capitolio excluditur. Dum hæc Romæ geruntur Henricus Genuensium navibus Pisas defertur, ubi duos amplius menses commoratus est.
1312. Disposuerant in Appennino Florentini præsidia, ut discedentem è Longobardis Henricum transitu prohiberent. Tunc cognito quod Henricus mari Pisas devectus esset, continuo suas, & suorum copias in Lunenses reducunt. Ceterum Henricus Hetruscos, qui aditus obstruxerant, paratos quacumque is incederet illi occurrere, integros à vi, & maleficio esse voluit. Marchiones dumtaxat Malaspinæ Miniatensium, & Lucensium fines populabantur. Nulla memorabilis pugna edita, nullus opulentior vicus, nulla castella expugnata, aut in deditionem per conditiones recepta. major in dies Pisis fama de conjuratione Romæ facta crescebat. Validius Roberti præsidium erat, quo subnixus Ursinus adversus æmulos gravior insurgebat. qua re comperta, Stephanus à Columna, maturato itinere, Romam proficiscitur. Existimabat hic sua præsentia, & Regis opinione surgentes tumultus sedari posse. Inter hæc ex eorum numero, quos arcanorum participes Henricus habebat, ad Clementem quidam legantur, qui pacem, & fœdera per nuptias nutu Pontificis cum Roberto paciscerentur. Duo item Episcopi Romam missi, qui Henricum adventare dicerent, gratiasque Joanni agerent, quod officii gratia cum magno comitatu venisset: quem etiam rogarent, ut à maleficiis, & injuriis in Columnenses desisteret: quod si in gratiam redire inter se cives nollent, saltem ab domestico certamine tantisper cessarent; donec legitima coronatio conficeretur: quando non magis in hanc, quam in illam factionem Cæsar inclinet: id quod liquido perspici ex iis posset, quæ alibi fecisset; quippe qui in eos tantummodo desæviit, qui rebelles palam obsequium abnuissent: pacem vero cum Roberto bona fide paciscerentur, cujus amicitiam tanti fecerit, ut fratrem in conjugio filiæ alteri prætulerit; etiam ex illius voluntate hosti veniam daturus sit. Jam Italorum militum ingens turba, partim pro studio in factionem Cæsaris voluntarii; alii accepto ab his stipendio, qui ab injuria nisi Henrici favore tuti esse non poterant, accesserant. ita cum satis præsidii comparasset, Pisis digrediens, celeri, & numquam intermisso itinere sub Kalendas Majas Viterbium pervenit, quam urbem, pulsis diversæ partis oppidanis, ingressus est. motus civiles pridem oborti, tunc maxime aucti. Urbevetani, appropinquante Henrico, in mutua arma proruunt. imperatoria factio in pugna succubuit, & priusquam præsidia adessent, urbe pulsi sunt. Ita adventus Henrici amicos spe sublevabat; alios contra metu sollicitos, & anxios rerum suarum faciebat. ita, dum saluti suæ quisque prospicit, adversariorum vero opes affligere conatur, tetra certamina excitabantur. Scribit Ventura, *occultè per oram Hetrusci maris cum paucis equitibus Henricum Pisis decedentem noctu iter egisse, biduumque in vicis, & castellis Comitis Floræ commoratum, donec Comites, & sociorum copiæ applicuere.* Potuissent Guelphorum duces tum locorum angustiis, tum commoditate fluviorum facile Henricum intercludere, transituque prohibere, belloque lacessere, & aliquandiu remorari. Ergo cum nullæ inimicorum copiæ obviæ essent, per incustoditos aditus Romam venit. quam tumultuantem domesticis armis, & peregrino milite se conficientem offendit; nam, ut supra diximus, Joannes Roberti accessiones odii, & injuriarum fecerat. Conveniebant quotidie magnæ copiæ; namque Florentini, ne factioni deessent, quingentos equites; pedites vero mille egregiè ornatos, & instructos summisere. Lucensium præterea, & Senensium, tum ceterorum ejusdem partis, quantum opes suppetebant, auxilia accesserant. Romanus populus pro studio partium partim Roberto Regi studebant; alii adventum Henrici propugnabant. principes factionum erant Columnenses, & Ursini. ita uterque colles, regiones, & domos occupaverat, atque muniverat; unde adversus vim, & arma utriusque se tueri valeret. nam Joannes Roberti, atque Ursinus, & ejusdem factionis populares Capitolio vicina, Janiculum, Molem Adriani, quam posteriores arcem sancti Angeli appellaverunt, Vaticanum præterea, & quæ trans Tyberim sunt cum ingenti manu tenebant; Henrico scilicet intercessuri, ne urbem ingrederetur. Contra vero Columnenses, & imperatorio nomini addicti Aventinum, Celium, Quirinalem, Exquilias præterea, cum Viminali, & Suburra habebant. Tres fere totos menses Ursinus, & Columnensis domi, adjuncto externo præsidio, inter se atrocissimè decertarunt. Roberti factio contendebat, ne in æde Divi Petri, quæ in Vaticano sita est, rite coronaretur: altera factio nihil non contra moliebatur. Adversariorum munimenta perrumpere, turres vetustis ædificiis impositas disturbare, præsidia dejicere, viarum angustias aperire, ut novo Cæsari ad augustissimum templum aditus pateret. ita Romæ perpetua bella, & cædes fieri. Pugna acris juxta pontem facta fuit, & in ea potissimum urbis parte, quam Saracenorum munimenta appellant. Firmaverant interim præsidio locum Ursini, & pro ripa stantes hostem telis lacessere, atque transitu arcere. Tunc indignum existimans Henricus, præter Pontificis voluntatem sibi repugnari, in campum prodiit acie conflicturus: Cardinales intercessere, ne Germani equites in hostem inveherentur. Romani pro Cæsare in aciem progressi, refugientibus adversariis, Capitolium invadunt. Campum Floræ occupant; inde ad Adriani molem perveniunt. Erupêre de munitionibus Ursini; manus conserunt: prœlium atrox factum est. occubuêre in ea pugna Legiensis Episcopus, & Petrus Sabaudiensis, qui per affinitatem fratris Henricum sequutus fuerat. Missi in Gallias oratores Clementem edocent, quantum odii, & certaminis in Romano populo vigeret: tum etiam quæ cædes, flagrantibus in ultionem animis, passim ederentur. Pertinacissima erant utriusque gentis studia: recusabant alteri Imperatorem; propterea quod in manu, & potestate sua templum erat: alter, ut diximus, omnia moliebatur, ut legitima ornamenta essent. Ceterum Clemens, ut tot malis, & domesticis cladibus finem imponeret, mandat, *ut in Lateranensi templo solemnis coronatio fieret; neque ideo existimaret quisquam de amplitudine Cæsarei nominis quicquam diminutum iri; quando illius jussu id fieret, quem penes novitium hoc jus situm esset.* Ita Kalendis Sextilibus Petri vinculorum celebri die in æde Lateranorum Henricus insignia imperii accepit, solemnemque titulum sortitus *Romanorum Imperator, & semper Augustus* nuncupatur. Exegêre ab eo iterum jusjurandum Cardinales, ut Pontificum jus, & potestatem tueretur, & defenderet adversus eos, qui Romanum Sacerdotium armis lacesserent: neque Sacerdotum jurisdictionem ullo tempore violari pateretur. Ceterum in formula jurisjurandi altius multa repetuntur, quæ nunc referre supersedeo, utpote commentitia, ne dicam fatua, & ridicula. Illud autem miror, cur Blondus ambigat, Villanum an Ptolomæum sequi debeat, qua via Henricus Romam profectus; quæ populi discordia, & quæ certamina fuerint: tum quid moræ Henricus in urbe fecerit. hæc omnia parum expeditè narrat. exactam præterea, interposito sacramento, fidem: imperatum in civili dissensione tributum, quæ etiam vix vera existimo: nam si divisus in contraria studia armis Romanus decertabat, debuit potius liberalitate, & munificentia pars diversa conciliari, quam odioso servi-

servitutis vinculo onera imponendo magis abalienari. Repugnat & illud, *ad ludos, & epulum eos convenisse, qui Cæsari maxime infesti fuissent, obstitissentque, ne in Petri templo solemniter exciperetur.* Postremo super civili certamine, peregrinoque præsidio haud satis idem scriptor sibi constat. nos gentis nostræ Annales, quamvis circumcisos, & admodum breves; tum etiam civitatum Acta, & privatas Annotationes legimus, & eorum præcipue, quorum intererat Henricum rerum potiri; quique illum Romam sequuti fuerant. hi ceu in ephemeridem quæcumque accidebant memoriæ prodiderunt. Ceterum Henricus, titulo, & corona accepta, Tibur emigrat. frumenta, & commeatus deficiebant. nam Raynerius Grinaldus Roberti classis Præfectus hostiensi littori obnavigans Pisanorum naves frumento onustas interceperat; quanquam Genuensium triremes prædonem observarent. Ergo difficultate victus, simulque ut civilia certamina remitterentur, Roma Henricus cessit: quam rem etiam Cardinales in primis curabant. Ceterum ne Robertus fraudem, & contumeliam inultam haberet, Friderici filio, quem generum repudiaverat, filiam hac conditione despondet; *ut in propinquo Calabrorum littore loca ditionis Roberti depopularetur*; & ne quid maritimæ oræ tutum ab injuria foret, conjunctis Genuensium, & Pisanorum navibus, Appulos, & Campanos infestari mandat. Jam miles longo itinere, & pugna non campo, & acie; sed in regionibus urbis per diffidentes cives, proditione, & dolis facta defessus erat: neque sine periculo frumentatio, aut pabulatio fiebat. Vicinus erat Roberti exercitus, difficilesque commeatus. ad Hetruriæ igitur amicas urbes regredi instituit. ita protinus per fines Sabinorum, Umbrorum, atque Perusinorum Aretium pervenit. Incredibili amore, atque honore adventum Henrici Aretini excepere: vici, & castella secus superiorem, ut ajunt, Arnum à defensoribus deserta Henrico protinus se dedunt. Convenere ad eum exules Hetruscarum civitatum, & in primis Gibellini pridem, tum Albi, mox Florentia pulsi, atque fugati. horum consilio, & opera adversus Florentinos bellum facere cœpit. ita universæ copiæ illuc Henrici, & amicorum; tum etiam Guelphi nominis conveniunt. Novos conscripserat Florentinus milites: quos vero Romam miserat; quique aditus, & saltus Apennini observabant, eos ad se vocat, atque intra mœnia continet. Imperator interea ab ea parte, quæ montes attingit, urbem aggreditur: muro nudata erat fossa, & vallo tantum communita. ingens materia ad munitiones faciendas parata erat. advenerant insuper Lucensium, Miniatensium, & Senensium auxiliares copiæ. Robertus etiam præsidiarios equites de Bononiensium, & Ferrariensium finibus illuc acciverat. Quare & si magni interesse videbatur ad Robertum, & conjuratos debellandos, oppugnando Florentia potiri: tamen rejecta oppugnatione, satius existimavit obsidione, & inopia Florentinum macerare, ut fame ad deditionem compelleretur. ita tribus ab urbe stadiis castra locare instituit. prætorium delegit ædem divi Salvi: Mongilanos, & Crescentinates nullo alio onere pergravavit, nisi ut frumenta, & commeatus in castra comportarent. Jam hyems ingravescebat. in arido, & loco sterili populatio nulla: præterea de hostili agro præda agi non poterat: ita defectus iis omnibus Henricus, quæ alendo exercitui idonea erant, per Novembrem mensem castra movet, octavoque milliario à Florentia discedens, ad oppidum, cui Donatiano nomen est, pervenit. Ceterum ne præsidio deserta castella Florentinus reciperet, duobus exulibus cum Germano equitatu Scarparia, & Incisa custodiendæ traduntur. opportunus uterque vicus; sive ea defenderet, quæ de Florentinis cepissent; sive excursionibus vicina vastare vellent. Duos fere menses eo in loco Imperator desedit: jam semente amissa, spes messis futuræ nulla erat. Obsidebantur fere omnes aditus, per quos frumenta comportarentur. mœnibus inclusos fame debellatum iri Henricus dictitans ad Bonitium accessit, arcemque restituit, quam antea Carolus subverterat; atque sæviente frigore, ibidem hyemavit, vicinos populos imperia detrectantes populationibus vexans, atque interim oppido erumpentes cædibus agitabat. Florentinus à fame timebat: remedia malo nulla prospiciens, quominus ob inopiam victus futura æstate in ditionem Henrici cogeretur. ita ad Robertum confugientes eum rogant, & obsecrant, *amicis opem ferat, qui nisi præsenti auxilio defensi fuerint, barbaro homini, & libidini inimicorum subjiciantur necesse erit.* Commemorabant identidem quid cladis in se edituri ii essent, qui domo, & patria pulsi, fortunis quoque spoliati in vindictam accensi essent. Robertus bellum suscipere recusat; quippe qui iram magis, quam arma Henrici timeret. Sed quid facerent? ad portas infensus erat hostis; deserti agri; in civitatem rustici confluxerant; fame laborabant. tot circumventi malis patriam Roberto dedunt. in conventionibus dumtaxat exceptum illud fuit; *ne qua urgente necessitate, etiamsi multum detrimenti civitas passura esset, exules in patriam reducerentur.* Recepta Florentia, Robertus eo præsidio contentus, quod à Bononia, & Ferraria acciverat, fuit; namque Fridericus ex Siculis in Calabros trajecerat, receptoque Rhegio vicina deprædabatur. Genuensis, & Pisanorum classis in anchoris instructa stabat, illuc adnavigatura, quo Imperator jussisset: ita undique circumventus Robertus rerum suarum satagebat. Interim Pisas Henricus petiit: Pisanos præ ceteris amabat: nobilis, & dives civitas ingentem vim auri Henrico, ex quo in Italiam descenderat, ad omnes usus impenderat: illuc Robertum quasi cum eo lege acturus venire jubet. suspectum primo locum Robertus causatus est. deinde adjecit, *imperatorii juris quæ possideret regna non esse: ubi autem locus dicendæ causæ idoneus daretur, eo se ad Henricum accessurum.* Jam Lucensis, Miniatensis, & ceteri Pisis contermini populi, amissis castellis, direptis vicis, & agro pervastato, super deditione consultabant: quo successu elatus Henricus Robertum propterea quod non paruisset, neque etiam nuncios, qui causam dicerent, misisset, Romani imperii rebellem pronunciat, & proinde Campano, & Appulo regno privat. Florentinos autem honoribus, & omni dignitate mulctat; quibus potestatem reddendi juris ademit, ut Florentiæ neque judicia reddere, neve notariis, & scribis pro auctoritate imperatoria stipulationes facere, & tabulas in contractum rerum consignare liceret. Populi primores, tum publici negotii curatores ceu rebelles capitis condemnat, ut eos occidere, etiam bona, & fortunas diripere quivis impune posset. edixit præterea, *ne ex auro, & argento monetam dehinc Florentinus feriret.* Contra vero Opicino Spinulæ, & Theodoro Paleologo potestatem fecit monetæ sub nota Florentini populi percutiendæ. ita deinceps magna licentia adulterandi denarii facta est. Hac ignominia Florentinus irritatus plures milites scribere, sociosque omnes Guelphi nominis adversus communem hostem excitare. ita fere quicquid virium Pontificia factio habuit ad hoc exposuit, ut Henrico Hetruriam vastanti se opponeret. Videbant, multum de auctoritate, & potentia Cæsaris diminutum iri, si frustra Hetruscos Guelphos armis tentasset. Interea Clemens Pontifex publicis litteris, quæ in pontificalia responsa relata sunt, Robertum ab imperio, & jure Henrici eximit: quasi nihil potestatis in eum Cæsar haberet, cujus pater, & avus jussu Pontificum regna in Italia obtinuissent, perpetuaque bella adversus Romani Sacerdotii hostes gessissent; Pisas vero locum idoneum non esse, in quo Robertus causam diceret; propterea quod eo Imperator divertisset, ut conjuratos

ratos debellaret. Postremo tot profugos, qui ad illum confugerant, à vi non temperaturos. Quare excusari Robertum debere, si in locum de perfidia, & vi suspectissimum, atque ad Regem voluntati inimicorum obsequentem non venisset. ita pontifica-
1313. libus edictis sublevatus est Robertus. Altero post anno, qui trecentesimus tertius decimus ab ortu Dei ex Virgine fuit, magnam æstatis partem Pisis Cæsar exegit. Siciliensis interea, & Ligustica classis, ut ab Henrico constitutum fuerat, maritimas urbes, quæ Roberti ditionis erant, aggressa populabatur. Friderici terrestres copiæ in propinqua littora transmissæ Calabros prædabantur. Interea Henricus parum prospera valetudine Pisis conflictabatur. digressus tamen inde Miniatenses, & Florentinum agrum invadit: tum Senarum mœnia prætervectus secus montem, quem apertum vocant, castra locat: celebrem locum parta de Florentinis aliquando victoria fecit. ingravescebat morbus: remedia ægrotantem non juvabant. Maceratenses balneas ex medicorum jussu petiit. Ceterum, salubres alioquin aquæ cum morbum nihil levarent, rursus, monente medico, locum mutat; quæ res conclamatis etiam morbis remedio esse solet. Itaque Bonum conventum defertur. Evicerat morbus medentium auxilia. ita in flore magnarum rerum, & spe certa potiundæ Florentiæ rapitur. *Veneno obiisse, & fraude Florentinorum* opinio fuit, *ministerio, & opera cujusdam Bernardi Prædicatorum instituta servantis, qui venenum in mystico pane dederit*; quando Florentino non bo-

A no, sed saluti plane foret, *Henricum quovis modo tolli*. Negat scriptor non admodum contemnendus, *nefarii facinoris Bernardum ministrum fuisse*; quippe sexagenarius, & Gibellini nominis studiosus à Montisfeltri Dominis in familiarem Henrici amicitiam insinuatus fuerat. Non Florentino tantum populo, sed ceteris in Hetruria Guelphis, & in primis Roberto Regi insperata, sive magis præcipitata Henrici mors salutem attulit. Periclitabatur de summa rerum Robertus ancipiti hoste terra, & mari oppressus: neque, nisi sublato Henrico, liberari poterat. Cæsaris morte universus exercitus dilabitur. Pisana, & Genuensis classis domum extemplo re-
B diit. Friderici copiæ, relictis Calabris, in Siciliam revertuntur. Henrici cadaver Pisas defertur, atque in æde majoris Mariæ sepelitur. Luctum id simul Germanis, qui in Italiam venerant, simul Gibellinis pavorem ingentem fecit. namque ejus factionis vires, & opes non aliter corruere visæ sunt, quam nostra corpora deficere, & perire, capite lethaliter icto, videmus. Verum, ut magnus Imperator dixit, *nulla in re minus eventus respondet, quam in bello*: quippe propinqui terrores in irritum plerumque cadunt: ut qui superiorem se putat, jamque victoriam præsumit, is maximis detrimentis obruatur. ita victor ex insperato Guelphus in Hetruria, & Longo-
C bardis multiplices clades accepit: iique casus mortem Henrici sequuti sunt; ut nescias, meliusne cum Guelpho agi potuerit Henricum vixisse.



GEORGII MERVLAE, ALEXANDRINI,

ANTIQVITATIS VICECOMITVM

LIBER IX.

Henrici factionem cis Apenninum Baucius infestat. Matthæus Papiam & Alexandriam recipit. ad montem Catinum Guelphus occidione debellatur.

Cum intempestivam Henrici mortem Gibellinus sideri, & invidiæ fatorum imputaret; Guelphus vero ne in beneficio fortunæ sibi deforet, ad opprimendam contrariam factionem novos milites conscriberet, novasque societates iniret, Pisani ita comparatis viribus inimicorum, memores quod jam inde Henrico ab alpibus descendenti multum auri ad subvertendam Florentinorum, & Roberti potentiam contulissent; & proinde veriti ne omnium in se arma converterentur, Ugutionem Fassiolum bellici negotii prudentem, & prœlio strenuum hominem, quem discedens è Liguribus Henricus Genuæ præfecerat, ad se evocant, pecuniasque ad conducendos milites affatim præbent. Erat Ugutio Guelphi nominis hostis acerrimus. Applicantur ei Germani equites, qui Henricum Romam petentem secuti fuerant; qua multitudine succinctus finitimos invadit, atque ab ira, & odio gravia damna, atque detrimenta iis intulit, qui Henrico restiterant. jam formidolosus omnibus erat. Quare Gibellini in Hetruria eum Ducem, & defensorem sibi constituunt. In Annalibus Ligurum comperio, *ægre Pisanis Ugutionem concessum:* resurgebant Genuæ civiles motus, & proinde tetra certamina timebantur, quæ facile illo præsente comprimi, & sedari potuissent. Ceterum Ugutio perpetuis incursionibus Lucenses primum evastat. prodire in campum, castra ponere, aut aciem instruere nolebat. intra mœnia se continens quotiens commodum videbatur cum prædatoria manu incursans, vicos, & ædificia in agris diripiebat. ita cum ingenti præda domum redibat: non temere alias aut ab domestico, aut externo hoste majore clade Lucensis affectus fuit. Robertus in propulsandis sociorum injuriis negligentius se gerebat: subsidia aut nulla, aut rara in Hetruriam veniebant. ita Lucensis auxilio destitutus his legibus, quas Ugutio dixit, pacem cum eo composuit. Reducuntur in patriam Gibellini, & mox Alborum factio Luca fugati. Loci potitus Ugutio justum exercitum comparat, protinusque ea loca infestare acerbius cœpit, quæ ditionis Florentinæ erant, adversariis insultans, quod spe regii præsidii frustrati injuriis, & damnis expositi essent, quosque Robertus magis eluderet, quam defenderet, atque victor; cum nullus ei obviam iret, incursando, atque deprædando, omnibus ingentia damna edebat, qui Roberto se addixerant. Interea tumultus Lucæ obortus Ugutionem à detrimentis Florentinorum avertit. reducti exules agros, & res moventes ab adversariis ereptas repetebant. Ceterum qui ea paulo diutius possederant, superbe, & contumeliose, sua vindicare volenti repugnabant. ita jurgiis primum, & conviciis, mox armis certabatur. Adventante Ugutione, Gibellini insurgentes adversariorum domos diripiunt. primores Guelphi partim delitescere; alii patria emigrant. Urbem ingressus Ugutio vultus austeritate, & vocis acrimonia suos à certamine, & rapina deterruit; &

A ceu æquus omnibus venisset, neminem suspiciosius intueri. Guelphi tamen Gibellino Duci, & factionis iræ plurimum obsequenti non satis fidebant; ita populariter in fugam versi patriam relinquunt. Gibellinus, fugiente æmulo, sua primum obtinet, tum domos custode vacuas invadit: Pisanorum milites, & Germani equites omnia promiscue Guelphorum, sive Gibellinorum forent, diripiunt. Præda erat opima. Ita prædabundi per omnes urbis vicos discurrunt: quorum licentiam neque torvo vultu, nec minis Fassiolus cohibere valuit. neuter expers detrimenti fuit. demum, parte altera ejecta, in jus, & arbitrium Pisanorum Luca devenit. Guelphi fugati propinquos vicos, & castella, quæ nondum
B Fassiolus ceperat, petunt. his Florentinus præsidia etiam ultra vires summisit. Tarlati Aretina familia Ugutioni studebant: illius favore, & auxilio in patriam reducti erant; & ad illius præscriptum omnia gerere. Sic Aretium juris, & ditionis Fassioli factum est. Ceterum Robertus Rex, ne socios deseruisse existimaretur, quos Ugutio injuriis, & damnis lacessere non desistebat; sollicitatus item Florentinorum precibus Petrum fratrem Tarenti principem, & Carolum filium in Hetruscos cum mille equitibus mittit. stipendia plurimum factio Guelpha suppeditabat. Petrus adolescens erat, cui congre-
C di acie cum hoste non satis tutum videbatur. attenuatæ erant Florentinorum, & ceterorum opes; attritæ domesticis malis vires. ita conditione, & magnis pollicitationibus satius visum est, quam armis hostem insultantem reprimere, & à detrimentis suorum avertere. Guido Petramala Aretii Episcopus, quamvis Gibellinus foret, Tarlatos tamen ejusdem factionis ægre ferebat principem locum in urbe habere. Hos Ugutionis amicitia, & favore subnixos, nisi pace, & societate cum Florentinis inita, principatu dejicere difficile erat. regnandi hominem cupidum Petrus tentat, cui regnum inter populares, & liberam administrandi Aretii potestatem promit-
D tit: ea dumtaxat loca Roberti ditionis esse postulavit, quæ Henricus de Florentinis, & sociis cepisset: ita Aretini, mutato statu civitatis, ab Ugutione alienantur. Tunc Ugutio, ne alii ab se deficerent, majoribus detrimentis, atque injuriis inimicos lacessere cœpit, agroque late populato, usque sub mœnia Florentiæ progressus præda onustum exercitum agebat. Pistorienses, & Miniatenses, propterea quod Luca profugos excepissent, quanta potuit clade affecit. altero post Henrici obitum anno Clemens
Pontifex principes Christianorum Sacerdotum ad 1314.
Viennam Allobrogum in concilium vocat: ibi cum alia multa ad majestatem, & jura Pontificum per-
E tinentia tractata fuissent, tum illud in primis decretum fuit ad augendam Romani Pontificis potestatem, *ut designati in Germania Cæsares quamvis Romani Regis appellationem sortirentur, tamen à Summo Sacerdote imperii jura, & nomen acciperent:* super quo & si antecessores multa decrevissent, ut rata deinceps

forent, ea omnia renovando confirmavit. De Regno etiam Siciliæ actum est, ut Pontifici obnoxium foret. illud autem novum statuit, quod antea jussu Pontificum factum non fuit, ut, mortuo Imperatore, per omne interregni tempus Italicarum urbium, quæ Cæsari stipendiariæ sunt, arbitrium, & potestas penes Romanum Pontificem foret. Edictis subscripsere Patres. ita res Italiæ quatenus sub ditione Imperatoris essent, Roberto procurandæ traduntur. quæ res in Longobardis, & Hetruscis graves motus, & perniciosa certamina excitavit: quippe Robertus, præterquam quod omnibus inimicus, & infestus esset, qui Henrico in Italia adhæserant, eos Pontificia auctoritate, & vi armatus palam ceu Pontifici invisos, & rebelles acerbius vexare cœpit. Renovata sunt odia, civiliaque suscitata bella, quæ consenuisse videbantur. Nam Robertus ad odia civilesque motus, urbes; alios ad inferendas injurias: hos ad seditiones, novandasque res vindictæ causa concitabat. ita domestico furori, atque malo nullus modus esse: edita fuere in eo concilio pontificalia recentiora decreta, quæ de auctoris nomine Clementina appellantur. Idem etiam Pontifex edicto Templarios sustulit, eorumque bona, & fortunas partim Philippo Regi, partim hospitalariis divi Joannis concessit, ex quibus ingens vis auri in Pontificium fiscum redacta fuit. Opulenta erat illa fraternitas, invidiosæque opes: & proinde Ventura tradit *ob iram, & cupiditatem plus habendi ab Rege eos proditionis insimulatos, quòd in excidium christianæ rei cum Saracenis conjurassent.* Agitatum item in eodem concilio de transmarina expeditione; moxque in Lugdunensi Gallia apud Parisios publici duo conventus facti. Interfuere reges Philippus Francorum cum duobus filiis, quorum Ludovicus Novariæ Regnum in Hispanis possidebat, Carolus junior Valesii comes erat. Eduardus Britannis imperabat. uterque ultro in arma adversus impios barbaros jurejurando se devovit: tum, ceu votis damnati, rubra cruce insigniti per populos incedebant. Verum nobilissimæ expeditionis consilia, & apparatus morte Pontificis, quæ brevi subsequuta est, in irritum cecidêre: & haud ita multo post Philippus Francorum Rex moritur. patri Ludovicus in Regnum successit. Ceterum in Longobardis, audita Henrici morte, ad obruendas Vicecomitis opes Guelphus erigitur. In Placentinis incerti motus primum fuere. Albertus Scotus modo hos, modo illos juvabat; utrisque infidus, & importunus: ægre is ferebat, Galeacium, quem Henricus Placentiæ præfecerat, ex procuratore dominium usurpare: & proinde abeuntem in Ligures Henricum, patria decedens, illum Papiam usque sub officii specie prosequutus fuerat: ratus itaque, morte illius Galeacium urbe, & procuratione exturbari posse, in patrios fines reversus, adjuncto exulum præsidio, oppida, quæ avorum fuerant, adiit: tum hostiliter adversariorum vicos, & agros invadit, prædamque ingentem Arquate egit. opportunus videbatur locus faciendis populationibus, sive sustinere, vel frustrari irruentem hostem voluisset. ita oppido vallum, & fossam circumjacit, illudque valido præsidio, & omni telorum genere munit: tum excursionibus, & populatione cuncta usque sub mœnia urbis evastat. Prætor Placentinis Petrus Delmesa Veronensis genere datus erat. hic trepida civitate metu domestici hostis, Albertum Scotum hostem patriæ adjudicari fecit, cui etiam ceu perduellionis dies dicta fuit. nihilo deterritus Albertus agros, & villas diruere, & incendere, ut cœperat, ferro, & igni omnia vastare. Summovetur interea magistratu Petrus: ita solus Galeacius custodiam, & defensionem urbis habuit; qui Scoto obviam profectus, *expecta*, inquit, *populationem in agris tuis; in oppido vero obsidionem, excidium quoque gentis; nisi quamprimum per vim occupata loca restituas, ab excursionibus desistas; postremo, si quos injuriis lacessis, relinquas.* Conterritus hac denunciatione Albertus; imparem enim se Galeacio cernebat, ab inferendis injuriis tantisper supersedit, dum Matthæo quid filius in se moliretur, significaret. veteris erat amicitiæ memor; recentis vero offensæ oblitus. Matthæus acceptam injuriam dissimulare, opes nuper recuperatas firmare studebat. Albertum tamen per litteras monet, *ut in munitum aliquem locum secedat, ubi à vi, & injuria tutus sit, donec civibus reconcilietur.* Interim filium inexpiabilis odii, & perfidiæ Scoti in se admonet. Prodiderat, ut supra memoravi, Albertus opes, quas fiduciarias Matthæus illi dederat: proinde omnia tentaret, & faceret, ut acerbus, & perpetuus hostis patria, & finibus pelleretur. hac admonitione Galeacius iratum se patri simulat, propterea quod Albertum defendere velit: milites tamen parat, & instruit, & machinas secum ferens propius Arquate progreditur. occursat illi Albertus, manus conserunt, in pugna validior erat Galeacius. ita Albertus retrocedens intra aggerem, & fossam præsidia reduxit: refugientes insequutus Galeacius intra munitiones irrupit, atque ab aggere sagittis, & missilibus telis eos vulnerat, qui pro muro stabant: hærentem mœnibus Galeacium, vicinaque populantem in colloquium Scotus vocat. hunc primum benignè salutat: tum vero quantopere patrem coluerit, quæve beneficia in gentem Vicecomitum contulerit commemorat. ita non parum mirari, quod contra patris voluntatem se armis aggrediatur, & oppugnet: tum gravius increpare, quasi grande nefas sit pro beneficio malum reddere. Ad hæc Galeacius, ita se Placentinis præfectum esse, ut cives concordes, & à domestico hoste servaret: exules præterea se ita demum in civitatem recepturum, si cum popularibus in gratiam redierint; respectu tamen veteris cum patre amicitiæ à populatione se temperaturum: quod si Arquate dediderit, facile & sibi, & popularibus reconciliari posse: sin vero id facere nolit, perstetque in ea sententia, ut cum præsidio illud tenere velit, jurejurando adjecto, nunquam se ab obsidione discessurum promisit. instanti periculo, & minaci denunciatione conterritus Albertus alias conditiones offerre cœpit, ut à libidine potiundi loci Galeacium flagrantem leniret. Verum ubi frustra multa tentata sunt, ita deditionem paciscitur: *ut sibi in patriam accedere, tum explorata popularium voluntate, tuto abeundi potestas foret.* Postulatis Galeacius annuit: quamquam cognoscebat ex præsenti periculo magis quam bona fide illum ad conditiones venire. post conventiones initas Albertus in patriam profectus est. loci Galeacius potitur omnium rerum munitissimi. Ceterum ingresso patriam Scoto, continuo motus in urbe oboriuntur. timebat adversa factio ingenium, & opes Scoti. ita quotidie suspiciosius utrique aut consilia, aut arma adversus alterum tractabant. in tumultu omnia esse; & interim cædes fieri: jamque propius seditionem ventum erat. Tunc Galeacius quieti civium prospiciens, principes factionum patria summovere constituit Albertum Scotum, & Ubertinum Landum: ita utrumque cum primoribus urbis quattuordecim Mediolanum relegat. Albertus cum duobus liberis Matthæum adiit: existimabat illius jussu, & opera, pace cum adversariis composita, domum redire posse: ita à Matthæo sæpius petere, *ut reditum sibi in patriam faceret.* contra Landus, & populares Matthæum rogare, *ne redire Scotum in patriam sineret*; quamvis se victurum domi æquo jure is promitteret, & à vi, & à seditione temperaturum diceret: neque unquam à civili certamine, recepto in urbem Scoto, cives quieturos. ita desperata concordia cum æmulis, Scotus Matthæi fraudem, & simulatam filii in patrem iram agnovit. Jam sex menses Mediolani desederat: gravis illi, & molesta mora erat; quippe egens, & profugus unde vitam duceret vix habebat.

interim

interim contentiosius à Matthæo abeundi veniam sibi dari poscebat. excandescentem blandioribus verbis Matthæus ludificare, nihil injuriarum in mora fieri; quid non ita à filio pacem pepigisset, ut finitis discordiis domum rediret: adhuc in motu, atque tumultu cives esse; neque filium quæ pater imperaret facturum, nisi urbem pacasset: ad inopiam victus levandam pecunias ostentat, faciendoque sumptui necessaria promittit. enimvero ira magis flagrare Scotus, leniri nullis pollicitationibus poterat. Vana spe reditus hominem Matthæus non tam pascebat, quam illudebat, cui velut per consolandi speciem illud identidem objiciebat, se regno olim, & fortunis omnibus pulsum, miseriisque coopertum octo amplius annos à conspectu hominum semotum miserandam vitam degisse: ecquid illi tantopere grave, si sex menses in opulentissima urbe victitet? sibi verba dari Scotus tandem intellexit, atque Matthæum veteris injuriæ haud immemorem se pulchre ulcisci: illum tamen supplex, & lachrymis orare, & obsecrare non desinebat, *ut sui miseresceret, opibusque insuper spoliato contumeliam fieri, quod Landus in patriam remissus foret.* tunc Matthæus veniam discedendi facit. Scotus clam Mediolano digrediens, convocatis amicis, & iis, quos partis suæ studiosos agnoscebat, Placentiam versus ire pergit. Galeacius intercessit quominus in urbem introiret. tunc is palam se circumventum vociferari, & conqueri, quod de cive primario extorris, & egens factus foret. Quidam scribunt, *ab amicis illum exceptum, & rursus illorum auxilio Arquate recepisse:* alii, *Cremam exulatum abiisse.* qui veriora tradant paulo post dicam. Inter hæc Philipponus Languscus ægre ferens Scotum circumventum, Vicecomitemque Placentiæ potiri copias continuo contrahit. accessere ad eum Simoninus, & Paganus Turriani: præterea ii, quibus Matthæi opes invisæ erant. namque exilio Scoti haud parum attritæ Guelphorum opes existimabantur. Quare cum haud exiguæ copiæ essent, ad Placentiam versus pergunt. sperabant in urbem receptum; complures enim ex iis, qui Scoto studebant, domi remanserant. hos ad defectionem à Vicecomite sollicitabant. Per eos forte dies comes Guarnerius de Salimbrun Placentiæ præsidium habebat. hic Galeacium hortatur, *ut adventanti hosti occurrat, ne si mœnibus appropinquaret, iis, qui suspecti proditionis erant, novandis rebus animos faceret.* ita instructa acie portis erumpentes adversariis obviam eunt, & haud ita multo post prœlium committitur. præstabat Galeacius. ibi Philipponus, dum refugientes suos continere conatur, circumventus ab hoste est. agmen alterum ducebat cognatus Ilius de ea familia, quæ de *Sancto Nazario* cognomen habet. Hic ubi undique telis peti Languscum vidit, haud cunctatus in confertissimos hostes incurrit. pugna aliquantisper restituta est. perrumpere tamen ad eos non potuit, qui Languscum circumsteterant. tandem superante Galeacio, & comite acies inimicorum prosternitur. cæsi permulti sunt. Languscus cum cognato vivi capiuntur. Utrumque Galeacius ad patrem misit, *quos Mediolani in vinculis diutius habitos* quidam scribunt. De captivitate itidem Langusci magis in tempore, quam in negotio variare scriptores invenio. Interea procerum paribus suffragiis in Germania summa rerum duobus defertur Ludovico, & Friderico. Hic Austriæ; ille Bavariæ Dux erat. Ludovicus in urbe, quæ Franchifort appellatur; alter in Agripinensi Colonia per Episcopos prima imperii insignia suscepit; & cum per communes amicos componi res non posset; nisi enim unus imperia rerum capessere poterat, & uterque alteri de re maxima cedere pro indignissimo ducebat, acie, & armis decidere causam placuit. ita comparatis copiis, in certamen progressi manus conserunt. Fridericus succubuit, atque in libera custodia servatur. Profligato hostili exercitu, captivoque æmulo, Ludovicus quasi rerum juste po-

A tiretur, extemplo sine permissu Pontificis, Imperatorem se nuncupari voluit, moxque in Italiam ad legitimos imperii titulos descendere constituit. victori aditus patebant. Itali, qui Cæsaribus obnoxii, & amici erant, imperata facturi libenter videbantur. Ceterum Robertus pro ea potestate, quam nuper à Clemente acceperat, juvante etiam factione Guelpha, eos admodum sollicitare non cessabat, qui Cæsarum partes sectabantur: novos item milites adversus Ludovicum comparare. quod ubi Ludovicus rescivit, eam factionem in Italia sibi conciliare, & fovere in primis voluit, quæ antecessoribus obsequens fuerat. ita Matthæum Vicecomitem beneficiis B primum prosequutus est; nam posteaquam vi, & armis Romani Regis appellationem sortitus est, Galeacio procurationem perpetuam Placentiæ, Cremonæ, & Cremæ tradidit. quo facto patrem, & filios sibi mirum in modum devinxit. Ceterum urbes, ex quibus Roberti factio præstabat, ejectis iis, qui diversarum partium habebantur, adversus Vicecomitem conspirant. Princeps conjurationis Franciscus Turrianus erat. venerat hic Papiam, jam inde ubi decessisse Henricum novit post captivitatem Langusci. eo item venere Thomas Neapolitanus Schiraci comes, & Baucius. contracta sunt equitum circiter duo millia; peditum vero decem millia. C Namque voluntarii complures accesserunt ex his populis, qui in fide, & amicitia cum Roberto perseverabant. hi continuo Ticinum trajiciunt. Abiate primum aggrediuntur. sustinuere impetum milites, qui in præsidio oppidi erant; donec à Mediolano auxilia supervenere. accessit & Theodorus Montisferrati Marchio. pugna confestim commissa est. Mediolanensis vincitur. Theodorus ubi inclinatam aciem vidit, fuga sibi consuluit. Salabruga Comes, qui stipendia Vicecomitum merebat, equo dejectus cum filio capitur. Mediolanenses quoque aliquot capti Papiam perducuntur. hac victoria ceu debellatum foret, Franciſchinus cum haud parva manu præ- D dabundus Lignanum usque procurrit. obvius fit illi Vicecomes, finibusque summovit. Schiracius comes die insequenti fugientes persecutus vicos diripit; dulcedine prædæ illecti milites longius progressi, cum vias & aditus ignorarent, facile ab indigenis opprimuntur. mille, & amplius capti fuere. ceteri palantes, quamvis nemo persequeretur, Papiam usque diffugêre. turpis erat fuga; ita Papiensis hos vulnerat, alios occidit, & spoliat. Thomas ipse amissa suorum magna parte, Astam tristis profugit, novoque comparato milite, vicina oppida, in quæ extorres recepti patriam subinde injuriis lacessebant, per vim cepit, exules partim in vinculis tenuit; a- E lios suspendit. Per eos forte dies Ugo Delphinus alpes transgressus trecentos secum equites habebat, quos Astensium pecuniis conduxerat. Papiam is venit: accessit & Ugo Baucius. jam ad duo millia equitum convenerant. Castonus item sacerdotio, & patria ejectus his additur. Mediolanum versus ire pergunt. Opponitur in via Galeacius. non ausi fines Mediolani invadere, ad Placentiam versus eunt, atque propius suburbana perveniunt. omnia præsidio firmata offendunt. ita multis frustra tentatis, Papiam redeunt. inde Delphinus, & Baucius Derthonam proficiscuntur. Ea civitas sub imperio Roberti tunc erat. excitatur tumultus, Bauciumque con- F jurati circumsistunt. sed is sive præsidio defensus; sive quod aditus ad fugam parum diligenter observarentur, periculo elapsus est. Regium procuratorem hoc facto infensissimum timens Derthonensis palam à Roberto deficit. Invenio apud alium scriptorem, *Galeacium properato itinere, & pene vestigiis fugientium instantem cum exercitu Derthonam venisse, atque pro mœnibus explicata acie, Gallicum ducem in certamen provocasse.* Cæterum Barbarus religionem diei objecit, quem inauspicatum ob cædem Joannis Baptistæ vulgus cavet. ita à pugna supersedit. tergiver-

giversantem Galeacius, ne frustra tempus tereret, reliquit. Quod si Galeacius haud cunctatus in persequendo hoste fuit, crediderim post illius discessum Derthonenses adversus Baucium conjurasse. Per ea tempora gens Rivola in adversa factione princeps Bergomo exulabat. hi, collecta manu amicorum, conjunctis etiam iis, qui domo pulsi fuerant, patriam ingressi in Luchinum, qui urbem obtinebat, impetum faciunt: sed is repentina rebellione, & conjuratorum impetu parum perterrefactus cum præsidio haud tenui illis obviam it. manus intra mœnia conserunt, pugnaque acris editur. tandem Guelphi funduntur. plurimi cæsi; alii urbe cædentes fuga sibi consuluere. ita rursus in ditionem Vicecomitis Bergomum redigitur. In quibusdam annalibus invenio *pro Luchino Ludovicum Matthæi patruelem, quem Henricus Bergomensibus præfecerat, à Guelpho circumventum, victoremque profligatis adversariis, urbem recepisse.* Interea Galeacius, juvante Gibellino, Derthona potitur. ægre id Baucius ferre, congregatisque sociorum auxiliaribus copiis, eos populos, qui nuper ad Vicecomitem transiverant, gravibus detrimentis per excursiones afficit. Intolerabilis erat populatio; quippe peregrinus eques prædæ appetens nunc hos, nunc illos adoriebatur. Gentilis miles ulciscendæ injuriæ occasionem nactus, ut erat locorum peritus, dissipatos populares, qui se remotis in locis abdiderant, consectatus aut cecidit, aut cœpit. Interim prædatoria navigia ripis oberrantia Padi accolas quietos esse non sinebant: cædibus & incendiis cuncta fœdata erant. cultores fluvio propinqua castella deseruerant, & cum nullus prædatoribus se opponeret, conjuncta exulum multitudine, in Mediolanensem agrum interim prædabundi irrupere. Ergo Matthæus, ne hostis navigare libere posset, illumque à populatione cohiberet, simulque ad sua tuenda averteret, postremo ne Ligures auxiliarii commeare tuto possent, munimenta fluvio imponere instituit, atque qua Padus, & Iria confluunt arcem exædificat. Ut vero Gibellini promptiores, & intentiores ad faciundum opus essent, simul etiam si quando hostis ingrueret, alacrius defenderent, de factionis nomine Gibellinum castrum appellat: illud hyemantibus aquis fluvius exundans subvertit. quod Matthæus comparata materia reficere continuo cœpit. Incesserat gravior cura Baucium, ne arce in sociorum visceribus excitata, ab fide, & imperio Regis quidam abalienarentur; multum enim de Roberti auctoritate diminutum iri videbat: præterea interclusi erant commeatus, qui opportunitate fluvii tuto pro usu belli comportabantur. itaque Alexandrinorum, Astensium, Papiensium, & Vercellensium auxilia accersit, fluviatiles naves evocat, classemque instruit: tum copias partitus equites, & partem peditatus terra præmittit: fluvio reliqui subvecti. utrinque arcem aggrediuntur. Opifices, & operum ministri, tum etiam milites qui excubabant, primo impetu intra munitiones se recipiunt. Baucius suos ut murum conscenderent hortando, & minis urgebat. contra qui operi, & custodiæ designati erant, ascendentes dejicere: ita utrinque fatigati oppugnando, & defendendo diem absumpsêre. Marcus Vicecomes Derthonæ præsidium validum habebat. Hic audito quod arcem nondum perfectam Baucius oppugnaret, & nisi confestim succurrisset in evidenti periculo suos esse, quas potuit copias coëgit. supervenit pater cum Guarnerio, quem non socium, sed præfectum expeditionis esse voluit: ut videlicet ex opinione Cæsarum bella gerere existimaretur: castra haud longe ab hoste locant, pugnamque statim ineunt. Baucius circumventus erat; nam à tergo qui obsidebantur, ex adversum Matthæus premebat, atque interim acie dimicabat. erupêre obsessi, majoreque nixu in adversarios ruerunt. sustinere impetum vix Baucius poterat. erat cum eo Ugo Delphinus, & Turriani. pertinacius utrique; quippe de summa rerum periclitantes, æquo Marte aliquot horas pugnavere. vetus odium, & recens amissarum opum ira Baucium, & Turrianum stimulabat. Vicecomes ut nuper receptum regnum tueretur, atque defenderet in omne periculum incurrere: non temere alias major cædes facta, aut gravius res Guelpha afflicta fuit. cecidit Zonfredus Pagani Episcopi: Odoardus Muscæ frater capitur. captivi item fuere circiter octoginta viri haud ignobiles suis, parentumque gestis percelebres. Eodem anno à Vicecomite bis acie Guelphus debellatus est. Per idem tempus Ferrariensis ægre ferens, nobilis adolescentis cædem inultam manere, tumultu populari pristinos dominos ad se evocat. conjurati regionem sublicio ponti contiguam adoriuntur. eam Degus præfectus præsidio firmaverat. tunc erumpentes de munitionibus Gotolani oppidanos rejiciunt. jam Estensis subsidio conjuratis venerat; in peregrinos milites invehitur, qui longius à munitionibus progressi instantem hostem cum sustinere non possent, ut à cæde se eriperent, in naviculas ripis hærentes sine respectu salutis se dejiciunt. prægravante pondere multi obruuntur. Degus enecta magna suorum parte, præsidium omne deduxit, atque ad Bononienses profectus est. ita Estensis avorum regnum recepit. Post Regis, & sociorum copias ad Iriam profligatas, Matthæus Papiam aggressus est. Profugerant eo ii fere omnes, qui à clade apud Gibellinum castrum, accepta fuga, servati fuerant, & proinde latrociniis finitimos quietos esse non sinebant. furtim diluculo postridie idus Novembres Ludovicus Vicecomes, & Stephanus cum Mediolanensi præsidio urbem invadunt. occurrit Ricardinus Languscus cum ea multitudine popularium, quæ ad illum in trepidatione concurrerat. committitur intra mœnia prælium. acriter depugnatum est. Languscum captivitas patris; & quod opibus se spoliari cernebat, si patria pulsus fuisset, incendebat. dum fortiter impetum sustinet, occiditur. Occubuere cum illo quindecim illustres viri; quibus cæsis, ceteri perterriti diffugere. duo Guidonis filii, Amoratus, & Guidetus capiuntur. Intra Languscum, & quos supra diximus, clades stetit; neque quicquam detrimenti oppidani, præter cædem, & captivitatem supradictorum accepêre. Potitus loci Matthæus deditionem legitimam, & quæ solemnis fieri solet, postulavit: ut scilicet perpetuo Vicecomiti Papiensis, ceu jure belli, subjectus, & obnoxius foret. tributa etiam imposuit. Erant in vinculis amici quidam Matthæi. hi omnes soluti, & liberati confestim fuere. Scribunt quidam; quod minime credo, *illam equestrem statuam, quam vulgus historiæ, & veritatis expers dicatam Soli nominat, tunc à Mediolanensi dum urbem victor licentius pervadit, humi dejectam, atque confractam fuisse, & subinde fragmenta arrepta in varios usus conflata.* hi velim dicant, quo pacto restituta ea fuerit. Centum, & septuaginta aguntur anni ex quo hæc gesta fuere. Evanuerat jam pridem sculpendi, & fingendi ars, cessarantque opifices; quod si quid affabrè factum, & id genus spectabile signum habemus, id antiqui est operis, & à priscis artificibus elaboratum. Pervetus est imago, quam ex comparatione numismatum, in quibus Antonini Pii imagunculæ leguntur, ejus Cæsaris esse deprehendimus: idem est oris habitus; figura, & lineamenta eadem; militare quoque paludamentum. Invenio in quibusdam annalibus, *Odoarchi Gothorum Regis esse effigiem, quam ex Ravenna Reges Longobardorum ceu spolia devicta gentis Papiam transportarunt.* Quare non ab narratione rerum multum aberit, ut si auctores non habeam, quorum scriptis assentiar, famam, sive magis fabulam, quæ inveterata per populos celebratur, si non falsam coarguere, tamen unde natam putem, ne in totum commentitia res videatur, exponere. Ferunt *duas veteres urbes, Papiam, & Ravennates de potentatu aliquando inter se certas-*

certasse, & Papienses Pado devectos Ravennam aggressos esse: contra verò Ravennates terrestribus copiis Papiam pervenisse. ita expugnata utraque urbe, victor in monumentum scilicet victoriæ aliquid asportavit. Valvæ templi cancellatim auro subærato confectæ Ravennam delatæ: alter Regis equestrem statuam Papiam tulit, & in media urbe collocavit. Narratio profectò magis fatua, quam commentitia fabula. De potentatu duos populos decertasse nusquam legimus. at *Gothorum Reges utrobique regiam sedem habuisse* memoriæ proditum est. quibus debellatis, & ab Italia pulsis, Ravennæ Exarchatus constitutus fuit. Erat Exarchus, ut supra demonstravimus, supremus magistratus, quem Constantinopolitani Cæsares Italiæ ita dabant, ut illi sine provocatione populi parerent. Ab Atheniensibus hujus præfecturæ nomen, quantum colligere possum, profectum est. Scribit Pollux quo tempore ea civitas rerum potiebatur, *summam omnem publici negotii penes Exarchum stetisse.* Obibat in Italia Exarchus ea omnia, quæ regiæ vicis erant; per quæ tempora de imperio Longobardorum Reges & Exarchi dimicavere; & forsan victor Longobardus equestrem statuam in eam urbem, ubi domicilium Reges habebant, transportari voluit. Hæc autem ideo hac in parte commemoro, non ut credi postulem, quando nullus idoneus scriptor ea tradat: sed ut sive fabulæ, sive magis impudentis mendacii origo unde effluxerit aperiam. Ceterum Philippo Maria Vicecomite Mediolani tertio Duce, annos abhinc duos & quinquaginta, claustra illa portarum inaurata Nicolaus Picininus reportavit, quæ templo affixa adhuc visuntur. Ceterum Matthæus urbi devictæ Prætorem filium Luchinum imposuit. hic ad reprimendos eorum animos, & spiritus, qui novandis rebus inhiabant, arcem ædificat, præsidioque munit. Quidam *à Vicecomite Manfredinum Bechariam, & Curtios, tum ceteros ejus factionis extorres domum reductos fuisse* scribit. Simon Turrianus fuga à captivitate, & periculo elapsus est: in ædes minorum fratrum Amoratus, & Guido adhuc impuberes confugiunt: religiosorum auctoritate, & precibus se servari existimabant. Verum Luchinus ab inquisitoribus captos ad patrem cum deprecatoribus dimisit. Superba, & periculosa postulabant: *pueros liberari, bona, & fortunas iis restitui, cum quibus de regno certatum foret, & quorum infestissimum odium in Vicecomites perseverabat.* itaque Matthæus ratus, in novitate regni hostem potius longe summovendum, quam intra fines foveri, & ali oportere, nihil deprecatoribus concessit. Exulaverat aliquot ante annos Sacerdotio pulsus frater Isnardus: hunc in pontificalem sedem Matthæus, recepta Papia, restituit. Duplici victoria recenti urbis adeptione, maxima erat in Longobardis Matthæi auctoritas. ita vicinæ urbes dissidio, & domesticis armis agitatæ in illius potestatem, & fidem se permittebant: partim ut illatas injurias ulciscerentur, damnaque emendarent; alii ut domesticæ scilicet liti, & seditionibus finem facerent. In affectando regno prudens, & mitis, &, quod nulli ante contigerat, popularis Matthæus erat. mores præterea, & ingenia Longobardorum ex longo usu callebat. Alexandrini urbem, ut supra diximus, & sua Roberto dediderant; eos Rex fovebat, & quibuscunque commodis persequebatur, quorum studiis & opera Alexandriam receperat. Adversa factio, insultante æmulo, periclitabatur. quare cum conjugibus, & liberis, & iis, quæ secum ferre poterant, patria cesserunt. Divertêre primum in ea oppida, in quibus factio sua viris, & armis opulentior erat, quorum præsidio inimicorum, & æmulorum agros prædabantur, & cum gentilium auxilia ad recuperandas opes parum valerent, ad Vicecomitem Gibellinus confugit, ut illius ope, & viribus aliquando, devictis adversariis, in patriam reduceretur: ita externis adjuti armis mœnia omnia

A exules vastabant. tædio civilis dissidii, tum magnitudine damnorum Guelphus fessus in gratiam redire cum adversariis constituit. uterque pacata patria frui cupiebat. acie extra mœnia dimicare neuter poterat. infirmæ erant utrique copiæ; neque ille circumvenire muros; neque hic longius propulsare vim valebat. ita conditionibus potiusquam armis res transigenda fuit. Matthæo itaque Vicecomiti, & Marco filio arbitrium, & potestatem faciendæ concordiæ, & publici negotii constituendæ formulæ tam exules, quam qui urbem tenebant, concessere. dimittitur ab urbe regius procurator. Hac in parte defendendus est Alexandrinus, in quem Gulielmus
B Ventura, quem crebro testem in expositione rerum Merula citat, intemperanter, & acerbe invehitur: mutabilitatem gentis, atque fraudem insectatur, quos omnibus vitiis coopertos dictitat; utpote quorum mobilia forent ingenia, & proinde pulchrum videretur perpetuis seditionibus conflictari, datamque fidem prodere. Paulo amplius quinquennium vocatus in concionem populus, interposito jurejurando, se, & sua ita Roberto dediderat, ut nullum posthac dominari in urbe pateretur: *prodita fidei, & defectionis auctores duos potissimum* scribit *Thomam Puteum, & Bonifacium ab Alice:* ingratos profecto homines! utrumque Robertus equestribus or-
C namentis honestaverat. hi publico nomine Baucio nunciarunt, *ut quam primum Alexandria, & finibus cederet.* Hic velim respondeant qui factum Alexandrinorum accusant; cum domi parum tuti domesticis armis essent, evastatique agri forent, debuerintne fidem ad perniciem colere; an potius fortunis suis consulere? Tantum certe abest, ut Alexandrinos proditionis, aut mutabilitatis condemnari existimem, ut in illa Longobardorum flamma ad extinguenda odia, reducendamque inter cives concordiam nihil opportunius agi potuerit. Matthæus rerum arbiter concordiam inter exules, & cives sub abolitione anteactarum injuriarum ita composuit.
D *Quodcumque reipub. curatores, servato judiciorum ordine, statuerunt, id ratum esto. reducti exules contumelias, & damna adversariis condonanto. à sententia Matthæi nulla provocatio esto. Decuriones hoc est publici negotii præfecti sortitò eligantur.* Exulaverunt patria fere quinquennium tres familiæ Lanciavegiæ, Merlani, & Inviciati, tum filii Ruffini, qui Ferruffini dicuntur. hi cum amicis, & iis omnibus, qui illorum partes sequebantur, in patriam recipiuntur. Trium honesta in conventionibus mentio facta fuit Bonifacii ab Alice, Belengii Merlani militis accincti, & Gulielmi Inviciati. sed Belengii in municipalibus decretis adhuc honorifica mentio durat: huic creditas
E scilicet pecunias Marcus Matthæi ad integrum persolvi statuit. Ceterum in compositione discordiæ, ne ex suo arbitrio Matthæus omnia facere existimaretur, nobiles Mediolanenses, & jurisperitos in consilium adhibuit, quorum hæc nomina sunt: Lodrisius Vicecomes, Ottolanus, à Castelletto, Mutius à Moguntia. Facius Bruscus, Matthæus Alciatus, Stephanus Vicomercatus, Francinus Vicecomes, Diomedinus Boscus, Henricus Bernardigius. qua popularitate acceptus, & proinde amplus Matthæus fuit: utpote qui ad proceres urbis cuncta referret. Deinde secus Tanarum ad Trinitatis Decuriones urbis, quos Antianos vocant, venere. accessit & Ros-
F sinus Guastavinus: huic exules paciscendæ concordiæ libera mandata dederant: mox urbem ingressi in æde Divi Joannis à Capitio fœdera solemni stipulatione approbant. In præfatione, post invocatum Dei numen, Virginis Matris, Apostolorum, & Ambrosii adscripta nomina, ad amplitudinem sacerdotii testificandam, Cardinalium mentio adjuncta fuit: quia videlicet ob discordia Patrum studia nullus adhuc Romanæ Ecclesiæ Princeps declaratus erat. Pluribus verbis causam Alexandrinorum ideo egit Merula, ne vel tacens, vel pauca loquutus de

N 3 mori-

moribus, & ingenio gentis cum Ventura in totum consentire existimari possit. In hac autem Alexandrinorum ad Vicecomitem transitione multum de opinione, & opibus Roberti detractum fuit: quippe momenta rerum in hujus gentis statu constabant, tum propter suppetias Genuensi tuto ferendas; tum quia descendente in Italiam Franco, intercedere, & obviam ire opportunè liceret. Post reconciliatam inter Alexandrinos gratiam, adeptumque urbis dominium, Alexandriæ, & Derthonæ Matthæus Marcum Prætorem constituit; ut scilicet is utrobique judicia petentibus redderet. Ceterum, Alexandrini ne otiosi à domesticis incommodis denuo in discordias laberentur, oppidum cui Varisio nomen est, adorti, arcem, suffosso muro, expugnant: custodes capti Alexandriam perducuntur. Alexandrinorum rebellio vicinorum animos ab Rege alienatura videbatur. ita regii procuratores, cum jam sibi socii consultarent, Regis præsidia, quæ cis alpes erant, confestim contrahunt. Descenderat nuperrime in Italiam Riciardus Gambatersa cum sagittariis, quos Astensi pecunia è Narbonensi Gallia conductos habebat. Præfectus his Baucius cum equitibus circiter quingentis Alexandrinorum fines invadit: castella, & vici, partim metu, alia voluntate protinus illi se dedunt: Ovilia quadraginta familiarum vicus, Solerium, Boscum, & Castellatium, Fibinnasque expugnant, funditusque subvertunt. Cesserant Alexandria duæ familiæ Trotti, & Putei: hi Baucio conjuncti injuriis, & gravibus detrimentis eos, qui in patria remanserant, afficiebant. Hac re cognita, Matthæus confestim equites plus mille Alexandriam mittit. Marcus novo præsidio subnixus Boscum, & Castellatium diripit, atque adurit. Capti fuere de Puteorum gente viginti nobiles viri supra centum ex iis, qui illorum arma sequuti fuerant, quos omnes vinctos Mediolanum misit. Post hanc cladem domestici milites, qui Alexandria partim sponte cesserant, partim fugati fuerant, per Octobrem forte mensem latronum more usque ad mœnia urbis cuncta populantur: cives occursant: pro portis pugna acris inita: repulsos cives insequuti exules ad quinquaginta pro mœnibus capiunt. duodecim occidunt, *è quibus* Ventura *quindecim de gente Merlanorum, & Lanciavegiarum annumeratos* tradit. Hac cæde, & captivitate elatus Astensis continuo colles transgressus Casale Sancti Evasii hostiliter invadit. occursant oppidani: hi primo impetu funduntur: plus sexaginta ex eis capti. Astam milites reducti: ibi relicta præda, Moncalerium usque excurrentes pecoris ingentem vim, & captivos aliquot abducunt. Per hæc tempora cum Vicecomiti multa secunda obtigissent, Bacieni Matthæo se permittunt. Servabatur illic Antonius Fissiraga: hunc Matthæo tradidere, qui mox Mediolanum deductus in carcere, & vinculis mortem obiit. Hoc item anno Ubertus Vicecomes germanus Matthæi frater prœlio strenuus, & proinde militaribus ornamentis decoratus moritur, & in æde Divi Eustorgii honorifice sepelitur. Interim Matthæus, cum à civili motu, externoque hoste aliquid otii nactus foret, ad urbis ornamenta convertitur. ædes prætorias foro mercatorio adjecit, in quas duodecim coirent viri urbicis negotiis, & mercaturæ præfecti; pro quorum arbitrio esculentis, & poculentis pretia quotidie statuuntur. de mensura, & ponderibus jus dicunt, fraudes opificum cavent, & castigant, publici commodi provisores appellantur; *agoronomos* Græci vocant, Plautusque nomen usurpat. ita multitudini sellulariæ, & mercenariis, qui in diem victitant, probe consultum fuit; & quia nonnunquam juris disceptatio oritur, civilis scientiæ consultus alienigena huic collegio datus fuit. duplicem item excitavit porticum. In superiore pro tribunali Prætor capitalem noxam exilio, aut capite, & graviore mulcta vindicat: levioris criminis reos loris cædi imperat, aut

A ære mulctat. semestris perseverabat magistratus. Quare eo anno, qui fuit sextus decimus post trecen- 1316 tum & mille à Nativitate Domini ex Prætura Jacobus Cornacianus, & Bonifacius ab Alice, hic Alexandrinus, ille Parmensis jus Mediolani dixere. Post Clementis mortem ferme biennium per interregnum Pontificiæ vices ob contrarias Cardinalium voluntates gerebantur: neque solum in cœnaculo primores Sacerdotum de electione Pontificis contendebant; sed illorum familiares atque ministri, gliscente rixa, decertarunt. consauciabant se invicem, & interim quidam occidebantur. Interea Ludovicus Francorum Rex ad tollenda certamina, simulque ut tan-

B dem aliquando Romani Sacerdotii præfectura, uni traderetur, fratrem Lugdunum mittit: hic moram, & dilationem creandi Pontificis gravissimè principibus Sacerdotum objecit, graviterque corripuit; quasi auctoritas his concessa jam ludibrio gentis foret: ad generale concilium eam potestatem rejici oportere minitans; nihilo tamen secius in diversa studia pertinaces erant. Duplex erat factio: altera Gallicum deposcebat. Itali contra suæ gentis, & sui corporis Pontificem creari volebant. tandem sive moram, & contentiones pertæsi; sive minæ, & liberæ querimoniæ eos deterruerint, ne si de conclavi re infecta abiissent, divisa in factiones Curia, varii Pon-

C tifices summam Christianæ rei obtinerent, Jacobum Cadurcensem Episcopum Romano Sacerdotio præficiunt, cui Joanni vigesimo secundo nomen indiderunt: hic statim inito pontificatu, tria potentiæ, & majestatis pontificiæ amplificandæ gratia, quæ ante Clemens sanxerat, confirmat: *ut designati ad Imperium Principes, priusquam insignia, & nomen imperatorium assumerent, Romano Pontifici sacramento se auctoratos profiterentur, fidesque ab eis in verba Pontificis exigeretur:* alterum *ut si quando, defuncto Imperatore, electio successoris extraheretur, per omne interregni tempus res Italiæ, quæ juris, & ditionis imperatoria forent, nutu Pontificis administrarentur:* tertio Siculos

D extra Cæsarum jus, & ditionem esse voluit; quando Romani Pontifices eam insulam in Regni formam, & appellationem redegissent. Ludovicum quoque Bavariæ Ducem, quem supra diximus, acie æmulo devicto, summam rerum usurpasse, titulo imperatorio privat; ut scilicet, deposita ea potestate, quam armis quæsiverat, in privati modum viveret, neque sine permissu Pontificis Romam peteret. Non solum contumax, sed rebellis Ludovicus hac denunciatione factus fuit. Inter hæc Robertus; quanquam in discrimine sociorum, & eorum in primis, qui in fidem, & ditionem suam se tradiderant, negligentius se gereret, Philippum tamen fratrem,

E qui Tarentinus Princeps nuncupabatur, Florentiam cum equitatu mittit. Major erat hic numerus eo, quem Petrus alter frater secum duxerat. Ugutio post receptam Lucam, pulsisque his, qui novandarum rerum suspecti erant, vicinos, qui exules receperant, armis lacessere cœpit. nullus illi obviam ire, aut populatoribus occurrere audebat. impunè vagari, & omnia diripere. Confluxerant ad eum permulti, partim spe lucri; alii ut acceptas injurias ulciscerentur, damnaque emendarent: ita magnis comparatis copiis, Catinum montem quem Florentinus valido præsidio tenebat, obsidere instituit; atque ut eodem tempore, & una fere opera inimicorum vi-

F cos diriperet, obsessosque urgeret, castra aggere, & vallo munit. Mons erat obsessus, & sine hostili metu egressus miles proximos vicos depopulabatur. Interim è castris procurrens ingentem prædam abducere. Diuturna obsidione; tum etiam oppugnatione, & victus inopia qui montem custodiebant macerabantur. Superveniunt interea nova à Roberto auxilia. duo Regii fratres copiis præfecti erant, quorum virtus, & auctoritas in gerendo bello magna ferebatur. alacritatis, & fiduciæ Florentinus plenus erat. magnitudo copiarum, & strenui Duces animos dabant.

dabant. & jam præsumpta victoria, hostem quodammodo contemnebant. Tradunt quidam, *quattuor equitum millia, & peditum ad quadraginta contracta fuisse.* Ugutionis quoque, & Pisanorum copiæ haud multo impares erant: imperium gerendi belli Philippo; quia major natu erat Petrus, etsi prior in Hetruscos venerat, concessit; ita credo volente fato, ut qui Dux esse debuerat, locorum pariter, & animorum provinciæ gnarus, is fratri bellici negotii prope nescio pareret. Ad nonas itaque sextiles Florentia digressi ad montem contendunt, ut obsidione illum eximerent. in conspectu hostium castra locant. excitatæ erant utrinque turres, & quid in alterius castris Duces agerent uterque ex vallo, & turribus prospiciebant. Ugutio suos intra munitiones continebat; nullo prœlio castra metantes lacessere; satis efficere sibi videbatur, si ancipiti hoste circumventus illos obsideret; hos metu intra munimenta cohiberet. Interim tamen agmine depugnabant. neuter superior abibat; quippe acie confligere, & fortunam belli experiri uterque verebatur. ita levi pugna animos, & vires experiebantur. Interea Ugutioni nunciatur *per longiorem ejus absentiam quosdam novandis rebus Lucæ operam dare, propiusque tumultum ventum esse.* Itaque is timens, ne conjurationis auctores Lucam obtinerent, obsidionem solvere, & Lucam redire; quatenus clam hoste id facere posset, instituit. quod si abeuntem Regii lacesserent, tunc acie pugnare, & congredi totis castris oportere. ita milites noctu vasa colligere jubet, instructaque acie, atque diluculo succensis tabernaculis, iter ingreditur. Qui obsidebantur extemplo vocibus, & signis suis significant hostem fugere. clamor in regiis castris oritur, *multitudine auxiliorum Ugutionem perterrefactum. turpe, & ignominiosum esse duobus Regulis, in tanto sociorum subsidio illum incolumem à calamitate abire.* Ab hoc clamore consurgitur, & agmine facto discedentes lacessere cœperunt. Ugutio militaris negotii expertissimus, ubi paulo effusius in se ruere regias copias conspexit, signa convertit: Senensium, & Collensium auxilia primum aggreditur; forte ea adversus hostem in statione posita stabant. consternati ne primum quidem impetum sustinuere; in castra refugiunt: homines erant pugnæ quodammodo expertes, tractandorum armorum insueti. intra munitiones terga cædendo insequutus irrupit in castra. ad prætorium postquam ventum fuit, ibi robur erat exercitus: concurrerat in trepidatione ad duces major pars militum, pertinacius pugnatum est. obsistebant regii, præsidia locum tueri, instantes fortiter tolerare, conferti imprimentes rejicere. Ugutio contra suos urgere, & si quorum terga viderat, eos pugnam repetere cogebat. cædes ab ira gravior edebatur. Tunc conspicatus Ugutio hostes in globum coactos, totisque castris decertari, neque densos gladiis cominus perfringi posse, Germanos equites procurrere jussit, quorum impetu regia, & socialis multitudo dissipatur; ipse cum reliquis cohortibus subsequitur. dissipati non statim funduntur: sustinebant irruentes quatenus vires patiebantur; ita fortissimus quisque aut prostratus, aut saucius fuit. atrox facta cædes; quod nisi Ugutio quadratum agens agmen repugnantes, & acrius obsistentes fudisset, pugnam profecto regii restituissent. sed tum ab equitatu oppressi; tum ab urgente Ugutione ita dissipantur, ut neque se colligere, neque in aciem coire possent. ab omnibus fuga facta est, solutisque ordinibus passim cæduntur. *Cecidisse in eo conflictu supra duo Florentinorum, & sociorum millia* quidam scribit: alii *septem* tradunt. viri quoque illustres occisi sunt, Petrus Roberti frater, & Carolus Philippi filius. Florentini non pauci nobiles in castris occumbere, quam fuga sibi consulere maluerunt. timebant, ne si in manus inimicorum venissent, ab ira, & studio vindictæ gravissimos cruciatus sustinuissent. Ceterum fugien-

A tibus pestis major, quam si eos hostis adeptus foret, obtigit. Proximæ erant paludes, in quas complures, dum insectantem devitare conantur, se dejicientes undis obruti fuere. Philippus forte ea die febri tentatus prœlio abstinuit. is ubi inclinatam suorum aciem, fratremque, & filium circuitos ab adversariis vidit, in fugam conversus evasit. Ceterum Ugutioni haud incruenta victoria stetit. Franciscum filium, qui antesignanos ducebat, amisit, & cum eo fere universum agmen oppressum est. post malam suorum pugnam qui obsidebantur montem victori protinus dedunt. *Spoliis captivorum locupletatos Pisanos* quidam scribunt. exercitus deinde cum ingenti præ-

B da domum ab Ugutione reducitur. muli, & id genus jumenta, ad commeatus, & cibaria comportanda, quæ vix numerari possent, capta. Pugnatum fuit quarto Calendas Septembres, quem diem religiosum, & proinde inauspicatum vulgus cavet. Fuere qui palam Regem accusarent, quod auxilia idonea non misisset: alii præfectorum culpa acceptam cladem dicere. Ceterum Robertus in tanta suorum cæde segnius, atque remissius se gessit, id quod plerique non existimabant; oppressos enim socios quodammodo destituere visus fuit. afflictæ in Hetruria Guelphorum opes erant. Florentiam ea calamitas mirum in modum consternavit, fractique

C adeo animi omnium fuere, ut, ceu desperata auxilii spe, etiam parum tolerandis conditionibus petendam pacem censerent. Scribit quidam, quod sane à vero non abest, *Ugutioni ad debellandos hostes à Vicecomite auxilia missa fuisse.* Luchinus ducentis Mediolanensibus equitibus præerat, in eoque conflictu egregiam operam is navavit. Pendebant res Hetruriæ à Vicecomite. una, & eadem erat factio, communeque periculum. quare non poterat salvus esse Matthæus si in Hetruscis Gibellina factio oppressa fuisset. insultanti præterea Matthæo, ceu profligatæ res forent, Philipponus Robertum paulo acerbius taxans respondit: *utinam qui adversus Gibellinum*

D *nomen arma moverat, contrariamque factionem defendendam susceperat, is pro viribus, & quantum pericula exigebant, opem ad Hetruriæ Guelphos misisset.* Per eadem tempora duplici Matthæus conjugio opes communiit: duobus filiis uxores Ligusticas nobilibus familiis procreatas dedit. Stephanus filiorum minimus Valentinam de Spinolarum gentem uxorem duxit. Luchino Isabella conjuncta fuit. ea soror Joannis Flisci erat. Castonus item Turrianus perosus bella, exilio, & cædibus suorum fessus Mediolanensi Sacerdotio se abdicat. huic Romanus Pontifex Aquilejensem Pontificatum contulit. ita procul à patria otiosus à gravi, & importuna molestia

E opulento Sacerdotio frui voluit. Per idem tempus Joannes quartus Matthæi filiorum, patris, atque factionis prærogativa, Mediolani Archiepiscopus deligitur. Joannes Pontifex electioni adversatus est. designaverat is Præsidem Aycardum Prædicatoriæ fraternitatis Principem, & recentioris Theologiæ doctissimum. Filii repulsam, ceu rationibus suis importunam, & turpem ægrè Matthæus ferens Aycardum ad Sacerdotium venientem ingressu urbis prohibuit, finibusque summovit. tunc Pontifex indignissimum existimans, eum non recipi Antistitem, quem is sacris delegisset, Vicecomitem execratur, detestaturque. Pontificale hoc est fulmen, quo ple-

F rique omnes Christiani perterrefacti imperata Pontificum, vel inviti faciunt. Enimvero tunc Matthæus magis, atque magis resistere, ne is, quem urbe repulisset, & proinde inimicum gravissimum habiturus esset, sacerdotio fungeretur. Decreverat, ut supra diximus, Joannes Pontifex, ea videlicet confirmans, quæ Clemens ad potentiam Roberti augendam statuerat, ut ditionis, & arbitrii Roberti urbes Italiæ, & populi tantisper forent, dum novus Cæsar crearetur: ita Cæsarum imperium, & ditionem omnem abrogaverat. Quare Matthæus, ne pon-

pontificalibus decretis palam repugnare videretur, A si imperiali nomine res procuraret, Vicarii titulum deposuit, seque populi Capitaneum, ceu libertatis patriæ defensorem dehinc nuncupari voluit. Quod factum Pontifex indignatus; propterea quod videretur Matthæus majestati, & potentiæ Pontificum illudere, ne ceteri exemplum illius sequuti regnum ex procuratione facerent, per litteras publicas iis omnibus mandat, qui jussi Henrici imperia, & jurisdictiones in populos habebant, *nihil de cetero pro opinione, atque nomine Cæsarum gerant, pontificiæque majestati se subjiciant, & pareant; donec verus Cæsar creetur; quando Ludovicus legitimo titulo summam rerum non obtineret.* Matthæus interea amplas domos ædificat, B quas uxores principum deinceps incolerent. Sub hæc tempora quidam scribunt, *à Galeacio, evastato prius omni circum agro, Arquate receptum fuisse; tum castrum sancti Joannis, & alterum à Valle Tari amnis appellatum in deditionem venisse. Albertum vero Scotum ad Matthæum missum*, qui haud ita multo post Cremam velut exulatum cum abiisset, præ ægritudine, & dolore amissarum rerum è vita migravit. Verum cum scriptores non in negotio: sed in tempore, & gestione rei dissentire videam, ego magis iis assentior, qui, *biennio ante Vicecomitem Arquate potitum, & Scotum à Matthæo elusum finibus patriæ cessisse* scribunt. Inter hæc Baucius Castrum montis, & Cuvium obsidet: muros tormentis discutit, & quassat. Frustra Manfredus Saluciensis, & Philippus à Sabaudia, contracto subitario milite, cum opem obsessis ferre tentassent, Ugo loca pactione cepit. Brixiæ item intestina odia, & simultates in summum excreverant. ita, oborto tumultu, Gibellina factio, & sacrorum Antistes domo fugantur. cædes magna facta est, profugorum bona, & fortunæ direptæ. Marchiones item à Rocheta cognominati, Tanari accolæ extorres Astenses susceperant. profugerant item eo haud pauci, quos adversa factio domo, & patria ejecerat. hi coacta manu, vicos, & agros adversariorum infestabant, & prodentibus quibusdam oppidula capiunt; & quamvis ea cultores ad primum impetum deseruissent, prædam tamen, & captivos haud paucos abduxêre.



GEORGII

GEORGII MERVLAE,
ALEXANDRINI,
ANTIQVITATIS VICECOMITVM
LIBER X.

Res in Liguribus gestæ Philippi Valesii, Henrici Austriæ Ducis, atque Raymundi Cardani in Italiam transitus: Pontificis diræ, & Matthæi mors referuntur.

CUM Joannes Pontifex, ad convellendam Germani Cæsaris potentiam, procuratorem Italiæ Robertum constituisset, Ligures, gens discordiosa, pro vetere simultate, & intestino facinore in funesta bella exarserant, dissipatoque incendio non solum Ligurum omne nomen conflagravit; sed universa prope Italia, dum quisque auxilia suæ parti sumministrat, magnas clades accepit. Terra, marique, ad extrema usque pericula, amplius duodecim annos cives continenter inter se decertarunt. In ea gente omnia erant, quibus bellum produci posset. montana loca, & aspera, vicinum mare, copiæ maritimæ, mercaturam præterea exules per suburbana, in patria adversarii exercebant. hinc belli damna haud intoleranda. Denique cum propriæ vires ad se conficiendos deficerent, peregrinos dominos, externaque auxilia utrique accersivere. Pontificis accessit impotens ira, qui alteri factioni undecumque opem petebat: Gallorum Reges, & Germanos proceres in Italiam immisit; diris postremo, & execrationibus perpetuo eos insectatus atque abominatus, qui adversus Robertum arma tulissent, illiusque imperata non facerent. qua diritate plerique mortales, ceu hoc nomine Deum propitiarent, in domesticos fœdam crudelitatem exercuere. Duæ factiones Genuam, & gentem omnem Ligusticam, ut supra diximus, per impia, & nefanda junioris Friderici bella in Italia disseminatæ agitabant, Mascaratæ, & Rampini. hi Guelphi; illi Gibellini deinde appellati: & quamvis Henricus pacem, & concordiam inter eos composuisset, tamen nunquam constans, & sincera fides fuit; namque mortuo Henrico, cum Pisani metu Florentinorum Ugutionem ad se revocassent, vetera renovata sunt odia, auctæ simultates; & quia regnum inter populares uterque affectabant, gravissime inter se sub mœnibus patriæ dimicavere. Spinolæ, & Aurii, assumpta plebe, Mascarata, atque excluso Rampino urbis custodiam & reipub. administrationem capessunt. Decuriones duodecim de gente patricia, & totidem plebeji nominis reipub. negociis præfecti fuere. Vix hic rerum status perennavit; namque plebe impellente, ob æmulationem potentatus inter se utraque familia acerbissime pugnavit. ipsi etiam Spinolæ in duplicem appellationem divisi: namque hi ab Luculo; alii à platea nuncupati sunt. cum Auriis utrique in gratiam redeunt. Verum, ut sunt mobilia Ligurum ingenia, & per ambitionem in discordiam, & pugnam proni animi, denuo in certamen utraque gens venit, ingentique cæde edita, rursus concordes fiunt. Ceterum haud ita multo post Spinolæ, adjuncta plebejorum manu, sub cœnæ tempus Aurios in area pro templo Divi Matthæi invadunt. quod nisi celeriter amici, tum etiam plerique Guelphi nominis opem tulissent, occidione deleti fuissent. ita perniciabili odio, & funesta æmulatione duarum inter se familiarum universa civitas ad arma concitatur. Non desistebant Luculi à studio vindictæ; neque solum cædibus adversarios perdere conati sunt; sed illorum domos subvertunt; pars etiam ædium Prædicatoriæ Fraternitatis destructa fuit. Accessere Auriis subsidia; namque Guelphi fere omnes pro illis arma sumunt. ita affluente multitudine, perterrefactus Spinola patria excedit. Opicinus Buzalam, & Serravalle cum haud parvo præsidio tenebat. Aurii, & Grimaldi cum patriam obtinuissent, Dominicum Aurium, qui loca Genuensis ditionis trans Apenninum custodiebat, ad se revocant, militesque ei tradunt, ut exules à populatione & excursionibus cohiberet. Vexabat adversarios Opicinus, habebatque inter Buzalam, & Castrum novum externos equites, atque etiam peditum ingentem numerum, & quotiens commodum videbat, vicos & castella adversariorum deprædabatur. Jam irruperat ad Arquate usque Dominicus, occurrit illi Opicinus; in valle Iriæ manus conserunt; Dominicus occubuit, & cum eo supra centum tum cæsi, tum capti fuere. Novum deinde militem Aurii, & Grimaldi conducunt, reparatisque viribus Manfredinum à Carreto cum exercitu adversus Opicinum & exules mittunt. sequebantur tumultuarii milites. inter Appennini juga pugna facta est. superabat multitudo tumultuariorum; terga dant exules. dissipatos Carretus persequutus ad centum & ultra pedites in fuga occidit. exules Buzalam ingredi non sunt ausi. desertum à præsidio, & cultoribus vicum Carretus occupat. Ingens vis frumenti erat, & abundans commeatus: omnia direpta; tum vindictæ studio vacuas domos succendunt. ita eadem die Buzala direpta, adusta etiam fuit. postridie vero in divisione prædæ inter Germanos equites, & Ligures acriter pugnatum est. majorem prædæ partem Genuensis tenebat. Germanus ferox, & lucri avidus duas partes sibi dari, aut duplicem mercedem persolvi petebat; propterea quod ab equitatu Germano exules fusi fuissent. contra Genuensis, quod pugna & in direptione cepisset, id sibi vindicabat. ita dum uterque pro præda certat, Germani equites Genuensem invadunt, atque hos interficiunt; alios capiunt. Manfredinus, & Lamba Aurius cum duobus filiis, ceu captivi, Litavium, atque Gavium perducti fuere; nec nisi pacto persoluto stipendio, captivos relaxare Barbarus voluit. ita septem millibus aureorum liberantur. Ceterum Spinola etiam ab externo præsidio vim, & injuriam acceperat. Merebant Buzalæ sub stipendiis Spinolarum ducenti Germani equites. Forte jurgiis primum, tum vero ferro Italus cum Barbaro certavit. ictus in certamine eques Teutonicus occubuit. Irritati ea cæde Germani per vicum discurrentes juvenem Spinolam, quamvis inermem, & tumultus ignarum occidunt. timuere magnopere Germani, ne à cognatis ejus, quem occiderant opprimerentur. Ceterum Spinola, quia sine peregrino præsidio res suas vix tueri poterat, cædem gentilis inultam reliquit. Per idem tempus Pisani adversus Ugutionem conjurant:

erant illius invidiosæ opes; quanquam Florentini populi superbiam compressisset, viresque ita attrivisset, ut inter Hetruscos Princeps Pisanus foret. Jam gravis erat Fassiolani potentia, quem velut tyrannum timentes urbe pellere constituunt. Vastabat tunc Florentinorum fines Ugutio. is ubi intellexit, nobilitatem omnem Pisis ad res novas animum adjecisse, prope Pisas contendit. ibi multa dissimulando, blandiusque alloquendo super novitate rerum suspectos lenire cœpit: ubi autem cognovit, exulceratas esse omnium mentes, animosque ad defectionem ita impulsos, ut ad obsequium redigi nulla via possent, Nerium filium Lucam cum præsidio mittit: ipse Pisis constitit. Jam Lucensium primores cum Pisanis adversus Ugutionem consenserant, ut utriusque urbis dominio momento temporis is exturbaretur. Erat Nerio familiaris consuetudo cum Castrucio adolescente nobili, & divite, quem egregia animi, & corporis indoles ita popularibus conciliabat, ut aliquando in patria principem locum sperare posset. hunc precibus, & multa pollicendo; denique per longam amicitiam obtestando ab conjuratis abstrahere tentat: perseverantem in proposito in custodiam, ceu reum furti conjici jubet; subinde dictitans *de convicto supplicium sumi oportere.* Movit ea res Lucensium animos, hominem innocentem falso insimulatum ceu manifesti furti pœnas daturum. palam plurimi se intercessuros, quominus insons negaretur. Hæc ubi Ugutio rescivit cum equitatus parte, properato itinere, Lucam petiit. occasionem arripiunt Pisani: vix urbe cesserat; portas claudunt, suoque præsidio muniunt. nuncios extemplo Lucam mittunt, qui dicerent, Pisis Ugutionem ejectum, urbemque præsidio custodiri. Hoc nuncio plebes ad arma accurrit, ædes publicas invadit, carcerem effringit, neque solum juvenem supplicio eripit; sed sive occulta fatorum vis; sive indignitas immeriti supplicii id effecerit, solutum vinclis Castrucium multitudo ardens dominum appellat. Nerius tumultuanti populo restitit: sed cum ægre sustinere vim posset portas ad patris usque adventum obtinere conatur. Premebat multitudo. Quare inter conjuratos vix elapsus, qua Pisas itur, haud longe ab Luca patrem obvium habuit, eodemque in loco duorum populorum insperatam, & repentinam rebellionem intelligunt. ita vir in militari negotio egregius vix triennium duarum urbium potitus fuit. *pejus autem sibi quam Ugutioni qui in illum conspiravere consuluisse* traditum est. Ugutio Lucam prætergressus ad Malaspinæ proceres pervenit. inde per Apenninum fauces, & anfractus ad paterna oppida revertitur, ibique consenuit. ita præter spem, & omnium opinionem Castrucius capitis reus per tumultum Lucam obtinuit. Exulante Spinola, peregrini quidam, & inquilini ad gubernacula publica admittuntur. tunc Flisci, Grimaldi, & Aurii ita fœdus, & amicitiam inter se fecere, *ut publica negotia illorum nutu, & imperio administrarentur.* Spinola ex confœderatione trium gentium reditus præcisam sibi omnem spem ratus, ut & ipse in societatem fœderis reciperetur sub abolitione injuriarum petiit; ut scilicet civitas ante divisa sanari, & in unum coire tandem posset. Conradus Auria fortiter contradixit: domestici tumultus, intestinique belli, Spinola admisso, nunquam finem futurum; neque cives pacatos vivere, aut quietem, & otium ab conjuratione civili sperari. Ceterum Spinolæ, clam Aurio, cum Grimaldo, & Flisco inito fœdere, in patriam redeunt. Timuere tunc Aurii; nihil enim Spinolæ fidere, atque se patria cessuros palam prædicare. præterea in area, quæ illius familiæ nomen habet, congregati de fuga consultabant. convenêre eo statim Grimaldi, & ceteri factionis Guelphæ principes; hortantur, *bono sint animo, neque solliciti vicem suam sint, quod Spinola reductus domum sit; quando publico bono, & quietis gratia id factum fuerit, ne semper exu-*

A *les, & bella civilia habeant:* prudens, & salutare consilium; sed Aurii veteris simultatis ardore, civilique odio dominante, nihil bene monenti obtemperantes, cum iis fere omnibus, qui studiosi partis erant, urbem relinquunt. Discedente Aurio, Guelphi arma arripiunt, populoque in concionem vocato, Carolum Fliscum, & Gasparem Grimaldum præsides in multos annos creant. hos Capitaneos vocavere. extimuere magis, atque magis Spinolæ, ne domi ab æmulis, & qui regnum affectabant circumvenirentur. Quare primores ejus familiæ cum uxoribus, liberis, & omnibus iis, quæ secum ferre poterant, patria confestim abeunt: paucisque post die-
B bus cetera omnis familia in spontaneum exilium cessit: ita Genua in potestatem Guelphi nominis venit, atque continuo utriusque littoris accolæ; tum etiam trans Apenninum si quid Genuensis ditionis erat, duobus Capitaneis subjectum fuit. Deinde ab Genua Rebella Grimaldus cum non parva militum manu Savonam, atque Albingaunum profectus est; in utroque populo, omnique maritima ora accuratius disquirat qui Guelphæ, quive Gibellinæ parti se addictos profiterentur. hanc disquisitionem multi Gibellini nominis ægre ferentes Præsidi palam contradicunt. ex eo factionum nomina late disseminantur in ea gente. Rebella Gibellinos Albingauno ejicit.
C Episcopus Petræ erat Reinaldi Spinolæ filius. hic ejectos Gibellinos excipit. Tum Reinaldus, & Conradus Auria, adjunctis compluribus suæ factionis, accedente Carretorum subsidio Albingaunum obsidere cœpit. Concurrêre illico Gibellini nominis vicini, atque octo post dies quam Rebella Albingaunum obtinuerat, exules domum reducti sunt. Rebella Genuam revertitur. nondum inter Spinolas, & Aurios quamvis uterque profugus patria esset, satis solida gratia intervenerat. Interim Savonenses ad arma prosiliunt, Prætorem, & præsidii præfectum capiunt, urbemque Odoarcho Auriæ, & Spinolæ Andalo tradunt. Gibellini extorres in patriam
D reducti: arces stabant tres valido Guelphorum præsidio munitæ; eas expugnant, regiones urbis mari contiguas muro muniunt, & propugnacula exstruunt. ita deinceps in eam civitatem Genua exules tuto se receperunt, atque ex eo Spinolæ & Aurii in perpetua conspiratione adversus vim, & opes Guelphorum mansêre. Patriam, ut supra diximus, Flisci, & Grimaldi obtinebant: opulentior erat factio, quam quæ domesticis armis vinci, & debellari posset. Ad externa itaque auxilia exules confugiunt. fœdus, & amicitiam primum cum Matthæo Vicecomite, & ea societate, quæ Gibellinam factionem tuebatur, ineunt, ut adversarios Regno & patria
E exturbarent. Matthæus eo anno per vim ad deditionem Cremonenses compulerat, jamque magnum nomen, magnasque opes sibi comparaverat. Dominabatur Mediolano, Bergomo, Laudæ, Placentiæ, Novariæ, Vercellis, Aquis, Alexandriæ, Derthonæ, & Papiæ. Præterea in societatem, & amicitiam ejus venerat Joannes Quiricus, cui cognomen de Sancto Vitali, & Orlandus Rubeus. hi Vicecomite auxilia subministrante, pulso Giberto Corrigia, res Parmensium sub imperio habebant: accesserat item in fœdus, & societatem Canis Scaliger. Scaligeri in eis regionibus opibus & potentia pollebant. Simon Turrianus, post pulsum Sacer-
F dotio, & patria Episcopum Brixianis imperabat. congregati undique ad Matthæum Gibellini de reducendis Genuam exulibus consultarunt, auxiliaque communiter constituunt. expeditioni Marcus Vicecomes Matthæi filius præficitur. Nullus erat tantæ rei magis idoneus: tum ob patris auctoritatem; tum quia duabus urbibus, quæ Apennino proximæ sunt, præerat, perpetuaque bella adversus Regios procuratores gessisset; nam Matthæus in Liguribus, qui cis Apenninum incolunt, præsidiarios equites & pedites habebat, quibus Marcum filium præfecerat, ut

ut eos, qui ditioni, & fidei suæ se permiserant, à vi, & injuriis adversæ factionis defenderet. Hic hostem populationibus, & excursione cuncta vastantem sæpe prœlio devicerat, & interim præda onustum spoliaverat. Stephanus item frater Baucium, & Gambatersam à populatione represserat, ita summa gerendi belli adversus Ligusticos Guelphos Marco communi omnium consensu demandatur. Sub idem fere tempus Ugo Baucius Cavalerium Cuneo exulantem, qui suburbana Montisvici populatus insidias pluribus in locis illi paraverat, à speculatoribus interceptum decollari fecit. supplicium item sumpsit de Simone Laurentii: namque is tortus cum Matthæo, & exulibus de nece illi inferenda conjurasse fassus est. Ceterum castella in tumulis fecerant Astenses, montesque præsidio munierant, ut incursus adversariorum arcerent. ad ea demolienda cum exules accurrissent, permulti saxis, quæ locus subministrabat, interficiunt. Per Septembrem mensem hyemantibus aquis, Tanarus, & proximi torrentes adeo inundarunt, ut non agros tantum diluerint; sed propinquos vicos, & ædificia subverterint: quo diluvio viri, fœminæ, & pueri passim obruti fuere. Marcus interea, adjunctis exulibus, per Decembrem mensem noctu Astam usque progressus est: sperabat, populares factionis portam, quæ à Petro nomen habet, adventanti prodituros, atque ita urbe potiri. agebat præter exulum manum equites quingentos, & pedites plus mille. irritum fuit inceptum: jam ver appetebat. ad Marcum Derthonæ agentem sociorum copiæ, ut constitutum fuerat, venêre. Gavium exercitus ingens coivit. jugum Apennini inde transgressi in vallem, quam Porcifera fluvius interlabitur, vallique nomen dat, descendunt; ut autem Genuam à terra corona obsiderent, copias dividere placuit: ita pars in vallem, quæ à confluentia duorum amnium Bisamnis dicitur, mittitur. Forte agebatur dies festus, quo divinitus salutata, Virgo Deum, & hominem concepit: Marcus Virgini apprimè devotus fanum augustum, & maxime religiosum, ad quod in nostra usque tempora permulti, ut pro beneficio vota solvant, accedunt, religiosè ingressus est. data rei divinæ opera, ex collatitia stipe ornamenta templo dedit. tum universus exercitus, sublatis vocibus, præsens Mariæ nomen adversus hostem invocavit. Appropinquante Marco, Guelphi primum urbem muro muniunt, opere, & munitionibus suburbana ad turrim usque Phari complexi. turrim exules duos fere menses constanti oppugnatione subvertere conati sunt. ingentia saxa machinis injicientes tecta, & partim muri perfregerant. custodes obsidione, & fame macerati vix durare. ita nunc speculatione ignis; nunc magnis vocibus subsidia, aut cibaria afferri deposcebant. bis Guelphi, acie instructa, per suburbana propius turrim veniunt. occursant Gibellini, majorique vi impetum sustinent, quam adversarii imprimerent. ita frustra multa conati, compluribusque occisis, nihil quicquam alimenti præbere obsessis valuerunt. Verum quotiens rerum summa in periculo posita est, domesticaque odia urgent, paulo solertiores sumus: quando à terra nulla via ferendæ opis, aut levandæ famis pateret, à mari succurrere constituunt. Rem haud magni sane operis excogitavere; namque in promontorium, quod caput Phari vocant, quidam noctu exponuntur; excubitores enim negligentius aditus observabant, vel obdormitabant; funem crassiorem conclusis porrigunt, quo ad pr. altam fenestram religato, alterum caput tenentes ad navim longam redeunt: funi vas ligneum inseritur, quod suspensum sursum trahi, & ad navim retrahi facile posset. in vase inclusus homo cum iis, quæ victui necessaria erant, à navi ad obsessos commeabat; atque ne vis maris, & ventorum ictus triremen obruerent, aut longius submoverent, navim onerariam, dejectis anchoris, adjiciunt. hoc modo, invito hoste, alimenta comportabantur. Ceterum Marcus ubi fame pervincere conclusos non potest; turrim ab imo, effosso inter duas rupes specu, suffodere instituit. ad turris fundamenta subter viam publicam fossores cum penetrassent, tigna supponunt; ut qua vellent ea procumberet. jam turris ruinæ proxima nutabat: custodes imminentem mortem agnoscebant: ad præfectos urbis per vas hominem demittunt. sævum forte fluctibus, etiam ventis agitabatur mare. jam medium transierat diei, dum descensum is molitur; & cum transmitti non posset, in turrim remeat: deditionem mox custodes ita paciscuntur, *ut sine fraude abirent*. sic Marcus turrim obtinuit. Ceterum atrocissime in custodes sævitum fuit. vix urbem ingressi Præfectis excruciandi traduntur. Una, & constans erat omnium vox *moriantur, moriantur, qui rempub. tradiderunt*. in tormentis multa mentiti, ceu proditionis convicti; septem enim erant, in machinam ligneam impositi duobus in locis ex muro ante oculos exulum jactati fuere. post crudele, & miserandum supplicium Guelphi templum sub nomine Divæ Mariæ de Petra minuta præsidio firmant. at Marcus Vicecomes Gibellinorum cohorte, & proprio milite subvectus suburbana Prædis per vim capit; tum ad alterum suburbanum populandum, quod Sanctæ Agnetis nomen habet, se convertit. qui in præsidio erant multitudine ingruentium perterrefacti, servata vita, suburbanum hosti tradidêre. præda ingens inventa est; nam præter arma, salem, & merces, domestica ornamenta, pretiosam etiam supellectilem eo in loco servabant, imminente muris Gibellino, Guelphi contigua mœnibus ædificia ab Fidei templo ad Castelletum usque primum succendunt, deinde ad solum diruunt; una duntaxat pro hostio templi domus intacta fuit, ut à missili tormento, atque sagittis urbanum vicum defenderet. Sublimem præterea pontem inædificant, per quem ab urbis porta ad domum tuto transire liceret: pari opere, & munitione altera domus ex adversum portæ Vaccarum firmatur: nihilo tamen secius exules urgebant munimenta, & opera circumducentes, ne ab urbe exitus, neve aditus foris ad auxilia intromittenda esset. nulla relicta spes obsessis erat; mœnia vix tueri ab adversariis poterant. In deditione nihil tutum cognoscebant; etiam si quas hostis tulisset conditiones accepissent. Ad peregrinam igitur opem confugiunt. Robertus Rex ea tempestate multum mari, plurimum terra pollebat: Narbonensi Galliæ, Calabris, Appulis imperabat; Subalpinas etiam gentes, quæ Pedemontanæ dicuntur, sui imperii, & ditionis fecerat; quippe opulentissimus, cui ampla, & certissima vectigalia penderentur, pace magnificus, & bello præclarus. Præsenti itaque subsidio eos juvare, & defendere facile poterat, quicumque in illius fidem, & potestatem venissent. ad hunc oratores mittuntur, qui auxilia peterent, deditionemque subinde pollicerentur. Rex, nullo fœdere facto, statim mille, & ducentos equites ab Neapoli dimittit, qui Genuam devecti obsessos sublevant, atque nutantes ita firmant, ut bene sperare inciperent. Contra vero Gibellini veriti, ne adversarii regio equitatu subnixi in stationes obsidentium, eruptione facta, invaderent, relicto Bisamne, in suburbanum Prædis, & montem Bernardi, atque Peraldi stativa transferunt. Inter hæc Robertus quinque, & viginti triremes agens advenit. Erant cum Rege uxor, & duo fratres: honestus præterea procerum ordo prosequebatur. ex adversum portus classis constitit. exceptus magnifice Robertus in æde Prædicatoriæ Religionis diversatur. Paucos post dies Prætor urbis, & Præfecti duo Carolus, & Gaspar, convocato in concionem pro templo divi Laurentii populo, jurisdictioni, & potestati, quam pro auctoritate magistratus gerebant, renunciant. deliguntur subinde publici mandati domini, quos sindicos appellant. Consentientibus ad unum civibus, deditio

ditio urbis Joanni Pontifici cum hoc facta fuit, ut urbici negocii omnis procuratio penes Robertum esset. æquius visum fuit disceptante potenti, & peregrino Rege causas cognosci, & lites decidi, quam ab domesticis judicia reddi: tum etiam minus invidiosum, atque salubrius rempub. ab externo administrari, quam præfecturam urbis civibus, etiam per annuas vices, committi. Decem anni præscripti fuere, ne perpetua forent imperia: quod si ante exactum decennium, aut Pontifex, aut Rex de vita decederet, qui superstes alteri foret, is in demortui vices obiret: duo videbantur in Regno constituti: re autem ipsa omne publici negotii jus, & arbitrium unius Roberti erat. *Post Regis adventum à Florentino, & reliquis, qui in fide regiæ societatis manebant, super mille, & centum equites advenisse* comperio. Gibellinos defendebant, & tuebantur imprimis Matthæus Vicecomes, Canis Scaliger, Pisani, & Veneti. ambiguus erat Lucensis. Ceterum Robertus, suscepta urbis administratione, atque custodia, cum auxiliares copiæ accessissent, communicato cum primoribus factionis consilio, exules aggredi statuit, atque triduo post nonas Sextiles ad quattuor millia peditum diluculo in montem Bernardi mittit. Sensêre fremitum qui proxime montem excubabant, suosque ex composito per signa admonent, hostem advenisse. confluunt illico cum ingenti præsidio Gibellinorum Duces: pugna committitur: sagittis, lanceis, atque missilibus res geritur; locus item lapides pro telis suggerebat. Sustinere impetum regii non potuêre; ita terga dant; quos cædendo usque ad urbis portas exules prosequuti ceciderunt ex iis triginta equites, & pedites trecentos. Ligures haud multi occubuere: nam exules in victoria popularibus parcentes in externos plurimum desæviêre. repulsis intra mœnia adversariis, domum extra portam Agnetis munitionibus, & præsidio firmatam subvertere parant: propinquam foveam, in quam aqua defluebat, primum altius effodiunt; tum fundamenta concutiunt, atque perfringunt: robustos stipites, & tigna supponunt, ut procidens domus adversarios obrueret. Sensêre Guelphi ex urbe, terram effodi: supposita ligna, & arietibus fundamenta discussa ignorabant: cuniculum & ipsi occultum agere instituunt. tunc exules, ut illos in insidias, & exitium traherent, pugnam cientes propius mœnia prodire, & asperioribus verbis lacessere, quod mœnibus ceu ignavi atque imbelles se continerent. Rex indignum ratus, Vicecomitem ferocius insultare, coacto agmine, ad Agnetis portam accurrit: fossores etiam circiter sexaginta adduxit. ædem equites, dimissis equis, supra quinquaginta ascenderant speculaturi, quid adversarii molirentur. Emittitur interim ab machina lapis, cujus ictu exterriti; tum etiam missilium copia saucii quidam ad ima descendunt. jam domus replebatur quod conspicati exules alterum lapidem emittunt, lignaque supposita subtrahunt: tunc lapsa domus corruit, qua ruina mortales amplius trecenti obruti fuere. induciæ mox ad eruenda cadavera factæ. Post hanc cædem ad templum sancti Bernardi eruptione Guelphi pugnavêre; & quanquam multi utrinque caderent, superiores fere à certamine exules recedebant. Interea Robertus à fœdere, & amicitia Vicecomitis Canem Scaligerum, magna pollicendo, ad se avertere tentat: dominium ejus terræ, quæ inter Padum, & Alpes posita est, illi promittit. Internuncius erat Franciscus Turrianus. hic, quia ex usu suo erat Matthæum à sociis destitui, illud opulentum Aquilejæ Sacerdotium, quod instar Regni erat, uni Scaligerorum spondet; aliquot enim annos illius Sacerdotii perpetua administratio penes Turrianos fuerat. oblatas conditiones Canis abnuit. Ubi Matthæus sollicitari ad defectionem socium, & amicum rescivit, extemplo Gibellinæ factionis proceres in concilium vocat. coivere Soncinum omnes. ibi Mat-

A thæus quanta Roberti ira, quantum odii in universum Gibellinum nomen foret, refert: novas amicitias, novosque socios illum quærere, ut Ligure subacto, & edomito, mox reliquos debellaret. posthæc privatim quemque sui periculi admonet: *quod si incolumes esse volunt, Duce opus esse, quem inimico, & armato Regi opponant.* Comprobavere qui in concilio erant Matthæi sententiam, consensuque omnium Scaliger Gibellinæ militiæ Magister, & Præfectus creatur. tum pecuniæ ad conducendos milites in medium haud gravatim expositæ: mille præterea aurei menstrui pro victu, & cultu illi decernuntur. ita Gibellinorum res in præsens satis firmæ adversus Re-
B gis insidias, & arma existimabantur. Ceterum Robertus cum societatis & fœderis cum Cane spes frustrata eum esset, exules quibuscunque conditionibus reconciliare cum adversariis tentat. reditum in patriam, fortunas, & bona restitui, & quem voluerint locum apud se pollicetur: ad quæ omnia futura, perpetuoque mansura se fidei, & fœderum sponsorem exhibet. Regi infensissimo præ studio levandæ obsidionis, liberandorumque sociorum fallaci nihil fidentes oblatas conditiones omnino respuêre. tunc Robertus invisus Transpadano, & Liguri infidus, Marco portis imminenti Mediolanum se invasurum minatur; nisi quam primum obsidionem sol-
C verit: quem Marcus ita repercussit: *quid me his verbis territas? tune Insubres aggredieris, & vastabis cum Genuam liberaveris?* Interea sociæ civitates tum pro studio partium; quia multum ab auctoritate, & potentia Roberti, & Guelphi nominis diminutum iri videbant; nisi Vicecomitem à finibus Ligurum summovissent, copias novas summittunt. Convenêre ad quattuordecim peditum, equitum fere duo millia. tunc adversarios & à mari, & à terra aggredi Robertus constituit. Simon Turrianus Genuæ forte erat: hunc cum parte copiarum navibus ad Segestum oppidum transmisit. Locus adoriendis hostibus opportunus unus erat; nam vicini littoris fauces, &
D saltus fere Gibellinus ita muniverat, ut nullus ad invadendum aditus daretur. Rex indigenam Guelphum cum ingenti equitum, & peditum multitudine agens ad Bernardi ædem, & Peraldi montem progreditur. Descenderat post meridiem in littus arenosum Simon. occurrit ei Marcus cum equitibus fere trecentis, quorum impetum cum Simon ægrè sustineret in naves rediit, resumptoque milite in hostem iterum invehitur. prœlium committitur, atque urgente equitatu, rursus in naves Guelphi refugiunt. ancipiti marte depugnabant utrique. Interea emissa de navibus ingens sagittariorum turba pugnam invadit, & cum haud pauci sauciarentur,
E de arena cedere Gibellini coacti præsidio, & subitario opere regionem vici muniunt, quam Castellionum vocant. tum descendens Guelphorum equitatus, sublato clamore, in hostem invectus claustra continenti impetu transcendit. in fugam Gibellinus vertitur: cædes ingens facta est: plurimi gladio cominus repugnantes; alii in fuga occisi. fugientes Guelphus Cornilianum usque persequitur; finem persequendi superveniens nox fecit. Ceterum Marcus veritus, ne hac clade accepta quidam à se deficerent, cedere de suburbanis constituit; nondum enim duarum familiarum sanati ab injuriis animi, & vetere simultate videbantur. Conradus Spinola Re-
F gii exercitus ductor suspectos gentiles faciebat. ita noctu neque conclamatis, neque colligatis vasis abiit Marcus. sequuti sunt abeuntem exules cum uxoribus, & liberis, & omni familia. *Nonis Februariis in littore, & suburbanis pugnatum fuisse* traditur. per quod tempus nivibus, & glacie circumtectus Apenninus erat. Quare multi mortales tum metu consectantis hostis; tum sæviente hyeme periêre: præsertim pueri, & fœminæ miserandum in modum absumpti sunt. Buzalam plurimi petivêre; inde, ne ab adversariis opprimerentur, Litavium, & Gavium, quæ

quæ duo oppida fidi, & fortes amici incolebant, se recipiunt. In stativis, & suburbanis arma, & pretiosa multa inventa; namque exules septem menses, quo tempore adversarios obsederant, à navigatione, commutandisque mercibus nunquam destitêre. Victor Guelphus, ingenti præda potitus, ab odio, studioque vindictæ ædificia omnia Buzalam usque succendit, protinusque lætus cum exercitu præda onusto domum revertitur. Genuæ pro rebus prospere gestis omnia lætitiæ plena, & gratulatione erant. supplicationes indictæ. Rex, & uxor cum primoribus factionis Deûm templa piè, & reverenter salutarunt. procedebant Religiosorum chori psallentium, & grates Deo agentium. cineres Baptistæ Joannis, & siquid reliqui Divorum in urbe colitur, id omne ex ordine pompæ circumlatum per urbis regiones, & fana fuit. Summoto ex obsidione Marco, Aurius, & Spinola, omni penitus simultate deposita, concordes fiunt. Trepidabat & in Longobardis, & Liguribus Gibellina factio. *in supremum discrimen res venisse: Regem ab victoria insolentem, & elatum trans Apenninum copias ingentes missurum, atque in patente campo acie cum Vicecomite dimicaturum. Si Marcum superasset, aut illum in custodiam ex vinculis Genuam mitteret, aut Padum transgressus omnia Mediolanum usque populaturum; nullasque esse copias, quæ illi resistere possent: populos Circumpadanos, ceu profligatum bellum foret, respectu pristini imperii ad Robertum defecturos. ita Matthæum, & socios in suis defendendis occupatos, nequaquam de sublevando, aut restituendo in patriam exule vires, aut animum habere.* Dum his sermonibus talia jactantur, Legati, externæ opis gratia implorandæ in Siculos, & Constantinopolim mittuntur. Perstabat in animo Friderici ira, & ulciscendi Roberti cupido: quamvis dum bella componuntur sororem illi in matrimonium tradidisset. societatem, & amicitiam cum Andronico patre iniri in primis curabat Theodorus, qui nuper ex testamento avunculi Montem Ferratum obtinuerat. ita duo Reges Fridericus, & Andronicus haud inviti in societatem gerendi belli adversus Robertum veniunt. Præterea Joannes Henrici filius, idemque Boemorum Rex: tum quicumque in Italia Henricum sequuti fuerant. hi omnes Matthæum, & extorrem Ligurem fovebant. *Petitam à Venetis pecuniam communiter ab Andronici, & Matthæi, & oratoribus* invenio: siquidem in actis Senatus adhuc responsum manet, quod Patres Veneti dedere religioso viro Cistertiensium religionem professo, quem Matthæus cum Paleologi oratoribus Venetias miserat; *Venetos ob antiquam, & magnam cum Matthæo amicitiam illi morem gesturos, in iis præcipue, quæ ad Regnum tuendum pertinerent. Ceterum, pecunia si qua publicitus servaretur, eam ita obstrictam esse, ut nisi sæpius in curiam vocatis Patribus, rogatisque sententiis erogari extra usus publicos non posset: neque pati ærarium in præsens aut largitionem, aut pensionem aliquam pecuniæ: & si vectigalia, & portoria urbis magna forent: tamen quia Turcæ, trajecto Hellesponto, oram Thraciæ, & Græciæ continuis excursionibus atque populationibus vastarent: affatim militibus, & classiariis stipendia ad eam tuendam persolvi oportere. quare ignoscant Matthæus, & Imperator si pecuniam denegamus.* Honorifice in eo Senatus decreto Veneti de Mattheo loquuntur; quippe significantes aliquid beneficii intercessisse. Quid enim tantum honoris illi deferrent, aut ambitiosa excusatione uterentur; nisi eos Vicecomes singulari beneficio promeritus foret? Ut supra memoravi, sub annos Domini ducentos nonaginta sex Venetus, & Genuensis navalibus præliis pene ad occidionem decertarant: componendæ inter eos pacis Bonifacio Pontifici, & Philippo Francorum Regi arbitrium primum permittitur. sed flagrantibus ira animis, frustra à Pontifice, & à Rege de pace actum fuit. Matthæus mox inter eos disceptator assumitur, qui, ut erat utriusque animorum prudens, extemplo haud iniquis conditionibus finem armis imposuit. ita deinceps Ligur, & Venetus prudentiam Matthæi maxime admiratus illum præcipuo in honore habuit. Levata obsidione Genuâ, Marcoque trans Apenninum summoto, res Guelpha in Liguribus satis à vi tuta existimabatur. Ergo dum exules auxilia implorant, novasque faciunt societates, Robertus in Gallias proficisci constituit: triremes septem parantur, tum onerariæ aliquot naves ad commeatus devehendos; sive præsidia adversus hostilem classem comportari oportuisset. Tertio calendas Majas ab Ligustico littore solvit Avenionem petiturus, relicto custode urbis, & defensore factionis cum ingenti equitatu, & peditatu Riciardo Gambateisa, quem supra transcendisse Alpes narravimus. Scribit quidam, *classem multarum navium à Roberto, post Marcum, & exules fugatos, imposita multitudine mercenariorum militum de portu Genuensi ad obsidendam Savonam emissam*, atque inter navigandum oppidulum quoddam exules, qui Savonæ erat accurrentes continuo recipiunt. ita classis nulla re edita, & sine effectu Genuam reversa est. Gibellini vero, navigante in Gallias Roberto, Savonæ triremes sex parant, & instruunt. Conveniunt eo littoris accolæ factioni addicti. diluculo solventes Genuæ portum invadunt. Stabat forte in anchoris oneraria navis mercibus plena, in Britannos, & ad Rheni hostia navigatura: eam intercipiunt, & ad Ilicis castrum in orientale littus deducunt. Interea Marcus eorum fines populatur, qui cis Alpes ditionis, & imperii Roberti erant. noctu Astenses aggressus est. In fossam urbis jam quidam sub ortu solis descenderant, valloque refracto, urbem ingrediebantur. accurrere oppidani, mœniaque ascendentes dejiciunt. Erant cum Marco exules, cum quibus conjuraverant cives quidam, Marcumque vocaverant, ut illius præsidio domo pulsi in patriam reducerentur. detectis insidiis, atque dolis, Marcus in Alexandrinos revertens Gamalerium (hoc oppido nomen est) per vim cepit. jam ad Matthæum Veronensium auxilia venerant, ceterique Gibellini proceres, pro facultate, & opibus, milites miserant. justus erat exercitus, reparatæque vires. Marcus Dux eligitur, & haud cunctanter superato Apennino in Porciferæ vallem descendit. Obarmaverant Savonæ, & in propinquo littore extorres duodeviginti triremes, quibus Conradum Aurium præfecerant. Tertio nonas Sextiles solventes ex adversum portus in anchoris constitêre. adversarii naves instructas etiam, & ornatas habebant. eadem utriusque classis signa; ex muris quoque eadem vexilla cum imagine Divi Georgii ostendebantur. tunc ancipiti hoste ab terra Vicecomite, à mari ab exulibus Genua premebatur: &, quod atrocissimum erat, miseri cives inexpiabili odio agitati, de vita potius quam de principatu, & statu rerum dimicabant. Suburbana ad promontorium usque Phari pertinentia Marcus cum peregrino auxilio, & manu exulum obtinuerat. Guelphi turrim, quam disjectam diximus, opere, & munitione temporaria reparaverant, ut in eam recepti ingruenti adversario resistere valerent. ita munitionibus ad repentinos incursus uterque defensus, alterum telis lacessebat. Inter hæc classem in littore urbano Guelphus instruit, cui Gaspar Grimaldus præficitur. hic statim sublatis signis, ad extremam molis partem, ubi statio ab Euro, & Austro tuta habetur progreditur. onerariæ fere erant triremes, quas catenis ita obligaverant, ut connexæ adversariorum incursus sustinerent. oneraria præterea dejicitur navis ingentis magnitudinis, quam sagittariis, & navali turba oppleverant. tali modo parata classe, appropinquantes hostes postridie adoriri statuerant. Præoccupavêre consilia, & conatus Gibellini: namque pridie ejus diei sex celeres naves longas instruunt, expeditosque propugnatores imponunt: tum à cetera classe digressi, tres hostium triremes invadunt.

Impetum regimes, & navales socii ægre sustinebant; jamque opprimebantur: ita partim in mare se præcipitant, quorum major pars in propinquum littus evasit: alii cum navibus capti ad hostilem classem adducuntur. obfuit concatenasse naves. distabant paulo longius; neque expediri, aut à remigibus incitari absque molimine, & mora potuere. amissis navibus, cetera classis in angulum portus reducitur; & ne repentino incursu opprimi posset, circumcluditur. eadem item die terra pugnatum fuit. juga, & arcem Prædis; tum propinqua prætoria aggrediuntur exules. loca præsidio munita erant. post acrem pugnam Gibellinus, amissis multis, rejectus est. inde turrim quam nuper à Guelpho instauratam diximus, oppugnare nititur. defendebant eam Guelphi. constans erat obsidio. nulli commeatus importari, aut remedia vulneratis afferri poterant. præterea solvendæ obsidionis nulla via erat. ita custodes magna ex parte saucii, alimentisque defecti, turrim per conditiones Gibellino dedunt. tunc Guelphi in jugis Peraldi supra templum Divi Barnabæ castellum excitant, quod Castellatium dixere, nomenque usque in hæc tempora durat. exules quoque ex adversum intra conjectum sagittæ in imo jugi ligneum castellum extruunt, opportunoque præsidio muniunt. ita tutus uterque præsidio loci utrumque sagittis, & saxis infestare non desistebat. Quod è ligno confectum erat castellum, lapide deinde constructum Bastiæ appellationem tenuit. ita fere per Septembrem mensem in Suburbanis, & valle Bisamnis Ligures tum gentili, tum adjuncto mercenario milite se conficiebant: ædificia præterea, & operosa prætoria, ardentibus in vindictam animis, subversa fuere. ad portum Delphini per eos dies cædes facta est. Portum Guelphus occupaverat, ibique duas naves frumento, ac commeatu onustas habebat, navigationi tempus opportunum expectans. Exules cum id rescivissent, naves, expugnato portu, intercipiunt. cecidere utrinque plurimi. domus circa portum positæ spoliantur, atque incenduntur. ita per totam fere hyemem à mutuis detrimentis Ligur non vacavit. Dum in littore Ligustico Marcus Vicecomes Genuam, & regale præsidium obsidet, Baucius, quem Rex Cisalpinis amicis, & subditis præfecerat, suo præsidio, & voluntariorum multitudine nixus oppidum in radicibus montis, quod Novas appellant, incertum vi, an voluntate colonorum? obtinuit. tum vero postridie calendas Decembres eam partem Alexandriæ, quæ trans Tanarum accolitur, prodente Bonifacio ab Alice, recepit, Bergolium dicitur; de nomine videlicet veteris vici, quem ante conditam Alexandriam coloni tenuerant. Gravior in dies Genuam obsidio premebat. Circumventi erant ab terra, & classe Guelphi; atque præ inopia victus; cum absumpta cetera essent, equis, mulis, & id genus sarcinariis jumentis vescebantur. Levare famem difficillimum erat; repellere exules, aut viam ad convehendos commeatus aperire non licebat. auxiliarii milites ad exules undique confluebant. Mittitur interim Simoninus Turrianus Valentium cum sexcentis equitibus. nullus illi obviam ire, Bergolio recepto, poterat: tum per pontem trajecto exercitu, Lomellinum omnem agrum, & eos vicos, qui inter Padum, & Ticinum accoluntur, excursionibus populatur. Hoc ideo faciebat, ut Marcum ab opprimendo Ligure ad sua tuenda averteret. Ceterum Luchinus Matthæi filius in prædatores effusius omnia vastantes irruit, multosque præda onustos cecidit; alios spoliat. Turrianus fugiens Bergolium repetit. Baucius occubuit, de cujus cæde scriptores variare video. In annalibus Mediolanensium proditum est, *cum Padum Regii trajecissent, & à populatione prohibiti ad fluvium cessissent, Baucius Bergolium se recepit.* Inopia tunc lignorum laborabant oppidani. in lignationem itaque ad propinqua nemora is exiit. Forte Luchinus Vicecomes adversus li-

A gnatores profectus erat: pugna committitur, humi prostratus Baucius occiditur. Captus est Bartromolus illius nepos, qui mox Mediolani in custodia diutius retentus fuit. Ceterum Ventura scribit, *à Marco Regios devictos, dum ad Montem castelli, sive populationis, sive lignationis gratia Bergolio egressi forent.* Agebat tunc forte Marcus Alexandriæ; & priusquam Baucius propinquos colles conscenderet, campestri in loco pugna facta: ibi amplius viginti vulneribus is confossus cecidit. petenti Astensi corpus concessum. Luxere hominem viri pariter, & mulieres; namque exulum, & adversariorum vim, & injurias frequenter is propulsaverat, & à populatio-
B ne coërcuerat. Ergo honorificè ob virtutem, & beneficia, quæ populis contulerat, Astæ sepultus fuit. Ego magis illis assentior, *qui à Luchino cæsum hominem* scribunt: nam Marcus in obsidione Genuæ persistebat, quam relinquere ex usu tantæ expeditionis non erat; præsertim cum id temporis fame urbs laboraret, & sub ipsis mœnibus assidentes Gibellini adversarios acriter premerent. pugnæ item, erumpente in stationes Guelpho, frequentes fieri. Ad montem Bernardi, & Peraldi pedites Guelphorum ascenderant, jamque juga tenebant. irruente adversariorum equite, & pedite multis occisis, dejiciuntur; & haud ita multo post octo exulum trire-
C mes urbano littori continenter obnavigantes duas naves in portu aggrediuntur, quarum alteram injecto incendio, cremavere; altera absumi non potuit. propinquæ triremes, & cetera navigia præ metu ingruentium adversariorum à remige, & defensore deserta capiuntur. Hac ignominia maxime irritata plebes fuit; quòd sub oculis naves consumptæ, aliæ etiam captæ forent. damni præterea impatiens Spinolarum, & Auriorum domos invadit, direptasque succendit. Atrox visa est ultio, vel magis crudelitas: ita plerique ad extinguenda incendia accurrêre. Verum priusquam remedium malo afferri posset, domus conflagrarunt. Scribit Ventura, *ruina, & dire-*
D *ptione ædium non exsaturatam plebem ad proscribendos cives animum convertisse*; quo furore circiter duomillia civium proscripti fuere. Mari per ea tempora potius prædonum, quam hostili more damna sibi invicem Ligures inferebant; nam nunc per littora excurrentes, prout naves, aut triremes nacti erant, eas expugnabant, prædam secum auferentes: alias adurebant. Advenêre per ea tempora decem Guelphorum triremes mercatoriæ à Bisantio, quæ præter merces frumenta etiam, & commeatus advexere. ea res plurimum obsessos sublevavit: premebantur inopia rei frumentariæ. vix octoginta frumenti modii ex descriptione in urbe reperti erant. adjici-
E untur decem triremibus sex & viginti, quarum Præfectus Raynaldus Grimaldus Savonam versus navigat. Exules classem instructam habebant, portumque, nescientibus adversariis, ingressi ex adversum urbis consistunt, mœnia oppugnant. spem conceperant per vim potiundæ urbis. resistebant fortiter urbani: ita ab oppugnatione discedentes naves sale onustas diripiunt. mare infestum omnibus erat. maritimam oram domestica classis populabatur. Externus prædo Liguri consociatus, & in altum provectus quamcumque navim obviam habuisset, eam sine discrimine diripiebat: neque cessabant à terra pugnæ, dum edita montium ille expugnare, hic de-
F fendere nititur. flagrabant in vindictam animi, & nisi cæde ingenti facta, à certamine discedere neuter volebat. Per ea tempora ex auro nummus percutitur, qui tertiam partem, & interim quartam ejus valeret nummi, qui Florenus à Florentini populi nota dicitur. ita denarius aureus in tres partes, magno ex usu solvendæ mercedis, emendarumque rerum divisus fuit. asses præterea ex ære, quibus minimum argenti mixtum esset, feriuntur. nota griphorum ex una parte: inde griphoni dicti: ex altera vero crux expressa; hodieque, quantum accipio,

pio, in Appuanis Liguribus pueri, ceu ad casum aleæ, asses in sublime jactantes crucem, aut griphem exclamant. Inter hæc Fridericus pro societate cum Vicecomite, & sociis instituta, in Sicilia quadraginta naves longas instruit, atque parat, quæ ad oram Ligusticam Gibellino auxilio venirent. exules item Savonæ viginti triremes instruxêre, quæ adventanti Siculo conjungerentur; debellataque, si quam in mari hostilem navim nacti forent, quicquid littoris Guelpho studeret popularentur, & propius Genuam accedentes adversarios per iniquas conditiones ad deditionem compellerent. Ceterum qui in urbe erant rati, magis ex usu suo inimicam classem longius à littore patrio summovere, naves partim onerarias, alias actuarias expediunt, impositoque Præfecto, ut in Siciliam versus navigaret mandant. Insula est ex adversum Campani littoris Pontia nomine. huc forte utraque classis applicuit. facile erat congredi. à pugna utrique abstinuere: quippe periculum navalis certaminis facere non ausi. Gibellinus numero navium, & virtute militum præstabat. Ad suburbanum itaque littus, & in ipso portu graviorem cladem inimicos accipere existimavit. ita sublatis anchoris, vela facit, protinusque in conspectum patriæ adnavigat. Insequi Guelphus noluit: namque remigibus, tum navalibus sociis adhuc stipendia soluta non erant: cibaria præterea deerant: quare Apulus, & Calaber qui in classe merebant, in terram expositi ad suos quisque dilabuntur. nudata classe, metu hostium Guelphus Genuam non rediit. Inter hæc Matthæus, ut opes Roberti, & Guelphorum undique oppugnaret, Castrutium Interminellum, qui nuper Lucam per tumultum obtinuerat, magna pollicendo, etiam respectu factionis, ad bellum concitat. hic continuo tum tumultuariis copiis, tum etiam milite conscripto, quantum maturari potuit contra fœdus, & conventiones cum Florentino initas, primum vicinos Hetruscos, qui in fœdere, & amicitia Roberti erant, hostiliter invadit, ferro, & igni cuncta evastans: mox in Ligures Apuanos arma convertit. Jam oram omnem maritimam, quæ ad Orientem vergit, & si quos repugnantes offendisset, eos primo impetu debellaverat. agebat secum ultra duodecim peditum millia: equites vero quingentos. in extremo discrimine Ligures Guelphi erant, si propius Genuam Castrutius accessisset, & Marco Vicecomiti, atque cum exulibus conjunctus foret. Genuæ trepidatum tunc legimus: nam præsidium intra mœnia haud validum erat. conscenderat juventus triremes; in muris, & urbano milite spes parum firma erat. ita fauces montium, qua hostis irrupturus erat, munitionibus firmare, & interim obstruere parant. ad maturandum opus accessere nobiles matronæ, & Sacerdotes. ita brevi calce, & lapide murus exstruitur. propugnacula circa urbem, & in portu; tum etiam turres excitatæ. excubiæ in mœnibus, & ad custodiam portus dispositæ. Interea Florentinus ne plus hostium, afflicto in Liguribus Guelpho, adversus se fieret; neve socios, & amicos; quando conjuncta pericula forent, deseruisse videretur, milites comparat. accessere vicinarum urbium auxiliares. ita cum justus exercitus esset, Lucenses fines adortus ingentia damna pupulatione, & excursionibus infert. Castrutius, relicto Ligure, ad sua tuenda revertitur. Inter hæc Siculorum, & exulum classis ad Bisamnis littora appropinquavit, expositisque in terram militibus, munitiones subvertere aggrediuntur. secum ferebant tabulas, ligna, arundines, & id genus materiam, quæ complendis fossis idonea existimabatur. Duplices, atque interim triplices erant fossæ; quarum primam, injecta materia, transgrediuntur. occurrentes adversarii fortiter resistunt. præsens periculum viros, & mulieres obarmat: religiosi viri etiam pro patria arma sumunt: pugna nunquam intermissa ab hora diei tertia usque in solis oc-

A casum fuit. urgebat uterque alterum cedenti terribilis, ultimam fatigationem, aut noctem expectabat. anceps certamen stabat; neque ab ulla parte recurrebatur. In eo momentum pugnæ positum videbatur: nam qui superior fuisset, is aut patria potitus foret, aut compulso ad quas voluisset conditiones adversario, finem armis fecisset. Multitudine sagittariorum superior erat Guelphus. confodiebantur sagittis Siculi, qui multis suorum sauciis, atque amissis, postridie naves conscendunt in Siciliam versus renavigaturi. tunc Guelphus diu obsessus gratulabundus totam diem Deûm templa salutavit, vota

B solvit, plausu, atque lætitia, tum piis vocibus grates Deo agens; moxque Carignanum, quatenus ad Bisamnem pertinet, munitionibus, & operibus cinxit, atque castellis firmavit. Interea Robertus audito quod suæ, & Guelphorum triremes cum exulibus confligere ausæ non essent, pecunias exponit, novasque triremes armat. sexdecim numero erant. eas ab Narbonensi Gallia in Ligusticam oram mittit, quæ iis conjunctæ, quæ præ metu hostium retrofugerant, Genuam versus maturavere, Ligusticumque omnem tractum excurrentes, si quid Gibellino favebat, id omne diripiunt, & succendunt. Claverum oppidum cultores adversariis impares deserunt: inde ad orientale littus navigantes munitio-

C nes, & opera, quæ Gibellinus ad arcendos hostes fecerat, demoliuntur. Marcus interea milites, atque exules à pugna, & à certamine ad opera traducit; videbat, obsidionem novo præsidio, & classe aucta, diutius tolerari posse. Templum sub nomine Divæ Sabinæ muros attingit: inde clam cuniculum agere instituit; jam aliquot dies, & noctes cum in opere essent terram egerentes, propius urbem accesserant. Re cognita, Guelphi expavêre, ita veriti, ne subruto muro, facta in urbem via foret, fossam & ipsi intra murum è regione ejus operis, quod adversarii egerant, ducere instituunt: & cum ad eam altitudinem pervenissent, quanta cuniculi esse pote-

D rat, pluribus locis admotis auribus, sonitum fodientium captabant: quem ubi acceperunt, aperiunt rectam in cuniculum viam: neque id fuit magni operis: muros suffoderat Gibellinus, atque subjectis tignis, fundamenta suspenderat: ibi cum opera commissa essent, atque à fossa ab urbe in cuniculum adversariorum pateret iter, primo ipsis ferramentis, quibus in opere usi erant, deinde, cum celeriter armati subiissent, occultam sub terram edidere pugnam, quæ tamen segnior deinde facta fuit: nam Guelphi, ut sine vulnere, & sanguine instantem adversarium conficerent, aquam per fossam in cuniculum deducunt, rati, futurum ut diluvio opera sub-

E verterentur, magnaque pars pugnantium obrueretur. Cessere continuo inundationi qui in cuniculo erant. furculas tamen succendunt; ita murus absumptis sustentaculis, rectus, & integer desedit, quasi propugnaculum eorum, qui in civitate erant, atque oppugnantibus oppositus. illum continuo Gibellini disjicere aggrediuntur; & haud ita multo post divisus, atque discussus procubuit. Prostrato ea in parte muro, trepidavêre Guelphi. aditus in urbem adversariis factus erat. statim in agmen coacti exulibus se opponunt, ascendentes dejiciunt. urgebant adversarii: acrius eo in loco sine respiratione pugnabatur. In suo quisque loco obnixus urgentes

F sustinebat; uterque debellatum in ea oppugnatione cernebat. Guelphus fortissime restitit, neque à certamine cessit priusquam murus alter pro diruto obstructus fuit: nihil arcendo hosti prætermissum fuit. Jam superior in prælio Guelphus erat: ita ab oppugnatione exules destitêre. *Obrutos aquis, & cæco marte multos exulum occubuisse* traditur, fuitque inceptum illud conatu, quam effectu gravius. Marcus cum frustra multa tentasset, re infecta, exercitum cis Apenninum reduxit. Scribunt quidam, *post hunc discessum à Matthæo cum Andronico, & Siculorum Rege fœdus,*

fœdus, & societatem initam fuisse. Ego magis iis assentior, qui *superiore jactura ad nova fœdera, peregrinaque auxilia Matthæum confugisse* tradunt. Hac in parte nescio, indiligentiæne Blondum, an magis invidiæ arguam. Delibat nescio quid de dissidio, & intestino certamine Ligurum; & item de adventu Roberti ad socios. De Marco Vicecomite, cujus ductu bellum illud Ligusticum gestum fuit, nullum verbum facit: sed magis videtur gloriæ Vicecomitum invidisse. verba adducit Francisci Petrarcæ ex epistola ad Ducem Genuensium, in qua mentio clara, & aperta de auxilio Mediolanensi habetur: ita excusari non potest; cum semet facti ipse admoneat. sed majus erratum deprehendimus. confundit tempora, & rerum ordinem pervertit; tum etiam omnia in transcursu enarrat, ut vix queas discernere, quibus Ducibus, quibusve locis gestæ res fuerint: vix res simul cohærent inter distantia temere: & adeo abruptus sit transitus, ut lector fere in omni expositione ambigat. præterea de fœdere inter Gibellinos icto nihil loquitur. in Matthæo autem, & filiis peregrinus videtur: & dum sibi non constat, fidem conscriptioni suæ abrogat. scribit, *hanc pugnam in specu factam, cum Robertus Genuæ esset; qua victoria Regem elatum Savonam navigasse, urbemque, Gibellinis pulsis, obtinuisse:* cum multo ante Robertus in Gallias profectus foret ad Pontificem Joannem, neque Gibellini mari cessarent; imo onerariis navibus, atque triremibus quocumque libitum fuisset adnavigabant, adversarios consectantes: Savona in exulum potestate erat: mutuis quoque detrimentis uterque, nunc prædonum more, nunc aperto in mari certamine se conficiebant. Hæc particulatim referre à præsenti expositione non admodum alienum foret, nisi ad finem propositæ narrationis festinaremus. Interea Robertus instare apud Pontificem, ut Genua obsidione liberaretur; nam etsi mari, terraque aliquando superiores Regii fuissent; ægrè tamen obsessos adversus Marcum, & exules durare posse: ita quacumque via succurrendum illis esse: Pontifici melius visum, ex auctoritate Apostolica, & metu execrationum, potiusquam armis Vicecomitem ab obsidione amoveri. Mittitur Beltrandus, cui cognomen à Porreto erat, sub titulo sancti Marcelli Presbyter Cardinalis in Cisalpinos Gallos. Astam cum venisset, confestim Matthæo, & filiis execrationes horribiles minari cœpit, nisi Genua, & finibus abstineant. adhæc Matthæus, ecquid rei Pontifici in Liguribus; quando Genua, & ceteri Ligures Imperatoriæ potestatis, & ditionis, non Pontificii juris essent. Tunc Pontifex Regulum de Galliis ad Italos mittere constituit. Regis Francorum frater erat, Philippo nomen. hic accepta à Roberto pecunia milites conduxit, Alpesque transgressus Astam primum venit. octingentos equites secum ducebat. substitit aliquantisper in Subalpinis, donec Carlotus Caroli fratris filius, & Bardus Margolius Comes Rosii (Gallicas hi catervas agebant) Alpes transcendissent. Forte per id tempus Vercellenses gravi odio, & civilibus armis agitabantur. Simon Advocatus, cui Collobiano cognomen ab oppido erat, inter Guelphos princeps, & domi potens Ticioni infestus alteram factionem patria, ac finibus pellere annitebatur. Gibellinos Matthæus Vicecomes adversus impetum, & arma Simonis defendebat. Inter hæc Florentini, cognito, quod ab Alpibus copiæ Francorum adversus Vicecomitem descendissent, milites conducunt. accessere sociorum præsidia, supra mille equites coacti erant; peditum major numerus. hi ad invadendum ab Apennino Vicecomitem mittuntur, aut Philippo, si possent, conjungerentur. Ceterum Philippus, petente Guelpho, qui Ticioni resistere non poterat, Vercellas, non expectatis sociorum, & præcipue Hetruscorum auxiliis, contendit: jam enim copiæ ex Hetruria iter ingressæ erant. Homo natura alioquin ferox, & audax; tum robore fretus non satis explorata locorum natura, atque situ, inter Novariam, & Vercellas in loco, quem Marceram vocant, castra locat. Oppugnabat Matthæus Advocatos; venerant ad eum auxiliariæ copiæ Castrutii, Aretinorum, atque etiam si qui Cæsarum partes sequuti fuerant, hi quos possunt milites summittunt. Erant tunc in Italia Germani, qui sub Henrico stipendia fecerant. hos Matthæus ad se traxit. Luchinum, & Stephanum exercitui præficit, atque obviam Gallo mittit. Galeacius, ne in discrimine patris cessaret, Placentinorum juventutem raptim armat, & quos potest milites contrahit, atque ita subitario comparato exercitu, Vercellas versus ad fratres maturat. Philippus ubi adventare hostem cognovit, ultra progressus, aciem continuo patente in campo explicat, statim conflicturus, nisi certamen Vicecomites detrectarent. biduum sine prœlio uterque peregit. Præstabat Vicecomes militum numero, locorum præterea prudens, armorumque exercitatio illi major. facile erat, peregrinum exercitum, rerum inopem, fame, & inedia confici: satius tamen visum fuit, conditionibus bellum componi, quam fortunam tentare, aut nudum, atque lacerum Barbarum dimittere. jam commeabant nuncii, per quos de fœdere, & pace agi cœptum: conditiones satis tolerabiles utrinque offerebantur: quanquam Philippo deterior res esset. In colloquium itaque Duces veniunt. tunc prior Galeacius:

„Cur patrem, & nos armis lacessas, regnoque
„exturbare pares, nihil causæ subesse video. nul-
„lum est odium, nullæ simultates. non res raptæ
„repetuntur; non injuriæ; non maleficium inter-
„cessit, quod bello ulcisci velitis. imo longa jam a-
„micitia nunquam intermissa, sed beneficiis aucta.
„Reges Gallorum pater, & nos filii summopere co-
„luimus: tum vero quam gratum Regi fuerit, quod,
„ceu ex illius opinione, atque observantia res no-
„stræ penderent, in Gallias ad illum salutandum
„venerim, declarant munera, & militaria ornamen-
„ta, quibus à patre, spectante fere universa Gallia,
„donatus fui. Fratrem Carolum, qui nunc regnat,
„amplius viginti abhinc annos Romam piaculi gra-
„tia petentem, quo scilicet tempore primum venia
„criminis & expiatio scelerum templa Apostolorum
„religiosè salutantibus à Bonifacio Pontifice conces-
„sa fuit, pater Mediolani honorificè, & comiter
„excepit, muneribus abeuntem prosequutus: ad
„iter quoque opportuna abunde suppeditavit: cur
„arma inferas, inimicis auxilio sis, finesque nostros
„hostiliter invadas; quando nullo nostro crimine ad
„hoc concitatus fueris, quod hic cum tua bona ve-
„nia dixerim, injurius profecto es, & iniquus: ni-
„si forte dicas, Pontifici summo parendum esse,
„quo jubente Alpes superaveris, nos quoque ado-
„riaris. Sed quam injusta sint arma, quamque ab
„justitia, & fœderum jure Pontifex absit, attende
„quæso. Affectat hic Italiæ Regnum, nullum ho-
„nestum titulum cupiditati prætendens, atque per
„civilem sanguinem, nefariaque arma nos domo,
„patria, & principatu evertere conatur. procurati-
„onem in Longobardis Henricus Imperator nobis
„tradidit, Cæsarum ornamentis legitimo, & solem-
„ni titulo Romæ per Legatos, annuente Pontifice,
„insignitus. Mortui acta idem Clemens Henrico
„amplius annum superstes nunquam rescidit. Ita per-
„missu Pontificis, & jussu Cæsaris rem Mediola-
„nensem, & ceteras urbes procuramus. Genua ex-
„torres, quos popularium insidiæ, & maleficia do-
„mo ejecerant, opem nostram implorantes juvimus:
„ad peregrinum Regem, externaque auxilia altera
„factio confugerat. pro dominatu hi: exules pro
„recuperandis suis, atque domo certabant, tot cæ-
„sis in suburbano littore, & in mari, tot cladibus
„uterque Ligur se affecit, ut magis de vita, quam
„de potentatu dimicatum dicas. Durat insanabile
„odium.

„ odium. dominandi amor, & rabies tot cædibus, „ tantis detrimentis saturari non potest. Postremo „ execrationes detestandas nobis ille Pontifex mina- „ tur; & qui pastor in Sede Petri sibi commissum „ gregem custodire, & servare debet, is nos ab se „ rejicit, & à congregatione piorum velut abomina- „ tos exterminat. parere illius mandatis parati sumus: „ si inimicorum libidini nos subjicere, principatu de- „ jicere, nomen fortunasque nostras perdere non stu- „ deret. Hanc infestam Pontificis iram, & sævam „ dominandi cupiditatem non urbes cædibus, & e- „ xilio civium fere exhaustæ, non funesta bella, in „ quæ populos concitare non desistit, non denique „ quod supplices aliquando veniam, & pacem peti- „ verimus mitigare, aut lenire possunt. illi obtem- „ perare parati sumus: modo tuto domi vivere li- „ ceat; & ne in ordinem deducamur ad eorum lu- „ dibria, qui patrio solo nos evolvere conantur: at- „ que ut credas, quæ nunc dico re ipsa præstare „ velle, jam fratre, aut te disceptatore de iis, quæ „ in controversia cum Pontifice sunt, uti volumus: „ auctoritatem vestram nunquam diffugiemus, sta- „ turi eo quod censueritis. & de impotenti Pontifi- „ cis ira satis dictum. Ad te nunc Philippe me con- „ verto. An non vides, in quæ te pericula præci- „ pitaveris, dum sociis properantius opitulari stu- „ des? In terram magis inimicam, quàm pacatam „ venisti. castra parum curiose posuisti. infesta ha- „ bes omnia. nostræ circumstant acies altero tanto „ majores, quàm tuæ. rerum te premit inopia. no- „ bis commeatus abunde suppetunt; neque manen- „ di, neque abeundi copia tibi adest. licuit ut pri- „ mum in conspectum venimus, si acie decertatum „ foret, exercitum profligare, castra expugnare, „ atque diripere, denique tuos istos, quos ignavos, „ & tumidos loca ignara faciunt, partim contruci- „ dare, alios captivos ducere possumus etiam seden- „ do, & sine ferro bellum conficere. sed respectus „ gentis, & observantia in fratrem nos reprimit. ni- „ hil hostile adversus te molimur: satis superque ef- „ fectum ducimus periculi te admonere, ut nostro „ beneficio milites, & te servatum dicere possis.

Agnovit Philippus generosum, & mitem Vicecomitis animum, & quanti amicitiam Gallorum faceret, seque, & suos omnes ad occidionem periclitari; neque nisi in Vicecomitis mansuetudine, atque clementia servari posse. Satius itaque visum est, in Gallias nullo suorum amisso, regredi, quam cum eo acie dimicare, cujus facilis, & certa victoria foret. Ita superbus Barbarus, nulla re insigni edita, relictis Vercellensibus, trans Alpes abiit. interfecti tamen plures fuere: nam juventus de finitimis urbibus erumpens, alii eos premendo, qui errore viarum ad iniqua loca pervenerant, alii novissimos carpendo, hos spoliaverunt, illos interfecerunt. Scribit quidam, quod certè haud multum à vero abest, *muneribus, & auro captum Barbarum potiusquam quod sibi, & copiis diffideret, retro in Gallias cessisse.* Gens sane natura auri avida, spe prædæ, & rapinarum libidine in Italiam descenderat. opinio etiam exiit, fraude Bernardi Margolii Philippum impulsum, ut laboranti Guelpho, non expectatis sociorum auxiliis, succurreret. prospiciebat is utique, alterutrum futurum, ut aut succumberet, si cum hoste manus conseruisset, aut cladis metuens, & circumventus turpiter abiret. Exulaverat paulo ante patria, & finibus, jubente Carolo, Margolius: quare recentis contumeliæ memor, ut primum vindictæ copia oblata fuit, in fraudem, & ultimum discrimen Philippum induxit. Proditum est litteris, cum paulo acerbius Philippus increparetur, quod nulla commissa cum hoste pugna, imo vero quod ne hostilem quidem terram attigisset, trans Alpes cessisset, hoc tantum eum respondisse, *non advenisse ad tempus sociorum auxilia, pecuniam præterea ad solvenda militibus stipendia non datam; ea propter coactum inimica terra*

A *discedere, magisque ex usu belli, & Pontificis dignitate fuisse, servato exercitu, retro abire, quam ad incertum eventum conflixisse.* Discedente Regulo, Simon Advocatus peregrina ope destitutus Colobianum oppidum armis, commeatu, & valido præsidio munit, ut esset quo tuto ab hoste se reciperet. Matthæus Ticionem enixius juvabat: Advocatorum domos, & regionem quam illi incolebant, circumsederant Ticiones. Interfecta erat urbs, clausique aditus, neque foris ingredi, neque egredi quisquam valebat. Famem sentiebant obsessi, vix amplius durare poterant. forte id temporis Astam Gotolani equites venerant: accesserunt Guelphi, qui à popularibus domo ejecti erant. frumenta, & cibaria undique B corrogantur: ea plaustris, & jumentis imposita Vercellas ducere parant. fit eis obviam Vicecomes cum expeditis militibus. pugna acris commissa est. annitebantur Gotolani, ut languescentibus sociis, & inedia maceratis, alimenta afferrent. Contra resistebat Vicecomes, ne frumento, atque commeatu in oppidum recepto, longior obsidio frustra foret. cædes facta est ingens. trecenti, & amplius ex Gotolanis ceciderunt. complures capti: hoc prælio Co- 1321. lobianorum animi adeo infracti sunt. qui circumsessi erant auxilia ab externis non sperabant, ut statim partem oppidi, quam munitam tenebant, Luchino, C & Stephano pactione tradiderint. Erant cum Simone, & Episcopo mille, & quingenti viri; ex his duodecim vincti Mediolanum cum Simone adducti in arctam custodiam traduntur. Episcopus in Prætorio urbis conclusus novo commento elabitur. sub noctem, vino largius epoto, custodes obdormiverant. tunica paleis, & stramento oppleta inter dormientes collocatur. ipse per latrinam, sopitis custodibus, evasit: amici descendentem lintre excipiunt, atque incolumem Bugellam (hoc oppido nomen est) perducunt. Potitus loci Matthæus Ticioni plurimum indulsit. ea gens in eam rabiem prorupit, ut muros urbis diruerit, altas Advocatorum domos so- D lo æquaverit: ita sæviente ira magna ex parte urbs deformata fuit. Ceterum Galeacius, fugato trans Alpes Barbaro, receptisque Vercellis, Placentiam versus revertitur. Florentinorum, & sociorum copiæ, quamvis Philippus nihil clari edidisset, tamen ne nihil egisse viderentur, in fines Placentinorum irrumpunt. Ducebat Jacobus Cavalcabos. oppidum, cui Bardo nomen est, circumsident, atque oppugnant. Turrianus Patriarcha ab Aquileia veniens propius Padum consederat. haud parvam manum tumultuariorum militum secum agebat; & nisi fluvio interclusus fuisset, Galeacium ad sua tuenda avertisset, aut Hetruscorum copiis conjunctus populati- E onibus Placentinos vexasset. Galeacius interim, ne duplici hoste premeretur, obsidentes Bardum aggreditur. Sustinuere aliquandiu impetum Hetrusci; verum, superante multitudine, terga dant. haud pauci in ea pugna cecidere. Cavalcabos occiditur. Leonardus Arcellus captivus Mediolanum mittitur. ab hac victoria Galeacius statim cum victore exer- 1322. citu Padum trajicit, ac protinus Cremonam aggreditur. ducenti equites, qui in præsidium missi erant, ubi circumveniri se ab hoste viderunt, continuo fuga sibi consuluere. Galeacius paucos post dies, prodente factione Poncini, urbe potitur; & haud ita multo post Crema in ditionem Vicecomitis venit. F Interea Pontifex, cum denunciatio execrationum nihil proficeret, perseveraretque Vicecomes in iis oppugnandis, qui in fidem, & ditionem Roberti se dediderant, illum per Beltrandum citari jubet. accessere Mediolanum Sacerdotes Præfecturis templorum clari, Matthæoque denunciant, ut aut in Gallias, aut Astam proficiscatur, causam coram dicturus; quando gravius sit negotium, quam quod per nuncium aut procuratorem agi possit. dies quoque præstituta fuit, intra quam sine fraude, & piaculo Pontificem, aut Legatum adire liceret. Minas Matthæus,

thæus, & filii contemnere, atque diversam factionem armis persequi. inter hæc peregrinum hostem Pontifex adversus Matthæum suscitat. in certamine de imperio, ut supra diximus, Fridericus succubuerat. Ludovicus nomen, & titulum imperatorium, invito Pontifice, usurpaverat. quam rem Joannes ægre ferens Fridericum hortatur, ut quando in paribus suffragiis penes Pontificem gratificandi regni utri velit potestas sit, nullumque jus in rebus æmulus habeat, in Italiam adversus Vicecomitem descendat: fratri præterea opulentissimum Moguntiæ sacerdotium promittit. his promissis motus Fridericus, Henricum cum armatorum multitudine in Italiam mittit. Aggregati sunt pollicitatione veniæ voluntarii milites ad duo millia. cum his copiis Brixiam venit eo forte die, quo rami palmarum populis distribuuntur: accessêre vicinarum urbium extorres, & reliquiæ Turrianorum, qui in Transpadanis, & Venetia exulantes fœnore Sacerdotiorum sustentabantur. pertimuit Matthæus, quòd externus & inexpectatus hostis fines invasisset. præterea fremebant populi, quod externo supplicio devoti nullo piaculo, nisi reconciliata cum summo Pontifice gratia, liberari ac resolvi possent. Inter tot curas Matthæus consilium prudens, suis salubre, servandisque rebus idoneum cepit. Nuncios ad Beltrandum, qui de compositione, & concordia agerent, mittit; deinde Fridericum per Legatos monet, „Pontificem nihil aliud conari, nisi ut Germanos Cæsares ab Italia amoveat; atque si quid juris in Italos illi teneant, id totum amittant, & pro Germanis dominis Itali mutatos Gallos habeant; id quod rerum procuratio Roberto delegata demonstrat. nam si Mediolanum caput Gentium ex jussu Pontificis alius obtinuerit, quam qui Germanorum procerum suffragiis rerum potiatur, jam majestas, & jura imperii circumscripta sunt. nullæ civitates, sive Longobardorum, sive Hetruscorum ad fidem Cæsaris redigi poterunt. quis debellato Vicecomite, non continuo, aut metu, aut voluntate Roberto parebit? Dic obsecro, ubi ornamenta Augustorum designatus Cæsar accipiet? quis illi se obnoxium profitebitur? quis tributa dependet? quis adventantem dominum salutabit, & venerabitur? denique quis vestras leges accipiet? quid non vides, eam factionem, cujus vires, & opes Pontifex, & Robertus defendunt, & fovent adversus eos, qui Germanorum Regum dedititii sunt, hoc unum moliri, & facere, ut reges vestri penitus ab Italia moveantur. ita dum iræ indulges, & vindicare imperium studes, in excidium potestatis vestræ, imperatoriique tituli abolitionem proruis." Movit hæc oratio Fridericum, statimque indicto concilio, quæ Legati dixerant ad proceres refert. Universi dixere, *res, & jura gentis servari oportere, neque Cæsarum vires, & amplitudinem projiciendas esse, quas majores auxissent, neque violari passi forent.* Omnibus tunc videri, debellato Vicecomite, opes regni, & existimationem imperii prodi. ita dimisso concilio, confestim per nuncios fratrem Fridericus monet, ut sub probabili aliquo prætextu exercitum in Germaniam reportet. Scribit quidam, *non tam metu dignitatis diminuendæ, aut imperatorii juris amittendi, quam quod ingentia munera à Matthæo recepisset, Fridericum consilium mutasse: pecuniam item Henrico pactam, si in Germaniam regressus foret.* jam Aquileiæ Patriarcha fines Bergomensium hostiliter invaserat, magnamque partem peragrando populaverat. Oppidani novo hoste territi rebus consulere parabant; nisi Henricus à Brixianis postulasset, urbem sibi dedi; neque prius quam deditio facta foret, in Bergomenses arma illaturum. contradixere Brixiani, urbem sub ditione, & imperio Cæsarum esse. Ita, cum nullus adhuc summæ rerum præsit, Friderico urbem tradi non oportere; quando ea deditione ei, qui postea legitime imperaret, fraus fie-

A ret. Detrectante Brixiano imperia, Henricus, contractis copiis, Veronam petiit, quem Scaliger comiter, & cum honore maximo suscepit, discedentemque amplis muneribus donavit. Magna certe fuit Matthæi prudentia; sive auro pacem à Barbaro redemerit; sive bene monendo illum à Pontifice averterit. inclinare ad fœdera, & pacem Matthæus ferebatur: sed locus obstabat, in quem accedere tuto posset; nam Astæ adversa factio potens erat. quare æquius, atque honestius visum est per nuncios ea à Matthæo postulare, quibus si annuisset, is reconciliari Pontifici, & civitas execrata resecrari posset. Nuntii Mediolanum missi postulant, *ut Matthæus dominationi renunciet, civitas in jus, & imperium Roberti veniat: neque quisquam indignum hoc ducat; quando nutu Pontificis Robertus in Italia vice Imperatoris fungatur, donec is rebus præsit, quem Germani Proceres creaverint, & Pontifex auctor fuerit. solvi præterea, & reddi urbibus suis captivos, qui Mediolani custodiebantur. postremo exules Turrianos in sua restitui, eosdemque in administrationem publici negotii consortes admitti.* Conditiones Matthæo non placuerunt: animos præterea primorum offendebant: ea postulare, & exigere Pontificem, quæ præstare periculosum, & iniquum foret. quod ita Matthæus regno cederet, quod legitimum permissu Henrici obtineret. Tum magis C indignari, sub imperium externi Regis, & invisi domini subjici. iniqua Pontificem facere, qui ea usurpet, quæ alterius ditionis, & potestatis forent. in fraudem, & contumeliam Cæsarum novum procuratorem in Italia constitui: captivos relaxari sine consensu popularium non licere. recipi in urbem exules nil aliud esse, quam intra viscera bellum geri, defunctasque intestinis discordiis, & certaminibus urbes iterum in cædes, & clades concitari; quando eo malignitatis, & injuriarum ventum sit, ut nulla concordia, nullaque constans pax manere possit: infidam societatem regni, neque bonis spoliatos, & fortunis, domo pulsos, ab insidiis, & fraudibus cessare adversus eos, quibuscum de potentatu dimicasD sent. Hæc, & talia cum plerique civium obmurmurarent, nihil certi de compositione, & pace respondetur. Inter hæc Raimundus Cardonus cum equitatu pridie idus Majas Astam venit. Confluxere eo de propinquis urbibus mercenarii milites, & ea juventus, quæ pro tuenda factione in armis erat. Matthæus adventu novi hostis excitus, continuo Marcum filium Alexandriam cum magno præsidio mittit, qui trajecto Tanaro, oppidum Quadraginta familiarum recipit, Solariensiumque agros conterminos. deprædatur. Cardonus quingentos equites Valentium præmittit, qui in adversariorum fines E immissi cuncta pervastant. oppidum quod Montis castellum dicitur direptum succendunt: diversæ partis puberes juxta & impuberes abducunt. in mulieres, atque infantes quidam desævière. subsequutus haud ita multo post Cardonus, ex itinere Quadraginta familias expugnat, Germanos equites, qui in præsidium loci erant, abduxit; neque prius dimisit, quam merces ingens data fuit. Accessêre inter hæc Gallici equites, quos Robertus conduxerat. Ita Cardonus majoribus auctus copiis montem transgreditur, atque statim Occinuanum per deditionem recipit. inde ad Alexandrinos versus, agros omnes, quatenus Tanarus non arcebat, populatur. vicinos F deinde Derthonenses adortus magnis detrimentis afficit. trepidabant oppidani: magnitudine detrimentorum nova consilia capere ferebantur. Marcus ab Alexandria excitus quas potuit subito copias contrahit. dilationem vicinus hostis, & dubia populorum fides pati non poterat: ita comparato exercitu, populabundo hosti occurrit, castraque proxime locat. verum acie congredi, & fortunam belli experiri neuter voluit: ita velut se invicem refugientes abiere. Ceperat Cardonus oppidum, quod circiter quinque millia passuum à Derthona abest, Pontem Curoni dicunt,

dicunt, à torrentis nomine, qui ab Apennino diffluens viam Æmiliam interſecat. ponte olim junctum fuiſſe ruinæ oſtendunt. huc loci in præſidium equites, & pedites immiſit: ſimul etiam ut his ſe opponerent, ſi quos Galeacius de Placentinis ſubſidio fratri mitteret. ipſe in Vercellenſes copias duxit, atque populabundus cuncta, etiam muris circumjecta devaſtat. urbem Stephanus ex filiis Matthæi minimus cum valida manu cuſtodiebat. egreſſus portis effuſius populanti ſe objicit. prædam magnam portabant; tum ingentem pecoris, & hominum numerum abducebant. invectus in prædatores Stephanus prædam, & captivos recipit, longiuſque à finibus Cardonum ſummovet: qui Valentium reverſus id Baccienni agri, immiſſis prædatoribus, quod inter Padum, & Tanarum eſt, populatur. tumultus in oppido factus. Opulentior erat in Bacciennis ea factio, quæ Regi ſtudebat: ita ſine pugna Raimundus Auguſta potitur. in arcem altera factio confugit. Stephanus, cognita Baccienorum rebellione, ne ſui auxilio deſtituti arcem Raimundo traderent, atque ita Padi accolæ à patre deficerent, copias continuo contrahit ſuas, & ſociorum auxilia evocat. Tumultuarius erat exercitus. quare veritus Matthæus, ne ſi cum hoſte filius conflixiſſet, in pugna ſuccumberet, Jacobum Iſæum, qui tunc forte Præturam Mediolani agebat, cum urbanis militibus ad filium mittit. conjunctis copiis, ambo in citeriore ripa conſident. jam Raimundus clauſtra peregerat, ne ſi qui auxilio obſeſſis veniſſent, ingredi valerent: ea Stephanus perrumpere fruſtra conatus tandem retroceſſit. in diſcrimine ſociorum, atque filii periculo Matthæus haud cunctatus Gerardinum Spinulam, qui ea tempeſtate magnum uſum in re militari habere ferebatur, ad ſe accerſit, ſummumque imperium in expeditione adverſus Cardonum illi tradit. In Baccienos verſus Spinula ire pergit, conjuncto Stephano, & Iſæo pugnam initurus, niſi hoſtis detrectaſſet. Ceterum Cardonus virtute, & ſcientia novi Ducis, tum multitudine copiarum perterritus, quamvis ſæpe in certamen provocatus eſſet, rem prœlio committere noluit: ſatis in præſentia actum exiſtimavit, ſi ita munitiones defenderet, ne hoſtis perrumperet: tum ſi qui fluvium tranſire adniterentur, eos tranſitu prohiberet. Dum inſtructa utraque ſecus Padum ſtaret acies, Raimundus eos Ligures, qui cis Apenninum ab Rege deſciverant, immiſſis prædatoribus, latè populatur. Matthæus novos milites ſcribere, & ab iis, qui ad fidem & ſocietatem acceſſerant, auxilia exigere. eodem tempore pluribus in locis occurrendum hoſti erat. coërcendus à populatione Cardanus: inſidendi præſidio ſaltus, ne de improviſo Gibellini in Suburbanis circumventi opprimerentur: præterea circumſeſſos in arce defendere: copiæ vix adhæc ſuppetebant. veriti itaque Gibellini, ne Cardonus, firmatis præſidio ripis, aliiſque adverſus Marcum relictis, qui excurſiones arcerent, ipſe de improviſo Genuam accederet: tum, erumpente ab urbe adverſariorum manu, ancipiti hoſte premente, ad occidionem proderentur, validiſſima parte præſidii ad tuenda ſuburbana, defendendaſque munitiones relicta, cum uxoribus, filiis, & iis etiam omnibus arreptis, quæ cara habebant, partim navibus; alii terreſtri itinere Savonam petivere. poſt quorum diſceſſum rati Guelphi, & regiæ claſſis Præfecti ſuburbana defenſore vacua expugnari poſſe, illa continuo invadunt. reſiſtunt cuſtodes, vim atque impetum ſuſtinentes, hoſtemque à munitionibus repellunt: vehemens pugna à tertia diei hora in veſperum uſque facta eſt. montem aſcendere, caſtella dejicere, obſtructas fauces aperire, in ſuburbana irrumpere Guelphi enitebantur. contra exules munimenta enixiſſime defendere: irruentibus obſtare, clauſtra objicere; ne ſi Guelphus aut munitiones evertiſſet, aut præſidia dejeciſſet, ad commeatus recipiendos via obſeſſis facta fo-

A ret. pertinaciſſime pugnatum fuit. diſcedentes ab oppugnatione adverſarios inſectati exules magnam cædem inter montes edidere: ita non ſine magna jactura in urbem Regii revertuntur. *Genuæ per eos dies tumultuatum* comperio; nam plebeji, tum qui mercaturæ, & opificio operam dabant, ſæpius ab iis pulſabantur, qui in factione regia potentiores erant, aut illorum ſtudiis obſequerentur. ſpoliari permulti; tenuiorum bona, & fortunæ interim à valentioribus diripi; palam injuriæ ab opulentioribus fieri, quas ulciſci nemo unus poterat: nullus debitum exigere: appellanti creditori debitor minari, idemque ad tribunal vocatus non accedere: judicia nulla niſi ex
B arbitrio potentiorum reddi: leges, & magiſtratus in factione potens contemnere; querelæ graves paſſim audiri. ad tuenda plebis commoda, cohibendamque factioſorum licentiam primum tenuior turba in conventicula coit; injurias ſimul conqueri: *quanta foret factioſorum licentia, quibus nihil exceptum eſſet*, conclamare. conſpirat deinde ingens ſellulariorum, ac opificum numerus, collegiumque inſtituunt, quod Motam populi dixere. ex eo decem eliguntur, qui ei aſſiderent, quem Magiſtrum, ſive Abbatem populi vocant; ut quotiens de creditis pecuniis, aut de mercede jus dicerent, provocatio nulla eſſet: inde judicia abſciſſa exerceri cœpta;
C neque litigantes per dilationes ſe invicem atterere. nullus vel nobilitate, vel magnis affinitatibus, aut clientulorum multitudine ſubnixus intercedere, quominus judicia ex æquo redderentur. intra triduum, quod pro tribunali pronunciatum erat, id judicum miniſtri libere exequebantur. ſi quiſpiam reclamaſſet, aut adverſus ſententiam obluctatus foret, continuo ad ſonum æris multitudo convocata quod Abbas, & Decemviri ſtatuiſſent, id ut efficeretur mandabant. ita ſine injuria jus in urbe dicier. Creditæ pecuniæ ſolvebantur. nihil in injuriam creditorum vertebatur; operario pacta merces dabatur, omnes decreto judicum obediebant. hanc multitudinis li-
D centiam, ſalubreque tenuioribus collegium Robertus de Gallia reverſus ad gratiam potentiorum ſuſtulit. Interea à Beltrando Aicardus, quem Vicecomes à Mediolanenſi Pontificatu ſubmoverat, ad urbes Longobardorum delegatur, ut eos fortunis, carcere, & exilio anquireret, qui Pontifici palam contradicerent. Hic quatuor aſſumptis religioſis viris, qui pro inſtituto recentiore eos ad rectam fidem minis, & pœna traducerent, qui prava religione populos imbuerent, cæpit quæſtiones paulo aſperiores de iis habere, qui malæ hæreſeos ſuſpecti eſſent. ſed in primis adverſus eos graviſſima edicta exiere, qui Pontifici non obtemperantes in defen-
E dendo Matthæo, & filiis perſeverabant. execrationes deteſtandæ in populos immittuntur: unde quidam cruce rubra ſignati incedebant: quaſi ea nota imperata Pontificum ſe facturos profiterentur. verum cum minæ, & horribiles deteſtationes parum proficerent, Beltrandus religioſos Patres, qui Mediolani perpetua Sacerdotiorum magiſteria habebant ad ſe vocat. hi continuo Matthæum adeunt: quis vocet exponunt, abeundique veniam petunt. Matthæus, ne per inſolentiam, & ſuperbiam videretur Principi Sacerdotum non parere; ſimul etiam ut in amicitia, & fide eos retineret, ſi qui grande nefas putaſſent Pontifici in eo non obſequi, cum manda-
F tis eos dimittit: quorum hæc ſumma erat: *Si quid pro tuendo regno, & ſalutis cauſa cum offenſa Roberti agat, egeritve, id in contumeliam ſuam Pontifex non vertat. ſemper Romani Sacerdotis auctoritatem, & imperia privatæ cuicumque neceſſitati prævertiſſe. ſatis intelligere, quam impium, & nefarium ſit illius juſſa non ſequi, qui ſecundum Deum non hominibus tantum; ſed inferis imperaret: & ne nihil actum execrabili denunciatione Pontifex putet, omnia ſe facturum, ut inſons crimine rebellionis, & impietatis probari poſſit.* Aſtam profecti Patres quæ Matthæus mandaverat Beltrando renunciant.

ciant. grata illi ea fuere, benigniusque Patres excepit. inclinasse ad pacem, & imperia Matthæum existimabat. Ceterum ad explorandam illius mentem, & an re ipsa id efficere vellet, quod per alios nunciabat, Parmensem Episcopum Mediolanum legat, qui metu interdictorum urbem ingredi ausus non est; quippe veritus ne contactu loci palam devoti, & abominati se, & eos juxta, qui in comitatu erant, pollueret. Matthæus urbe egressus illum adiit, reverenterque salutat. cui Episcopus conditiones narrat; quarum eadem fere erat summa, quæ superiorum. *Potestati Pontificiæ rem Mediolanensem permitti oportere: Pontificem æqua petere; quando morte Cæsaris illius juris, & ditionis universa Italia facta sit, Regnumque, & opes beneficio Pontificum Vicecomes debeat: quid enim Otho patruus Sacerdotium, & Præfecturam urbis obtinere potuisset, nisi Pontifices adversus æmulos sua arma intentassent; quare obtemperandum mandatis esse. Civitas præterea ab execrationibus libera sacra recipiet, finemque civilium malorum habebit.* Adstabant primores urbis, quorum plerique tædio execrationum parendum Pontifici aiebant. unus Franciscus Garbagnates adversus postulata liberius disseruit, cui Episcopus crucem, & ignominiosam vestem minatus est, qua indutus ceu nefarii sceleris, & rebellionis auctor per populum traduceretur. Tunc Garbagnates adeo minas expavit, dejectusque animi fuit, ut qui ante nihil ratus minus factiosi esse, quam Sacerdotibus non parere, deinde opes Gibellinorum qua solitus erat libertate non defenderit. Postulata offendebant complures: diversi erant animorum habitus: & proinde obmurmurari contraria: desperatam animarum salutem, nisi pax, & venia à summo Sacerdote impetrata foret; contra si Roberto odium profitenti, subjecti fuissent, reciperenturque in urbem exules, crudeliora ab iratis dominis, quam ab immanissimis Barbaris pati, & sub specie paciscendæ pacis, faciendæque concordiæ fraudem parari. ita re infecta, Episcopus Astam revertitur. Beltrandus cum sine exitu Mediolani disceptatio facta fuisset, & conditiones pacis, atque obsequium Matthæus abnueret, iterum illum, & filios ad causæ dictionem Valentium vocat: locus suspectus erat, in quem securus periculi, & noxæ accedere posset: verumtamen ne in totum summi Sacerdotis mandata spernere videretur, nuncium ad Legatum de suo, & publici consilii nomine, ad res disceptandas, & componendas mittit. Causa gravis erat; utpote quæ per unum hominem vix tractari, nedum transigi posset: duodecim itaque ex primoribus deliguntur Gulielmus Pusterleus, Mutius à Moguntia, Gulielmus Casates; hi accincti parazonio illustres erant: Franciscus Vicecomes, Andreas ab Orto, Franciscus Garbagnates, Stephanus Vicomercatus. hi civilis scientiæ consulti, Ricciardus Pyrouaneus, Othorinus Burrus, Lucas Cribellus, Imblavadus Mandellus, Bellinus à Petra-sancta. Alexandriam primum proficiscuntur: erat ibi Marcus cum præsidio: inde Valentium petivere. Francinus metu adversariorum oppidum ingredi ausus non est: cognoscebat eos, & si Legatus fidem dederat, ab injuria, & vi minime temperaturos. Legatus adventantibus ab oppido occurrit. moverat eum virorum numerus, & nobilitas. postridie, astantibus sex sacerdotibus, qui paucis ante diebus ad eum venerant, quid juris, & potestatis Pontifex in Italiam haberet præfatur, cujus ditionis etiam civitates Cæsaribus stipendiariæ forent; tum postulat, ut Matthæus, deposito regno, procurationem ei tradat, quem Pontifex delegaverit, redire in patriam Turrianos, & in sua restitui; relaxari captivos, quos nominatim expressit, Philipponum Languscum, Antonium Fisiragam, Simonem advocatum, Ammoratum Turrianum. De liberandis Alexandrinis præcipue actum fuit. custodiebantur in vinculis complures de gente Puteorum, quos haud ita multo ante
A excursionibus fines patriæ infestantes Marcus ceperat. Hæc si Matthæus fecisset, pacem illi, & urbi Pontificem daturum. Ab hac oratione dimissi Legati Matthæo quæ forent postulata Beltrandi renunciant. his Matthæus, & si eadem erat summa, quæ superiorum, minus tamen placide respondit, *Periniquum sibi videri, Pontificem eas urbes usurpare, quæ Cæsaribus supra ducentos annos vectigalia, & stipendia dependissent: quid enim magis convenit Pontifici ea loca invadere, & obtinere, quæ Cæsaris juris sunt, quam Cæsari ipsi vel vi, vel dolo ea occupare, quæ Pontifices tenuissent: divisa esse imperia, & quatenus utriusque jurisdictio pertendat, satis notum esse: descriptos item po-*
B *pulos, qui summo Sacerdoti, quive Cæsarum ditioni contributi sint. rem Mediolanensem, & ceteras urbes se ita ab Henrico accepisse, ut eas illi restitueret, qui post illius obitum legitimè imperaret: pendeant licet ab summo Pontifice novi Cæsares; indignum tamen esse, illorum amplitudinem isto commento, & insidioso prætextu circumscribi. de liberandis captivis sibi liberum non esse: hoc idem de exulibus recipiendis in urbem, quibuscum totiens, & tam diu de potentatu pene ad internecionem dimicatum esset: referre ad quietem, & popularium pacem eos longius à patria, & finibus distineri: ne si recepti fuerint, denuo civiles discordias, & perniciosa certamina suscitent: se paratum quocumque piaculo, si quid*
C *erroris, & peccati commiserit, expiare.* Hæc Matthæi responsa approbavere cuncti, qui aderant; & si reconciliari cum Pontifice in primis cuperent. Moritur per hæc tempora Matthæi uxor Bonacossa de gente Burrorum progenita; in æde divi Eustorgii honorifice sepelitur: aliquot post annos Joannes Archiepiscopus ad annua matris parentalia reditus ex prædiis tam rusticis, quam urbanis Prædicatoriæ Fraternitati constituit. Moritur item Ubertus Matthæi frater vir bello, & armis insignis. Ceterum cum peregrina arma nihil, aut parum adversus Vicecomitem effecissent, neque horribiles execrationes à studio in eam gentem, & fide socios, & a-
D micos deterrerent, Pontifex ad Legatum litteras minaces, in quibus execrationes, & diræ continebantur, mittit; pro indignissimo habebat Joannes, imperia sua nullam vim habere, & tam confidenter, & obstinate adversus factionem suam arma inferri. videbat multum dignitatis, & auctoritatis sibi detractum: ita plenus irarum, & indignationis Matthæum, & filios, tum ceteros, qui in partibus erant, ceu probrosos, sceleratos, & nefarios publicari, & cuicumque probro, ac injuriæ exponi: Astæ primum litteræ ad populum recitatæ, detestationesque actæ, quales nunquam legimus, quarum formulam Gulielmus Ventura, qui facto interfuit,
E subnotavit, & in codicem retulit: namque idibus Januariis cum ingens mortalium multitudo in aream convenisset, quæ pro æde Pontificali late patet, mercatum Astensis appellat, sublimem suggestum conscendere Beltrandus Cardinalis, Aicardus Archiepiscopus, & alii Sacerdotum Principes. Assidebant frater Barnabas Prior Provincialis Fratrum Prædicatorum in superiore, ut ajunt, Longobardia: Pax de Vedano, Jordanus à Montecucho, & Honestus Papiensis. hi inquisitores mali criminis, pravæque religionis erant: indidem alta voce illud præfati. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus:* subinde acerbè, & execrabiliter in Matthæum, &
F quinque filios nominatim invecti, ceu non cum hominibus; sed cum omnipotente Deo, atque superis bella gererent, ad dictionem causæ eos vocavere. præscripta die, intra quam non per procuratorem, aut nuncios; sed præsentes ea purgarent, & diluerent, quæ crimini dabantur. qui si contumaces edicto non paruissent, pro perfidis, & impiis haberentur, atque comprehensos lacerari, & aduri liceret. Illud etiam constitutum fuit, *ut quotidie per vi-* 1331.
cinas urbes inter solemnia sacrificia identidem execrationes pro omnibus aris repeterentur ante mysticum panem, in

in quem Christus per verba Sacerdotum de cœlo elicitur, ejusdem cum præfatione Psalmi: si neque execrationum metu, nec interdictis ad sanitatem converterentur. deinde postridie Calendas Februarias, quem diem Purificatio partus Virginis sacrum, & solemnem facit, ex eodem suggestu vexillum attollitur, in quo claves cancellatim inscriptæ inerant. inibi cum multa in opprobrium, & ignominiam Vicecomitis prædicata fuissent, ceu in summum discrimen res Pontificia devenisset, pronunciatur, *ut quicumque opes pontificias salvas esse vellet, is armatus signa illa sequeretur.* Provocati tam mares, quam fœminæ ad tam piam, & sanctam expeditionem; quippe expiaturi quicquid supplicii pro quacumque commissa noxa commeruissent. Post hæc sub finem Februarii Valentium cum honestissimo Sacerdotum comitatu, & valido præsidio, ne vim in itinere, & violentas manus qui abominati fuerant inferrent, Beltrandus proficiscitur. iteratæ fuerunt in eo loco detestationes, denunciatumque, ut Vicecomites in numero impiorum, & sceleratorum haberentur, quibus omnes decederent, aditum, sermonemque defugerent; ne quid ex contagione incommodi acciperent. mulctantur præterea omni jurisdictione, magistratu, & præfectura, ne jus populis dicant; neve ex eorum nutu, aut imperio pro tribunali Prætor judicia reddat: nullus denique honor cum illis communicaretur, qua pœna etiam nepotes tenerentur. in vinculis si capti forent tantisper custodirentur, donec libertatem, & vitam auro redimerent: & quisquis in eam militiam nomina daret, id veniæ promereretur ad expianda crimina, quod iis concedi solet, qui Christianum nomen ab immanibus Barbaris defendunt. Genuæ, ut in Annalibus gentis proditum est, pro æde Divi Laurentii primo solemnis jejunii die ad populum denunciata fuit detestabilis execratio, & signum crucis sublatum. Litteras tabellis affixas, & pro mœnibus expositas plerique sagittis confixere; quippe edicta, & promissam expiationem aspernati: certum enim illis erat, illa denunciatione, & immortalis Dei religione adversarios armari. perlatæ ad Pontificem litteræ illum ad ultionem tam insignis contumeliæ magis exacerbarunt. Obsessi haud parvo gaudio affecti sunt: putavere, divinam iram in contemptores provocatam. Dimittuntur interea ad eas urbes inquisitores, in quibus Roberti factio prævalebat; ibi quoque Matthæus, & filii; tum quicumque ab illis stabant à grege piorum, & fidelium ejiciuntur; sed inter execrationes, & maledicta multi mortales erga Matthæum alacriores, & constantiores facti sunt. Erat in evidenti, Matthæum falso insimulari, & illos criminis insontes esse, atque execratione terribili Regnum Roberto comparari: quam Pontificis impotentem iram, & inexpiabile odium Florentinus recens Vates per suppositam personam acerbius taxat. Petrus enim in successores invehitur, qui salutari aqua regeneratos pari amore, eademque charitate non complectantur; & potens clavis his saluti; illis vero exitio foret. Hic nemo mihi opponat, Dantem paucis mensibus ante publicatas execrationes mortem obiisse: namque triennium amplius ob prohibitum Sacerdotio Aicardum sacris interdictum Mediolanensi populo fuerat; tum semel, atque iterum repetitæ execrationes in favorem Roberti fuerunt: quare haud ambigam, à Petro livorem & malignitatem Pontificis designari; quanquam Dantes pro instituto poëtico nomen Sacerdotis supprimat; ut scilicet habeat enarrator in quo ingenium exerceat, & diligentiam ostentet. quid si forsan extimuit ne infensum Pontificem magis in se irritasset? Ceterum Franciscus Petrarcha, quam iniqua res fuerit, & prodigio similis tanto studio perdendæ Italiæ, & urbis maximæ subvertendæ Pontificem flagrare, quodam in loco aperte scribit. Parum illi videbatur pecunias, & milites suggerere, ut acie & prœlio decertaretur, nisi per exe-

A crationes, ceu profanos, & violatores religionum expugnare tentasset. Verum Deus omnipotens pro iis stetit, qui justiora arma ceperant; ut ab eventu ea causa melior judicari debeat, quam Deus Optimus Maximus juvit: quæ ne ex affectu, ut præsentium gratiam aucupari velim, me scribere quivis existimet, ipsa Francisci verba subjiciam, quem advocatum adversus obtrectatores paravi, sumpta de eo libro, cui titulum, & nomen non inscripsit; propterea quod Romanos Sacerdotes paulo asperius incessit. Eo tempore, quo ille Pontifex maximus, qui sibi provinciam Italiam, atque in primis urbem hanc Mediolanensium evertendam sacerdotalis mili-

B tiæ servili expeditione delegerat, & sic in utramque Christianam Christianorum pater perfecto odio sæviebat, quasi non Italia hæc, sed Syria, vel Ægyptus; non Mediolanum, sed Damascus esset, aut Memphis: cum ad hoc sanctum, piumque opus unum è sacro Patrum collegio, filium (ut multi dixerunt) suum, & famam similitudo ingens, morumque ferocitas adjuvabat; non apostolicum, sed prædonis in morem; neque signis virtutum, ac miraculis, sed signis castrorum, & miris instructum legionibus in has terras, quasi alterum non Petrum, sed Hannibalem, destinasset; in quo bello Deus omnipotens suo more, & superbiæ restitit, & favit

C humilibus, & palam pro justitia decertavit. Fuit unus ex eodem illo grege vir in nos & ipse inexplebilis odii, infinitæque superbiæ; cujus ego tunc & faciem puer noram, & quantum poterat ætas invalida animum execrabar. is Pontifici ante omnes casus die quodam in secretarium ingressus cum rumoribus consternatum, atque anxium invenisset; hærebant enim belli impetus præter spem hujus urbis in limine, quæ tunc quidem muris nuda erat: at, quod optimum muri genus est, & militia insigni, & ducibus armata fortissimis: itaque sæpe jam obsessores suos acie fuderant obsessi; jam captivorum turbis carceres redundabant: jam cæsorum pingue-

D scebant arva visceribus. In hoc igitur rerum statu cum solito mœstiorem cerneret, familiaritate intima fretus sic aggreditur: *miror*, inquit, *Pater sanctissime, quod est quare acutissimus in ceteris, in eo uno, quod est summum nobis, ac præcipuum parum vides?* ad hæc Pontifex gravibus pressum curis caput extulit; *& perge*, inquit, *quid rei est? tunc ille consultor egregius, scio*, ait, *te nihil tam optare, quam Italiæ vastitatem: in hoc vires, opes, consilia expendimus: in hoc Ecclesiæ thesauros jam pene omnes effudimus, inextricabilem rem aggressi: nisi alia teneatur via: ecce tuus ille tantus bellorum apparatus, illa nostrarum virium cuspis in ipsis Mediolani portis obtunditur. quam tibi adu-*

E *latores uni alicui nostrarum urbium similem asserebant, re ipsa superior omnibus est inventa; quando Italiam vinceremus, ab una Italica civitate vincimur. sed si velis alia longe facilior via. quænam*, inquit Pontifex, *dic ocius: hoc enim molior, hoc cupio: hoc est unum, pro quo velim corpus; & animam pacisci.* ille autem; *potes*, inquit, *omnia, & quicquid jusseris ratum est. cur igitur & Papatum, & imperium urbi Romæ, & Italiæ non eripis, & illud in Canturcum patriam vestram; hoc in Germaniam transfertis? non magnus est labor. dic, & fiet. non armis opus est, quibus longe impares sumus: verbo de hostibus triumphabis: sic & nos ornaveris novis insignibus ad vos translato rerum apice, & gemino lumine*

F *invisum genus orbaveris.* His erectus Pontifex, ex ira risu oborto, *fefellisti me*, inquit, *hactenus. nondum te delirare cognoveram. an ignoras inscie, hac via, quam stravisse subtiliter visus es tibi, & me, & qui mihi successerint Episcopos Canturcenses fieri, & imperatorem, quisquis is fuerit, Germaniæ præfectum; illum vero, qui Romæ præfuerit; si quidem spiritaliter, Papam; sin temporaliter, Imperatorem fore? sic Italum nomen, dum evertere putas, attollis, & in antiquam restituis dignitatem. nos ergo dum datur desuper Romani Pontificatus frena teneamus, & in hoc omni studio intenti simus,*

ne quando forte suum jus Italica manus arripiat: quod ipsum quamdiu prohiberi possit, incertum est. de titulis non certemus: velimus, nolimus enim, rerum caput Roma erit. His auditis, argutus ille stultus erubuit. Hæc Petrarcha. Si forsan quæret aliquis quid hic scribat muris tunc nudatum Mediolanum, is sciat, à Luchino Vicecomite, qui post Accium Regnum tenuit, interiorem urbis murum extructum fuisse. Bis cruenta pugna, in qua multi mortales occubuere, captivorum quoque numerus in vincula conjectus fuit. Primum pro mœnibus patriæ; tum vero ad Moguntiam principe, & ductore primo Galeacio edita est. *Post execrationes, horrendaque edicta Astæ, & Valentii publicata* quidam tradunt *in Gallias, poscendæ pacis gratia, nuncios missos.* Alii scribunt *eos duodecim Oratores Valentium ad Beltrandum accessisse; & cum intolerandæ conditiones pacis, & veniæ oblatæ forent, trans Alpes ad Pontificem profectos.* Hanc scriptorum varietatem iteratæ parvo temporis intervallo execrationes fecêre; & cum ad iram implacabilis esset Pontifex, sæpius nuncii, & oratores commearunt. Interea Derthonenses, & Alexandrinos crebris excursionibus, & fœda populatione Cardonus infestabat; vicos, & castella, quæ Vicecomitis erant, diripiebat, arbores succidens, ædificia incendens, frumenta corrumpens, ut magis cum agris, quam cum hoste bellum gereret. Accesserant quingenti sagittarii: vicum Derthonæ vicinum, Vigisonum nomine, per vim capiunt, quod Marcus haud ita multo post expugnat, multis eorum, qui in præsidio erant occisis. nihilo tamen secius tecta, & agros adversariorum Raimundus populabatur. Campi sunt patentes, quos fluvii intersecant, qui fere ubique vadari possunt. ita difficile erat à populationibus Barbarum arcere. Inclinabant in eo tractu ad Robertum permulti: ad Padum bellum constitit. reposcebat Robertus Derthonam, & Alexandriam, quas urbes pridem, dedentibus oppidanis, receperat: Vercellas, & Novariam sui juris esse ajebat; propterea quod administratio earum jussu Pontificis sibi cessisset: id Matthæus contemnere dictitans, *iniquum esse externum Regem sub procurationis titulo, regno Germanos Reges intervertere.* Inter hæc Galeacius veritus, ne pater tædio execrationum, & querelis populorum, qui interdicta sibi sacra graviter ferebant, pacem sub iniquas leges cum Pontifice faceret, Mediolanum petere constituit. Convocatis itaque in concionem Placentinis, & iis præcipue, quorum favore, & opera urbem obtinuerat, in hunc fere modum verba facit: *Quæ causa nunc in patriam me trahat, nemo vestrum est qui nesciat. Bellum à Pontifice indictum, immissi ad devastandos fines exercitus, tum detestationes adversus nos publicatæ patrem exagitant; qui quamvis senio confectus sit, viget tamen in eo vis animi, & consilii: neque ita senectus degravat, ut etiam remedia malis invenire non possit. sed cum bellum in dies majus finitimus, & potentissimus Rex paret, populosque passim concitet, Mediolanum petere statui: ut socius tantorum laborum patris sim, simulque mea præsentia novandarum rerum si qui consilia ineunt, ab iis desistant: simul etiam ut majores copias ad vim propulsandam, summovendosque longius hostes commodius comparemus. urbem vobis relinquo pacatam. In nostra potestate sunt vici, castella, & arces. unus dumtaxat Vergusius, quia imperia nostra pro ingenita superbia pati non potest, in exilio vivere constituit; ut scilicet mihi, & vobis insidias struere possit. Accius filius cum haud magno præsidio urbem custodiet. tanta est in vobis, & prono obsequio fiducia, ut etiam sine præsidio in officio vos permansuros putem. Illud autem hortor, & moneo, ne milites nostros longius abire sinatis, etiamsi insperatus hostis fines invaderet, ferro & igni cuncta devastans.* Ad hæc Manfredus Landus: *Consilium tuum, Princeps Illustrissime, probamus omnes. perge, Deo bene juvante, quocumque libuerit. de fide nostra nihil dubites, tibique persuadeas, in omnem eventum nos promptos, & alacres fore; ne-*

A *que solum quæ imperaveris facturos; sed sive fines tueri, sive regnum prolatare volueris, omne nos periculum atque discrimen subituros. Accio ita parebimus atque tibi: pro quo juvando, atque defendendo fortunas omnes nostras & vitam (si oportuerit) exponere non recusabimus.* Gratias illis Galeatius pro fide, & liberali animo, atque obsequio magna insuper pollicitus egit: atque statim Mediolanum versus ire pergit. Jam Cardonus Augustæ arcem opere, & munitionibus circumvallaverat; machinis, & tormentis muros discutiens: naves præterea acciverat ad custodiendum, ne quis qua fluvius alluebat commeare ad obsessos posset. deinde cum plus militum ad eum accessisset, Padum
B trajicit, atque in loco, qui non amplius mille passus à fluvio abest, Baccianorum vicum appellant, consedit. Perculsi accolæ; nam opportunitate loci circumjacentia omnia facile Barbarus deprædari poterat, ad Spinolam, & Marcum protinus concurrunt; rogant, ut hosti se opponant. continuo copias hi contrahunt: tum socios, & amicos accersunt. Ingens advenerat voluntariorum peditum multitudo: ita, comparato majore exercitu, Cardono occurrunt, atque haud longe ab hoste castra muniunt: equitatu pene pares utrique erant: præstabat Vicecomes peditum numero: paucos dies prœlia sine ullo certo eventu faciunt; namque Cardonus ubi su-
C stinere impetum, & vim hostis non poterat, in vicum se recipiebat. à feroci Barbaro munitionibus castrorum Spinola, & Marcus se tuebantur. jam Galeacius Mediolanum accesserat. dies Joannis Baptistæ aderat natalis. Matthæus salutandi templi gratia, quod sub Joannis nomine religiosum, & opulentum habetur, Moguntiam profectus est: ibi in languorem incidit, jamque vires deficiebant. in monasterium propinquum Crasenzagi defertur. accessêre ad eum filii, quos vix hortatus, ut pacem, & veniam à Pontifice exposcerent, moritur septuagesimo & secundo ætatis anno, ut fere in omnibus Annalibus proditum est. quanquam sunt qui scribant *duodeoctoginta annos natum.* mors ejus tantisper cæla-
D ta, donec ea filii compararent, quæ muniendo Regno, firmandisque opibus idonea erant. sepultus est sine pompa funeris *Crasenzagi*, vel, ut alii, in *Claræ vallis templo.* sepulchrum ignotum mansit ob iram Pontificis, & metu execrationum: nam, quod in Actis inquisitorum adhuc extat, in mortuum Joannes Pontifex desævit per litteras, quarum exempla legimus: populis præcipit, ut illius ossa de sepulchro eruta dispergant, eos detestatus atque execratus, qui quominus id fieret, repugnassent. Ceterum si candidi rerum judices justa æstimare voluerimus, Matthæum cuicumque Græco, aut Romano, absit
E invidia verbo, comparabimus: & tam ignoscant mihi illorum manes, quam nemo dicat ut viventibus blandiar, me hæc scribere: nostrum non est mentiri, aut, quod plerique faciunt scriptores, aliquid famæ affingere, aut nudæ narrationi addere. Regia progenitus stirpe, cujus majores metu externorum Regum inglorii, & ignoti vixere, majoris patrui in exilio, & militiæ comes, laborumque socius, reducta in patriam nobilitate, illius primum auspicio, tum suo ductu bella cum finitimis prospere gessit. procuratione rerum accepta, rempub. magnifice ac moderate administravit; & quamvis armis assuetus foret, nunquam tamen ferox, aut sævus fuit. parta securitate mitis. factionibus adhuc cives agita-
F bantur. insidiæ suberant; domesticorum invidia, suspecta fides; inimica erant domi arma: omnia hæc sicut prudenter cavit, ita civili animo tulit. præteritas injurias vix agnovit, raro ultus, & dum nimis concordiæ civium indulget, impia arma perosus, ab eo, cui fiduciarium Regnum tradiderat, patria, & fortunis ejicitur. Conspiraverant propinqui, cognati, & finitimarum urbium principes. domo profugus, egens, & mendicus in peregrina terra primum alienis impensis cum vitam degeret, nemini

unquam

unquam infra dignitatem supplex fuit. jam deplorata omnia cernebat. numquid votis adversarios interfecit? Minime sane: namque turbam, & conspectum hominum declinans in abdito secessu retibus, & piscatione calamitatem suam consolans, intrepidus semper, & contra adversa erectus numquam spem recuperandi Regni abjecit: id quod nobili, & celebri responso, quod Guidoni per nuntium illudenti dedit, testatum manet. Extrema illum mala obruerant, exilium, & egestas fatigabant, filii domo fugati, cognati, & partium studiosi in summo periculo, atque discrimine oberrantes. emersit tandem de profundo miseriarum fortis, constans, & prudens senex, quem alterna revisens lusit, & in solido rursus fortuna locavit. Declamator quidam mutationem fortunæ in Mario admiratus inquit; *quis crederet Marium super crepidinem sedentem aut fuisse, aut futurum Consulem: qui minus declamare licet? quis existimaret, Matthæum in intimo Benaci angulo retia texentem, & subinde piscantem aut fuisse Mediolani Dominum, aut mox recuperatis opibus, late regnaturum?* Certasse in hoc viro virtus, & fortuna mihi videntur: ut quantum illa de opibus, & potentia auferret, tantum altera in animi magnitudine, & constantia reponeret: donec utraque amice conjuravit. Ergo peregrino favore, & factionis opibus in patriam restitutus, cum detecta conjuratione, & Barbaro cædibus gaudente, licuisset in æmulos potentatus desævire, Germanico furori intercessit: cives inter cruentos gladios humanitatis admonere, & ut finem cædibus facerent hortari, ne dulcedine vindictæ patriam perditum irent. Vix eorum bona, & fortunas diripi passus, cum quibus de potentatu, & salute dimicasset: & cum in ditionem, & imperium suum opulentissimam civitatem, vicinosque populos redegisset, invidioso Domini nomine abstinuit, Procuratoris appellatione contentus. Agente adhuc in Longobardis Henrico, paululum remissa erant odia, resque pacatiores sperabantur. illo mortuo, rursus ad intestina certamina, funestaque bella Hetrusci, Ligures, & Longobardi redeunt. Factio Pontificia, ingruente exulum multitudine, succumbebat. ea Roberto Regi se addixit, in cujus armis, & opibus spem omnem Guelphi per universam Italiam reposuerant: socios, & eos omnes, qui in fidem, & ditionem suam venerant Matthæus sublevavit, atque tutatus est: vires, & arma adversariorum acie, tum suo, tum filiorum auspicio, & ductu sæpius profligavit, quo pacto debellari Rex posset, ostendit. Gallorum, & Germanorum Reguli accitu Pontificis, & magnis pollicitationibus onerati adversus Vicecomitem descenderant: auro, & prudenti consilio ut trans Alpes exercitum reducerent, nulla re egregie gesta, effecit. Duo Pontifices Clemens, & Joannes Roberto post Henrici obitum ad imperium sub procurationis titulo viam affectabant. quo tempore urbem, per causam violati Sacerdotii, Joannes sacris interdixerat. Restitit Matthæus: ne scilicet Germani Cæsares suo jure fraudarentur, suæque factionis vires, & opes affligerentur; neve ipse in servitutem caderet. iratus Pontifex, quia parum hominum vires, & arma proficerent, diris execrabilibus Matthæum insectatur, populos, promissa criminum venia, ad illius, & gentis excidium provocabat. exterminatus cum ignominia è grege, & numero piorum erat semel, atque iterum. per urbes Italiæ horrenda edicta publicabantur. nunquid Matthæus tot contumeliis affectus, & in periclitatione rerum auctoritatem Pontificis contempsit? Minime sane. per Legatos pacem petivit ab Joanne, qui factus iratior, quasi potestati illuderet, illum indicta causa de impio, & nefario crimine condemnat. O mira Matthæi in Præsidem Sacrorum reverentia! o patientia nunquam alias cognita! o mite, & mansuetum hominis ingenium! nihil aut cogitavit, aut molitus

A est, quo majestas Summi Sacerdotis lædi videretur. non redditus Sacerdotiorum intercepit; non templa spoliavit; non vim ullam religiosis viris, & iis, qui Pontifici obsequebantur, intulit. pie semper, ac cum metu de primoribus Sacerdotum loquebatur. impotentem Pontificis injuriam onerabat invidia: invisum Joannem faciebat: summum illud in augendo Roberto studium intolerabile erat exemplum. degeneraverat ab ea charitate, quæ propria, & peculiaris Pontificum fuerat. quo nomine factum credo, ut plerique mortalium in partibus contra Pontificis edicta perseveraverint, neque militiam, quam sub Vicecomite semel professi fuerant, ejurarint: quin et-
B iam fœminæ Deum metuentiores minas irati Pontificis non expavêre. Sed quid non facit vel rerum inscitia, vel magis livor? Est quædam innata malignitas, quæ partium studio bonum alioquin hominem à recto, & justo judicio plerumque avertit. Antonius Florentini Sacri Antistes gloriæ Vicecomitum infestissimus, acerbius quam bono viro conveniat, Matthæum lacerat, & ceu expiabilis noxæ reum, non capitis, sed æternæ pœnæ condemnat. de cujus obitu in spatiosis illis voluminibus hæc scribit. *Dominus Matthæus Vicecomes vigesimo sexto Junii die moritur, cujus anima sepulta est in inferno; mortuus est enim schismaticus, & hæreticus.* Odiosa sane ver-
C ba, & ab improbo homine prolata. Nunquid Matthæus vir alias bonus, & pietatis eximiæ, facti pœnitens veniam criminis demereri non potuit? Quid non? si quam noxam dum Pontifici adversatur commeruit, eam expiare, & mercede magna luere paratus tentavit. *Filiis*, ut apud idoneum scriptorem invenio, *moriens mandavit, ut iratum Pontificem lenirent, illique obtemperarent.* Sprevit expiationem, & pœnitentiam facti Joannes, repetitaque execratione, acerbius in mortuum, & filios desæviit; propterea quod Vicecomites ad necessitatem deponendi Regni subigere adnitebatur. Præterea Joannes Archiepiscopus cum Barnaba, & Galeacio à Stephano pro-
D genitis, ut publicis monumentis testatum manet, nuncios legitime institutos, & procuratores cum mandatis ad Innocentium Sextum misere, qui affirmarent, planumque facerent, Matthæum semper de fide recte sensisse, sinceroque animo, & pura mente Deum omnipotentem coluisse, neque quicquam aut fecisse, aut dixisse, in quo vera religio polluta, aut Pontificium numen læsum existimari posset; hactenus Pontifici reluctatus, dum opes servat, Regnumque defendit, ne principatu dejectus denuo exularet, aut in manus inimicorum veniret. quod autem ad dictionem causæ vocatus neque in Gallias ad Pontificem, neque Astam ad Legatum ac-
E cesserit; non per contumaciam id fecit, aut quod auctoritati Pontificis non obtemperare vellet: sed quia senio confectus in longinquas terras venire vix posset, eaque loca petere oporteret, in quibus adversa factio, & ii plurimum præstarent, quibuscum de imperio, & vita dimicasset. sub mortem vero, quod boni viri & Christiani foret, evidenti confessione veniam, & absolutionem eorum petisset, si quæ adversus voluntatem, & edicta Pontificis commisisset; atque ita illius ossa, & cineres sacrum in locum recipi debere. Sed cur Antoninus in damnando Matthæo tam curiosus, & petulans eam expiationem non commemorat, quæ adhuc Mediola-
F ni, Papiæ, Cremonæ, Bergomi, & Novariæ quotannis repræsentatur? ut quod equidem legerim, aut audiverim Regum nullus, aut quicumque alius populis imperaverit, obedientius, & suppliciter magis sacerdotum imperata fecerit. Theodosium celebrant, quod ingressu templi à divo Ambrosio prohibitus nihil quicquam irati animi ostenderit. Vicecomitum proceres jam supra centum, & quinquaginta annos patiuntur æquo animo commemorationem in æde divi Ambrosii fieri. duobus in locis extructa est ara; designati redditus ad alimenta Sacerdotum piacularis

ris item panis esurienti turbæ XII. Calendas Apriles diluculo erogatur. Peregrini quidam nescii, quantum ad regna defendenda referat Deum pie colere, & principibus Sacerdotum parere, multum de amplitudine imperii tolli putant. Frustrentur alii reverentiam Sacerdotii. nostri duces quorum inclita est religio, honori, & gloriæ hoc ducunt. Quid obsecro ad propitiandum Deum efficacius, quam pati sub oculis nostris talia fieri? Cur hæc suppresserit Antoninus, livore, an injuria haud facile dixerim. utinam intra cancellos Philosophorum, & Theologorum se continuisset, neque historiam attigisset. forsan famæ, & quieti populorum melius consuluisset. Sopita odia excitat, senescentes discordias renovat, dum causas, & origines civilium dissensionum, & certaminum longius repetit, & uberius explicat; vulnera refricat, & ad vindictæ studium mentes injuriarum oblitas suscitat, & accendit. sed nimis de Antonino. Ad te Matthæe revertor, cui recentiores Europæ Proceres à te progeniti assurgere debent. filii etiam, atque nepotes, quorum præclara facinora continenti quodam tenore per tot annos edita fuere, faciunt, ut priscos heroas æquare, imo vero anteire possis. Galeacius ab Gallorum cantu, qui Othoni victoriam portenderunt, appellatus, unde auspicatissima regnantium nomina. Marcus exulantium Ligurum defensor, & indefessus Roberti oppugnator, Luchinus Soloni, aut Pompilio jure comparandus. leges hic condidit, ad quarum præscripta nobilissimæ Italiæ partes publica negotia administrant, & Prætores in hæc usque tempora judi-

A cia reddunt, & quæstiones exercent; & proinde cognomen justi tenet: Joannes Archiepiscopus, quo nullus Sacerdos in Italia opulentior, & potentior unquam fuit: Stephanus, à quo invicti nostri duces. qua generosa, & fortunata prole ductus Facius Ubertus Priamo, & Matthatiæ te opponere, & quinque tuos filios decem heroibus magis anteponere, quam comparare audet. Franciscus Petrarcha tuæ ætatis te prudentissimum prædicat, &, si bene conjecto, Mario te comparat. in privatis, & publicis multarum urbium monumentis prudentiæ palma tibi datur. ita duo cognomina Magni, & Sapientis sortitus es; quod cui contigerit, haud equidem legi.
B denique te patres, & avi imcomparabilem habuere: sed nostra ætas unum tulit Franciscum Sfortiam, quem in contentionem adducere non verebor; sive prolem nobilissimam respexeris; sive quia Regnum, quod in Longobardis constituisti, Franciscus Sfortia morte soceri amissum recuperavit; ut alter Regni conditor, rerumque salus altera vocari mereatur. Vos autem illustres animæ haud equidem ambigo, quin continuis nepotum successionibus capiamini, supremaque sit vestra beatitas, quotiens ab iis, qui ad vos veniunt, nomen, genus, & amplitudinem Regni durare discitis. Sed hoc tempore quanto gaudio in Beatorum sedibus vos frui credo, quo Lu-
C dovicus Maria Sfortia Vicecomes res ita gubernat, ut Italiæ Dux, & moderator celebretur, memoriamque vestram obscuram, & pene intermortuam è tenebris in lucem, & vitam ita revocat, ut semper clara æternaque futura sit.

F I N I S.



PAVLI JOVII,
NOVOCOMENSIS,
EPISCOPI NVCERINI,
VITAE
DVODECIM VICECOMITVM, MEDIOLANI PRINCIPVM,
SINGVLORVM VERIS IMAGINIBVS ILLVSTRATAE.

PAVLVS JOVIVS,

EPISCOPVS NVCERENVS,

HENRICO,

GALLIAE DELPHINO,

S. P. D.



QVUM ad Nicæam in ſpem exoptatæ pacis adductus, Carolo fratri tuo Vicecomitum origines & principatus initia, brevi commentario me perſcripturum promiſiſſem, nihil inde mihi antiquius fuit, quam ut id, quod ſuſceperam, mature perficerem. Arbitrabar enim non multo poſt futurum, ut is ſummæ ſpei adoleſcens, cum optimo jure ſuo, tum præclara Cæſaris Auguſti liberalitate, Ciſalpinæ Galliæ imperio potiretur. Quamobrem non modo mihi honeſtum, ſed illi etiam maxime decorum atque jucundum fore providebam, ſi tantorum Principum res geſtæ in arctum volumen referrentur. Nam eos bellica laude, & magnificentia operum, & ſplendore vitæ cum clariſſimis Græcorum & Romanorum comparari poſſe, ſine controverſia judicamus. Ab hac Vos nobiliſſima ſtirpe maternum genus Regiæ Valeſiorum domui inſertum deducitis, unde hæc Vobis Mediolanenſis regni hæreditas petitur, tot cruentis jactata litibus, nec ullis unquam immitis Fortunæ terroribus intermiſſa. Regnavere autem ex hac illuſtri familia duodecim Principes centum & ſeptuaginta annis: tot enim ſunt ab Othone ad Philippum, in quo Principum progenies defecit, quum is ſine legitima prole deceſſerit. Cæterum confecto libro, quum offerendi hujus muneris votum novus ex violatis induciis renati belli tumultus aliquandiu fefelliſſet, tandem id totum Carolus ipſe atroci fato nobis ereptus interrupit; graviore quidem noſtro luctu, quod juvenis ſpectata virtute florentiſſimus, in ipſo partæ pacis limine conciderit. Id igitur quod ei debebam, tibi rerum omnium hæredi integra fide perſolvo. Tu vero ſapienter generoſeque feceris, ac plane regie, ſi eo animo librum evolves, ut repudiatis vitiis ſummos tantum virtutum flores decerpas. Id porro tibi haud difficile fuerit, quæ paternæ laudis æmulus, atque avitæ conſtantiæ præclarus imitator, ita diverſas miro temperamento in unum virtutes miſces, ut jam Gallia minime dubitet, quin ſis duobus longe maximis Regibus major atque felicior evaſurus. Vale. Romæ, IV. Kal. Aprilis MDXLVII.

PAVLI JOVII,

NOVOCOMENSIS,

IN VITAS DVODECIM VICECOMITVM, MEDIOLANI PRINCIPVM,

PRAEFATIO.



ETVSTATEM *nobilissimæ Vicecomitum familiæ qui ambitiosius à prealta Romanorum Cæsarum origine, Longobardisque Regibus deducto stemmate, repetere contendunt, fabulosis pene initiis involvere videntur. Nos autem recentiora illustrioraque, uti ab omnibus recepta, sequemur: contentique erimus insigni memoria Heriprandi & Galvanii nepotis, qui eximia cum laude rei militaris, civilisque prudentiæ, Mediolani principem locum tenuerunt. Incidit Galvanius in id tempus, quo Mediolanum à Federico Ænobarbo deletum est, vir summa rerum gestarum gloria, & quod in fatis fuit, insigni calamitate memorabilis: captus enim, & ad triumphum in Germaniam ductus fuisse traditur: sed non multo post carceris catenas fregit, ingentique animi virtute non semel cæsis Barbaris, ultus injurias, patriam restituit. Fuit hic (ut Annales ferunt) Othonis nepos, ejus qui ab insigni pietate magnitudineque animi, canente illo pernobili classico excitus, ad sacrum bellum in Syriam contendit, communicatis scilicet consiliis atque opibus cum Guliermo Montisferrati Regulo, qui à proceritate corporis,* Longa spatha *vocabatur: voluntariorum enim equitum ac peditum delectæ nobilitatis viginti millia ad Boemundum à Brundusio transfretantem adduxere, ne Itali vel studio religionis, vel bellica laude Gallis inferiores esse viderentur. Cæterum Otho jam duobus asperrimis ad Nicæam atque Orontem præliis, spectatæ virtutis famam consequutus, oppugnante demum Hierosolymas Gothifredo, gloriosa totius exercitus acclamatione, coronam promeruit, quum Volucem Saracenorum Ducem medio in campo ad singulare certamen, fortissimum quenque ex Christiana acie provocantem, ipse unus ante alios, nihil ejus immanis Barbari ferocia, vel terribili insignium armorum specie permotus, fortiter atque feliciter devicit, retulitque de confossi hostis galea opimum plenumque immortali gloria spolium, auritam scilicet viperam complicatis spiris minaciter à cono cassidis erectam, & puerum passis manibus devorantem: quod unum auspicatæ virtutis argumentum, non modo gentilitiæ laudis gestamen fuit, sed & posteris id insigne audacter usurpantibus, & imperia, & opes, & late gloriam portendit. Fuere qui existimarent, Volucem ex stirpe Alexandri Magni progenitum, tulisse pro insigni viperam, ex Olympiadis fabula, puerum parturientem, quod ea à dracone se compressam fuisse Jovis imagine prædicaret.*

PAVLI JOVII, NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI, VITAE DVODECIM VICECOMITVM, MEDIOLANI PRINCIPVM.

OTHO, MEDIOLAN. PRINCEPS I.

Vera ejus effigies, qualem hic exhibemus, ad Angleriam spectatur in eo testudinato conclavi, quod est in arce, ubi victoriam de Turrianis ad Decimum prælio superatis depictam cum elogiis Latinis videmus.



NOBILISSIMI Principatus fundamenta feliciter Otho jecit, Uberti filius, qui ab Asiatico Othone proavo nomen acceperat. Natus est Invorio in pago ad Verbanum lacum, magnis quidem natalibus, sed patrimonio tenui, & tum adeo afflictis totius familiæ fortunis, ut quatuor tantum & plane ignobilium vicorum ditione, tot gentiles Proceres Majorum suorum nomen tuerentur. Hi fuere, Invorium, Massinum, Vergantum, & Olegium: fundos etiam sat amplos Mediolani extra portam Joviam à Sultano Vicecomite emptos constat. Frequentibus enim Barbarorum irruptionibus, & civili præsertim bello, cuncta apud Insubres conturbata prostrataque erant, ut non mirum sit, tantas opes in publica calamitate corruisse. Sunt qui ex genitura, propter admirabiles siderum concursus, imperium ei à Mathematicis prænuntiatum fuisse asseverent. Verum ipse repudiatis prorsus Astrologis, id unum pro insigni ostento jocabundus accepit, quod Vicecomite Placentino, Mediolani Prætore, (qui tum erat supremæ potestatis Magistratus) & Othone Cæsare imperante, in lucem esset editus. Enituit satis mature in adolescente ingenium alacre, præaltum, ardens, & (quod mirabile erat) gravi prudentia temperatum: accesserat corporis atque oris dignitas maxime excellens: statura enim erat excelsa, & nexu nervorum longe firmissima, pectore autem lato atque exstanti, & radiosis prægrandibusque oculis: eloquentia vero illustri, exquisitisque literis, quum oporteret, ad jucunditatem exornata, adeo ut quum omnibus magnopere placeret, etiam sibi meliore fortuna dignus videretur.

Itaque ardente civili bello Gallia Cisalpina domo egressus, Romam se contulit ad Octavianum Ubaldinum Cardinalem, auctoritate atque opibus florentem; à quo benigne susceptus, adscribitur familiæ inter honestissimos. Nec multo post, quum in ea domo aliquamdiu virtutis eximiæ, perurbanæque comitatis, & naturæ nequaquam fallacis vel insidiosæ testimonia passim reliquisset, Octaviano præalta semper agitanti, in otio pariter atque negotio comes esse cœpit: adeo ut munera legationum obeuntem, & trans Alpes accitum, inter præcipuos sequeretur: hisque maxime temporibus extra
D ordinem necessaria domesticæ disciplinæ officia, cæteris languentibus aut occupatis, diligenter adimpleret, abnuenti semper & coacto similis, ne ambitione potius, quam obsequio, amicorum munia suscipere videretur. Literas enim scite atque expedite exarabat, dictabat eleganter, in omnique occasione œconomicarum rerum, cuncta ad pietatem, ad decus & temperantiam revocabat. Quibus maxime rebus, ita appetente Cardinalis ingenio, certissima laus pararetur, honesta quidem sibi in primis ad promerendam ampliorem gratiam, & demum ipsi Cardinali decora & utilis, ad petitionem summi Pontificatus contendenti. In unam enim eam
E curam amplissimos Senatores haud dissimulanter incumbere, uti aulæ artium peritus, facile intelligebat.

His moribus jam abunde claro, & prospera vigenti fama, Leo Peregus, Mediolanensis Antistes, in exsilio apud Legnanum mortuus nuntiatur: hunc Martinus Turrianus tanquam patronum ducemque Nobilitatis urbe pepulerat, quum ipse jam populi causam adversus Patricios suscepisset, perturbataque Republica, statum popularem, cæsis disjectisque Nobilibus, induxisset. Oderat Octavianus Turrianos tanquam Nobilitatis hostes: erat enim è vetusta ac illustri apud Etruscos Ubaldinorum familia:
F & privati quoque odii causæ intercedebant, parum quidem honestæ, sed ob id validiores. Nam ei Martinus paucis ante annis notam nefariæ cupiditatis inusserat, quum forte in Galliam iter habentem, hospitioque susceptum, in templo Divi Ambrosii ne carbunculum mirabili fulgore & rara magnitudine conspicuum è donariis auferret, armatus prohibuisset. Dicebat enim Cardinalis cupide inspiciendo tractandoque eam gemmam, omnino dignam videri, quæ ad ornamentum sacrorum


OTHO ARCHIEPISCOPVS
et
Vicecomes Mediolanensis.
H. v. Aa. Del. et Sculp.

solennium, in summa Pontificis Maximi tiara conspiceretur. Hic est ille Ubaldinus prælalto ambitiosoque ingenio, & magnis opibus potens, Danthis poetæ carminibus obliquo probro simul & laude celebratus.

Itaque ad excidium Turrianæ domus, & ad condendum in Vicecomitum familia principatum, fatali eventu Otho Mediolanensium Archiepiscopus ab Octaviano declaratur, qui amplissima ad id potestate, jure, munereque legationis fungebatur. Idque approbavit Urbanus Pontifex, vel ob id quod duos fœda dissensione Mediolanensium defuncto Leoni suffectos audiebat, Raimundum scilicet Turrianum, Martini patruelis potentia armisque potius quam liberis suffragiis provectum, & Franciscum Septariensem, quem virtutis commendatione populus Tribusque omnes in invidiam Martini, veluti impotenter & superbe dominantis extulerant. Favebat Othoni Urbanus, ut majestatis Pontificiæ jura tueretur. Itaque eum rite consecratum, insignitumque mitra & lituo pastorali, ad sacerdotii munus obeundum in Cisalpinam Galliam dimittit, eo etiam cupidius, quod Turrianis infensus erat. Nam forte per id tempus magno Othonis commodo Ubertus Pallavicinus Turrianorum copiarum Dux, Placentinorum agros Pontificiæ ditionis populabundus afflixerat. Erepserant Turriani paucis ante annis ad summam potentiam, ab initio in Republica popularem auram optimis artibus aucupantes. Postremo autem dominandi libidine accensi, totius publici consilii formam, Prætoris arbitria, & suffragiorum denique omnium jura libertatemque sustulerant. Fuere illis magnæ opes in Saxina valle, quæ est ad Larium lacum, creverantque plurimum hæreditate Tacii Reguli, qui geminos è Belgica Gallia profugos Turrianos fratres militaris indolis sibi generos adsciverat, atque adoptarat in filios. Ab his progenitum ferunt superiorem Martinum, cognomine *Gigantem*, qui post egregiæ virtutis facinora, ad Antiochiam multis in præliis edita, à Saracenis captus & miserabili supplicio affectus fuisse traditur. Hujus nepos fuit Paganus, vir excellenti virtute prudentiaque, qui multa cum laude liberalitatis & pietatis Mediolanenses à Federico secundo Cæsare ad Cohortisnovæ oppidum, cruento prælio profligatos, ad se recepit, incredibilique benignitate, omni humana ope adjutos fovit, domumque dimisit: cui non multo post optime de se merito gratiam retulere, demandato ei Præturæ magistratu, ipsoque cum universa familia civitate donato. Paganus ita gessit magistratum, ut nemo temperantia, æquitate, atque industria potior videretur, nisi populi ac infimæ plebis defensorem se professus, paulo acerbius Patritios, tanquam superbe ac petulanter minores ordines divexare solitos, patria exturbandos suscepisset. Hunc fato functum, & ad Claræ vallis templum funere publico elatum, omnes ordines diu luxerunt, honestaruntque marmoreo sepulchro, insculptis carminibus, cum titulo magnifice atque feliciter administratæ Reipublicæ. Pagano successit Martinus frater, vir ingenio perspicaci, erecto ad laudem, ac imperii & gloriæ maxime cupido: cæterum, quæ ad id opportunæ erant artes, multa civili clementia & lenitate temperato: hunc populus defensorem suum, patriæque patrem appellavit: Paulum enim Soresinam, Leonemque Peregum urbis Archiepiscopum, Patritiorumque Duces expulerat, bonis exuerat, exsilioque mulctarat, contuderatque adeo Nobilitatis animos, ut Respublica numeroso prævalente infimorum hominum consilio, in speciem libertatis, non obscure autem ad unum ipsius arbitrium regeretur.

Eo modo Nobilitate in ordinem redacta, & grassante plebe in Patritium sanguinem, Pontifex

A Romanus affectam laceratamque civitatem miseratus, Ravennatem Antistitem Mediolanum misit, qui Christianæ pietatis officio cædes tolleret, odia mitigaret, statumque perturbatæ urbis componeret. Is capita factionum ablegavit, & ante alios Martinum. Sed is non multo post evocatus studio veterum amicorum, hostibusque ad Divi Dionysii templum tumultuario certamine profligatis, in urbem est receptus. Exinde Martinus usurpato imperio, cuncta regere, plebisque præcipue commoda tueri, & novis & sellulariis hominibus præsidio esse: contra vero Nobilitatem asperrimis edictis armisque persequi, & late undique

B summovere. Confugerant Patritii ad Actiolinum à Romano, quem Ecelinum perperam aliqui nominant, qui rei militaris peritia, & immanitate crudelis ingenii, Duces omnes atque Tyrannos anteibat. Is Cæsarianarum partium Princeps erat, Federicoque secundo Dux & miles operam navarat. Itaque magnis coactis copiis, adversus Turrianos bellum suscepit, transgressusque Abduam, in agrum Mediolanensem sese effudit, Patritios in patriam reducturus, ulturusque eorum injurias sanguinaria manu, nisi Dii eam diræ pestis cladem avertissent. In eo enim metu & trepidatione Martinus constanti animo populum sub signis eduxit,

C interclusumque Tyrannum amne Abdua, quum à tergo Ubertus Pallavicinus, & Actius Atestinus, Bosiusque Dovaria, fœderati Principes instarent, commissa pugna superavit, tanta felicitate, ut ipse Tyrannus Nerone crudelior, suo atque alieno cruore perfusus, quum sese incitato insigni equo eripere conaretur, vivus in potestatem hostium devenerit, nec multo post in tabernaculo Bosii repudiatis remediis expirarit: quum nullis vel benignis precibus adduci posset, ut bene speraret, & obligari vulnera pateretur: torvis enim oculis ferociam spirans, neminique respondens, tot scelerum pœnas effugere accersita morte properabat,

D ne turpi incertæ vitæ desiderio, ludibriis ac ignominiæ superesset.

Cæterum eo prælio Nobilitas prostrata fugataque est, & Martinus auctoritate, gloria atque opibus adauctus, soluto pudore, dominatum arripuit, abolevitque ejus Concilii nomen, quod populus sub *Credentiæ* nomine instituerat, cujus decretis ipse dudum solenni sacramento adactus se staturum juraverat. Sed ea moderatione & temperantia Martinus utebatur, ut nullum omnino superbum aut insolens dictum ore vel gestu prorsus excideret: studebat tranquillitati, copiæque ac ubertati rerum omnium: Paulique Soresinæ adversarum

E partium Principis filiam matrimonio sibi copularat, ut & inimicis Ducem opulentum detraheret, & pacem atque otium se maxime cupere ostenderet. At Patritii ab his nuptiis repudiato Paulo ad Jordanem Ruscam Comensem se contulerunt: quamobrem Martinus majorem in dies gratiam, exactæque prudentiæ opinionem est consequutus. Ad confirmanda quoque populi studia, declinandamque invidiam, quum sumptuosius ædificare diceretur, omnes operas ad Ticinum conduxit, ut non procul ab Abiato oppido emissarium navigabile derivata parte amnis ad urbem perduceret, ad facillimas subvectiones importandorum ex agris

F fructuum: qua incomparabili commoditate populus in quotidianos usus perpetuo frueretur. Sub id tempus variæ Patritiorum manus ab exsilio, latebrisque remotiorum oppidorum ad Othonem pervenerunt, patriam & Sacerdotii sedem ex auctoritate Pontificis repetentem. Hi nanque in novam spem (quæ exsules & miseros nunquam destituit) erecti, undique coibant, parabant arma, veteres amicos & propinquos, qui domi remansissent, nuntiis ac literis solicitabant.

Itaque Otho crescentibus viribus, confecto noctu itinere, ad Verbanum, clientelasque suas contendit, Aronamque occupat, ut ea bello certa sedes foret, & firmiores demum copias tuto cogeret, ad bellum Turrianis inferendum. His rebus cognitis, Martinus quanta maxime potuit celeritate copias ex oppidis deducit, Pallavicinum evocat, quem in quinque annos perampla mercede conduxerat, Ticinumque transgressus, ad Aronam castrametatur. Horum adventu Otho quum diu terrestribus & navalibus copiis obsessus & oppugnatus, nihil vel repugnando, vel erumpendo proficeret, Fortunæ cessit, deditoque oppido, noctu profugit, ne in conspectum hostis deveniret, & suos ex pactione servavit incolumes. At Turrianus Aronæ, Angleriæ, Brebiæque arces demolitur, ut nihil, in quo hostis tuto consisteret, omnino relinqueretur. Exsulante autem Othone, Martinus moritur, Philippoque fratri administrandæ Reipublicæ gubernacula committuntur. Verum ille confirmatis opibus ad Principatum aperte contendens, se Prætorem in decem annos creat, certantibusque etiam Comi intestino bello Vitanis atque Ruscanis urbe potitur, Prætoremque ibi de Vitanis creat: adversarios expellit, in Volturenamque vallem usque persequitur. Sed tanta vis erat Patritiorum exsulum, Duce præsertim Othone, ut occulto metu plurimum angeretur, atque ob id parandas sibi omnino novas amicitias affinitatibus atque conjugiis existimaret, ut aliquorum Nobilium assensu atque studio, stabilire opes, retinere vim Prætorii juris, ac imperii auctoritatem Majorum virtute collectam tueri posset. Itaque Guliermo Pusterlæ Patritio filiam nuptui dat: ipse tum cælebs uxorem ex Biraga nobili familia ducit: traditur etiam uxor Francisco Turriano, Jacobi patruelis filio, ex gente Castillionea: qua cognatione subnixus, dispersis jam atque attritis exsulum viribus, ut impensæ parceret, Ubertum Pallavicinum, exacto stipendii quinquennio, missum facit, singulari Turrianæ gentis incommodo: nam ille contumelia accensus, per occasionem quantis maxime potuit artibus, Patritiis adhærens, Turrianos semper oppugnavit.

Sub id tempus Carolus Andegavensis è Narbonensi Gallia in Italiam venit, evocatus ab Urbano Pontifice adversus Manfredum, Pontificiæ majestatis auctoritatem, patris & proavi more, convellentem. Hujus amicitiam quum Turrianus magnopere appeteret, copias ejus intra fines recepit, & commeatu, veste, armis liberaliter adjuvit, ut Gallorum præsidio firmior factus, Pallavicini nobiliumque exsulum vim propulsaret: & quo præclarius studium ejus erga Regem ostenderetur, Emberram natione Gallum, Regis familiarem, Prætura civitatis ornavit. Philippus interea moritur, repentino correptus morbo: hic vir belli pacisque artibus abunde instructus, Principis & Domini spiritus gerebat, virtute Martino par, sed astu & ambitione superior. Accepit imperium statim Napus, quem Napoleonem aliqui appellant, Pagani filius, vir militaris, callido Tyranno quam moderato Principi similior: etenim nihil illi antiquius fuit quam Patritios cædere, proscribere, omnibusque contumeliis atque injuriis exagitatos ad internicionem delere. Erat Laudi Pompejæ certus miseris & profugis receptus, benignitate Vistarinæ familiæ, cujus princeps erat Succius. Hunc Napus, obsessa & capta urbe, periculoso certamine vivum cepit & interfecit, necatis etiam in carcere ejus gentilibus atque amicis. Fisiragam vero familiam Vistarinæ ex adverso æmulam, quæ Turrianæ factionis nomen tueretur, adversariorum opibus ditat, & principem in urbe constituit: utque Gulielmo Montisferrati Regulo, ad quem forte mortuo Pallavicino Patritii exsules confugerant, rerum suarum metum incuteret, trajecto Ticino, & admotis ingentibus copiis, Viglebanum expugnavit.

Iisdem diebus Urbano vita functo Clemens Pontificatum adeptus, enixe contendit, ut Otho à Turrianis reciperetur, ut sua in sede sacra populis id expetentibus administraret, prædiisque Templo dicatis, & tota divini juris possessione potiretur. Cæterum Napus, qui ad Othonis nomen fatali quodam metu expergisci, ac sermone & vultu inhorrescere erat solitus, Pontificis literas, & preces, atque item minas superbe contemnebat. Itaque indignante Pontifice, tanquam rebellis & impius, sacris interdicitur: Mediolani templa omnia clauduntur, sacrificiorum solennibus intermissis: populus dolet & angitur, neque tamen timore conterritus, postulare audet, ut admisso Antistite ira Pontificis leniatur, simulque civitas his imprecationibus expietur. Hærebat imperii finibus Otho, ad eumque exsules undique confluxerant: erat enim in eo præclara auctoritas, atque ex honestissima repetendæ patriæ belli causa, magna spes omnibus proponebatur. Quid enim æquius aut honestius, quam pro libertate sacrati Antistitis, contra Tyrannum impotentem, sævum, inferorumque furiis, sacrosancti Pontificis exsecratione devotum, arma ferre, crudelique dominatu detrudere?

Quum in his consiliis Nobilitas omnis versaretur, ob idque in agro Vercellensi sæpius coiret, Napus Paganinum fratris filium, acri ingenio juvenem, & Nobilium cædibus assuetum, Vercellensium Prætorem designat: petit à primoribus civitatis, ut eum recipiant, in magistratuque constituant. Ea res delata ad Patritios, qui Vercellis erant, omnium animos metu concussit, doloreque succendit: nemo enim vel ignarus rerum non providebat eo consilio Turrianum, & eum quidem cruentum ferocemque hominem, Vercellis Prætorem imponi, ut Patritios suæ gentis hostes urbe pelleret, passimque opprimeret, atque omnibus in locis persequeretur. Itaque exsulum principes, coacta armatorum manu, adventantem cum Prætoriis insignibus Paganinum in itinere obtruncant: quo nuntio Napus & Emberra adeo in vindictæ cupiditatem exarsere, ut immani eorum jussu, omnis sexus & ætatis exsulum propinqui, quum Paganini cadaver ad Divi Dionysii templum atrata familia convexisset, ad ejus tumulum tanquam hostiæ mactarentur: & quod miserabile spectaculum fuit, ad sepulchra Majorum plaustris in urbem referrentur. Scribit Tristanus Calchus, adeo vesana rabie Napum fuisse correptum, ut Musca filius, ad quem postea ex diuturno carcere recuperati imperii laus pervenit, comprehenso Medico, cui salutem ex lethali morbo acceptam referebat, vitam vix impetrare potuerit: quum gravissime juraret juvenis, dolore atque inedia sibi vitæ exitum inventurum, nisi vir sibi salutaris & innocens ab crudeli supplicio servaretur. Napus tamen ubi totam immanis vindictæ libidinem explevit, iraque deferbuit, id exsecrabile facinus detestari, in Emberræ sævitiam cum externi repentinique hominis, tum etiam raro sobrii, culpam referre, prorsus multa verborum ac vultus simulatione, facti atrocitatem lenire. Nec multo post, ubi id populum gravius tulisse animadvertit, ad mitigandam invidiam Gallus Prætura dejicitur, atque urbe ob iram civium excedere jubetur. Nihilo secius tamen Carolo Regi, de interfecto hoste Manfredo Rege, partoque Apuliæ regno, victoriam gratulatur, misso ad id munus Francisco fratre, cum ornatissimo comitatu, donisque regalibus: qui alacriter susceptus, & donatus balthco militari, Regiæque militiæ honoris causa

causa adscriptus, ita demum Mediolani vitam egit, ut ad imitationem Gallici luxus, splendore & domesticarum rerum apparatu Napum Principem anteiret.

Erat res Turriana in summo arridentis fortunæ fastigio, cruciabaturque ingenti cura Antistes Otho, mœstaque & extorris Nobilitas errabat, ab infimo quoque Regulo opem implorans, uti consumptis opibus atque amissa dignitate, quando toties repetita patria, bellum grave & ærumnosum improspere & diis haud dubie invitis renovasset. Vigebant tamen in Othone mira constantia, & spes incredibilis adipiscendi imperii Sacerdotalis: & proinde infracto animo Patritii eo duce, qui justissimam præferret causam, omnia sibi ad reditum atque victoriam faciliora fore existimabant. Erat inter extorres Squarcinus Burrus, vir apprime nobilis & opulentus, vigoreque animi ac armorum peritia illustris: cujus filia nomine Bonacosa, virtute, forma & fœcunditate insigni, Matthæo Magno nupserat. Huic Otho Patritiique, Pallavicino per eos dies morte surrepto, imperium militare detulerant, inierantque fœdus cum Guliermo Montisferrati Marchione, Ferdinandi Hispaniæ Regis genero, eo consilio, ut majore belli mole Turrianos oppugnarent. Destinabat enim sibi Guliermus, si id bellum susciperet, multo majores opes, multoque majus sibi in dies imperium. Verum externis soceri auxiliis sibi opus esse judicabat, ut eximiæ virtutis gentem, bellicarumque artium maxime peritam, Germanis & Gallis opponeret. Remanserant enim aliquot Gallorum turmæ apud Turrianos, ex his quos Flandrius Comes, Caroli Dux, in Italiam adduxerat: ipso enim in ea pugna interfecto, qua Pallavicinum & Gibellinos superarat, plerique ex ejus equitatu, postquam debellatum esse videbatur, orbati Duce, subsistere in Circumpadana regione, quam Neapolim usque ad Regem contendere maluerant.

Itaque ad Ferdinandum ipse Burrus in Hispaniam mittitur, ut legationi major inesset auctoritas. Is uti erat gravi facundia, explicatis partium pariter ac hostium viribus, terminatisque consiliis, à Rege copias impetravit, impositisque in naves sexcentis equitibus, & aliquot jaculatorum & sagittariorum cohortibus, in Liguriam est reversus. Nec multo post ab Savona, superatis Apennini jugis, cum ea manu ad Guliermum pervenit. Rex enim generum suum existimatione atque opibus adaugere, & prorsus efferre in spem ingentem amplioris imperii magnopere cupiebat. His confirmati auxiliis cum Othone Burrus & Guliermus ad Viglebanum, quod Turrianus præsidio tenebat, processere. Tentata est per quatuor dies oppugnatio, promotis scalis, & in coronam circumpositis funditoribus & sagittariis, ita ut murus continenter propugnatoribus nudaretur. Sed Turrianus miles pluteos ex crassiore materia pinnis coaptarat, quibus protectus magnam vim lapidum devolvebat, vulnerabanturque subeuntes, neque spes ulla expugnandi oppidi, nisi ingentibus balistis & machinis, longo laboriosoque opere ædificatis, relinquebatur: quod tum minime conandum existimabat Burrus, ne ultra Ticinum oppugnando eo oppido hærens diutius distineretur, quum superare amnem, & quamprimum oppidis Mediolano proximis bellum & pavorem inferre cogitaret. At Viglebanenses irrito hostium conatu, & felici suorum successu elati, quum Burrus milites ab oppugnatione revocaret, contineri minime potuerunt, quin adaperta porta protinus erumperent. Hos temere incumbentes, insolentiusque provectos, Hispani suo more refugiendo, & late pavorem simulando, opportune ludificati, à porta longius abstraxere, adeoque celeriter in gyrum reflexis turmis circumvenere, ut hostes, quum se pene ab oppido interclusos cernerent, & in receptu

A multis confixi jaculis laborarent, admixtis Hispanis intra portam refugere cogerentur: ac nisi impeditis atque occupatis valvis, demissa repente cataracta, densato ordine irrumpentes exclusissent, Hispani proculdubio sine vulnere oppidum cepissent. Ex Viglebanensibus aliqui occisi, plures capti. Periere & intus aliquot equites Hispani, superne tegulis oppressi: cæteri, permutatione facta cum his qui exclusi fuerant, in castra redierunt. Erat tum Ticino amni sublicius pons ad Turbicum vicum impositus, munitusque ad capita lunato aggere & ligneis castellis, in queis binæ utrinque Mediolanensium & Comensium cohortes ad custodiam excubabant.

B Decreverat forte per eos dies Ticinus, ita ut expediti equites certis vadis haud magno cum periculo tranare posse viderentur. Itaque Othoniani equites ferme omnes, & in primis Hispani confessores, totidem pedites in equorum clunibus transportantes, in adversam ripam evaserunt, & utrinque sub auroram improviso aggeres adorti, magno tumultu magnisque clamoribus subire cœperunt. Tanta celeritas Hispanorum fuit, ut in ea parte præsidium pene prius dejicerent, quam alterum à tota mole pedestris exercitus expugnaretur. Paucis interfectis, omnes Burrus, potitus ponte, inviolatos conservavit; & quum liberaliter etiam

C dimitteret, rogavit, ut ad referendam ejus beneficii gratiam jam tandem à Patritio sanguine temperarent, & sacrosanctum Antistitem templo sedeque sua, ac ipsos denique Nobiles patria atque penatibus dignos existimarent. Ob eam humanitatem Burri nomen Mediolani & Comi clarissimum fuit, & magna quoque pars ejus laudis ad Othonem referebatur, vel invitis & negantibus Turrianis, qui plebis animos his humanioribus officiis, pietateque hostium deliniri posse metuebant. Hujus Burri monumentum in peristylio ad ædem Eustorgianam nuper vidimus, exesis literis, & superstante scutata equestri statua cum sceptro imperatoriisque insi-

D gnibus ad veram oris effigiem depicta.

Cæterum Burrus & Guliermus diffuso per Laumellinum agrum equitatu, atque inde cum magna agricolarum trepidatione Sepriensem ingressi regionem, ac demum transversis itineribus Comensem pariter & Ticinensem secantes viam, vicos Mediolano proximos invasere. Erat ad Caratum oppidum in æstivis Narbonensium Gallorum equitum ala, ad eam reliquæ Italorum turmæ atque item cohortes, uti conscriptæ instructæque erant, Mediolano mittebantur. Napus interea, quanto maximo conatu poterat, suas ac externas copias cogebat, ut justo exercitu cum hoste patenti in

E campo congrederetur. Sed dum à Parmensibus auxilia exspectantur, Carrociumque cum signis militaribus & Valentes Prætoriani instruuntur, (sic enim eos spectatæ virtutis milites vulgo appellabant, qui ad tuenda signa delecti erant) Otho fit certior, Gallos negligentius, ut in nullo metu, vigilias obire, atque eos noctu opprimi facile posse, si expedita cum parte copiarum, Hispani equites mitterentur. Nec mora, re ad consilium delata, expeditionem suscepit Burrus, paucisque horis confecto per noctem itinere, Caratum pervenit. Forte Gallos Italosque, simul ea nocte liberalius epulatos, altior somnus oppresserat, & vigiles rari in statione segnius agebant,

F quum Caratenses exacerbati hospitum injuriis, Burro faciliores aditus ostenderunt. Itaque magnis clamoribus occupato oppido, nequicquam tentata defensione, inermes discinctique equites capti, Italicæque turmæ eandem fortunam tulere. Sed quum victores ingenti potiti præda, captivis indulgenter & non arcte custoditis, corpora & equos curarent, affuit instructo agmine Napus, Othoque & Guliermus eodem fere temporis puncto super-

pervenere. Commiſſa eſt extra oppidum pugna, Burro atque Othone inopinantibus, fœda utrinque militum concurſatione: nam & oppidum Germani equites irruperant, & captivi reſumebant arma: foris vero Turriani equites, & Mediolanenſis legio, Valentiumque cohortes, Guliermi copias adeo perturbarant, ut disjectæ in fugam verterentur. Hiſpani quoque equites, qui ſatis mature equos conſcendere, atque arma expedire cœperant, anguſto in loco confertæ Germanorum alæ impetum non tulere, uti magna ex parte inermes, & Maurorum præliis aſſueti: ſua tamen agilitate eo profecerunt, ut primis ſuorum interfectis, celeriter ſeſe explicantes, evaderent. Napus primi ſucceſſus victoria contentus, ſuorum agmina in acie continuit, ſive quod dolum ab inſidioſa gente ſuſpicaretur, ſive quod in ea admodum repentina utriuſque exercitus perturbatione, quum nihil pro certo explorari poſſet, liberatis præſertim Gallis, legionis diſſolutionem periculoſam exiſtimaret. Otho, Guliermus & Burrus, cum integro ferme equitatu, & magna parte peditum evadentes, continuatis itineribus, ultra Ticinum ſe recepere. Ita Napus ſua celeritate & opem oppreſſis ſuis opportune tulit, & felici caſu de hoſte victoriam eſt conſequutus. Hujus rei geſtæ ſeriem tempuſque Corius Scriptor confundit, falſoque aſſerit, ea die Theobaldum Magni Matthæi patrem fuiſſe captum. Merula quoque, utpote eam Annalium copiam, qua nos utimur, minime nactus, de Hiſpanis anguſtiſſime perſcripſit. Ab hac victoria Napum conſtat odium ſuum iramque violenter exercuiſſe, in eas præſertim familias, quæ ad hoſtes inclinaſſent, aut commeatum ex itinere præbuiſſent: Caſtellionumque in primis diruiſſe, quoniam ejus oppidi Nobiles (licet Turrianis affinitate conjuncti) in Othonis partes tranſierant.

Interea Otho ad Clementem, qui Urbano vita functo ſucceſſerat, proficiſcitur: orat, ut ejus ope in ſedem ſuam patriamque reſtituatur. Favebant Othoni plerique Cardinales, hortabanturque Pontificem, ut ſacroſanctæ majeſtatis jura, in ipſo Principatus initio, fortiter atque magnifice tueretur. Itaque Clemens gravibus literis Turrianos adhortatur, ut Antiſtitem recipiant: abnuentes ſacris interdicit, dirisque exſecrationibus adjectis, civitatem inferorum pœnis devovet. Ita clauſis templis, ſacrorum expers populus de Turrianis conqueritur; conſternatuſque eo piaculi metu, à Napo religionis jure poſtulat, ut pertinaciæ ſuæ finem imponere velit: æquum enim eſſe Othonem recipi, poſtquam uti civis ſpectatæ probitatis nomine, à ſummo ſacrorum Principe, præſulatu dignus eſſet exiſtimatus. In ejus ancipitis curæ deliberatione aliquandiu fatigatus Napus, ut religione tangi, & populi precibus permoveri videretur, Legatos Romam miſit, ut Pontificem magis ac magis averſum atque infenſum Turriano nomini, explicatis ejus contumaciæ rationibus, mitigaret. Sed eos Clemens Chriſtiana ſeveritate, tanquam pollutos & exſecrabiles, urbis Romæ ingreſſu prohibet, præcipitque ut mature Pontificii imperii finibus decedant. Ita Legati urbe excluſi, continuo Neapolim ad Carolum perrexere, ut ab amico Rege, atque eo quidem Patrono & aſſertore Pontificiæ libertatis, opem implorarent. Carolus re cognita haud multum cunctatus, Turrianorum cauſam ſuſcepit, pauciſque inde diebus, Turriani Rege deprecante, ſimulque Legatos ſuos Romam mittente, recipiuntur in urbem, ſtatimque in Senatum introducuntur. Regius primo Legatus poſtulavit pro communi jure gentium, ut Turriani, qui ſupplices ad dicendam cauſam veniſſent, æquis animis audirentur: eos enim eſſe in fide atque amicitia ſui Regis, ad cujus dignitatem maxime pertineret ſocios tueri, vel ob id præcipue, quod ſemper Cæſaribus Pontificio nomini infeſtiſſimis hoſtes exſtitiſſent, Regemque in primis Pontificum injurias vindicantem ſequuti, ejus victoriæ participes eſſe voluiſſent, & videri quoque procul à benignitate æquitateque ſanctiſſimi omnium parentis, eos ſacerdotiis atque opibus ornare, qui cum nefariis Tyrannis conſilia atque arma miſcuerint, & tum maxime pacis & otii tranquillitatem perturbare contenderent: ipſos vero Pontificiæ dignitatis defenſores, & ob præſtitam fortem fidelemque operam vel ampla præmia meritos, hoſtiliter perſequi, impoſitoque ipſorum urbi Antiſtite, ſævo atque æterno hoſte, ipſoque Duce exſulum maxime factioſo, exagitandos ac opprimendos præbere. Orantis Galli Turrianus Legatus verba excepit, adeoque acerbe in cauſam Othonis eſt invectus, ut quum vehementi & plane rabido ore modeſtiam omnem exueret, tanti conſeſſus obliviſceretur, præſentiſque Othonis famam maledictis atque inuſitatis criminationibus lacerando, fervore intemperantis linguæ provectus, magnam partem Senatus ſibi ac Turrianis averteret.

Ea omnia Otho Antiſtes ex adverſo conſurgens, moderata quidem, ſed plane illuſtri & generoſa oratione confutavit: repetitiſque alte contentionum initiis, oſtendit, Turrianos omnium præteritorum temporum Tyrannos, aſtu, impietate, ſævitiaque ſuperaſſe: quando Mediolanenſium inſigni beneficio in urbem adſciti, & ex præclaro tuendæ plebis titulo, ſummis honoribus honeſtati, ipſum demum urbis imperium, imperitis hominibus deceptis, uti perjuri ingratique homines arripuiſſent. De ſacerdotii autem ratione, & de calamitate Nobilitatis exſulantis, deque ſtatu ipſo deformatæ urbis, ita accurate graviterque diſſeruit, ut facto Senatus decreto, Pontifex reſponderit, ſe quamprimum Cardinalem Legatum in Ciſalpinam Galliam miſſurum, ut ex ejus auctoritate controverſiæ componerentur, hominem ea virtute atque induſtria, ut brevi rationem inventurus ſit, qua Othoni pariter ac Napo certis præſcriptis legibus caveatur: atque ita futurum eſſe, ut Othone recepto, & de more divini juris dicundi facultate potito, civitati ſacra redderentur. Nec multo poſt Legatus Othonem reducturus Mediolanum venit: actum ſubinde eſt de compoſitione ex formula Romani Senatus, omniaque pollicente ſe facturum Napo, & excolente omnibus officiis ac largitionibus Legatum, civitas expiatur, nec tamen Otho recipitur, magnoque ejus incommodo, dum Napus novas perficiendo negotio difficultates inſerit, ſenſimque inde tempus extrahitur, eluditurque Legatus, Clementem morbus repentinus oppreſſit.

Nuntiata Pontificis morte, Turrianus vel ob id etiam voti compos eſt effectus, quod Patres fœda diſſenſione in diverſa ſtudia proclinantes, in comitio aliquot menſes contenderant. Peropportune igitur Napus, excluſo ſummotoque Othone, ad firmandas imperii vires converſus, Rodulpho Cæſari Legatos cum ampliſſimis donis in Germaniam miſit; obtulitque ultro ſtudium ſuum atque opes ingredienti Italiam, ad coronam Longobardici regni de more ſuſcipiendam. His pollicitationibus lætatus Cæſar, Napum ſuo Auguſtali jure Præſidem, Procuratoremque in Inſubribus conſtituit, alamque Germanorum equitum mirificam ad eum præſidii cauſa miſit; cui Caſſonus Napi filius, juvenis decore formæ & militari virtute conſpicuus, præficitur.

Interim Othone in omnem occaſionem excubante, Cardinales Theobaldum Vicecomitem Placentinum, indito Gregorii decimi nomine, Pontificem creant: quum is infimi ordinis ſacerdos, ſed virtute inſignis, nunquam de toga candida cogitaſ

taſſet. Magno quidem Senatorum probro, qui neminem è corpore ſuo in ea pertinaci contentione, Pontificatu dignum exiſtimaſſent, nolentibuſque ſimiles, & caſu quodam ſuffragiis ludentes, probitatem ex alio eoque humili ordine quæſiviſſent. Ad hunc Otho profectus, de reditu in patriam ſedemque ſuam diu agitavit, adhæſitque ei in Galliam ad Concilium contendenti, quum ille & Urbani & Clementis acta ſe defenſurum in ea ſacerdotii cauſa prolixe polliceretur. Sed Napus tanto cum honore apparatuque Pontificem Mediolani ſuſcepit, tantaque liberalitate abeuntem in Galliam eſt proſequutus, ut Pontifex ejus ſacerdotii controverſiam non prius ſe cogniturum diceret, quam peracto Lugduni Concilio, in Italiam reverteretur; Raimundumque ſubinde in gratiam Napi fratris, totiuſque Turrianæ domus, Aquilejenſem Patriarcham crearit. Hic erat Epiſcopus Comenſis, multa morum gravitate, ſed profunda ambitione & nefaria ſimulatione inſignis: ab eo enim, in id ſcelus tota familia conſpirante, ſummiſſos percuſſores ferunt, qui Othonem Placentiæ in aula Pontificis obverſantem, obſervatis veſtigiis, obtruncarent: ſed ille per ſervum ex cauponariæ mulieris indicio, inſidias ſubodoratus, noctu iter arripuit, Lugdunumque contendit. Refert Stephanardus Flamma, qui eam hiſtoriam carmine conſcripſit, Pontificem ipſum (quod vix credibile eſt) nefarii conſilii conſcium fuiſſe: & quod fortaſſe pro falſo eſſet omittendum, niſi & tum & poſtea quantum vita ſuperfuit, Othoni animum plane hoſtilem, & quo lethalius noceret, inſidioſis honeſtorum verborum coloribus convelatum oſtendiſſet. Ita his Othonem à gladiis Turrianorum fortuna conſervavit, ſemel in æde Ambroſiana, dum Octaviano Cardinali adeſſet, quæritantibus eum Turrianorum ſatellitibus, uſque ad latrinarum receſſus: iterum ad Placentiam.

Peracto Lugduni Concilio, & compoſita duorum Cæſarum controverſia, decretoque novarum copiarum ſupplemento, ad inſtaurandum in Aſia bellum, Gregorius in Italiam eſt reverſus, comitante Othone, qui ſpei optimæ plenus ex præclara ejus pollicitatione, diu exoptatum æquiſſimis poſtulatis ſuis exitum exſpectabat. Sed Pontifex jam plane Turrianæ factionis effectus, Othonem occulte oderat tanquam creditorem & æqua poſcentem, palam tamen multo cum verborum honore, veluti gentilem benivolumque ſuum, uti bene ſperaret, hortabatur. Accurrerant ad Othonem viri Patritii, magnuſque amicorum, ac affinium, clientumque numerus in dies apud eum augebatur: quo illuſtri comitatu, Pontificis aula frequentior atque ornatior reddebatur: nemoque jam exſulum erat, qui non plane ſperaret propenſione ſtudioque Pontificis, Turrianos Archiepiſcopum eſſe recepturos. Jam enim Franciſcus Septarienſis, quem populus delegerat, ut Turrianorum potentiam auctoritatemque minueret, tædio turbulentæ contentionis, ſponte ſe abdicans, ad religioſi otii quietem ſe contulerat. Cæterum Gregorius ab Alpibus deſcendens, Othoni nihil tale exſpectanti præcepit, ut Bugellæ Vercellenſis agri oppido ſubſiſteret, ne ejus adventu ad urbem Mediolanum, ea omnia, quæ de compoſitione paceque exſulum prolixe tractata fuerant, nova Turrianorum ſuſpicione aut iracundia turbarentur. Paruit Otho extrema compulſus neceſſitate, in occulto gemens & ſæpe ſuſpirans, nec tamen animum deſpondens.

Paucis inde diebus Pontifex, ipſo Patriarcha Raimundo ornatiſſime lætiſſimeque excipiente, cum Mediolanum ingrederetur, feſta fronde atque aulæis conveſtitæ erant regiones. Napus & Franciſcus, qui honoris cauſa ab equis deſilierant, adſtantes freno Pontificis equum deducebant; umbella ſerica denis haſtis à Turriana juventute præferebatur. Quibus obſequiis, aliiſque muneribus Pontifex haud dubie traductus in partes, & ab Othone diductus, ita demum Mediolano exceſſit, ut cum multa præfatione inanium verborum, æquiſſimam ſibi videri Othonis cauſam dictitaret: ſed ejus controverſiæ judicium in aliud tempus eſſe differendum: quod nequaquam è Republica Chriſtiana fore videretur, ſi Turrianarum rerum ſtatum, reducto potenti æmulo perturbaret: quando ii potentia virtuteque animi, magnis Regibus æquarentur, queis fœdere & amicitia eſſent conjuncti; colerentque ſingulari officio ac pietate Pontificiæ majeſtatis nomen, idque armis impigre defenderent adverſus Gibellinos, quorum inter principes Otho præcipuus eſſe cenſeretur.

Res enim tum in Italia adventu Caroli Regis eo deductæ erant, deteſtabili populorum omnium inſania, ut cunctæ civitates diris factionibus laborarent. Guelphi à Pontificibus ſtabant, quorum defenſores erant Galli: Germanis vero Cæſaribus alteri ſtudebant, qui Gibellini vocabantur. Hi magna ex parte nobiliores familias ad ſe pertraxerant: populares vero familiæ, & plebs ipſa, novique homines Romanorum Pontificum jura tuebantur. At Patritii ſuperiorum Cæſarum militiæ adſcripti, poſt emerita ſtipendia, clari potenteſque evaſerant, quum Imperatorum benignitate, prædiis, oppidis, portoriis, aquarumque juribus donarentur, ſpecioſiſque nominibus acceptis, Aurati Equites, Valvaſores, Capitanei, & Comites appellarentur. His, uti Cæſarum beneficiariis, mos erat pro inſigni Romanam aquilam geſtare, ingredienti Italiam novo Cæſari adeſſe, præſtare operam militarem, novoſque honores perpetuis officiis promereri. Ita honeſtati privilegiis, & exempti ab communi foro juris dicundi, inferiores populi claſſes, plebemque ipſam ſervilem in modum deſpectui atque ludibrio habere, & ſæpe, ſi juſſa tarde faceſſeret, contumeliis atque verberibus mulctare conſueverant: & quo nihil acerbius videbatur, vigebat iniqua lex, haud dubie ad injuriam populi promulgata: qua lege, ſi quis è plebe à Patritio eſſet interfectus, paucis aſſibus ea capitis pœna ſolveretur. Hujus legis iniquitas aliquandiu tolerata, ad extremum plebis animos adeo vehementer exſtimulavit, ut vi atque armis eam reſcinderet, & Nobiles Ducibus Turrianis perſequeretur. Nihil deinde medium aut æquabile plebs volebat, quum arma teneret, & vindicandas ſuperiorum temporum injurias arbitraretur; fruſtra etiam Pratritiis priorem licentiam ſuam moderantibus. Ea enim impotenter dominari, quam ex æquo injurias propulſare malebat. Ea contentio Turrianos, (uti ſupra docuimus) in civitate Prætores & Principes, ac demum recrudeſcente inteſtino malo, belli Duces & Dominos fecit: tantaque demum fuit imperitæ plebis inſania, ut odio Nobilitatis, quam urbe pepulerat cauſa recuperandæ libertatis, novæ demum & prædura quidem ſervitutis jugum æquo animo perferret: quum jam Turriani ſublata publici conſilii poteſtate, cuncta pacis & belli munia ad arbitrium ſuum revocaſſent, & ut imperii opes validius confirmarent, in partes Caroli Regis & Pontificum conceſſerant, mutuiſque fœderibus initis, in eam curam jugiter evigilabant, ut Germani Cæſares Italiæ finibus arcerentur, Gibellinos ubique perderent, infirmarentque eorum vires, qui à Cæſaribus opem implorarent. Per hunc modum Roma, Neapoli, Florentia atque Mediolano exacta proſcriptaque Nobilitas errabat, conſilii inops, perculſa metu, attrita opibus. Ex adverſo autem Pontificii imperii majeſtas, percolente

tuenteque Carolo, atque adjuvantibus Turrianis, auctoritate viribusque florebat. Sed necesse erat sacrosanctos Principes, qui uti omnium parentes Christiana professione ad componendam pacem medii æquissimique arbitri esse deberent, factiones sequi, & quod prope impium videri poterat, sese Guelpharum partium principes profiteri. His de causis Gregorius, ut temporibus serviret, præsentique otio consuleret, Othonis & totius Nobilitatis oblivifcendum existimavit. Verum ad inanem justitiæ speciem postulavit, ut Archiepiscopatus jura, atque item oppidorum & agrorum reditus, ad exsilii solatium Othoni redderentur. Vix credibile videri poterat, Othonem, qui eximia Urbani liberalitate creatus Præsul, singularique demum Clementis studio in repetenda dignitatis sede, usus fuisset, ab eo demum, qui & gentilis esset, & amicissimus putaretur, deseri & eludi penitus, hostiliterque traduci.

Sed in Othone ea vis constantiæ virilis, exactæque prudentiæ erat, asperrimarum rerum usu, & provectæ jam ætatis cursu confirmata, ut tum maxime sperare inciperet, quum cæteri exsules animum despondere viderentur. In summis enim egregie educati hominis dotibus reponebat, non frangi animo in adversis, putare Fortunam vivida virtute inferiorem, eamque contemnere uti penitus instabilem; atque ideo quum aversa tam diu esset, non multo post in complexum commutata libidine rédituram. In eo animi habitu quum aliquandiu ad Bugellam substitisset, intentusque in omnes rerum novarum motus, aliquam efferendi sese & renovandi belli occasionem circumspectaret, Gregorius Aretii decessisse nuntiatur. Nec mora, ad eam famam Patritia gens circumquaque ex infelicitate belli dissipata, ad Othonem coit; in communi consulitur: & quum Duce militari atque opulento, qui afflictas res atque humi prostratas erigeret, maxime opus esset, Gothofredus Languscus deligitur. Hic erat natalium atque opum claritate apud Ticinenses facile princeps, gloriæ atque imperii avidus, &, quo maxime placebat, Turriano nomini apprime infensus. Nemo enim è Cisalpina Gallia non suspectabat Napi opes, uti in immensum adauctas, conjunctasque Apulo Regi, Romanoque Pontifici, quodque finitimos terrere poterat, novi etiam Cæsaris amicitia atque præsidio confirmatas. Bergomum enim, Cremam, Comum, Laudemque Pompejam, Turriani certo jure in potestatem redegerant; interque Ticinum & Abduam, atque in propinqua Rhæticis Alpibus Volturena valle, expugnatis & excisis Nobilium arcibus, cuncta subegerant.

Itaque Languscus amplissimis Patritiorum pollicitationibus oneratus, (eum enim Mediolani Prætorem cum militari imperio, opimisque stipendiis designabant) & suo fatali judicio inductus, se partium Ducem futurum profitetur: evocat undique veteranos, & è Laumellino agro loricatas cohortes, sagittariosque item ex Liguria mercede conducit: ante omnia equitatui studet, ut Germanorum turmis resistat. Paucis diebus in eo apparatu consumptis, & sublatis signis ad Verbanum lacum proficiscitur. Nullum fuit in ea Præfectura oppidum, quod non statim aperiret portas. Erat enim in eo tractu Vicecomitum familia admodum potens & illustris, & jam erat cunctis invisa Turrianorum acerbitas, qui superiore bello, præda & cæde adversariorum non contenti, etiam in ipsa tecta & segetes igne sævierant. Itaque Arona & Angleria statim recipiuntur: Otho ipse cum valida manu in Sepriensem regionem irrumpit; ea, intercincta Ticino atque Olona amnibus, ad Verbanum usque vicis atque oppidis florens extenditur, ab oppidoque Seprio nomen ducit.

A Hoc Othoniani facile expugnant, & eo capto late undique excursiones fiunt, magnusque timor finitimis pagis incutitur.

Tum vero Napus à fœderatis sociisque civitatibus auxilia parare; equos militares mutuo acceptos, & è domestico stabulo fidis & fortibus amicis distribuere; urbanam legionem ad Carroccii tutelam ea severitate atque eo ordine describere, ut octo Tribus (tot enim erant urbis portæ) suffragio suo totidem, quos maxime putarent acres & impigros, singularum cohortium Tribunos pronuntiarent, Tribuni eligerent Centuriones; hi vero eos, qui pari delectu Decurias sacramento rogatas, mulcta imposita, ad vexillum vocarent. His B celeriter administratis, Cassonum filium cum Germanorum turmis præmittit, qui effuso & vaganti hosti protinus occurrat; ac confestim urbe cum Carroccio paludatus egreditur, cura urbanarum rerum Francisco fratri demandata. Is diligenter urbem novo præsidio munivit, suspectos relegavit, dubiis obsides imperavit, circumscripsit etiam metu & pœna nonnullos, qui spiritu, gratia, opibusque valebant. Interim Napus cum gravi peditum agmine Angleriam ire pergens, quartis castris ad Guasseram amnem pervenit. Labitur is ex proximis vallibus in Verbanum, saxoso passim impedi-C toque alveo, & quum imbribus intumescit, minime vadoso. Jam Gothofredus, cognito hostium adventu, in adversa ripa aciem direxerat, provectusque equo, ut cuncta oculis perlustraret, ineundi prælii occasionem exspectabat, eo animo ut hostes vadum petris atque virgultis impeditum ingredientes adoriretur. Non dubitavit Cassonus, qui tribus ferme stadiis subsequentem cum pedestribus copiis patrem anteibat, Germanos per se pugnandi avidos cohortari atque incitare, ut contra hostes confertis turmis provolarent. Erat in prima fronte præmio excitus à Cassono Antius Lauser, Germanorum Dux, armis cristisque conspicuus: hunc D insolenter trajecto alveo ante alios pugnam cientem, Languscus ipse pari alacritate concitato equo invasit, hastaque transfixit. Quo strato Languscani clamore sublato victoriam ingeminant, tumultuarioque procursu in Germanos deferuntur. Fit acre in vado certamen humili tum admodum profluente: Balistarii Ligures in densatos hostes sagittas excutiunt; equites peditesque miscentur. Erat jam de Germanis magna ex parte vulneratis parta victoria, quum Languscus terrefacto equo in tenacem alvei voraginem abreptus, ab hostibus capitur: nec mora, Germani commutata fortuna conglobantur: Languscanis amisso Duce animus concidit. Ap-E propinquat Napus, totaque mole copiarum impressionem facit. Funduntur Othoniani viribus atque animis impares: insequitur fugientes recens equitatus: magna cædes editur: Nobilium ala, Theobaldo Vicecomite acriter depugnante, aliquandiu restitit, & dum se in æquiorem locum subducere properat, circumventa à Cassono cæditur. In ea receptus iniquitate Theobaldus ipse, & cum eo viginti duo Patritii capiuntur. Ferunt Napum filii virtute lætantem, præ gaudio lachrymas tenere nequivisse: quando ea victoria unius horæ momento parta, magno timori, summisque periculis, & præduris laboribus finem attulisset.

F Franciscus Turrianus, qui Mediolani ipso plebis Tribunatu superbus, & populi & libertatis defensor appellari volebat, quum rei feliciter gestæ nuntium accepisset, essetque rogatus sententiam de captivis, crudelissime rescripsit, asserens cuncta simul Hydræ capita ense recidenda, ne renata venenum rursus effundant. Contra Cassonus generoso consilio in victoria, nobili virtute parta, clementiæ laudem quærens, ne supplicium de Patritiis jure belli captis sumeretur, obnixe deprecari. Sed Napus jam-

jampridem Emberræ sævitia, extra aciem patritio sanguine cruentatus, laudata, sed elusa filii lenitate, in duriorem partem inclinavit, deposcentibus præsertim Germanis truci cum fremitu, ut in vindictam interfecti eorum Ducis, Gothofredus necaretur. Nec multo post Napus, ut lege capitali ageretur, dira voce pronuntiavit; atque ita ad Galaratum oppidum duo & viginti insignes Patritii, ante alios & Languscus Dux ipse & Theobaldus, nefariorum hominum more, securi percutiuntur: & quod invidiam adauxit, cervicibus tantorum Procerum ad plaustri temonem ludibrio quodam appositis, atque ibi repetito sæpe ictu sævissime detruncatis. Erat Theobaldus B Andreoccio Othonis fratre genitus, sua virtute & specie corporis, sed multo magis felici prole clarissimus: reliquit enim Matthæum filium, qui postea ob virtutem, *Magni* cognomen adeptus, imperium ab Othone acceptum cum admirabili laude in posteros propagavit. Id exsecrabile facinus non lege militari, sed immani patratum rabie, nobilissimos quosque, & inter primos Languscæ familiæ Proceres, adversus Turrianos vehementissime concitavit; adeo ut non toto plane exacto triennii spatio, parem omnino cladem Turrianis funesta admodum illata calamitate rependerint.

Otho mœstus, uti domestico publicoque ictus C vulnere, è Seprio in Vercellensem refugit agrum, diu indignam Theobaldi necem lachrymis prosequutus: toto autem tempore nunquam animo sese demittens, sed hilari vultu acceptæ cladis mœrorem semper occultans, gravi oratione Patritiis ostendebat, Deos immortales nefario Turrianorum scelere permotos, occasionem renovandi feliciterque conficiendi belli proculdubio præbituros. Nec multi menses effluxere, quum ad excitandos animos initium præbuit populus Comensis, acerbitate Prætoris ad arma concitatus. Is erat Accursius Cutica, vir ingenio rapaci, factioso, & quod à liberis hominibus ferri non poterat, agresti qua- D dam ferocia superbo: eum sibi in Prætura suffecerat Napus, idque facile impetrarat pro amicissimo homine, & Patritiis maxime infenso: in hoc etiam Comenses pari obsequio remuneratus, quum pariter Corradinum Lavizarium Vitanarum partium principem, Mediolanensi Prætura eodem tempore ornasset. In hunc avare atque insolenter jus dicentem, quum forte juveni è Rusconа familia ad tribunal liberius loquuto, manus injiceret, populus impetum fecit, fugatumque & in prætorio obsessum cepit. Post id factum Decuriones ad Napum scripsere, ut si Accursium incolumem & dimissum vellet, ipsis honesta per- E mutatione Simon Locarnas remitteretur. Hunc civili bello captum Turriani ad ignominiam & cruciatum clathrata in cavea, feræ bestiæ more, concluserant, septimumque jam annum tetro squallore & fœda illuvie deformem ac miserum adservabant. Erat Simon è Muralta familia Comi admodum nobili, quæ originem à Locarno Verbani lacus oppido deducebat; ob id à Corio Merulaque Scriptoribus *Locarnas* appellatus: vir ingentis profecto animi, & proceri robustique corporis, atque utraque fortuna sua clarus, sed injuriæ vindicta maxime illustris. Visitur hodie Comi lapideum ejus sepulchrum, superstante equestri imagine, ad F vestibulum Abundianæ Basilicæ. Porro Napus amicissimi hominis periculo permotus, Simonem cavea eduxit, uti etiam contracto jam morbo non multo post aliqua vitæ aut aeris intemperie moriturum; improbante plurimum Francisco, & prædicante, Simonem suo astu viam aliquando reperturum, qua diuturni carceris contumeliam ulcisceretur. Cæterum ea conditione Simon est eductus, ut solenni sacramento juraret nunquam se

A adversus Turrianos arma laturum: sed ejus jurisjurandi fidem, uti summa expressam necessitate, non multis inde diebus penitus elusit; & quum inhumani carceris memoriam animo deponendam minime existimaret, gravibus apud veteres amicos habitis consiliis ad Othonem est profectus. Ejus viri adventu erexit sese in novam spem Otho, coivereque subinde Patritiæ gentis reliquiæ: nam hominem per se divitiis & clientelis validum, efferatoque animo studii sui vires omnes ad oppugnandos Turrianos effundentem, magna exsulum multitudo sequebatur. Apparebat enim Comenses Simone auctore in Patritiorum partes esse transituros, quando jam à Turrianis singulari ejus beneficio rebellassent.

Dum arma, equi, militesque parantur apud Vercellas, Otho per speculatores didicit, castrum Seprium, de quo toties pugnatum fuerat, exiguo præsidio & nulla prope cura custodiri: nam toties devictis profligatisque hostibus, Turriani, uti in nullo metu alendi præsidiarii militis sumptum, custodes vero excubiarum diligentiam & ipsi remiserant. Itaque maturandum ratus Otho, Ticinum trajicit, delatusque intempesta nocte ad portas, & oppidum & arcem cepit. Paucis inde diebus aucto exercitu, totam eam regionem pervagatus, finitimis Mediolano vicis magnam, uti ex improviso hoste, trepidationem intulit. Ad ejus rei gestæ nuntium Napus cum sua vetere urbana legione, Cassonoque filio, & Germanorum alis urbe egreditur; cæteras auxiliares copias subsequi jubet. Cæterum dolore simul atque ira angebatur, quod hostes toties superati, cæsique, adeo insolenter sese efferrent, nec superioris cladis exemplo extrema supplicia formidarent: sed in Othonem toto animo erat intentus: quem si aliquo casu Fortuna desereret, eo semel oppresso, Patritios facile debellari delerique posse judicabat. Appropinquante Napo, summa, & ea quidem opportuna, belli ratione Othoniani ad signa revertuntur: juxta oppidum Seprium castra muniunt; murum oppidi atque item arcem præsidio firmant, eo consilio, ut freti Sepriensium commeatu, & tuti vallo, præferocis hostis impetum frustrentur. Quum aliquot diebus minutis præliis lacessendo, levem armaturam exercuissent, Napus è proximis castris ad oppugnandam arcem scalas & machinas protulit, instructaque legione, & equitatu in præsidiis collocato, mœnibus successit, ratus se potiturum arce: aut si Otho, ferendæ opis causa, castris egrederetur, æquo in loco justa acie certaturum. Quum aliquot horis utrinque acerrime certatum esset ad murum, comminutisque scalis, & multis vulneribus acceptis, Turriani decidentium lapidum tignorumque pondera vix sustinerent, visa est Othoni occasio rei bene gerendæ; communicatoque consilio, cunctisque approbantibus, oppido & castris in hostes erupit tanto impetu, ut pulsis & perturbatis primis, tota Mediolanensium legio in fugam verteretur; eaque vis repentini timoris apud fessos sauciosque, & de arcis expugnatione desperantes, fuit, ut neque Napus, neque Cassonus, conturbato à fugientibus equitatu, opem fusis atque perterritis afferre potuerint. In ea fuga Otho clementiæ nomen quærens, orabat suos, ut à sanguine civium temperarent. Sed haud facile continere frænareque eorum ferociam poterat, qui amicos propinquosque suos crudeliter extra aciem interfectos ulcisci properabant. Conservavit tamen multos: nam nisi maturius receptui cecinisset, quam nox instaret, usque ad castra fœdæ fugæ & trepidationis plena, iratorum Patritiorum gladii cum magna hostium cæde pervenissent. Agnovere Mediolanenses lenitatem Antistitis sui.

Sed Napus, ejus fugæ ignominiam animo minime

 ferens,

ferens, ubi perterritos confirmavit, cohortante Cassono, ut amissum decus celeritate atque audacia sarciretur, præcepit Præfectis, ut corpora atque animos ad pugnam pararent: statuisse enim intra paucas horas hostem inopinantem, & ab recenti rerum successu incautum adoriri. Ita ea nocte insomnis Napus inalbescente cælo ad hostes contendit tanta celeritate, ut Othoniani vix arma induere, equosque frænare potuerint. Dimicatum est aliquandiu ad vallum, irrumpente undique hoste, & repugnantibus satis constanter, qui pro custodia castrorum in fronte excubabant; sed reliquas cohortes ægre sustinentes, nec satis conglobatas, ex transverso Germani densatis cuneis facile perruperunt. Quo conspecto reliquus peditatus, itemque equites effusi castris atque oppido, protinus in fugam se conjecere. Ita prope sine vulnere perrupta & direpta castra, plurimi capti, cæsi pauci, adeo ejus fugæ fœdo eventu, ut non facile appareret, utrisnam Fortuna, humanis cœptis illudens, intra spatium septem horarum, plus dedecoris, aut militaris laudis attulisset. Otho premente undique hoste inter tela volantia periculo elapsus, cum magna parte equitatus ex fuga Comum pervenit. Eum Comenses neque intra urbem recipere, neque ut diu in suburbanis ædificiis subsisteret, pati voluerunt, ne Turrianus victor, à quo jam plane defecerant, admoto exercitu per causam persequendi hostis, ipsorum agros evastaret. Præbuere tamen benigne & largiter commeatum, atque item sarcinaria jumenta, & peritos itinerum duces. Quorum fideli opera usus Otho, ad septimum lapidem, Luragum castellum primo petiit, atque inde profectus superato Lugani lacu, ad Zornigium Subalpinum pagum contendit. In eo loco admodum tuto & sylvestri aliquot dierum quiete recreatus, ad amicos literas dedit, ut de sua salute receptuque certiores redderentur. Sed non multo post inopia & egestate impulsus, deflexit ad Canobium, insigne & opulentum in ripa Verbani oppidum. Ibi Otho, admirabili facundia sua opportune usus, oppidanos claudentes primo portas, & mox bidui tantum moram fesso agmini concedentes, adeo apposite feliciterque permulsit, ut repræsentata hostium suorum crudelitate in amicitiam eos suam fœdusque pertraxerit.

Nec multo post coivere rursus Patritii exsules ferme omnes: nam ubi fama perlatum est, Othonem benigne amiceque acceptum Canobii constitisse, unusquisque vel inermis vel seminudus ex fuga & ab hostium castris ad eum contendebat: nam Turriani captivos, contenti spoliis, statim dimiserant, ne qui felicitate in paranda victoria præstitissent, humanitate vinci viderentur. Affuit & Simon Locarnas inusitato tramitum flexu ex fuga servatus: agitatumque subinde est de renovando bello, & majore quidem spe, majoreque apparatu: adeo ut vix credibile videatur, Othonem tantos gessisse spiritus, neque unquam tot adversis casibus succubuisse; qui jam quinquies bello victus, tot propinquis & clientibus sævitia hostium amissis, summaque pecuniæ & rerum omnium inopia circumventus, neque ipse conquiesceret, neque hostes otio frui diuque victoriis lætari pateretur. Erat enim jam plane quinque & sexaginta natus annos, sed viridi admodum vivacique senecta, atque adversus omnem algoris & æstus contumeliam indomita. Sed fatale ei erat Fortunam, vel improbe semper cœptis illudentem, patientia & magnitudine animi superare, exercereque se perenni vigilia iis cogitationibus atque consiliis, quibus dignitatem & patriam recuperaret, & posteris cum insigni gloria late imperium traderet.

Invenio apud ineptum quidem, sed non injucundum, versibus rerum scriptorem, ab his fa-

A miliis, quæ in Apennini atque Alpium tractu nobilitate divitiisque florebant, Othonem temperantia, altitudineque ingenii, & pietate maxime venerabilem, benigne ac liberaliter fuisse adjutum. Fuere inter cæteros Solarii, Rotarii, Malaspinæ, Scarampi & Valpergæ, qui in apparatum belli, equos, arma, tela, quadrigas, commeatum omnis generis, vestem, & denique pecuniam contulerunt. Apud generosas enim gentes quodam misericordiæ genere, animos permovebat ea Fortunæ iniquitas, qua tot Patritii diu extorres, acerbeque proscripti, ad luctuosam egestatem pervenerant; quando jam nihil eis usquequaque af-
B flictis, præter spem rubiginosaque arma supererat. Nec defuere voluntarii milites ab Asta colonia, Taurino, Eporedia, Augusta prætoria, Vercellis atque Novaria. Guliermus quoque Montisferrati Regulus in societatem certo fœdere accitus est: quo Duce superioribus annis Hispanorum adventu Othonem & Burrum cum Turrianis infeliciter dimicasse demonstratum est. Subegerat hic in Montisferrati regione complura oppida, Albam, & Aquas Statiellas, & Alexandriam, postremoque Derthonam imperio suo adjecerat: potens æque atque impiger habebatur; bella ex bellis libenter serebat, ut is, qui apud
C eum erat, exercitus, ex reliquiis Hispanorum (eorum enim aliquot in Italia remanserant) & ex fortissimo quoque confectus, perpetuis stipendiis aleretur.

Comparatis autem copiis, terminatisque consiliis statuere, ut Simon Locarnas navalibus præesset copiis, Guliermus cum terrestri exercitu ad Verbanum progrederetur. Exornarat classem validam Simon, totamque oram ad Othonis studia converterat. Stabat à Turrianis Angleria; ad eam Otho & Simon devehuntur: oppidani, refugiente in arcem præsidio, se dedunt: arx, uti ex ruinis temere & negligenter refecta, quum machi-
D nas non perferret, certa pactione recipitur. Tum vero ad Aronam navalibus terrestribusque simul admotis copiis bellum transfertur. Arona & Angleria, interjacente Verbano ab ea parte, qua Ticinus effunditur, Sestanæ atque Abydenæ arcium in Hellesponto similitudinem reddunt. Sed Arona sicuti nobilitate inferior, ita opportunitate loci, situsque munitione celebrior existimatur. In ea oppugnanda quum aliquot dies contrivisset Guliermus, agendis majoribus balistis, quibus tecta introrsus lapidum cumulis prorueret, & è classe Otho & Locarnas ædificatis more maritimarum triremium in summitate mali amplioribus caveis,
E atque inde scorpionum ingentium verutis, muri pinnas defensoribus nudarent, præsidii milites & periculo suo, & oppidanorum lachrymis permoti, ea conditione deditionem fecerunt, ut nisi triduo opem ferret Turrianus, ipsi arcem atque oppidum relinquerent. Vixdum confectæ erant deditionis tabulæ, obsidesque recepti, quum Cassonus Ticino superato, quadrato peditum agmine & præmissis Germanis adventare nuntiatur. Tum vero impigre aciem instruit Guliermus, è classe promptissimi propugnatores terrestribus copiis se conjungunt, editiorem occupant locum, frontemque maxime veterano atque armato milite fir-
F mant. Sed Cassonus conjectura judicans validiores cohortes, equitumque turmas in fronte fuisse constitutas, ex duabus Germanorum alis, alteram in dextra conjunctam legioni consistere jubet, in qua Musca ejus frater, & Andreas atque Hereccus patrueles curabant: alteram ipse obliquo flexu in latus & terga hostium duxit: hæc in lixas ignobilesque manipulos invecta, magnum tumultum ab tergo excitavit, adeo ut Germani cædendo, sternendoque obvios, in interiora castrorum

rum penetrarint; coactusque sit Guliermus nondum contracta in fronte pugna, equitatum suum convertere, opponereque Germanis, qui fœda strage cuncta compleverant. Sed dum Germanorum audacia reprimitur, præliumque atrox in medio miscetur, tota acies respectare, ac mox nutantibus vexillis circumagere sese trepidanter cœpit. Non defuit occasioni Cassonus, statimque jussit, ut altera ala relicta legione in frontem procurreret: ea vis irrumpentium fuit, ut priusquam Turriani pedites appropinquarent, Guliermus ancipiti acie circumventus funderetur, atque universi terga darent: ex fugientibus complures classis peropportune appulsa littori excepit, minoreque ob id cæde Turrianus victoria est potitus, quod pedestres copiæ tardius appropinquantes, in vacua castra impetum fecerant: prædam autem, quæ alioqui exigua non erat, nobilitavit Guliermi tentorium Maurisiaco opere acu pictum, cum instrumento militari admodum luculento, quo olim à socero Hispaniæ Rege donatus fuerat. At Guliermus perrumpens cum equitatu Ticinum iter intendit: Otho & Simon diversis itineribus cum reliquiis profligati exercitus, hic Comum, ille Novariam se receperunt.

Rebellarant (ut diximus) à Turrianis Comenses, capto Accursio Cutica Prætore, Simoneque recepto, neque tamen ad Patricios defecerant: medios enim se gerere, & neutris studere malebant, quam Turrianos jam plane victores, gravioribus injuriis atque offensionibus adversum se concitare: & magnopere Turrianis favebat Vitana factio, quæ jampridem Philippo opem ferente, Rusconam armis devictam, principatu dejecerat. Ubi igitur Simon advenit concionando passim, cœpit Othonem & Patritios primoribus civium obnixe commendare, uti indigne pulsos domo, proscriptosque, & crudelissime à plebejis hominibus divexatos: *Quem*, inquit, *exitum consiliis nostris exspectamus, posteaquam defecimus? nisi ut aut acre bellum geramus, aut insolentissimo Tyranno serviamus, & ab his trucidemur, qui Majoribus nostris patria expulsis tecta hujus urbis & mœnia in cineres redegerunt. Concordia nunc maxime opus est, Cives, ut libertatem cum dignitate tueamur. Otho supplex & Patritia gens orant, ut nostra ope in patriam reducantur: ad id vires abunde supersunt, ut omnia mature atque feliciter confici posse speremus, dum Turrianus debellatum esse putat, & solutus metu victoria sua superbe lætatur.* Erat Simon vehementi eloquentia, & ea quidem auctoritati atque opibus æquali, ipsaque carceris calamitate clarior evaserat, cujus indignitas multorum animos ita permoverat, ut Turriani non mediocri invidia deflagrarent. Eo modo Comenses tumultuario studio, & subita quadam acclamatione, Othone Patritiisque adhærendum decernunt: sed statim ne per Decuriones decretum scriberetur, ambo urbis Consules vehementer obstitere, Henricus scilicet Advocatus, & Gaspar Ficanus Vitanæ principes factionis. His sese opposuit Joannes urbis Episcopus, qui Othonem studiose admodum colebat, Patritiorumque exsulum causam insigni pietate ardoreque suscipiendam arbitrabatur. Ita tumultu exorto, divisus in duas factiones populus arma corripuit; mediaque in urbe atrociter est dimicatum. Lucterius Rusca & Simon adversarios è foro multis illatis vulneribus in Prætorianas ædes compulerunt; continuatoque certamine, Prætorio atque urbe, captis Consulibus, ejecerunt.

Nec multo post constituta ad arbitrium Republica, & excisis Vitanorum turribus, Otho è Novaria publicis literis est evocatus. Is primus dies Othoni è tantis calamitatibus felix illuxit: nam ab eo dehinc die (uti rerum scriptores referunt) Fortuna Turrianis nusquam arridens, eos è tanto

A fastigio continenter detraxit. Exceptus est Otho à Joanne Comensi Episcopo, singulari cum honore, privatimque pecunia ad exornandas copias est adjutus. Cæterum Lucterius & Simon conquisitis undique equitibus, atque item sagittariis & scutatis cohortibus è Verbano & Lario, Luganoque & Belitiona, armataque etiam in primis Comensium juventute, justum prope exercitum coegere. Interea Otho exsulesque Patritii ad se Comum accivere Ricardum Languscum Laumelli Comitem, virum bello acerrimum, & Turrianis ex Gothofredi fratris nece vehementer infensum. Adduxerat is veteranam cataphractorum alam ex his, qui B sub fratre meruerant, statimque ei omnium copiarum imperium magno assensu delatum est. His comparatis, Otho concionatus ad Comenses, gratias cunctis eorum ordinibus humaniter egit, quod liberali & egregia voluntate defendendas ipsius injurias opportune suscepissent, militaremque operam promptissimis animis præstarent adversus Turrianos impios exsecrabilesque homines, atque ob id toties à summis Pontificibus inferorum pœnis & cruciatibus devotos: cujus studii immortalisque beneficii memoriam nunquam esset è memoria deleturus. Joannes urbis Episcopus ad hæc totius populi nomine respondit, ea mente Comenses ejus C optimæ causæ studio adductos sumpsisse arma, ut proficiscentem ad patriam sacratamque sedem suam eductis vexillis sequerentur, fierentque ejus victoriæ socii atque participes, quam Dii justitiæ defensores, ultoresque nefariæ tyrannidis, adversus impios & iniquos homines pollicerentur: proinde læto animo in hostes contenderet. Ipsos enim, si bellum extraheretur, societatis initæ fidem atque amicitiam constantissime servaturos.

Nec multo post Otho profectus, ad Liciniforum posuit castra. Ea urbs quondam insignis & nota Ptolemæi temporibus, in minores abiit pagos, dilapso, uti videre est, Eupyli piscoso lacu, D in cujus ripa peramœnæ fertilitatis Liciniforum adjacebat: ejus regionis tractum corrupto vocabulo *Incini Plebem* vocant, asseruntque nonnulli ex vehementi terræmotu Eupylum cæco hiatu terræ haustum subsedisse, profundioribusque inæqualis alvei locis, reliquisse exiguos quinque lacus, è quibus Lamber amnis emittitur. Ejus incolæ Othonianos lætis animis exceperunt. At Napus, ubi nuntiatum est Othonem à Comensibus receptum, vehementique Simonis & Ruscorum studio adjutum, instaurare bellum, dixisse fertur ad convivas superbo sævoque ore, quum è mensa discederet, *Parvo, ut arbitror, labore nostro, magnum certe negotium agasonibus nostris afferemus: sunt enim* E *nobis horum manibus, & exsules, & ipsi rebelles, infidique Comenses, latronum more laqueis puniendi.* Atque ita properantius atque turbidius quam soleret, veluti rapiente fato, in hostem porta Jovia copias eduxit. Pridie enim Cassonum fatali errore præmiserat cum Germanis equitibus, qui Canturium quinto ab urbe Como lapide opportunum oppidum præoccuparet, ne eo ad excursiones faciendas hostis potiretur, & ut inde ipse proximos Comensium agros evastaret. Posuere vitiferis in collibus urbem Caturiges, antiquissimi populi, auctore Strabone, sed ea demum, mutante cuncta F ævo consenescens, in oppidum abiit. Turrianorum hic erat ordo: Præcedebat Pontius Amatus Prætor cum legione urbana & mercenariis equitibus: ipse Napus relicto ad urbis custodiam Oldrado Tangentio, insequentis anni Prætore designato, propinquos omnes, amicosque & familiares citato & disjuncto agmine secum trahebat. Eodem die, quo Cassonus Canturium est profectus, Othoniani ad Caracam nobilem olim urbem supra Lambrum deflexere: ea Ptolemæo nota, hodie

dic defectis ultimis literis, antiquum nomen retinet.

Quum ibi de inferendo bello à Ducibus in consilio sententiæ dicerentur, è Decimo vico sacerdos quidam, pernici equa devectus, ad Othonem pervenit. Erat enim Decimi præclarum Othonis nomen: nam ab adolescentia sacris initiatus, summum in eo pago sacerdotium à Pontifice impetrarat; unde postea, & in æde maxima Mediolani, & in divi Ambrosii templo canonicas dignitates fuerat consequutus. Is sacerdos, singulari usus officio, Othoni nuntiavit, Mediolanensium copias cum Prætore, ipsosque Turrianos principes sub occasum solis Decimum pervenisse; cuncta ibi militari strepitu compleri, & tumultuosius atque acerbius, quam pro sociorum consuetudine, milites tecta, cubilia, stabula, pulsatis hospitibus, ejectisque jumentis, occupare, nec adesse Germanos, qui pridie ad Canturium præcessissent: proinde Turrianos ea nocte posse deleri, si improvisus, confecto per noctem itinere, dispersos atque sopitos adoriretur. Hoc nuntio maxime lætatus Otho, *Dii*, inquit, *qui à Decimo dignitatis initia præbuerunt, non inani proculdubio loci omine, promissam nobis de hostibus victoriam dabunt.* Atque ita tota re ad consilium delata, singulari omnium alacritate decernitur, non prætermittendam rei bene gerendæ occasionem, & eo quidem ardentius atque audacius, quod & antea per exploratores de Cassoni consilio atque itinere certius cognoverant. Nihil enim æque metuebant, quam aperto in campo manus conserere cum Germanis equitibus, quorum vim atque impetum, Duce præsertim Cassono, jam tribus in præliis ferre nequivissent. Otho, ut à cædibus impollutas servaret manus, Ricardo Langusco copiarum imperium dedit, superinduitque sibi linteam stolam, sacerdotali habitu multis striatam rugis, præferrique sibi jussit argenteam crucem, veluti pacato itinere sacri imperii sui sedem aditurus. Magno demum silentio de secunda vigilia Ricardus castra movit, tribusque ferme horis ad Serenium vicum est perventum: inde præmissi speculatum expediti equites ducibus agricolis, non multo post renuntiavere apud hostes, ut in ipso conticinio accidit, cuncta quieta, nocturnique silentii plena; conspici tantum semiextinctorum ignium fulgorem, nec exaudiri castrorum fremitum; ita ut nec ad ipsos quidem pagi aditus frequentium vigilum stationes esse judicarent. His diligenter exploratis, & instructis ordinibus, priusquam dilucesceret, in conspectum oppidi se dedere, oppressis aliquot excubantium: id sine facibus iter, & silenti quidem luna, confecerant, ne ab alta sacræ turris specula, patentibus in campis, vaga lumina cernerentur. Eo inopinato hostium adventu exterritus Napus, vix spatium habuit ad induenda arma: tubarum tamen clangore & pulsu tympanorum cuncti excitantur. Pontius Prætor legionem nondum plane instructam in apertiorem locum educit; equites aggregantur; magnis clamoribus pugna committitur: pugnabat in hac parte Languscus admirabili virtute; interfectoque Pontio Prætore, stratisque vexillis, legionem cum multa cæde pepulerat, quum altero egressu & angustiore quidem via provectus in aciem Napus irrumpentibus Comensibus occurrit, ut eum Fortuna Simoni infensissimo hosti objicere videretur. Eo in loco summa contentione aliquandiu dimicatum, quum Turriani Proceres in prima acie, de imperio, de vita, fortunisque omnibus dimicarent: ex adverso autem Simon & Lucterius Rusca incitati efferatique diuturno inimicæ gentis odio, in adversos vesano impetu deferrentur. Inalbescente jam cælo Andreotus Turrianus interficitur; Franciscus, qui hosti, equi frenum comprehendere auso, dextram ingenti gladio detruncarat, multosque huc & illuc concitato equo vulnerarat, cuspide in inguen conjecta confoditur: Napus ipse equo deturbatus, quum in purpurea trabea, cœnoso in loco volutaretur, à Ruscono milite capitur, servaturque ægre ab irati Langusci gladio, deprecante Othone, & trepidum perhumano sermone consolante. Capiuntur quoque in ea adversi prælii fuga, summæ spei adolescentes, Conradus cognomento Musca, & Guido, Turriani: hic Francisco, ille Napo genitus erat: quibus aliquot post annos carcere eductis, paterni imperii decus Fortuna restituit. Itemque Hereccus superioris Pagani ex Hermanno pronepos, Lombardusque ejus patruus, & Caverna pater Pagani junioris Patriarchæ Aquilejensis, & Napi germanus frater. Hos omnes Simon atque Lucterius, tanquam peculiari ipsorum sorte, Comensiumque militum felici virtute superatos & captos, Comum deducendos curavere, ut in Baradelli arce custodirentur. Ea est edito in monte, excelsa turre insignis, à Luithprando Longobardorum Rege ante octingentos annos ædificata, ut late speculam in subjectos campos ad tutelam urbis præberet. Ferunt Simonem, quod ejus animi ferociam victoria mitigasset, non aliter insultasse Napo, quam ut diceret, *Non reposcam à te sanguinem & opes, Nape, postquam Dii me voti compotem fecerunt, sed æquo jure pœnam talionis: experieris enim tantum, quale cruciatus & contumeliæ sit genus, in cavea ferarum more custodiri: & vir certe sapiens & egregie fortis inter paucos numeraberis, si ea, quæ ego diu miser & non semper infelix tuli, pari patientia feres.* Napus constanti animo fabrefactam cancellatis trabibus caveam intrans, *Nihil pro se, sed tantum pro Guidone & Musca deprecari; se meritas luere pœnas sinerent: eos vero, qui vita innocentia nihil durius mererentur, humaniter custodirent.* Non caruit scribendi legendique solatio Napus: cæterum adeo acerbe custoditus est, ut ei neque cultelli, neque forfices concederentur, quibus sibi mortem consciscere posset: unde illi ad deformitatem prælongi ungues, promissaque cæsaries, & illuvie turpis barba provenerant. Reliqui, & ante alios Musca & Guido decori juvenes, cum Lucterii generosi viri humanitate, tum pacati jam Simonis indulgentia, liberalius asservati.

Otho memorabili potitus victoria, ante omnia apud Duces militesque graviter atque humaniter egit, ut moderate victoria uterentur, cædi vindictæque finem imponerent, spoliis contenti essent, captivosque dimitterent. Agendas jure Diis immortalibus gratias, quod toties bello profligati, atque omnibus exsilii, fugæ, atque egestatis oppressi malis, septies acie victores hostes, tantisque subnixos opibus, ad internicionem eorum nominis, unius horæ momento debellassent. Remisere impetum Patritii, condidereque extemplo gladios. Commoverat enim generosos quorumdam animos Francisci cadaver, lutulento in solo fœde proculcatum: cujus etiam caput gregarius miles ob fratris necem decisum trunco, hastæque præfixum, victoribus pariter & captivis ostentabat. Fuerat Franciscus Napo fratre sævior & asperior, utpote qui nutantem in consilio Napum ad sumendum de captivis, Theobaldoque præsertim, supplicium, vehementibus literis impulisset, semperque acerbissime grassatus in nobiles cives, plebem, satis superque sua temeritate concitatam, ad audenda facinora intemperanter accendisset.

Tum vero Oldradus Prætor, clade Mediolani nuntiata, advocare in consilium cives, plebem ad arma vocare. At civium optimus quisque ejus imperia contemnere, de pace & de concordia plurimum loqui; in virtute pietateque Othonis Antistitis spem reponere: propterea que sanandæ civitatis & pa-

parandæ quietis occasionem divinitus oblatam arbitrari, postquam universi fere Proceres Turriani, qui renovare bellum possent, aut in acie essent cæsi, aut in fuga capti, ad manus hostium pervenissent. Quibus rebus Oldradus valde conterritus, ac sibi admodum timens, in Prætorium se recepit.

Interim Cassonus de adverso prælio certior factus, è Canturio Mediolanum pervenit, ratus aut patrem, aut patruum, aut certe reliquos familiæ principes ex fuga in urbem se recepisse. Sed ibi de suorum calamitate certior factus, non deserit sese; & quum non statim admitteretur, refractis portis, introductoque armato agmine, in forum contendit. In eo tumultu suburbani incolæ Comensis portæ, postremos ex Cassonianis equitibus invaserunt: ex his multi vulnerati, exsutique armis & equis in diversa diffugerunt. Porro Cassonus urbem percurrens, & veteres amicos, plebemque præsertim, ad arma evocans, & crebro libertatem se adversus veteres Tyrannos defensurum repromittens, quum nemo commoveretur, desperatis rebus, Romana porta se proripuit: adeo enim ex eventu ejus pugnæ apud omnes populi classes, veteris studii & favoris ardor territis mentibus exciderat, ut nemo vel egregie factiosus in medium prodiret, qui proferre vexillum auderet, aut Turriani imperii nomen se defensurum profiteretur. Hinc videre licuit, quantam rerum animorumque mutationem adversæ pugnæ casus attulerit, adeo ut facile judicari possit, in toto tuendi principatus negotio, nihil omnino esse populari præsidio incertius aut inanius. Cassonus continenti cursu Laudem Pompejam pervenit; ubi quum minime reciperetur, Cremonam atque inde Parmam ad veteres amicos confugit.

Eodem die Mediolanenses ad Othonem Legatos miserunt, qui omnia amica pacataque ingressuro urbem pollicerentur. Ita haud multo post insigni pompa in speciem triumphi Mediolani receptus, cunctos, qui adversarum partium fuerant, metu liberavit, habuitque orationem civili clementia & Christiana pietate plenissimam: pacatisque omnium animis, Respublica ad ejus nutum constituta est. Creantur quoque Prætor quidem Ricardus Languscus, & Magister equitum Simon Locarnas; quorum illustri virtute se victoria potitum Otho gratissimo animo prædicabat. Dedicavit subinde aram in templo maximo divæ Agneti, quam in prælio voverat, addiditque agros in alimenta sacerdotum, qui quotannis ejus diei memoriam celebrarent: idque adhuc singulis in urbibus Mediolanensi imperio contributis, Prætores Decurionesque ad tubarum cantum instauratis sacris, religiose repetere post ducentos & sexaginta annos videmus. Pugnatum est duodecimo Calendas Februarii, anno à nativitate CHRISTI millesimo & ducentesimo septuagesimo septimo. Ejus vero summæ victoriæ historiam Otho pingendam curavit in Angleriana arce, regio sumptu ab se ædificata: exstantque adhuc in maximo testudinatoque conclavi incorruptæ præliorum cum veris Ducum vultibus imagines, Latinis elogiis passim singula rerum argumenta indicantibus. Quanquam Musca Turrianus postea victor, recenti calce maculare potius quam obliterare ejus infaustæ historiæ memoriam contenderit. Auxit ejus diei lætitiam Bonacosæ Burræ partus: ea enim nocte, qua ad Decimum pugnatum fuerat, Magno Matthæo filium peperit, cui ob galli cantum Galeacio nomen inditum ferunt. Hic est ille, qui postea omnes ejus seculi Principes & Duces magnitudine animi, liberalitate atque imperatoria laude superavit.

His confectis rebus, Otho ad expugnandam mon-

A tis Orphani arcem copias misit, in quam Turrianorum reliquiæ confugerant; vexabantque inde, diurnis nocturnisque decursionibus, sociorum agros. Ea arx ad tertium à Como lapidem imposita est monti, qui ob id Orphanus appellatur, quod undique discretus atque abjunctus à cæteris, ab ima planitie molli fastigio in nemorosam cautium metam assurgit, insidetque viæ militari ad Coxiæ torrentis vallem, qua iter est ad Liciniforum. Hæc quum machinis capi non posset, operibus circumvallata, sexto demum mense fame domita est. Desæviit in muros Otho, sed non plane totam diruit; ita ut Guido è carcere elapsus, rerumque B potitus, eam post viginti annos facile restituerit. Eversa montis Orphani arce, Turriani finibus excessere, & veteres eorum clientes, quum Othonis clementiæ salutem minime committendam judicarent, in Cremonensi Parmensique agro, & in Venetia ad Aquilejam familiæ Proceribus aggregabantur. Tum vero Otho à belli studiis ad pacis civilisque administrationis munia conversus, cives de se bene meritos locupletare; omnibus justitiæ atque humanitatis officiis novas amicitias parare; procurare res divinas; singularique moderatione Principis simul, sacrique pastoris officia implere.

Quum in his rebus esset occupatus, renatum est C repente bellum, initio à Laudensibus exorto: nam Othone mirum in modum Vistarinis favente, qui (uti diximus) principatu pulsi redierant, æmuli eorum quum neminem civem dominatu potiri pati vellent, ad se Cassonum & Gothofredum, atque item Raimundum ab Aquileja cum magnis copiis acciverunt, indeque auxiliis Cremonensium & Parmensium adaucti, in agros Mediolanensium sese effuderunt. Cassonus, multis expugnatis direptisque oppidis, Tritio & demum Vaprio in ripa Abduæ occupatis, Lambrum trajecit, conflixitque collatis signis cum Mediolanensi legione & urbano equitatu, qui cum Carroccio temere usque D ad sanctum Donatum Romana porta processerant. In hac pugna Cassonus, paucis cæsis, supra viginti septem spectatæ nobilitatis Centuriones cepit, & in his Mutium Soresinam, Gasparem Vicecomitem, & Antifossam Vercellinum, & præter hos magnum numerum peditum & equitum. Invenio apud quosdam auctores, Othonem cum expedita manu ad Cassianum usque processisse in ripa Abduæ situm, ut primis hostium incursibus occurreret; majoreque conspecto hostium exercitu, refugisse ad Gorgonciolæ vicum, superventuque hostium non aliter servatum quam munitione sacræ turris, in quam nemini cognitus adscenderat. At Cassonus E ejus pugnæ successu elatus, per suburbana ad Ticinensem portam adequitavit, terroremque ostentatis copiis ad fossas undique circumtulit. Tum vero Otho in tam gravi periculo mira usus constantia, fidis cohortibus portas firmare, Prætorem in foro cum signis militaribus excubare, suspectos cives apud se habere, eoque vultu cuncta administrare, ut in multa dissimulatione pavoris, excellens fortitudo & providentia singularis eminere viderentur. Nec multo post Cassonus, nemine ex veteribus amicis, uti speraverat, ad se concurrente, retro vertit agmen, transgressusque Abduam, ad oppugnandum Bregnanum contendit.

F Discessu acerrimi hostis Otho recreatus, nihil potius aut expeditius existimavit, quam è Monteferrato Guliermum veterem socium & militari laude florentem evocare: quo Duce vim imminentis hostis propulsaret, & insigni apparatu, conatuque egregio bellum conficeret. Nec ita multo post Guliermus accepta ingenti pecunia Mediolanum venit, statimque liberali stipendio ad quinque annos, Mediolanensium Othonianarumque partium, adversus Turrianos eorumque socios imperator deligi-

ligitur. Nec mora, cum eo Prætores Antonius Languſcus Ticinenſis, & Lucterius Ruſca Comenſis, exercitum inſtruunt, Carroccium educunt. Duo autem Prætores erant, quod coarctarat Otho Præturæ tempus, ut pluribus honorem impartiretur, eoque beneficio plures civitates atque familias ſibi conciliaret: nam qui annuus fuerat Magiſtratus, ſemeſtris effectus eſt, ea lege, ut qui deſignatus eſſet Prætor, dignitatis inſignibus uteretur: ſed excluſus urbana juriſdictione, bello tantum collegæ operam navaret.

Cæterum promotis caſtris, ad Vaprium recto itinere perventum eſt: habebat id oppidum cum arce trajiciendi fluminis opportunitatem: itaque arx magnis utrinque viribus oppugnata defenſaque eſt, bellumque protractum, ita ut nihil præter vaſtationem agrorum, incendiaque villarum, memorabile gereretur. Verum Guliermus novi conſilii rationem ſuſceperat, ut refecto ad Tricium ponte, ultra Abduam bellum transferret. Erat in caſtris Otho, & ab alia parte Raimundus Turrianus: ab his, uti decuit à ſacratis viris, Bergomates Legati, impulſi ab optimis utriuſque partis civibus, impetrarunt, ut de pace liceret loqui; eoque res, interpoſitis aliquot dierum induciis, deducta eſt, ut depoſito metu, ſingulari familiaritate utrinque milites amicos & propinquos convenirent, adeo ut una caſtra ex duobus facta viderentur. Sed quum à multis ex illuſtri ordine Mediolanenſium Turrianos milites ſalutari, ſtudioſiuſque appellari Guliermus conſpiceret, invectus equo in commeantium turbam, ferrea clava minabundus, colloquia militum diremit. Paulo poſt tamen Raimundus, Caſſonus, & Gothofredus Melenianum venere; affuitque ad condictum Guliermus cum Othonianis, in queis erat Conradus Caſtellionus Jureconſultus inſignis; brevique, diſceptatore & arbitro Guliermo, pax his conditionibus dicta confectaque eſt: ſcilicet, *Ut in ſumma, Bipriana & Vapriana arces ipſi Conrado & mercatorum collegio cuſtodiendæ traderentur: agri porro paternæque poſſeſſiones, caſtella, domus Turrianis rederentur: loca tamen munita his civibus, qui neque harum, neque illarum partium cenſerentur, cuſtodienda relinquerent; poteſtaſque his eſſet, uti luberet, habitare in agro Mediolanenſi: utque utrinque captivi ſine pretio dimitterentur.* Tabulis rite confectis Turriani captivos Guliermo ea conditione tradiderunt, ut non prius ſolverentur, quam ii, qui in Baradelli arce erant, dimiſſi forent. Id vero facturos Comenſes Lucterius & Simon pernegabant, qui jure belli captos, peculiareſque hoſtes ſuos, ad alienum nutum & commodum minime dimiſſuri viderentur. Nihilo ſecius Guliermus, quanquam id à Comenſibus, quod Turriani petebant, non impetraret, Mediolanenſes captivos omnes dimiſit. Sed Otho cæteris pacis conditionibus non diu ſtetit, & ſua ſponte, & impulſu clariſſimorum civium, qui privato quodam inito fœdere adverſus Turrianos conſpirarant. In his fuere Vicecomites ferme omnes, Soreſinæ, Mandellii, Puſterulæ, atque item Cribelli. Ita Turrianis neque redditæ res, neque reſtituti agri, neque permiſſus in patriam reditus, neque captivi è Baradello cuſtoſtia liberati ſunt: magna quidem cum Othonis invidia, qui ſecuritatem imperii, fide & jurejurando potiorem habuiſſe dicebatur. Providebat enim amicos clienteſque ſuos, quibus Turrianorum bona dono data fuerant, ex lege & conditione pacis, omnibus victoriæ præmiis ad contumeliam ſpoliari: quæ res ad conturbandas multorum fortunas, abalienandoſque animos, manifeſte pertineret. Igitur Turriani à Guliermo atque Othone decepti, eo cum dolore animi late finibus exceſſerunt, ut injuriam violatæ pacis ad civitates paſſim, Reguloſque deferrent; ab his opem implorarent; ſocia & mercenaria arma pararent, quibus acceptas injurias ulciſci, & patriam repetere poſſent.

Sub id tempus in Baradello moritur Napus, fœda illuvie, & enatis ſubinde pediculis conſumptus. Fuerat in eo ſquallore & vitæ tædio annum unum, menſes ſeptem, & dies viginti tres. Corius & Merula attractum pedibus, & in ſylva ſepultum tradunt: ſed nos Triſtano Calcho potius aſſentimur, qui Comenſem Epiſcopum agenti animam adſtitiſſe ſcribit; collatiſque Chriſtiano more ſacramentis defunctum, in ædicula Divi Nicolai pie atque honeſte tumulaſſe. Eundem vitæ exitum tulerunt Lombardus & Caverna biennio poſt, ex morbo ægritudineque animi Napum ſequuti.

Interea Raimundus ex Venetia, Forojulio atque Hiſtria, & ex Carnis & ſemi-Illyricis gentibus, ad duo millia equitum, peditum quatuor millia, ſacerdotii opibus armavit: quibus Caſſonus veteres Germanos, & Parmenſium, Cremonenſiumque, & Laudenſium auxilia adjunxit. Acceſſere etiam plerique Mediolanenſes, qui Othoni principatum invidebant, ægerrimeque ferebant Turrianorum injuriam, & communem patriam fructu pacis & otii fraudatam querebantur: propterea que ſponte in exſilium abierant, & Turrianorum ſigna ſequuti, quantis maxime artibus poterant, per affines & propinquos ſuos Othonis auctoritatem in Republica convellebant. At Otho in eam curam experrectus, ex fidiſſimo & fortiſſimo genere militum exercitum parare; à ſociis civitatibus auxilia accire; & veluti in ſupremo conatu, ſupremaque ſpe conficiendi belli, omnem armorum apparatum, ingentemque pecuniam proferre. Cunctabatur autem Guliermus pravis atque inſidioſis artibus, nec adduci poterat, ut rebus celeriter adminiſtratis, in hoſtem copias educeret; utpote qui pericula adaugeri, confirmari hoſtium vires, terrerique magis ac magis Othonem magnopere cupiebat, ut operam ſuam ampliore pretio, periculo & neceſſitate circumventis venditaret. Erat quidem Guliermus animo ingenti, & in omni bellico munere prorſus intrepido, ſed auri atque imperii fœda cupiditate corrupto. Adduxerat enim Mediolanum ſuperiore anno Beatricem uxorem, quæ mirifico apparatu atque inſigni liberalitate ſuſcepta, ornataque regalibus donis ab Othone, atque ab Decurionibus: & demum introducta in Nobilium domos, admirari lautitiam, magnitudinem atque opulentiam urbis, invidere fortunæ Othonis, & demum Hiſpana cupiditate id imperium affectare cœpit. Hæc quum impenſe laudaret apud virum, *Quin tu*, inquit, *ſi plane vir es, hac urbe potiri non contendis? Pater certe meus tibi non deerit, ſi pro te potius, quam pro aliis imperitis, belli peritiſſimus pugnare decreveris.* In hanc ſpem Guliermus ab inani & cæca, ut plerunque accidit, ambitione facile prolapſus, in Hiſpaniam enavigarat: ubi communicatis cum Rege conſiliis, quum voti cupiditatiſque ſuæ Fortunam tentare decreviſſet, galeatos amplius trecentos equites, & levem armaturam equitum & peditum in naves ſuſtulit, & in Italiam eſt reverſus.

His de cauſis Otho profunda prudentia & ſolerti ingenio probe agnoſcens, quantis animi receſſibus Guliermi conſilia conderentur, nihil antiquius aut validius habuit, quam parum ſinceri Ducis animum amplis pecuniæ muneribus expugnare: ſed Matthæus Vicecomes, jam plane bello & pace ſpectatis operibus magnus, dies mora extrahentem jocabundus incitabat: *An*, inquit, *Gulierme, illam vim bellici vigoris, qua una laude maxime flores, hac infami cunctatione amittes? ut & tu, & nos tecum militaris nominis dignitate ſpoliemur? Convenere jam undique auxilia, tantæque nobis adſunt copiæ, ut hoc tempus, quod tibi ſegniter deperit, morari de hoſte victo-*

victoriam videatur. Advenerant jam Simon Advocatus à Vercellis, à Novaria Guliermus Brusatus, Antonius Languscus à Ticino, & Lucterius Rusca, Simonque Locarnas è Como, qui suarum civitatum magni roboris auxilia adduxerant. Itaque Guliermus compressa ægritudine animi, nec minus accepto auro quam pudore devictus, Carroccium eduxit, & ad Vaprium, ubi hostes constiterant, contendit. Fuere in ejus exercitu, uti aliqui auctores scribunt, ad triginta millia peditum, & sex millia equitum, in queis supra duo millia cataphractorum equitum censebantur. Invasit Cassonum insolitus pavor tanto conspecto exercitu, ita ut ei, semper antea intrepido atque pugnaci, expediendi consilii vis omnis excideret. Non putarat enim Mediolanenses publica Carroccii signa adversum se adeo celeriter educturos, remque sibi tantum fore cum Guliermo Othonianisque clientibus, bona victoriæ spe plenus, existimarat. Appropinquante itaque hoste, in id discrimen erat deductus, ut si ultra amnem se recipere, exercitumque servare vellet, id nedum commode, sed ne sine ingenti quidem perturbatione, summoque periculo facere posset; relinquebatur ut audacter irrumpendo, iniqui certaminis aleam subiret, aut se ad oppidum circumvallari atque obsideri pateretur: quod quum indecorum ac miserum fore judicaret, uti dignum erat fortissimo Duce, totiesque victore, instructa acie conflixit, ediditque supremo virtutis conatu egregium facinus. Nam quum undique circumventa acie à tanta hostium multitudine cæderetur, Germanos equites cohortatus, ut honesta nec inulta morte conciderent, conglobato cuneo, ad Guliermi vexillum prostratis Hispanis penetravit; occisoque signifero, illud arripiens discerpsit, atque ibi demum interclusus à legione, interfectusque est. Tum vero Turriana acies, undique pulsa, trucidataque, ad flumen se convertit: ibi quum plerique natando metu mortis, mortem non timerent, magna ex parte summersi sunt. Periit & in vado Gothofredus Turrianus Cavernæ filius, deletaque sunt penitus Raimundi auxilia; ipse enim Laudi Pompejæ substiterat: Cremonensium vero & Laudensium Duces capti. Pugnatum est ad Vaprium septimo Kalendas Junias, anno quarto ab Decumana victoria, quæ sicuti Principatum Othoni dederat, ita hæc eum sublato undique metu confirmavit. Honestatus est Cassonus sepulchro non ignobili, quod adhuc extra Vaprium in ædicula conspicitur: retinetque adhuc proximus ager ejus prælii memoriam, quum ab incolis Turrianæ cladis nomine vocitetur.

Nec multo post Laudensibus bellum indictum, depopulatusque est eorum agros Guliermus tanta acerbitate, ut Laudenses villarum castellorumque vastatione perdomiti, de pace Legatos ad Othonem miserint. Inde Guliermus in Cremonenses duxit, multisque detrimentis illatis, bellum aliquandiu est productum: nam Placentini, Parmenses, Mantuani, Rhegienses Cremonensibus opem attulerant. Ad extremum inter eos inita pax, & in centum annos proclamata, ea conditione, ut captivi utrinque dimitterentur, & Turriani, eorumque ex professo fautores, his urbibus exsularent. Interea Comenses Guliermum in decem annos Imperatorem suum declararunt, concessaque est ei suprema potestas condendi atque antiquandi municipales leges: sed id unum omnino est cautum, ut de captivis Turrianis, qui in Baradelli arce erant, jus omne Comensi populo relinqueretur: atque ita à Comensibus liberaliter susceptus, juravit se populi Ruscanorumque partium jussu, adversus eorum hostes,

A uti res posceret, bellum egregia fide gesturum. Inde frequenti comitatu Mediolanum rediens, tot rerum secundo successu elatus, ad insana consilia reverti, secreto hostilia moliri, & cogitare denuo cœpit, quibusnam artibus Othonis existimationem convellere, circumvenire hominem jam plane senem, & denique urbis imperium posset invadere. Homo ingenio procaci, avido, inexplebili, Reipublicæ accumulatis tot sumptibus gravis, invisus esse omnibus cœperat, quum sibi arroganter adscriberet recentis prælii victoriam, & Othoni, & civibus pacis ab se partæ beneficium objectaret: ob id inflatius atque superbius quam
B antea sese gerebat, ut non omnino dissimulanter ad principatum adspirare videretur. Ante omnia Bosium Doariam veterem adversæ factionis Ducem, Cremonensiumque Tyrannum, in cujus tabernaculo Actiolinum exspirasse docuimus, Soncino oppidi dominum Othone frustra reclamante constituit; utque familiam illustrem atque opulentam imperii utique æmulam Othoni opponeret, Soresinas incitavit, ut sese efferrent, & his civibus æquarentur, qui nobilitate pares, vel omnino virtute & divitiis superiores, libertatem opprimere niterentur. Postremo postulavit, ut Joanni Pogio, ipsius familiari, Prætura confer-
C retur, inde sibi gradum facere ad dominatum maturans. Itaque Pogio Prætore duæ sunt exortæ factiones: magna pars civium Othoni favebat; in altera erant Guliermus ipse & Pogius Prætor, atque item Soresina familia: & quanquam occulte Castellioni Duce Guidone, cujus opera per id tempus auro corrupti custodes è carcere Baradellæ arcis Guidonem Turrianum eduxerant, Musca & Hereccus eripi nequivere. Ea res Othonem quidem gravissime pupugit; sed ferentes id iniquiore animo Comenses, sibi à Mediolanensibus capitalem injuriam indigne sibi fieri querebantur. In id grave salutis ac imperii discrimen intestini
D hostis perfidia conjectus Otho, dissimulatione in præsens opus esse existimabat; adeo ut cuncta iniqua & immoderata petenti, perblando & familiari ore condonaret. Cæterum intentissime vigilabat, ut consilia & progressus ejus notaret, multaque pollicendo, amicos hosti detraheret, & sese à repentina vi domestici hostis tueretur.

Interim Guliermus domestico bello in Montemferratum revocatus, Vercellas proficiscitur. Ita celeriter adhibitis in consilium amicorum fidelissimis, non deest occasioni Otho; quid faciendum sit Matthæum admonet, correptisque armis ipse
E equo provectus, ad Prætorianas ædes contendit: Pogius domo, magistratuque, & urbe excedere cogitur: creatur novus Prætor Ubertus è Becharia familia, sive (ut ait Merula) Jacobus Summaripa Laudensis, in reliquos scilicet menses, ut conjectari lubet. Ita brevi in tutiorem statum restituta Republica, & depulso omni metu, Jacobus & Carolus Soresinæ in exsilium aguntur: nonnulli porro ex Terzaghis & Balbis, qui cum Guliermo consilia miscuerant, extra decimum lapidem relegantur; & Soresinarum domus, quam illi ex ruinis Turrianarum ædium condiderant, incursu plebis solo æquatur.

F His confectis rebus Otho, ut sese adversus vim acerrimi & potentis hostis confirmaret, in Germaniam ad Rodulphum Cæsarem Legatos cum muneribus amplissimis misit, obtulitque ei amicitiam, liberalemque operam venturo in Italiam ad recipiendam Romani Imperii coronam. Cæsar tametsi Turrianis antea faverat, ex usu tamen rerum suarum, cum Othone certo amicitiæ fœdere conjungi maluit, quam profligatarum partium, quarum Principes cæsi captique essent,


inane nomen tueri. Itaque Othonem, missis ad eum more Cæsarum amplissimis literis, in clientelam fovendum ac tuendum recepit; misitque ad eum Germanos equites, qui in speciem Prætorianæ alæ corporis custodiæ adessent. His de causis Guliermus bellum, quod parabat, facile avertit in Derthonenses & Alexandrinos.

Sed non multo post Turriani in spem renovandi belli, repetendæque patriæ sunt erecti, initio à Comensibus exorto: qui quum veteres laxiores agri terminos sibi reddi, uti antea ex avorum memoria possedissent, à Mediolanensibus postularent, & ab his nequaquam pro jure fœderis & amicitiæ benigne responderetur, armata juventute agros Leucensium & Clivatensium expugnatis castellis occuparunt, finesque eos protulerunt victricibus armis, uti ex jure & æquo antea petierant. At Mediolani quum hæc essent nuntiata, Senatusque Comenses arroganter ac hostiliter fecisse judicasset, in eos numerosus exercitus est eductus, cui præfuit Matthæus Magnus; à quo Comenses superati & castris exuti sunt, multisque cæsis, compluribus captis, onusti Comensium præda Mediolanenses domum redierunt. Hanc cladem gravissime tulit Comensis, quod in se vicinum & socium atrocius quam in barbarum hostem Mediolanenses gladium exercuissent: isque potissimum & dux & auctor cladis exstitisset, qui paulo ante civitatis ipsorum Prætor & imperator fuisset; cujus recentis beneficii memoriam uti superbus & sævus amisisse videretur. Itaque in eo dolore gravius decernitur: adversus enim Vicecomites repente conjurant; vinculis exsolvunt Muscam & Hereccum Turrianos; eos Præturæ dignitate exornant; pecunia armisque instruunt, & bellum vehementibus animis in Matthæum ac Othonem parant. Ad id etiam ipse Guliermus, eo Comensium decreto magnopere lætatus, opes atque operam pollicebatur: cujus viri vim, tanquam pugnacis & ab recenti injuria concitati, gravem & periculosam Othoni futuram intelligebant. Eo modo Turriani juvenes peracerbo carcere post septimum annum & mensem undecimum educti, acre bellum, & tum Othoni, & Matthæo deinde, eo pulso & in exsilium acto, variis successibus intulerunt: quæ, quoniam ductu Magni Matthæi gesta sunt, in *ejus Vita* aptius ac illustrius perscribentur. Jam enim in eum ab eximia virtute & rebus feliciter bello gestis, præclaris Ducibus parem, Otho senex omnia humana jura contulerat, adeo ut utrumque magistratum unus occuparet & impleret. Nam & gerebat bellum uti Dux atque equitum Magister, & è Tribunali Prætorio patientissime jus dicebat, ut ipse omnium litium disceptator & judex ex arbitrio judicaret, & omnis subinde provocatio tolleretur, res gravi civium incommodo ad ferendas lites excogitata. Sed mirum in modum ejus nomen atque potentiam adauxit Guliermi inexspectata calamitas; qui Turrianis & Comensibus conjunctus, tam Othoni grave bellum intulerat, atque id tum vehementiore studio reparaturus esse videbatur; quod & Guido Castellionus Turrianis adhæserat, vir inter primores consilio, clientelis, atque opibus insignis: erat is Guidonis Turriani, qui è Baradello effugerat, avunculus. Igitur Guliermus quum nefario scelere Derthonensem Episcopum necasset, in manus Alexandrinorum ex insidiis captus devenit, apud quos ferrata in cavea atrocibus corporis atque animi tormentis excruciatus interiit.

Gratias igitur Otho Diis immortalibus agens, quod se votorum omnium compotem fecissent, uti justam ab omni labore vacationem nactus, apud Claræ vallis cœnobium religiosa quiete fruebatur, apprime confisus præcellenti prudentiæ virtutique Matthæi Magni: hunc enim ipse à tenera ætate severe & diligenter educarat, instituerat que his moribus, quibus in omni bellica vel civili actione ad certam laudem semper illustris, tanto imperio dignus esse videretur. Magnitudine quippe animi, patientia, humanitate, religioneque & domestico splendore cunctos anteibat: nemo ei corporis aut ingenii vigore par erat; altitudine vero consilii, facundia, & oris atque habitus dignitate, antiquis heroibus æquabatur. Nec eo quisquam prole felicior fuit: in quinque enim ejus filiis Otho ipse peracri judicio, miram certamque indolem ad propagandum imperium quasi divinans providebat: & jam ex his Galeacius & Marcus, cui *Balatroni* cognomen fuit, ad militarem ætatem pervenerant; & in Joanne atque Luchino optimorum Principum indoles elucebat. Postremus Matthæi liberorum Stephanus fuit, cæteris prole quam vita felicior, quum ad hunc filii, nepotesque, & qui novissime imperarunt pronepotes, recta serie respiciant. Eo modo quum ad Claram vallem amœnissimis in hortis Otho tuendæ valetudini operam daret, frequentique comitatu insignium philosophorum & sacratorum virorum oblectaretur, sæpe de divinis humanisque rebus jucundissime disputans, senio potius quam morbo confectus, è vita discessit, Augusto mense ejus anni, qui fuit à partu Deiparæ Virginis nonagesimus quintus supra mille & ducentos. Impleverat septimum & octogesimum annum, nullis paulo molestioribus morbis obnoxius: ita ut mihi procul dubio omnium Principum longe felicissimus decessisse videatur. Usque eo enim, paucis concesso, fati munere vixit, ut summa gloria plenus, quod ambitiosa cupidaque mortalitas maxime optat, posteritati suæ lætissimus interfuisse videatur. Tumulatus est in templo maximo ad majorem aram marmoreo sepulchro, in cujus fronte hæc carmina leguntur:

Inclytus ille pater patriæ, lux, gloria patrum,
Fulgor justitiæ, fidei basis, arca sophiæ,
Largitor veniæ, portus pietatis egenis,
Intrepidus pastor, quem moles nulla laborum
Ardua devicit, populo latura quietem:
Ille pius Princeps, & Præsul amabilis, in quem
Altus virtutum splendor convenerat omnis,
Quo Mediolanum radiabat lampade tanta,
Totaque fulgebat regio: nunc pallet adempto.
Clara Vicecomitum proles, venerabilis Otho,
Oh dolor, oh vulnus, cinis est hoc marmore factus!
CHRISTE *pater vitæ requiescat spiritus in te.*
Annis undenis, ter senis, terque diebus
Præfuit Ecclesiæ pastor bonus Ambrosianæ,
Mille duceneno, quinto, noviesque deceno,
Quarto hic Augusti bis liquit gaudia mundi.

MAT-




MATTHAEVS MAGNVS
Vicecomes.

MATTHAEVS MAGNVS,

MEDIOLAN. PRINCEPS II.

Imago ipsius, prout hic habetur, in habitu purpureo Vicarii imperialis Modœtiæ in templo maximo conspicitur, effigiem templi à se instaurati Divo Joanni Baptistæ offerens.



NEMO, si Fortunæ ludos spectare lubet, certiore utriusque sortis merito, MAGNI cognomen adeptus est, quam hic ipse MATTHAEVS Vicecomes, cujus imagini ad veram oris effigiem ductæ, insignes etiam excelsi animi dotes brevi elogio expressas appendimus. Nec titulus (uti reor) vel summæ virtutis atque potentiæ Regibus insolens & gravis, huic ad invidiam cesserit; quum illi superiores, Alexander, Pompejus & Carolus, tanquam humanæ virtutis modum supergressi, inter Heroes referantur: hic vero intra patriæ fines parta laude contentus, id tulerit, quod cives post invidiam morte exstinctam, præclara etiam hostium confessione detulerunt. Natus est Masino in pago ad Verbanum lacum, eo forte insigni die, quo Federicus secundus, dirus Italiæ Cæsar, à filio Manfredo Rege, conjecta in os stragula veste, suffocatus interiit. Tradunt autem non insulsi Annalium Scriptores, armenta ejus vici sponte soluta, proripientiaque se magno tumultu è stabulis, domum, in qua Anastasia mater infantem noctu enitebatur, inusitato mugitu edito quasi salutasse, adeo ut experrecta tota vicinia, puerperæ magnus timor incuteretur. Sed id Theobaldus pater pro lætissimo ostento accepit, gratulatus vel ob id uxori felicem partum, quod miræ magnitudinis infantem ad ingentis spei fortunam edidisse videretur. Erat Anastasia Uberti Pirovani nobilis ac optimi Mediolanensium Antistitis ex fratre neptis. Hæc puerum rara inter matronas charitate propriis uberibus aluit, adultumque usque adeo diligenti & plane virili cura honestissimis moribus instituit, ut Otho nescio quid egregium & vere magnum in pueri indole se conspicere fateretur.

Cæterum Matthæus jam plane vir, quanquam impubes, orbatus patre viro fortissimo, ærumnosique exsilii Othoni patruo comes, ita corpus pariter atque animum exercuit, ut utrunque viriliter adversus rerum omnium contumelias indomitum, invictumque voluptatibus præstaret; & duris atque asperis gaudere, nec adversis unquam frangi, nec secundis efferri videretur, quod nihil unquam aut demissum aut insolens ore gestuque ejus excideret, præaltaque semper atque ardua ad imperium & gloriam intentus agitaret. Summum adeo decus in clementia & moderatione reponebat, quibus virtutibus Turrianos omnino caruisse, ideoque celeriter excidisse principatu, prædicare erat solitus: oderat enim gladios extra aciem cruentos, quum in neminem Turriani sanguinis, vel nunquam, paternæ cædis oblitus, sævierit, neminemque ex infensissimis hostibus bello captis occiderit: uti videre licuit, quum omnes fere adversarum partium summi Duces, atque ei capitali odio inimicissimi, mira perpetuæ victoriæ felicitate in potestatem ejus devenissent. In his fuere Simon Advocatus, Gulielmus Brusatus, Philippus Languscus, Antonius Fisiraga, Albertus Scotus, qui Vercellis, Novariæ, Ticini, Laudi Pompejæ & Placentiæ, Gibellini nominis hostes, tyrannidem exercebant. Ad hanc quoque generosi & clementis animi laudem, moderati nomen addiderat, quum B in omni bellicarum & civilium rerum actione, cupiditatum excessus fugeret, & nusquam timore aut superbia præpeditus, cuncta consilia certis temperantiæ finibus terminaret; & id quidem eo diligentius, quod vel in speciem religiose pius existimari vellet. Sed ei inter sæva arma nato atque educato nihil potius unquam fuit quam augere factionis opes, adversarios persequi, & late imperium proferre, etiamsi id non facile sine cædibus atque incendiis patraretur: plura tamen se tectis consiliis & occulta largitione, quam vi & cruenta manu confecisse, & plura denique auro quam ferro feliciter expugnasse differebat; ut scilicet prodigis atque ad inanem sumptum facile effusis, & natu- C ra pugnacissimis filiorum ingeniis utiles frenos imponeret. Henricum jam Cæsaris fratrem ab inimicis adversum se è Germania in Brixianum agrum cum ingentibus copiis evocatum, multo auro aggressus averterat: parique felicitate Philippum Valesium, qui postea Galliæ regnum tenuit, Pontificis impulsu formidolosum exercitum ad Vercellas adducentem, multis legationum artificiis, & denique magnis muneribus pervicerat, ut amicus quam hostis esse mallet, in Galliamque rediret; quum Galeacius filius, pugnæ quam pacis avidior, viginti peditum & septem galeatorum equitum millibus transituro hosti objectis, quin prælii D aleam subiret, paternis monitis ægerrime paruisset.

Imperavit Matthæus ab Othonis morte septem annos, novem in exsilio toleravit; quum malignitate propinquorum & subita Nobilitatis conspiratione, ac Alberti Scoti perfidia circumventus, ut invidiæ cederet, Mediolano excessisset. Sed eum post patriam frustra armis sæpe repetitam, deformis exsilii incommoda constantissime tolerantem, nec unquam despondentem animum, in spem non dubiam erexit Henrici Cæsaris adventus. Fatali tum insania Turriani inter se diffidere cœperant, & Guido patrueli Muscæ morte exstincto succedens, consanguineis & civibus usque adeo super- E bia intolerandus evaserat, ut Muscæ liberos, ad quos paterni avitique imperii hæreditas redibat, custodiæ traderet. His cognitis Matthæus agresti habitu, aviisque itineribus Astam ad Cæsarem contendit, ubi Cassonus Turrianus Mediolanensis Antistes cum Napino fratre, atque item principes Guelpharum partium convenerant. Quis crederet sexagenarium senem, venerabili canitie, & male tecto frontis honore, ipsoque præsertim arduæ cervicis habitu conspicuum, sed pedibus iter habentem, tot insidiantium oculos fallere potuisse? Projecto ad pedes, & ex jure & æquo opem imploranti, admiratus facundiam & oris decus Cæsar, spem dedit F ut reduceretur, atque id egregia fide præstitit, Philippo Languisco & Antonio Fisiraga, qui aderant, atroci oculo intuentibus, acerbaque voce eum totius pacis & quietis turbatorem appellantibus. Sed Matthæus frequenti concursu, liberalique studio veterum amicorum & clientium, qui prodeuntem ornatissimo comitatu deducebant, jam pristinæ fortunæ suæ persimilis, pacificatore Cæsare, cum Turrianis fœdus percussit his legibus, *Ut beneficio Cæsaris reducti in patriam antiquæ libertati restitu-*

stitutam æquo jure viverent, & paternis bonis civili actione partis utraque factio potiretur.


Nec multo post Henricus Mediolanum venit, eique obviam egressus Guido cum insigni ordinum omnium pompa, & ab equo desiliens, Cæsarem salutavit, sed vultu non occulta bile perturbato, quod Germani equites Turrianum vexillum signifero vi extortum, solo affixerant, indignati quod aliud insigne quam Romana Aquila præsente Cæsare præferretur. Cæsar eum humaniter allevans, & equum conscendere jubens, renidenti ore, *Guido*, inquit, *noli contra stimulum calcitrare:* atque ita medius inter Matthæum & Guidonem, urbem intravit, Guidone de Principatu plane desperante, quum adspectu tanti hostis, qui dextrum Cæsaris latus tegebat, & propinquorum qui aderant rebellione conterritus, omnem vim expediti consilii penitus amisisset.

Cæterum Henrico de more coronato, atrox in urbe tumultus (casu an fraude incertum) exortus est, quum populus arma caperet, excitique ad arma Germani fora & compita cohortibus & turmis occuparent, & Galeacius cum globo equitum discurrens, & veteres clientes ad arma vocans, Germanos ut nihil timerent hortaretur. Sed ea vis armatæ plebis, quum nec causa, nec auctor tanti motus exstaret, repente versa est in Turrianos nihil tale timentes; momentoque temporis eorum domus expugnatæ direptæque sunt. Guido equum nactus, ægre profugit: Cassonus Antistes per hortos vix ereptus est: reliqui Turrianæ factionis inter se diffidentes, eandem improvisi mali fortunam tulerunt. Jam prope reum patrati facinoris apud iratum Cæsarem rumor Matthæum fecerat, nisi senem quietum pacata familia domi epulum parantem Prætoriani Cæsaris invenissent, ipseque digressus ad Cæsarem falso credita multiplici testimonio diluisset. Relegavit tamen eum Cæsar Ticinum, ut de ea re certius cognosceret, & Turrianis per summum populi scelus, omni honore omnique lauta supellectile spoliatis, æqui judicis officium præstare videretur. Sed ea disceptatio hunc habuit exitum, ut Matthæus singulari Cæsaris studio Mediolani præficeretur. Henricum enim, ut Romam ire pergeret, Cæsariani nominis studiosi in Etruria, frequentibus literis evocabant, & ipse quantum Guelphis fidendum foret, præclare intelligens, certo fidelique præsidio factionis opes confirmandas arbitrabatur.

Itaque Matthæus summa potitus potestate, iterum decem annis imperavit: quo spatio aliquot subactæ urbes, capti hostium principes, Turrianorumque opes attritæ deletæque sunt. Ipse domi ab inveterata prudentia consilio pollens, & foris filiorum ductu (ii enim clarissimi Duces evaserant) multis præliis victor ad consummatam gloriæ laudem pervenerat: ita prorsus ut jure *Magni* pariter atque felicis nomen mereretur. Sed qui longa infracti animi patientia, rerum omnium difficultates egregie superarat, invidiam veræ virtutis comitem superare non potuit. Præcipui enim amicorum gloriæ ejus splendore offensi, ab eo desciverant, quum Robertus, Neapolitanus Rex, Guelpharum partium suscepta causa in Liguriam venisset, Beltrandusque Vasco Cardinalis, Pontificis Legatus, Matthæum diris persequeretur. In eam nanque unam curam animos intenderant, ut comminuta Cæsarum auctoritate, Guelphos tot adversis præliis profligatos contra Gibellinos erigerent; Matthæusque in primis, tamquam maxime validus adversarum partium imperator, dominatu pelleretur. Dimicarant superioribus annis in Etruria ad campum Aldinum semel, iterum ad Arbiam flumen, novissime autem ad montem Catinum, Guelphi cum Gibellinis funesto illis eventu: quo prælio Roberti A Regis frater fuerat interfectus, & Luchini Matthæi filii paternorum auxiliorum Ducis mira indoles enituerat; ipseque demum Robertus à Marco Matthæi filio pro Spinulis atque Auriis exsulibus depugnante, Genuæ obsessus & misere circumvallatus, in multo rerum discrimine multum dignitatis amiserat: quibus de causis acerbissimo consensu bellum atrox Matthæo parabatur. Ipse porro Beltrandus conflato ingenti exercitu, & receptis ad se Turrianorum Proceribus, divini juris tela contorquens, Matthæum tanquam impietatis reum æternis inferorum cruciatibus devovit, & Mediolanensibus eo nomine sacra ademit, ut B populum, diro piaculo consternatum, in auctorem tantæ labis concitaret. Nec Legatum ea res fefellit: nam hæc emissa tela aliquanto graviore mole, quam promoti ad portas ingentes exercitus, hostibus inciderunt. Clausis itaque templorum foribus, expers sacrorum populus, duodecim Legatos ad Beltrandum decrevit, ut expiationem accuratis precibus impetraret. Sed in eo delectu de industria plures fuere Matthæo infensi, & ante alios ex amicis veteribus effecti novi hostes, atque ideo acerbiores maximeque pestilentes, Leodrisius Vicecomes patruelis, & Franciscus Garbagnatus, quo auctore Matthæus in amiC citiam Cæsaris fuerat receptus, & Simon Cribellus numerosa familia potens, vir atrox & inquietus, propterea alienati, quod minime paria ingentibus meritis præmia retulissent. Ad hoc superbos animos naturaque pronos ad levitatem atque perfidiam, invidia alienæ felicitatis invaserat; ut perinique ferrent, quod non jam secus atque ex merito speravissent, ipsis Matthæi filiis dignitate atque opibus æquarentur. Verum Matthæo alioqui moderato, tardanteque senectute parum expedite liberali præcipua cura inerat, liberos eximiæ virtutis Duces amicis & propinquis omnibus anteferre, augere divitiis, ac bellicis honoribus honestare, D quum cæteris propinquis & amicis proximas spes maturæ liberalitatis relinquendas existimaret. Itaque Legati à Beltrando redeuntes referunt, nihil à viro acri, iracundo, & validis copiis instructo impetrari potuisse, nisi Matthæus ob conceptam hæresim aqua & igni interdictus urbe pelleretur: eo pulso civitatem expiatam fore, & creatis Decurionibus, qui æquo jure gubernent, ad pristinæ libertatis decus, deletis factionum odiis, continuo redituram. Nec mora, inconditæ plebis fremitus auditur, pacem atque concordiam postulantis; & conjurati ad augendum tumultum idoneos homines subornant, qui specie religionis inducti E exclament, non esse omnibus propter unum devotum caput æternas pœnas apud inferos subeundas.

His vocibus Matthæus & perpetuis inimicorum insidiis circumventus, ad consilium summæ prudentiæ, quod ei supremum & ad salutem expeditum fuit, extemplo decurrit, ut à Galeacio filio, qui tum Placentiæ imperabat, licet ab se ex æmulatione Marci fratris alienato, opem imploraret: nec differt ille vir impiger de summo rerum periculo certior factus, quin statim coactis veteranis equitibus ad patrem advolet. Ejus adventu inimici maxime perterrentur, dubii depravatique F ad antiquam fidem redeunt: confirmantur clientium animi: duodecim etiam Legati, occupante metu tecti primo latebris, mox intempesta nocte elapsi urbe diffugiunt. Nam Galeacius bellici vigoris plenus, nobilique facundia insignis, uti erat propter memoriam editorum toties ludorum, & totius Regiæ magnificentiæ, populo charus, popularique humanitate percelebris, advocata passim concione, civium prope omnium studia, quæ forte nutabant, ad se converterat.

Quum




GALEACIVS PRIMVS VICECOMES MEDIOLANENSIS.

Quum præclare doceret unam eam esse mentem Pontificis atque Roberti Regis, ut Guelpho nomini latum atque stabile imperium in Italia oppressis Gibellinis adstruerent, quod facile consequi possent, si Turrianos viros crudeles, implacabilique odio omnibus iratos, in urbem reducerent.

Confirmatis eo modo civium animis, ac accitis undique veteranis militibus, sedatoque tumultu, Matthæus duorum & septuaginta annorum senex, uti administrando bello viribus impar, &, ut plerunque accidit in concursu asperrimarum rerum, mente perturbatus, sed virtuti filiorum plurimum fidens, Principatu sponte se abdicat, Galeacioque militaris imperii vexillum tradit, deducique se ad templum maximum jubet: inustam enim sibi vir contumeliæ insolens, & egregie pius, hæresis notam ferre non poterat; ita ut ad aram advocatis sacerdotibus, Christianæ fidei Symbolum præclara voce recitaret, testareturque jurejurando sibi immerenti sacra eripi, quod nusquam à sacrosancto dogmate discessisset: itidemque Dei maximi ultoris numen invocabat, postquam iniquissima factiosi Legati sententia condemnatus, patria excedere cogeretur. Sequenti porro die Moguntiacum, quod hodie Modœtia dicitur ad Divi Joannis Baptistæ templum, ob memoriam Longobardicæ pietatis venerabile, & à se multis donariis exornatum, contendit, ibique eadem professus, in febrem incidit. Accurrerunt illico filii, quum ad Crescentiacum cœnobium lectica deferretur: id enim templum triginta fere stadiis Mediolano distat. Suprema autem morientis verba ad circumstantes quinque liberos hæc fuere: *Stabit incolume vobis, charissimi atque optimi filii, hoc imperium quod relinquo, si concordibus animis cum virtute, tum fortuna vestra utemini; si vero dissideritis omnis quamlibet eximia vestra virtus frustra erit, & à vobis ad hostes illico Fortuna transfugiet.* Nec ejus prædictioni tanquam veri vatis eventus defuit, uti mox dicetur. Exinde quum omnibus manarent lachrymæ, integris quidem sensibus, sed collabente cervice, supremum osculum liberis dedit: moxque inter amplexus eorum exspiravit; eique tot superstites liberi (uti maxime optarat) oculos clausere. Defunctum autem secreto ignobilique in loco tumularunt, celata etiam aliquamdiu morte, ne cadaver in adversa forte belli fortuna, sævi Legati contumeliis esset obnoxium. Sed destinata justi funeris pompa, & toto vel operosi sepulchri honore facile carere potuit, qui publico consensu illud perenne lateque diffusum decus excelsa virtute meruerat. Tumulo ejus hoc carmen affixum est:

Matthæus factis merito cognomine Magnus,
Tempore tam belli summus quam tempore pacis,
Mortuus est, & nullum habuit sublime sepulchrum:
Claudere nanque illum non marmora sufficiebant.
Sed nunc propterea tellus est tota sepulchrum,
Et totum volitat Matthæi fama per orbem.

GALEACIVS PRIMVS,

MEDIOLAN. PRINCEPS III.

Ejus effigies spectatur in templo ad vicum Boldonum Romana via, sexto ab urbe Mediolano lapide, flexis genibus ante Christum crucifixum.



GALEACIVS Matthæo Magno genitus, novum id nomen, quod postea manavit ad posteros, primus familiæ intulit, à matre Burra joco inditum, quum ea forte in multo gallorum cantu enixa puerum, apertis oculis alte vagientem, *Gallacium* appellasset, idque arridentes ancillæ sæpe repeterent; nec abnueret pater, tanquam præclaro ab ave Martia militari augurio jucunde accepto, idque præsertim insigni eventu Fortuna comprobante; quod ea nocte puerum nasci contigisset, qua felici prælio ad Decimum interfectis aut captis Turrianæ familiæ Proceribus, ab Othone parta est ea insignis victoria, quæ & Principatus initium fuit. Nec vero sine ullis delitiis educatus puer augurii fidem fefellit, quum singulari vigilantia, generoso spiritu, atque indomito vigore pugnacis animi, superbum & ferocem gallum æmularetur, & conspicua quædam alludentis naturæ dona hos mores adornarent; multo quippe rubore suffusa facies, flagrantes oculi, subcrispa fulvaque cæsaries, & lato in pectore erecta cervix, maximi futuri Ducis speciem reddebant. Ipse porro vel plane puer tanta equorum atque armorum cupiditate erat incensus, ut aliquanto maturius quam ætas ferre posset, thoracatus galeatusque ludicra certamina, equestresque ludos inter puberes agitaret; querereturque admirante Othone, tanquam par obeundis militiæ laboribus, quod adhuc neque patris castra, neque hostium aciem vidisset. Ab hac indole novum quotidie maturæ virtutis specimen præbens, per omnes bellici muneris ordines pluribus aditis superatisque periculis decucurrit, sic ut in dies ab insigni aliquo facinore laude cumulatus, patri pariter ac militi charior evaderet. Facile enim accidit impigro juveni, ut multis expeditionibus exerceretur, quod ea tempestate nullum bello vacuum, aut ab hoste propinquo otiosum tempus esset, vigentibus odiis inter factiosas civitates, atque ob id redivivis Turrianorum studiis, quibus Guelpharum partium Duces nitebantur.

Cæterum ei ad præalta contendenti, quum sæpe egregii militis & strenui equitum Præfecti nomen tulisset, summus honos militaris imperii deerat: sed Fortuna ad id mature januam aperuit. Quum enim ex prætura Novariam obtineret, repentina Guelphorum conjuratione expulsus, summa celeritate coacto exercitu adversarios profligavit; confugientesque Mortariam, magna vi expugnato oppido, penitus delevit, tanto terrore hostibus illato, ut Matthæo patre Dux acrior atque felicior crederetur. Nec multo post patre, Alberti Scoti perfidia Mediolano ejecto, eandem exsilii fortunam sequutus, in maxima pericula se conjecit, quum senem, invicto animo irrita arma circumferentem, minime deserendum arbitraretur. Sed patre demum fractis opibus animum despondente, in ulteriorem Galliam transivit, fortemque ope-

operam adversus Britannos navans Carolo Philippi Regis patri, militari baltheo ab eo donatus est, quod est equestris dignitatis insigne maxime decorum, ubi spectato insigni aliquo in acie facinore, imperatoris judicio paratur. Inde autem in Italiam reversus, eo bello, quo Pelagura Cardinalis, oppugnata Ferraria, Atestini Actii opes maxime contuderat, multis inusitatæ virtutis operibus editis, vehementer inclaruit. Constat enim uno prælio per multas horas crescentibus urrinque subsidiis sæpius instaurato, tres equos acerrime depugnanti fuisse suffossos: eumque postremo, quum vexilliferum adacto per inguen mucrone ab ephippio deturbasset, insiliisse in equum prostrati hostis, atque ita impetu facto, perruptaque adversa acie ad suos, cum suo tum alieno cruore oblitum, rediisse: cuncta enim pericula, ut inde clarescerct, præsertim extorris atque exsul audacissime contemnebat. Erat etiam Actio summa propinquitate conjunctus, ut vel hinc ostendendæ virtutis studio vehementer accenderetur; nam Beatricem ejus sororem in matrimonio habebat, susceperatque ex ea biennio ante filium, qui de nomine avunculi Actius, summæ postea virtutis Princeps, appellatus est. Hæc Beatrix præstanti quidem forma, sed novem annis Galeacio major, antea nupserat Nino Pisano Galluræ in Sardinia Regulo, antiqua stirpe & multis divitiis claro; ex eoque genitam nubilem puellam Mediolanum adduxerat, ut ludis nuptialibus interesset; qui Regio sumptu editi, totius Italiæ urbes inusitatæ magnificentiæ fama compleverunt. Nam & simulachra certaminum, & castellorum expugnationes, quæ armatis cohortibus & turmis inter se concurrentibus edebantur, & publici epuli apparatum, & matronarum saltationes, quæ ad spectacula convenerant, vehementer omnes admirati sunt. Mille siquidem per tres classes discumbentibus convivis singulæ vestes cum sericæ, aureæque, tum laneæ, coccineæque, aut acu pictæ, dono datæ sunt; Burra socru eas miro ordine, perspicacique judicio sublatis mensis distribuente. Tot vero novæ nuptæ collata munera gemmarum atque monilium, cælatique argenti & purpuræ textilis à Legatis sociarum urbium Patritiisque civibus, ut opulentissimorum Regum divitiis æquarentur. Et hercle vel hinc mirari juvat tam malignum, quam postea falsum, Danthis poetæ judicium, quum ex hoc conjugio Viperam Gallura inferiorem putarit.

Cæterum Galeacius confirmatis Actii opibus, Tarvisii Præturam obtinuit à Gerardo Caminate ejus urbis Domino, cui ex Beatrice privigna nupserat: gessit autem eum honorem summa cum dignitate, ita ut nulla in re exsulis vultum præferret, profitereturque se brevi ad veteris fortunam imperii rediturum. Nec id votum diu fefellit, Henrici Cæsaris adventu, quo dissidentium inter se Tyrannorum opes vehementi ruina prostratæ sunt. Aderat Matthæo patri Galeacius ex paterno consilio uti oporteret arma expediens, & felici virtute semper dimicans: nam paternis auspiciis adversæ factionis vires attriverat, Ducesque belli, & Guelphi nominis Principes in potestatem redegerat. Quibus sublatis, singulæ Cisalpinæ Galliæ urbes ad Magni Matthæi auctoritatem se contulerant. Ipse quoque proprio utens consilio, & suis subnixus copiis, quum ad augendam ditionem potentiamque per se bella gereret, Guelphis formidandus esse cœperat, vel ob id quod Placentiam, Alberto Scoto vetere patris proditore armis ejecto captoque, suæ ditionis fecisset: nec multum inde Jacobo Cavalcabove, Cremonensium Tyranno, ad Bardum vicum acie profligato atque interfecto, Cremonam valida classe & magnis copiis circumvallatam, ferroque demum & fame perdomitam subegisset. Nec minore virtutis fama Marcus frater à patre rei Ligusticæ præpositus, adversus Robertum Regem bellum gerebat: & Luchinus bellica laude nulli fratrum inferior, Guelphoque nomini vehementer infensus, præcipue terrori erat, quod ab eo ad Tanari pontem Ugo Baucius, Roberti Regis equitum Magister, commisso prælio victus atque interfectus fuisset.

Quibus de causis Guelphi nominis Principes admonebantur, ut accisis in Etruria partium viribus, & tum in Cisalpina Gallia maxime profligatis majora præsidia compararent, quibus Matthæi potentiæ obviam iretur. Itaque renovatis inter se fœderibus, Pontifex, Robertus, & Florentini peritos rei militaris Duces, & validas bellicosarum gentium copias à Narbonensi Provincia, Burgundis scilicet, Allobrogibus, ac Helvetiis, in Italiam adduxerunt, usque adeo ingenti conatu sumptuque, ut transmissa grandi pecunia Henricum Austrium designati Cæsaris fratrem è Germania, è Gallia vero Philippum Valesium, qui postea Rex fuit, adversus Vicecomites in Italiam evocarint. Sed Germanos Matthæus multa largitione mature avertit; Gallos vero Galeacius & Marcus ostentato exercitu ita terruerunt, ut multa verborum humanitate, multisque item muneribus superati, trans Alpes nusquam districtis gladiis redierint.

Descenderat Philippus ingenti cursu ad Sesithem amnem præter Vercellas, juvenili quodam vigore animi hostem contemnens, nec sociorum auxilia exspectans, ita ut in insidias præceps datus esse videretur, nisi Galeacius paternæ gravitatis æmulus, vel in multa spe exploratæ victoriæ, à conserenda pugna, invito etiam fratre, par fere cum eo imperium habente, temperasset. Nolebat enim validam atque propinquam gentem, nulla prope de causa, nulloque odio, sed levi admodum bellicosæ juventutis alacritate ad bellum excitam, ipsumque præsertim regium sanguinem inexpiabili in se odio concitare: uti necesse erat, si conserto prælio totius fere Galliæ Nobilitatem profligari atque interfici contigisset. Impetrato siquidem colloquio, & per inducias ostentatis miro ordine universis copiis, quas vallatis è castris eduxerat, facile Gallorum Proceribus demonstravit, quam stultum foret, pro alieno commodo, propriæ dignitatis & vitæ periculosam aleam subire. Eaque que res Galeacii fidem facundo ore hæc disserentis confirmabat, quod veteris beneficii memoriam præferebat, quo à Carolo Rege balthei militaris honore fuisset honestatus: tum producebat præter numerosum peditatum, quinque millia utriusque armaturæ equitum, in queis sexcentorum fere nobilium cataphractorum ala, decoro simul atque terribili corruscantium armorum cultu stupentes Gallos permovit, ut auctore Ebrardo equitum Magistro, viro æque prudenti ac strenuo, certam pacem potius quam anceps bellum optarent. Cum hac ala Marcus Galeacii frater, cum specie ipsa excelsi corporis, tum felicium præliorum fama inclytus, explicatis turmis decurrerat. Gestabant singuli equites in cono cassidis, & in lacinia, Phrygii operis squamosam viperam, cruenti pueri crura dentato ore devorantem, Vicecomitum familiæ vetus insigne: qua inusitata specie Gallos, utpote non intellecto argumento, vehementer commotos fuisse, moxque magnis muneribus exsultos, utili consilio potius quam decoro, Villanus Florentinorum Annalium scriptor in Galliam rediisse perscribit.

Sed Matthæo patre vita functo graviora demum Pontificis & Roberti Regis arma, conspirantiumque Patritiorum vim, ac Germani militis pers

perfidiam, summo cum discrimine salutis expertus est. In eo enim vetere decreto fœderati hostes permanserant, ut pulsis Principatu Matthæi liberis, res Mediolanensis, sub inani libertatis nomine, Guelpharum partium auspiciis nutuque regeretur. Itaque Leodrisius, & Garbagnatus, atque Cribellus cum suo livore atque odio perciti, tum honoris maximi atque potentiæ non dubia spe inflati, in id incumbebant, ut cives depravarent, atque diducerent, Pontificiique Legati nomine Germanos, divisa inter eos pecunia optimisque stipendiis propositis, ad defectionem impellerent. Primi omnium Rogerius & Anechinus, Vindelici Centuriones, soluto pudore defecerunt; nec civitas per se instabilis dubitavit, quin Germanorum exemplum sequeretur. Qua repentina veteranorum defectione circumventi Galeacius & Marcus, quum atrociora timerent, Laudem Pompejam ad Vistarinos veteres amicos se receperunt: eorum autem discessu civitas, creatis ex unaquaque Tribu Decurionibus, libertatem arripuit. Cæterum immutatus in urbe status hunc habuit eventum, ut factiosi ad arma excitati, Duce quodam Burro, Guelpharum partium vexillum attollerent; admirantibusque primo, & mox non temere sibi metuentibus Gibellinis, tumultuose per urbem deferrentur: Guelphi quoque ex Martiana Abduani agri regione, & Brigantinis montibus, Liciniforoque præsertim, Tignaca Paravicino Duce, homine turbulento, Modœtiam occuparent. Id facinus Mediolanensis Reipublicæ Decuriones magnopere commovit, quod novi imperii majestas seditiosorum temeritate sugillari contemnique videretur. Ipsos porro Gibellinos admonuit, ut armata præsidia compararent. Mittitur ergo Leodrisius cum exercitu, qui Modœtiam, si dicto audiens esse Tignaca nolit, admotis machinis expugnet. Nec mora, Guelphis majore pertinacia quam vi resistentibus, Leodrisius diffracto muro atque incitatis ad prædam Germanis, opposita munimenta perrumpit; multisque cæsis capitur Tignaca, oppidumque diripitur.

Hinc jam non obscure animadversum est, non aliam ob causam Galeacium fratresque ejus Mediolano expulsos fuisse, quam ut Guelpharum partium dominatus induceretur. Nam veteres hostes semperque antea exsules Turriani revocabantur, & Legatus hominem natione Burgundum, quod esset è Turriana familia, urbi præfecerat: nec Germani, (quanquam mercenarii milites) vel Roberti Regis, vel Pontificis nomen Cæsaribus infensum, pacatis auribus accipiebant: & tum forte stipendia à Legato Cardinale Regiisque Præfectis largissime promissa, nequaquam liberali manu solvebantur. Quibus de rebus Germani Henrico Grunistenio homine nobili concionante, sublatis dextris Galeacium continuo revocandum censent, decernuntque ad eum Legatos summæ dignitatis Centuriones, qui condonatæ veniæ fidem accipiant, ut Rogerio & Anechino, cæterisque recentis infidæ levitatis auctoribus caveretur. Grunistenius enim virtutem, fidem, munificentiam, atque animi magnitudinem, quæ in Galeacio spectabantur, eximiis laudibus extulerat, usque adeo studiose, ut se vadem obsidemque præstaret. Marcus quoque opportune in urbem noctu regressus, Leodrisium inexspectata Guelphorum audacia perturbatum, animadversoque periculo consilii sui non obscure pœnitentem cum lachrymis exorarat, ut jure sanguinis ad familiæ salutem pariter ac dignitatem cum Galeacio in gratiam rediret, nec veteres Vicecomitum hostes ipsorum intestino malo lætari pateretur. Itaque postridie Galeacius non secus ac si ex venatione suburbanoque secessu, non ab exsilio, domum rediret, læta civitate in urbem est reductus. Ejus adventu Garbagnatus & Cri-

A bellus ad Legatum arrepta fuga perfugerunt: Burgundusque Turrianus urbis Præfectus cum Gulielmo Ruramonte Regio Legato pariter evasit.

Sed non multo post Pontificiæ Regiæque copiæ adjunctis Florentinorum auxiliis, & Pagano Turriano Aquilejensis Patriarcha cum gentilibus suis ad id bellum evocato, ad Abduam contenderunt; eo consilio, ut superato amne, recta Mediolanum contenderent. Imperii militaris nomen penes Gastonem erat, Legati ex fratre nepotem. Cæterum Raimundus Cardonius Hispanus, Henricusque Flandrius, & Simon Turrianus, clarissimi Duces, gerendi belli munia susceperant: cense-
B banturque in eorum exercitu quadraginta millia peditum, & decem millia galeatorum equitum, ex omnibus fere Europæ gentibus mercede collecta. Ubi ad flumen perventum est paulo supra Tritium, vado reperto cum primis equitum agminibus Garbagnatus & Cribellus transivere: tum vero Marcus, qui ad id vadum advolarat, ita primos urgendo cædendoque perturbavit, ut ambo Duces intercepti atque agniti, sæviente in eos Marco, protinus interficerentur. Sed repulsis in amne primis, Florentinorum turmæ eodem vado tranantes, quominus reliqui ad unum interirent, mature opem tulerunt. At Marcus acerbissimorum inimicorum cæde contentus, uti impar viri-
C bus, Mediolanum se recepit. Nec multo post ipse Marcus atque Luchinus cum hostibus ad Tricellam pagum, sexto ab urbe lapide, dimidio minore, sed aliquanto promptiore exercitu freti, audacissime, insigni cruentoque prælio, contenderunt, nec dubia quidem victoria, nisi grave Luchini vulnus, incumbentis in obversa jam plane hostium terga, Marci impetum retardasset. Exinde hostes, promotis ad Comensem portam castris, Mediolanum per aliquot menses obsederunt.

Interim Galeacius à Ludovico Bavaro Cæsare auxilia equitum impetravit, venitque Mediolanum
D Bertoldus Guisses cum quingentis galeatis equitibus; strenueque adversus obsidentes multis prosperis eruptionibus res gesta est. Sed hostes quum vera vi nihil proficerent, ad insidias versi Helveticam cohortem multa pecunia corruperunt, ut quum in statione esset, Galeacius revisens custodias interficeretur. Sed detecto scelesto consilio, primus omnium Joannes frater, tametsi sacris erat initiatus, militari animo captis armis Helvetios adortus, conceptæ perfidiæ pœnas ab eis exegit. Hic est ille, qui Archiepiscopus Mediolanensis factus, secundissima virtutis fama, Majorum suorum imperium late propagavit, atque auxit. Post de-
E tectam & continuo vindicatam Helvetiorum conjurationem, Gastone morbo absumpto, Cardonius & Flandrius desperata victoria, noctu, nec conclamatis quidem vasis, Modœtiam sese receperunt, nova auxilia à Legato, qui Placentiæ consederat, exspectantes. Eam enim urbem Vergusius Landus, expulso ex insidiis Actio Galeacii filio, acceptaque pecunia, Legato tradiderat: propterea Cardonius & Flandrius Modœtiæ plane obsessi, ad Vaprium vicum Abduam ponte constraverant, per quem tutus & expeditus recipiendis commeatibus venturisque auxiliis transitus præberetur. Quo cognito hostium consilio, Galeacius eum pontem o-
F mnino sibi præcidendum statuit, conjectura judicans, si eo properaret, nihil hostium Duces cunctaturos, quin educto exercitu ad tuendum pontem convolarent, & quam ipse omnibus artibus quærebat conferendæ pugnæ occasionem, non iniquo loco præberent; quod in ejus pontis beneficio, & obtinendi commeatus, & parandæ demum victoriæ spes omnis posita videretur. Nec sua eum opinio fefellit; Cardonius enim è Modœtia progressus Vaprium, quam hostis optabat nobili

prælio

prælio facultatem præbuit. In dextro cornu, ubi Burgundiones Belgæque erant, Henricus curabat; lævo Simon & Passarinus Turriani, Vergusius item Landus cum Florentinæ alæ Ducibus præerant; mediam aciem tenuit ipse Cardonius, Cathelanis, & Narbonensibus, atque Apulis turmis septus; peditatum vero omnem, qui ex Italis & Transalpinis gentibus constabat, ita diviserant, ut invalidis strenui, inermibus loricati miscerentur. Cæterum Cardonio copias ex Vaprio in patentem campum educente, instruenteque acies, Galeacius à diversa parte vacuum ab hoste vicum invadi atque incendi protinus jussit; quo incendio aversus hostis adeo perturbatus est, ut respectare & de insidiis intestinaque perfidia dubitare cogeretur, quum ex adverso vexilla Aquilis Viperisque fulgentia pleno passu appropinquare conspiceret. Nec mora, Galeacius & Marcus hostem sarcinas suas atque impedimenta ingenti incendio in vico pereuntia deplorantem, utrinque invadunt: Marco primam aciem perrumpente Flandrius aliquandiu restitit; sed eo strato, tota ejus acies fusa profligataque est. Nec ab altero cornu Galeacii impetum Turrianæ Florentinæque alæ diu tulerunt: media quoque acies à Gaudentio Marliano (is nobilis & vetus miles & dux impiger peditatui præerat) à fronte loco mota, turbatis ordinibus in fugam versa est: & Cardonius ad primum incursum magno à sagittariis, & mox ab irruentibus cataphractis detrimento accepto, quod flammæ deflagrantis vici receptum eriperent, & in utrunque latus victores fratres vehementer inveherentur, & præaltus amnis ex fuga vadum tentantes primis vorticibus abriperet, vivus in potestatem hostium devenit; Præfecti Florentinæ alæ pariter capti. Simon Turrianus, Guidonis, qui Mediolani imperium tenuerat, filius, interiit: ex minoribus Ducibus promptissimus quisque aut occubuit, aut in manus hostium devenit: vexilla quoque majora Roberti Regis, atque Pontificis, & Florentinorum Turrianorumque relata sunt. Unus fere Henricus Flandrius à Germano equite captus, temereque dimissus, quum pedes exutis armis totam noctem per sylvas errabundus effugisset, prima luce Modœtiam pervenit, quo Vergusius extremi supplicii pœnam timens, quod Actium Placentia pepulisset, ab initio adversæ pugnæ cum reliquiis profligati exercitus perfugerat. Ab his Ducibus instauratum est bellum, & Modœtia per aliquot menses fortiter defensa; sed magnis demum operibus circumvallatam oppugnatamque acriter, Vergusius ea conditione dedidit, ut nisi justis auxiliis à Legato missis obsidio solveretur, ipse cum præsidio salvis rebus exiret. Jam enim Flandrius desperatis auxiliis noctu ex oppido profugerat, & Passarinus Turrianus quum opem obsessis afferre maturaret, à Marco ad Tiniosam turrem equestri prælio fuerat profligatus: à quo etiam paulo ante eadem belli fortuna, Narbonensium equitum manus ad Caracam supra Lambrum, dum ibi negligenter excubaret, oppressa est.

Sed tantis hostium copiis aut ferro aut pestilentia deletis, victor Galeacius, præcellenti judicio vir, sibi omnino pacem parandam esse constituit, quod inexhaustis redivivisque potentissimorum hostium opibus se imparem cerneret, sæpeque dimicando vires experiri, atque instabilem Fortunam toties lacessere periculosum arbitraretur. Erat in custodia Raimundus Cardonius, Dux hostium, vir solerti gravique ingenio præditus: hunc idoneum existimans, per quem à Pontifice pacem impetraret, carcere emisit, usque adeo egregie simulata fuga, ut duo ex intimis familiaribus insigni nobilitate juvenes Becalcius Landrianus & Phœbus Con-

A tes, elabentem comitati prodidisse custodiam putarentur, singulari quidem cum infamia & summo cum dolore propinquorum, quum Galeacius eos tanquam admissi sceleris reos per præconem exsilio mulctavisset. At Hispanus (uti generosum decebat) sincera fide causam egit, Placentiæ primo apud Legatum, & mox Avenionem contendens apud Pontificem, Landriano & Phœbo arbitris & peculiari oratione prolatisque mandatis suppliciter pacem petentibus. Nec abnuit Pontifex, quod eam Cardonius omnino utilem fore disserebat, videreturque ex commodo dignitateque Pontificii nominis, si Christiana benignitate cle- B mentiaque inductus, eos in clientelam fidemque reciperet, qui ab eximia virtute Diis & Fortunæ cordi essent, & uti bellis omnibus invicti, non temere ab his, qui virium periculum fecissent, insuperabiles crederentur. Petebat autem Pontifex ex consilio Roberti Regis, qui super ea re consultus fuerat, ut postquam Galeacius converso studio amicum fidelemque clientem Romani Pontificis se fore profiteretur, etiam gerendo bello socius esse, eosdemque hostes habere vellet. Sed is, unum Cæsarem beneficiariosque ejus excipiens, adduci non potuit, ut quicquam polliceretur, quod familiæ suæ antiquissimo studio indignum censeri C posset.

Cæterum eo modo confecta pace, Cardonius iterum magnis exercitibus à Pontifice Robertoque Rege præfectus est, postulantibus eum Florentinis, qui à Castruccio vehementer exagitati, veteribus innixi studiis, Guelpharum partium nomen magnis opibus tuebantur. Itaque Cardonius ab ostio Rhodani triremibus Telamonem devectus, Florentiæ militaris imperii sceptrum ac solenne vexillum accepit, & contra Castruccium ad Phocensium paludes castrametatus est: Phœbus autem & Landrianus ab eo humaniter dimissi ad Galeacium contenderunt, qui- D bus protinus pristinæ famæ decus restituit; quanquam confecti negotii arcana tum minime nudanda viderentur. Eos enim non obscure de se benemeritos liberali gratoque animo tota ea simulatæ perfidiæ suspicione liberandos existimabat, qui nihil subeundæ infamiæ nomen veriti, modo jussis fideli obsequio parerent, periculosi officii munus implevissent. Nec demum Galeacius vel Castruccio, sibi privato publicoque nomine conjunctissimo, vel ipsis Etruriæ Gibellinis defuit, quin mature transmissis auxiliis opem ferret. Actius enim filius per Apuanos Ligures Lucam descendere jussus cum septingentis cata- E phractis equitibus, magna ex parte Germanis, ad Castruccium in castra pervenit, usque adeo opportune atque feliciter, ut commissa ad Altopassum nobili pugna, Cardonius iterum caperetur, & Florentinorum vexilla cum Legatis & Ducibus, cæso profligatoque toto exercitu, in Castruccii potestatem venirent. Cæterum Galeacius, qui tantos conjurantium hostium exercitus, totque vario eventu commissis præliis, & parta demum memorabili victoria, invicto animo cuncta superarat, ad extremum jam undique victor & felix, propinquorum insidias effugere non potuit. Leodrisius enim & ante adversus Matthæum, & nu- F per perfidiosa malignitate infamis, atque ideo semper inquietus, ex intervallo, ut plerunque accidit, validior ad insaniam redierat, adauctoque scelere Marcum Galeacii fratrem facile depravarat, plenum quidem bellica laude, sed ob id multa superbia, multaque occulti livoris bile redundantem. Hic ingenii captu supra æquum turbidus & ferox, tanquam periculorum omnium socius, & totius victoriæ præclarus adjutor, fratrem rerum dominum ferre non poterat, vel natu maximum, &

& prudentiæ auctoritate potiorem: & quum regnum duos non caperet, quibus modis id assequeretur violentus & vecors agitabat. Præbuit autem occasionem maturando flagitio Ludovici Bavari Cæsaris adventus, qui evocante Galeacio, ut Pontificis, Robertique Regis, & Florentinorum adauctæ potentiæ obviam iretur, Veronam pervenerat. Itaque Marcus & Leodrisius officii simulatione Cæsari obviam euntes, Veronæ Galeacium multis oneratum calumniis, Majestatis reum fecerunt, connivente ad id scelus Cane Scaligero, qui ex aliena discordia turbatis rebus obventura sibi commoda vir astutus atque ambitiosus exspectabat: verum Ludovico Cæsare à præeuntibus, iterque monstrantibus, Marco & Leodrisio, per Camonicos tramites Comum perducto, Galeacius affuit cum ornatissimo comitatu dona ferens, novo nec admodum opulenter instructo Cæsari gratissima. Ibi de fraternis insidiis certius didicit, Franchinumque Ruscam, Comensium Tyrannum, ab se Scaligeri Canis exemplo diductum sensit. Accusabatur atrociter, quod intempestive parandæ pacis cupiditate adductus, Gibellinarum partium gravi damno cum Pontifice transegisset, Cardonio præsertim tanto Duce iniqua plenaque perfidiæ simulatione hostibus restituto: Mediolani vero sublata libertate, propinquis amicisque veteribus plane contemptis, impotenter superbeque regnaret. His quoque summæ offensionis criminationes addiderant; quibus diluendis Galeacius quum vehementer æstuaret, gravi admodum voce dixisse fertur, *Dum me Marcus frater impie ferit, sese temere consauciat.* Id vero deferentibus amicis audiens Marcus, acute respondit, *De hoc quid in fatis futurum sit Galeacius viderit, qui ædepol fratrem non habet, quum solus regnet.*

Sed eam disceptationem Cæsar distulit, Comoque profectus per Modœtiam Mediolanum pervenit, quo Galeacius præcesserat, ut quæ ad solennis pompæ ornatum pertinebant, magnifice atque celeriter appararet. Itaque liberali sumptu & plane regio splendore Cæsar exceptus est, & Kalendis demum Juniis in templo Divi Ambrosii ferreo diademate coronatus, tradente insignia Guidone Tarlato Aretinorum Antistite: is in Italia Gibellinarum partium principem agebat. Interfuit & Canis Scaliger, qui mille equites galeatos, & delectorum peditum aliquot cohortes, ad ornandum augendumque Cæsaris comitatum adduxerat, ut studium suum erga eum ostentaret. Hic profunda ambitione incensus, oblata ingenti pecunia, petebat à Cæsare, ut Mediolani Augustali jure Princeps diceretur: etenim magno astu apud Proceres Germanorum, Galeacium vel nullo certo indicio Majestatis reum, nec adhuc ad dicendam causam ad tribunal Cæsaris vocatum, maligno infamique judicio prædamnabat. Sed Cæsar gravi admodum ancipitis consilii suspensus cura, quid sibi decernendum foret non videbat. Ita Scaligero respondit, ut spem ei non præcideret, & præsentibus ejus copiis ad patrandum facinus uteretur. Interea dabat operam, ut Germanici sanguinis vetus miles perpetuis stipendiis & beneficiis Galeacio obstrictus, vel ab ipsa Matthæi Magni Othonisque memoria fidem mutaret, novumque sibi, rejecto superiore, sacramentum diceret: æquum enim postulare videbatur, quum pro sua & Germanicæ gentis dignitate saluteque peteret, ut firmissimo consensu Aquilam Romani Imperii signum respicere, idque tueri, & se proficiscentem Romam sequi vellent: futurum enim brevi, ut & opima stipendia, & digna ipsorum fide præmia consequerentur. Nec mora, Germa-

A nis gravi scelere, nisi id præsentia Cæsaris elevaret, fidem occulte mutantibus, concilium solenne Proceribus indicitur, vocaturque ad id Galeacius cum fratribus Actioque filio. Tum vero Marcus prodit, venenumque dirum domui sibique demum lethale evomens, petit supplex, ut æqui juris libertatem civitati restituat, oppressam & plane exstinctam inusitata tyrannide superbi fratris. Idque si æquissimus Cæsar impetrari à miseris pateretur, Mediolanenses quantam oporteret in stipendium pecuniam præbituros, nec à fide atque amicitia Cæsarum ullo unquam tempore discessuros. Aderat forte persolvendi stipendii dies, &
B eam pecuniam Galeacius exhausto jam plane ærario, cui per tres menses Cæsar aviditate insatiabili gravis & importunus exstiterat, non nisi cunctanter expediebat, quam sine gravi discrimine tanta oneratus calumnia imperare non poterat, Patritiis jam plane Marci & Leodrisii malignitate depravatis, populoque per se cupido rerum novarum, ad spem libertatis erecto.

Cæterum Galeacium generosa oratione objecta crimina refellentem, nec talem omnino injuriam veritum, ex composito Prætorii præfectus, itemque Luchinum Joannemque fratres, Actiumque filium, in proximum cubiculum deducit, quasi Cæsar re-
C moto reo liberius loqui vellet. Sed jam ad eum modum captis Cæsar capitale supplicium comminatur, nisi triduo Modœtianam arcem tradi jubeant. Id autem à forti fidelique custode vix multis cum lachrymis impetratum est; quum in tanto conjugis periculo trepida Beatrix uxor Modœtiam pervolasset, missus est, qui deditam arcem reciperet, novumque præsidium imponeret, Guido Tarlatus; biduoque post Nonis Juliis Galeacius cum Actio filio, Luchinoque & Joanne fratribus, in ea arce duræ custodiæ traditur; non omnino iniqua sorte, ut fabrefacti paulo ante ab se tetri carceris furnum, ita à depressa testudine
D vocatum, primus experiretur, quem adversarum partium captivis ad pœnam paravisset. Verum eam illis calamitatem vehementer auxit custodiæ præfectus è Norico Antius Rizaccus, ingenio ita immiti erga miseros tantæ modo fortunæ Principes, ut nec quotidianis muneribus emollitus, quicquam de inhumana feritate remitteret. Mirum id profecto fuit, quum rerum Domini tantis muniti præsidiis dolo caperentur, neminem se commovisse: pauci enim ex his, qui aderant, id factum senserunt. Etenim quis perpetuum atque acerrimum Cæsariani nominis defensorem, ab ipso Cæsare summis precibus in Italiam evocato,
E tantisque officiis atque muneribus exculto, in eam calamitatem detrudi potuisse credidisset? cum præsertim nulla in Cæsare vel alienati animi, vel commutati vultus signa præcessissent: nec in damnato verius quam reo ullus omnino metus ex conflata calumnia (si ingenuum æstuantis animi ruborem demeres) conspiceretur? Sed potiundi auri dira cupiditas, quæ in Ludovico profunda infinitaque demum apparuit, accusante Marco & immodica pollicente, vehementer excitata, & veteris clientelæ, & recentis officii, & hospitalis amicitiæ jura facile dissolvit. Sequenti enim die astuto Cæsaris consilio, viri insignes viginti qua-
F tuor è singulis Tribubus regendæ Reipublicæ creati sunt ad imaginem antiquæ libertatis: sed imperata subinde est pecunia honorarii subsidii nomine, & ea quidem multo amplior quam à Galeacio poposcisset. Nec multo post qui summæ rerum publicoque consilio & tutelæ urbis præesset, cum delecta manu Germanorum delectus est Guliermus Monfortius.


His rebus Mediolani constitutis, Cæsar Urceos Brixiani agri oppidum contendit, ubi concilium in-

indixerat, evocatis undique sociarum urbium Tyrannis. Ibi ad leniendam invidiam atrocis facti, literas protulit concepti cum Pontifice fœderis indices, captis (ut dicebat) Galeacii tabellariis interceptas; quas tamen plerique commentitias & falsas existimarunt, ut Villanus Florentinorum Annalium ejus ætatis Scriptor, vel ex professo Vicecomitum nomini infensus, scriptum reliquit. Jam Gibellinæ factionis principes, inexspectata Galeacii calamitate tanquam communi malo atque periculo consternati, Cæsarem non obscure oderant, ingenio suspicaci, ac sævo, maximeque rapaci, partium nervos atrocissime convellentem. Verum paucos post dies impetratis à Scaligero, & Atestino, Passarinoque Mantuano equitum auxiliis, Romam iter intendens in Etruriam descendit. Pisani ei portas clausere, nec Cæsaris expilantis socias urbes dicto audientes futuri videbantur, nisi Castruccius, à quo Cæsar amicissime receptus, pecuniaque adjutus fuerat, novo adjuncto exercitu Pisanis, nisi Cæsarem reciperent, extremas suburbani agri clades denuntiasset. Cæterum Cæsar, Pisanis pecunia mulctatis, adscitoque sibi Castruccio, via Aurelia, quæ maritima dicitur, Romam contendit. Nec mora, insigni studio Sarræ Columnæ, Jacobique Sabelli in Vaticano coronatur, tradente diadema Petro Corvario, quem cœnobio eductum, Pontificiaque tiara exornatum, Nicolai quarti nomine Pontificem appellarant, ut in urbe Joannis legitimi Pontificis auctoritas aboleretur. Ludovicum enim Bavarum Joannes, Roberto Regi fœdere conjunctus, tanquam Gibellinarum partium præcipuus hostis, pseudo-Cæsarem appellabat, quem & anathemate perculerat. Romanus quoque populus præsentem Pontificem colere quam venerari absentem malebat, vel ob id invisum, quod multis legationibus evocatus, Avenionem sacrosanctæ Urbi prætulisset.

Dum hæc fierent, Castruccius, quem antea Lucensium, & Pistoriensium, Lunensiumque Ducem Cæsar appellarat, accumulatis honoribus, Senator Urbis, Comes Lateranus, & Cæsareæ Aquilæ vexillifer effectus est. In eo tum uno Cæsaris spes & opes sitæ erant; quoniam nemo eo vel acumine ingenii, vel consilii gravitate validior fuit: quum etiam cæteris ejus ætatis Ducibus, in omni gerendi belli negotio fortuna felicior haberetur. Is maximis officiorum vinculis familiæ Vicecomitum obligatus, nullam prætermittebat occasionem, quin Galeacium Cæsari commendaret, oraretque supplex, ne diutius Guelphos, Romani Imperii capitales hostes, præstantissimi viri calamitate lætari pateretur. Verum Cæsar, ne insontibus injuriam temere fecisse videri posset, æquo durius respondebat, quanquam Sarræ & Sabelli maximæ auctoritatis & gratiæ Procerum continuæ preces adderentur: & Marcus admissi sceleris pœnitentia adductus, castigante atque exorante Castruccio, à vetere diri odii insania discessisset, peteretque excussis ingenuo pudore lachrymis, ut exutis imperio fratribus saltem cum libertate vita redderetur, quæ in eo carcere brevissima censeri posset, nisi Cæsar clementiæ nomine satis pœnarum eos pro vetere superbia, ex beatissimis factos mortalium omnium miserrimos, dedisse existimaret.

Dum Romæ tantis deprecatoribus ad misericordiam Cæsar inducitur, Castruccio nuntiatum est, Florentinos Pistorium urbem paucorum civium proditione in potestatem redegisse. Qua re vehementer perturbatus, nec obscure Cæsari succensus, quod aliquanto gravior hostis Gibellino quam Guelpho nomini præposteris consiliis evasisset, abducto suo milite ad recuperandam amissam urbem magnis itineribus Lucam contendit. Ejus viri discessu permotus Cæsar, quod pecuniæ inopia premeretur, nec Romani in ea expedienda prompti essent, & propinquæ Urbi civitates intestino bello laborarent, Robertique Regis exercitus ab Aquila & Latio Romanis finibus immineret, animi sententiam mutavit; perscriptisque literis Antio Risaceo Modœtianæ arcis custodi, Guliermoque Monfortio Mediolanensi Reipublicæ præposito, Vicecomites custodia educi, pristinæque libertati restitui jussit. Itaque Galeacius cum fratribus filioque, quum à Nonis Juliis ad sextum Kalendas Apriles in prædura custodia fuisset, incredibili veterum amicorum lætitia, Modœtianorumque insigni gratulatione liberatus est; ea conditione, ut discedenti ab Urbe Cæsari, honoris causa Pisis occurrerent. Sed Galeacius curato corpore instructaque ad profectionem vetere familia, atque adscitis ex numero veteranorum lectissimis Centurionibus, equitumque Præfectis, nihil antiquius habuit, quam ut ad Castruccium, tanquam salutis partæque libertatis præcipuum auctorem, ad agendas gratias, communicandaque consilia in Etruriam contenderet. Is tum Pistorium circumvallatum præaltis aggeribus gravi obsidione premebat: ea belli ratione, ut imitatus Cæsarem Dictatorem ad Alexiam, retento intra munitiones exercitu, utrinque vallo fossaque munitus, eruptiones facile sustineret; nec exteriores hostium copiæ, quanquam essent amplissimæ, adoriri munitiones auderent: ubi ingentes balistas, quæ tum erant pro æneis tormentis, atque item majores scorpiones, in editis aggerum propugnaculis peritissime collocarat. Is venientem Galeacium arctissime complexus, quod eum unice adamaret, atque in eo ex tot rebus bellicis fortiter atque feliciter gestis animi magnitudinem admiraretur, omnibus copiis ac absolvendis operibus præfecit: donec ipse ad explicandas ærarii difficultates Lucam profecturus, confecto ibi negotio, in castra reverteretur. Eo itaque non multos post dies reverso, munitiones mirifice adauctas laudante, ita inter se compararunt, ut Galeacius interiores munitiones adversus erumpentes circumpositis nocturnis diurnisque stationibus tueretur; ipse exteriores, obvertendo urbi terga, cum multo maxima copiarum parte defenderet. Nam Florentini Duce Philippo Sanginetto Gallo, qui Pistorium ex insidiis ceperat, ac Beltromone Baucio, qui erat Pontificiorum equitum Magister, supra numerosum peditatum, septem millia galeatorum equitum in conspectum obsessæ urbis adduxerant, assiduo tubarum clangore Castruccium ad pugnam provocantes, quod subire aggeres aut perrumpere conari, à peritissimis ejus ætatis Ducibus defensos, tum ausu stultum, tum eventu luctuosum fore existimabant. Nec multo post Florentini inde copias in Pisanum & Lucensem agrum vertentes, discesserunt, ut Castruccius vicorum suorum incendiis permotus, Lucensibus opem ferre cogeretur. Sed degeneris consilii conatum irridente Castruccio, atque identidem ignaviam exprobrante, Pistorienses ita animis conciderunt, ut desperatis omnibus auxiliis se dederent, ea conditione, ut nisi sociorum exercitus intra quintum diem, aut justam commeatus copiam inferret, aut prælii fortunam experiretur, ipsi continuo vita incolumes salvoque præsidio portas aperirent.

Dum hæc agerentur, vehemens atque lethalis morbus Galeacium invasit, exustum scilicet Augusti mensis solibus, perpetuisque laboribus diuturnæ obsidionis fatigatum: nihil autem de sævo impetu febre remittente, ut commodius opportuna remedia pararentur, ad Pisciam oppidum lectica




ACTIVS Vicecomes.

lectica delatus est. Ibi eum triduo post absumpsit morbus, quum implesset alterum & quinquagesimum ætatis annum. Videri hercle potuit infelix, ex tanta utique fortuna collapsus, nisi viro ad victorias nato, vel exsuli, in ipsa victoria mori contigisset. Funeratus est Lucæ miro studio in eum supremos honores conferente Castruccio. Tumulum autem hoc epigrammate poeta, eo rudi sæculo non insulsus, honestavit:

Hic jacet in parva (majori dignus at) urna,
Sanguinis Anguigeri Galeaz & gloria belli:
Magnanimus, contemptor opum, formaque decorus.
Extulit hunc virtus, mala sors mox fortiter ursit,
Quam rursus vincens, simul & virtute refringens,
Victor decedit, felix & in astra recedit.

Nec ipse quidem Castruccius diu victoriæ suæ gloriæque superfuit: ingruente enim pestilenti autumno ex hisdem Pistoriensis belli laboribus accersita febre, intra vigesimum diem Galeacii fatum est consequutus: vir haud dubie antiquis Ducibus bellica virtute comparandus, nisi Tyranni nomen ex atrocibus factis invidiæ expositum, vel præcellentis virtutis famam facile prægravaret. Excessit è vita tribus annis Galeacio minor, ita ut ad consummati Imperatoris existimationem, nisi præmatura fata vitæ cursum præcidissent, perventurus esse crederetur: quanquam Machiavellus Florentinus, improbe corrupta historiarum fide, in eum præferocem patriæ suæ hostem impudentissime jocatus, dum ejus vitam commentitie lasciveque contra veritatem ad risum nauseamque perscriberet, id unum maligne contenderit, ut Nicolai Tegrimi Lucensis sincerissime cuncta de Castruccio Latine enarrantis, spectata auctoritas interposito mendacio apud posteros elevaretur.

ACTIUS,

MEDIOLAN. PRINCEPS IV.

Actius egregii artificis manu depictus in templo Divi Gothardi ad lævam introeuntibus conspicitur. Videmus etiam parem ejus effigiem in templo Divi Marci, extra Beatricem portam: sed statua eximiæ cælaturæ ex Lunensi marmore sepulchro imposita, depictæ similitudinem exacte reddit, quæ hic exhibetur.



Actius, vigore bellico & prælalto constantis ingenii spiritu patri Galeacio facile par, efficaci vero prudentia & longa infracti animi fortitudine avo Matthæo persimilis, collapsam familiæ fortunam admirabili virtute restituit; tanta quoque felicitate, ut recuperato dominatu, imperii fines paucis annis late protulerit. Sed ab initio multa ei adversa obvenere: nam in exsilio natus & educatus, pueritiam simul & adolescentiam nulla certa cum laude transegit. Postremo jam plane vir Placentiæ in præsidio à patre relictus, quum is, perditis prope rebus opem ferens, Mediolanum convolasset, eam urbem tantis laboribus partam, unius horæ momento infeliciter amisit, occupante Vergusio Landa, qui valida Legati Cardinalis ala equitum, & magna exsulum manu fretus, irruperat, vitatis quidem diverso itinere Actianis copiis, quæ adversus adventantem exierant. Tanta porro irrumpentis Vergusii celeritas fuit, ut Actius breve ad fugam spatium nactus, ægre hostium manus evaserit, adjuvante præsertim matre, quæ tam subito quam salutari consilio, effusis in limine domus aureæ monetæ sacculis, intrantes, dum eam avide colligerent, aliquandiu morata fuerat. Erat Vergusius vir bello acer, sed ab ingenio maxime turbido semper inquietus: qui tametsi Gibellinæ factionis erat princeps, commutata voluntate ad Legatum perfugerat, quod Galeacius uxoris ejus pudicitiam procacius pertentasset.

Verum Actius collectis copiis suis, & Ferrariensium Mantuanorumque opibus adauctus, Sancti Domnini oppidum in potestatem redegit, accurateque bellicis operibus id muniens, adversus hostes egregie defenso oppido bellum gessit, usque ad id tempus, quo Galeacius post devictum captumque Cardonium, & deletas ejus copias, Modœtiamque receptam, Castruccio opem imploranti auxilia in Etruriam transmisit. Florentini enim novas equitum alas ex ulteriore Gallia mercede conduxerant, conjunctisque Roberti Regis & Pontificiis copiis, Cardonium, qui nuper dimissus à Galeacio ad Pontificem pervenerat, ingentis exercitus imperatorem effecerant, ita ut Castruccius sibi timere, & opem à sociis, Galeacioque imprimis, & Passarino Mantuano, Caneque Scaligero implorare cogeretur. Quam ob rem coactis jam auxiliis Actium parantem sibi iter ad Apenninum, ut in Etruriam transcenderet, in Sancti Domnini oppido aliæ atque aliæ Florentinorum & Legati copiæ acriter obsederant, ut dejectus spe auxiliorum Castruccius, priusquam ei succurri posset, à Cardonio circa Phocensium paludes opprimeretur. Sed magno cum dedecore obsidentium illatus est in oppidum commeatus, & recentes demum cohortes & sociorum equites intrarunt; Actiusque eductis signis, detrectante certamen hoste, cum octingentis galeatis equitibus per Apuanos Ligures ad Castruccium contendit, usque adeo opportune, ut quum collatis castris prælium differri ultra non posset, Castruccius ejus adventu magnopere lætaretur, & Cardonius triste omen acciperet, quum fatales sibi Viperas in vexillis fulgentes adspexisset. Tum quoque lætum de ea victoria augurium Actio obvenit, sicuti à Francisco Petrarcha his verbis scriptum legimus: Actius Vicecomes, qui postea Mediolani dominium obtinuit, juvenis nempe victoriosus, antequam à podagris vinceretur, jussu patris profectus cum exercitu Apenninum transiit, & victis hostibus apud Altopassum, Duce quidem Castruccio, sed egregia opera ejus adjuto, ad vincendum Bononienses pari impetu fortunaque se convertit. In ea expeditione, dum forte equo descendens requiescit, ingens vipera nullo comite advertente in galeam juxta positam irrepsit, quam quum mox capiti reponeret, sinuoso quidem & horribi-

ribili, sed prorsus innocuo lapsu per decoras interriti Ducis genas illa descendit. Eam à nemine lædi passus animosus adolescens ad omen geminæ victoriæ traxit, hinc præcipue quod ipse pro signo bellico vipera uteretur. Nec multo post commissa est ea nobilis pugna ad Altopassum, in qua victor Castruccius præclara virtute Actii adjutus, universas hostium copias delevit, captis ferme omnibus Ducibus, ipsoque Cardonio imperatore cum filio in potestatem redacto, & direptis castris; quibus captivis & spoliis aliquanto post splendidissimum Romano more triumphum adornavit: qua in pompa ducti ante currum Cardonius, Urlimbacaque Germanus, & Guliermus Narsejus Gallus, & plerique illustres Gotholani & Narbonenses equitum Præfecti cum Legatis Florentinis, gratissimum Lucensi populo spectaculum præbuerunt.

Sed Castruccius statim ab Altopasso victoria utendum ratus, victrices copias Florentiæ mœnibus admovit, suburbanas delitias in oculis hostium evastans, & pleraque ædificia incendens. In ea expeditione Actius Florentinis è muro spectantibus, ludos equestres in Arni insula edidit, proposito ad præmium velo serico purpurei coloris, ut reddito contumeliæ talione Florentinis illuderet, qui similes decursiones Mediolano obsesso ante Comensem portam jactanter ediderant. Inde vero Actius spoliorum parte magnifice donatus, Etruriæ finibus excedens, in Mutinensi agro Passarini Mantuani, Atestinique Ferrariensis copiis se conjunxit, adversus Bononiensium exercitum, Legati auspiciis, Mutinæ Rhegioque imminentem. Nec multo post circa Scultemnam profligatis hostium copiis, alteram Etruscæ pene parem victoriam est consecutus: atque inde ad patrem geminata cum laude Mediolanum contendit.

Insecutus est demum annus, diro Ludovici Bavari Cæsaris adventu, Viccecomitum familiæ, & toti pene Italiæ infaustus, quo Actius eandem, quam pater patruique indigne subierunt, carceris fortunam tulit. Cæterum expiata invidia cum patre patruisque libertati restitutus, quanquam immaturo Galeacii patris interitu, atque importuna Castruccii morte angeretur, accisasque spes prope omnes nova atque inopinata calamitate conspiceret; nihil tamen (uti Magni Matthæi nepotem decebat) sese animo demisit, quin ad fortunam pertinaci virtute sublevandam cuncta experiretur. Summa consilii hæc fuit, ut datæ fidei non deesset, ab unoque Cæsare, à quo vulnus acceperat, præsentis remedii opem suppliciter peteret, postquam Marcus patruus infami suo consilio deceptus, perosusque non obscure Cæsarem, non dubie Imperii decus, Gibellinique nominis opes, vel parva ab hostibus accepta pecunia, passim evertentem, ad sanitatem rediisset: eo enim deprecante Cæsar post subirati Castruccii ab Roma discessum, fratres carcere eduxerat, territus utique adversarum partium secundis successibus, & non obscuro conscientiæ pudore vehementer timens, ne socii clientesque deficerent. Itaque Actius cum Joanne patruo ad Cæsarem Pisas profectus, post multa colloquia, egregie navante operam Marco, Cæsaris animum inflexit, promissaque pecunia ad summam quindecim myriadum, ut paterni imperii Princeps appellaretur, impetravit. Erat enim tum Cæsar multis adversis rebus, & super hæc, extrema pecuniæ inopia circumventus. Roberti tum Regis copiæ, Bertholdo Ursino Duce, Cæsarianos Præfectos urbe Roma expulerant: Joannis Pontificis auctoritas studio Jacobi Columnæ apud populum vigebat: Gibellinorum studia magna ex parte refrixerant, quod Sylvestrum Chattum Viterbii partium principem indigne torsisset, ut ejus pecuniis, quæ ingentes esse dicebantur, summa cum injuria potiretur. Sed Cæsarem gravis metus incesserat, quod Germani Saxones, & Chatti validissima pars exercitus, consternati animis & stipendia debita flagitantes, à Vindelicis & Suevis secesserant, cum quibus antea apud Velitras cruenta seditione armis contenderant: & tum forte renovato odio, spretoque Cæsaris imperio, Pisanorum & Lucensium agros impune prædabantur, castrisque demum in Cæruleo monte positis, (qui supra Vivianum jampridem à Castruccio permunitus, ad agendam prædam magnas habet opportunitates) eo terroris & fœdæ calamitatis circumjectam regionem adduxerant, ut incolæ, incendiorum metu, commeatum, vestem, & castrensia instrumenta conferre cogerentur. Nam paulo ante in Lucensi Camajoris oppidi incolas, quod irrumpentibus aliquandiu restitissent, direpto incensoque oppido crudelissime trucidarant. Timebat quoque Cæsar, ne ea manus, quæ octingentis armatis equitibus constabat, utpote quæ nullo pudore defecisset, tanquam plane venalis ad Florentinos opima stipendia pollicentes deficeret: quibus de causis facile cum Cæsare transactum est, ut Marcus ad Saxones mitteretur: is Actianæ pecuniæ dimidiam partem ex præteritis stipendiis à Cæsare debitam promitteret; interim apud eos datæ fidei obses foret: altera pars Cæsaris Procuratoribus Mediolani certis pensionibus numeraretur. Non abnuit conditionem Marcus, ut prioris maleficii invidiam novo officii genere deliniret: avideque à Saxonibus tantæ pecuniæ vades receptus est. Addidit quoque Cæsar perscriptis obsignatisque codicillis novum munus, ut magis ac magis Viccecomites sibi obstringerentur, quum veteres injurias accumulatis beneficiis expiandas existimaret. Joannes enim Actii patruus à pseudo-Pontifice Nicolao, suffragante Cæsare, in Senatu Cardinalis creatus est: sed vir ille summæ gravitatis atque prudentiæ gratias agens, beneficium quidem agnovit, ne spernere videretur, verum usu purpuræ galerique honore semper abstinuit, non obscure in gratiam Joannis legitimi Pontificis, insigni quidem ipsius cum laude commodoque: nam ei Episcopatum Novariensem postea contulit: quo permutato demum cum Aycardo Camedoio, Mediolanensis Archiepiscopus effectus est.

Actius & Joannes Pisis profecti, diplomata Cæsaris Modœtiam detulerunt, quod eos Guliermus Monfortius livoris plenus, magnis obviam euntium civium gratulationibus passim exceptos, Mediolano recipere noluisset; sed ejus cunctationem præbita pecunia celeriter resolvit: atque ita Monfortius dolore amissæ præfecturæ percitus, in Germaniam reversus est. Exinde Actius à veteribus amicis clientibusque, & ex publico civitatis ærario pecuniam mutuo sumpsit, quæ præsenti Cæsaris Procuratori solveretur. Is erat Conradus cognomento Porcarius, rapaci ingenio, togatus miles, atque ob id facile fidei pudorique pecuniæ lucrum anteponens. Accepta enim quarta fere promissæ totius pecuniæ parte, in Germaniam perfugere, quam ad Cæsarem reverti maluit. Ejus potiundæ pecuniæ spe dejectus Cæsar, exacerbatisque propterea Saxonibus, efferato animo ut undique corraderet pecuniam, grave auri pondus Pisanis imperat: Raimundum Cardonium auro se redimentem, pretioque Nobiles aliquot Florentinos è custodia educit: Castruccii uxori pretiosa mundi muliebris ornamenta aufert: Castruccii filios Pisarum dominatu spoliatos Luca extrudit; & Francisco Intelminello, accepta ab eo grandi pecunia, urbis principatum adjudicat: Pisisque

sisque discedens Mediolanum contendit. At Mediolanenses immanis avaritiæ Tyrannum se recepturos negant. Eo modo exclusus, ad Modœtiam iter vertit. Id oppidum Actii præsidio tenebatur: quamobrem oppidani fortunis suis Mediolanensium exemplo non temere timentes, venienti portas occludunt; nec per arcem aditus in oppidum datur, quod Lambrus amnis intumuerat, & si qui vadum tentarent, profluente mergebantur. Eo modo Cæsar ludibrio habitus, quum infamis avaritiæ pœnas daret, Papiam deflexit, ubi ab Actio collata pecunia facile delinitus est. Nec multo post quum per socias urbes prædabundo similis vagaretur, nec consiliis suis dignum Cæsaris nomine exitum reperiret, Gibellinis pariter & Guelphis odiosus, in Germaniam rediit.

Interea Saxones in monte Cæruleo Marcum audaci ingenio fortia quæstuosaque consilia, atque ob id grata militibus, explicantem, admiratione virtutis ex obside captivoque Ducem sibi creaverunt. Is ante omnia Henricum & Valeranum Castruccii filios gravi ingrati Cæsaris injuria Luca pulsos, & in proximo exsulantes, Germanis conciliat, & per eos occupandæ Lucæ consilium init. Ab his Augustæ arcis custodes, quod erant Germani, veteres Castruccii milites facile oblatis præmiis corrumpuntur, ut improvisus in urbem pateret introitus. Nec mora, Marcus ad constitutam diem à Cæruleo monte cum Saxonibus Lucam noctu pervolat: urbs capitur: Franciscus Intelminellus à Cæsare ad Principatum evectus, profligato ejus præsidio adversa porta profugit: contrariæ factionis civium domus in prædam vertuntur; sedatoque mox tumultu per novas acclamationes, Castruccii filiis paterna sedes restituitur. Tanta re feliciter patrata, ditatisque militibus, Marcus fortuna utendum ratus, cum Fatio Donoratici Regulo, qui Pisanæ Nobilitatis erat princeps, consilium suscepit restituendæ Pisanis libertatis, & uti inde Cæsariani Præsides pellerentur. Nec voto defuit eventus: Marcus enim cum valida manu equitum Luca profectus, Pisis à Fatio recipitur: ingens prælium excitatur; continuoque ponte vetere, Cæsariani in ulteriorem urbis partem protruduntur: libertatis nomen armati populi vocibus attollitur. Ipse Tarlatus Aretinus à Cæsare Pisis præfectus, ubi se à Saxonibus circumventum suosque profligatos videt, pontes occupatos expugnare conatus, cum ea præsidii manu, quæ supererat, desperatis rebus urbe excessit. Tum vero Pisani à Joanne Pontifice interdicti sacris, expiari promeruerunt, quod à Cæsare ab eo damnato defecissent: traditusque est ab eis consensu publico Nicolaus pseudo-Pontifex, quem discedens Cæsar Fatio commendarat. Is demum Pontificiis triremibus Avenionem devectus infelix, & alieno potius quam suo crimine miser, in tetra custodia periit.

At Marcus à Pisanis Fatioque, uti præclarus auctor libertatis, magnis muneribus liberaliter donatus, ubi se honesto eventu è manibus Saxonum explicatum videt, majora sibi agitanda ratus, accepta fide Florentiam contendit. Offerebat Octoviris, qui Reipublicæ præerant, Saxonum nomine Lucam urbem, si octuaginta millia aureorum nummûm persolverent, ea conditione, ut sub fide publica Castruccii liberis honestus in patria locus relinqueretur. Interim ut bona fide pecunia repræsentari posset, Saxones in Augustam arcem Florentini milites præsidium acciperent, & ex numero Præfectorum insignium obsides darent. Erat ejus comparandæ tantæ urbis facultas Florentino populo longe gratissima; sed quo minus decretum fieret, factiosi cives Simone Tosa principe vehe-

A menter impediebant, obtrectatione eorum laudis inducti, qui eam occasionem minime prætermittendam suadere conabantur; quum supra ærarii difficultates Marco tanquam veteri infensoque hosti, atque ipsis præsertim fluxa fide Germanis, tanto amittendæ pecuniæ periculo, minime fidendum differerent: nec Tyranni liberis, qui atrocissimi nuper hostes exstitissent, parcendum arbitrarentur. Sed non deerant cives uti publicæ dignitatis augendæ studiosi, amantesque patriæ, qui eam pecuniam ex privatis opibus, in ejus urbis coemptionem liberaliter offerrent, modo ipsis Lucensium vectigalia non iniqua licitatione in triennium addicerentur. Interim à Marco acciti primo-
B res Saxonum Florentiam venerunt, & in his Bambergus Regulus, & Arnaldus castrorum Magister, ut coram Octoviris de obsidibus & pecuniæ summa transigeretur. Verum invidia & conceptus inter altercantes Patritios importunus livor, populi votum, decora procul dubio atque utilia cupientis, interrupit. Nec multo post Saxones irrisa tum & mox punita Florentinorum cunctatione, urbem Lucam, ipsamque Augustam arcem, integrumque in civitate dominatum Gerardino Spinulæ Liguri vendiderunt: tanto cum dolore indignantis populi Florentini, ut in Simonem Tosam
C pene conjectis lapidibus omnes ordines inveherentur.

At Marcus jam non obscure Actio subiratus, quod ad se redimendum pecuniam nequaquam liberaliter atque diligenter expendisset, ad fatalem veteris odii ac insitæ ambitionis insaniam redierat, usque adeo ut se Pontificis, Robertique Regis, & Florentinæ Reipublicæ clientem futurum juraret, si ad pellendum Actium auxiliis atque pecunia juvaretur. Sperabat enim Saxones, qui jam plane à Ludovico Cæsare defecissent, nomen ejus omnibus bellis illustre, ad opima stipendia novamque prædam continuo secuturos. Hoc con-
D cepto scelere, fœdereque percusso, quum per triginta dies Florentiæ viros nobiles & militiæ claros quotidianis epulis liberaliter excepisset, & uti erat excelso corpore, præaltoque animo, & facundia insigni, dignus paterno imperio videretur, pro lautiis mille aureis liliatis publice donatus, Bononiam contendit: proficiscenti autem additus est comes Prætoris filius, qui civis erat Bononiensis: hunc juvenem Octoviri ingenio apprime validum delegerant, ut ab eo Marcus ad Legatum deduceretur; eoque arbitro cuncta ordine, quæ Florentiæ promissa constitutaque fuerant, iterata sacramenti fide confirmaret. Itaque ma-
E gna spe inflatus à Legato Bononia discedens Marcus Mediolanum pervenit, exceptusque est ab Actio & fratribus multo cum honore & lætis utique vultibus. Sed dum in rem suam novandis rebus clientelas exploraret, tentaretque veteres amicos, & turbido atrocique animo consilia aspera ad invadendum dominatum agitaret, ab Actio & Luchino Joanneque nefariæ temeritatis cogitationes facile deprehenduntur: jam enim vesano vultu oreque identidem querebatur, quod se tam diu contra fidem datam apud barbaros sævosque homines reliquissent: & forte tum seipso amarior atque turbidior erat effectus, quo adamatam nobilem
F fœminam, è matrimonio Othorini Vicecomitis impudenter abreptam, subita concitatus iracundia apud Rosatum in profunda arcis fossa demerserat, quod illam levitate muliebri mentitam partum, sibi alieni ventris puerum supposuisse didicisset. Sed eam ab eo flagitio ita oderat, ut necatam impotenti amore percitus, sera deinde præcipitis vindictæ pœnitentia deploraret, indeque novus perturbatæ menti furor adderetur. Eo modo Actius patruique ex multis indiciis quid Marcus agitaret

molireturque non obscure divinantes, quum in unum summo consensu conspirarent, vitandam omnino diræ belluæ rabiem, vindicandumque prioris perfidiæ immane facinus statuerunt. Nec mora, Marcus in Arenæ curia post epulas in cubiculum colloquendi simulatione deductus, à delectis aliquot prætorianis comprehenditur, elisisque linteo faucibus strangulatur, nullo ex ejus nece tumultu exorto, quum projectum cadaver è fenestra in publicum nemo lugeret, & tanquam sponte præceps datus, sumptuosis honestatus exsequiis, ad Eustorgium sepulchro Majorum inferretur. Florentini vero Prætoris filius vel totius consilii conscius, & funesti exitus spectator, ab Actio benigne dimissus est.

Nec multo post Joannes Bohemiæ Rex, qui Henrici Cæsaris filius & Caroli quarti Imperatoris pater fuit, cum valido exercitu in Italiam descendit, neque Ludovico Bavaro Cæsari plane hostis, neque Guelpharum partium amicus. Bergomates primi eum receperunt: nec Actius dubitavit, quin amicitiæ, quæ Majoribus suis cum Henrico patre præclara fuerat, renovandæ causa, ad Bohemum trans Abduam contenderet, munera deferens utroque dignissima. Auxit existimationem Bohemo id Actii officium; & Actius ex eo colloquio confirmatæ potentiæ apud socios pariter atque hostes opinionem retulit, eo eventu, ut à Vercellensibus ad civitatis imperium vocaretur. Nec multo post Bergomates à Bohemo præsidii injuriis exagitati, ad Actium defecerunt. Joannes enim ingenti cursu Brixia, Cremona, Papia, Parma, Rhegio, atque Mutina potitus, superato Apennino Lucam occuparat, Gerardino urbe ejecto, & Florentinis copiis, quæ Beltramone Baucio Duce Lucam obsederant, longe summotis. Is rerum successus Gibellinos non secus ac Guelphos magnopere conterruit; eoque vehementius, quod Bohemus cum Legato Pontificio in colloquium devenerat: famaque ferebatur Philippum Galliæ Regem cum Pontifice occulto inito fœdere conspirasse, ut Bohemo Duce cuncta subigerent, atque inter se Italiæ urbes partirentur. Erat enim Bohemus Gallica pecunia instructus. Quibus de causis Florentini tanquam à Roberto Rege plane deserti, metu novi hostis, cum veteribus inimicis communi commodo fœdus inire coacti sunt. Itaque Actius, Mastinus Scaliger, Passarinus Mantuanus, Obitius Ferrariensis cum Florentino populo fœdera percusserunt, ea pactione, ut conjunctis viribus bellum gereretur; subactæque urbes, Actio Cremona, Parma Scaligero, Rhegium Mantuano, & Obitio Mutina redderentur; Luca Florentinis cederet.

Nec multo inde quum Bohemi Regis exercitus Ferrariam oppugnaret, ingenti prælio edito fusus profligatusque est, Pinalla Aliprando Actii Duce felicissime operam navante. Nec fortuna victoriæ cursum diu morata sociorum votis defuit; pulsoque Ponzono Joannis Præfecto Actius Cremona potitus est, Papiamque mox in ditionem recepit, quum in Urbeculam compulsos hostes, desperatis auxiliis deditionem facere coegisset. Placentiam demum à Francisco Scoto pecunia coemptam recuperavit. Postremo Franchinum Ruscam, Comensium Tyrannum, multis illatis detrimentis eo adegit, ut accepto Bellizone oppido ad solatium amissi dominatus ultro urbem dederet. Cæterum paulo ante id tempus quum pedibus æger decumberet, maximum rerum suarum discrimen subiit, Leodrisii perfidia circumventus. Is antea Matthæi Magni gloriæ invidens, quanquam esset patruelis, primas partes legationis ad Pontificis Legatum susceperat, ut sub inani libertatis nomine, Matthæus ejusque liberi Mediolano pellerentur, cum Marco demum adversus Galeacium atrocissime conjurarat. Nec animus inquies ambitioneque mu-

A tabilis ullis omnino donis ac honoribus collatis evinci mitigarique poterat, ut Actium rerum dominum imperio potiri pateretur. Itaque correptus vetere insania, inopinato transfugio abducta Germanorum ala, ad Franchinum Ruscam, & mox ad Mastinum Scaligerum Veronam contendit, conductisque Rhætorum Helvetiorumque cohortibus, & Germanis equitibus, magnaque manu exsulum passim collecta, ad Abduam profectus est: nec transitu prohiberi poterat, quanquam diversa vada amnis Aliprandus Pinalla tueretur. Ea improvisa externæ gentis irruptione agricolarum fœda & plane miserabilis fuga facta est per totum fere Insubrum agrum, quod tum

B prealtæ nives herbidi soli campos integerent, nec pecoribus armentisque in loca tutiora refugientibus deserto pabulo pascendi facultas daretur.


Porro Actius, quanquam pedibus æger, nihil de celeritate diligentiaque remittit, quin ex omnibus locis milites cogat, munitioraque oppida subitario præsidio confirmet, donec auxilia conveniant. Aliquot enim diebus antequam hostes Abduam transirent, quid Leodrisius Veronæ moliretur, per exploratores cognoverat; ita ut auxilia opportune implorata transmissaque à propinquis sociisque principibus singulis horis exspectarentur. Igitur coactis in unum è Liguria, Ferraria atque Placentia magnis

C auxiliis, Luchinus patruus Dux vetus & multis præliis felix Mediolano totius Nobilitatis equitatum, & delectam ex promptissimis civium legionem educit, ad hostesque progreditur. Consederat Leodrisius ad Nervianum vicum, duodecimo ab urbe lapide: nec mora, ad conspectum hostis ineundæ pugnæ signum dat, ordinesque componit. Verum irruente Luchino, prima Leodrisii acies sternitur; sed ex adverso Rhæti Germanique more suo conglobati secundum impetum excipiunt, Luchinique equitatum primis cæsis intemperanter provectum vehementer urgent: multi utrinque cadunt; cruentum & atrox undique prælium editur. Cæterum A-

D ctianis ægre sustinentibus & jam plane profligatis, Luchinus, dum reparare perculsam aciem ingenti animo contendit, interfecto equo Helvetiorum securibus sternitur atque capitur. Tum vero Barbari clamorem attollunt, & legionem Insubrum armis animisque imparem adoriuntur, tantaque vi Placentinas cohortes propellunt, ut Dondatio Malvicino viro fortissimo, Lancilottoque Anguisola Ducibus interfectis, universa acies ad fugam respiceret, Leodrisioque parta victoria videretur; nisi Divus Ambrosius, Mediolanensium tutelare numen, in nube equestri effigie à multis conspectus opem plane perditis rebus attulisset. Supervenit e-

E nim Hector Panicus cum ala cataphractorum Allobrogum à Ludovico Sabaudio Actii socero transmissa. Hæc Rhætos intempestive exsultantes, & cædi prædæque solutis ordinibus incumbentes, ita protrivit atque cæcidit, ut instaurata pugna, & fortissimo quoque ex novo eventu desumente vires ac animos, Leodrisiani terga darent; Luchinusque ad arborem deligatus Helvetiis custodibus eriperetur, & Leodrisius effugiens in manus hostium incideret. Eo die interfecta sunt supra quatuor millia hominum; sed minus lætam Luchino victoriam fecit Joannes Fliscus, Fuscæ uxoris frater, Ligurum Præfectus, in prima acie occisus. Ex-

F ternus Leodrisii miles agricolarum sævitia dum vagatur, & frustra effugium quærit, hyeme media, frigore, vulneribusque consumptus, ferme omnis interiit. Leodrisius cum liberis in arce Divi Columbani custodiæ est traditus, ut post Actii & Luchini mortem, Joannis Archiepiscopi clementia servaretur. In eo autem campo, ubi pugnatum est, inter Parabiacum & Nervianum, Luchinus & Joannes templum in arce Divo Ambrosio votum, ad rei gestæ memoriam condiderunt: ubi




LVCHINVS VICECOMES.

ubi quotannis insigni pompa, effuso Mediolanensi populo cum Prætore & Decurionibus, altero & vigesimo Februarii die, sacra solennia celebrant. In eo templo ad lævam spectatur effigies Hectoris Panici cum armata Allobrogum ala perditis rebus opem ferentis, quod facile dignoscitur, quum in purpureis equitum laciniis albæ cruces Sabaudiani Principis insignia discernantur.

Secundum eam victoriam confirmato imperio, Actius Mastino Scaligero grave bellum intulit, atque ei demum, injuriam probe ultus, Brixiam ademit. Exinde pacatis rebus Mediolani mœnia, jam cœpta antiquitus, ad justam altitudinem educta sunt, additis per intervalla altioribus propugnaculis, in queis marmoreæ ingentes viperæ visuntur. Perduxit etiam in urbem fluviolos duos everrendis urbanis sordibus, ad salubritatem opportunos, Lironem scilicet & Cantaranam, qui jam pene defecerunt, quum negligentia publica sensim oblimati jampridem alvei curatoribus caruerint. Eum quoque admirandæ magnificentiæ Curiam in arena priscorum temporum juxta frontem templi maximi ædificasse constat, addito Divi Gothardi templo, cujus sacram turrem nobili fastigio insignem cum admiratione suspicimus: id ille multis admodum pretiosis divini apparatus instrumentis refersferat. Mortuus est Augusto mense, octavo & trigesimo C ætatis anno, quum integros novem annos regnasset, usque adeo improbe urgente fato, & articulorum doloribus assidue lacessitus, ut ne lodicibus quidem in lectulo sine intolerabili cruciatu volveretur. Ex Catharina autem Sabaudia uxore pudicissima nul- A lam suscepit prolem. Erat Actius facie candida lætaque, naso autem simo, quod nemini superiorum gentilium contigerat: coma item barbaque ad patris similitudinem, ænei coloris, valde crispa; sed cæruleis oculis, atque intempestivo calvitio, non deformante quidem frontem, sed eximie decorante. Existimatus est ex toto actionum eventu, egregie bello fortis & consilio summe prudens, &, quod ad popularem gratiam plurimum intererat, aditu facilis, & alloquio perhumanus, publice & private cum ratione liberalis. In feriis porro sine fastu gravis, & in ferendis jocis omnium suavissimus evadebat; ea tamen temperie, ut cuncta ad Christianam pieta- B tem revocaret, sic ut Dii atque homines, perfidiosi & turbulenti patrui necem facile condonarint. Tumulatus est marmoreo insigni sepulchro ad aram Divi Gothardi, in quo cælato inauratoque opere ejus jacentis effigies spectatur: pari artificio circumseptus est marmoreis tabulis sepulchri loculus, in quibus scite sculpta Ludovici Cæsaris solenni habitu imago conspicitur, quum supplici ingeniculatoque Actio Mediolanensis imperii insignia largiretur.

Epitaphium Actii, qui eo rudi seculo *Azo* dicebatur.

Hoc in sarcophago tegitur vir nobilis Azo,
Anguiger, imperio placidus, non levis & asper:
Urbem qui muris cinxit, regnumque recepit:
Punivit fraudes, ingentes struxit & ædes.
Dignus longa vita, in fatis si foret ita,
Ut virtus multos posset durare per annos.

L V C H I N V S,

MEDIOLAN. PRINCEPS V.

Ejus armati effigies, prout hic habetur, in templo Divi Ambrosii ad vicum Parabiacum, post aram maximam, quam prælio voverat, & parta demum victoria dedicarat, conspicitur.



ACTIO immatura morte sublato, quod sine virili prole decessisset, duo patrui Luchinus atque Joannes Insubrum omnium consensu successerunt. Sed Joannes æquitate liberali motus, uti sacratum Antistitem decebat, divini juris potestate contentus fuit, quo fratri bellica laude illustri, & in administranda Republica ingenio gravi constantique prædito, integra exercendi imperii cura relinqueretur. Is initio statim suscepti Principatus, quod confirmandæ potentiæ parandæque summæ gratiæ apud cives plurimum conferebat, à Benedicto duodecimo per Legatos impetravit, ut interdicta sacris civitas, tum vere supplex clementia & benignitate æquissimi sacrorum Principis expiaretur. Recepit quoque pari Pontificis indulgentia veteres thesauros, qui è templo Modœtiæ, turbulentis superiorum bellorum temporibus, Avenionem asportati fuerant.

Cæterum quum ad arma vocaretur, per Legatos fere semper bella gessit, tametsi antea longe acerrimus bellator fuisset, utpote qui in omnibus fere justis præliis honesta vulnera susceperit: in illa enim nobili cruentaque ad montem Catinum pugna, qua Uguccio Fagiolanus victor Guelpharum partium vires vehementer contudit, paterna auxilia ductanti, invectoque in medios hostes, sinistrum crus valida cuspide trajectum est. Ad Alexandriam vero, quum in Tanari ponte cum Ugone Baucio, Roberti Regis equitum Magistro, confligeret, ita Baucium invasit atque prostravit, ut multo suo ac interfecti hostium Ducis cruore fœ- E datus, opimo spolio & præclara victoria potiretur. Ad Tricellam quoque oppositus ingentibus externarum gentium copiis, quæ Pontificis & Roberti Regis auspiciis sub Gastone Aquitano, Raimundoque Cardonio ad Mediolanum obsidendum ire maturabant, maxime pugnacis & periti Ducis laudem tulisse fertur, quum terribili longoque certamine edito, reparataque sæpe acie honesta in facie vulnera suscepisset. Postremo ad Nervianum acriter dimicans, Helvetiis securibus perfracta galea, suffossoque equo, prostratus captusque est, & manante per nares multo sanguine, ad juglandis arborem tam diu nexus & semianimis jacuit, do- F nec recentis Allobrogum alæ superventu, cæsis Helvetiis atque Germanis, & Leodrisio hostium Duce capto, è vinculis eriperetur.

Sed qui tot bellis summa pericula evaserat, ex principatu demum oborta statim invidia, amicorum & propinquorum sævas manus vix effugit. Conjuravere enim in ejus necem Franciscus Pusterla ex ordine Patritio avitis divitiis potens, & ante alios duo Aliprandi fratres Martinus atque Pinalla, qui Actianis copiis præfuerant, neglecti-

que


A que à Luchino, ad alios scilicet, uti meliores, translatis honoribus, amiciorem liberalioremque Dominum quærebant; conjectis utique oculis in Galeacium & Barnabam ex Stephano ejus fratre filios, qui decore juventæ & jam plane matura militari indole florentes, intempestiva atque nefaria ambitione, quæ semper domui Vicecomitum fatalis fuit, ad imperium adspirare dicebantur. Sed dum Aliprandi fratres, pertentatis amicorum intimis, conjurationi vires addere contendunt, à Ramengo Casato inita consilia produntur. Nec mora, Martinus atque Pinalla capti diuque torti, in carcere fame necantur, cæteris in furca, latro- B num more, strangulatis. De Pusterla autem, qui profugiens ex Etruria retractus fuerat, in foro supplicium est desumptum, eo quidem atrocius atque miserius, quod duobus filiis adolescentibus in conspectu parem pœnam subeuntibus, scelestus pater, paulo ante inter cives maxime felix, supremæ calamitati suæ domus interfuit. Nec multo post Margarita uxor, quod non conscia modo suscepti ejus immanis consilii, sed ad id mature patrandum peracerba concitatrix fuisset, perpetui tantum carceris pœna damnatur, quod Othorino Vicecomite genita Luchinum arctissima propinquitate contingebat. Cæterum ex damnatorum quæstione compertum est, Galeacium & Barna- C bam non ignaros initæ conjurationis, paratosque ad excipiendam Principatus fortunam, tanti facinoris eventum exspectavisse. Sed Luchinus ne supra Marci fratris necem, familiæ decus, vel maxime nocentium juvenum cruore macularet, deprecante Joanne Antistite, exsilii pœnam non excessit; ita tamen ut eos perfidiæ impietatisque ignominia notatos, ad Oceanum in extremos Belgas & Batavos relegaret.

Exinde Luchinum natura subtristem, planeque severum solito amariorem ac duriorem factum Scriptores tradunt: usque adeo, ut nec in joco, pallidam semper obducens frontem, ridere sit visus, D quod ad animi ægritudinem, articulorum quoque dolores accessissent. Sed non inanis rumor de uxoris impudicitia per urbem excitatus, mœrorem usque adeo cumulavit, ut in affecto tot malis sene, nondum maturo fato viam aperiret. Nupserat ei Isabella cognomento Fusca, è Fliscorum gente apud Ligures apprime nobili, duobusque præsertim Pontificibus, Innocentio atque Hadriano, purpuratisque supra triginta Senatoribus longe clarissima, unde illa fastum, atque inde luxuriem parum verecundo gestu oreque præferebat. Hæc nobiles Insubrum matronas forma, lepore, mundi- E ciis, atque una præsertim uteri fœcunditate, qua Luchinus felix videri potuit, anteibat: primo enim partu Luchinum Novellum, secundo Ursinam, & mox tertio gemellos mares eximiæ indolis Borsium, & Forestinum rara quidem felicitate pepererat, nisi tantam prolem ex incesto concubitu concepisset. Galeacium enim formæ dignitate cunctos mortales superantem lascive adamatum ab ea constat, uti aliquot post annos, defuncto jam viro, in extremo vitæ actu pie ingenueque confessa est, ut animum eo piaculo liberaret, vel cum certo infaustæ prolis exsilio, tantique subinde imperii hæreditas ad legitimos successores verteretur.

Cæterum suopte ingenio procax & levis mulier, F exsulante Galeacio, & viro ex podagra decumbente, quum spectare Venetias cum situ stupendas, tum celebri festo die Ascensionis CHRISTI, navalibus ludis & privatarum publicarumque opum ostentatione mirabiles, concupisset, importunæ uxori Luchino cuncta concedente, haud difficulter impetravit, ut ornatissima classe per Padum deveheretur, delectis in comitatu fœminarum nobilissimis, quibus & ambiguus inesset pudor, nec viri earum tuendæ pudicitiæ cura tangerentur. Verum luxuriosissimæ navigationis exitus fuit, ut cum insigni probro prostratæ pudicitiæ apud Ugolinum Gonzagam, Dandulumque Veneti Senatus principem, redierit; pari infamia deflagrantibus nonnullis illustribus fœminis ex comitatu, quum à pudicis pariter atque in eodem crimine maculosis levitate muliebri per mutuas delationes, singularum adulteria proderentur. Hoc tanto inexpiabilis infamiæ vulnere percussus Princeps, ita flagitii injuriam tulit, ut non obscura parati ad vindictam animi signa, contractæ frontis querela, demorsisque sæpe unguibus ostenderet.

Itaque Fusca expedito ingenio non impudica modo, sed etiam truculenta mulier, pœnæ metum celeriter antevertit, ægrumque adhuc conjugem veneno lento atque tabifico præoccupat, nullo tum sceleris exstante vestigio, quum plane maturatus ægri senis obitus ad novum insurgentis morbi impetum facile referretur. Vixit annos sexaginta duos, imperavit novem. Tumulatus est in æde Divi Gothardi juxta Actium, regio sumptu celebratis exsequiis. Luxere elatum veris lachrymis cuncti civium ordines: nam summa æquitate jus dicere, oblivisci factionum, tueri ab injuria infimos; & (quod maxime populare videbatur) singulari providentia annonam curare erat solitus; bella quoque, quod opulentæ tranquillitatis intererat, extra fines semper gessit, eo animi decreto, ut & sua strenue defenderet, & socios constantissime tueretur. Parmam imperio adjecit sexaginta millibus aureis coemptam ab Obitio Atestino, ægre eam urbem adversus Gonzagas atque Scaligeros defendente. Pisanis porro ea conditione pacem dedit, ut honorarii tributi nomine binos equos, militarem unum, alterum asturconem album, quo domina veheretur: itemque binos ad aucupium falcones peregrinos quotannis penderent. Novissime Ligures fluxa fide antiqua fœdera violantes, magnis copiis invaserat, Brutio filio Duce Genuam gentis caput obsessurus, nisi exitum ei properantia fata vetuissent. Magnificentiæ monumenta nulla fere reliquit, Actiana domo contentus, quum antea in Ticinensi regione præaltas ædes contra divi Georgii templum Palatii nomine vocatas habitasset. Foris autem validam arcem in edito monte ædificatam, cui à vetere delubro Capellæ nomen est, Bergomatibus imposuit. Delectatus est, tuendæ valetudinis causa, suburbano secessu, non tam amœno quam salubri, ad septimum lapidem Comensi via sinistrorsum, ubi tenuis est pagus, qui Sanus aer verissimo nomine nuncupatur. Liberos reliquit, Brutium ex concubina, qui quum Laudi Pompejæ praeferoci ingenio aliquandiu tyrannidem exercuisset, conjurante civitate expulsus obscuro in pago in Euganeis inops & merito miser interiit. Borsius autem & Forestinus detecto Fuscæ matris incestu, tanquam ex damnato nati concubitu, hic tetro in carcere, ille vero fuga elapsus exsilio perierunt. Eandem exsilii fortunam tulit Novellus, qui nequaquam animo degeneri militiæ assuetus, propinquorum suorum hostibus semper adhæsit. Luchini autem tumulo hoc rude carmen inscriptum est:


Justitiæ cultor, scelerumque acerrimus ultor,
Pauperibus charus, nunquam, dum vixit, avarus:
Egregiis factis, & cladibus ante peractis
Insignem bello laudem meruit, nisi fraudem
Sors mala struxisset, crudeliter & periisset.




IOANNES VICECOMES
Archiepiscopus Mediolanensis.

JOANNES ARCHIEPISCOPUS, MEDIOLAN. PRINCEPS VI.

Joannes Archiepiscopus se pingi jussit in sacello domus Archiepiscopalis à se conditæ, ante imaginem Divæ Mariæ Virginis: spectaturque in majore Ecclesia Mediolan. ejus statua rubro marmori incisa, sepulcro superstans.



POST elatum Luchinum, totius imperii summa ad Joannem Archiepiscopum, germanum fratrem, absolutæ virtutis Principem, rediit: nam in omni eximiæ prudentiæ & perfectæ pietatis officio, moderataque regendi imperii disciplina, Othoni majori patruo par fuit, quum & ipso censu generosæ stirpis Matthæum patrem, & magnitudine constantis animi referret: nec Galeacio fratri de nobilitate liberalis ingenii, vel decore formæ, vel studio promerendæ gratiæ quicquam concedere censeretur: & Actium perhumana illa, nusquam tamen nisi gravi, ad faciles aditus atque sermones comitate, atque magnificentia operum facile superaret; præclaraque demum clementiæ laude (paucissimis Regum concessa, quæ Luchino uti nimis duro militarique, quanquam viro alioqui summo, defuit) omnium opinione potiretur. Is inito statim Principatu, nihil antiquius duxit, quam Galeacium & Barnabam ab exsilio revocare. Rediere illi Belgarum more brachato habitu, sicuti videre est in incolumi adhuc pictura in templo Divi Joannis ad Concham, Cosmæ & Damiano divis tutelaribus votum solventes, præferentesque eximium bellicæ virtutis specimen, quum Belgicis atque Britannicis bellis parta non obscura laude militassent.

Nec multo post Johannes propagandæ soboli, firmandoque imperio, validas finitimorum Principum propinquitates præstanti judicio quæsivit; sic ut Blancam Sabaudiam, Aymonis Allobrogum Reguli filiam, Galeacius uxorem duceret, & Beatrix Mastini Scaligeri filia, à fastu superbisque moribus Reginæ cognomen adepta, Barnabæ matrimonio jungeretur; binasque deinceps nuptias sumptuosis ludorum equestrium spectaculis celebraret. Cæterum Joannes Ligustici belli causam secutus, Murtham Genuensium Ducem adeo armis terruit, ut abdicato Principatu, sese civitatemque ad ejus auctoritatem contulerit, & præsidium Prætoremque à Joanne delectum acceperit. Sed non multo post defuncto Murtha, populus, uti semper factiosus & mutandis consiliis repentinus & levis, Valentem Ducem creavit. Ea contumelia permotus Joannes arma parat, & bellum indicit; quo periculo Ligures territi, vel ob id maxime quod tum magnis classibus cum Venetis & Catalanis contendentes, circa Sardiniam infeliciter conflixerant, supplices & opem implorantes, ad pristinam fidem redierunt. Valens quoque suscepto temere Principatu se abdicare cogitur: recipiturque Genuæ Gulielmus Palavicinus, qui Reipublicæ præsit, cum præsidio equitum & peditum. Nec mora, Genuenses novam classem exornant, Joanne in eam delectos milites, pecuniam, & commeatum abunde conferente, addenteque duodecim triremes suo sumptu suoque milite e- B gregie instructas. Eam classem Paganus Auria Præfectus, quum Viperæ insignia in vexillis præferret, ad Sphragiam insulam, quæ Sapientiæ nomen habet, contra Methonen, cum Venetis feliciter conflixit; devictaque hostium classe, Nicolaus Pisanus, qui Sardoo in mari cladem Liguribus intulerat, cum quinque millibus Venetorum militum captus, Genuam in triumphum ductus est. Genuenses autem singulari ope Joannis se victoria potitos grato animo confitentes, novo decreto deditæ civitatis jura, quæ Joannis morte finiebantur, ad Galeacium pariter & Barnabam transtulerunt; ita ut totius Liguriæ C urbes à Corvo Lunensi promontorio ad Herculis Monœci portum imperio Vicecomitum subderentur.

Per id quoque tempus Bononiam in potestatem redegit: Pepulus enim vir nobilitate opibusque insignis, qui patriæ libertatem invaserat, Pontificiis oppugnatus armis, à Joanne matura ope implorata, validisque Insubrum auxiliis egregie defensus, eo demum descendit, ut acceptis Crepacorio Novantulaque castellis, ac multo insuper auro, patriam vendere, quam suscepti Principatus nomen tueri mallet. Bononia parta Joannes finitimis terrori esse cœpit, usque adeo ut Florentini antiquæ D injuriæ, & Veneti recentis acceptæ cladis memores, Pontificiis copiis vires adderent; initoque fœdere cum Pontifice, confestim impetrarent, ut dirum illud religionis telum interdicendis sacris in Joannem vibraretur. Sed Olegiano Duce Bononiæ imposito, ita felicibus armis urbem defendit, ut Clementis Pontificis iras facile mitigarit: nec multo post per Guliermum Grisantem Pontificis Legatum, qui postea Urbani quinti nomine desumpto Pontifex factus est, quum is Mediolanum venisset, transactum est, ut tanquam beneficiario jure concessam à Pontifice urbem retineret, & quotannis sexaginta pondo auri tributi nomine solverentur.

E In Florentinos demum intestino malo laborantes, tanquam in veteres & recentes hostes, arma vertit, concitantibus Ubaldinis, Ubertisque, & Pactiis exsulibus, qui aucti viribus Tarlatorum & Casaliorum, Aretii Cortonæque Principum, à Joanne Antistite, tamquam Gibellinæ factionis principe patronoque certissimo, opem assiduis precibus implorabant. Olegianus, qui ex eadem Vicecomitum ortus familia, ipsius Joannis Antistitis filius putabatur, ab Olegioque (is ad Verbanum lacum pagus est) cognomen ferebat, è Bononia F profectus Apenninum superat, ac Sambucum vicum in Pistoriensibus Alpibus capit; pervagatusque montanum agrum ad oppugnandam Scarpariam ad duodecimum ab urbe Florentia lapidem descendit. Erant in exercitu, supra ingentem peditum numerum, decem millia galeatorum equitum; exsules quoque ab Arni valle armatis agrestibus opportune in suburbanum agrum irrumpentes, infensis sævisque animis tecta obvia crudeli incendio deformabant: quare mœsta & trepida

civitas, uti viribus impar, à sociisque deserta, vel non æquam pacem appetebat. Nec Joannes à pace abhorrebat, modo sociis Gibellinarum partium honesta conditione caveretur. Itaque proclamatis induciis indictus est locus Sergiano in oppido Lunensis agri, quo convenientibus totius Etruriæ Umbriæque Legatis, querelæ omnis neglecti aut prætermissi juris, duobus disceptatoribus, Gulielmo Palavicino pro Joanne, & Carolo Strozza pro Florentinis, deferrentur. Ferunt supra sexaginta urbium illustriumque Regulorum legationes coivisse, pacemque moderatis legibus singulis datam, summa quidem cum laude Joannis, qui clementi ingenio, detrimenta belli innoxiis ac immerentibus illata populis perosus, susceptum bellum optima pace quam cruenta victoria finire maluerit.

Nec obiter prætermittendum videtur magnanimi Præsulis factum inter multa memorabile, quo Pontificium summæ severitatis imperium facetissimo obsequii genere magni fecit, simul & elusit. Paulo enim ante id tempus quum à Pontifice expetentibus Florentinis Avenionem sub anathematis pœna citaretur, lætissima fronte respondit, *Se eo uti fidelem dictoque parentem servum deceret, instructa mature profectione, venturum, ut præsenti obsequio provolutus ad pedes sacrosanctum Pontificem veneraretur.* Cæterum Legatos præmisit, qui per omnes urbis regiones, amplissimas domos persoluta ejus anni pensione conducerent, ingentemque omnis generis commeatus copiam compararent, qua numerosus comitatus aleretur. Porro Quæstor multa onustus pecunia adeo in id profuse operam intendit, ut & mirum in modum annona in foro cresceret, & peregrini negotiosique homines ex omni Europa Avenionem ad Pontificiam Aulam confluentes, nullum omnino tectum aut hospitium, Insubri omnia occupante, vacuum reperirent; & propalam populus & inquilini de annonæ caritate quererentur. Quibus vocibus permotus Pontifex Mediolanenses Legatos cuncta prodigè coementes vocat: causam quærit, cur tantum commeatus accumulent, totque passim amplissimarum ædium hospitia inani sumptu ad querelam publicam conducant? Legati ita parare se jussos à Joanne Præsule respondent, qui septem millia armatorum equitum, totidemque peditum, præsidii & comitatus causa sit adducturus. Intellexit illico Pontifex quo rerum suarum periculo Joannes tantis instructus viribus foret exspectandus; leniterque subridens, tanti itineris laborem Præsuli, tanquam occupato & præclare Pontificii nominis studioso, benigne se remittere dixit. Legati autem quum dimitterentur, honestissimis viris virtutis nomine aut parum ditibus conductas domos gratuito concesserunt, ita ut commeatum quoque omnem aut sacratis cœnobiis, aut è plebe miseris & egentibus largirentur, tanta cum laude, ut nemo esset qui Joannis causam non studiosissime tueretur.

Sed non multo post crescente potentia, ut plerumque fit, invidia virtutis & felicitatis comes pariter crevit: formidabilis enim vel amicis veteribusque sociis apparebat, usque adeo ut consternati metu Atestini, Gonzagæ, Scaligerique Principes, fœdus inter se percuterent; coactoque numeroso exercitu, castra fossis ac aggeribus vallata, prope Mutinam adorirentur, sustinenteque impetum præsidio fortiter repulsi, in Cremonensem agrum cuncta vastantes irrumperent. Hæc castra muniti instar oppidi Joannes adversus Rhegienses construxerat; videbaturque inde non Rhegium modo, sed etiam Mutinam invasurus, ut à Bononia Placentiam suæ ditionis continuum iter pararet. Hæc agitantem, & septimum regnantem annum, Augusto mense concepta febris, & lentis demum accessionibus producta in Septembrem, climacterico ætatis anno leniter exstinxit. Conditus est marmoreo tumulo juxta Othonem ante sacrarium templi maximi, ubi hæc carmina rubro lapidi incisa leguntur; quæ ex ejus rudis seculi memoria ad jucundam ingeniorum æstimationem præterire noluimus:

Quam fastus, quam pompa levis, quam gloria mundi
Sit brevis, & fragilis humana potentia quam sit,
Collige ab exemplo qui transis, perlege, differ,
In speculo speculare meo lachrymabile carmen,
Qui sim, qui fuerim licet, qui marmore claudor.
Sanguine clarus eram Vicecomes stirpe Joannes.
Præsul eram, pastorque fui, baculumque gerebam,
Nomine, nullus opes possidebat latius orbe:
Imperio tituloque meo mihi Mediolani
Urbs subjecta fuit, Laudense solum, Placentia grata,
Aurea Parma, bona Bononia, pulchra Cremona,
Bergoma magna satis lapidosis montibus altis,
Brixia magnipotens, Bobiensis terra, tribusque
Eximiis dotata bonis Derthona vocata,
Cumarum tellus, novaque Alexandria pinguis,
Et Vercellarum tellus, atque Novaria, & Alba,
Ast quoque cum castris Pedemontis jussa subibant,
Januaque ab antiquo quondam jam condita Jano
Dicitur, & vasti narratur Janua mundi,
Et Savonensis Rex, & loca plurima, quæ nunc
Difficile est narrare mihi, mea jussa subibant,
Tristia tota meum metuebant languida nomen.
Per me obsessa fuit populo Florentia plena,
Bellaque sustinuit tellus Perusina superba,
Et Pisæ & Senæ timidum reverenter honorem
Præstabant: me me metuebat Marchia tota.
Italiæ partes omnes timuere Joannem.
Nunc me petra tenet, saxoque includor in isto,
Et lacerant vermes, laniant mihi denique corpus.
Quid mihi divitiæ, quid & alta palatia prosunt?
Quum mihi sufficiat quod parvo marmore claudor.




MATTHÆVS SECVNDVS
Vicecomes.

MATTHAEVS SECVNDVS,

MEDIOLAN. PRINCEPS VII.

Ejus effigies, qualem hic cernis, spectatur ad Seronum oppidum in domo ab se ædificata.



x testamento Joannis universum imperium æquissima ratione trifariam divisum, tribus Stephani liberis cessit, ea conditione, ut Mediolanum & Genua communis essent ditionis, ab unoque tantum Prætore regerentur, quem pari judicio delegissent: reliquæ porro urbes nobilioraque oppida à gravissimis Jureconsultis amicisque communibus fideliter æstimata, digestaque in tres portiones, sortem ex urna sequerentur: Matthæo Bononia obvenit, quæ ex solenni transactione quatuor urbes tanquam sua membra secum trahebat, Laudem scilicet Pompejam, Placentiam, Parmam, & Bobium, in Apennini vallibus situm: item Lucam & Massam Togatæ Galliæ, Pontemque tremulum supra Macram amnem, Apuanorum Ligurum caput, & Sancti Domnini oppidum, quod in Æmilia via à Tarro amne septem millibus passuum distat. Sed Matthæus nequaquam diu Bononia potitus est, Olegiano ejus urbis imperium occupante. Is enim sub id tempus, quo Joannes Archiepiscopus suprema tentatus valetudine decumbebat, cum rebellantibus Patritiis, atque arma capientibus, in foro prospere conflixerat, conjurationisque principes captos, securi percusserat; in quibus nonnulli ex Blanchis, Gozadinis, Bentivolisque & Sabadinis fuerant.

Post id factum, quum ædificatam à Joanne Antistite veterem arcem egregie permunisset, invasit eum libido arripiendi imperii, cujus ipse præcipuus defensor exstitisset. Itaque fortuna nefariis cœptis adspirante, Prætorem militareque præsidium Matthæi, insigni composita fraude, urbe expulit, Bononiensesque armis territos in nomen suum jurare coegit. Erat Matthæus ingenio civili potius quam militari, nec ideo ad vindicandam injuriam parato, utpote qui nihil ex magno avo, si speciem corporis demeres, præter nomen referret; ignobili enim otio delectatus, nequaquam bellica laude ducebatur; eique summæ curæ summæque voluptati erant accipitres, atque ea omnis venatio, quæ vel fœminas admittens prorsus sine sudore exerceretur: has autem diurnas exercitationes, nocturnæ libidines excipiebant,
B quibus adeo intemperanter corpus atque animum effœminaverat, ut inter duas sæpe concubinas enervatis viribus cubitans, instillaret (ut Corius in *Historiis* auctor est) muliebribus locis unguenta peregrina, quibus intermortuæ Veneris segnitiem prodigiosa titillatione suscitaret. Per hunc modum fractis lateribus, quum ad Seronum oppidum, ubi munitam pinnis domum ædificarat, medio itinere inter Mediolanum & Comum secessisset, diuturna febricula tabefactus interiit, anno secundo post Joannis patrui mortem: Valentina matre multis cum lachrymis, à fratribus veneno sublatum usque adeo constanter asseve-
C rante, ut Galeacio & Barnabæ diras imprecaretur. Matthæum enim ex sermone quodam invidiæ pleno apud fratres exitiale odium parasse referebat, quod Crescentiaco in vico, ubi avum obiisse retulimus, quum forte in cœna Galeacius & Barnabas tanti imperii à Majoribus conditi amplitudinem atque opulentiam laudarent, omniumque pulcherrimum fortunæ munus Principatum esse faterentur, Matthæus incaute subjunxisset, *Id quidem sine controversia verum esse, incomparabileque videri, modo Principatus socio consorteque careret:* adeo ut non obscure Joannem patruum perstrinxisse videretur, qui secus ac magnus avus fecisset, non
D unum, Galeacii primi atque Actii exemplo, sed tres simul iniquo jure divisi imperii hæredes instituisset. Id dictum subamaro sale, scommatisque nomine prolatum, usque adeo in pectus fratrum alte descendit, ut sequenti cœna suillos lumbos, cujus obsonii Matthæus erat appetentissimus, toxico illitos apposuerint. Duas habuit filias absque ulla virili prole, ex Liliola Gonzaga, Philippi Mantuæ Principis filia, susceptas, Catharinam scilicet & Ursinam: hanc Balthasari Pusterlæ Patritio valde opulento, illam vero Ugolino Gonzagæ bellica virtute illustri, nuptui dedit. Tu-
E mulatus est ad Eustorgii templum justis exsequiis à Serono Mediolanum usque perductis; sed sepulchri marmorei honore, tituloque epitaphii caruit, tanquam fratribus invisus, & nihil laudis à literatis promeritus, quos in ea turpi supinæ vitæ desidia contempsisset.

GALEACIVS SECVNDVS, MEDIOLAN. PRINCEPS VIII.

Ipſius imago varii geſtus atque habitus in arce Ticinenſi multis in locis repetita conſpicitur. Illam autem tanquam veriſſimam & jucundiſſimam excerpſimus, quæ redeuntis ex victoria ad triumphum ſequente exercitu ſolennem pompam oſtendit, in ea porticu, quæ ad orientem ſolem vertitur.



Galeacio ſecundo cuncta prope, quæ expeti mortalibus poſſunt, cum naturæ, tum fortunæ rariſſima dona contigerunt: corporis enim dignitate & decore formæ lectiſſimos juvenes ſupergreſſus, tum maxime ſeipſo celſior & pulchrior evadebat, quum novo more comam aurei coloris promitteret, complicatamque ſæpe in tricas, & nonnunquam diffluentibus cincinnis per humeros expanſam reticulato pileolo, aut florea corona, caſtigaret: id enim eum decebat alioqui lacteo colore atque ænea barba conſpicuum, uti videre eſt ex multis ejus imaginibus, unaque præſertim equeſtri thoracata, quæ Ticini in arce ad ſiniſtram porticum ſpectatur. Balthei militaris dignitatem Hieroſolymis promeruit, quum religionis cauſa Christi ſepulchrum inviſurus, in Judæam navigaſſet. Belgico item bello, (non ſecus ac Otho familiæ Princeps ſuperiore ſeculo in Syria Viperam, perpetuum gentis inſigne, obtruncato barbaro hoſte detraxiſſe traditur) proſtrato nobili Belga, novum geſtamen inſigni aquæ & ignis argumento, tanquam opimum ſpolium retulit. Ex ipſa enim clypei pictura ardentes bini torres, pendentibus totidem aquariis ſitulis, contrariæ poteſtatis facultatem exprimebant, uſque adeo ſpecioſo argutoque emblemate, ut id ad poſteros ipſoſque Sfortianos in Vicecomitum familiam adoptatos manarit. A Carolo autem quarto Cæſare, qui Mediolanum advenerat, ſolennibus codicillis rite confectis in Ciſalpinæ Galliæ atque Liguriæ imperio Vicarius Cæſaris eſt appellatus, pari dignitatis beneficio fratri Barnabæ communicato; interque ſacra ſolennia Cæſar Ambroſiano in templo, utriuſque filios, quanquam plane pueros, militari baltheo cinxit, Joannem ſcilicet Galeacium, qui demum totius imperii hæres potentia formidabili ſupra cæteros Italiæ Principes evectus eſt, quum ex nomine nequaquam temere indito duos ſummæ virtutis atque prudentiæ patruos referret, & Marcum Barnabæ, qui male auſpicatum infelicis patrui nomen ſortitus, ad frugem non pervenit.

Cæſare itaque multa pecunia magniſque muneribus jam donato, & in Germaniam redeunte, multo certior quam antea nominis auctoritas amborum crevit, quæ demum perpetuo benevolentiæ ſtudio & fraterna charitate adeo ſtabilita eſt, ut concordibus animis uſque ad vitæ exitum (quanquam diviſo imperio) regnarint, mutuiſque opibus bella geſſerint, communem eum ducentes hoſtem, qui in ipſorum alterum arma moliretur. Ea enim æquitate defuncti Matthæi fratris hæreditatem inter ſe diviſerant, ut urbem Mediolanum ab ortu ſolis ad occaſum per regiones ducta linea partirentur, & in urbe ſingulas arces ambo conderent, Galeacius ad Joviam portam, quæ Comum ducit, Barnabas ad Romanam; quod huic Conchana domus, illi Actiana curia, ſicuti Matthæo antea Antiſtitis Joannis ædes, ſorte obveniſſent. Ceſſerat Barnabæ Bononia, quæ quum vehementibus armis repeteretur, Olegianuſque Pontificiis adjutus copiis ſtrenue reſiſteret, diuturni graviſſimique belli cauſam præbuit. Nam plerique Principes, & cum his Florentini, Piſanique, quibus odio atque timori conſentientium fratrum opes erant, Conradum Landum, Germanorum Ducem, & Marcoaldum cum Bohemis à Carolo Cæſare Piſis impoſitum, præbita in triplex ſtipendium ingenti pecunia, adverſus Vicecomites concitabant.

Ea tempeſtate validæ externarum gentium manus, ut tum ajebant, fortunæ auſpiciis militantes, per Italiam prædabundo agmine vagabantur, hiſque cupide omnium regionum exſules ſpe prædæ ſe commiſcebant. Itaque Landus & Marcoaldus mira celeritate confectis itineribus, ſuperato Pado in agrum Inſubrum pervolarunt. Eorum adventus cuncta ferro atque igne vaſtantium, magnam trepidationem Mediolanenſibus incuſſit. Pertulere eas clades tantiſper Galeacius & Barnabas, donec accitæ undique copiæ in una caſtra cogerentur: nec multo poſt inſtructo exercitu contra hoſtes progreſſi ad Caſæ auratæ pagum ſignis collatis conflixerunt; eo quidem eventu, ut Marcoaldo capto, Landus ipſe poſt ſauciatus, ferme toto ejus exercitu cæſo captoque, effugeret, in quo ſex millia equitum & quattuor peditum fuiſſe narrantur. Secundum eam victoriam Barnabas ad oppugnandam Bononiam profectus validiores, quam putarat, hoſtes inveniens, multis acceptis illatiſque detrimentis, longo & difficili bello implicatur: nam Florentini, Piſani, & Principes, Ferrarienſis, Mantuanus & Veronenſis, communicatis conſiliis, cum Egidio Pontificis Legato fœdus renovarant, ea mente, ut defenſa Bononia, duorum præpotentium fratrum vires non paterentur nimio plus creſcere: parte alia Joannes Marchio Montisferrati à fœderatis incitatus, Galeacio grave bellum inferret, cum capta ex inſidiis Alba Pompeja, & Ticino urbe prodentibus Guelphis occupata, Anglorum validam manum in Italiam exciret. Ea gens ex Britannia inſula in continentem Galliæ tranſvecta, confectis Belgicis bellis in Provinciam ſeſe effuderat, ſtipendia & prædam paſſim quærens. Sed ea fuit Galeacii felicitas, ut ab Anglis Albam reciperet, & Ticinum variis præliis fameque perdomitum in poteſtatem redigeret, capto Buſſulario cucullato ſacerdote, qui nefariis concionibus Ticinenſem populum circumducens, miſeræ urbis crudelis Tyrannus evaſerat.

His rebus proſpere geſtis Galeacius coactis undique copiis, Barnabæ vires attenuatas duobus adverſis præliis facile reſtituit: quibus auctus vir acer & indomitus, tanto impetu Bononienſium agrum populatus eſt, ut Olegianus, deſperatis rebus, urbem temere occupatam Egidio Legato tradere cogeretur, Firmum, Piceni agri urbem, perfidioſæ pactionis præmium accipiens. Sed quum Barnabas iratus Egidio non ſecus atque Olegiano, nihil


GALEACIVS SECVNDVS
Vicecomes.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA

nihil de belli apparatu remittendum arbitraretur, fœderatæ civitates ingentes copias Ugolino Gonzaga imperatore in agrum Insubrum miserunt, rati Barnabam, fraterno periculo adductum, Bononiensi agro detrahi, & trans Padum revocari posse. Sed Barnabas Ugolinum trajecto Pado, & Novaria capta, magnam perturbationem Galeacii rebus afferentem, paribus belli artibus avertit: infesto enim exercitu Mantuanorum fines ingressus, perruptoque Serrallio, (quæ est munitio ab amne Pado ad Mutinam perpetuis aggeribus suburbanum agrum complectens) Mantuanos Duce præsidioque nudatos adeo perculit, ut Ugolinus vel in ipso felici speratæ ingentis victoriæ cursu, de imperio saluteque civium suorum magnopere solicitus, pacem petere cogeretur, cognationemque novo fœdere confirmaret.

Eo modo pace parta, & Barnaba nihilo secius pertinaci studio Bononiæ principatum, tanquam sibi fraude ereptum, validis armis repetente, Galeacius externas affinitates, decoras quidem regio fastu, sed sibi & posteris damnosas & fere exitiales quæsivit, Isabella scilicet, Caroli Galliæ Regis sorore, Joanni Galeacio filio expetita, Leonatoque Clarentio, Britanniæ Regis filio, in generum adscito: huic enim ex nuptiis Violantis, quum ducenta millia aureorum nummûm dotis nomine recepisset, Mons etiam Regalis atque Alba Pompeja urbes cesserunt. Isabella autem, quæ Mediolanum venerat, usque adeo socero gravis fuit, ut ducentis millibus aureorum constiterit; quanquam Virtutis oppidi ditio, honestissimæque appellationis titulus, novo sponso nomine dotis accessisset. Leonati porro adventu tantæ opes admirabili liberalitate profusæ sunt, cum & nuptiale epulum daret, & equestres ederet ludos, & Britannos ex generis comitatu supra ducentos eximiis donis adornaret, ut opulentissimorum Regum splendorem superasse censeretur. In convivio enim, in quo Franciscus Petrarcha inter principes convivas discubuit, singulos ferculorum missus, qui supra triginta fuere, totidem inusitatæ magnificentiæ munera sequebantur: ea omnia Joannes Galeacius, delectæ juventutis Princeps, ad mensam perducens Leonato obtulit. Fuere in uno tantum missu septuaginta equi insignes argenteis & sericis ephippiis strati: in aliis vero vasa argentea, hierofalcones, venatici canes, equestria arma, nobiles loricæ, solidoque ferro splendidi thoraces, galeæque item & cassides præaltis conis exornatæ, indumenta margaritis picta, balthei militares; postremo præstantes aliquot gemmæ aureis emblematibus insertæ, & aureæ purpureæque telæ ad viriles vestes vis ingens. Is porro convivii apparatus fuit, ut relatæ à mensa dapes, decem millibus hominum abunde sufficerent. Sed non multo post Leonatus quum novæ nuptæ operam daret, intempestivisque conviviis ad patrii moris disciplinam, alieni cæli ignarus, intemperantius uteretur, ad Albam morbo consumptus interiit. Violantes demum Othoni Marchioni Montisferrati nuptui data est, sed nihilo felicioribus auspiciis, quum Otho in montibus Parmensium ab agresti agasone confossus, ignobili fato perierit.

Cæterum Galeacius diu antea sævissimis articulorum doloribus jactatus, quum filius præalta indole, militaris imperii munia capessens, Asta recepta, Vercellisque defensis, Subalpinum bellum felicissime confecisset, in supremum incidit morbum, Nonisque Sextilibus defunctus est, anno à partu Virginis septuagesimo octavo supra millesimum & trecentesimum, vitæ quinquagesimo nono, imperii autem vigesimo secundo. Delectatus est in toto vitæ cursu, quum ex bellicis occupationibus subcisiva otia furaretur, nobilioribus literis, historiisque præsertim; habuitque in honore præstantibus disciplinarum omnium & nobilium artium studiis insignes; ex hisque præcipue Franciscum Petrarcham amœna ingenii fertilitate florentem, cujus hortatu bibliothecam condiderat, quum munere beneficioque Caroli Cæsaris Ticini celebre Gymnasium instituisset. In puniendis reis etiamsi natura plane lenis & exorabilis videretur, ita clementiam cum severitate miscebat, ut præscriptas leges non temere præteriret. Magno autem incorruptæ justitiæ exemplo fuit Picardonus Vasallius è Vercellis in furca latronum more strangulatus. Hunc Belgici exsilii comitem, propterea que ex humili fortuna ad præfecturam ærarii provectum, indeque sævi prædonis more, nullo metu pudoreve immensas opes congerentem, repetundarum & peculatus reum populus fecerat, judicesque damnarant, ita ut Princeps nihil omnino ex damnati bonis neque in fiscum, neque in ærarium se reducturum testaretur, libereque responderet, sibi lege agendum videri, atque eo quidem severius, quod supra furti noxam, gravioris flagitii nomen ferret, quando mortalium ingratissimus fuisset. Nimia quoque & pene crudeli severitate in Prætorem ad vicum Iriæ animadvertit, quod præscriptos ex indice quosdam exsules factiosos atque sicarios persequi, captosque statim laqueo necare jussus, propinquorum precibus pœnam tandiu suspenderat, donec Ticini princeps adiretur. Ex ea enim cunctatione Galeacius quod lege actum credebat, amicis supplicantibus facile damnatorum vitam quidem concessit; sed mox Prætor, tanquam officii oblitus, sontibus servatis, atque his ante carceres inspectantibus, securi ictus est.

Sumptuoso autem ædificandi studio, magnificisque operibus, Romanæ potentiæ monumenta luculenter imitatus, Mediolani arcem Portæ Jovis mira celeritate construxit, quum antea è regione templi maximi, anteriorem curiam vastis porticibus atque cœnaculis, & media latissima area ad equestres ludos admirandam Actianis ædibus adjunxisset. Pontem vero lapideum Ticino amni Papiæ imposuit, usque adeo mirabilis structuræ, ut perpetuæ contignationis tectum adversus soles & pluvias, sustinentibus ab utroque podio siliceis columnis superinduceret, & utraque pontis capita singulis propugnaculis muniret: arx demum in supercilio declivis urbis ad Boream exstructa, condecorataque eximiis picturis, ita spectantium oculos ad admirationem convertit, ut Petrarcha nihil adulatus Galeacium, eo incomparabili ædificio, quum cæteris operibus vel maximos Europæ Reges anteiret, seipsum superasse perscripserit: spacium enim quadratæ formæ ducentorum fere stadiorum perpetuo muro circumplexus opportunum ad omne genus venationis addiderat, fundis nonnunquam antiquis possessoribus iniquo pretio ademptis, usque adeo impotenter, ut Bartholus è Xysta familia, quum paterno agro pelleretur, injuriam frustra deprecatus, equitanti Galeacio ventrem cultello perfoderit, levi quidem inflicto vulnere, quod magno casu in ipsam balthei fibulam cuspis incidisset. Cæterum in fronte arcis supra portam ad viridaria perducentem hoc vel rude carmen in marmorea tabula legebatur, anteaquam tormentis Gallicis ea muri pars cum inscriptione perfracta concideret: exstabant & lata insignia gentilitiæ viperæ insculpta scuto, uti moris est, superstante galea cum frondoso cono ad similitudinem ejus, qua in præliis uti erat solitus. Id autem eo libentius ne periret apposuimus, quod Galeacius temporario ligneoque tumulo conditus, dum ad nobile sepulchrum sero marmora pararentur, epitaphio caruerit:

Hac galea Galeaz caſtrum defendit & urbem,
Et feras oppoſitos violenter comprimit hoſtes,
Inque fugam vertit timidam mucrone potenti:
Tractavitque ſuos ut fratres frater amicos,
Et ſibi ſubjectos cultu pietatis, & omnes
Defendit populos, ſibi quos divina poteſtas
Credidit, & longam dabit his per tempora pacem;
Præ cunctiſque piam mens eſt ſervare Papiam.

BARNABAS,

MEDIOLAN. PRINCEPS IX.


Habes hic ejus effigiem, qualis cernitur Comi in æde Divi Juliani, domoque antiqua Ruſconorum; equeſtriſque marmori inciſa ac impoſita ſepulcro, quod ſibi vivens exſtruxerat Conchano in templo D. Joannis.



BARNABAS materni avi nomen tulit, eo quidem eventu ut ab Auria gente navalibus victoriis inclyta, atque innatæ virtutis nomine maxime ſuperba, feroces atque indomitos ſpiritus accepiſſe diceretur: imperioſus enim, immitis & aſper evaſerat, plane majores Aurias æmulatus, Brancham, Paganum, Lambam & Lucianum, qui juxta rei navalis diſciplinam naturali conditione præduram atque atrocem, cruentis exercitati præliis crudeles apparuiſſent. Sed qui tantopere ſeverus exiſtimari poterat, infracto quodam corporis atque animi vigore, uti ſemper armatus ac avide pugnax, unaque ea, quæ cuncta vitia præclare contegit, & ſtudia militum parat, inſigni liberalitate, cæteris ejus ætatis Ducibus præcellebat. In toto vitæ curſu, quum bella continenter gereret, nunquam conquievit, quod bella ex bellis ſererentur, neque pax ſtabilis, neque induciæ diu vigerent, inter ſuſpectantes atque hoſtilia ex obliquo molientes. Id enim unum ei non iniquæ ambitionis, verum maxime odioſæ pertinaciæ conſilium fuit, ut Bononiam Olegiani perfidia ſibi ereptam, interceptamque demum fraude Egidii Legati, in poteſtatem redigeret: qua ſi ſemel potiretur, Florentini, Lucenſes, Piſani, & vicini Principes nequaquam diu ſe tutos fore providebant. Factum eſt ex ea contentione, ut cum Pontifice conjurarent, conjunctiſque maximis viribus pellendos exſcindendoſque Vicecomites arbitrarentur; propterea conducti ſunt communi ære in Italiam Angli & Britones ex Armorico Oceano, Hiſpanique Albornocio Duce, & Hungari demum ex Pannonia Simone Præfecto; & poſtremo iterum accitus in Italiam Carolus quartus Imperator. Sed bellum, varia fortuna utrinque geſtum, eum finem habuit, ut Barnabas non longe à Bononia ad Raphaelis templum profligatus, victuſque iterum ad Guaſtallam, detrimenta accepta novis victoriis ingenti animo reſarciret. Navali enim certamine in Pado infra Vitellianam hoſtes ſuperarat, conſtructaque inſigni munitione ad Burgum fortem, ita locum adverſus præſentem Cæſarem defenderat, ut perruptis demum Padanis aggeribus, totum pene profluentem in Mantuanos agros effunderet. Quibus detrimentis illatis, omnibuſque jam plane feſſis, & pecunia exhauſtis, neceſſaria pax, ſed non plane ſtabilis, cum Pontifice cæteriſque fœderatis facta eſt, non abnuente Carolo, qui Arioviſto Bajoario Vindeliciæ Regulo, Barnabæ propinquo, interprete, quum belli tædio in Germaniam vocaretur, accepta pecunia, & confirmata vetere cum Vicecomitibus amicitia, non multo poſt domum rediit, ſicut ab ea pace Barnabas tota ſpe recuperandæ Bononiæ decidiſſe videretur: verum eo minore cum dolore, quod ad ſolatium irriti conatus Rhegium Lepidi à Feltrino Gonzaga præſenti pecunia coemptum in poteſtatem redegiſſet. Incredibile dictu eſt quantum utrique fratrum appetita oppugnataque Bononia conſtiterit, quæ novem bella ex hiſdem cauſis rediviva, cum ſummo amittendi imperii periculo, paucis annis adduxerat. Ferunt enim in bellicos ſumptus ſupra trecentas myriadas ſignati auri expenſas, ita ut mirum videri poſſit tantas pecunias ex urbibus imperio ſubjectis imperari atque exigi potuiſſe, quum ambos fratres pari atque inſatiabili mutuæ æmulationis libidine ad inſaniam ædificantes, multo majorem pecuniam in calcem & lateres contuliſſe videamus.

Inter nobilia opera Barnabæ præſtantiſſimum fuit, Tritianæ arcis pons admirabili unius tantum fornicis ſtructura amni Abduæ impoſitus, uſque adeo in altum exſurgens, ut tribus ſuperædificatis tranſitoriis aditibus, infimo currus cum machinis & impedimentis, medio equites, ſummo peditatum uno tempore tranſmitteret. Conſtruxit quoque arcem ad Romanam portam, quæ Conchanæ domui jungebatur, ponte penſili ſupra tecta privatarum ædium perducto, inſtar longiſſimæ porticus, cujus adhuc aliquot interciſa membra ſupra Craſſorum domus ſpectantur. Brixiæ arcem condidit, quæ ex molli clivo urbi imminet. In ſuburbanis autem Modœtiam, Majorum opus luculenter imitatus, ad Lambri amnis ripas Melenniano in vico, domum peramplam munitæ arci perſimilem cum lateritio ponte conſtruxit; & quod egregiæ pietatis opus adhuc exſtat, laxos carceres Mediolani inſtituit, in quo egeſtatis ultimæ debitoribus, & extra capitalem pœnam damnatis alimenta gratuita præbentur. Sed vel immenſas ærarii divitias uni dotales ſumptus exhaurire facile potuerunt, quum numeroſam prolem nobiliſſimis Europæ Principum domibus insereret: Viridem enim Leopoldo Auſtrio Norici Regulo, Thadeam Stephano, Magdalenam Federico, Bajoariis Vindeliciæ Principibus, & Valentinam Federico Cypri Regi collocavit, quum Agnetem Franciſco Gonzagæ, Catharinam Joanni Galeacio fratris filio, atque item Antoniam & Angleſiam Conrado & Federico Virtembergenſibus Sueviæ Regulis nuptui dediſſet; Lucia ſubinde Edemundo Britanniæ Regis filio tradita, ut in remoto etiam Oceano ſobolem propagaret. Ex filiabus autem nequaquam ex Regina uxore ſuſceptis, generos ſibi adſcivit bellica virtute clariſſimos, quum Joanni Aucutho Britanno Domninia, & Lucia Lando Germano ad Brigantinum lacum illuſtri traderentur. Quarum omnium dotes cum luculento mundi muliebris apparatu, vicies centena millia aureorum nummûm exceſſiſſe conſtat. Nec tot ſumptus tamque immodici Barnabam deterrebant, ut quicquam de ſplendore vitæ remitteret, quin filios diverſis magnis in domibus, cum frequenti & liberaliter ornata familia alendos arbitraretur. Erant legitimæ prolis Marcus, Ludovicus, Rodulphus, Carolus & Maſtinus, quibus imperii urbes atque oppida per æquas


BARNABAS
Vicecomes.



æquas partes diviserat; quum totidem ex damnato coitu susceptis latifundia & domos, honestosque reditus, donationis jure tribuisset. Erant ii, Ambrosius, Eustorgius, Palamedes, Lancelottus & Sacramorus, cujus stirpis se esse fatentur ii Vicecomites, qui præcipuam nobilitatem à Matthæo Magno repetunt, quum legitima soboles in Philippo Principe defecerit: ex his autem Ambrosius tanta militaris ingenii indole supra cæteros omnes emicuit, ut eo Duce, Britannisque militibus præfecto, Barnabas cum Romano Pontifice, Joannaque Apuliæ Regina, Florentinisque item atque Liguribus vario eventu bella gesserit. Sed Ambrosius in Bergomatum montibus quum avide rebelles persequeretur, B præceps datus in insidias, ab agrestibus est interfectus, tanto patris dolore, ut montani, vindicante irato patre, supremæ cladis pœnam subierint.

Cæterum hæc divisi imperii sortitio eum habuit eventum, ut unusquisque eorum dolore nimis angustæ ditionis, Joanni Galeacio patrueli multo opulentioris imperii fortunam invideret, & de eo cuncti sæpe contemptim & criminose loquerentur. Regina siquidem mater, ambitiosa superbaque mulier, juvenes suopte ingenio elatos & supra censum sumptuosos quotidianis sermonibus impulerat, ut immoderata percuperent, audendoque & moliendo aliquod insigne facinus, ad præalta, uti C generosos deceret, adspirare condiscerent; sic ut non obscure indicare videretur, sublato patruele, hoste verius quam propinquo, ipsos confestim ex opulenta hæreditate potentes & plane beatos evasuros. Cæterum non multo post Regina fato functa, Barnabas cum liberis eadem spectare cœpit, utpote qui tot filios ærario suo graves, prætenui atque ob id infirma ditionis conditione, regnaturos prospiceret. Sed dum scelesta consilia miscet, & diri odii cogitationes extendit, Joanni Galeacio cuncta produntur. Is gravi callidoque ingenio audita exploratāque dissimulat, & adversus insidias sese domi & foris præmunit; intimi officii mini- D steria coarctat; abdicatoque luxu, mensam certis dapibus adstringit: custodiam vero corporis ex fidis veteranis adauget, nec arcis limine pedem effert, nisi explorato, præeuntibus scilicet armatorum turmis, & prætoria cohorte circumfusa: ante omnia porro ad struendum ex longinquo dolum, suburbana templa supplicabundus sæpe invisens, conceptæ religionis & demissi paventisque animi signa præbet. Quibus artibus usque adeo in contemptum venit, ut nihil virile, vel ab astuto patruo sene cogitare putaretur, & patrueles nonnunquam dictitarent, aliquanto eum opimo sacerdotio, quam tanto imperio digniorem videri. Itaque communi- E cato cum paucis consilio, edicens se Mariæ Virginis templum (quod est in monte supra Varesium oppidum, multis miraculis atque donariis venerabile) solvendi voti causa profecturum, è Ticino Mediolanum contendit. Nec differt Barnabas quin venienti honoris causa occurrat; quanquam improviso adventu perturbatus, pudore metum vincente, paululum cunctaretur. Nec multo post Vercellensi porta prodeuntem, dato signo armati equites inermem & mula vectum comprehendunt, & in proximam portæ Jovis arcem cum Marco atque Rodulpho filiis deducunt. At Joannes Galeacius continenter armata agmina in urbem introducit, do- F mosque capti fratris tanquam hostis ad excitandam plebem, opportuno astu diripiendas populo præbet. Fit maximus in urbe tumultus, punctoque temporis memorabili Fortunæ ludibrio tantæ opes evertuntur: nec quisquam omnino repertus est qui opem ferret; quum amici pariter atque hostes in opulentissimæ gazæ acervos avide grassarentur, & maledictis Barnabam uti crudelem Tyrannum incesserent: nec in ea licentia publicanos & quæstores, uti populo

A invisos, ullæ vel in sterquiliniis latebræ diu tegunt: arx quoque ipsa attonitis custodibus paucas post horas deditur, è qua septem plaustra elaborato argento, & pretiosa supellectile onusta, signatæque item aureæ monetæ septingenta millia educta fuisse referuntur. Nec tanta calamitas prodigio caruit: domus enim Palatina septimo die ante cladem adeo vehementer de cælo tacta est, ut intimi cubiculi peristromata deflagrarent, & Viperæ marmoreæ fastigio superstantes fulmine frangerentur. Vates quoque domesticus cognomento Medicina, ut Nonas Majas eo anno trium siderum coitu infaustas caveret, multo ante prædixerat, & tum in fata B sua properantem retentare fuerat conatus: occulta enim vis fati tum maxime urgebat, quum misero mentis arbitrium eriperet. Evaserat paulo ante Barnabas ad inexpiabile odium populi, seipso acerbior & sævior, durum & atrox ejus ingenium senecta nihil molliente; quippe qui inopia rapax, infamis avaritiæ nomen immani crudelitate cumularet. Nam præter perpetua inclementer imperatæ atque exactæ pecuniæ detrimenta illata populis, nova etiam atque atrocissima lege promulgata, inquiri comprehendique eos jusserat, qui quinquennio ante contra vetus edictum apros occidissent, aut ex his vel in aliena mensa comedissent, usque adeo inexo- C rabili damnatione, ut supra centum ex miseris agricolis laqueo suspenderentur, reliqui universa substantia mulctati, exsilio solum verterent: diviserat enim per pagos venationibus opportunos multa millia venaticorum canum, gravissimo incolarum sumptu alenda curandaque; quum vicatim per familias distribuerentur, & præfecti venatorio apparatui multis cum ministris passim regiones circumirent, tremendo superbæ censuræ instituto, singulos canes ex indicis volumine inspectantes, ut insolenti judicio quos vellent verberibus pecuniaque punirent, quum pari mulcta damnarentur, qui strigosos & graciles tanquam inedia maligne enerva- D tos, & contra obesos tanquam nimia pinguedine inertes factos, aut impexis villis male curatos produxissent.

At Barnabas in Tritianam arcem ab se ædificatam deductus, septimo carceris mense, quum regnasset annos triginta, vixisset sexaginta sex, veneno faseolis indito (ut fama tum fuit) exstinguitur; eo quidem æquiore animo tolerata calamitate, quod in manibus Domniniæ Porræ adamatæ antea concubinæ, in ipsa extrema vitæ sorte non plane miser exspirarit. Hæc Joannis Aucuthi Britanni socrus fuit, quæ calamitatis ultro consors, supremum in tantis ærumnis misero seni solamen attulerat. Ca- E daver Mediolani Conchano in templo tumulatum est: statua equestri ex marmore Lunensi superstante, in eo ipso armorum cultu, expressique oris habitu, quo bella gesserat; nullo tamen epigrammate addito, quum juxta cubans Regina uxor marmoreo sepulchro tale carmen meruisset:

Italiæ splendor Ligurum Regina Beatrix
Hic animam Christo reddidit ossa suo:
Quæ fuit in toto rerum pulcherrima mundo,
Et decor, & sanctæ forma pudicitiæ,
Laurea virtutum, flos morum, pacis origo,
Nobilibus requies, civibus alma quies.
F *Quam patris extollunt Mastini gesta potentis,*
Veronæ nuptam magnificique Canis.
Barnabas armipotens Vicecomes gloria Regum,
Naturæ pretium conspicuumque decus:
Qui Mediolani frenos & lora superbæ
Temperat Ausoniæ, quem timet omne latus:
Hac consorte tori felix consorte laborum
Exegit longa prosperitate dies.
Hanc Deus elegit: secum periturus & inde
Spiritus ætherei regnat in arce Poli.

JO-

JOANNES GALEACIUS, MEDIOLAN. PRINCEPS X.

Galeacius Comes Virtutum, qui primus Dux Mediolani à Ladislao Cæsare appellatus est, uti videre licet ex multis pictis cælatisque imaginibus, præprimis ex ea, quæ conspicitur in templo Carthusiæ Ticinensis, tale frontis decus præferebat.




In Joanne Galeacio à primis statim pueritiæ initiis usque adeo mira gravitatis atque prudentiæ species enituit, quum in eo supra captum ejus ætatis, solertia, judicium, memoriaque vigerent, ut eum plerique ex ratione physica citissime moriturum crederent, neque unquam tantas præcocis ejus ingenii dotes ad opimæ frugis maturitatem perventuras arbitrarentur. Ferunt enim, sicuti in *Petrarchæ Vita* legimus, Galeacium patrem, quum ex consuetudine consilium advocasset, multique insignes togati viri in intimum conclave admissi consedissent, à puero tum forte intentis oculis Procerum ora atque habitum contemplante, per jocum quæsivisse, *quisnam sibi ex eo numero sapientior videretur:* tum vero puerum, qui tum erat quinquennis, suspenso vultu consideratis singulis demum accessisse ad Petrarcham, quem nunquam antea viderat, & blande arrepta toga eum orasse, ut se ad patris sellam sessum perduci pateretur; statimque magnum cum admiratione omnibus risum obortum, quod puer perspicaci judicio, omnium longe clarissimum ea tempestate poetam delegisset. Nec eum per omnes ætatis gradus summa cura à lectissimis præceptoribus atque nutritiis educatum, quin in eundem judicii morumque tenorem incumberet, natura destituit: à pueritia enim ad integram ætatem provectum in tanta actionum varietate tale semper ingenii specimen edebat, ut ejus opinionem naturæ præsidio firmatam, corroboratamque, multa historiarum lectione, atque usu rerum, nemo falleret, atque omnia vel plane fortuita præsentiens, consilio Fortunam regere videretur. Nec id hercle mirum erat, quum inveterata consuetudine multum ipse solus deambulando meditari, cum peritissimis in omni negotio deliberare, exempla rerum ex Annalibus repetere, instituta Majorum, quæ eventus belli comprobasset, diligenter imitari esset solitus. Nullæ enim eum voluptates venationis aut aucupii, non aleæ ludus, non illecebræ muliebres, non sannionum aut scurrarum fabulæ à negotiis avocabant: exercebat corpus modice ad rationem tuendæ valetudinis; animum remittebat eruditorum colloquiis & frequenti lectione, secretisque item commentationibus ad justitiam & pietatem revocatis. Conduxerat liberalibus stipendiis omnium disciplinarum Professores, qui in Gymnasio Ticinensi, à patre condito, juventutem docerent. Bibliothecam porro erecto juxta delubro, in quo Divorum & Martyrum reliquiæ pretiosis distinctæ loculis servabantur, rarissimis codicibus referserat. Ex ordine profitentium celeberrimi tum fuere, qui monumenta ingenii posteris reliquerunt, in Jure Civili Baldus, & duo Raphaeles, Fulgosius atque Comensis, & Segnorolus Amadeus: in Philosophia Ugo Senensis, & Blasius Pelacanis à Parma, cujus etiam exstant in Astronomicis, disciplinaque optices, subtilissimæ quæstiones. Tres quoque Medici, Marsilius à Sancta So-
B phia, Syllanus Niger, & Antonius Vacca, quorum commentarii in Scholis hodie præleguntur. In tradendis autem Græcæ linguæ præceptis eminebat Emanuel Chrysoloras Byzantius. Sed supra Doctores omnium disciplinarum erat conspicuus Petrus Philargus Cretensis, Sacrarum Literarum Interpres, qui postea Pontifex evasit, & Alexander quintus est appellatus.

Ex hoc præsertim lectissimo genere hominum, & ex iis, qui usu rerum & prudentia valerent, consiliarios uberrimis honestatos stipendiis adsciverat, ut non plane mirum videri posset, postquam ipse illustri judicio polleret, si in consilio exactis-
C sime deliberata discussaque ex voto plerunque felix eventus sequeretur. Cuncta sub eo officia, quæ tanti imperii administrationem respicerent, admirabili ordine constabant: nihil enim in toto humanarum rerum negotio, domi & foris, ipso ordine esse præstantius disserere erat solitus, quo uno & ipsa in primis res militaris, & actio civilis omnis, & domestica disciplina, veluti certissima compagine regerentur. Imperia autem jussaque in maximis minimisque rebus de scripto exibant, & rerum omnium sumptuariæ rationes amplissimis codicibus mandabantur; ex quibus ministrorum fidem & diligentiam exigebat, & per censores quidem specta-
D tæ probitatis, qui singula pro meritis ad pœnam & præmium revocarent. Erant autem in ejus aula infiniti prope librarii, amanuenses atque notarii, qui per singula officia rationum præfectis operam navarent, tanta cura religioneque, ut non modo totius imperii urbiumque stati redditus, & custodiarum sumptus, sed si quid in publica ludorum spectacula impenderetur, & quot fercula sigillatim in solennibus conviviis venirent, & quid claris hospitibus donaretur, ad exemplum atque ad memoriam scriberentur. Vidimus in Archivorum ejus armariis admirandos codices in membranis, qui in singulos annos Ducum & Præfecto-
E rum, veteranorumque militum nomina, singulorumque stipendia, & alarum ac turmarum indices continebant, descriptaque item exempla literarum, quæ in gravissimis gerendi belli & conficiendæ pacis negotiis, aut ipse ad Principes scripsisset, aut ab illis accepisset: ut si quis justam historiam condere velit, non aliunde uberiorem certioremque materiam desideret; quando ex his bellorum causæ, consilia & rerum gestarum eventus facillime deprehenduntur.

Apud patrem patruumque Barnabam Germanorum & Britannorum adventu rudimentum militiæ posuit: nec multo post quum vigesimum tertium
F ætatis annum implesset, à patre commentitio nomine mancipatus est, in patrimonii partem Novaria, Vercellis, Asta, Alexandriaque ei traditis; ut inde Othoni Montisferrati Regulo semper hosti, nec unquam quieto, dissimulante patre arma inferret. Sed dum in eo bello versaretur, prodentibus Guelphis Vercellas amisit. Allobrogum enim Regulus, quanquam ei esset avunculus, & Flisci Ligures periculi sui admoniti, Othonis sibi finitimi


IOANNES GALEACIVS
Vicecomes.



timi injurias defendebant; acciverantque auxilia Pontificiarum copiarum, arcemque Joannis Galeacii præsidio custoditam circumvallarant, usque adeo validis circumpositis stationibus, ut Joannes Galeacius non semel obsesso præsidio opem ferre conatus, quod hostes castra castris contulissent, plane circumventus obsideretur; tandemque præsidium urgente fame, & desperato commeatu, ex conditione arcem dederet. Sed aliquanto infelicius Britannorum adventu arma tractavit: nam à Joanne Aucutho Britannorum clarissimo Duce, qui ab amicitia Barnabæ discedens, Pontifici & Florentinis adhæserat, in Brixiano agro acie victus profligatusque est, usque adeo gravi accepto detrimento, ut ejus Duces ferme omnes cum vexillis caperentur; & ipse celeri fuga è manibus hostium ægre sese eriperet.

Ab his infaustis susceptæ militiæ initiis, quum satis superque cum virtutis, tum fortunæ suæ periculum fecisse videretur, mortuo demum patre, per Legatos bella gerere constituit, quod unicus patris hæres, extra infesti Martis discrimina sibi omnino parcendum, alienaque virtute, quæ pecuniæ mercede pararetur, subeundam præliorum aleam existimabat: rebaturque uti natura cautus exacteque prudens, & uti mox apparuit, consilio quam manu validior, se domi quam foris feliciorem evasurum; pollicentibus præsertim ex genitura Mathematicis, maximas opes, adauctum imperium, hostium calamitates, summamque gloriam, si armorum pericula devitaret. Neque fatidici vates, aut ipse naturæ genius humanæ voluntatis arbiter, fidem fefellerunt. Paucis enim annis admirabiles adeptus victorias, ita inimicos perdidit, cæcidit hostes, imperii fines protulit, ut arridentis Fortunæ fiducia subnixus, totius Italiæ regnum affectaret. Jam enim eum Ladislaus Cæsar novo honoris titulo honestarat, quum ex solennibus codicillis primum Mediolani Ducem, sceptro pileoque ejus dignitatis insignibus per Legatos transmissis, appellasset. Formidandæ ambitiosi Principis erant opes, & quod longe omnium amplissimæ, & quod ultra summam prudentiam veterano milite, strenuisque & præclare fortunatis Ducibus niterentur. Scaligeris Veronam atque Vincentiam ademerat, Carrariensibus vero Patavium, Francisco Seniore in Modœtianum carcerem conjecto: præterea Tarvisium, Feltrium, Bellunum, montanaque oppida cum Tridento in potestatem redegerat: Perusini & Assisiates ad eum à Pontifice defecerant: Senenses tædio incertæ libertatis ad ejus auctoritatem, finitimos Pisanos secuti, se contulerant; quum nec Lucenses imperium ejus abnuerent: propterea Florentini non obscuro perculsi metu, potentissimi hominis vim suspectantes, ei undique circummissis per omnem Europam legationibus, grave bellum concitabant; Roberto præsertim Cæsare in Italiam evocato, & Gallis Duce Armeniaco cis Alpes perductis. Sed eos externarum gentium conatus ita sustinuit, ut Gallos virtute Jacobi Vermii ad Alexandriam ingenti pugna superatos, interfecto Duce, deleverit, Cæsaremque à Brixianis Alpibus se demittere ausum, opposito Facinio Cane, primas Germanorum alas profligante, in Germaniam retruserit. Exinde ad vindicandas injurias pergens, Franciscum Gonzagam Mantuæ obsessum, derivatis Pado atque Athesi per emissarios, & pene summersa urbe, pacis conditiones accipere coegit. Novissime ad Casalecium juxta Bononiam, Pontificis, Florentinorum & Bononiensium ingentem exercitum, Bernardone Aquitano fortissimo Duce capto, collata acie profligavit, ab eaque statim victoria, urbe Bononia potitus est, pro qua ab excessu Joannis Antistitis per quinquaginta fere annos fuerat dimicatum.

Nec multo post victricibus copiis in Etruriam A per Apenninum tantum terrorem Florentinis intulit, ut demissi animo cives, nequaquam in domesticis præsidiis, sed in una tantum impotentis atque irati hostis morte salutem reponerent. Nec eorum votis Fortuna defuit: in arce enim Melenniani Romana via supra Lambrum pestilenti febre correptus excessit è vita, pridie Nonas Septembris, anno à partu Virginis supra millesimum quadringentesimo secundo, quum ætatis annum quinquagesimum quintum attingeret; imperasset autem annis viginti quatuor. Duos ex Catharina, Barnabæ filia, impuberes filios Joannem & Philippum reliquit: quum autem ex Isabella, Caroli Galliæ Regis filia, priore B uxore nullam prolem suscepisset, ad instaurandam cum Gallo Rege propinquitatem, Valentinam, ex eadem Catharina primo partu genitam, Ludovico Aurelianorum Principi, Regis filio, nuptui dederat. Quo conjugio Asta Colonia dotis nomine Valentinæ obvenit; ad liberos vero ejus, hæreditatis titulo, Mediolanensis imperii jura transierunt, quod Valentinæ fratres sine legitima prole decessissent, sinistro quidem omine ac insigni detrimento Italiæ Galliæque, quod in repetenda ea hæreditate diuturnum & atrox bellum sit exortum, cujus adhuc nullum omnino certum finem videmus. Arsit per aliquot dies ante ejus mortem cometes ingens, lu- C rida & funebri oblongaque cauda, versus eam cæli plagam, quæ in Corum ventum obvertitur. Nec eo cælesti prodigio indignus videri potuit, quum nemo Principum in Italia, à Gothicis usque temporibus repetita memoria, imperii magnitudine & vitæ splendore eo clarior atque potentior exstiterit: quod si victorias inter Fortunæ munera numeremus, nemo certe ei vel innatæ gravitatis atque prudentiæ opinione, vel ipsa oris ac corporis dignitate, vel exornandæ virtutis studio, ad censum veræ gloriæ comparandus est: quanquam tanti nominis famam prægravasse videatur patruus Barnabas exutus regno, in Tritianoque demum car- D cere necatus; atque illa immensa proferendi imperii cupiditas. Sed hanc quisque non iniquus, neque immoderatus Tyrannus, Caji Cæsaris exemplo, facile excusaverit, si regnandi causa jusjurandum omnino violandum esse existimet; & ipse Joannes Galeacius in exercenda sævitia, tempestivus Barnabam, pares atque immeritas struentem insidias, recte præoccupasse censeatur. Contraxit tamen invidiam ejus animo gravem, uti sæve rapax & immitis, atque perpetuus urbium suarum expilator, quum à subjectis imperio concepta odia detegi exercerique nequirent, quæ demum in morte ejus per singulas urbes eruperunt. Neque enim perpetuo E imperatæ pecuniæ onere fessis, satis digna tolerandæ injuriæ causa videbatur, accersita sæpe ultro gerendi belli necessitas, quod nunquam ex bello, pacem expeteret, sed ex pace semper alia atque alia bella quærerentur. Nec mirum, quum ferendis bellis viginti millia equitum & totidem peditum perpetuo alenda suscepisset; nec ullis omnino sumptibus parcendum arbitraretur, modo fortissimum quemque ex omni militari ordine invitatum uberioribus stipendiis, ob idque facile detractum hosti, sibi adscisceret. Profiteri enim erat solitus, *Nihil esse ea mercatura nobilius, qua viri insignes pararentur.* Objectavit & ei probrosas libidines in *Historiis* Anto- F nius Florentinorum Antistes, inepto & improbo maledicendi genere in hostem patriæ insolenter invectus. Nullum autem ejus ædificium paulo luculentius exstat, quum Majores ejus usque ad insaniam domi & foris, curias, arces, prætoria sumptuosissime condidissent. Singulari tamen pietatis & magnificentiæ studio, Carthusiæ templum construxit ad quartum lapidem à Ticinensi paterna arce, ubi ferarum septa terminantur; addictis in alimenta sacerdotum latifundiis. In eo templo humari voluit; spectaturque

turque post aram maximam cælati operis admirabile sepulchrum, subscriptis ad historias rerum gestarum, quæ marmoreis imaginibus decentissime figurantur, his carminibus, non omnino indignis ut alibi quam Carthusiæ perlegantur:

Quum Ducis Anguigeri variis divisa sepulchris
Membra cubent: sic jussit enim: nam viscera servat,
Antoni, tua sancta domus celebrata Viennæ:
Cor Ticinensis Michael, Carthusia corpus:
Hic quoque ad æternum populi patriæque dolorem,
Vexilla, & clypei, & lachrymosæ insignia pompæ,
Exequialis honos, monumentum flebile pendent:
Instar & hoc tumuli semper memorabile nostris
Impositum signum est oculis. Lege Principis ergo
Hic etiam titulos, nomenque, genusque supremi
Cujus ab Angleriæ primus quos protulit olim
Natus ab Ascanio Trojani sanguinis Anglus
Comitibus, si prisca petas primordia clari
Nominis, atque domus Vicecomitis exstat origo.
Talibus exortum proavis dixere Joannem
Hunc Galeaz, quo non fama vulgatius ullum
Nomen in orbe fuit, factis ingentibus Heros.
Ille quidem Anguigeram super aurea sydera gentem
Extulit, & sese virtute æquavit Olympo.
Dux Ligurum, patriæque pater, Comesque Papiæ,
Virtutumque fuit: quantum splendebat in illo
Imperiosa oculis vis majestatis, & altæ
Frontis honos, tantum specie mortalibus ibat
Altior, ut dominum sola esse doceret imago.
Quantum lux animi specioso in corpore fulsit,
Cognita per varium testantur plurima casum
Consilia alta Ducis: cujus pietasque, fidesque,
Sacraque justitia, & clementia sanguinis expers
Innocuam fecere animam. Nec dulcior alter
Eloquio, nec magnificis præstantior alter,
Nec fuit in totis Europæ finibus unquam
Aptior imperiis Princeps, nec sanctior alter
Relligione fuit, nec pacis amantior illo:
Hanc propter sæpe auspiciis justa arma secundis
Induit, & claros superato ex hoste triumphos
Cepit, & ultrices (qua nulla est gloria major,
Nullaque compositæ major constantia mentis)
Ipse sui victor, de pectore depulit iras,
Permisitque pius victis ad sana reverti
Consilia, & mediis pacem quæsivit in armis.
Ipse graves populis cruda de sede Tyrannos
Dejecit, fregit tumidos, stravitque superbos.
Hic erat unde quies magnorum certa laborum
Italiæ speranda foret: Duce læta sub isto
Illa sibi antiquos jam promittebat honores:
Nanque videbatur cælo demissus ad unum
Natus, ut indeptis componeret aurea terris
Sæcula, & afflicto tandem daret otia mundo.
At Deus Ausoniæ dederat quod sydus agenti,
Transtulit ad superos, sive illo ornare beatos
Angelicosve Choros voluit, seu lumine tali
Indignam est ratus Italiam, mundumque nocentem,
Consilii ratio alta latens & causa superstat:
Sed nos ô miseri, quorum ille piissimus Heros
Destitit optatæ nunquam vigilare saluti:
Flete Ducem Ligures, talem lachrymate parentem
Vosque urbes viduæ, Princeps quas ille sub altis
Felices sceptrisque suis cum pace fovebat.
Æternas oculis lachrymas effundite vestris:
Ante alias Mediolanum patria inclyta magnum
Principis atque caput tantæ ditionis, & olim
Longobardorum domus augustissima Regum,
Magnanimoque Duci nuper gratissima sedes
Papia, illustris titulis quas fecerat urbes:
Et vicina sequens matris vestigia Laude
Urbs Pompejani de laude vocata triumphi:
Brixia civili nec enervato duello,
Funde pares lachrymas, quibus alta Verona, sororque
Ingeniis ornata bonis Vicentia, duris
Cognita temporibus, parvæque in montibus urbes
Bellunum, Feltrumque adeant, & pulchra feraci
Planitie Cremona sedens, memoresque laborum
Vercellæ, antiquis tellus agitata procellis,
Et cum Derthona fœcunda Novaria pingui,
Piscosumve Comum, populoque animosa superbo
Bergoma, & occiduus quas nunquam victor adivit,
Nomen Alexandri retinens urbs fertilis oris:
Quæque tot egregios in prælia mittit alumnos
Parma potens animos, & opima Placentia campis,
Et Bovium, & vicina malis urbs ducta priusquam
Sub Ducis imperium, & juga non metuenda veniret.
Te quoque Lucensis regio, licet obruta Lunæ
Mœnia sint, reliquis plorantibus urbibus addas,
Quas inter magno est lacerata Bononia fletu
Et gemitu, & lachrymis proprium confessa laborem,
Quæ sibi sydereos subito mors improba vultus
Principis eripuit, nec passa diutius illam
Majestate frui, dulcis & dulcedine sceptri.
Ite simul, sic fata jubent, sociare querelas
Urbs Pisæ, quondam Tyrrheni Roma profundi,
Massaque Gorsetum manu vehat inclyta secum,
Et cum vicino turrita Perusia ploret
Assisio, & mœstæ saliant ad sydera voces.
Romanum gemat Imperium, Romanaque plangat
Ecclesia, hi lachryment oculi duo lumina terræ
Raptus uterque pugil, Latiis quo major in oris
Non erat: ex Italis Germanos depulit hostes
Finibus, & Gallos bello confixit acerbo,
Ante Quirinalem posset quam cernere Romam,
Mille quater centum atque duos quum duceret annos
Sol, hunc atra dies Septembris tertia ademit.

JOANNES MARIA,


MEDIOLAN. PRINCEPS XI.

Effigies istius crudelis Principis cælata conspicitur in templo Carthusiæ Ticinensis cum illa Antoniæ Malatestæ ejus uxoris.



MORIENS Joannes Galeacius ad testamentum antea rite conditum additis codicillis, Joannem Mariam maximæ partis imperii, novique tituli hæredem instituit, ea conditione, ut Philippus Papiam urbem obtineret, Novaria, Alexandria, Asta, Vercellis atque Derthona adjunctis, Papiæ Comes appellaretur: Gabrieli autem ex Agnete Mantegatia spurio, qui erat legitimis ætate superior, Pisas, Cremamque legavit: atque ita Joannes Maria desumpto Ducis nomine, susceptisque paternæ dignitatis ornamentis, ad imperium evectus est, funestis utique auspiciis: nam illico civile bellum exarsit, Gibellinis & Guelphis inter se vecordi impetu concurrentibus: eæ siquidem diræ Factiones, contempto adolescente Principe, vetera civium odia refricarant, quæ superiorum Principum virtute, sublata videbantur. Is longe gravissimus & summe


IOANNES MARIA
Vicecomes.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA

me lugubris tumultus, non urbibus modo atque oppidis, sed pagis agrestibusque familiis, eodem insaniæ morbo correptis, vastitatem attulit; quum cædibus incendiisque grassari, cognatis & affinibus ultimam vim afferre, sacra denique non secus ac profana violare fas putarent, virtutisque & gloriæ loco ducerent, si ad ostendendum insigne factionis studium, maxime crudeles evasissent.

Sed dum Mediolani per singulas regiones cruento eventu alternante fortuna certaretur, eadem pestilentis mali lues reliquas Imperii civitates celeriter invasit, insigni perfidia Præfectorum & Ducum, qui orientes tumultus quum facile opprimere possent, turbidis rebus magnopere gauderent: ii enim modo his, modo illis faventes, altera partium expulsa, altera vero attritis fessa viribus, subnixi validis præsidiis, urbium dominatus arripere è medio cogitarant. Per hunc modum nullo pudore violati militaris sacramenti, Pandulphus Malatesta Brixiam & Bergomum occupavit; cujus factum infame scelestumque subsecuti Gabrinus Fundulius Cremonæ, Facinius Canis Papiæ atque Alexandriæ, Joannes Vineatus Laudi Pompejæ, Cremæ Benzones, Placentiæ Arcelli, Othobonus Tertius Parmæ, Franchinus Rusca Comi, Brusati & Tornielli, quondam exsules, Vercellis atque Novariæ dominatum invaserunt. Qua fœda & repentina Ducum atque urbium defectione consternatus Princeps, docente & hortante matre, consilium suscepit de creando Gubernatore, qui militari cum imperio urbem regeret, & salutem dignitatemque Principis præsentibus armis tueretur. Veteres enim consiliarii amicique, quos pater in tutelam adolescentis reliquerat, diverso æstu turbulentæ tempestatis jactati, aut securi colla præbuerant, aut exauctorati, adversariis locum occupantibus, metu mortis longe diffugerant. Itaque Mediolanum accersitur Carolus Malatesta: is introductis copiis, factiosorum audaciam coercet, præclarum restituendi imperii & parandæ quietis studium ostendit, fratrisque filiam Principi in matrimonium collocat. Sed non multo post, quod Guelpharum partium nomen præferret, urgentibus Patritiis Mediolano excedere cogitur. Evocatus subinde est in ejus locum Facinius Canis bello Dux impiger, sed impense rapax & vehementer factiosus. Verum is multis expeditionibus prospere confectis, quum parum æquus & Reipublicæ utilis foret, quod Gibellinarum partium se defensorem & Ducem profiteretur, Guelphorum insidiis petitus, atque urbe usque adeo violenter exactus est, ut cum circumfusis in eum conjuratis, ne caperetur per aversam Actianæ curiæ portulam adacto equo in fugam se proriperet, contusa vehementer fronte in valvarum angustiis, relicto coccineo capitis integumento, continenti cursu Rosatum usque percurreret. Tum vero Guelphi Antonio Turriano cohortante, qui apud Principem quamquam nomine familiæ odiosus esse deberet, tamen plurimum gratia valebat, Joannem Mariam perpulerunt, ut in Facinii locum cum eadem imperii potestate Bucicaldum Gallum acciret. Is tum à Rege Galliæ deditis ultro Liguribus præpositus Genuæ Præsidem agebat, vir corpore pariter & ingenio vastus. Itaque stipatus Gallis equitibus quum Mediolanum venisset, ante omnia infido consilio, ut arce potiretur, custodis animum oblata pecunia tentavit. Id facinus maligne susceptum quum minime ex sententia processisset, cuncta ad superbum arbitrium revocanda ratus, edictis propositis & percussa sub nomine suo moneta, ita impotentis animi libidinem nudavit, ut non Joanni Mariæ modo, sed utriusque

A etiam factionis civibus in suspicionem affectati Principatus venerit. Sed dum Mediolani hac inani spe immodicos spiritus alit, atque odium sibi ingens parat, illudente Fortuna votis ejus, Gallica præsidia, occiso à Spinulis Serratone Præfecto, Genua pelluntur, Theodorusque Montisferrati Marchio, strenue operam navante Facinio, Genuæ Princeps acclamatur: quo nuncio perterritus, nec ab re sibi timens, priusquam tanti accepti incommodi fama vulgaretur, simulata expeditione in Ticinenses, copias Mediolano eduxit: quem Facinius evadentem ad Novium oppidum adortus, adeo opportune commissa pugna

B profligavit, ut Bucicaldus amissis copiis, Genuæ & Mediolani præfectura uno tempore exutus, per asperos Alpium tramites in ulteriorem Galliam perfugerit. Hic est ille Bucicaldus, qui Gabrielem Joannis Galeacii filium avaro truculentoque judicio Genuæ securi percussit, ut prægrandi ea pecunia potiretur, quæ illi obvenerat, quum Pisas Florentino Senatui vendidisset.

Per id tempus Joannes matrem amisit, tantis curis, ut erat corpore imbecillo, facile succumbentem: cujus perverso consilio non multo ante, ut propinquas urbes facilius tueretur, aut occupantibus Tyrannis eriperet, cæteras, quæ remo-

C tæ ditionis erant, Bonifacio Pontifici tradendas censuerat, scilicet ut eo insigni munere inanem promereretur amicitiam, & tutelare fœdus afflictis & plane perditis rebus impetraret. Per hunc modum Bononia tantis impensis atque laboribus parta, itemque Assisium atque Perusia Umbriæ urbes Mediolanensi imperio adjectæ, quum ex calamitate levitateque Joannis, Fortuna eodem pertinaci vestigio nixa, alienæ felicitati adspiraret, in ditionem Pontificii imperii concesserunt. Pari quoque ignavia aut desperatione Senensibus obtruncato Corregio Præfecto desciscentibus, libertatem cruentis admodum seditionibus implicatam reliquit.

D Cæterum nihilo secius Mediolani certabatur, recrudescentibus civium odiis per mutuas cædes, quod neque victi vindictæ cupiditate pacem vellent, neque victores victis inducias, tanquam successu damnosas, dandas putarent: quibus rerum difficultatibus adductus Princeps, quod unum omnino remedium in tanta civitatis perturbatione tranquillitatem afferre posse videbatur, Facinio, datis obsidibus, sese reconciliat, eumque iterum accersit, & bellicarum civiliumque rerum moderatorem cum suprema potestate creat: ejus adventu Guelphi, qui sub Bucicaldo insolentes evaserant, arma posuerunt: quiescentibusque demum Gibelli-

E nis atque urbe pacata, Facinius Bergomatibus bellum inferre jussus, trans Abduam ducto exercitu, rebellantis urbis agros omni belli clade vastavit. Sed cum Bergomates consumptis hostili igne suburbanis tectis, ne extrema paterentur, se dedere decrevissent, Facinium articularis morbi renumque dolores usque adeo graviter invaserunt, ut abscedere irrito incœpto, Papiamque deferri cogeretur. Is morbus, qui Facinio supremus fuit, novandis rebus occasionem præbuisse fertur: summæ nanque audaciæ turbulenti cives in necem Principis conjurarunt: in queis eminebant Baucii fratres Andreas & Paulus ex intimis

F familiaribus, itemque duo Pusterlæ pernobiles, & Franciscus Mainus, Bertonus Mantegatius, & Acontius Trivultius. Hos tanquam Duces ex utroque factionis ordine alii supra triginta sequebantur: neque fuit quisquam è tanto numero, qui in summa spe amplissimi præmii fidem prodendo fallere voluerit, quum in vitæ periculum ex suspecta consciorum multitudine subiret: oderant enim eum omnes tanquam insitatæ immanitatis Tyrannum, quod in tanta per novem annos

 ærum-

ærumnosi imperii rerum omnium asperitate, insanæ feritatis morbum concepisset, usque adeo horrendum, ut iracundia in rabiem versa, damnatos aut sibi invisos voracissimis canibus laniandos objiceret, eoque atroci spectaculo magnopere lætaretur, haberetque in delitiis Squarciam Giramum, alioqui honesta ortum familia, inhumanæ sævitiæ ministrum, qui ad eam carnificinam ingentes molossos humana carne alendos suscepisset. Diis itaque atque hominibus tale monstrum abominantibus, postridie Idus Majas sacrorum causa in templum divi Gothardi descendentem Baucii fratres, reliqua conjuratorum manu incumbente, duobus vulneribus confecerunt, discissa usque ad oculos fronte, & dextro crure ad suram detruncato. Exanimem & aliquandiu ab omnibus desertum pauci ex infimo familiæ ordine in templum maximum detulere. Ibi quum fœdis vulneribus & multo cruore deformatus non sine ludibrio spectaretur, infimæ sortis meretrix tempestivæ pietatis officium usurpans, totum cadaver multa recenti rosa contexit. Inde postea à Philippo successore opulentam dotem, ut honeste nuberet, ingenuæ charitatis nomine habere promeruit. Eodem die Giramus scelestus carnifex concursu populi latebra extractus, quum vivus unco traheretur, pro janua damnatæ & mox ad solum æquatæ domus, horribili meritoque supplicio affectus est. Ipse quoque Facinius copiarum imperator, quum ei insuperabilis morbus vitæ finem afferret, nunciata cæde Principis, Duces militesque suos obtestatus est, ut percussores persequerentur, Philippoque ad Principatum hæreditatis jure contendenti fortem atque fidelem operam præstarent: paucas post horas exspiravit, magno quidem conjuratorum commodo, qui nemine Principis cædem vindicante, Hastorem Barnabæ ex concubina filium bello strenuum, paternosque spiritus gerentem, magnis acclamationibus ad Principatum extulerant.

PHILIPPUS,

MEDIOLAN. PRINCEPS XII.

Conspicitur ejus effigies variis in nummis, eximiæque cælaturæ ex Lunensi marmore Mediolani habetur apud Jo. Baptistam Bidelli.



JOANNE Maria interfecto, atque eodem die exspirante Facinio, Philippus, qui captivo persimilis incertusque salutis in arce Papiæ supremum urgentis Fortunæ impetum exspectabat, inopinato Facinii dudum hostis munere sublevatus, animum erexit ad non dubiam spem recuperandi Principatus, cohortantibus Facinianis Ducibus, qui quum in supremam morientis imperatoris sui voluntatem per conjunctas dextras fidem datam fallere nefas esse putarent, uti viri militares etiam gerendo bello materiam quærebant. Deerat pecunia, exercendæ virtutis nervus, sed ea subitario proventu à Beatrice Tenda uxore Facinii celeriter impetratur, propositis cum novo Principe nuptiis, quas ipse Facinius in extremo vitæ actu suasisse ferebatur. Nec eas abnuit Philippus, quanquam ætate fortunaque impares. Itaque levis mulier intempestivæ libidinis & majoris imperii avida, vix detersis lachrymis inauspicati conjugii torum subit, quaterque centena millia aureorum nummûm dotis nomine dinumerat. Nec mora, instructo exercitu Philippus Mediolanum contendit: obsidebat arcem Hastor circumvallatam magnis operibus: sed ductu Francisci Carmagnolæ Castellinique Beccariæ, Philippi milites munitiones perrumpunt, Hastoremque ad Comensem portam acerrime resistentem profligant. Tum vero Philippus urbem ingressus per præcones in compitis pronunciari jubet, *Se nemini, exceptis fratris percussoribus, hostem futurum:* statim acclamatus Princeps singulari totius populi studio in curiam Actianam deducitur. In eo tumultu Paulus Baucius & Franciscus Mainus, principes conjurationis & cædis, intercepti teterrimo supplicio admissi sceleris pœnas dederunt.

Exinde Philippi Duces ad oppugnandam Modœtiam, quo se receperat Hastor, profecti sunt: nec multis inde diebus id oppidum in potestatem devenit, & Hastor, qui in arcem refugerat, quum ad puteum sederet, tormenti in incertum emissi lapide coxam ictus interiit. Exstincto gravi æmulo, & propter studia Guelpharum partium magnopere metuendo, Philippus auctis opibus Tyrannos adortus incredibili felicitate, aliquot urbes paterni imperii recuperavit; Pandulpho imprimis Malatesta Bergomo Brixiaque depulso, Joanne Vignato Laudensium Tyranno capto, & latronum more in furca suspenso, Arcellis Placentiæ necatis, aut in exsilium pulsis, & Franchino Rusca, qui Comum occuparat, certa præmii conditione ea urbe ejecto. Verum incredibili lætitia Philippum affecit Gabrinus Fundulius, Cremonensium Tyrannus, felici astu captus. Is quum medio in foro Mediolani conspecta supplicii machina cervices securi subdere cogeretur, hortarenturque eum de more cucullati sacerdotes, ut ex disciplina Christiana composito animo vitæ exitum ferret, patratorumque scelerum, sperata inde à Deo maximo venia, rite pœnitere vellet, contortis atrocibus oculis, *Desipuisse* inquit, *mihi indigne perfidioseque prodito molesti esse: nam tantum abest, ut me jure belli factorum pœniteat, ut maxime etiam doleam, quod Papam simul atque Cæsarem, ad immortalem clarissimi facinoris famam, è mea turre minime præcipitarim.* Paucos enim ante annos Balthasarem Cossam, Joannis XXIII. nomine Pontificem, & Sigismundum Imperatorem hospitio exceptos, studioque peramœni atque admirabilis prospectus in summam celeberrimæ turris coronam invitatos, incessente atrocem animum dira libidine, in subjectum forum provolvere cogitarat; neque alius omnino vel gravissimæ rei respectus duo totius orbis lumina servavit, quam in nefario Tyranno non ignobilis obortus pudor, ne hospitalis mensæ religionem, cui ipse honoris causa convivæ adhibitus eo die fuerat, non crudelis quidem, sed ingrati animi piaculo fœdasse videretur.

Cæterum Philippus & fraternam cædem & Tyrannos probe ultus, fretusque mirifica virtute clarissimorum Ducum Carmagnolæ & Nicolai Picinini, ad recuperandas remotiores paterni imperii urbes animum adjecit: Veronam enim Veneti, Pisas Florentini, & Bononiam Pontifex Romanus ademerant. Sed ab eo consilio non iniquo jure


PHILIPPVS MARIA
Vicecomes.



jure suscepta bella, gestaque demum per triginta & septem annos aliquanto majore virtute quam fortuna, totius Italiæ urbes gravissimis cladibus affecerunt: cumque postremo belli eventum Philippus tulit, ut conspirantium inter se liberarum civitatum consilio atque opibus impar, Bergomum & Brixiam amitteret, & Genuæ dominatu pelleretur, quum ipse domi sederet, paternoque exemplo, sed nequaquam pari fortunæ conditione, gerenda bella per Legatos arbitraretur. Verum in hac perpetua & semper ancipiti difficillimarum rerum agitatione, maximæ constantiæ & generosi consilii laudem tulisse videri potuit, quum septies terrestri aut navali acie victor, sed sæpius victus, eosdem semper spiritus indomitæ virtutis gesserit. Intentus enim & erectus ad tuendum nominis decus quum sæpe fortunæ aleam subiret, nullo sumptu, nulloque periculo deterreri poterat, quanquam natura esset pertimidus usque adeo, ut vel mediocri tonitru audito formidine quateretur, & subterraneas latebras amenti similis quæritaret: secreto cubiculo maxime gaudebat, & in id paucissimos admittere, arcere salutantes, negocia tractare per interpretem, & denique reformidare cœtus hominum solebat: hebetata enim oculorum acie quod adeuntium facies non plane discerneret, assiduo nomenclatore & monitore dissimulanter utebatur, ne omnino captus oculis à minus familiaribus putaretur. Oblectabat autem ocium historiarum lectione, quarum Antonius Panhormita, literarum nomine præcipuo in honore habitus, aliquandiu fuit anagnostes. Verum incolumi adhuc oculorum lumine, libentissime adolescentium pila ludentium aut luctantium certamina, obducto ad fenestram speculari vitro despectabat, ut ludentes eum spectare nescirent, quum tamen adesse crederetur. Inde enim eorum formæ decus, explicatos artus, animique vigorem inspicere, & quos ex ejus exercitationis indole maxime probasset, ad mensæ cubiculique ministeria deligere erat solitus. Sed eam voluptatem Candidus December, illius ætatis Scriptor, iniquo felle turgidus, quum omissis laudibus, quæ in Philippo celebrandæ fuerant, vitia notaret, ad suspicionem libidinis revocavit. Erat utique Philippus in flexu præsertim ætatis, ingenio suspicaci, fervido, mobili, sæpeque sævo, quum teneræ ejus aures delatorum aculeis figerentur. Nec deerant ex intimis amicorum factiosi, alienæque laudis obtrectatores, qui recte sentientem sæpissime depravarent: inter quos Oldradus Lamponianus, ab adolescentia cubiculis assuetus, gratia auctoritateque tantum valuit, ut Carmagnolam summum Ducem magno Philippi incommodo alienare atque extrudere potuerit. Adiit & grave salutis periculum ipse Franciscus Sfortia jam adscitus gener, falsis scilicet criminibus oneratus, quum uno innocentiæ præsidio à multis benevolis ægerrime defenderetur.

Verum Philippus ingrati sævique animi infamia sese turpiter fœdasse visus est, quum Beatricem uxorem adulterii cum Orumbello Citharœdo admissi ream, nec in tormentis quicquam contra pudicitiæ decus confitentem, securi percussit, imparis, ut ferunt, conjugii pertæsus, cujus tamen non dubiis opibus ad imperium pervenisset; ut demum Amadei Sabaudii filiam eventu sterilem duceret, non sine dote modo confectis nuptiis, verum ut soceri societatem promereretur, ultro traditis Vercellis. Id quoque famam ejus vehementer premit, quod alioqui in amore odioque instabilis, tum maxime firmus atque inexorabilis evaderet, quum veteres injurias novis beneficiis nequaquam pensandas arbitraretur, ut in Castellino Beccaria mox apparuit, non ob aliam causam in carcere necato, quam quod recentis operæ fideliter strenueque præ- A stitæ oblitus, veteris perfidiæ, qua is Papiam Facinio prodiderat, meminisset.

Sed uno memorabili inusitatæ virtutis præconio Philippus vitiorum labes præclare aut detersit, aut operuit, quum Alphonsum Regem navali prælio ad Pontiam superatum & captum, incredibili benignitate magnitudineque animi non custodia modo liberarit, sed exultum eximiis muneribus, & prægrandi pecunia instructum, ad repetendam Neapolim dimiserit: rarissimo quidem & incomparabili generosæ clementiæ exemplo, si in decerpendæ gloriosæ laudis proventu, superiorum atque eorum, qui postea toto orbe regnarunt, Principum animos nobili B censura metiamur. Superavit etiam Majores suos domestici splendoris munificentia, quum clarissimos hospites acciperet, in queis fuere Martinus Columna Pontifex maximus, cui marmoream statuam posuit, & Sigismundus Imperator ingentibus donis cum universo comitatu liberaliter expletus.

Excessit è vita nondum sexagenarius ex atroci febre, & in multam bilem soluta repente alvo, pridie Idus Augusti, anno à partu Virginis quadragesimo octavo supra millesimum & quadringentesimum, quum circumventus Venetis armis, & Mediolani fere obsessus, Franciscum Sfortiam generum diu antea pro hoste habitum, opportuneque in C gratiam receptum, è Togata Gallia evocandum curasset, ut gravissimis hostibus summæ virtutis atque felicitatis imperator opponeretur. Ferunt eum justo odio contra Venetos æstuantem, diu agitasse animo an Alphonsum Regem genero præferret, imperiique hæredem relinqueret; ut eo inclyti opulentissimique nominis propugnatore, ambitiosæ & præpotentis Venetæ gentis audacia frangeretur: sed amore Blancæ filiæ, quæ jam Galeacium Sfortiam ad spem imperii in agro Piceno pepererat, generum eundemque solenni adoptione filium prætulisse, præcipuis supremi decreti suasoribus Andrea Birago & Petro Pusterla: quum diverso studio Brocar- D dus Persicus & Franciscus Landrianus pro Alphonso contendentes, victique suffragiis, ab sententia popularis invidiæ plena discessissent, multis civium indignantibus, quod pro homine longe omnium humanissimo atque fortissimo, qui jam adoptione filius, Blancæque unicæ Philippo genitæ maritus, atque obiter Vicecomitum stirpi insertus esset, externi sanguinis, ignotæque linguæ, suspecti denique ingenii vir, stultissimo paucorum consilio ad patriæ dominatum vocaretur; quo consilio, brevi colonis Hispanis urbem Mediolanum, totamque Insubrum regionem, ad non dubiæ calamitatis eventum esset repleturus. Fama tamen in vulgus emanavit, exaratum fuisse codicillum, quod prio- E ri testamento subderetur, sed exspirante Philippo priusquam testibus adscriptis obsignaretur, fuisse discerptum: quod usque adeo graviter Alphonsus tanquam maligne & perinique exclusus tulit, ut ea suppressi codicilli jura Alphonsus nepos ætate nostra respiciens, ut sibi totique Italiæ clades pararet, intemperanter adspirarit. Caruit marmoreo sepulchro Philippus, quum in arca lignea aureo contecta panno conderetur: eam in sublimi fornicis intercolumnio sustinentibus tignis supra aram maximam suspicimus: sed in infimo pariete affixum ta- F le carmen legimus:


Clementissimus atque liberalis
Insubrum Dominus, Philippus hic est,
Victis Regibus unico duobus
Qui bello, manicasque compedesque
Levari jubet, in suasque abire
Donatos opibus Lucullianis
Sedes, & sua regna, liberatos
Tetro carcere. Discite hinc Tyranni:
Sunt hæc munera Principum, superbos
Debellare, pios & esse victis.

ARGVMENTVM

DEVOLVTAE HAEREDITATIS MEDIOLAN.

AD AVRELIANORVM PRINCIPVM DOMVM,

breviſſima narratione ex hiſtoriis explicatum.



HILIPPO vita functo, quod in eo Vicecomitum Principum vetuſta progenies à Matthæo Magno ducta defeciſſet, Mediolanenſes in libertatem ſeſe vendicarunt. Nam Barnabæ Principis legitima virilis proles, ex tot liberis atque nepotibus, præter quoſdam ſpurios, tota perierat. Neque Joannes Maria à conjuratis propere ſublatus è Malateſta, neque Philippus ex Beatrice Tenda, nec demum ex Maria Sabaudia plane ſterili, inauſpicatis uxoribus liberos ſuſceperant. Relinquebatur Blanca, quam Philippus ex Agnete Maina nobili concubina ſuſceptam, Franciſco Sfortiæ conceſſa in dotem Cremona collocarat. Verum hæc, quod ſpuriæ nomen præferret, quamquam adſcititio jure legitimam pater feciſſet, paterni imperii hæreditate minime digna putabatur. Ita ut tota ea directo jure poſſeſſio Valentinam Philippi ſororem omnino reſpiceret. Hanc Joannes Galeacius pater Ludovico, Caroli quinti Galliæ Regis filio, nuptui dedit, Aſta urbe dotis nomine conceſſa: ad id quoque ſuperaddita conditione, ut ſi fratres novæ nuptæ ſine liberis decederent, ipſius demum Valentinæ filii legitimique ſucceſſores Inſubrum Principatu potirentur. Sed tabulis eo modo confectis Romani Cæſaris auctoritas deerat, cujus muneris eſſet appellare Principes, Regna dono dare, in clientelam Regulos adſciſcere, & tranſlatitiis hæreditatibus aſſentiri. Itaque ut Valentinæ ejuſque liberis rite caveretur, quod nullus tum ex interregno certus Cæſar exſtaret, altercantibus in Comitio Germaniæ Proceribus, ad Romanum Pontificem eſt decurſum. Is præclare aſſenſu ſuo Cæſaris vices implevit, quod ſupremæ poteſtatis jure rite præſtari poſſe videretur, à ſummo ſcilicet ſacrorum principe, præcipuoque humani atque divini juris interprete, & conditore legum: quandoquidem Cæſar ipſe, qui antiquo Romani Pontificis beneficio, in media Germania ſeptemvirali ſuffragio crearetur, inungendus demum ab eo, appellanduſque Auguſtus, & denique aureo diademate coronandus foret. Cæterum confirmatis eo modo dotalibus tabulis, nonnulli ex ordine Juriſconſultorum Cæſareo nomini impenſe faventes reperti ſunt, qui diſſentire viderentur, ut Pontificem auctoritate ſpoliarent, interpoſita ſcilicet ſubtiliore quadam legis interpretatione, quod nullum omnino jus Pontifici eſſe videretur in transferendis adjudicandiſque Regnorum feudis, tametſi peramplum foret in his litium controverſiis, quæ à præſenti judicio feſtinatæ deciſionis remedia flagitarent. Verum hæc aliquanto cavilloſius, quam probum Juris profeſſorem deceret, inducta, vel hoc uno vividæ rationis exemplo falſiſſima Aureliani cenſere, quum & Delphinatus perampla veterum Allobrogum ditio, & Arelatenſis Provinciæ Regnum, auctoritate Pontificia non dubio tum, ſed certo jure tranſlata atque adjudicata fuiſſe conſtet. Itaque Valentinam Ludovicum con-B jugem, inſidiis Joannis Burgundiæ Ducis apud Lutetiam immaniter interfectum, ſuo fato ſubſecutam, filiis ſuſceptis Galliæ Ciſalpinæ principatum certiſſimo hæreditatis jure reliquiſſe. Quanquam alios prioribus Jureconſultis nihilo doctiores, ſed pudentiores tamen, quod cauſam prioris quæſtionis, de Pontificia facultate, tanquam rejectam paſſim & exploſam deſerant, adinvento diverticulo obliqui tramitis in cauſæ caput deferri; ut in dubium revocare non dubitent, an Valentinæ pater legitimi verique Cæſaris munere Mediolanenſis ditionis Princeps & Dux fuerit appellatus: quaſi Ladiſlaus inſigni ſtudio maximæ C partis ſuffragantium Germaniæ Procerum Cæſar ſalutatus & acclamatus, id liquidiſſima poteſtate præſtare nequiverit, quoniam à Roberto Bajoario pſeudo-Cæſare ſeditioſis armis ex infelici æmulatione peteretur. Id igitur quum facile, tanquam inane commentitii juris argumentum, ab omnibus refellatur, Valentinæ ſua jura probe defenſa relinqui.

Peperit autem Valentina tres mares, Carolum ſcilicet, qui in Aurelianorum Principatu Ludovico patri ſucceſſit, & Joannem Angoliſmorum Regulum, qui hujus Franciſci primi, Galliæ Regis, bellica laude & optimorum ſtudiorum a-D more valde inclyti, paternus avus fuit; & Philippum Virtutis oppidi Comitem, in quem ditionis titulum, Joannes Galeacius ducta Iſabella, Caroli ſorore, nomine dotis vocatus antea fuerat. Tribus quoque fratribus acceſſit ſoror, quæ (quod minime prætereundum videtur) Fuſio in Aquitania nobiliſſimo Regulo nupta, Gaſtonem inuſitatæ virtutis adoleſcentem protulit: illum, inquam, antea imperatorem quam militem, terrificum belli fulmen, in ipſa partæ victoriæ gloria Ravennæ exſtinctum. Cæterum ex Carolo, qui Britannico bello captus multis annis Londini in cuſtodia fuerat, Mariaque Clevenſi, Menapiorum Principis filia, natus eſt Ludovicus, Rex Galliæ, ejus E nominis duodecimus. Is Carolus, audita Philippi avunculi morte, occaſioni minime defuit, quin tranſmiſſo in Italiam cum juſtis copiis Raynaldo Duce, hæreditatem vindicaret: verum à Raynaldo ſtrenuo hercle Duce, ſed valde præpropero, Fortuna nequaquam ſtetit: Alexandria enim ferme tota ultra Tanarum capta, quum oppidum Caſtellacium oppugnaret, eo eventu cum Bartholomæo Colcone, Aſtoreque Faventino Mediolanenſis Reipublicæ Ducibus, prælio decertavit, ut profligatis ejus copiis, fortiter, ſed poſtremo fruſtra repugnans caperetur.

Eo tempore Veneti invalidum adhuc incertæ F libertatis ſtatum invaſerant, ita ut ſingulæ imperii civitates, quum Mediolanenſibus civibus parere ſubeſſeque indignarentur, novos ſibi Dominos quæritarent. Placentini & Laudenſes ſeſe ultro Venetis dediderunt; Papienſes & Derthonenſes Franciſcum Sfortiam recepere; Novarienſes Vercellis proximi ad Sabaudiam inclinabant. Sed Franciſcus Sfortia Mediolanenſium auſpiciis Venetos adortus, expugnata Placentia, Laudeque recepta, ita eorum vires memorabili prælio ad Caravagium contudit,

tudit, ut Veneti maximi periculi metu, & felicitate tanti Ducis perterriti, cum Sfortia pacisci cogerentur; ea tum insidiose oblata conditione, ut si in Mediolanenses arma converteret, ad parandum ex soceri testamento Principatum, ipsi in id bellum validas copias prægrandemque pecuniam conferrent. Itaque Sfortia deterso pudore, in hanc spem à Fortuna sublevatus, quum alienati animi causas prætenderet, illico diremit amicitiam, armaque intulit. Nec multo post, votis ejus vehementer adspirante victoria, Veneti ab eo pari impudentia ad Mediolanenses defecerunt. Sed Mediolanensibus turbide & cruente Rempublicam administrantibus, invicti Ducis virtuti Fortuna comes fuit: nam brevi Mediolanenses armis fameque perdomiti, frustra adjuvantibus Venetis, Sfortiæ se dediderunt. Idem fecere reliquæ civitates: pacatisque demum rebus, Franciscus, ut imperium armis partum Cæsaris auctoritate stabiliret, per Legatos postulavit à Cæsare, ut quod adoptionis jure consecutus esset, Augustali diplomate confirmaretur. Verum quod id multo majore pecunia quam putarat, coemendum foret, Cæsaris munus generose contempsit. Vir enim magnitudine virtuteque animi nemini secundus, ineptum & ab ærarii tenuitate prorsus alienum existimabat, eum dignitatis titulum ex venali membrana ceraque Cæsaris præferre, quem spectata bello virtus & invicta arma detulissent. Galeacius quoque ejus successor paternum secutus exemplum, in ea re comparanda ne mediocrem quidem sumptum faciendum putavit; ita ut primus Sfortianæ gentis Ludovicus id Cæsaris diploma à Maximiliano, quater centum millibus aureis nummis impetratum, ambitiose quæsierit, excluso Galeacii fratris filio: quoniam ipse Francisco patre dominante, hæreditateque potito, natus esset, secus ac fratri Galeacio, apud Firmum Piceni agri nato, educatoque, in privata patris fortuna contigisset; qua natalitii juris prærogativa, ex *Historiis* Cornelii Taciti repetita, fratrem, ejusque liberos, & nepotes antecedere videretur. Ea diplomata impetrata sunt, quum Carolus octavus, Galliæ Rex, ad repetendum ex antiquo jure Andegavensis hæreditatis Neapolitanum Regnum, superatis Alpibus Papiam venit, ut Joannem Galeacium inviseret biduo post moriturum: quo, non sine suspicione veneni, vita functo, Ludovicus patruus desumptis insignibus, Mediolani Dux & Princeps acclamatur. In eo autem diplomate, tanta scilicet pecunia coempto, diserte appositum fuerat, ut ipse, liberique ejus, & successores legitime procreati, Mediolani Duces appellarentur. Subjungit quoque Corius, historiarum Scriptor, huic diplomati ad unguem transcripto, insertoque *Historiarum* volumini, codicillos appositos fuisse, aliqua, ut credi par est, superaddita pecunia, quo benignus ac apprime liberalis Cæsar ad nothos & spurios, si legitima proles interiisset, eadem Principatus jura transferebat. Sed horum solemne exemplar non comparuit, suppressum utique, si exstitit, (quod non affirmaverim) à Ludovico, demum à Maximiliano Franciscoque liberis: at mox exstincto Francisco, in manus Cæsarianorum à Maximiliano Stampa arcis custode ex scriniis Sfortianis traditum; quanquam is, ut nonnulli Sfortiano nomini faventes prædicant, exempli copiam Joanni Paulo, Ludovici ex concubina filio, benigne, sed occulte, fecisse dicatur.

Cæterum non toto vertente anno quum Rex Carolus ex incruenta celerique victoria, ejectis Aragoniis, formidandus evasisset, proptereaque non inani metu ad arma consternati Principes à Carolo discessissent, Ludovicus Aurelianus ab Asta sua urbe promotis regiis copiis Novariam occupavit, ut inde fretus occasione novi belli, cernendæ hæreditatis iter aperiret. Jamque Insubres trepidante Sfortia, ad defectionem animos inclinabant. Sed is conatus ad recte exploratam facilemque victoriam secundo eventu caruit: quum Ludovicus ingenti fœderatorum hostium exercitu post Tarrensem pugnam oppugnatus & obsessus, Novaria excedere cogeretur, Carolo Rege cunctatius atque tepidius, quam oporteret, opem ferente. Verum triennio post, Carolo sine liberis vita functo, Galliæ Regnum consecutus, inito cum Venetis fœdere, Sfortiam vehementi impetu expulit, reversumque demum ex Germania ad Novariam vivum cepit. Eo modo sine vulnere Insubrum B Principatu potitus, quanquam nihil sibi ullo tempore timendum putaret, uti erat eximie prudens, & utramque fortunam probe expertus, quod hæreditate legitima & justis armis vendicatum arbitraretur, auctoritate Cæsaris corroborandum existimavit. Igitur cum Maximiliano Cæsare, qui ex Tridentinis Alpibus ad Benaci lacus fines pervenerat, numerata pecunia transactum est, procurante ejus negotii tabulas Georgio Ambosio Rothomagensi Cardinale in hanc formulam, *Ut Ludovicus ejusque gener ex Claudia filia, Franciscus Angolismorum Regulus, liberique demum ejus & posteri successores beneficiario jure, Mediolani Duces appellarentur.* Verum C Germani Cæsaris Consiliarii in ipso concepti diplomatis contextu particulam trium verborum inserebant, quæ concessionem sine præjudicio alieni juris factam ostenderet, quod Cæsar pudore incolumi prioris diplomatis septennio ante Ludovico Sfortiæ ejusque liberis concessi penitus oblivisci non posset. Aderat tum Georgio Cardinali Giofredus Carlius Senatus Mediolanensis Præses, juris intelligentia clarus. Is ad avertendas ferendæ litis occasiones egregie cautus, eam trium verborum sententiam nequaquam ex usu Regiæ petitionis esse disserebat, quod non exstincta omnino, sed rediviva Sfortianorum jura, non obscure de- D nunciaret. Sed Georgius, ut quoquo modo transigeretur, constantibus in id Cæsaris Consiliariis, ea verba generose contempsit, quum diceret, ipso Ludovico Sfortia patre in Locensem carceris caveam conjecto, filios impuberes, qui apud Belgas in hospitali diversorio inopem vitam traducerent, potentissimo Regi sero litem moturos.

Neque Giofredus in præsentienda lite falsus omnino vates fuit, quando ea demum ambigui ac ideo funesti juris particula non Italiam modo, sed Europam omnem invecto exitiali bello maxime conturbarit. Siquidem Ludovico duodecimo post subactos Ligures, Venetosque terrestri imperio E penitus exutos, ad convellendam Julii Pontificis auctoritatem Concilium Pisis indicente, non aliunde Julius Pontifex quam ex his tribus verbis tuendæ dignitatis occasionem arripuit, ut Maximilianus Sfortia in paternum Principatum reduceretur. Sicuti & Leonem Pontificem octo post annos, eandem belli causam secutum, ut Parmam Placentiamque recuperaret, Mediolano Gallos depulisse meminimus. Non defuere tamen summæ gravitatis Jurisconsulti, qui ea verba tanquam obscure dissimulanterque prolata & descripta in solennes codicillos non perinde valere judicarent, ac si diserte expresseque ad declarandam sinceri F sensus sententiam apposita fuissent, præsertim in gravissimis (ut ajunt) feudorum concessionibus, in quibus aperte & plane scienter ad non dubiam æqui juris intelligentiam cavisse oporteat. Sed hujusmodi controversias vel eruditissimi legum Interpretes nunquam tempestive definiunt, quum magnæ lites non in foro, sed pro castris Marte judice dirimantur. Dedit itaque Franciscus Rex non gravate multis obtestationibus Clementis & totius Italiæ precibus (quod non aliter gravissimo

mo bello finis imponi posset) ut tantisper de jure suo decederet, & Sfortiam regnare pateretur, quem à Cæsarianis Majestatis reum factum, ac impotentibus circumventum armis, paulo ante transmissis auxiliis adjuvarat; ipso præsertim Carolo Cæsare magna tum æquitate moderati animi Franciscum Sfortiam Bononiæ in gratiam, Augustique Imperii clientelam recipiente. Sed Sfortia eo Cæsaris beneficio & Francisci Regis indulgentia diu uti non potuit: repentina enim & inexspectata populis morte sublatus est, ut novas fatalis belli causas aperiret, quo iterum Europa vastaretur.

A


Igitur Rex Franciscus Sfortiana stirpe penitus exstincta, tota ejus ambigui juris suspicione liberatus, à Cæsare, qui tum ex Africa nobili parta victoria reversus, Neapolim Romamque pervenerat, postulavit, ut Mediolanensis Principatus redderetur, qui sibi & liberis præclaro hæreditatis jure, & Maximiliani demum Cæsaris legitima concessione, in non dubiam ditionem obveniret. Verum Cæsar, qui Regiis Legatis aliquam propinquæ, sed nondum maturæ, liberalitatis spem dedisse videbatur, ubi Romæ fuit, opinione Gallorum durior est inventus, usque adeo averso obfirmatoque animo, ut quum Legati Regii inanibus promissis se circumduci, & Franciscum suo legitimo jure fraudari quererentur, Carolus ad Pontificem, Senatumque omnem, & Legatos Principum, orationem haberet, luculentam hercle, sed æquo amariorem; quum pro tuenda dignitate, avertendaque invidia veteris odii memoriam refricasset. Cæterum exitus orationis fuit, ut negaret quicquam se factorum ex voto Regis, nisi Subalpina oppida cum Taurino, Gallicis armis Carolo Sabaudio nuper adempta, redderentur. Agnovere tum plures id esse Cæsariani animi decretum, ut quamdiu arma valerent, ab Italia Gallos arceret; ipseque opportuno atque opulento Insubrum Principatu potiretur. Atque ita non multo post auctus viribus, terra marique Narbonensem Provinciam uno simul tempore Belgicis armis Galliæ inferioris fines invasit, scilicet ut Franciscus domestico oppressus bello, Subalpinæ regionis præsidia deducere, Italicarumque rerum penitus oblivisci cogeretur. Sed Gallis utrinque fortiter suos fines defendentibus, ex eo bello, quod tum frustra susceptum fuit, alia atque alia summæ calamitatis secuta sunt bella; quum violatis induciis & desperata concordia, post afflictas nostras opes, barbaro hosti aditus ad occupandam Pannoniam sit patefactus. Nec hercle sperandum videtur, ut ille fatali nostra socordia factus ingens hoc anno, qui est ab excessu Francisci Sfortiæ, hujus diri belli duodecimus, omnino conquiescat, quin reliquas Pannoniæ Noricique urbes novis illatis cladibus perturbet; nisi Cæsar ad victorias de Barbaris natus, pio generosoque animo recenter icti ad Suessionum urbem fœderis conditiones respiciat, patremque tuum orbatum præstantissimo filio, dejectumque obiter spe pacis, benigne consoletur, adinventa scilicet tolerabili aliqua æqui juris conditione, ut Christianus orbis pace tandem vel sera, ipsius maxime immortali beneficio, perfruatur, & veræ demum summæque laudis & gloriæ trophæa barbarico in solo defigantur.

B

C

FINIS.





JO. ANT. CASTELLIONAEI,

J. C. SACRAE THEOL. DOCT. ET VICARII PERPETVI ABBATIAE S. VINC. IN PRATO,

MEDIOLANENSES ANTIQVITATES,

EX VRBIS PAROECIIS COLLECTAE,

Ichnographicis ipsarum tabulis, recentibus rerum memoriis,

Variis Ecclesiasticis ritibus auctae & illustratae.

AD

ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM,

DD. CAROLVM CARAFFAM,

Episcopum Aversanum, Commendatarium Abbatiae S. Vincentii in Prato Mediolan. & Prioratus D. Albini Viglevan. Apostolicumque Nuncium apud Caesaream Majestatem.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO,

D. D. CAROLO CARAFFAE,

Epiſcopo Averſano, Abbati D. Vinc. Mediol. Præpoſito S. Albini Viglevanen. & S. Sedis Apoſtolicæ Nuncio apud Cæſaream Majeſtatem, &c.

JO. ANTONIVS CASTELLIONAEVS

S. P. D.



AM diu animo verſavi meo, Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Præſul, quanam potiſſimum ratione tot, tantiſque tuis erga me meritis, meæque erga Te propenſiſſimæ voluntati ſatisfacere poſſem. Una ſcilicet ea me cogitatio angebat maxime, quoque me Dominationi tuæ debere plus ſentiebam, eo iniquius ferebam imbecillitatem meam. Ecquis enim unquam vel Te de facie novit, vel ſermones ſuos tecum contulit aliquando, vel à Te beneficium aliquod poſtulavit, aut quæ de tua incredibili humanitate circumferuntur ex aliis audivit, quem non ſibi ſtatim aut tuus nobiliſſimus adſpectus, aut orationis ſuavitas, aut ſingularis munificentia, aut rerum à Te præclare geſtarum repetita memoria, totum devinxerit; ſummo plane beneficii ducentem loco, quod Te intueri, tecum loqui, à Te vel levidenſe munuſculum reportare, de Te digniſſima perſona illa, quam ſumma cum dignitate ſuſtines, audire contigerit aliquando? Quale igitur tanto Præſuli decus afferre poterit aliorum obſcuritas, quale ornamentum inopia cæterorum? Nemo eſt omnium, qui neſciat, quibus Majoribus ortus fueris, quibus cum principibus Italiæ familiis affinitatem inieris, quænam ipſemet pro Reipublicæ Chriſtianæ incolumitate, dignitateque geſſeris, quo loco perpetuò fueris, non tam apud ſanctiſſ. feliciſſ. recordationis Pontificem Paulum V. qui Te ad honorificentiſſimos dignitatum gradus evexit; & apud beatiſſimum fauſtiſſimæ memoriæ GREGORIVM XV. qui Te Cæſareæ FERDINANDI ſupremi totius Orbis Chriſtiani Principis Majeſtati, Apoſtolici Nuncii Titulo aſſidere voluit; quam apud ſanctiſſimum, vereque ſummum ſacrorum noſtrorum Antiſtitem VRBANVM VIII. à quo approbata prædeceſſoris Pontificis mente, in eadem, quam probe ſemper adminiſtraſti, Provincia permanere juſſus es, ut ſperem Te, re bene geſta, brevi tuos dudum humeros ambiente purpura decorandum. Nihil ego ſane aliud habeo, quod Amplitudinis Tuæ meritis, ac virtuti, præter vota publica, ardentius exoptem. Quibus denique clariſſimæ CARAFFAE Gentis ſplendorem muniis in omnibus, tum privatis, tum publicis in ampliſſima Terrarum Orbis Urbe, atque adeo toto fere in Orbe ſartum tectumque defenderis, & defendas. Ea re quo altius tua Te virtus, morum tuorum integritas, ſummorum Pontificum gratia, Majorum ſplendor attollit, eo magis Tibi addictorum vires debilitantur, conatuſque franguntur. Sed enim ingenioſus Amor, & efficax grati animi vis, quod ſibi in nobis ad Te extollendum deeſſe intelligunt, in Te uno reperiri dum vident, tua Tibi ſufficere judicantes, ſtudium ut Tibi ſuum, ſuamque obſervantiam aliis deſtituta præſidiis probent, tuum Tibi ſplendorem, Honores, Titulos, Gloriam, decora, & ornamenta omnia offerunt, ſummiſque à Deo Opt. Max. precibus enixe contendunt, ut

ut eadem Tibi perpetuo felicitet, ac fortunet, dum hos qualescunque labores nostros in honestandis Sacerdotiis tuis, eorumque Memorabiles Antiquitates è tenebris oblivionis quodammodo vindicandis hilariter exantlatos, Immortalitati Clarissimi Nominis tui consecrant, ac sub augustissimis auspiciis tuis lucem in apertam mittunt. FLORILEGIUM nempe istud est tui VINCENTIANI PRATI, quod ut ea fronte, & humanitate excipias, qua res tibi charissimas, & Tuas, etiam atque etiam rogant. Ac ne Amplitudo tua rebus se longe minoribus offendatur, antequam oculos ad alia conferat in ipsa operis fronte nominis nempe Tui splendore consistat. Ita fiet, ut Te ipsum intuens, nostra non intueri non possis, & uti nos amas non amare, ut nostra. Utrumque mihi nunc votum solemne est, cum quo ut felix vivas, bene valeas, ac perannes, vitæ, incolumitatis, & immortalitatis summum largitorem veneror. Mediolani Kalendis Augusti an. MDCXXV.

JO. ANT. CASTELLIONAEI IN FLORILEGIVM ANTIQVITATVM PAROCIAE D. VINCENTII IN PRATO

PRAEFATIO AD LECTOREM.



EMANDATA mihi jampridem Provincia fuit ab eo, cujus nutus habeo pro mandatis, ut Nomina Martyrum Trium, quorum sacrosanctâ Corpora in inferiori D. Vincentii in Pratis Æde lapideæ arcæ commissa, præcipua quadam Mediolanensium religione coluntur, inquirerem, necisque genus, quod Athletæ fortissimi post alia multa pro Christi fide suscepta certamina subiere: Martyrii præterea locum, & diem: Prætores ad hæc, Proconsules, vel Tyrannos, sub quibus laude præclaræ confessionis illustres æternæ gloriæ præmia sunt adepti: modum tandem, ac tempus; quo sacram illam in Basilicam pervenere ab obsita pene situ memoria vindicarem, & quod ejus fieri pro ingenii modulo posset, conatus hac in parte nostros publici juris esse vellem majoris excitandæ pietatis ergo in animis hominum religiosorum. Gravis una quidem ex parte Provincia, & humeris nostris impar: at ex altera talis, ut nisi illam sæpe, ac sæpius constantissime, detrectatam tandem aliquando suscipere decrevissem, inuri mihi jure posse prospicerem non levem pertinaciæ notam, brevique fore, ut frigidæ nimis erga tam eximios cœlites pietatis nomine vapularet is, quem minime, pro ea persona, quam sustinet, decuisset. Quamobrem, eos ut scopulos declinarem, admovi statim operi manum, ac omnia monumenta Patriæ, totamque Ecclesiasticam Antiquitatem conturbare cœpi. Cumque legenti mihi multa, eademque summa animadversione dignissima occurrissent, quæ ad Vincentianam Basilicam facere videbantur, statuebam apud animum meum initio, muneri me satisfacturum meo, si unum illa tantum in corpus suo quæque loco, & ordine redegissem, redactaque misissem ad eum, cujus id urgente imperio præstitissem, eo tantummodo consilio, ut parerem, daremve typis, ac luci eam tantum ob caussam ne perirent. Absit enim, ut mihimet ipsi conscius tenuitatis, & imbecillitatis meæ, tantam me Provinciam aggressum esse profitear, quod inde paratam labori meo laudis alicujus adoream arbitrarer: & si quidem ea me cupiditas incessisset, laudi mihi satis superque duxissem fore, Viro omni genere laudis abundanti morem ea in Sparta gerere potuisse, quam ut adornare pro dignitate nequissem, satis fuisset in ea quippiam voluisse.

Verum enim vero cum isto perfunctus munere pro virili, probataque opera nostra per literas ei, cui perspectam esse maxime cupiebam, meminissem alia præterea me legisse, quæ non tam Basilicam ipsam Vincentianam attingerent, quam ad sacras alias Ædes Parœciæ pertinerent, operæ pretium me facturum duxi, si singula veluti FLORES quosdam hinc

inde collectos ex confusis illis priscæ memoriæ monumentis digererem in peculiares locos, qui naribus admoti Piorum, si non eas recreare, saltem excitare possent ad alios, iis suaviores, in posterum decerpendos in iisdem Hortis.

Placuit ob id igitur Opellam quoque nostram FLORILEGII titulo decorare, collectosque FLORES per FASCICVLOS potius, quam per CAPITA, rejecto trito nimis, atque decantato vocabulo, dispertiri. Brevitas enim, cujus amantissimi semper fuimus, & ordo rerum simplex, ac liber, quem lubentes amplectimur in scribendo, oeconomiam ejusmodi jure sibi suo quodammodo vindicabant; nec aliud sumministrare poterat Nobis adjacens D. VINCENTIO PRATVM, *à quo cognomen cepit, nisi pulcherrimos* GLORIAE *Sacræ pariter, & Prophanæ* FLORES, *quibus & olim abundavit uberrime, & nunc etiam in dies magis ac magis affluit ad commendationem loci. Quid quod Historiam nullam mihi mens fuit conatibus hisce nostris exiguis Posteritati dare; sed iis potius, quibus majores ingenii vires, majoremque copiam facultatemque dicendi Natura largita est, materiam justi serti Historici contexendi quoquomodo per gravissimas curæ & sollicitudinis animorum occupationes possem, subcesivo otiolo comparare; nec isto ex mustaceo tam lauream quærere, quam aliorum laborem, ne ista quærerent, levare studui, ac ne in furto deprehenderer, quorum etiam lectione profecerim verecundia quadam ingenua profiteri. Ideo quæcunque animadversa Nobis in hoc excursu sunt* EX FIDE *non tam* BONA, *quam* OPTIMA *referemus. Ac primo quidem, & secundo loco, quæ de* BASILICA VINCENTIANA *reperimus, ut quæ sacris aliis totius Viciniæ Templis Antiquitate & Majestate præstet, oratione persequemur. Tertio loco Divorum ipsorum exuvias & segmina. Postremo, quæ de antiquo Monachorum Cœnobio, Prædiis ejusdem, & Fructibus, Sacerdotiis, Redditibus, & Jurisdictione literarum beneficio supersunt, & hæc quidem omnia in primæ Sectionis Fasciculis. Ea vero quæ se mihi reliqua de Parœciæ ipsius Prato, cæterisque Sacris ejusdem Ædibus obtulere in secunda Sectione, & sequentibus hac concepta spe, quod etsi magna non erunt, aut usquequaque recondita, tamen ut humiles myricæ interdum, reptantesque per humum lascivi hederarum pampini, & in tabernarum fronte promptæ merces magis quam in penetralibus interioribus, & hypothecis abditæ reficiunt intuentes; sic studiosi Ecclesiasticæ Antiquitatis, nec obtrectandi livore suffusi quæcunque in lucem è tenebris evocata* REI SACRAE BONO *cum aliis communicamus, æqui, bonique consulturi sint, ac si forte fortuna majora cupientibus sua non placebunt mole, grata certe ipsa rerum varietate futura sint. Reperiet enim passim in his Lector non contemnendas venerandæ Antiquitatis Inscriptiones, lapides non vulgares, Elogia clarissimorum Hominum, Tumulos Majorum Cineribus excitatos, & alia ejusmodi priscæ memoriæ monumenta, quæ neminem unquam pœniteat reperisse. Quod si quis adhuc subductioris supercilii Cato eadem parvi facienda duxerit, ut aliunde emendicata; norit is à nobis nullam in hoc opere ingenii, nullam eloquentiæ commendationem quæri, sed aliquod specimen tantum noscendarum Antiquitatum Patriæ nostræ cupidis exhibere, ne dormire in utramque, quod ajunt, aurem videamur. Ita scilicet facti & instituti sumus, ut alienis rerum memoriis potius quam nostris elucubrationibus oblectemur, scientes majoris semper ponderis ac fidei fuisse monumenta Priscorum, quam novas Recentiorum commentationes, modo illæ fideliter (ut certe fiet à nobis) in medium ex ipso veritatis aditu proferantur. Nullam porro afferimus excusationem crassioris styli, cum Historiæ præcipua virtus sit Veritas, cujus sermonem brevem esse decere, nudum, simplicem, & apertum Euripides docet. Nativo siquidem illa suo candore contenta, satis ipsa sibi, superque est, nec peregrinis admodum vestibus delectatur: lenocinia vero verborum, fucorumque pigmenta mirum quantum nervis suis omnibus aversetur, detestetur, damnet. Ecquis sana mente præditus non irriserit eum, qui rejectis rerum ponderibus, ac momentis, malit atramento malo chartis suis illinire ea, quæ solo sono detineant aures otiosas, quam quæ sua majestate impleant, & solentur. Medulla sane mihi rerum pluris semper fuit, quam inanis cortex: nec ullus unquam qui saperet fructus habere cum posset, decerpere recusavit, annosa licet ex arbore, flosculorum amans.*

Veniam certe speramus ab æquis æstimatoribus Digressionum frequentium, ac justo fortassis etiam longiorum. Neque enim scribendi cachoetes nos extra oleas (quod ajunt) adduxit, nec otio abutendi libido nos tenuit: atqui id præstitimus non inviti, ut operi verborum inconcinnitate displicituro, rerum varietate gratiam aliquam conciliaremus, Naturæ rerum ipsarum Parentis exemplo, quæ res ipsas mira quadam inter se varietate distinxit, ut quæ multitudine sua, ac copia fastidio esse potuissent, ipsa varietate placerent. Prævidebam enim fore, ut solius Vincentiani Templi res jugi serie descriptæ tædium omni proculdubio parerent, quod hujuscemodi rerum dissimilium narratiunculis sublatum iri magna ex parte confidimus. Fuit mihi quoque non uno in loco à proposito tramite deflectendum, ut controversias aliquot cum Amicis amice subortas de medio tollerem, quas sub judice relinquendas esse diutius non putabam. Habebunt mihi quidem certe pro hujuscemodi prolixitate gratiam non vulgarem ii, qui res à memoria nostra longe dissitas, ac remotas obviis ulnis excipere consueverunt. Multa enim antiqua, vetusta, semisepulta in hisce digressionibus luci dedimus, quæ circum se fusis è tenebris, tempore nullo fortassis in posterum emersissent; nisi ex illis nostra nunc industria emersissent.

His

His igitur veluti præsidiis communitum FLORILEGIUM nostrum lucem in apertam prodit hilari & serena fronte, qua si, BENEVOLE LECTOR, idipsum exceperis, prope diem fortasse, accipies alia in argumento non dissimili collecta ex eadem manu. Sin aliter evenerit, ipsa nos conscientia juvandi quamplurimos recreabit. Legas Tu tantum velim, quæ præsenti damus EA LEGE, QUA INTER BONOS BENE AGIER OPORTET; EX AEQUO *scilicet* ET BONO *antequam florum nostrorum ex numero quemquam censeas, judices, vel expungas Majorum more. Interim bene vale; & æternum vive, ut Majores ipsos in studio Pietatis, cujus attingendæ studio labor iste noster totus inservit, longo intervallo vincas.*

CENSUS AUCTORUM,

Qui hic citantur, illustrantur, emendantur.

A.

Abbas Panormitanus.
Achilles Mutius.
Acta Ecclesiæ Mediolanensis.
Ado Viennensis.
Ælianus Spartianus.
Afflictat. J. C.
Albericus de Rosate.
Aldus Manutius.
Alexander da Imola.
Alphonsus à Castro.
S. Ambrosius.
Andreas Alciatus.
Andreas Monachus Vallis Umbrosæ, M. S. exstat apud Jo. Jacobum ab Ecclesia.
Andreas Palladius.
D. Anselmus.
Antonius Augustinus.
Antonius Lazar.
Arnulphus, M. S. in Bibliotheca DD. Canonicorum Ordinariorum Metropolitanæ Ecclesiæ.
Audovenus.
D. Augustinus.
Aurelius Prudentius.
Ausonius.

B.

Bagnareæ Episcopus.
Baldus J. C.
Bartholomæus Socinus.
D. Basilius.
Beda Venerabilis.
Benvenutus, M.S. apud hæredes Donati Cuppæ.
Bernardinus Arlunus, M. S. in Bibliotheca Ambrosiana.
Bernardinus Corius.
D. Bernardus Abbas.
Beroldus Major in Biblioth. Metropolitana.
Bonaventura Castellionæus.
Ejusdem M. S. de XI. Episcopis Mediolanensibus in Bibliotheca Metropolitana.
Bonvicinus, M.S. apud hæredes ante dicti Cuppæ.

C.

Cardinalis Zabarella.
Carolus Sigonius.
Carolus à Basilica Petri.
Catullus Poeta.
Catyllianus Cotta, M. S. apud DD. Archintos.
Cæsar Baronius.
Cæsar Franciotus.
Clemens Alexandrinus.
D. Clemens Pontifex Max.
D. Chrysostomus.
Concilium Aquisgranense.
Concil. Cameracense.
Concil. Coloniense.
Concil. Provincil. VII. Mediolan.
Concil. Tridentinum.

D.

Didacus Lopez.
Didacus Stella.
Dio Historicus.
Dominicus Amfossius.
Donatus Bossius.

E.

Epistolæ Decretales.
Epistolæ Ducales, M. S. in Cancellaria Senatus Mediolanensis.
Eusebius Cæsariensis.

F.

Felinus J. C.
Festus.
Franciscus Bernardinus Ferrarius.
Franciscus Cicereius, M. S. in Bibliotheca Ambrosiana.
Franciscus Petrarcha.
Fulvius Ursinus.

G.

Galeotus Martius.
Gratianus.
Gaspar Bigatus.
Gaudentius Merula.
Georgius Merula.
Gottifredus historicus Viterbiensis.
D. Gregorius Magnus.
D. Gregorius Nyssenus.
Gregorius Turonensis.
Gretserus.
Gruterus.
Guidus Vaninius.
Gulielmus Duranti.

H.

Hieronymus Burserius.
Hieronymus Magius.
D. Hieronymus.
Hieronymus Vida.
Horatius Poeta.

I.

Jacobus Andrevetius.
Jacobus Galvaneus, M.S. in Bibliotheca Ambrosiana.
Jacobus Guala.
Jacobus Menochius.
D. Ignatius Episcopus.
Joannes Cuspinianus.
Jo. Maldonatus.
Jo. à Cartagena.
Joannes Molanus.
Joannes à Monte, M. S. DD. Viccecomitum Sexti Calendas.
Joannes Baptista Vicomercatus.
Jo. Franciscus à Basilica Petri.
Jo. Paulus Lomatius.
Joannes Tortellius.
Jo. Vitalis.
Josephus Hebræus.
Josephus Ripamontius.
Isidorus.
Justus Lipsius.
Juvenalis Poeta.

L.

Landulphus à S. Paulo, M. S. Bibliothecæ Metropolitanæ.
Laurentius Justinianus.
Laurentius Surius.
Leander.
Lilius Gyraldus.
Lucanus Poeta.
Ludovicus Romanus.

M.

Martialis Poeta.
Martiniana Chron. M.S.
Mascardus J. C.
Matthæus Raderus.
Metellus Poeta.
Mombritius.
Moyses.
M. T. Cicero.
M. Velser.
M. Vitruvius.

N.

Natta J. C.
Nicander Historicus.

O.

Onuphrius Panvinus.
Optatus Milevitanus.
Ovidius Naso.

P.

S. Paulinus Nolanus.
Paulus Diaconus.
Paulus Morigius.
Peraldus.
Paulus Palacius.
Persius Poeta.
Petrus Brecorius.
Petrus Episcopus.
Petrus Galesinus.
Petrus Casoratus.
Platina.
Plato Philosophus.
Plautus Poeta.
Plinius Cæcilius.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus Ripa.
Polydorus Virgilius.
Polybius.
Propertius Poeta.
Prudentius Poeta.
Philippus Decius.
Philippus Diez.
Philippus Ferrarius.

R.

Rainerius Suoygondanus.
Ripa J. C.
Rodobaldus Ticinensis.
Rolandus à Valle.
Ruinus J. C.

S.

Sabellicus.
Seneca.
Servius Honoratus.
Sicardus Historicus.
Sozomenus.
Speculator Summista.
Statius Poeta.
Stephanardus Dominicanus.
Stephanus Vinandus Pighius.
Strabo Geographus.
Suetonius Tranquillus.

T.

Theodoretus Cyrenensis Episcopus.
Tibullus Poeta.
T. Livius.
D. Thomas Aquinas.
Thomas Cajetanus.
Tristanus Calchus.
Trithemius.
Turnebus.

V.

Valerius Maximus.
Varro.
Vasæus Chronographus.
Venantius Fortunatus.
Vincentius Cartarius.
Virgilius Maro.
Usuardus.
Waldensis.

Z.

Zonaras.

SYNOPSIS FASCICVLORVM
FLORILEGII PRATI VINCENTIANI.

FASCIC. I. *Templi D. Vincentii antiquitas, & origo. Dicatum initio Jovi. Mentio S. Johannis Quatuor Facierum, Bifrontis, & Quadrifrontis Jani; Probi Cominii, formulæ dedicationis ex voto. Conditores ejusdem, & habitatores primi. Deiparæ post dicatum. Primam Euangelii sementem inibi à S. Barnaba videri factam. A quibus, & quando inter Urbis Parœcias numeratum. Inscriptiones ejusdem, & tumuli, qui supersunt, à tenebris vindicati sublato Cottæ dissidio cum Alciato. Unum è* XII. *præcipuis Mediolani Basilicis esse.*

II. *Variæ Templi Formæ. Rotunda-ne fuerit an Quadrata. De aliis quæsitum ordine, præcipue de postrema, in qua Ara Maxima, Confessio, Sacella Minora duo, Baptisterium, Sacra Turris, & campanæ, sacrarium, Picturæ Novæ, ac Veteres. Novenarii Minorumque ejus ergo Numerorum aliquot Mysteria recensita, appictaque ad finem totius Templi, & Parœcialis domus Ichnographica tabella.*

III. *De Sanctis Martyrum trium Quirini, Nicomedis, & Abundii corporibus. Arcæ eorundem primus, & postremus locus. De Confessionibus, & Cœmeteriis obiter. Descriptio Arcæ, & figura. Latentes in ea Martyres jussu Federici Borr. Card. & Archiepiscopi Mediol. visi. Martyrium eorundem, ac palma multiplici carmine celebrata.*

IV. *Rationum momenta* X. *de Translationibus SS. Quirini, Nicomedis & Abundii Mart. Primus ex Pannonia delatus initio Romam, inde Mediolanum ad D. Vinc. Templum. Angilberti tres. Quorsum Crux in Tumulo Giselberti. Jo. Molani sententia ea de translatione, & alterius de tribus Regibus ad DD. Tumulum, repudiata. Nicomedes ad Romana mœnia tumulatus, in Urbe mox ad Catacumbas, ad D. tandem Vincentii Mediolani. Philippi Ferrarii lapsus in eo Cathedrali Parmensi temere tribuendo. D. Abundii & sociorum translatio Mediolanum. Verisimilitudinum vis, & locus. Fama, Traditione, Scriptis publicis, M. S. Codicibus, Diplomatibus, Apostolicis, Picturis, Visitationum Actis, Reliquiarum ipsarum inspectione res omnis evidentissime comprobata. Admirabiles putei ad Sepulcra Sanctorum. Munificentia Longobardorum Regum in S. Ædibus exstruendis. Epilogus verecunda Scriptoris excusatione conclusus.*

V. *Sacra alia Corpora Basilicæ Vincentianæ. Insubrum antiquæ sedes ubi primo conditæ. Urbes olim ad amnes. Ticinensis Portæ commendatio ab accessu D. Barnabæ, Cittadella, publicis locis. Sanctorum sepulcra in hortis. Adeodati plures. Horum quis in D. Vinc. Templo, Quisve Gallianum translatus. Festus ejusdem dies, Tumulus, & sacellum. S. Vinc. reliquiæ, & earum virtus. Inde Templo nomen. Templum ejusdem aliud ad Garumnam. Venantii versus expensi. Illustriora quædam alia D. Vincentii Templa apud Gallos, Hispanos, & Mediolanenses. Vera de Corpore D. Vincentii historia. Sanctorum aliorum Reliquiæ in D. Vincentii Templo. Laus earumdem, & Vincentiani Prati. De cultu, & veneratione Sanctorum, nec non, & Reliquiis, & præsidiis eorumdem.*

VI. *Ex occasione Monachorum Cœnobii D. Vinc. Monachalis instituti antiquitas, etymon, Principes, Regulæ, Lupercorum gens Fabia apud D. Vinc. Cœnobium habitare solita. Sepulturæ genera duo, ritus sepeliendi plures. Lupercos post Euangelii lucem solitarios, Heremitas, Monachos tandem dictos. Vincentianum Templum Beatissimæ Virgini quis dicarit, Cœnobium à quo conditum. Benedictinorum apud Mediolanenses initia, & incrementa. Qui lapsi in assignando Monasterii Monialium S. Vincentii conditore. Vincentianorum Monachorum laus, regulæ, mores, & instituta. Historia de dente, & aureo Altari S. Ambrosii, deque sanctis ejusdem Protasii, & Gervasii Martyrum corporibus, & Heriberto Archiepiscopo quædam. Mediolani exscidium à Rubrobarbo.*

VII. *Cœnobii D. Vincentii opes. Parœciæ fines. Vitriæ origo, cursus, nomina. Cloacæ. Nero. Canosa. Clusia. Cantarana. Coriariorum, & Capucinorum novæ, & antiquæ sedes. Burgatiorum jus, ars, rivus. Vipera Vicecomitum. Vetræ antiquitas. Vecchiabia. Tributarii D. Vincentii. Fabiorum Vicus, & Porta, eorumque adventus Mediolanum. Sarcophagi nomen vetus. Sepulcra rosis spargi, & ornari solita. Molliter ossa quiescant, formula sepulcralis. Hymenæi ad Pontem Fabium statua declarata. Nuptiarum ritus. Vera de eadem statua auctoris sententia. Alia Cœnobii Vincentiani jura. De Præpositura D. Albini, S. Vincentii Vicariatu perpetuo, sacerdotiis SS. Viti, & Xisti, Delubris D. D. Christophori, Catherinæ, Calóceri, & amentium Xenodochio, scitu pleraque non indigna.*

VIII. *Parœcialis Muneris Dignitas, & Origo. Parœciæ cur divisæ, suisque singulæ terminis definitæ. Urbium, & Provinciarum cura Præsulibus: minorum locorum minoribus Sacerdotibus. Mediolanensium Parœciarum numerus major, & minor. Late patens Juris Parœcialis campus, sed à Religiosis Mendicantibus usurpatus. Parochorum nomen multiplex dignitatis plenum. Onus eorundem, conditio calamitosa. Vincentianæ Parœciæ fines undequaque dimensi, & descripti Ichnographica in Tabella. Catholici olim solis in Parœciis humari soliti. Parœciæ Vincentianæ laus variis ab adjunctis, ac præcipue ab artibus auri cudendi, filis superinducendi sericis, ejusdemque ab argento sejungendi.*

IX. *Delubrum S. Christophori ubi, quando, & à quibus conditum ordine quæsitum. In augustiorem formam ex voto à Civibus Mediolanensibus redactum. Qua caussa sint dies duo festi apud Mediolanenses in honorem S. Christophori, & in eis civium concursus ad Templum, ubi Sancti Reliquiæ, & imagines plures. Quædam de ejusdem Sancti die festo, & Templo apud Laudenses, in quo serpentis spina posita. Imago S. Christophori qua de caussa in suburbiis, viis publicis, & extra Templa frequenter picta. Sub titulo D. Christophori Hospitalis domus primum, deinde societas ex nobilibus præcipue viris instituta. Quantitas redditum ejus societatis examinata. Jus Abbatiæ, & Parochi D. Vincentii decreto Archiepiscopalis Vicarii confirmatum in æde S. Christophori, & ejusdem Ædis forma explicata.*

X. *Fani D. Caloceri antiquitas, & fama; primum ex mira fontis inibi scatentis origine declarata; tum Regii diplomatis testimonio confirmata, illustrata deinde ex baptismo D. Secundi peracto in eo ab SS. Martyribus Faustino, & Jovita. Fontis ejusdem situs, Civium frequentia ad illum, sacrum olim ibi Religiosarum mulierum septum. Imaginis antiquæ Beatissimæ Virginis Mariæ ad Servatoris Crucem stantis, prodigii anno* MDXIX. *successi, munerumque ejus occasione datorum descriptio. Procedente ævo societates variæ sub diversis nominibus ibidem erectæ. Postrema Sanctissimi Crucifixi nomine nuncupata adhuc durat, & floret.*

Illu-

Illustrissimo & Reverendissimo,

D. CAROLO CARAFFAE,

Episcopo, Abbati, ad Cæsarem Nuncio Apost. Principi, &c.

Ad Florilegium Mediolanensium Antiquitatum à M.R.D. Jo. Antonio Castillionæo illi dicatum.

CHLORIDIS ROSA NIGRA.

CARMEN

AVGVSTINI TERZAGI,

S.T.D. Protonotarii Apostolici, Canonici Mediol.

ACCIPE *collectos muscoso in margine Flores,*
Quos fœcunda tibi, CAROLE, *fundit humus.*
Num illos Oreades glomeratæ in montibus altis
Virginea in calathis composuere manu?
Naiades aut facto circum vaga flumina ludo
Collegere, levi cum tetigere pede?
Quo [1] *Cephisi natus captus dulcedine formæ*
Bœotias moriens nobilitavit aquas.
Pallentes violas ferulas junxere rubentes,
Dantes puniceis plena canistra rubis.
Florida luteolis vel pinxit janthina calthis
Depicta auratas Anthia Juno genas?
Aut [2] CHLORIS *Zephyro* [3] *vinclo sociata jugali*
Vimineos miscet lilia per calathos?
Illa potestatem florum donante marito
Exercens, aura flante virere jubet.
[4] *Versicolorato tergens circumdata panno*
Portendit varium floribus esse decus.
Qualem Praxiteles [5] *Pario in marmore duxit,*
Et coluit donis Castoris ara frequens.
Circumstant pictis incinctæ vestibus Horæ [6],
Queis alacri præstant ducere fronte choros.
Flora Quirinali veniens è culmine circum
Deserit insigni munere plena manus.
[7] *Dextra cicer, floremque fabæ fausto omine spargit,*
Atque ait, Ædilis nunc mihi sacra facit.
Quos igitur ferat illa tibi, si, CAROLE, *Flores,*
Dat pubes, molles & nova origo crocos?
Germina si florent, mulcet si semina Titan,
Pæstanæ exornant si tua serta rosæ?
Irriguis vernant si candida lilia pratis,
Purpureis & hiant mixta papaveribus?
Non tibi pompa deest decussa cydonia ramo,
Et sibi verbenis Virgo sacella tegit.
Lucifer, & castum culmis aurora ruborem
Inducit, risum non negat orta dies.
Vernat humus, flores & mollia pabula trudit,
Exspiratque modis purpura verna novis.
Non rosa, non Tyrias imitata papavera luces
Desunt, aut Ida quas Venus alma fovet.
Mollia fuderunt blandos cunabula odores,
Hæc Nymphæ calathis dona tulere suis.
Aura CARAFFAEI *hos aluit fœcunda Favonii,*
Antiquum ornavit his sua serta genus.
Sat quoscunque ferunt campi, traxere colores,
Thessala quos magnis montibus ora creat.
[8] *Teutonicis ut primum transplantata viretis,*
Experta est Italos frugibus aucta scrobes.

1. Narcissi in florem mutatio.
2. Pausanias in *Corinth.* Latine *Floridam* vertit, & ejus templum celebrat.
3. Ovid. in *Fastis*, Catullus, Horatius in *Odis*, Floram Chloridem vocant, & Zephyro nuptam fingunt.
4. Versicolor Flora, quia floribus est omnis color.
5. Floræ simulacrum à Praxitele factum in æde Castoris & Pollucis cultum tradit Plutarchus.
6. Floræ comites Gratias facit Ovidius *Fast.* v.
7. In Floræ manu flores ciceris & fabarum, quales Ædilis spargebat in populo in Floralibus ad lætitiam, copiam, & munerum largitatem indicandam. Ita Porphyr. relatus Greg. Gyral. *Syntagm.* I.
8. Familia Caraffa à Germania Neapolim deducta, Ferdinando I. Regi Neapolit. chara.

Cui simul ac varii affulsit clementia cœli,
Spem messis juvit credere, mite solum.
Quippe insigne aliis jussit caput esse tiaris,
Illustres aliis fascibus esse manus.
Accinctis alius laudem quæsivit in armis
Impellens raucis Martia signa tubis.
Fulminat hic bello, hic discordia pectora sedat,
Paceque concordi dissociata ligat.
Imperiis assueti omnes, qui legibus orbem
Instituant, terras qui ditione premant.
Inter tot Proceres series censetur avorum
Plurima, quæ fastos prætereat memores.
Spirat adhuc magni gravitas, & gloria Pauli [9],
Quo duce non ultra gliscit iniqua lues:
Hic Phlegetontæam jussit secedere Erynnim,
Deforme & Stygio condere in amne caput.
SED *quo Musa ruis? melioris carminis auctor*
Hæc canat, hæc alius audeat ore loqui.
Quanquam ô coccineum cum inducet Roma colorem,
CAROLE, *jam vates incipio esse tuus.*
Qua sol cumque suis, me vate, it cursibus, ibis,
Teque immortalem posthuma fama canet.
Nunc quem Flora offert non dedignabere florem,
Phœbæas fas est vinciat ille comas.
Indorum flos NIGRA ROSA [10] *est, quæ condita fulco*
Externo patrias vincit odore Rosas.
Quin teneram sensim detrudens cortice gemmam
Virgulto fructum luxuriante parit.
Hæc tibi sed Zephyris quando melioribus halant,
Singula sub foliis, CAROLE, *signa nota.*
Flos subter fibras inscriptas nomina regis,
Flos, regale apicem cui diadema premit.
Quippe Caraffæum cognomen origine avita
Ducitur, & titulis nobile stemma probat.
Assuetum imperiis, Augusto colla triumpho
Subdere, clamosis tradere jura foris.
Aptum armis, pacique genus, quod terreat hostem,
Fœdere concordi dissociata liget.
Versicolor Flori frons est, natura colores
Quotquot producit, tot ROSA NIGRA *nitet.*
Illic purpureum tunicis ridere ruborem,
Vellera Phocajeo murice cocta vides.
Insigni hic numeras proavos, quos induit ostro,
Queis rerum summam maxima Roma dedit.
Sanguineus micat inde color, Mavortia censes
Pectora, pro patria quæ voluere mori.
Janthina Romuleos reffert in fronde Quirinos,
Queis pressit niveas sacra tiara comas.
Luteolis connubia, & egregios Hymenæos,
Queis Juno accensas subdidit alma faces.
Spem viridis culmus, frons innuit alba pudorem,
Robur cærulei, quæ fluit unda maris.
Florida per varios quot fingitur Hybla colores,
Tot micat, hic totidem nomina scripta legis.
Alta Caraffææ procedit stirpis origo,
Neve virere suo stipite dumus amat.
Ingeniis fœcunda domus, pietatis asylum,
Marte potens, Musis inclyta, chara Jovi.
Stipitibus tua vis, tua vis, gratissima truncis,
Flos monet, ut de te, CAROLE, *vaticiner.*
Mixta ostro, violaque solens inolescere libro,
Prominet, illa tuum, perlege, nomen habet.
Tu Regum sanguis [11] *certissimus, ignea virtus*
Romuleis junctum patribus esse dedit.
Janthina consilio adscivit, dubiisque Quirinis [12]
Censuit, immensis censibus auxit opes.
Fecit ut infuleæ penderet tænia vittæ,
[13] *Præsul, quem flexo poplite turba colat.*

9. Paulus IV. Pont. O.M. fidei Catholicæ propugnator acerrimus.
10. Achilles Statius *lib.* II. Rosam nigram describit, & illius materiam.
11. Carolus Caraffa è domo Aragonia ex parte matris.
12. Paulo IV. & Paulo V. gloriosissimis Pontificibus.
13. Abbas S. Vincentii in Prato Mediol. Prior S. Albini Viglevani Commendatarius, &c.

Vel-

[1] *Vellera sed Tyrios tibi mox incocta rubores*
De Capitolio culmine Roma parat.
[2] *Mitteris Augusto patris ut mandata reportes,*
Et discat dociles nuntia virga manus.
Socraticis pollens studiis, multoque redundans
Eloquio, Ausonii fama secunda fori.
Pieriis fervens opibus, quem candida Pallas
Fertur Cecropios edocuisse sales.
Qui sedare queat, sævas si exerceat iras
Cæsar, qui dictis aspera corda domet.
Cujus possesso mens est opulentior auro,
Nec cui munificas arca negavit opes.
Par donis, librisque manus, cui Cynthia compsit
Formam oris, similis cætera Mercurio.
Debueram florem, Florem accipe, CAROLE, *sertis*
Insere nunc, CHLORIS *claude vireta, sat est.*

1. Episcopus Aversæ in Agro Neapolitano à Paulo V. Pontifice.

2. Nuncius ad Cæsarem missus à Gregorio XV. confirmatus ab Urbano VIII.

IN FLORILEGIVM
MEDIOLANENSIVM ANTIQVITATVM
ERVDITISSIMI VIRI,
D. JO. ANTONII CASTILLIONAEI.
Ad Illustrissimum & Reverendissimum,
D. CAROLVM CARAFFAM,
Ad Cæsarem Nuncium, &c.
AVGVSTINVS TERZAGVS,
S. T. D. Canonicus Mediolanensis.

ERIPIS *obscuris tumulata arcana sepulchris,*
Et mansura pio carmine Templa canis.
Marmora, aquæductus, collegia, fana, colossos,
Pegmata, Divorum busta, theatra, vias.
Expandis veteres ritus, miracla recludis,
Et nova quas moles, quas vetus urbs coluit.
Exegit liber hic monumentum firmius ære,
Inque labore tuo fama perennis erit.
Auspice te æternum pubescent, CAROLE, *Flores,*
Quod tibi nec Lethe, sæcla nec ulla nocent.

Ad Illustrißimum & Reverendißimum,
D. D. CAROLVM CARAFFAM,
Episcopum Aversanum, & apud Ferdinandum Cæsarem sanctæ Sedis Apostolicæ Legatum.

VIRTVTVM *Flos alme, Virûm Flos, alme* CARAFFA,
Gentis honos, Famæ gloria, pompa soli.
Orbis uterque tuæ dudum circumdare fronti
Serta parat lecti quidquid utique legens:
Lectius at nusquam nil quam quod floret in Hortis
VINCENTI *cernens, hinc tibi serta legit.*
Seligit & lectos lectis è floribus omnes
Antoni culta sedula cura manu.
Quidquid id est Pater alme tibi sine tempora circum
Nunc eat, & magni muneris instar eat.
Hæc tibi nata domi debentur: Florea serta
Par erat, & floris fronte locare novi.
Roma tibi majora parat, te suspicit illa,
Teque vehunt geminæ jam super astra Aquilæ.

Clariss. Vir Felix Osius S.T.D. & Artis Orat. Interpres Pub. in Gymnasio Patavino.

A D
JO. ANTON. CASTILLIONAEVM
V. R.
Amicorum suorum antistitem,
ET FLORILEGII
MEDIOLANENS. ANTIQVIT.
eruditissimum Auctorem.

QVALIS *apes æstate nova per florea rura*
Ducit amor mellis, mellis amore labor:
Vincenti talis te per florentia Prata
Ducit amor laudis, laudis amore labor.
Floribus hinc fidens variis, populatus amœni
Veri opes dio nectare plenus abis.
Floreus Antoni sis omnis, melleus omnis.
Mel sedet hinc scriptis, flos nitet inde tuis.
Mella sed ipsa tibi, tibi se flos subjicit omnis.
Tu mage melle places, tu mage flore nites.
Idem Osius in amoris & observantiæ tesseram.

Clarißimi & eruditißimi Viri,
LAVRENTII PIGNORIAE,
Historici Patavini,
Antiquitatum omnium peritissimi,
EPIGRAMMA,
Ad eundem
CASTILLIONAEVM.

INCLYTA *quæ Patriæ profers monumenta Joannes*
Antoni, cæcis eruta de tenebris;
Nunc tandem augusta per te dum luce fruuntur,
Hæc minime mutis vocibus ingeminant:
Dii facite, ut præsens plausu quod comprobat ætas,
Hoc amplexetur candida posteritas.

Clarißimi Viri,
HIERONYMI BOSSII
TICINENSIS,
ET
ROMANI PATRICII,
ATQVE
In Palatina Mediolanensi Academia Regii, & Primarii Eloquentiæ Professoris,
SYMBVLEVTICON,
AD
JO. ANTONIVM CASTILLIONAEVM,
J.C. Philosophum, & Theologum Mediolanensem,
Ut suum edat Florilegium
MEDIOLAN. ANTIQVITATVM.

NIL *juvat,* ANTONI, *patriæ decus, inter amicos*
Moribus & genio semper habende meos,
Nil juvat è tenebris ANTIQVOS VRBIS HONORES
Eripuisse tua, si tua scripta latent.
Quin ea dum celas, obscura in nocte videris
Cum proprio patrium contumulare decus.
Inque tuos Cives, & publica commoda, peccas,
Sic uno facto, sic tibi & ipse noces.
Quare age, rumpe moras, quascunque Modestia nectat,
Somnia confingens vel timor ipse struat.
Jam sine, terrarum cunctas cum Sole recurrant
Ut scripta, Aonio melle referta, plagas.
Neve tibi æterno florentem nomine Famam
Invideas, nomen ne tibi, quæso, neges.
Si tua tam variis sunt sparsa volumina rebus,
Tam culti eloquii lumine sique micant,
Quam mihi, judicio præstans, SOLARIVS *olim*
Prædixit librum sæpe nitere tuum,
Quam simul, ingenio florens, BELCREDIVS *acri*
Testa-

Testatus vero non semel ore fuit,
Quam Phœbi & demum Clarii firmavit ocellus,
OSIVS, *est Charitum qui decus ore trium:*
OSIVS *ille meus, censura maximus æqua,*
De cujus dictis est dubitare nefas;
Cur differs tantum doctos emittere fœtus?
Ac jam cur potius mittere non properas;
Instar Phidiaci signi tua scripta placebunt,
Nec carbonis erit cur vereare notas.
Si tam præclare solers monumenta polivit
Ars tua, & ingenii Dædala cura tui,
Archilochi poteris dentatam spernere sannam;
Nam Momo facies tu, mihi crede, satis.
Nec nisi mirari poterunt te, spargere semper
Qui sale nigranti facta aliena solent,
Invidiæ ac stimulis rumpentibus ilia, morem
Mutus erit contra Zoilus ipse suum.
Teque viri eximia tollent ad sidera laude,
Qui in studiis nasum Rhinocerotis habent.
Eja age, rumpe moras: jam tardum dicere, mittam,
Esse puta; tardum dicere, mitto, puta.
Hoc cupio dicas: emisi in luminis oras,
Inque manus hominum, quo relegatur, opus.
Sed retices? chartas nec vis proferre loquentes
Clare adeo patriæ secula cana tuæ?
Excudi has CIVES *rogitant,* VRBS *optat in iisdem*
Prisca videre sui qualis imago fuit.
Si vero lepidi communis gloria scripti
Est tecum patriæ, Civibus atque tuis:
Tertia si POPVLO *pars,* VRBI *tertia jure*
Etsi debetur, tertia sola tua est.
Vnus nanque potes juste pugnare duobus,
Supprimere ac CIVES *quod, simul* VRBS*que petunt.*
Tu tamen injustus patriæ (mihi parce) severus
Ac in te nimium, tu dare scripta fugis.
Eja age, quæso, rogo, nobis monumenta liquore
Oblita nectareo jam dato, quæso, legi.
Flectere si nequeo at precibus te, carmina mentem
Immotam ac nequeunt flectere nostra tuam,
Voce quiritabo, feriet quæ sidera cœli,
Atria quæque sono Cæsaris alta petet.
Audiet inde meas voces CARAFFIVS, *heros*
Herculeum ducens ab Jovis arce genus,
GREGORII *qui sancta Patris dum jussa capessit,*
FERNANDO *retinet vocibus ora suis.*
Is VINCENTIANI *coget decora inclyta templi*
Te vulgare sui, te dare & illa typis:
Quæ quum sint Operis pars magna, & prima, resurgent
Conjuncta his Patrii tempora prisca soli.
Divinæ sed mentis opus si nobile volvi
Doctorum manibus tu patiere virûm.
Ipsa recognoscet Veteris Vestigia Formæ
Vrbs, Circum, Herculei *magna* Lavacra Lacus,
Duplicis *&* Muri *speciem cum mole* Theatri,
Atque PALATINAE *tecta sacrata* Scholæ.
Mox quoque majorum cognoscent splendida cives
Facta, per eximios concelebranda modos,
Quæ simul & cupient iidem renovare, parentum
Se dignam ut sobolem laudis honore probent:
Et qui scripsisti, quæ non Bugacius acer,
Quæ non Murigius, Calchius atque, notant:
Quique Operi titulum Lecto de Flore *dedisti,*
Per quod majorum FLORIDA *gesta refers,*
Æternos fructus, æternæ præmia laudis,
Dum relegetur Opus, non moritura leges.

EJVSDEM BOSSII AD EVNDEM CASTILLIONAEVM

EPIGRAMMA.

MITTIT *Flora suis quotquot fragrantibus hortis,*
Ipsa legat Flores perniciosa Venus.
Nam minio quoties ornant hi tempora, fœdo
Illicio turpant corda pudica virûm.
Quos pia sed Flores, ANTONI, *cura paravit,*
Mnemosynes ductu, CIVIBVS, *&* PATRIAE.
Lætus utraque manu carpat, qui secula nosse
Cana studet, priscis moribus atque frui.
Improba quando Venus cinget sibi Flore capillos,
Florea scripta legens is bene cinctus erit.

IN FLORILEGIVM

CLARISSIMI VIRI

JO. ANTONII CASTILLIONAEI,

BENEDICTI SOSSAGI

ELEGIA.

O *Mihi perpetuo memorandum Patria nomen,*
Virtutum celebrat quam veneranda cohors,
Cujus opes avidum stimulant descendere Gallum
Alpibus, expertus nostra sed arma tremit,
Cujus agri Siculæ valeant contendere glebæ,
Et Libyca vincant fertilitate soli,
Quæ faciles Marti populos, facilesque Minervæ,
Pectoraque ingenuis artibus apta creas,
Quamque triumphale submissis fascibus urbes
Finitimæ accepto jure fatentur heram,
Æmula Romanis fueras, quæ viribus olim,
Æmula nunc vera relligione magis,
Vt Divûm cultu cœli mereare favorem
Addita cœlitibus numina vera probant.
Tu belli sortita Duces, tu lumina pacis,
Tu felix oleæ, laurigerisque comis,
Accipe dilecti lectissima munera civis,
Cui fons Castalius nomen habere dedit.
Ille tuos Orco veteres avertit honores,
Eripuit tenebris nomina multa Virûm.
Quid non annorum fatalia vulnera sentit?
Ipsa sibi fati tempora lege nocent.
Cætera dum vastat tacitis perit ictibus ætas,
Dumque mori properat, cætera mole trahit.
Nec parcit gemmis Indo de littore vectis,
Dumque damnoso marmora dente vorat,
Ipsa vorat rerum consumptrix æra vetustas.
Exæquatque humili mœnia celsa solo.
Heu veteris funus Romani ducite Romæ?
Exstinctæ cineres Vrbis ubique jacent.
Quid loquor ah demens? vestigia nulla supersunt;
Si qua tamen restant: dissipat illa dies:
Ac nisi docta manus reparasset damna, ruinæ
Vix sonitum audires, nullaque Roma foret.
CASTILIONAEVS *cæca nisi nocte sepultam*
Vindicet, infelix patria nulla fores.
Ipsa renascuntur Divorum templa per illum,
Et vivunt tumulis nomina sculpta suis.
Ipsi nobilium manes, vulgusque silentum
In lucem illius nunc revocantur ope.
Cerberus Alcide vacuas cogente per umbras
Miratus triplici dicitur ore jubar,
Ipsa regustavit fugituras luminis auras
Carminibus blandi conjugis Eurydice,
Et duro implicitus somno post fata, recepit
Amissum medica Virbius arte diem.
CASTILIONAEVS *Veterum miracula vicit,*
Res tenebris mersas qui latitare vetat.
Certe illi fatum semel evasere, sed omnes
Rursum egit Stygius trans Acheronte senex,
Ast hic, nobilibus nomen quo reddidit umbris,
Casurum nullo tempore fecit opus.

AD EVNDEM
CASTILLIONAEVM
JACOBI PHILIPPI OPICELLI,
Canon. Theologi Cathedr. Dertonensis,
EPIGRAMMA.

QVAE *dudum vasto conduntur in æquore merces,*
Per summas rursus nare tueris aquas.
Artus belua norat, partem satiata relinquit
Intactam, cujus vita diurna manet.
Sed quæ lethifero consumunt tempora morsu
Morte sub æterna, contumulata jacent.
Tempus edax rerum, cum rebus nomina mandit
Ingluviem vincens æquoris atque feræ.
Tu priscos cineres extractos faucibus Ævi,
Ad lucem revocans, Hercule num minor es?

Ad Virum Clarissimum,
JO. ANTONIVM CASTILLIONAEVM
DE FLORILEGIO,
PETRI JACOBI
Arrigonii Theologi
CARMEN.

AEMVLA *Cælestes imitatur Subria partes,*
Persimilique suas mutat honore vices.
Nox simul umbrarum tentoria fixit Olympo,
Oceanoque ruens abstulit omne decus.
Illa tenebrarum species horrenda minatur
Rursus in antiquum cuncta abitura Chaos.
Stellantes Titan educit in æthere Flores,
Sydereæ in tenebris tunc reteguntur opes,
Conciderantve comis nimio quæ arentibus æstu
Florea terræ Idem sydera rore fovet.
Sol facit hoc absens aliis dum lumina terris
Spargit; obire una munus utrumque potest.
Floribus Insubrum offusa caligine, eorum
Vix ullus splendor conspiciendus erat.
Jam decora anguigeræ tempus protriverat Urbis,
Squaluerat patrium jam sine flore solum,
Obruerat decus omne umbris oblivio cæcis,
Primus ut haud Lapso surgere posset honor.
Tu decus, Antoni, rerum, cælique sacerdos,
Idem flos Hominum, floribus Almus ades.
Tu reparas melior patrii ornamenta nitoris,
Optataque iterum luce micare jubes:
Summorum quamvis tenearis mole laborum,
Ut te sacrorum plurima cura premat.
Non pateris tu nocte rapi, tu lumen eisdem
Fundis, & inflammas splendidiore face.
Non Phaetontea hi paveant incendia flores,
Non trepidentve ipsas Deucalionis aquas.
Ergo tota canit proprium te Subria solem,
Sole coruscanti non minor ipse micas.
Quod tua mortali solertia vindicat ævo
Ære magis stabit, pyramidumque situ.
Hoc Jovis, hoc rabidi violenta temporis ira,
Hoc majus fatis, astra tuentur opus.

IN
JO. ANTONIVM CASTILLIONAEVM
PRAESBYTERVM
DE SVO FLORILEGIO
MEDIOL. ANTIQVITATVM,
R. V.
D. AVGVSTINVS LAMPVGNANVS.

DITARVNT *auri quosdam nova pondera fulvi,*
Et fit dives opum, qui modo pauper erat.
Tu longe, ANTONI, *tibi nobiliora metalla*
Effodis, & ditas teque, laresque tuos.
Eruta terrarum sunt imis illa fodinis,
Sed tua Pieridum flumine ducta nitent.
Hæc parit ingenium, Natura sed illa ministrat,
Corpus ut illa ornant, sic animum ista beant.
Fluxa illa, & variis semper subjecta periclis,
Hæc firma, & nullo diripienda dolo.
Ocyus illa vorat tempus, rapiuntque latrones,
Hæc tuta, & semper non moritura vigent.
Hinc tibi divitiæ cedant Crœsique, Mydæque,
Divite quippe omni ditior unus abis.

AD EVNDEM.

AVIA *quum legeret Siculos Proserpina flores,*
Tartareo cessit præda repente Jovi.
Vincenti legis in pratis dum quidquid ubique
Florum est, non raperis; corda sed ipse rapis.
Longe alios flores, alia tu colligis arte,
Meme alia, atque alio Numine cura Deûm.
Macte. Tui rapiunt si flores corda Virorum,
Quas Superûm prædas fructibus auctus ages?

Vincentius Castellionæus è Mediolanensi
selectorum Causidicorum Collegio.

AD EVNDEM
CASTILLIONAEVM,
Vicarium perpetuum Abbatiæ S. Vincentii in Prato vigilantissimum.

LVCIDA *ne pereant Urbis monumenta paterna,*
Castelionæus stemmata clara novat.
Quod patriam repares descripta volumina monstrant,
Nobile narrat opus temet avosque tuos.
Ecquis enim tua serta legit, qui nectare plenum
Et dulci Ambrosiæ non fateatur opus?
Cœlestinus oves ut cæli ad pascua duxit,
Purpurea cinctus chlamyde Branda fuit,
Ut posuit toti leges Guarnerius Orbi,
Insubrum sedes sic Bonatura dedit;
Tu Castellionæus eorum germine natus
Tot simul, & patriam lucida imago refers.

JO. BAPTISTA GVALA,
Artium & Med. Doct.

AD EVNDEM
HISTORICVM, ET POETAM.

HISTORICIS *fœcunda domus, fœcunda Poetis*
Jam redit in priscum te duce læta decus.
Historicum tu quemque præis, tu quemque Poetam,
Queis tua se quondam vexit ad astra domus.
Sic veterum monumenta legis, sic carmina condis,
Quisque tibi ut Vates cedat, & Historicus.

SEBASTIANVS MARTIGNONVS,
P.S. Sebastiani.

Ad Illustrem perque Reverendum,
D. JO. ANTONIVM CASTELLIONAEVM,
S. T. ac J. V. D.
VINCENTIANAE BASILICAE
Laudes typis mandantem,
EPIGRAMMA.

OSSIBVS *imposita extollit miracula Memphis,*
Non quia busta premunt, sed quia celsa micant:
Ossibus hæc sacris, quæ laudas, templa refulgent,
Pignus honos illis; non quia celsa micant.
Ossa tamen vivant, vivat tamen hocce volumen,
Non fuit hac major gloria pyramidum.

HIERON. PVSTERLA.

JO.

JO. BAPTISTAE SITONI

IN

FLORILEGIVM ANTIQV. MEDIOLANENSIVM D. JO. ANTONII CASTLELIONAEI LVSVS.

Ad tempus Epigramma.

IMPERII *retines Insignia sæva rapacis?*
Nil poterunt posthac: abjice cane Senex.
Castalio docti lapsus de vertice Montis
Numina magna gerens Castilionus adest,
Urbis qui solers nostræ, & monumenta Parentum
Prisca legens cæcis eripit è tenebris,
Quæ tacitum lenta consumere morte parabas.
Sic Heros vires deprimit iste tuas.

Ad Mediolanenses Tetrastichon.

GAVDETE, *Insubres, festivos tollite plausus;*
Vivit adhuc vestræ rarus honos Patriæ:
Hunc celebrate Virum, dignas & solvite grates,
Hæc luci Veterum qui monumenta dedit.

De Veritate dictorum Distichon.

Ipse suos lædat Veteresne Zoilus audax,
Conticet: incolumis Castalionus abit.

Tetrastichon.

Naturam hic hominum prudens dum percipit unus,
Naturæ instinctu noscere quod cupiant,
Egregium hunc mundo Florem patefecit aventi,
Quo licet antiquum scire decus Patriæ.

Aliud.

Quo te Castalidum decus æquo nomine dicam
Castilione magis, quam Pater ô Patriæ,
Qui Patriæ clemens antiquos Urbis honores
Erigis, & calamo, ne pereant, vigilas?

Aliud.

Majorem, Antoni, dicam te jure Camillo,
Gallorum è manibus sustulit ille semel
Romam: sed Patriæ sexcenta per æva manebit
Per te mundivagum Castilione decus.

Epigramma.

Trucia Germani quondam arma, iræque feroces
Induperatoris quid potuere feri?
Quid nostram Victori evertere profuit Urbem?
Quidve solum sterili mox operire sale?
Fulgida adhuc vivunt veterum monumenta Parentum;
Splendidiorque nitet priscus honos Patriæ.
En solus reficit calamis Antonius Heros,
Armis Germanus perdere quod studuit.

JOANNIS VILLAE,
J. V. Doctoris,

AD

LECTOREM

CARMEN.

FLORIBVS *intextum radiantibus undique, Lector,*
Tradimus, ecce, tibi CASTILIONIS *opus.*
Miraris? frons ipsa docet, si vera loquuti.
Collige: nec pigeat: plurima serta dabit.
Aurea Prata colit Magni VINCENTIS *Iberi:*
Hinc tibi tot flores CASTILIONVS *habet.*
Qui licet arescant hyberno frigore passim;
Hos tamen irriguos versa tenet PHIALA.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

IN hisce Carminibus digerendis, ne locus ullus esset reliquus quærimoniis eorum, qui sibi primas non deferri ægre ferunt, ex literarum serie, ac sorte, ea digerenda censuimus. Quod si quædam postremo, quæ priore loco erant collocanda, excusa vides, ea non ut deteriora, sed ut minus opportune exhibita posthabita fuisse noveris.

JO. ANT. CASTELLIONAEI
FLORILEGIUM ANTIQUITATUM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.

SECTIO I.

Fascic. I.

Templi D. Vincentii antiquitas & origo. Dicatum initio Jovi. Mentio S. Johannis Quatuor facierum, Bifrontis, & Quadrifrontis Jani; Probi, Cominii. Formulæ dedicationis ex voto. *Conditores ejusdem, & habitatores primi. Deiparæ post dicatum. Primam Euangelii sementem inibi à S. Barnaba videri factam. A quibus, & quando inter Urbis Parœcias numeratum. Inscriptiones ejusdem, & tumuli, qui supersunt, à tenebris vindicati, sublato Cottæ dissidio cum Alciato. Unum è* XII. *præcipuis Mediolani Basilicis esse.*



A**ctvri** de Basilica Vincentiana principe, quemadmodum nos facturos esse ostendimus in Præfatione, loco, divinam, uti par est, opem implorabimus, sic edocti, esse à Deo Opt. Max. actionum nostrarum omnium primordia capienda. Hoc igitur uno auspice scriptionis ducemus initium ab eo, cui conditi Templi debetur honos, ne tantæ rei memoriam oblivio deleat, magnis actionibus ut plurimum inimica.

Et licet quinam primus omnium Templum Divo nvnc Vincentio Levitae ac Martyri nuncupatum exstruxerit, ignoremus, cum nihil omnino ea de re certi prodiderint veterum Historicorum libri: illud sane uti verissimum constat, Templum hoc (si primam ejus originem recolamus) Jovis olim cultui dedicatum, locum inter cætera principem tenuisse, non solum ex communi fama mentiri nescia, verum etiam ex antiquissimis monumentis. Ejus autem conditorem Patricium Virum aliquem Romanum fuisse crediderim, sive cum Regiones nostræ subactæ armis in Populi Rom. potestatem redactæ sunt, ibi forte parta de Gallis victoria: sive cum Urbs nostra, viribus alienis oppugnata, succubuit dicato Jovi Templo ex eorum Voto, qui vicerant; cum ancipitibus in præliis Romanos olim Templa sæpissime vovere solitos fuisse, testis sit passim locupletissimus Romanæ parens Historiæ T. Livius: sive cum eædem Regiones accepta Provinciæ forma Proconsulis mox, vel Proprætoris alicujus imperium excepere. Fieri nempe potuit, ut tum Proconsul, vel Proprætor aliquis isthuc cum imperio missus, Templum hoc Jvvanti Nvmini consecraverit ad novi Imperii firmamentum contra Transalpinos Gallos, ad ornamentum Urbis, & decus, ad imitationem, & exemplum Patriæ suæ Dominæ Gentium, ac Terrarum. Quemadmodum enim Principes Romanæ Reipublicæ Viri Mediolani labentibus annis loca quædam publica oblecta-

C tioni scenicæ, vel honestæ Juvenum exercitationi intra Urbis ambitum exstruxerunt, cujus argumento sunt Capitolium, Circus, Amphitheatrum, Compitum, & alia ejusmodi Romanæ Majestatis amplissima monimenta, quorum nunc prisca nomina sub nova Templorum specie latent: ita temporum illorum usus obtinuit, ut extra Urbis mœnia sacras divis ædes conderent, quos sibi in Tutelares & Præsides eligebant. Idcirco Jani Fanum juxta veterem mœniorum Urbis circumscriptionem foris erat ad Novocomensem Portam, ubi nunc Ædes S. Joannis cognomento *Quatuor facierum*, Jani nomine abolito, non figmento. Neque enim Bi-

D frontem tantummodo Janum Antiquitas gentilitatis oppressa tenebris venerata est, qualem in Fonteiorum antiquis formatum Denariis videmus, quorum ecce tibi nunc speciem repræsento, cum ipsa vulgata Denarii nota ✳, nec non aliis similibus, valoris, & ponderis unciarum o o o o, & pro Q. li-



E tera Magistratus, quem C. Fontejus gerebat cum hujusmodi cudi jussit. Litera T, quæ Trientis ibidem est nota, juxta interpretationem Stephani Vinandi Pighii in charactere lib. viii. *Annalium Romanorum.*

F Sed etiam Quadrifrontem; ac Bifrontem quidem ob caussas non vulgares; vel enim propter exitum veteris Anni, & ingressum novi, qui in Jani tutela credebatur esse, pingebatur Bifrons, cujus ergo non solum primo Anni Mensi nomen Januarii dedit ex Ovidii mente lib. *Fast.* i. sed etiam *Fastorum Genitor, & Parens* ab Epigrammatario *lib.* viii. *epigr.* ii. dictus est, quod Fasti per annos singulos scriberentur, initio ab ipso primo Mense ducto, à quo subinde nomen Annus alius, atque alius capiebat:

Fastorum Genitor, Parensque Janus.

Et *lib.* x. *epigr.* xxviii. *Annorum Sator, & Mundi:*

Annorum, nitidique Sator pulcherrime Mundi,
Publica quem primum vota, precesque canunt.

Et ab Ovidio:

——— ——— — *Anni tacite labentis Origo.*

Vel

Vel ne Cœli Janitor, qualem illum esse Romani sibi persuaserant, Janum suum in primo Mobili collocantes ex Aboriginum religione prisca tanquam Deorum Deum, ac Principem motuum, & actionum, quemadmodum ipse de se sic memorat apud Ovidium in supra *laudato loco:*

Me penes est unum vasti custodia Mundi,
Et jus vertendi cardinis omne meum est.

Et paulo post:

Præsideo foribus Cœli cum mitibus Horis,
Et redit officio Juppiter ipse meo.

Ne, inquam, Cœli Janitor in ipso Cœli limine consistens flexu cervicis tempus perderet: sed cernere non moto corpore bina simul, præterita scilicet, & futura; ortus, & occasus; fines, & exordia; quæ intus, quæ foris fierent; Eoas partes, & Hesperias posset, ut ipsemet *ibidem* subdit his versibus:

Utque sedens primi vester prope limina tecti
Janitor egressus, introitusque videt;
Sic ego prospicio cœlestis Janitor aulæ
Eoas partes, Hesperiasque simul.
Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita secta vias.
Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.

Idque adeo persuasum Romanis illis fuit cœca, veræque lucis orba superstitione seductis, ut nefas esse ducerent quid serii, magnive, sacrificium etiam aliquod inchoare non prius invocato Jano, quasi is factu facilia redderet, fortunaretque facienda quævis. Hinc Tullius lib. II. *de Nat. Deorum* sic ait: *Cumque in omnibus rebus vim habeant maximam prima, & extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est deductum. Ex quo transitiones perviæ Jani, foresque in liminibus profanarum ædium Januæ nominantur.* Hæc ibi Tullius. Cui eleganter admodum apud supra celebratum Vatem Janus ipse adstipulatur, cum roganti Poetæ cur primis Anni novi Kalend. Januariis scilicet ab eo dicti, læta cuique verba faustaque precari invicem solerent:

Omnia principiis, inquit, adesse solent.

Vel demum propter societatem conjunctionemque duorum populorum, quam ob caussam bifrons illi simulacrum Romulus, & Tatius, pactis inter se fœderibus, confecerunt primi; Numa vero Templum circa Argiletum imum, juxta Theatrum Marcelli, cujus Portæ duæ, quas legitimum erat aperire cum bellum esset, in pace vero claudi, ut apertis, in armis esse Civitatem; clausis vero, pacatos circum omnes esse significarent inter duo Fora. Ac de Templo quidem, & ejusdem Portis testes sunt Plinius *lib.* VIII. ubi de Silii Consulatu cum ait: *Erat sacellum totum ex ære constitutum quadrata quidem dimensione; tantaque amplitudinis, quanta Jani integri statua poterat ænea quinque pedalis capi, capite dumtaxat Bifrons, portæ utrinque æneæ, quæ Pacis tempore claudebantur, instante autem Bello aperiebantur, vocabaturque Janus Geminus.* Et Ovidius in *Fastis:*

Omnis habet geminas hinc atque hinc Janua frontes;
E quibus hæc populum spectat, & illa Larem.

Quam ob caussam etiam Janum ipsum paullo ante induxerat se modo Patulcium, modo Clusium appellantem:

Nomina ridebis: modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.

De duplici vero Foro adjacente Templo idem *ibidem* Tomitanus Vates non multo post ea de re Janum interrogans:

Cum tot sint Jani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi Templa foris juncta duobus habes?

A Uti ex responso Jani de Templi conditi caussa, & Tatio conditore:

Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Protinus Oebalii rettulit arma Tati, &c.

Atque his quidem de caussis Bifrontem effingebant Janum veræ fidei lumine destituti. Subdam nunc caussas quadruplicis faciei, ac præcipue duas. Una fuit ob quatuor Elementa, quæ ab illo exstitisse putabantur, cum prius omnia Chaos essent: Altera propter quatuor Anni tempora Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem, quorum omnium vicissitudines moderari credebatur unus, uti me docuit Marlianus *lib.* IV. *cap.* VIII. Albericus *de Imaginibus Deorum*, B & ipse præcipue Janus se cum Chao unum & idem initio fuisse testatus his verbis:

Me Chaos Antiqui (nam sum res prisca) vocabant.
Tunc ego, qui fueram globus, & sine imagine moles.
In faciem redii, membraque digna Deo.
Nunc quoque confusæ quoniam nota parva figuræ est,
Ante quod est in me, postque videtur idem.
Accipe quæsitæ, quæ caussa sit altera formæ,
Hanc simul ut noris, officiumque meum.
Quidquid ubique vides, Cœlum, Mare, Nubila, Terras,
Omnia sunt nostra clausa, patentque manu.

C Et quæ sequuntur, antiquissimis Physiologiæ illius priscæ Mysteriis plena, quibus populum tunc Civitatum Rectores in religionis cultu continebant. Quamobrem Janus ille Geminus juxta Theatrum Marcelli conditus à Numa cum foribus geminis inter duo fora, translatus consequentibus annis fuit ad Transitorium forum à Domitiano cœptum, perfectum vero, & suis fere omnibus numeris absolutum à Nerva, caussam hujusce translationis apertissime proferente his verbis Servio Honorato: *Captis Faliscis civitate Thusciæ inventum est simulacrum Jani cum frontibus quatuor. Fuerit enim Bifrons apud Theatrum Marcelli. Unde, quod Numa instituerat,* D *translatum est ad forum Transitorium, & quatuor portarum Templum institutum.* Atque ut Janus Geminus inter duo fora fuit, ita hic Quadrifrons medius inter fora quatuor cernebatur, Romanum scilicet, seu Vetus, Julium, Augustum, & Transitorium inter Capitolium, & Quirinalem Collem, sic dictum, quod per illum in alia opportunus veluti transitus esset, vel certe (quod Cicero insinuasse videtur de Jano Gemino loquens in supra *laudato loco*) ob ipsum Jani Quadrifrontis Templum, cui quatuor Portæ, quæ *Jani transitiones perviæ* dicebantur, quod passim transeuntibus paterent, neque E enim aliter capiendus Martialis *lib.* X. *epigr.* XXVIII. cum canit:

Pervius exiguos habitabas ante Penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter:
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.

Quam de quatuor illis foris, de quibus paullo ante meminimus, quæque à J. Lipsio præclare, ut omnia, in *Admirandis* suis lib. III. cap. VII. describuntur, ad quem hinc Lectorem remittimus non inviti, ne in re apertissima diutius immoremur, sicuti ad Victorem etiam, & Marlianum ablegamus eum, qui quot, & ubi fuerint Jani alii Quadrifrontes scire desideret. Nimii enim fortasse fuimus in hac parte, F & si forte non nimii, ut aliquid amici hominis gratiæ tribueremus, imo fortasse pauci, aut certe nulli, si quæ de Jano ab Ethnicis accepimus satis nobis fuerit in memoriam posteris revocare, ea vero quæ Janum Idolum olim Mediolanense propius attingunt præterire taciti voluerimus? Janum, inquam, illum, cui densis adhuc circumscepti tenebris Mediolanenses divinos honores exhibuere ea in Urbis regione, in qua nunc ædes sacra visitur D. Joannis cognomento *Quatuor facierum:* non

 enim

enim aliunde id illi cognominis adhæsit, quam ex eo quod in Jani Quadrifrontis locum ædes illa successit, qua de re Galvaneus à Flamma, cujus verba rudia licet & inornata adjicere non gravabor, major ut antiquitatum monumentis fides accedat ex ipsamet priscorum verborum antiquitate. Siquidem autem nummi adesis jam & fugientibus notis, lamellæ, sigilla, troncæ statuæ, & frusta marmoris quo vetustiora è ruderibus & cadaveribus oppidorum à nobis effodiuntur, eo nos majori voluptate profundunt, cur ipsa nos verborum antiquitas afficere molestia debeat, caussam esse plane nullam video. Quod si qui forte fortuna fuerint, quorum aures isthæc offendant, his adeo mollibus ac delicatis culcitras substerni jubebimus, & pulvinos rosis & violis plenos, imo precabimur, ut quidquid calcaverint rosæ illico ac violæ fiant, calicem, inquam, aliquem mulsi misceri mandabimus, quo contractam ex hujuscemodi verborum asperitate molestiam levent: nos vero nihilo secius ab his ad alia progrediemur, ad si nihil inde hauserimus asperitatis. Ait igitur in Opusculo ad calcem *Chronicæ* suæ posito Galvaneus: *Primum templum sive Fanum, quod fuit in civitate Mediolanensi, constructum fuit in loco, qui dicitur Ecclesia S. Joannis ad quatuor facies: ibi Idolum militis in æquo, quod erat æreum futile deauratum. Caput militis fuit quadrum in modum trabis quadratæ, in primo quadro erat sculpta imago pueri juvenis; in alio facies hominis; in alio facies senis; in alio facies viri decrepiti. Et hoc significat, quod Janus apud Subres distinxit annum in quatuor tempora: in Ver, ecce pueritia; in homine Æstatem: in antiquo, sive sene, Autumnum: in decrepito Hyemem. Item est sciendum quod primum diem Veris dixit januam Veris, & primum diem Æstatis, dixit Januam æstatis, & sic de aliis. Huic Idolo jam consecrata sunt omnia principia humanorum actuum. Et ista est ratio, quare primo die Januarii, qui est primus dies anni, datur strena. Illud Idolum fuit dedicatum astro Solis, quia facit in anno* CCCLXV. *dies. Et istud Idolum habebat in manu dextra numerum* CCC. *& in manu sinistra numerum* LXV. *qui numerus anno Solari competit. Habet in manu clavem cum virga, quia omnium portarum & viarum rector exsistit, & custos. Unde aliqui dixerunt, quod inde dicitur locus ad Mazzam. Et forte fuerunt duo Idola ejusdem stemmatis, quorum unum fuit ubi est Ecclesia S. Joannis ad quatuor facies; aliud positum fuit ubi est Ecclesia S. Domnini ad Maziam.* Hæc ille; quæ ex fide bona, uti sese habere comperimus in illo Opusculo, recitare maluimus, quam ea, verborum aliorum adhibita formula, in dubium revocare.

In viam itaque redeamus, à qua non abs re deflexìmus aliquanto, & quia Jani Quadrifrontis Templum extra Mediolanensis Urbis ambitum fuisse conditum initio dicebamus, id ipsum aliorum exemplorum appositione firmemus. Fuit igitur Bacchi quoque Templum, sicut & Æsculapii foris extra Vercellensem portam, ubi nunc Ambrosiana Basilica frequentatur, Martis pariter extra eandem portam, ubi Basilica Portiana adhuc S. Victoris Martii nomen retinet: & Apollinis fanum extra Romanam portam, ubi nobile Monasterium sacrarum Virginum S. Apollinaris nunc floret: atque ne prophanitatis ejusmodi delubra singula numeremus, extra Ticinensem Herculis, ubi nostra memoria Divi Laurentii Templum pari liberalitate Civium, & operum artificio restitutum ab ipsis propemodum fundamentis summam in admirationem trahit.

Nititur porro nostra hæc opinio, qua D. Vincentii Templum à Viri Romani Patritii liberalitate ortum & originem habuisse contendimus duplici, eoque in rebus hujuscemodi firmissimo, fundamento. Ac pro primo quidem habemus fragmenta quamplurima Columnarum, Basium, Peristyliorum, & marmorum aliorum speciem Romanæ antiquitatis & Architecturæ præ se ferentia ex Idolorum ruinis (ut par est credere) posteris conservata: Pro altero vero Characteres Romanum in morem lapidibus iisdem incisos. Templum hoc igitur à Cive Romano conditum, & dicatum Jovi una Inscriptione, vel altera confirmemus. Una est in Pario marmore, in qua hæc clare legimus, & distincte:

S. IOVI ET PROBO
V C. C O N.

Altera in stylobate, qui dexter occurrit adscendentibus ad Aram principem Templi cum aliqua notarum jactura, sed quæ nobis hac in parte negotium non facessant:



Atque hinc factum, ut Hieronymus Borserius cap. I. sui nuperi supplementi ad Pauli Morigii *de Mediolanensi Nobilitate* librum, primus quidem ex iis, quos hactenus videre potuerim, ea de re scribentibus asseruerit, Templum hoc Jovi conditum à Cominio, levi admodum (quod pace dictum sit amicissimi & eruditissimi hominis) conjectura, siquidem hac sola Inscriptione nitatur, cum, & forma silicei stylobatis ad usum ignobilis aræ, uti videre est, post Templum ipsum jam conditum accommodati; aut certe in jam ante dicato Jovi Templo positi ex voto pro memoria accepta beneficii alicujus à Numine propaganda; aut demum in monumentum aliquod efformati; quam in sententiam non imus, licet quidam id colligant ex postremis notis solitis à Veteribus inscribi non] aris solum ac templis recens exstructis, sed etiam tumulis mortuorum, uti mox ostendemus, cum nostram de Templi Conditore sententiam afferemus, si non apertioribus, validioribus quidem certe firmamentis innixi, in tanta rerum hujuscemodi caligine, & librorum reticentia maxime deploranda. Templum hoc igitur sacrum initio fuisse Jovi, & Probo, satis aperte demonstrat Inscriptio prima.

Ac Probo quidem simul, & Jovi, sive quod tanti viri liberalitate ornatum, sive quod civitas, & populus, aut alius quispiam, ob illustre beneficium aliquod in se collatum à Probo grati animi ergo, Templorum honorem unis cælitibus deferendum, (id Probo quoque Viro clarissimo, & consulari quod

quod declarant postremæ Inscriptionis notæ) communicandum esse censuerit. Quod enim fecisse Græcos Sabellicus refert, ut post Philippum Regem à T. Flaminio victum civitatesque omnes, quas summus ille Macedonum Imperator libertate exuerat, in pristinum Flaminii victoris decreto, & clara voce præconis, ac libera restitutas, nulli Deorum templa, nisi Flaminii nomine apposito, dedicarent, ita ut Herculi, Minervæ, Neptuno, Numinibus aliis, & Flaminio simul inscriberentur: idipsum Mediolanenses quoque eodem plane jure facere potuerunt.

Probi porro nomen Romanum esse multo nos ante docuit Pighius, qui se illud in AEMILIIS, FALONIIS, ET VALERIIS reperisse testatur lib. III. *Annalium Rom.* & vetus Inscriptio Aquilejæ:

D M
T. FLAVIO. SATVRNINO
QVI. VIXIT. ANNIS. XVIII.
MENSIBVS. V. DIEBVS. VIGINTI.
FECIT. TI. FLAVIVS. PROBVS.
EVOCATVS. AVGVSTORVM. NN.
FRATRI PIENTISSIMO.

Nos igitur Inscriptionem alteram repetamus, eamque obscuriorem paullo prima, quod ejus fieri poterit, explicemus. Id autem facilius fiet, si juxta Valerii Probi Grammatici mentem in libello *de Romanorum Notis* observaverimus usu quodam publico, & observatione communi receptum apud Veteres fuisse, ut quædam verba, atque nomina ex communi consensu primis tantum literis notarentur, & singulæ quid significarent in promptu esset. Hinc enim ipsa meridiana luce clarius innotescit, tres primas Inscriptionis hujus, quam nunc illustratum imus, literas I. O. M. JOVEM OPTIMVM MAXIMVM indicare, cui Templo condito persolutum votum. V S syllaba, medium quasi locum obtinens, nihil habet reconditi; sed absolvit SEVERIANI nomen in recto. Syllabæ aliæ duæ C O. & M I. diversis in versiculis exaratæ, num Severiani cognomen aperiant, an ejusdem Tribum, jure dubitant eruditi. Absit enim ut Comum Urbem iis prodi literis affirmarim, quod sine fundo visum est aliquibus suspicari. COMINII siquidem cognomen in PONTIIS, & POSTHVMIIS reperias. L. quoque Cominii cujusdam Tribuni Militum, qui sub Q. Fabio Maximo Rulliano magistro Equitum prospere pugnavit, vis, & industria commendatur à Livio *lib.* VIII. quemadmodum & ejusdem Tribunatum Plebis extollit Valerius Max. ni nos forte memoria deficit antiquitatis custos. Quin imo passim habes celebrem Cominiorum aliorum memoriam in Veterum monumentis:

Romæ in Ædibus olim Attilii Delphinii, Aldo Manutio Paulli F. collectore:

CVRTIA. M. L.
EVROPA.
EX TESTAMENTO. HS. CcIↄↄ.
M. POPILLIVS. M. L. SOTERICVS.
SIBI. ET LIBERT. LIBERTAB. POSTERISQ. EIVS.
HVIVS. MONVMENTI. SIVE. SEPVLCRVM. EST.
PARS. TERTIA. EST.
COMINIVS. LL. DIOGENES. SIBI. ET LIBERT.
LIBERTAB. POSTERISQ. EIVS. HVIVS. MONVMENTI.
SIVE. SEPVLCHRVM. EST. PARS. TERTIA. EST.

Canusii:

S. P. Q. NEAPOLITANVS
D. D. L. BAEBIO L. F.
GAL. COMINIO PATRONO
COLONIAE.

Anagniæ ad D. Angeli:

L. COMINIO L. F. L. N. PAL.
FIRMO PRQ. AER. ET. ALIM.
OPPIAE. SEX. ET. C. L. EVNONIAE &c.

Vulsiniis:

L. COMINIVS. L. F. AN. | C. CANVLEIVS. L. F.
T. TVLLEVS. T. F. KANVS. | L. HIRRIVS. L. F. LATINVS
IIII. VIR. THEATRVM. ET. PROSCAENIVM. DE.
SVA. PECVNIA. FACIVNDVM. COERAVERVNT.

Cominios vero Mediolanum migrasse ex Urbe Roma, ibique fixisse vestigia, & vero etiam cineres reliquisse, monumenta hæc, quæ subdam, satis superque declarant:

Ad S. Nazarium Mediolani in quadam arca:

POLLIAE COMINIAE
LVCILIVS ARTHEMIDORVS
CONIVGI. INCOMPARAB.

In limine januæ majoris Sanctæ Crucis in Ticinensi Porta olim erat & hoc monumentum, quod locum mutasse arbitror, cum mihi illud perquirenti nusquam apparuerit; habetur tamen inter antiquas Patriæ memorias Alciati:

C. COMINIVS SECVNDVS
C.......N COMINIVS
PRISCVS FRATER
SIBI ET OCIMO ABINAE
C. COMINIVS
COMINIO OCIMO
IN AGR. P. XXXX.
IN FRON. P. XXI.

Omitto cætera monumenta, ut ad nostrum, à quo paulisper deflexímus, revertamur. Subest hæc itaque vis, ut arbitror, quatuor notis illis, quibus absolvitur, V. S. L. M. VOTVM SOLVIT LVBENS MERITO. Erat enim ea formula, vel certe non ei dissimilis, admodum apud Antiquos frequens in ejus generis Epigrammatibus claudendis. Ac quidem illa sic claudebant aliquando, VOTO SVSCEPTO. D. D. id est, DEDICAVIT, vel DONO DEDIT. Qualis illa fuit, quam olim legebamus in Ædibus Romanæ Cancellariæ:

SOLI. SACR.
C. IVLIVS HELIVS ERARIVS VOTO.
SVSCEPTO. D. D.

Aliquando VOTO SVSCEPTO L. S. LVBENS SOLVIT, ut in illo in D. Agnetis templo:

FORTVNAE PRIMIGENIAE
Q. LOLIO POLLOHANES
PATER ET FILIVS ET
ALIA ARCHELAIS
VOTO SVSCEPTO. L. S.

Aliquando EX VOTO. D. D. L. M. C. hoc est, DIGNVM DEO LVBENS MERITO CONSECRAVIT, cujusmodi notæ erant in illo, quod Romæ pariter visebatur in Palatio Ursinorum in Jordano monte:

P. AELIVS. P. F. SER. APOLLINI. NICOP. FACTVS. MIL.
AN. XXI. MISSVS. HONESTA. MISSIONE. AN. XXXVI.
EXCOH.
VI. PR. T. VITANI. CORNELIANI. EX. VOTO. IOVI. CONSER.
ET. COMM. SVIS. ET. FVT. SIGNVM. CVM. BASE.
D. D. L. M. C. BELLICIO TORQ. P.. SALL. CONSS.

Aliquando VOTVM MERITO tantum, ut apparet ex illo, cui Cn. Pompejus rerum à se in Oriente gestarum breviarium inscripsit hoc modo, posuitque in delubro à se Minervæ ex hostium manubiis dedicato. Recitat enim ipsissima illius verba Plinius *lib.* VII. *cap.* XXVI.

CN.

CN. POMPEIVS CN. F. MAGNVS IMPERATOR.
BELLO. XXX. ANNORVM. CONFECTO. FVSIS.
FVGATIS. OCCISIS. IN. DEDITIONEM. ACCEPTIS.
HOMINVM. VICIES. SEMEL. CENTENIS. LXXXIII∞.
DEPRESSIS. AVT. CAPTIS. NAVIBVS. DCCCXLVI.
OPPIDIS. CASTELLIS. ∞. D. XXXVIII. IN FIDEM.
RECEPTIS. TERRIS. A. MAEOTI. LACV. AD.
RVBRVM MARE SVBACTIS.
VOTVM. MERITO. MINERVAE.

Quæ formulæ omnes, quia dedicationum erant, ut plurimum, non tumulorum, idcirco minime paullo ante probavimus eorum sententiam, qui monumento notas hasce inscriptas fuisse volunt, & interpretandas hoc pacto, Vivens Sibi Locvm Monvmenti, verbo Legit, vel alio quopiam ejusmodi, prætermisso. Frustra enim id esse commenti hoc loco satis ex se ipsis intelligent eruditi. Illud autem miror, duas istas Inscriptiones Andreæ Alciati, Jurisconsultorum suæ memoriæ Principis, & indagatoris acuratissimi Monumentorum omnium patriæ Urbis, diligentem adeo fuisse solertiam, quinimo (quod est mirandum magis) eas nuspiam offendisse eruditissimum Civem ejusdem Urbis alterum Franciscum Cicerejum, qui se adeo studiose prætermissa ab aliis, atque ab ipso potissimum Alciato in eo genere collegisse professus est.

Quamquam nec miror cum Inscriptio prima ibi loci sita sit, ubi videri, nedum legi, difficulter possit, deletis fere literis omnibus incessu pedum assiduo, cui patent: Stylobates vero alterius ita collocatus est, ut præpostere literas omnes inversas exhibeat, & ita calce oblitas, ut nobis illac quotidie transeuntibus non nisi post annos decem sese præbuerint inspectandas. Visas itaque statim non minori cum labore, quam gaudio excerpsimus perinde ac si orcivum quempiam thesaurum invenissemus, cumque hæreremus in earum aliquibus expiscandis, quod rebus in ejuscemodi plerumque contingit, aliudque tum forte fortuna nacti essemus exemplar Inscriptionum omnium Alciati longe distinctius, & elegantius eo, cujus videndi facultatem habueramus in Museo Bibliothecæ Ambrosianæ, en inter alias nostræ similem quandam invenimus, imo nostram ipsam, ut ex facta ipsius collatione diligenti cum lapide patuit manifeste. Voluimus vero ista paucis aperire, ut & quantum nos de illa meriti simus Posteri scirent, & una testaremur aliis quanta exstiterit monumentis in omnibus indagandis Jurisconsultorum, & Eruditorum optimi Alciati nostri solertia, quam nuper immerito requirebamus.

Addam hic tertium nuper à me inventum fragmentum candidissimæ Inscriptionis, ut quod hujus maxime sit loci in has notas in ligno incisas, reliqua desiderantur, sed facta in eo DE IOVE mentio nostram conjecturam, immo sententiam, firmat.



Atque ex his quidem non obscure colligitur tempus, quo sacrum illud Jovi Templum condi, colique cœptum. Siquidem enim tempus illud spectamus, quo Romani victores Gallorum Cisalpinorum copias profligarunt, multasque ex iisdem victorias re bene gesta feliciter adepti sunt: sive ad illud, quo Provincia nostra Galliæ Cisalpinæ Metropolis in Populi Romani ditionem, ac potestatem venit: id absque ullo dubio contigisse fatendum est sub ipsum ab Urbe Roma condita quingentesimum & trigesimum annum; tum scilicet, cum Marcellus is, qui Consul quinquies fuit, Annibalem in acie vicit, Viridomarum Gallorum Regem occidit, deque Gallis Insubribus triumphans in Provinciæ formam subactam eorumdem Galliam redegit.

Sed enim ex eodem fonte præter Annum conditi Templi, conditoris etiam nomen possumus haurire. Cum enim eodem plane tempore, quo Marcellus in hanc Provinciam venit, eo quoque L. Furius ejus in consulatu collega se recepisset, ac Furius quidem ejusdem ante Provinciæ Prætor, ut habemus in Livio, & magistratu fungens ædem vovisset Jovi, si quando sibi contigisset, ut Gallos Insubres vinceret, & vicisset; creditus is idcirco fuit voti non immemor statim ac in eandem Provinciam rediit, ut ea, qua se Prætor obstrinxerat, religione solveret, Templum hoc inibi condidisse Jovi, licet eidem alterum erexisset in Capitolio Romæ.

*Habemus jam primum, eundemque clarissimum Templi, de quo loquimur, conditorem non tam Patritium, quam consularem virum, & hunc si non certis, probabilibus certe conjecturis crutum ex ultima illa quodammodo memoria antiquitatis. Verum enimvero cum ducentis propemodum annis Gallos à Romanis acerrimis, gravissimisque bellis exagitatos fuisse constet, nemini mirum esse debebit nonnullorum circa tempus hoc calculos variare. Polybium nos, Plutarchum, Zonaram, & alios viros gravissimos secuti sumus, cum quibus hac in parte satius errare ducimus, quam bene cum aliis sentire, aut ea de re nostro Marte tantummodo divinare. Communes enim veterum scriptorum lapsus justam aliquam excusationem habent, quia jam recepti; privati vero hominis, & in re literaria novi, quia publicæ invidorum criminationi, severiorique Criticorum censuræ expositi, statim ac emanant in lucem, exsibilantur ab omnibus, & exploduntur.

Ut ut sit eorum, quæ de hoc Templo scripsimus, opinatores potius haberi volumus, quam assertores. Nam haud nos fugit inibi locorum, ubi nunc Templum ipsum adspicitur, viros quosdam amantes solitudinis, tanquam in sacro aliquo & religioso secessu degisse multis ante sæculis, quam Romani Regiones istas sibi subigerent, ut à nobis infra fusius ostendetur *Fascic.* vi. cum de ejusdem Templi Monachis differemus. Et sane rationem omnem temporum melius subducentes constantissime asseverare possumus, jam tum Templum istud fuisse cum Populus Romanus adversus Annibalem summum Carthaginensium Ducem in summa rerum omnium trepidatione, cum videlicet jam crederet ipsum ad portas cum infestis signis post duplicem jam partam victoriam ad Trebiam, & Thrasymenum, Dictatorem dixit Fabium illum Maximum, qui prudenti cunctatione quadam Romanam rem universam, aliorum Imperatorum temeritate graviter labefactatam, jacentemque propemodum, restituit, & erexit, unde & Cvnctator dictus est, & sedendo vicisse potius, quam pugnando. Vetus enim istius Fabii monumentum, hoc in templo positum, quod allatum inferius exponemus, nullum plane relinquit ea de re dubitandi locum.

Cæterum, ut ad ea quæ propius nos attingunt festinet oratio, credere par est, à Christi Domini Victoria de Morte, & Humani Generis hoste gloriosissime reportata, eademque in orbem terrarum universum ab illius Præconibus Apostolicis disseminari cœpta, idem omnino Templo isti divinitus con-

contigisse, quod eadem tempestate delubris aliis superstitiosæ nimis, & obcæcatæ Gentilitatis evenit, ut scilicet abdicato Idolorum cultu, avitisque erroribus profligatis, veri & æterni Numinis honos, veraque Christi Religio in illud inducta sit, rite prius ab Sancto Barnaba expiatum, Magnæque Mariæ Matri simul, & Virgini dedicatum. Factum id ab Apostolo ut credamus, adducimur ex eo, quod non statim ac is Mediolanum attigit, Urbem ipsam ingressus est, coactus ab illius portis alio se conferre, vel certe subsistere extra ipsius mœnia, quo sartam tectamque conservaret eam, quam à Christo Magistro, ac Domino suo hauserat disciplinam. Admonitus enim nemini in Urbem aditum patere, nisi ei, qui prius adorasset Idola in valvis Portarum illius singulis excitata, in agro Ticinensi præcipue constitit, ibique moratus est, donec remoto impedimento illo cultus inanibus Numinibus exhibendi, debilitatisque magna ex parte conatibus hostium nominis Christiani, opportunum tempus est nactus pedem in Urbem ipsam cum fide Catholica inferendi. Cum igitur eo in loco divini flaminis igne succensus Barnabas non posset non in animis mortalium eosdem, quibus æstuabat ipse, divinæ propagandæ veritatis igniculos excitare, minime abhorret à vero, eum toto moræ illius suburbanæ tempore in evellendis lethalium dogmatum fibris, & nova Christo sobole procuranda, muneris Apostolici partes naviter obeuntem, lustrantemque singula diligenter ad hanc se Jovis Ædem etiam contulisse, non tam pratorum circumadjacentium viriditate pellectum, aut majestate Templi, quam commotum eo, quo flagrabat assidue, studio pietatis, ut solitudinis illius incolas sanctioribus à se monitis institutos, ablutosque lustralibus aquis Christiano ritu ad monasticam Deo liberius operandi consuetudinem invitaret. Hinc factum, ut Templum illud superstitiosæ vanitatis nomine viduatum sacræ Primi Numinis parenti secundo loco dicaverit, cum alterum, in quo non multo ante primam Euangelii sementem fecerat, ex Chronographorum aliquorum sententia, à simulachrorum insania ad ipsius Christi Servatoris cultum, ejusdemque caste exercenda dogmata traduxisset. Id autem à divini Verbi legato factum asseruimus ex Chronographorum aliquorum sententia, quod ii, qui res illorum temporum persequuntur, non tam inter se diffideant in assignando loco, qui primus cœlestis doctrinæ sementem excepit, quam in nominando Templo, quod Apostolo dæmones profligante in nomen & honorem Servatoris cessit, quamvis una eademque omnium de rebus ab eo gestis historia in sacris illorum temporum Annalibus referatur. Aliquorum enim sententia fuit, locum, ubi sacrosanctæ Legis interpres, antequam urbem ipsam ingrederetur, insedit, salutis nostræ primordiis & mysteriis inclytum, fuisse fontem illum proximum Eustorgiano Templo, & sacram Ædem primam ab Apostolo consecratam Salvatoris tantummodo nomine decoratam. Alii vero extra Novam urbis Portam, ubi nunc magnificum & amplum D. Dionysio Cœnobium exsurgit, primam divinæ veritatis lucem Mediolanensibus affulsisse narrant, eodem Apostolo Barnaba Christianis illic ritibus animos imbuente, & Templum primum Salvatoris, Præcursoris, & Prophetarum nomina recepisse socia trium magnorum Numinum majestate. Ac prima quidem sententia non in mentibus Eruditorum solum radices altissimas egit veterum Inscriptionum testimoniis fulta, sed etiam creberrimis Patrum nostrorum sermonibus usurpata, & veluti per manus ad nos usque transmissa, infantium æque ac rudium muliercularum animos occupavit: ita ut operam ludere putaretur is, qui pluribus eam confirmare vellet. Nam, & Annales vetustissimi, & fama, quæ de Eustorgiano fonte percrebuit, & Ædes Apostolo

A lo Barnabæ, ejusdemque discipulis duobus Anataloni, & Cajo, quos & in Episcopatu successores habuit, Federici Cardinalis Archiepiscopi, & totius Populi Mediolanensis studio vota, dicata, & inibi ædificari cœpta, jamque simulacris Divorum ipsorum pulcherrimis exornata, sacrisque complurimis vestibus locupletata, & novorum Pontificum Ecclesiæ Mediolanensis honoris sacri primordia capescendi in Eustorgiana Æde, antequam sua pastoralis Provinciæ munia ulla obeant, satis illi superque conciliant firmamenti. Aliorum opinionem vero sequuti sunt etiam Eruditi, adducti testimonio lapidis non vulgaris, qui stratus in medio pavimen-
B to Templi D. Dionysii de nomine nuncupati, ad hunc usque diem aperte testatur, Barnabam ibi Crucis vexillum primitus defixisse, æternum devictæ à Christo Mortis, & Satanæ monumentum.

Antiquo lapidi adjacet Inscriptio recens his verbis concepta:

IN HOC ROTVNDO LAPIDE ERECTVM FVIT VEXILLVM SALVATORIS A SANCTO BARNABA APOSTOLO MEDIOLANEN. ECCLESIAE FVNDATORE VT SCRIPTORVM AVCTORITATE ET VETVSTA POPVLI HVC CONFLVENTIS XIII. MARTII TRADITIONE COMPROBATVR QVEM DEVOTIONIS AVGENDAE GRATIA IVSSVM EST EXORNARI MDCXII.

C Accessit huic opinioni fides è Manuscripto veteri ferreæ olim capsulæ consignato, repertoque forte fortuna in eadem D. Dionysii Æde, cujus partem hic afferam non invitus ad Monasterii illius decus, quod è Vincentiano nostro manasse dicitur, ratione non admodum discrepante ab ea, qua liberi ex parentum suorum sanguine procreantur. Hæc igitur Manuscripti illius verba ipsissima perhibentur: *Ea tempestate, cum Beatissimus Barnabas Apostolus, & Mediolanensis Pontifex primus ad hanc, quæ tunc secunda Roma appellabatur, Urbem attigisset, ut ibidem secundum Domini præceptum salutis verbum prædicaret,*
D *& gregem sibi commissum æternæ felicitatis portui consignaret, supra Urbis valvas Idolum proprium pro qualibet habebatur, in cujus rei memoria hodiernis temporibus nomen Portæ Jovis retinetur: edictumque exierat à Cæsare, quod quicunque ingrederetur mœnia Urbis secundæ Romæ, aut diis immolaret, aut capite plecteretur. His taliter impugnantibus Beatus Barnabas pro tunc urbem ingredi distulit, ut cum fructu agonem suum consummaret, & pro populi sui salute in sacro loco Monasterii S. Dionysii brevi præterito tempore Basilicam ad honorem Salvatoris, Præcursoris, & Prophetarum dedicavit, in qua primum post Lateranum Romæ Sancti Joannis Baptistæ Altare, & Baptisterium consecravit, men-*
E *tumque primi Joannis à Clavigero Apostolorum Principe Petro transmissum summa devotione & reverentia in Altari suo recondidit, fama & opinione antiquitatis fidelissima testantibus. Nam non absque maximo mysterio, & caussa, secundum quod evidentissime elicitur libro consuetudinum & ordinationum Ecclesiæ Mediolan. Reverendiss. Dominus Archiepiscopus, Ordinarii, & Clerus dictæ Ecclesiæ in vigilia & festo Beatissimi Baptistæ Joannis processionaliter cum canticis & laudibus ad memoratam Ecclesiam annuatim divina officia celebraturi debent, & consueverunt devote accedere. Porro Imperatorum sævitia contra Catholicos crescente dicta Ecclesia à Barnaba fabricata, tum propter inhabitatio-*
F *nem, tum ex perfida infidelium temeritate in magna parte exstitit dirupta. Adveniente itaque tempore, quo Beatissimus Antistes Dionysius hujus almæ Urbis Episcopus, & Ambrosii præcessor, qui ob Christi fidem in Armeniæ partibus à Constantio Cæsare exulatus, & arctissimo carceri mancipatus, in quo acerrima patiens Domino gloriose spiritum feliciter tradidit.*

Retulimus Manuscripti verba, quæ ad rem præsentem facere videbantur, quæ enim postea subdit de translatione Corporis D. Dionysii ex Cappado-

Aa cia

cia Mediolanum, non hujus esse loci censuimus, ut hic afferenda essent. Quamquam iis mox lectis attentius, & adhibita melius in consilium ratione, ea quoque nobis adscribenda duximus, antequam ad alia veniremus, ne dormitare potius, quam scribere videremur. Ut enim, quod de ea sentimus libere fateamur, neque ut obelo Censorem agamus, à quo munere quam longissime absumus, sed ut ingenue veritatis ipsius patrocinium suscipiamus, duo ea Manuscripti pars continet si non omnino falsa, abhorrentia quidem certe plurimum à vulgari communique sententia, ut quæ asserat quod nemo sacrorum Scriptorum hactenus affirmavit. Eam nos igitur initio afferamus; mox in quibus ab aliis discrepat ostendemus: *A prædictis partibus cum ad hanc Urbem Corpus deduceretur, Gloriosus Ambrosius divina revelatione edoctus, quod Sanctissimi Antecessoris sui Dionysii Corpus ipsius studio, & diligentia ac hortatu, Legatorumque Mediolanensium instantia per Beatum Basilium Armeniæ Primatem transmitteretur statutis die, & hora, convocato, & subsequente Clero, & populo Mediolanensi, ad Portum Abduæ fluminis, quod alio nomine quam Cassianum tunc nominabatur, cum processione solemni devenerunt. Nec mora, navis sacrum Corpus defferens Portui appropinquavit, & ecce cum Ambrosius reverenter, & devote Capsam, in qua jacebat, voluit amplecti, permissione divina Corpus benedictum à Capsa exurgens Ambrosium fuit amplexatus. Ave frater proferendo, deindeque à portu usque ad locum ubi nunc Ecclesia S. Dionysii prope ripam portus in testimonium præmissorum est fabricata, pergentes de fide & Christi divinitate adinvicem contulerunt. O miraculum inauditum, ô quanto præconio extollendum! Suspicante vero Ambrosio quod dignissimus Pontifex Dionysius in humanitate, cognito tam mirabili Dei speculo, divina potentia permanere deberet, incunctanter exorsus est Præsul Dionysius ad Ambrosium: Corpus meum in Basilica Salvatoris, & Prophetarum trades sepulturæ. His expletis in capsam rediens quievit in pace. Admirantibus & stupentibus cunctis adstantibus laudes immensas omnipotenti devotissime reddiderunt, & abinde citra appellatus est Portus Cassiani à capsa ob miraculum Dionysii Confessoris eximii, quod prædiximus ad laudem, & gloriam Domini Nostri Jesu Christi, fideique Catholicæ corroborationem. Postremo gloriosus Præsul Ambrosius cum Clero, & Populo capsa cum tam pretioso thesauro supra currum imposita versus Urbem iter ceperunt, & cum juxta memoratam Basilicam Salvatoris pervenerunt, currus stetit adeo fixus, ut nec equi calcaribus, & aliis flagellis stimulati ab immobilitate eam possent revocare. Spiritu Sancto repletus Ambrosius Dionysii recordatus hortatu indagatur si forsan ibidem locus esset à Domino sacratus, facta diligenti inquisitione benedicta Salvatoris Ecclesia arboribus, hedera, & vepribus repleta nutu Dei inventa est, lectisque antiquis codicibus, illam esse Basilicam à S. Barnaba Apostolo, & Pontifice Mediolanen. dedicatam indubie cognoverunt. Ambrosius vero laudibus Deo porrectis immensis, populos iis verbis exorsus est. Etenim dignum, & justum est, ut is, qui pro fide certavit in hac Basilica, quæ ex fidei fervore noviter extitit dedicata, digno condatur honore. Fama per Urbem diffusa ad stupendum miraculum Populus undique confluit. Nec mora, Ecclesia purgatur, & reparatur, & in parvo tempore decentius reficitur, & readificatur. Igitur restaurata Ecclesia dignus Dei sacerdos Ambrosius gloriosum Dionysii Corpus celeberrima devotione in Confessione dictæ Basilicæ recondidit, & ultra titulum primi Pontificis Barnabæ, hanc sacrosanctam Ædem ad honorem Beatissimi Dionysii, & Confessorum omnium consecravit, & dedicavit, ad cujus sepulcrum mirabiliter multa infirmorum corpora sanitati fuerunt restituta, & continue Jesus Christus Dominus Noster, qui in sanctis suis mirabilis est, precibus sanctissimi Confessoris*

A *sui languentibus medicinam præstat, & infirmis salutem, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum Benedictus.* Hæc alia Manuscripti pars. In quibus autem variat, hæc sunt. Unum, quo in loco asserit Beatissimum Ambrosium, Urbis nostræ Antistitem, & Patronum, advexisse Mediolanum Sancti Dionysii corpus ex oppido Cassiani, illudque collocasse in Templo ejusdem nunc divi sub nomine frequentato, id quod mirum quantum à sacris omnibus Urbis nostræ historiis distet. Pignus enim illud à S. Aurelio Ecclesiæ Reditianæ Episcopo delatum ex Cappadocia Cassianum ad confluentem Abduam ibidem D. Ambrosius in Æde sacra condidit, uti B nos quodam in opusculo, quod luci publicæ dedimus Mediolani anno à Virgineo partu millesimo sexcentesimo decimo septimo, multis rationum momentis innixi, conati sumus ostendere, ac probare. Ea vero ratio princeps nobis inter alias est visa, quæ Mediolanum sacris D. Dionysii Pontificis artubus ab Sancti Ambrosii tempestate ad annos usque Archiepiscopi Heriberti caruisse contendit, cariturum iisdem in posterum, nisi Heriberto ipso auctore, Cassiano Mediolanum advecti, in templo prope monasterium prius ab eodem Archiepiscopo conditum, quievissent. Statim ac enim propagandæ religionis, & Divorum cultus ampliandi desiderio C flagrare Pastor ipse coli dignissimus cœpit, & animum adjungere sacris Divorum cultui sedibus erigendis, non autem sibi satis esse facturum duxit, quam quæ Templa divitiis amplissimis honestarat, eorumdem etiam majestatem ac gloriam, illatis eo sanctorum cineribus & thesauris ossium, cumulasset. Ea certe sors utraque D. Dionysii templo divinitus obtigit, Mediolanensium Antistite Heriberto, cui nemo est omnium vel mediocriter in Eccles. antiquitate versatus, qui non Ædem illam, & inibi servatum D. Dionysii corpus referat in acceptum.

Discrepat secundo loco à sacrorum Scriptorum omnium sententia Manuscriptum illud, cum subdit, D post Lateranam Aram, quæ prima Romæ consecrata est, proximam Mediolani ab Apostolo Barnaba consecratam cum Baptisterii fonte fuisse ea in parte Urbis, in qua Divi Dionysii Cœnobium hodie florere visitur, cum aliud omnino sentiant Historici fide dignissimi Joannes à Monte, Jacobus Galvaneus, Donatus Bossius, Tristanus Calchus, Bigatus, & alii propemodum infiniti, scribantque hæc omnia ab Apostolo gesta ad Eustorgianum fontem, ubi, & rem divinam uni Trino immortali Deo fecerit, quæ non ante alibi in Italia facta, & multos non è vulgo solum, quod aliorum exemplo plerumque ducitur, sed è primariæ quoque nobi- E litatis flore, quæ ad honesti semina recipienda vulgo longe semper paratior fuit, fontis illius laticibus expiarit.

Duplici hac in parte desiderata fuit à nobis hactenus veteris illius Manuscripti fides, licet in postrema minor, quam prima. Quod enim ad postremam attinet, quantum conjectura & existimatione fas est assequi, nemo plane negaverit fieri potuisse, ut Apostolus utrobique Aras, & fontes Christianis sacris initiarit, & apud D. Dionysium quidem abdito, palam vero & publice ad Eustorgianum fontem admittentibus jam libere plerisque Mediolanensium Apostoli disciplinam, & Christia- F næ religionis sacra frequentantibus animo hilari & erecto. Quemadmodum & consentaneum vero duxerit, qua in parte D. nunc Dionysio dicata stat ædes, Templum occulto conditum Salvatori, ut & nostrum initio Salvatoris Matri, antequam scilicet Apostolus jactis altius Catholicæ fidei fundamentis, multis traductis ad Christum, in Urbem ipsam studiis exceptus alacribus, introiret. Verum enim vero in rebus hujuscemodi tam longe remotis à memoria nostra, si quid simile vero adducitur pro vero, Pa-

Patris Latinæ Historiæ sententia, capitur. Simillimum autem vero esse, quod affirmabamus modo de D. Vincentii Templo ab Apostolo Barnaba Deiparæ Virgini dedicato, vel ex eo conjecimus non obscure, quod multo postquam Cœlo Barnabas donatus est, eo ipso tempore, quo Monachi apud D. Vincentium degebant in Cœnobio, simul Templi illius, ut inscripti Deiparæ, mentionem fecit Innocentius Pontifex in Apostolico diplomate, quod alibi commodius afferemus, ne hic cœptarum rerum series abrumpatur.

Memoriæ proditum est ab aliis, qui aliam Templi nostri originem indagarunt, non esse illius natalia ab ultima usque prophana Gentilitate posteris repetenda, quod superstitiosa nimis ea esse caussa videretur; neque à felici Apostolorum ævo, quod ob vetustatem parum eadem habere certitudinis putaretur; longe minus à primis Pontificibus Ecclesiæ Mediolanensis, quod ob Scriptorum illius temporis inopiam nimis ea quoque recondita censeretur; sed ab Apostolorum successoribus iis, qui illa in tempora inciderunt, quibus Imperatores fidei Christianæ dogmata tandem aliquando complexi, facultatem sacris Præsulibus indulsere prophanas Aras, & Templa, quæ Generis humani hostis retinebat adhuc ut sua, sanctioribus doctrinæ nostræ ritibus expiandi, & ad cultum unius ac veri Numinis traducendi. Horum autem in Præsulum numero recensentur DD. Archiepiscopi duo, Monas, & Mirocles, quorum ille ob Burriæ gentis splendorem virtutibus suis auctum, & paternas opes, sub optimo Imperatore Philippo facile potuit obtinere, ut non tam prophana Templa Dæmonis imperio subducta Christi sacerdotibus daret, sed novas Ædes etiam frequentioribus fidelium cœtibus aperiret. Alter vero cum & paribus opum subsidiis abundaret, & ingentes à pietate magistra spiritus hausisset, sua sponte ad collapsa pene templa veterum Cæsarum odiis in Christianos erigenda rursus, & nova etiam imperante Constantino Ecclesiæ Catholicæ studiosissimo construenda, toto animi impetu ferebatur, aliquid eo quotidie de suo conferens, quod & sacris ædibus accederet ornamento, & ovium signo Christi obsignatarum in dies magis ac magis commodis inserviret. Hinc igitur factum hujusce sententiæ auctores censent, ut cum Vincentianum Templum ob loci situm, qui primis temporibus extra muros fuit, & auctam ædificiorum suburbanorum frequentiam, peculiarem curam deposceret animorum, unus Archiepiscoporum laudatorum novis illud & augustioribus titulis decorarit: sive is Monas fuerit, qui primus Urbem in Parœcias, suo unicuique assignato templo, partitus est, injuncta eidem salutis hominum procurandæ provincia, qua carebat: sive Mirocles, qui statim ac sacras Ædes lustrare cœpit, ut quæ à primo illo cultu ab Apostolis accepto, defluxerant ob temporum corruptelas, illud ipsum auxerit, & ad commodiorem indigenarum usum effecerit ampliorem.

Sententiam alii aliam amplexi sunt, inter quos Galvaneus in *Chronicis Majoribus*, quibus est titulus, NOVA POLITIA, cap. CXCII. & in *Minoribus* ad Joannem Vicecomitem gladii & pedi potestatem in Urbe summam habentem tunc temporis, anno scilicet à Christo nato M. CCC. XXXIX. perspicue narrat, Templum hoc à Desiderio, Longobardorum Rege, anno à Salute humano generi restituta DCCLXXX. conditum ad perennem D. Vincentii gloriam, sacrisque ejusdem Reliquiis, ac cineribus venerandis addictum. Visum est aliis, cum illuc magnus undique concursus hominum fieret, ob S. Vincentii ossa nuper eo loci translata, multique in difficillimis rebus, & variis humani corporis ægritudinibus, oratu Martyris divinam

A opem experti, læti & incolumes reverterentur domum, B. Virginis nomen Templo prius inditum, crescente Miraculorum D. Vincentii fama, in desuetudinem paulatim, ut assolet, abiisse; nec multo post factum, ut cum unusquisque se ad D. Vincentii, non ad B. Virginis ire diceret, cum eo se aliquid supra hominis facultatem impetrandi gratia conferret, vulgo D. Vincentii Basilica diceretur. Nec mirum: cum idipsum aliis quoque Templis accidisse non ignoremus in hac ipsa Urbe, quam incolimus, ac ipsi in primis Templo Maximo, ut est posteritati eleganter admodum consignatum ab Alciato Epigrammate lepidissimo, quod inter Emblemata ejus Viri cætera commendatur. Ait enim
B is, quod revera contigit Templum olim Minervæ dicatum fuisse illud, in quo deinceps incalescentibus ad religionem animis D. Teclæ numen coli cœperit à Populo Mediolanensi, quod idem Teclæ quoque ipsi contigit, cujus templi religio, cultus canonici, parietinæ statim ac in Ædis maximæ corpus & sinum translata sunt, B. Virginis tantum Ædes illa audiit, Teclæ nomine silentio involuto.

Affirmat tale quippiam omnino consensus Historicorum omnium de Basilica Ambrosiana, quam cum initio D. Ambrosius Patronus urbis magno veri Dei nomine consecrasset, delatis postmodum illuc corporibus SS. Gervasii & Protasii Marty-
C rum, eorundem Ecclesiam appellavit. Ipso demum inibi D. Ambrosio honorifice condito, Ambrosianam Basilicam Posteri nominarunt. Philippi quoque Ædes nomen habuit initio Redemptoris, Naboris deinde ac Felicis simul ob illatos eo cineres amborum Martyrum, inibique piissime conservatos, D. Francisci tandem cum qui divi ejusdem è disciplina sunt Conventuales Fratres maluerint eam Institutoris sui nomine nuncupare. Horum opinioni suffragati sunt Historici utriusque memoriæ multi, qui nostrum hoc Vincentianum Templum inter Urbis antiquas Ædes sacras disertissime numerarunt, utpote Clariss. Jo. Franc. à Basilica Petri No-
D variensis olim Episcopus, deque omni Ecclesiastica Antiquitate Ambrosiani præsertim instituti optime meritus in opusculo *de Mediolanensibus Templis*, in quo post exstructum D. Georgii Templum in Palatio, anno Christi nati DCCXXXXVIIII. nostrum statim anno scilicet DCCLXXX. pari religione conditum exstitisse refert, & Morigius, qui lib. II. cap. XXV. *suæ Historiæ*, Templum hoc ipsum D. Satyri Ædi præfert, utpote quæ conditorem habuerit Aspertum Confanonerium Archiepiscopum anno salutis humanæ octingentesimo sexagesimo octavo tantum. Eam ob caussam à nonnullis eam in sententiam facillime ventum est, ut
E censuerint, Templum hoc sub ipsa nascentis Ecclesiæ incunabula Deiparæ quidem Matri ac Virgini dedicatum, sed postea Desiderii Regis imperio, addicto eidem Monachorum Cœnobio reparatum & amplificatum fuisse, nec non ab eodem novo D. Vincentii titulo decoratum. Licet antiquitatem hanc colligere non obscure ex veteri Hilderamni, & Sagintrudæ conjugum Monumento, quod in hujus Templi parte superiore, quasi in arce, ut olim illa Minerva Phidiæ, collocatum, annum Incarnationis Dominicæ subscriptum habet Inscriptioni, nongentesimum secundum cum Indictio-
F ne sexta. Siquidem enim tunc temporis inibi Christiano ritu Christi sectatorum ossa condita reperimus; omni procul dubio fatendum est, jam tum Vincentianum Templum sacro Dei Opt. Max. Divorumque vere Cælestium cultui deservisse. Monumentum hoc ipsi vidimus, legimus, descripsimus, quoque legi commodius ab aliis possit, idipsum benevoli Lectoris oculis hac in parte subjiciemus, rude licet, &, ut illa ferebant tempora, non ad omnes leges suas, pedesque dimensum:

B HOC RECVBAT TVMVLO NVPER CONFOSSVS IN ISTO M
VIR HVMILIS FORMAQVE MICANS DVM VIVERET AEVO
INGENII FLORVIT VARIISQVE DECORVS IN ARTE
HILDERAMNVS ERAT PROPRIO DE NOMINE DICTVS
QVEM DOMINVS VALLIS DE NOCTE VOCAVIT AD ASTRA
AETHERIA FELIX IVDEX IN ARCE LOCATVS
IVSTVM IVDICIVM LEGEMQVE TENEBAT IN AVLA
HVIC FVERAT CONIVX ALTA DE GENTE CREATA
SAGINTRVDA FORET PROPRIO DE NOMINE DICTA
ANTE PEDES TVMVLATA VIRI CVM PACE QVIESCIT
O FACTOR HOMINVM HIS NVNC MISERERE ALVMNIS
ANNO INCARÑS D̄ Ñ Ī X̄ DCCCC II INDIC VI.

Subdemus huic aliud antiquum magis, & hoc loco dignum, nec frustra:


☧ B PROVIN ☧ INNOCINII. M.
QVI VIXIT IN SAECVLO ANN. VII. M. IIII. D. XI.
GERONTIVS ET ROBINA FILIO PIENTISSIMO.
IN PACE POSVER IND F P IIII. IDVS FIB.

Non frustra, inquam: cum enim monumentum hoc minus accurate legisset vir alioqui doctus, in ejus prima litera B. interpretanda toto (quod ajunt) aberravit cœlo, conjiciens ex ea Tumulum eum esse Beati Provini Episcopi Novariensis. Perperam omnino, & male. Cæcutiens enim ad literam M. è regione positam primi illius elementi B. videre nec potuit, quam ambæ illæ notæ sententiam continerent. Literæ enim ejusmodi, eoque pacto in uno eodemque versiculo collocatæ, apud veteres monumentorum scriptores habebant notionem illam, ut BONAE MEMORIAE, vel BENE MERENTI significarent, noto & vulgari more. *Nam*, ut inquit Alciatus in suo *Antiquario*, *Diis Manibus veriti dicare tumulos Christiani in D. locum B. supponebant, hoc est, Bene merenti: videlicet ut minus à Veterum usu discederent.* Hi siquidem tam bonis, quam malis Manibus dicare tumulos consueverant, quod in eorum Inscriptionibus passim occurrit. Sed enim, ut non omnis fert omnia tellus, teste maximo Poetarum, sic non omnes omnia vident, nec videre, etiamsi velint, possunt. Porro Provinum hunc Christianorum sacris imbutum fuisse non modo duo hæc elementa B. & M. sed etiam duo alia X. & P. media inter primum versiculum collocata facile evincunt. Siquidem hæc elementa postrema hunc in modum ☧ copulata, atque connexa, Christi nomen sine ullo dubio referebant: sive appingerentur vexillo militari, quod ante Imperatorem de more gestabatur, auro gemmisque intermicantibus intextum, ut Cardinalis Baronius observavit *ad Ann.* 420. *&* 423. Tom. v. sive in Epistolarum, aliorumve scriptorum fronte prænotarentur, uti nos perpulchre docuit Franc. Bernardinus Ferrarius, Ambrosiani Collegii Doctor eruditissimus, lib. III. *de Antiquo Ecclesiasticarum Epistolarum genere*, cap. II. sive defunctorum sepulcris inciderentur, quod à nobis animadversum multis in marmoribus, tum Romæ, tum Mediolani, & cum Amico Antiquitatum hujuscemodi peritissimo, non sine laudis præfatione infra commodius nominando, communicatum; sed in marmore illo potissimum, quod in Ædis Ambrosianæ sacello maximo Ludovico Cæsari Caroli Magni pronepoti, hisce notis Epitaphio præmissis, inscriptum vidimus, nec descripsimus, quod in omnium oculos adhuc etiam ultro incurrat: sive demum lapidibus incisa parietibus affigerentur Ædium vero Deo sacrarum, quod à me pariter duobus ex aliis vetustissimis lapidibus observatum, quorum alter superstes adhuc in fronte fastigii delubri D. Martini in Compito visitur, alter olim ad ostium sacrarii metropolitani, ubi nunc senes illi candidati & cucullati panem & vinum sacerdoti solemni ritu celebranti apparant, positus apparebat. In quibus illud amplius observavi præter elementa illa duo X, & P. juxta præmonstratum modum inter se nexa, duo alia Græca prope posita sese ad spectandum exhibere, α scilicet & ω, involuta circulo, ut quemadmodum illa prima Christum Servatorem rerum omnium principium & finem, juxta Apocalypsis vaticinium, esse demonstrant, sic is circulus Christum Deum principio, fineque carere, juxta Ægyptiorum mysteria, declararent. Atqui ne primum lapidem notis prænotatis insignitum indicium esse certissimum ædis sacræ dicatæ Christo Domino Servatori, protulisse videar sine fundo, neminem latere debet, vel ab ipsis Ecclesiæ nascentis incunabulis usu laudabili receptum fuisse, ut sacræ fidelium ædes certo Christi signo notarentur, tum ut ab Infidelium delubris internoscerentur: tum ut sanctiori cultu celebrarentur. Et licet juxta varietatem temporum diversis illæ signis fuerint insignitæ (ut varia sunt hominum ingenia, capitaque diversa) cruce tamen, & Christi nomine frequentius exornabantur ex Gulielmi Duranti nota lib. I. *Rationalis Divin. sacrarum litterarum*, & Baronio passim Tom. I. & II. *Annalium*, à quibus tum testimonia locupletissima, tum variarum Ecclesiarum exempla appositissima recensentur. Hinc factum, ut memoratum & descriptum à nobis signum (quod Antiquitas *Labarum* appellabat) non multo post à fidelibus adhiberi cœperit, atque adeo frequentius in marmoribus incidi in sacris ædibus consignandis, dicandisque Generis humani vindici, ac servatori Christo, unum scilicet duorum loco, quod hujuscemodi signum, tum Crucis formam, tum Christi ipsius nomen admirabili quadam ratione connectat. Firmatur itaque vel hoc signo maxime nostra sententia, eoque firmius, quo ex ejusdem situ liquidius apparet, illud eo loci positum, non ut in vexillo, tumulo, aut epitaphio, sed ad solam Ædis ipsius nuncupationem Christo Domino declarandam. Hæc de primo lapide.

Secundum nunc juvat expendere: in eo siquidem desideratur linea illa, quæ in primo P. secans ad angulos rectos Crucem effingit. Atqui ejus circulus longe laxior, ambiensque omnes illas notas subscriptis his versibus, tum circuli, tum notarum ipsarum mysteria reserantibus:

Circulus hic summi comprehendit nomina Regis,
Quem sine principio, & sine fine vides.
Principium cum fine simul tibi denotat, α, ω,
X. *&* P. XPI *nomina sancta tenent.*

Porro tabulam ipsam marmoream, in qua versus hos


BIBLIOTECA UNIV
SEVILL

TAB. I.

Fig. 1.

ITIPIRLNI
RYCIUSD
NUXIPO II

Fig. 2.

SI BR
FRUNTINI

Fig. 3.

D PATRI NEAE H

Fig. 4.

D M
ARRIAE
RISTUIAE
MA ELIUS
EM AUG
FU IAM
A AR
O
A III

Fig. 5.

I. SYRUS EVO
VS. SIBI. ET
O. SE. ABIYCHI
CECIANO. I
IURIA. L. A. A. A
IN. FRONTE
IN. ACR. P. XVI.

Fig. 6.

I · O · M
M · TELLON
ATILIANUS

A · M
· SCR
L · PHI.

Fig. 7.

Fig. 8.

D · M · S
PATRI ·
MA · IO
S · F · D

hos incisos vidimus, antequam in Templo maximo locaretur, frontispicium antiquæ Ædis D. Theclæ, cum staret, exornasse credunt Beneficiarii nonnulli natu majores ejusdem Templi, quibus ultro adstipulor. Et hæc occasione signi, sive Labari nostri, de quo qui plura sciendi desiderio flagrat, legat is Aldum Manutium Pauli filium in suo *de notarum explanatione* libello, Gruterum in vasto illo & laborioso *Inscriptionum* totius Orbis opere, Jacobum Gretserum Tom. III. *lib.* I. *cap.* IX. X. & XI. Antonium Augustinum ubi de nummis Labaro insignitis, J. Lipsium lib. III. *de Cruce*, & Alciatum in *C. super tit. de Præpositis Labarorum*, Lilius Gyraldus quoque *dialogum* ea de re conscripsit, at in quo nihil super eruditionem Ferrarii, aut nihil præter dicta videtur in medium attulisse. Alciatum vero cum damnat in *tit. de Præpositis Labarorum*, recte id fecisse censeretur, si quid ipse melius literis consi- Tab. I. fig. 1. gnasset. Nunc ad rem nostram.

Addamus igitur duobus illis monumentis tertium, ut allatis antiquius, & è Romano penu. Quis hic injurias temporis non queratur vel in ipsa clarissimorum virorum marmora sævientis. Ut enim hujus monumenti partem perpetuus hostis ille memoriæ reliquerit posterorum famæ, literas ejus certe multas nobis invidit, sine quibus nunquam ejus sententiam assequemur, nisi quis nobis Delius natator adsit. Verum enim vero, cum in eo superstites Romani pronominis reliquias habeamus, operæ pretium fuit illud qualecunque esset adducere, quod ad indicandam Templi nostri vetustatem facere videretur. Eandem jacturam passa sunt alia ejusdem Ecclesiæ monumenta, ac in primis illud, quod Tab. I. fig. 2. non procul ab eo, quod proximo loco descripsimus visitur in hunc modum.

Videre quoque est in pavimento Sacelli Majoris tabulas aliquot lapideas non vulgares, literis antiquissimis insignitas; sed hæ pedum attritu ita consumptæ, & deformatæ sunt, ut ne minima quidem earum pars dignosci vel ab oculatissimis possit. Subdemus nihilominus unam hic aliis omnibus perfectiorem, quam habemus in ipso limine Parochialis Tab. I. fig. 3. Ædis, imo quæ ipsum est limen grandioribus hisce literis exarata.

Ea fere sunt monumenta, quæ ad D. Vincentii visuntur hodie, fidemque Antiquitatis illius facient in posteritatem omnem, si perenniora nostra hæc erunt marmoribus monumenta. Alia enim, quæ vel Alciatus primus ipse collegit, vel Ciccrejus supplevit, nusquam reperire potuimus, sive quod inde manus aliquorum invida ea suas in ædes detulerit; sive profusa nimis aliorum liberalitas juris esse voluerit alieni; sive quod ad veritatem propius accedit, magnam eorum partem cæmentariorum inscitia penitus occultarit, Procuratorumve Abbatiæ parsimonia nimis vetustis illis parietibus minori quoad ejus fieri sumptu possit reficiendis intenta, parietibus ipsis incluserit, nulla tam nobilium marmorum, basium, stylobatum, ac ne columnarum quidem, quas nunc nulli parcentes sumptui quæreremus, habita per summam antiquitatis injuriam ratione. Lapidem unum à Cicerejo repertum ea in agri parte, quæ Templum ipsum attigit, à tergo num adhuc superstitem haberemus, mecum ipse sæpissime dubitavi. Jacet enim lapis in stylobatis formam effictus ad imum sinistri lateris gradum, per quem ad Aram maximam pervenimus, similis ei, cujus in tabula verba ista legisse testatus est Cicerejus lib. I. *Antiquitatum*, *Monumento* XVI.

IVSSV
IMPERIOVE
CAEL DIANAE AVG
CAVIA SECONDVS CVM
VALERIA ATILIANA
CONIVGE.

A Quamvis enim modo laudatus lapis ea in parte, quæ januam Ecclesiæ spectat, nullas admisisse literas videatur, partem illam tamen, quæ in scalarum parietem obversa est, eundemque fulcit, characteribus aliquibus inscriptam fuisse vel ipsa mihi forma lapidis indicabat, & lineamenta cætera in antiquis stylobatibus usitata. Id autem eo mihi facilius in animum inducebam, quod hujus è lapidis regione ad easdem scalas, alter eidem simillimus lapis inventus est cum Inscriptione Jovis, licet difficulter admodum literæ singulæ legerentur ob inversam ejus collocationem, & situm, ut innuimus supra. Sed enim me tum deceptum sensi, cum nimia veritatis indagandæ cupiditate succensus curavi lapi- B dem ipsum amovendum loco, ut ab eo de re omni plenius erudirer. Diversos enim omnino characteres ab iis, quos animo mecum ipse conceperam, continebat, & aliam quam DIANAE vel CAVIAE mentionem, quorum tamen aperte fiebat in allato nuper ex Cicereji *Antiquitatibus* monumento. Quare ne posteris tum omnem lusisse nos operam videremur, descripsimus quæcunque potuimus diligenter, ne elementa cætera cum his, quæ desiderabantur, paterent injuriæ temporis, descriptaque retulimus in hunc locum, ut ignota hactenus, gratissimaque futura iis, quos nobile jucundumque stu- C dium antiquitatis tenet. Tab. I. fig. 4.

Ea stylobatis à nobis reperti est Graphis, hæ notæ: cæteras, quibus ægre caremus, vis frigoris, aut certe calcis abrasit. Contenti his itaque simus, ac ne quis in posterum nobis modicæ fidei notam inurat eo lapide non reperto. Sciat is post ejus à nobis descripta lineamenta singula diligenter cum literis omnibus, quæ supererant relatum eundem fuisse statim in pristinam suam sedem, ac locum, tum ne Templi scalæ ornamento suo, fulcroque carerent, tum ut eleemosynarum capsulæ firmamentum haberent, cui ut antea firmiter inhærerent. Quamvis autem ejus explicationem afferre D velle non necessarium videri possit iis, qui divinationes hoc in genere, vel conjecturas in minimis habent, placet nihilominus quid ea in parte possimus pro viribus experiri, ut si minus ejus germanam sententiam assequi valuerimus, laudemur saltem quod voluerimus in tanta non visi prius caligine Monumenti. Quid literæ D. & M. sibi appositæ prima in fronte lapidis velint, notum est adeo quam quod notissimum vel mediocriter eruditis, ne lippis ac tonsoribus dicam. Eæ siquidem passim inscribi solebant Veterum monumentis, ut inde DOMVS MORTVI LOCVSVE DIIS MANIBVS SACER distingueretur à cæteris, quæ nulla religio E consecrarat. Quamobrem qui sepulchra demoliebantur, ii DEOS MANES LAEDERE EORVMQVE JVRA violare putabantur. Hinc illa lex in XII. Tab. exarata, de qua Cicero; DEORVM MANIVM. JVRA. SACRA. SVNTO. HOS. LETO. DATO. DIVOS. HABENTO. Corrige (ut hoc obiter moneamus) HOS. LETHO. DATOS. DIVOS. HABENTO. meliori sensu. Ea caussa Majorum sepulchra cum Deorum aris & templis plerumque conjuncta sunt, & pro iis non justa solum, sed etiam necessaria bella suscepta; nec unquam maximis ingeniis præditi sepulchrorum cæremonias Pontificio jure sancitas tanta sibi cura colendas persuasissent, nec violatas F tam inexpiabili religione sanxissent, nisi eorum sanctitatem animis imbibissent. In ARRIAE nomine gentem Romanam agnoscimus, plebejam illam quidem, sed consularem, & ipsam præterea rectam, atque germanam orthographiam vocis: ARRIAE siquidem, sicut & ARRIVS, geminam liquidam amat, contra Recentiorum quorundam nimisque elaboratum scribendi usum, quem ut ita facile non receperimus, repugnante in primis Inscriptionis hujus, aliorumque gravissimorum hominum, & Codi-

Codicum M. S. auctoritate, à qua justa potissimum orthographiæ ratio petenda est; ita non omnino damnaverimus, ut alii nimis libere facere consueverunt, quibus longe facilius est carpere, quam literam exarare. Nam & apud Græcos nomen ARRII, Philosophi Nicomediensis, qui Vitas Epicteti, & Alexandri Magni luculenter conscripsit, duplici ρρ scriptum invenimus, sicut & apud Latinos ARRIAE uxoris Papinii Poeti, ad quem M. Tullius Cicero plures Epistolas dedit, quæ leguntur in iis, quæ *ad Familiares* inscriptæ vulgo circumferuntur. Advocat huc etiam Manutius Festum, cujus illa sunt: *Torum, ut significet torridum, aridum per unum quidem R. antiqua consuetudine scribitur: sed quasi per duo RR. scribantur, pronuntiari oportet. Nam Antiqui nec mutas, nec semivocales literas geminabant, ut sit in* ENNIO, ARRIO, ANNIO. Advocat & Isidorum rationem in medium afferentem, cur unica R. quandoque ARIA vel ARIVS scriberetur, nempe ob sicilicum à Veteribus poni supra literas consuetum, cui cum oculos non adjecissent, facile decepti sunt; sic enim ille libro *Etymologiarum* I. cap. XXVI. *Veteres non duplicabant literas; sed supra sicilicum apponebant, qua nota monebatur lector geminandam esse literam.* RISTVIAE sive nomen, sive cognomen, familiæ apud nos clarissimæ antiquitatem docet florentis etiam num inquam meritis, & virtutibus Mediolani, RESTIAE scilicet, qua non alia priscam illam RISTVIAM perfectius refert, si bene utraque conferatur. Atque hæ quidem literæ patentes apertissime, neminem latent, non ita quæ in area stylobatis, quas tanto quis acumine poterit inveniri, qui eas legere, lacunasque earum omnes explere se posse confidat. Satius utique fuerit hic aliud agere, quam inter tot ejus monumenti Harpocrates somnia comminisci.

Erat in animo inversam hujus stylobatis faciem, uti nunc se habet, hoc ipso in loco delineatam graphice repræsentare; sed quia nihil aliud ab ea præter literas paullo ante descriptas afferebatur, eruditorum hominum lectione, vel admiratione dignum, idcirco laborem istum nobis consulto prætermittendum esse duximus, ne rebus non necessariis paginas impleremus. Occupabit igitur illius locum Graphis altera lapideæ Basis, cujus sedes olim fuisse traditur prope Xenodochium Templo nostro conterminum, ut est ab Antiquariis aliquibus literis consignatum. Neque enim antiquam ea nunc sedem obtinet, nec ejus apud nos vestigium apparet ullum; quin laborem non nisi post improbum exantlatum reperta tandem à nobis est in Horto Palatii, quod non minori sumptu, quam studio exstruere, atque instruere aggressus est, Tabulisque & Inscriptionibus antiquissimis exornare, clarissimus antiquitatis vindex Prosper Vicecomes è regione sacri septi Vestalium D. Bernardini, non tam ad familiæ suæ commodum & opportunitates, quam decus & ornamentum universæ Gentis, quæ non tam sago clara, quam Toga, literas pari cum laude coluit domi, & arma tractavit foris, alumna mitis utrobique, ac sæva Musarum, & Martis. Id autem eam ob caussam libentius faciemus, quod labore nostro, laborem ejus inquirendi reliquis minuemus, ac fortassis etiam literas ejusdem singulas colligendi. Pleræque enim omnes exesæ laborem requirunt Herculeum, ut legantur, atque ut legi commode possent integro marmore, fracta ejus certe parte maxima, legi nunc minime possunt, nec sat scimus injuria temporum an virorum? Quod igitur à nobis colligi ea ratione potuerint, quam subdemus, referri in acceptum Paulo Morigio debet, quem non dissimulamus facem nobis in hisce tenebris prætulisse. Sic enim illas præeunte nobis illius Historia, in qua *lib.* IV. *cap.* XVII. cum aliis marmoribus multis à se repertis in eodem Horto, stylobatem

A hunc quoque descripsit, inoffenso, uti arbitramur, oculo legebamus. Tab. I. fig. 5.

Stylobatum hujuscemodi notas non persequar, nec figuram. Usus enim eorum ad Tumulos ita frequens Patrum nostrorum memoria fuit, ut recentioribus etiam vel mediocriter in hisce studiis institutis familiaris hodie quoque sit ejusdem cognitio formularum. Adde tot huic affinium monumentorum exempla in hac ipsa nostra Urbe collecta suppeditari, eaque integra & perfecta ab optime de Antiquitate meritis Alciato, Merula, Bonaventura Castillionæo, & novissime (ut Gruterum interim, & alios eruditissimos, ac amantissi-
B mos antiquitatis reparandæ viros sub alio Sole degentes tacitos omittamus) Hieronymo Burserio Novocomensi, nulli hac in parte secundo, meique studiosissimo, in augustissimo *Insubrica Magnificentia Theatro*, cui primum Tomum jam editum gratulamur; quamvis illum adhuc in Germania exsulare indoleamus, ut nostrum hoc velle post acceptum à tot Reipub. litterariæ syderibus lumen, illustrare denuo, bonas esset horas pessime collocare.

Quid quod adsportatum extra nostræ ditionis fines operam nostram exposcere non videtur, contentum ostensione Scriptoris, & loci, apud quos legi & intelligi per otium possit. Eandem plane fortunam experta est Basis tertia silicea, quæ
C suis è sedibus alio, nescio cujus opera, translata in Æde nunc Paroeciali sacra Vigentini ad imum scapum columnæ visitur cum Epigrammate ad nostrum Jovis olim Templum apte adeo, quam quod aptissime, pertinere. Licet id colligere tum ex primis ejus elementis: tum ex Atiliani cognomine, quo prima Basis nostra (Valeriæ scilicet) insignitur. Quam ecce tibi, candide Lector, animo hic candido exhibemus, ne quid à nobis hic fingi existimes. Tab. I. fig. 6.

Habemus nihilominus alia, quibus antiquitatis & posteritatis gratiam colligamus. Lapides hi tres
D sunt antiquissimi reperti nuper ab Aloysio Castillionæo, cujus in indaganda pleraque monumentorum Basilicæ Vincentianæ parte, quæ nostro in opere cernitur, solertiam eximiam commendare nostræ partes essent, nisi nobis is frater esset, & charissimus frater. Primus in Abbatiæ Horto repertus hic est, quem, ne characteres ejus plures injuria temporum interirent, aut cæmentariorum imperitorum opera rursus ædificiorum latebris involverentur, exteriori parieti Templi, qui ad Meridiem spectat, idem Aloysius frater affigendum curavit rei antiquariæ bono. Tab. I. fig. 7.

Alter figuræ non dissimilis, coloris dissimilis li-
E cet, & characteris, paullo post primum inventus, nec procul ab eodem inibi collocatus cum explicatione subscripta legitur ad hunc modum: Tab. I. fig. 8.

DIIS. MANIBVS. SACRVM.
PATRI.
MACVVIO. IOVIS.
SACERDOTI. FLAMINI. DIALI.

Tertius siliceus, & integer prope duos alios superiores positus, parietem eundem exornat hac forma:

F D. M.
ERIIVS P.
MITIVS IER
IE CONIVG
BENEMERI
TISIME.

Quartus marmoreus confractus ex parte quadam, & parergis non invenustis ornatus, ac politissimarum literarum forma, cæterorum omnium pulcherrimus, & maximus eorundem. Hæret nunc juxta

juxta alios in adverso Januæ pariete, & legitur in hæc verba:

V. F.
L. PVLLIVS
ↄ ESTVTVS
IBI. ET
NIAE
IGI
IAE

Ex his igitur omnibus apparere nunc demum liquido judicamus, à doctis minime probandam esse sententiam Scriptorum illorum, qui diserte negarunt Templum hoc nostrum conditum ante Christi Domini Servatoris adventum; sed eorum potius, qui multo ante conditum, & Jovi summo dicatum à Romanis in has oras summo cum imperio, & potestate missis, Desiderii deinde conatibus restitutum, & auctum sacrorum Monachorum Cœnobio, prodidere. Nam & Alciatus, (quem hic libenter sequor) patriarum antiquitatum peritissimus scriptor, in hac ipsa sententia fuit, ut aperte colligimus ex *Oratione*, quam pro restituendis publicis Mediolanensibus ædificiis habuit, minime contemnenda fragmentorum, & lapidum antiquissimorum auctoritate commotus, quos à se in hoc ipso Urbis tractu visos diligenter exscripsit, non opinione vulgi, quod illi falso attribuit Catellyanus Cotta in *suo ad ejusdem Alciati Antiquarium supplemento*, ita de eo scribens pagina 141. *Alciatus Sancti Vincentii Basilicam simpliciori ductus vulgi traditione Jovis Templum fuisse arbitratus est: ego tamen Templum Jovis erectum olim in ruinis Sancti Victoris vulgo Maximi extra Urbis mœnia ob Inscriptionem ibi nuperrime repertam adnotavi, siquidem ipsamet Inscriptio habet literis prioribus I. O. M. Quod item colligitur, & ex sequenti:*

I. O. M.
C. VALERIVS C. L. FORTVNATVS
IVD ET VA...VS...M.

Cæteris ob vetustatem ablatis.

Quinimo etiam atque etiam miror, tale inter Cottam & Alciatum dissidium exstitisse, cujus ergo placuit ejusdem verba ipsissima hic referre. Cum alioqui Cotta Jurisconsultorum illum Principem, & Concivem suum, arguere se voluisse non scriptione solum, verum etiam auctoritate apertis (quod ajunt) tibiis professus sit. Quamquam illud etiam admiror magis, virum alioquin ingenuum, qualis haberi vult Cotta, dolo malo subticuisse rationem illam, quæ Alciatum perduxit in sententiam nostram, quo somnia sua scilicet patentiorem in animis imperitorum aditum invenirent. Neque vero tanti apud me sunt Inscriptiones illæ duæ, quas se reperisse jactitat, ut ab Alciati partibus me divellant. Nam præterquam quod mutilæ, & imperfectæ sunt, ac fortassis etiam commentitiæ, cum nullibi locorum appareant; inter omnes constat, non Jovis, sed Martis Templum ad S. Victoris antiquitus exstitisse, cujus ergo cognomen adhuc retinet Victoris Martii apud sane loquentes & probe. Vulgus enim, cujus est omnia permiscere, missa M. consonante, T. in consonantem proximam commutata, ARSIVM corrupte profert pro *Martio*, antiquitatis & eruditionis hujus prorsus ignarum. Eam ob caussam Alciatus Monumento Patriarum Antiquitatum XXXVI. sic illam esse voluit posteritati testatam: MARTIS TEMPLVM *apud Majores nostros celeberrimum fuit, quod subsequens ætas priori nomine* VICTORI MARTYRI *nuncupavit, dedicavitque.* Quî fieri potuit igitur, subdet aliquis pro Cotta pugnans, ut Jovis mentio fieret in hoc Templo? Potuit, & facti rationem afferemus

A in medium non inviti. Sciendum est igitur, positum olim apud Ethnicos in more fuisse, ut hasce literas I. O. M. inscriberent omnibus fere memoriis defunctorum, non aliter ac Christi Domini sectatores alias hasce præponerent D. O. M. id quod fuit à paucis hactenus observatum. Nihil ob id aliud Inscriptiones Cottæ, quales illæ cunque sunt, docent, quam eo in Templo positum fuisse Viro Ethnico monumentum, non Templum Jovi Optimo Maximo dedicatum; aut certe Jovi Optimo Maximo persolutum votum ob literas tres illas postremas V. S... M. quibus si quartam addideris L. quæ B sola nostro judicio desideratur, VOTVM aliquod SOLVISSE Virum illum Ethnicum LVBENTEM MERITO deprehendes. Quid quod liberti opes, qualis fuisse dignoscitur ex ipsamet inscriptione VALERIVS FORTVNATVS, tantas fuisse vix credam, ut Templo Jovi suffecerint exstruendo. Accedit huc illud etiam majus nostræ sententiæ firmamentum, Veteres, Deorum inanium cultui mancipatos, quotiescunque Templum Deorum suorum alicui dedicabant, solitos fuisse in ipsis dedicationis tabulis inscribere Dei illius nomen, suis omnibus literis explicatum, iisdemque grandioribus nomine dedicantis, ut ex iis, quas libet apponere, colligetur. C Romæ enim in S. Alexio ista sic legitur in honorem Jovis:

IOVI OPTVMO MAXIMO
DOLOCHENO. T. FLAVIVS COSMVS
IVSSV DEI FECIT.

Et alibi in ædibus Marcelli:

IOVI DOLICHENO
M. AVERONIVS KARICVS.
D. D.

D

In honorem autem Herculis hæc in ejusdem templo:

HERCVLI INVICTO. M. CASSIVS
HORTENSIVS PAVLINVS PR. XR.
VIR. SACRIS FACIVNDIS DONVM
DEDIT.

HERCVLI INVICTO. M. JVNIVS.
CESONIVS HICHOMACHVS ANICIVS FAVSTVS PAVLINVS. CN. PR.

E Vel ut alii, & nos ipsi Romæ observavimus:

HERCVLI INVICTO
M. CASSIVS HORTENSIVS PAVLINVS PR. VRB. XV. VIR. SACRIS
FACIVNDIS DONVM DEDI.

DEO HERCVLI INVICTO
M. IVN. CAESONIVS NICHOMACHVS ANICIVS FAVSTVS PAVLI
NVS C. V. P. V. D. D.

F

Et in Capitolio:

HERCVLI SAC.
ALCIDAE SACRI GENERIS DECVS
HOC TIBI PRAETOR. ET IOVIS
ANTISTES DEDICO PERPETVVS.

Ubi & hoc aliud marmor, effossum olim in ejusdem Templo juxta scholam Græcam, & Circum maximum:

DEO

DEO HERCVLI INVICTO A
C. IVL. POMPONIVS PVDENS SE-
VERIANVS V. C. PRAE. VRB.

Sicut & hoc aliud quadratum, & in omnibus suis partibus scriptum: in prima sic:

HERCVLI INVICTO
T. FLAVS IVLIANVS QVADRATIA-
NVS V. C. PR. VRB. XV. VIR. S. F.
DONVM DEDIT.

In secunda:

DEO HERCVLI B
M. NVM. M. IO. CEIONIO ALBINO
PRAETOR. VRB. AN. V. C. DEDI-
CANTE.

In tertia:

DEO HERCVLI
IVL. FESTVS V. C. PR. VRB. ANN.
D. D.

In ultima:

HERCVLI INVICTO
POMPEIVS APPIVS FAVSTINVS V.
C. PR. VRB. N. D. D. FELICITER. C

Faciunt huc aliæ duæ eidem Numini positæ in eodem loco, quas si cum aliis non afferremus, injuriam antiquitati maximam faceremus. Una est in rotundi lapidis fragmento carminibus in fine mutilis exarata:

HERCVLES INVICTE CAVTIVS HOC TVO DONV
NVMINI SANCTO DICAVIT PRAETOR VRBIS
CVM PIA SOLEMNE MENTE RITE FECISSE
TRADIDISTI QVOD PRO POTITIIS EVANDREO D
ADMINISTRANDVM QVOD ANTIIS HIC ADE.

Altera vero ejusmodi:

HERCVLI VICTORI POLLENTI POTENTI INVICTO D. D. L. M.
C. VLPIVS FRONTO VIATORQVE DEDIC. III. K. IVL.
L. VETTIO PAVLLO.
T. IVNIO MONTANO COSS.

Eandem scribendi rationem retinent aliæ dedicatoriæ tabellæ Numinum aliorum in eadem urbe, ut illa NEMESIS in Trajani foro: E

VIRGINI VICTRICI SANCTAE DEAE NEMESI. M.
AVRELIVS ROMANVS OPTIO KARC. CHOR.
XII. VRB. GORDIANAE D. D.
DED. KAL. IAN.

SILVANI in regione Tricrii olim in Capitolio:

SILVANO SANCTO SACRVM
PHILEMON. P. SANCTI ELEVTHERI D. D. F

Et in Haranulæ Regione:

SILVANO DENDROPHORO SACRVM
M. POBLICIVS HILARVS MARGAR. QQ.
PP. CVM LIBERIS
MAGNO ET AMONIANO DENDROPHORIS
M. D. M. DE SVO FECIT.

LIBERI quondam in domo Jo. Ciampolini:

LIBERO PATRI SANCTO SACR.
SEX. COELIVS PRIMITIVS ET PVBLICIA ANTVLLA VOTO SVSCEPTO
D. D.

SERAPIDI DEO
M. AVRELIVS ANTONINVS PONTIFEX
MAX. TRIBVNIC. POTE. X. AEDE. CV.

APOLLINIS ibidem in ædibus Custodis Cancellariæ:

APOLLINI
Q. LOLLIVS VRBICVS PRAEF. VRBIS.

SOLIS in eisdem ædibus Custodis Cancellariæ:

SOLI SACR.
C. IVLIVS HELIVS EERRARIVS VOTO
SVSCEPTO
D. D.

SOLIS
A. RA. L. SPEDLVS QVADRATVS
D. D.

Pluribus ultro supersedemus, ne lucernam in solis luce clarissima accendamus. Illud monuisse contenti, eam nos ob caussam Inscriptionem Templi nostri primam affirmasse dedicatoriam esse ob nomen Jovis grandioribus omnino literis explicatum: secundam vero negavisse Epitaphium esse, seu Titulum monumenti, sed esse voti tabulam, conjecisse ex eo, quod in votorum Inscriptionibus, secus ac in Templorum dedicationibus fieri consueverat, Deorum nomina primis, ut plurimum, literis inscriberentur, & charactere plerunque simili characteribus sequentium versiculorum, ut hæc ipsa nostræ similis palam ostendit in Ecclesia Apostolorum Romæ:

I. O. M.
CAELIVS BARO VOTVM SOL. L. M. N.
I. O. T.
ET DIIS DEABVSQVE MANELLIA VALERINA. S. L. M.

Et eæ Cottæ Mediolani, quæ si quid probant, hoc probant. Possemus hic alias hujusce generis Tabulas ex reliqua antiquitate eruere, nisi putaremus satis esse ad Alciatum à Cottæ calumnia vindicandum, ostendisse eas ipsas, quas attulit Cotta, nihil omnino probare contrarium Alciato, ipsamque præterea communem hominum famam, quam idem ille contra Juris & Antiquitatis peritissimi Viri sententiam adducere non dubitavit, sibi adversari potius, quam favere. Nescio quod enim veritatis pondus & momentum famæ communi inest, quod ita facile non infringas, & cum majora Scriptorum testimonia desunt, per manus accepta traditio plurimi fieri consuevit, quin immo in rerum antiquarum veritate probanda primum ea sibi locum vindicat inter ea, quibus tum utimur, ne labamur. Sed quoniam sententia, quam de Basilicæ nostræ antiquitate protulimus non tam communi famæ, aut traditioni Majorum innititur, quam testimoniis eorum, qui soli constituere Remp. antiquariam possunt, & Inscriptionibus iis, quæ nostram longe ætatem superant, & Parentum ævum, supervacaneum erit ea in parte diutius immorari. Quamquam possemus etiam, si vellemus, subjicere fragmenta singula, quæ pro se nobisque apud nos observasse commemorat Alciatus, cum is quænam illa

la sint omnia persequi neglexerit sigillatim. Nobis enim, qui in re praesenti quotidie sumus, unumquodque eorum percensere facile esset, & nostram solidius inde sententiam confirmare. Exceptis enim Stylobatum, Spirarum, & Peristyliorum fragmentis, quos Fasciculi hujus initio repraesentare voluimus, & Columnis duabus de triginta commodius alibi recensendis, quae nostrum adhuc Templum exornant, & aliis duobus lapidibus in usum sacri Laticis excavatis, duos praeterea truncos praegrandes habemus columnarum aliquot varii marmoris, & alia fragmenta duo marmorea coronarum, quarum forma, denticulus, folia ipsa non negligenter è saxo ducta, aliaque omnia Corinthii nobis operis symmetriam exhibent intuendam, quam uti principem inter alios Ordines simplices Architecturae Jovi ipsi Deorum olim maximo tribuebant, ut est à M. Vitruvio, & post ipsum ab Andrea Palladio *lib.* IV. *cap.* XVIII. monitum, & servatum: eam ob caussam opere Corinthio conditum fuisse Romae Jovis Statoris Templum, & Jovis Tonantis ibidem ad Capitolii radices, quorum in sententiam it ipse quoque Burserius lib. XIV. supra *laudati Theatri Insubricae Magnificentiae* pag. 77. ubi symmetriae paris marmor expendit, quod olim erat in aedibus Marlianorum in hac nostra Urbe cum Aquilae sacrae Jovi sculptura, & Scriptores alii de Romana antiquitate meritissimi, nec spernendi. Mensae porro qua candidi, qua rubentis, qua subobscuri marmoris tot ac tantae sunt, ut eorum nos omnium summam posse subducere vix speremus. Sed neque, quam multae species, nec nomina quae sunt lapidum coloratorum (ut hoc mihi de suo commodet Mantuanus Vates)

Est numerus: neque enim numero comprehendere refert:
Quem qui scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere, quam multae Zephyro turbentur arenae;
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus
Nosse, quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Referremus etiam, si vacaret, hunc ipsum in locum candida saxa permulta & magna Templi nostri parietibus passim inserta, vel alibi otiose jacentia, in quibus variae quaedam inter se fasciae venuste connexae eum in morem, qui non certe minus quam clare marmora illa non ignobiles Templi alicujus Idoli reliquias esse doceat, ac omnino talia, qualia contendit esse Ripamontius lib. V. *Historiarum Ecclesiae Mediolanensis*, ornamenta illa, quae imas arcuum extremitates ambiunt ejus porticus, quae ante faciem Basilicae Ambrosianae excurrit, quum ea nos cum nostris contulerimus aliquando, & ejusdem prorsus esse materiae, ne dum formae simillimae, viderimus, quam quae non mente sed oculis usurpamus. Subderemus his etiam confertam aciem quodammodo lapidum aliorum, vasorumque fictilium, quibus aeque foris abundamus, ac domi, nisi vereremur ne longius Fasciculus hic primus excurreret, quam debet. Sed erit eam commodior instruendi locus, & in apertam planitiem deducendi, cum verba faciemus aliquot de Lupercis. Nam & in superstitiosae nimis antiquitatis marmoribus indagandis studiosiores aequo videri fortasse volumus, & esse animo nimis infenso iis, qui suam Templo nostro vetustatem adimunt, quasi ex ingenio Cottae restiterimus, affuerimus Alciato, quamquam unum me defendendae veritatis studium ex illa veterum fragmentorum observatione succenderit, non cacoethes aliquod conceptum virus in civem nostro magno cum dedecore profundendi. Maneat igitur D. Vincentii Templum vetustissimum esse, ac inter praecipuas Urbis nostrae Basilicas referendum. Ac licet ob accolarum distantiam, aut propter nimiam Ambrosianae Portianae, Laurentianaeque Basilicae propinquitatem in septem illas praecipuas numerari nequiverit; inter duodecim tamen, quas Insigniores vocant, tum ob antiquitatem, tum ob Sanctorum Reliquias, & Indulgentiarum Thesauros, jure semper ac merito numeratum: cujus ergo factum est etiam, ut primis illis temporibus, quibus majori pietatis igne fidelium animi aestuabant, summas ad opes pervenerit, & uberrimam reddituum terrenorum messem. Id autem, quod attigimus de Basilicis duodecim, adeo notum est ex trito libello *de sacris aedibus Mediolani*, ut confirmatione non egeat clariore.

JO. ANT. CASTELLIONAEI
FLORILEGIUM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.
SECTIO I.

FASCIC. II.

Variae Templi Formae. Rotunda-ne fuerit, an Quadrata. De aliis quaesitum ordine, praecipue de postrema, in qua Ara Maxima, Confessio, Sacella minora duo, Baptisterium, Sacra Turris, & campanae, sacrarium, Picturae Novae, ac Veteres. Novenarii, minorumque ejus ergo Numerorum aliquot Mysteria recensita, appictaque ad finem totius Templi, & Paroecialis domus Ichnographica tabella.



ORDINE facturi nunc esse videmur, ac loco, si Templi nostri praestantiam ductis ad historiae veritatem, quoad ejus fieri poterit, lineis adumbremus. Ac licet per se quisque possit eam sibi proponere contemplandam vel ex ipsa praestantia conditorum, quales illicunque fuerint, sive Romani viri nobiles, ac Senatores, sive pri-

 mus

mus apud nos divini verbi nuntius, & interpres Barnabas, sive quis alius ejus in Archiepiscopali provincia successor, sive Desiderius Longobardorum Rex æque pius, ac potens, (solet enim ædificiis omnibus decus ingens adjicere non tam Architecti peritia, quam conditoris, illustri loco sati, vel aliquo dignitatis fastigio collocati splendor) eam nos tamen hoc capite ex ipsa forma potissimum colligemus, juxta quam primitus conditum & ornatum fuit. Ac ne Lectorem diutius immoremur. Ea sane præcipua Templorum forma semper est habita, quæ rotunda fertur in orbem à seipsa incipiens, seque in ipsam definens ac recurrens. Testantur hoc Romanorum Templa quamplurima Diis Majorum, ut ita loquamur, Gentium passim in urbe condita, ac inter cætera Pantheon sic dictum, quod rotunda quædam esset, cæloque persimilis sedes, ac eam ob caussam Deorum omnium domicilium existimata, ut ejus adhuc ex parte superstitis vestigia docent, retento nunc etiam cum D. Mariæ nomine, cognomine *ad Rotundam*; nec non cella ipsa Herculis Mediolani ad Romani Pantheonis similitudinem primitus efformata, restituta deinde fidelium opera, Divoque Laurentio Martyri consecrata. Idcirco nemini nos ambigendum duximus talem fuisse primævam Templi nostri speciem, ac figuram; tum quia sacrum illud fuisse docuimus IOVI, qui à Majoribus, teste locupletissimo Cicerone, OPTIMVS propter beneficentiam, MAXIMVS propter vim dictus, summo sibi jure suis deposcebant in Templis optimam & maximam figurarum, quam ex mente Platonis Geometræ omnes uno ore existimarunt esse rotundam: tum quia lapideas mensas quasdam habemus è ruinis antiquis erutas nostri Templi, fragmentaque plurima marmorum rotundorum, quæ de orbiculari ejus structura neminem dubitare sinunt: tum demum, quia Jacobus Andrevetius in exemplaribus Templorum ab Ethnicis exstructorum, quæ typis æneis elegantissime descripta, Mediolanumque delata ex Belgio, apud Amicum vidi, Jovis Templa rotunda quondam fuisse testatur, appositis Ichnographiis aliquot eorundem. Quod si quis alia sentiens Templum nostrum quadrata quoque forma condi potuisse contenderit, hujus nos conjecturæ, quæ in vetustissimis rebus cuique libera est, non vehementer admodum reluctabimur in præsenti; siquidem quadratis in Templis etiam cultum fuisse Jovem accepimus, ac in ipsa potissimum Insula Tyberina, & juxta Palatium Romæ, ac templum quidem illi positum, in Insula Tyberina ea symmetria fuisse, quam Græci Πρόστυλον dicunt: quod autem juxta Palatium habuit, Jovisque Statoris Delubrum appellabatur, proportionem peripterícam retulisse, quæ de M. Vitruvii sententia libro *Architecturæ* VIII. cap. I. stantes columnas sex in fronte, totidem in postico, novem in utroque latere requirebat. Ac isto quidem ex numero columnarum delubro Jovis Statoris simillimum fuisse nostrum, conjiciunt ii, qui quadratam illi figuram adscribere voluerunt. Habet enim columnas in Æde inferiori decem, in superiori vero duodeviginti, quibus arcus & fornices innituntur. Supersunt ad hæc peristylia duo ejusdem omnino formæ, quæ in usum labri lustralis aquæ annis ab hinc aliquot concessere, quemadmodum & in alios usus truncæ partes aliquot columnarum, quarum omnium numerum, qui subducet, totidem esse reperiet, quot olim fuisse prodidit in Jovis Statoris Templo Vitruvius, nec non ordinis, ut erant illæ Corinthii, nostrumque Templum à nostris, ut Jovis illud à suis extrinsecus circumseptum.

Ut ut sit Rotundæne Quadratæve structuræ nostrum initio fuerit, parvi refert, cum priscam il-

A lius præstantiam vel columnæ solæ spirantia majestatem illam, ac marmora fateantur amplissimam vetustatis, quam iis visis alibi frustra desideres ac requiras. Cæterum quam primo figuram accepit, retinuisse credimus post natum humani generis vindicem, ac Servatorem, post ipsum quoque adventum Barnabæ, ipsumque adeo recens acquisitæ Christo sobolis incrementum. Nondum enim eo processerant nostræ religionis vires, ut antiqua Templa restituere, ne dum nova condere, auderent. At ubi robur illa cœpit, ac vires, radicesque altius egit in animis virorum æque nobilium, ac matronarum, instauratum idipsum fuisse, & no-
B vam assumpsisse speciem, arbitramur, columnis omnibus, quæ foris prius exstiterant, ejusdem in laxiorem sinum ac pectus, Ecclesiastico more, translatis, ut aliis tum in Templis fieri consuevit. Consecuta sunt ævo progrediente tempora Longobardorum Regum: utque ii barbari penitus, & agrestes, sic ipsis regnantibus Romana Templi nostri facies, venusta illa scilicet, & vetusta, cum rudi & impolita protinus est mutata, indeque profecta illa capita columnarum, quæ barbaram adhuc ipsam barbariem signant, & alia pleraque artis omnis expertia monumenta. Injuria tandem ævi confectum, consumptumque propemodum
C vetustate restituit, & in augustiorem & ampliorem formam redegit Benus Petronius, summo vir ingenio præditus, & Abbas illius insignis, summa erga Deum & reliquos Cælites pietate, anno à Virgineo partu millesimo tercentesimo octuagesimo sexto, quo Metropolitanæ quoque Mediolanensium Basilicæ jacta sunt altissime fundamenta ab eorum Duce tunc temporis Joanne Galeacio Vicecomite, cujus tum nomen ac laudes interibunt, cum moles ipsa tantæ Basilicæ corruet vel fatiscet. Hinc factum est, ut cum opere Gothico summa Basilicæ moles fuerit excitata, ejusdem architecturam retulerint, ac etiamnum referant, pi-
D cturæ vetustiores aliquot nostri Templi, summi uti potuere præstantiam æmulatæ. Ac ne gratis instaurationis hujus auctorem factum quis à nobis existimet Benum, notum id omnibus, ac perspectum facit ipsius præ Templi foribus Inscriptio, quam hic afferre placuit: tum ne quis ea, quæ diximus, in dubium vocet, tum ut inde lucem aliquam accipiant, quæ de Templi ejusdem Monachis afferemus.

Venerabilis Pater egregius constantis animi, & devotus. Dominus Frater Benus de Petronis de Bernaregio
E generis nobilitate præclarus. moribus & vita decoratus. in divino officio excellentissimus. olim Abbas istius monasterii Sancti Vincentii. cujus gubernationem cum multis tribulationibus & angustia regulavit annis decem octo. mensibus decem. cum magna diligentia. Sic quod bona dicti monasterii reliquit in bono
F statu diligenter conservata. Hanc Ecclesiam S. Vincentii quæ tempore suæ Abbatiæ vetustate ruerat reparari facere inchoavit. eandem multo plus quam primitus erat decorando. Verum quia eam morte præventus ad-

adimplere nequivit. in ultimis conſtitutus talem ordinem appoſuit. quod de denariis pro dicta Eccleſia reparanda cum immenſis vigiliis per eum addunatis, & conſervatis. Infra duos menſes poſt ejus mortem extitit reparata. Vixit enim in tribulatione deceſſit in tempore. quo poterat quiete vivere cum honore. Set tunc Deus vocavit eum ad ſe & forte profuit ejus animæ. quæ divina miſericordia interveniente requieſcat in pace. Amen.
Diem ſuum enim clauſit extremum milleximo trecenteximo octuageximo ſexto die quinta decima menſis Auguſti.

Ex his adeo veram quam quæ veriſſima eorum eſſe ſententiam arbitramur, qui Templum noſtrum multo ante Deſiderii Longobardorum Regis tempora conditum ſcribunt. Siquidem enim illud ſub Annum milleſimum trecenteſimum octuageſimum ſextum ævi vetuſtate confectum conſumptumque corruiſſe Inſcriptio mox allata docet, Benique Petronii diligentia reſtitutum & auctum, multis ſane ſeculis ante Deſiderii ſceptrum exſtructum idipſum fuiſſe fatendum eſt, cum Ambroſiana, Laurentiana, & aliæ Baſilicæ Mediolanenſes ante Longobardorum Regum imperium conditæ ſtent adhuc, ſalva priſci operis forma, perinde ac ſi illas noſtræ memoriæ Proceres condidiſſent; aut certe à Deſiderio Rege minori quam Regem deceret impenſa reparari cœptum, Petronii tandem Abbatis opera perductum ad culmen, & eam, quam nunc etiam oculis intuentium mirandam objicit, majeſtatem.

Mirandum ad hæc in modum etiam ſitus Ædem hanc noſtram exornat ac locus. Media enim prata inter ridentia, amœnos hortos, feraces vineas, fruteta lætiſſima, ſedem obtinet perennibus aquarum hinc inde manantium complexibus irretitam. Quem oculorum parerga iſta non recreent? Quem non in amorem ſui pelliciant? Quem non in admirationem protrahant vel nolentem? Sed ipſam nos hic Ædem potius ingrediamur, ejuſque penitiorem & interiorem faciem contemplemur. Ea ſatis illuſtris ac magna, quæque poſſit piorum quemvis allicere, ac morari. Eccleſiaſticam quoque ſymmetriam exprimit, & illam ſacrarum ædium majeſtatem, quam non commendare ſummopere, non queas. Tres enim latos in ſinus expanditur in morem Crucis, ſuumque unicuique laqueare imminet opere non ejuſdem. Medium duobus aliis ſublimius, iiſdem artis præſtantia longius antecellit. Summa id in parte faſtigiatum attollitur, tandemque in angulos deſinit ſubnixum tranſtris & tignis, Baſilicarum Romanarum ritu non à ſacris omnino Myſteriis alieno. Hujus ad latera laquearia duo ſunt alia æquabiliter inter ſe dimenſa, tabulato puro quidem ac ſimplici, ſed non auguſto minus primo illo medio, & ſublimiori, licet anguſtiorem locum obtineant, & humiliorem ſedem. Fulciunt hæc columnæ duodeviginti lapideæ teretes, & rotundæ, diſtinctæ inter ſe paribus intervallis, & à Templi foribus recta ad Aram uſque Maximam derivatæ, quarum

A epiſtylia qui viderit & expenderit diligenter, jurabit eſſe Corinthia non coactus. Eædem fulcra ſunt Arcuum octo, reliquique parietis ab his ad ſummum uſque tecti faſtigium pertingentis, in quo feneſtræ totidem arcubus ipſis, ſuo non tam numero, quam ordine reſpondentes. In iis autem aperiendis ratio illa eſt inita, ut hemicycli formam exprimerent in ſuperiori parte; à lateribus vero latiores intrinſecus, quam extrinſecus forent, myſteriorum eorum cauſſa, quorum Patres Sanctiſſimi meminerunt, eademque ſtructura ab illis templa præcipua condita, quale illud fuiſſe memorat Prudentius, quod juxta D. Hippolyti Cœ-
B meterium magna celebritate fidelium colebatur, *Hymno* XI. Περὶ τοῦ στεφάνου:

Stat ſed juxta aliud, quod tanta frequentia Templum
Tunc adeat, cultu nobile regifico,
Parietibus celſum ſublimibus, atque ſuperba
Majeſtate potens, muneribuſque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Suſtinet, auratis ſuppoſitus trabibus.
Adduntur graciles tecto breviore receſſus,
Qui laterum ſeriem jugiter exſinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
C *Culminis, exſurgens editiore apice.*
Fronte ſub adverſa gradibus ſubinde Tribunal
Tollitur, Antiſtes prædicat unde Deum.

Quis hæc legens in D. Hippolyti Templo deſcriptam Baſilicam Vincentianam non videt, aut hanc in illo? Neque vero prætereundum à nobis hoc loco, quod eſt de ſummo Templi noſtri culmine multorum antea Scriptorum monumentis ac literis celebratum, Divum nimirum Ambroſium, Mediolanenſis Eccleſiæ Pontificem, & Patronum irato perſimilem, ac furenti, gladioque diſtricto minitantem Imperatori Conrado, viſum eo quon-
D dam in culmine, feri Ducis pectus & animam conſternaſſe. Cum enim Donato Boſſio referente Conradus Anno ſalutis allatæ Mortalibus milleſimo centeſimo quarto Mediolanum pertinacius obſideret, Griſolaumque illius Archiepiſcopum ad necem inquireret, ut Ambroſium neſcio quem, Mediolanenſis tum Eccleſiæ Cardinalem æmulum Griſolai, ejuſdem in locum ſufficeret ac ſubrogaret, tot ac tanta de cœlo repente tonitrua exaudita ſunt, tot taliaque fulgura micavere, qualia nulla unquam prior ætas meminerat ſe vidiſſe. Inter hæc Bremoni cuidam Archiepiſcopo, noſtro hoc in Templo ſolemnia facienti, & aliis
E duobus Imperatorii Conſilii Præſidibus, quos *Adſtantes* vocant, ejus è ſummo tholo Ambroſius videndum-ne, an pertimeſcendum, obtulit, ea forma, quam antea paucis ivimus adumbratum. Quo viſo Bertantus unus ex iis, qui Conſilio intererant, metu ſimul ac facti conſcientia perterritus & exanimatus ſuam in Provinciam illico ſe recipit; poſtera vero die reliqui cum Imperatore ipſo turpiſſima ſeſe fuga, alii alio palantes ac trepidi, proripuere. Ita rem plane geſtam accepimus à Scriptoribus iis, quorum fruſtra fidem elevant, qui narrant illam aliter acci-
F diſſe. Eminet è ſummo Templi culmine Sacra Turris exſtructa de more, in qua Campanæ duæ; major una ab Turrenſe olim Vincentiani Cœnobii Abbate Anno MDXV. à Chriſto nato inibi collocata, & VI. Idus Mart. Hieronymi Buſcæ præſtantiſſimi horum inſtrumentorum opificis induſtria ſic efficta, ut ſonitum inter alia Urbis æra celebriora perfectiſſimum edat: Altera minor nuperrime, hoc ipſo nimirum anno M. DC. XXIII. quo hæc ſcribimus, noſtra & Parœcianorum aliquot impenſa conflata, librarum

 mille

mille ducentûm pretium excedens, quo piis ægrotantium usibus, & ipsi potissimum societati Dominici Corporis inserviret. At quoniam hoc ipsum instrumentum sacrum est, nosque sacra potissimum in lucem damus, nec pauca me de illius antiquitate, usu, nominibus observasse memini, institutum servabo meum, faciamque libentissime, ut ea cum Lectore pio, benevoloque communicem.

Campana igitur nomen accepit (si Waldensi cap. V. *De rebus Ecclesiæ* credimus) à Campania regione, quod in ejus Urbe præcipua Nola grandiores olim fabricari cœptæ sint, licet alii minores tantum *Nolæas* appellari velint. Quo vero tempore cœperit in lucem dari, minime omnium convenit inter Scriptorum cœtus. Baronius enim Tom. X. *Ann.* factum id censet anno DCCCLXV. quod ego vere dictum arbitror, si de Græcis accipiatur, hoc est, de tempestate illa, qua Græcis Campanæ aliquot dono missæ sunt à Venetis, quibus ante caruerant Turcarum lege, quod earum sonus nimiam securitatem & auctoritatem præ se ferat, & valde ad conjuratorum, aut seditiosorum animos, quamvis longe, lateque dispersos, contra Turcam de improviso congregandos exsistat idoneus. Siquidem idipsum Historiæ Venetorum tradunt. In eam vero sententiam idcirco libentius trahor, quod idem ille sacrorum *Ann.* Scriptor Tom. I. multo ante, quinquagesimo nimirum & octavo anno prius, Campanas in usu fuisse testatur, tum scilicet cum pax Ecclesiæ data. Nam ante Constantini tempora fideles in unum per Cursores & Diaconos cogebantur, uti memoriæ proditum est à D. Ignatio, qui anno XCIII. ab Orbe redempto vixit, in *Epistola* XI. & XIII. quarum verba & sententiam apud ipsum Baronium leges. Neque enim tum ob acerrimas Gentilium persecutiones, quibus habebantur miserrime, Christiani omnes cogi tuto poterant palam, cum sub illa Christianæ fidei initia, ac succedentibus etiam temporibus Christianum nomen invidiæ tantæ esset, ut JUDAICA SUPERSTITIO, fides nostra in *Pandectis* à Jureconsulto Ethnico (quod Andreas Alciatus adnotavit optime) diceretur, ac ob id clam oporteret in Ecclesias convenire, non pulsatis tintinnabulis, quod ea res amplioris securitatis & auctoritatis non parum (ut diximus) præ se ferret. Ob id Plinius Cæcilius in *Epistola* ad Trajanum Imperatorem, ubi de Christianis, & Christianorum conventu & communione agit, cum omnia, quæ facerent Christiani, exsequeretur diligentissime, nullam hujusmodi tintinnabulorum mentionem facit, alioqui, si fuissent in usu, cum res esset momenti non parvi, silentio non transmissurus. In eadem itaque sententia, qua Baronius, fuit Magius libello singulari *de Tintinnabulis* cap. II. non alio scilicet tempore tintinnabula editis locis ac turribus à Christianis imposita, atque suspensa, quam cum Ethnicorum Principum odia refrixerant, ac Piorum Ecclesia caput Martyrum sanctorum cruore non tam fœdatum quam exornatum cœpit extollere. Mentionem fecerunt & alii Campanarum, inter quos Audovenus, qui anno DCL. *Vitam S. Eligii Episcopi* conscripsit, Venerabilis Beda, DD. Anselmus & Bernardus, Concilia Coloniense & Aquisgranense, anno Domini DCCCXVI. celebrata. Sed enim licet quoque altius Campanarum primordia ducere, non tam, inquam, ab annis DCCCXVI. DCL. aut DCVI. quo floruit Fabianus, cui instrumenti hujus inventum adscribit Polydorus Virg. lib. *de Inventoribus Rerum* VI. Franciscus Petrarcha, Onuphrius Panvinius in *Epitome SS. Pontificum*, & alii, sed etiam anno CDXXII. ex D. Hieronymi verbis, qui ea ætate vixit. Is enim in *Regulis Monachorum* cap. XXXIII. ubi de Matutino loquitur, & modo divinum officium persolvendi, meminit Campanæ sonitus in hæc verba: *Ad matutinas excubias media* A *nox vos præparet, nullam ex vobis dormientem reperiat Campanulis sonitus.* Hæc ibi Hieronymus, ejusdem mentionem repetens cap. XXXVIIII. ejusdem *Regulæ*, ubi de ejusdem Campanæ sonitu disserit, *Sorores ad Ecclesiam vocate post cœnam.* Quinimo, qui Campanæ usum à Paulino Nolano Episcopo sanctimoniæ laude præstanti manasse contendunt, id ipsum affirmare necesse habent, cum is SS. Augustini & Hieronymi coetaneus fuerit, sicut Epistolæ invicem exaratæ docent, atque adeo S. Augustini discipulus fuerit, ut Trithemius scribit. Meletiani quoque Hæretici, contra quos acerrime pugnavit S. Athanasius An. CCCLX. B tintinnabula tractare dicuntur, Theodoreto Episcopo Cyrenensi teste, qui vixit An. Domini CDL. lib. IV. *Hæreticarum Fabularum* cap. *de Meletianis Hæreticis in Ægypto.* Ibi siquidem inter cæteros eorum perridiculos ritus recenset illum, quod inter Hymnorum cantum multa tintinnabula funi appensa movere solerent. Neque vero Lucianus tantum, qui vixit circa annum Domini centesimum, Hippiæ Balneum describens de duobus illic Horologiis verba facit, uno per Solem, altero per aquam, & sonitum; aut Augusti memoria tantum, cujus XLII. Imperii anno natus est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Humani C generis servator, ac vindex, tintinnabula in usu fuisse ostendit Suetonius in *ejus Vita*, & Dio *lib.* LIV. Sed poetæ quoque præstantissimi duo Tibullus & Ovidius, qui scripsere anno XVI. ante Christum natum, de tintinnabulis meminere, vel Campanis, quæ æra, pelves, & lebetes, ut tum illa ferebant tempora, vocabantur. Et Strabo, qui circa eundem annum floruit, XIV. *Geographiæ* libro, ubi rem non fictam, sed factam, festivam tamen, ac jucundam narrat, quæ in Jasso Cariæ Insula contigit inter Citharœdum, & Surdastrum quemdam, Citharœdum scilicet canentem in ea urbe homines non paucos circumstetisse, D eos è re nata universos præter Surdastrum statim discessisse, Citharœdum ad Surdastrum conversum illi gratias agere cœpisse eo nomine, quod cum ad tintinnabuli sonum reliqui omnes eum reliquissent, solus ille auditor perstitisset, qua re Surdaster cognita vale homini dixerit, quod sonus ille jam vendi pisces indicaret. In ea siquidem lepida narratiuncula hæc habentur: *Nam cæteri, quam primum tintinnabulum increpuit, abjerunt. Ille. Quid vis, inquit, nam jam tintinnabulum sonuit?* Adde his apud Polybium Historicum Græcum, qui vixit CC. anno ante Christum natum, ejusdem instrumenti fieri locupletissimam mentionem, E ut ejus antiquissima plane origo censenda sit, ac quamvis Ecclesiasticus, vel sacer Campanæ usus potius, quam ejus inventum, S. Paulino Episcopo communiter adscribatur, prophanum tamen ejus usum ante Christum natum multis annorum centuriis cœpisse libere confitendum, cum olim Campanarum usum, non solum ad homines ad mercatum convocandos, (ut ex Strabone demonstratum est) verum etiam in Thermis, & aliis urbium locis ad varia munia apud Ethnicos, & Gentiles receptum fuisse constet, quidquid contra senserit Joannes Torsellius Aretinus, negans Campanarum usum fuisse apud Antiquos, ac ob id non F immerito Galeotus Martius eum miserum, & somniorum interpretem vocet.

Hinc factum est, ut quibus Ecclesia usum earundem referre debeat in acceptum, non una sit Auctorum inter se diffidentium sententia. Cum enim supra laudatus Polydorus Virgilius III. *de Rerum Inventoribus* libro, cap. VIII. quis Campanæ inventor exstiterit, omnino se ignorare libere fateatur, id ipsum profecto in caussa fuit, ut diversi diversa ea de re senserint, scripserintque, dicentibus aliis mo-

morem hunc ab Hebræis ortum, qui (ut habetur *Exodi* XXVIII.) consueverant ad populum convocandum tubis canere, tintinnabulis vero uti ad ornatum tunicæ Sacerdotis summi. Quamobrem Josephus *Antiquitatum Judaicarum* lib. III. cap. VIII. sermonem habet de Tintinnabulis, & cap. XI. de Tuba, Campanula, & Buccina, cornu scilicet incurvo Tubæ instar inflari solito, & in sacrificiis adhiberi consueto, cujus os tantum (verba ipsius Josephi sunt) patebat quantum ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem Campanulæ similem, quemadmodum Tuba, eaque plebs ad concionem vocabatur, Principes ad consultandum de Republica exciebantur, universus Populus convocabatur, & movebantur Castra. Campanula vero illa Græce dicebatur κώδων. Josephus enim etsi Hebræus, Græca tamen lingua scripsit *Judaicas Antiquitates*, ut aliis nationibus res Hebraicas promulgaret. Atque hæc communior nonnullorum sententia fuit. Altera eorum, qui ritum hunc (ut alia pleraque) ab Gentilibus ad instituta Christi fidelium derivarunt, quod hi tintinnabulis uterentur, tum in Deorum Templis ad sacrorum suorum tempora vicinis populis declaranda, tum ad operas, ad thermas, & labores reliquos convocandum, uti innuimus supra, & aperte colligimus ex illo carmine Juvenalis *Sat.* VI.

Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulsari. —— ——

Nec non & Plautino illo[1]:

Nunquam ædepol temere[2] *tintinnabulum:*
Nisi qui[3] *transeat, aut movet, mutum*[4] *tacet.*

Pro quibus scribit quoque Plinius, cum *lib.* XXXVI. pependisse ait in labyrinthi Italici fastigio tintinnabula catenis excepta, quod ipsum Dodonæ factum legimus apud Epigrammatarium vatem in *Apophoretis* sive lib. XIV. epigr. CLXIII. disticho hujuscemodi subjecto:

Redde pilam: sonat æs thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Vel, ut alii legunt,

Sonat æs thermarum, ponite pilam.

Licet enim sint, qui illud, *Æs*, ad clypeum referendum putent, qui catena penderet ex orbiculari fenestra fornicis Laconici, per cujus reductionem, ac deductionem nunc augeretur, nunc imminueretur calor, ut est apud Vitruvium, eos tamen sic sentientes erroris convincit facile Magius eo in libro, quem *de Tintinnabulis* conscripsit, cap. III. ut quin de tintinnabulis capiendus sit Martialis, nullus relinquatur dubitandi locus, cum præsertim Æl. Spartianus scriptum reliquerit, nescio quem Romanum Imperatorem è Thermis tintinnabulum amovisse, & Suetonius in *Augusto* cap. XCI. *Cum dedicatam in Capitolio Ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret* Augustus, *somniavit queri Capitolinum Jovem, cultores sibi abduci; seque respondisse, Tonantem pro Janitore ei appositum: ideoque mox tintinnabulis fastigium Ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant.* Et Dio *lib.* LIV. *Augustus orto die tintinnabulum Jovi Tonanti appendit, his enim tintinnabulis Bannitores nocturni utuntur, ut si quid usus sit, significare possint.* Quorum quidem verborum caussa nonnulli censuere primum omnium Augustum Romæ Campanam in turri templo Jovis Tonantis finitima posuisse. Sed contra horum sententiam pugnant Neoterici omnes, qui Campanas è turribus horariis pependisse testantur ante jacta Romanæ Reipubl. fundamenta, Græcorum scilicet instituto, apud quos multo ante fuerint in

1 *Trin.* Act. IV. Sc. II. ℣. 162.
2 Supple vocem *tinniit*, quæ excidit.
3 Restitue, *illud tractat.*
4 Adde voculam *est.*

A usu horologia quædam Pelcinon, & aliis hujuscemodi nominibus appellata, Vitruvio teste *lib.* IX. *cap.* IX. quo in capite eorundem Inventores pariter recensentur. Verum enim vero, ut negare non ausim fuisse olim Horologia quædam in usu, quibus horæ per aquam & sonitum commonstrarentur, quale fuisse non nescio illud, quod in Hippiæ balneo describit Lucianus, & graphice admodum ac diligenter expressum in tabula repræsentatur oculis ab Hieronymo Magio in laudato libello *de Tintinnabulis* cap. VI. ita mihi horum opinionem non arridere pronuntio, cum in hujusmodi Horologiis, quæ ab illis Pelcinona nominantur, horæ tantum dignoscerentur ex lineis descriptis in securis formam, B quam *Pelcis* Latine significat, aut certe arborum folia, animalium formas, & alias hujusmodi rerum naturalium, & artificialium imagines referentibus, cujusmodi fuisse constat Horologium Achaz Ezechiæ tempore ex IV. *Regum* cap. XX. teste Jo. Baptista Vicomercato in Dialogo *de Praxi Horologiorum Solarium conficiendorum more veteri & novo:* in aliis vero quibusdam Horologiis aquæ, de quibus non rara, neque obscura apud veteres scriptores mentio reperitur sub nomine Clepsydræ, solo indice diei horæ indicarentur nullo tintinnabuli sono, ut ex supra laudato Vitruvii *loco* apertissime liquet, & Plinio *lib.* C VII. *cap.* LX. quod operæ pretium fuerit percurrisse, longius enim est, quam ut in eo paginas implere debeam, cum præsertim Plinius omnibus, qui hasce literas profitentur, in manu sit, quæque ab illo traduntur eo loci possint vel à mediocriter instituto per otium suis cum lubuerit ponderibus examinari. Testatur id ipsum, & narrat disertissimis verbis Tristanus Calchus lib. V. *Historiæ Patriæ*, quæ cum hæc scriberemus manuscripta tantummodo legebantur nondum publici juris facta, futura tamen brevi publico Urbis decreto & impensa, ut abs re minime futurum putem hic totidem verbis afferre, quæ vir ibi gravis in D hanc sententiam scripsit: *Cum deinde subiisset annus* DCCCVI. *Legati ex Oriente redierunt, cum quibus Abdela Regis Persarum, & Georgius, ac Felix missi ab Thoma Hierosolymitano Patriarcha in Sinum Adriaticum delati, per Tarvisios, Tridentum, & inde Aquisgranum ad Carolum pervenere, obtulereque munera exotica, balsamum, unguenta, odoramenta, & vestiendis parietibus aulæa, & castrensis usus tentoria, quas papiliones vocari Divus quoque Hieronymus auctor est. Quæ omnia spectandæ magnitudinis byssina fuisse Reginon Scriptor tradit; & insuper vestes holosericas, & duo candelabra mirandæ proceritatis, & Horologium ex auricalcho mechanica arte fabricatum, quo rotis quibusdam sese circumagentibus ad clepsydram duodecim horæ* E *vertebantur, & totidem æreæ pilulæ super cymbalo cadentes sonoris ictibus easdem pulsabant. Ea mirifica rei novitas fuit: quippe cum olim syderalis scientiæ periti umbris tantum solaribus, & interim lapsu aquæ oculis spectandam horarum distinctionem fecissent: nunc sonitu æris obstrepente auribus percipi, & nubilo etiam, ac mediis noctis tenebris, sensu altero numerari cœpere. Cujus rei novitate captis ingeniosorum hominum animis, complura ad ejus exemplar fabricata sunt, & in Italia ampliatis machinamentis quatuor & viginti horarum circuitus die ac nocte factus est. Ad ornatum vero hujus, de quo loquimur, duodecim ærei equites additi erant, qui totidem portis erumpebant ad singula horarum momenta, & rursus condebantur. Qualia* F *etiam nunc multa exstant. Quibus Aquensi Ecclesiæ dedicatis, Legatos ampliter donatos Carolus dimisit.* Cæterum ut, quid in tanta sententiarum varietate ego censeam, hic aperiam, cum iis libentius senserim, qui Græcis hujus instrumenti usum deberi fatentur, quod apud illos resonarint æramenta quædam multo ante, quam nationibus reliquis in-

notuerint, ac in illo præcipue vetustissimo Apollinis Delphici Templo, in quo Tripus & Cortina, quibus subterpositæ Phœbades Sacerdotissæ Delphicæ vaticinabantur, siquidem res ejusmodi ex ære fuisse notum est omnibus, ac exploratum. Quamobrem licet ejus rei testes quamplurimos ac locupletissimos possem adducere, unus mihi tamen omnium instar erit Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* III. in hæc verba scribens: *Ex ære factitavere & Cortinas Tripodum nomine Delphicas.* Sed enim fuit & his LEBES THESPROTAEUS, de quo Clemens Alex. in *Oratione adhort. ad Græcos.* Quin ex usu lebetes nobilium vasa, eaque ænea fuisse testantur Poetarum Princeps Epicorum Virgilius *Æn.* V. ubi de donis ab Heleno Æneæ discedenti de more datis:

Tertia dona facit geminos ex ære lebetas.

Elegiarum Ovidius in *Epist.* cum ait:

Viginti fulvos ex ære lebetes.

DODONAEUM quoque Æs fuit in Jovis Dodonæi Templo, quod Tintinnabuli genus fuisse diu noctuque crepitans innuunt Ausonii illa:

Nec Dodonæi cessat tinnitus aeni.

Ex quo etiam factum, ut proverbialiter de hominibus garrulis vel justo loquacioribus etiamnum efferatur *Dodonæum æs.* Erant & PELVES SACRAE quibusdam in templis, ut Fauni, Panis Lycæi, & aliorum Monstrorum hujuscemodi verius quam Deorum, quorum quidem tinnitus præcedebant Idolorum responsa. Sed hæc omnia tandem conticuere Christi Domini Servatoris adventu, & victoria, disseminata Euangelii luce, id quod non invenuste cecinit hisce versibus Poeta Bergomas*, quos non abs re fuerit adduxisse:

Numina vana inter tunc creditus exspiravit
Pan deus Arcadiæ, silvicolarumque favor.
Jam non respondet calcanti vellera Faunus:
Æs resonum, & Pelves conticuere sacræ.
Jam non Phœbæas cortina remugit ad aras,
Vatum finis adest, quæque Sibylla tacet.

Nos igitur his de campanis & turri sacra adnotatis, reliquam Templi nostri descriptionem, ut facimus, persequentes ab ejus ad alia vertice dilabamur. Habet enim è solido pavimento surgentia sacella quatuor, quorum in omnibus Aræ, sacræ rei caussa faciendæ, decenter admodum collocatæ. Ara Maxima sacello principe continetur Januæ maximæ ex adverso, itaque supra pavimentum eminet laxioris sinus, ut novem ad eam gradibus adscendamus. Posterior sacelli pars Orientem æquinoctialem juxta sacrorum Canonum leges & instituta spectat. Tegitur idipsum hemisphærico indiscreta pene Cœli similitudine orbiculato, quo magis ad Deum colendum excitentur ii, qui divini Domicilii simulacrum illud oculis intuentur. Ad hæc æterni Dei Patris imagine probis delineata coloribus, novem beatorum Spirituum Choris, sive agminibus circumsepta, sacrisque parergis aliis quamplurimis aureis convestita sic fulget, ut in ejus expolitione picturam ars, artem & picturam ingenium superarit. Quam enim visu jucundum ac gratum cernere cœtus illos cælestium animorum, quos ab omni contagione materiæ separatos summus ipse rerum omnium Opifex è nihilo procreavit, coronas eidem inducere, seque nobis videndos objicere, qua inter cæli nubila rutilantes, qua micantes in auro, qua genu flexo supplices, qua cantibus hilares, qua musicis aliis instrumentis diversimode modulantes, multaque alia divini cultus & officii munia peragentes? Quam venuste cœtus istos divinis usibus procreatos SS. Levitarum corona tota ex auro, musivoque perfecto radians circumambit? Quam pulchre sub his spectantur effigies

* Achilles Mutius in prima Parte *Theatri Bergomatis.*

aliæ sex Martyrum præcipua religione, & acerbissimorum cruciatuum patientia celebrium, avitis quatuor Mediolanensium familiarum nobilium & antiquarum insignibus interjectis? Quam blando, suavique spectaculo fasciam extimam semicycli variant Infantuli sex pariter genuflexi, suis omnes in cellulis, ac inter serpentia florum ornamenta varia Gothicæ symmetriæ dispositi propter gentilitia sex alia stemmata marmorea vetustissimæ vetustatis? Quid multis? Sacelli frons ipsa exterior superiorque Icone Deiparæ Virginis ab Angelo salutatæ, seque superfundente ejus pectori vi Sancti Spiritus, cælestis flaminis impetu recreatæ, lineamentis mirum in modum optimis exornatur. Hujus veluti tempora tecti pars utrinque ultima contingit, ac finit cæruleo colore suffusa, stellisque hinc inde auro fulgentibus illustrata. Pulchrum sane opus, sed (quod ægerrime feras) magna ex parte mutilum, nec suis numeris omnibus absolutum. Cæterum ejusdem pavimentum omne marmoreis stratum ubique mensis, ac tabulis, clatris quoque ferreis circumseptum ab ea parte, qua per lapideos gradus patentem ad Aram summam aditum & ingressum habet, blanditur sibi ipsi quodammodo, nec ornamentis sacelli reliquis de dignitate concedit.

Subest huic ipsi pavimento locus, quem CONFESSIONEM vocant, fornice triplici concameratus, columnisque decem marmoreis fultus, cubitus longitudinis habens viginti quinque, uncias sex: Latitudinis uncias totidem, cubitus quindecim: Altitudinis vero quinque cubitus: Ædes ingens ipsa potius, quam sacellum. Nam & Ara in ejus meditullio sita SS. Quirino, Nicomedi, & Abundio Martyribus dedicata cernitur, & inibi Martyrum eorundem corpora arcæ lapideæ credita conservantur, & sacra ad ea votiva, nec irrita, sæpissime fiunt pro febri, morborum omnium pessima, depellenda. Ea vero omnia ferrei cancelli cingunt ac muniunt; ac in pariete quidem arcæ sacrosanctæ proximo Martyrum ipsorum imagines vides sacrorum munerum vestibus exornatas, cum Inscriptione sacros singulorum Ordines, tumulum, & nomina commonstrante:

HIC REQVIESCVNT CORPORA SANCTORVM MARTYRVM QVIRINI EPISCOPI, NICOMEDIS PRESBYTERI, ET ABVNDII DIACONI.

Porro Arca pignoribus his illustris, variis insuper Emblematis est distincta. Area vero, Altare, Parietes, Itus, Ambitus, reliqua omnia sic se habent, ut animos sacro quodam horrore complentes religionis in iisdem imperium propagent, recreentque mirum in modum curarum aliarum fluctibus agitatos. Puteus tandem est maximus, & perennis, sacer ipsis Martyribus & conjunctus, cujus & ea vis esse præcipua, magistra rerum experientia declaratur, ut aquæ illius haustu febris cujusvis æstus penitus exstinguatur.

Præteriissemus hic omnino locum magnæ venerationis & cultus, nisi egredientibus nobis ex hujus Ædis infimæ tenebris ad superioris lucem, sese videndum protinus obtulisset. Jacet is angustus quidem, at augustus magis sub novem scalarum gradibus ad Aram superiorem Maximam perducentibus, patetque in eundem aditus ex Confessione. Ingressis speciem ipsissimam exhibet sepulchri Hierosolymitani, (ne quæ vel minima Templi nostri pars sua religione careret) cujus ad imaginem pie nuper effictus ac conformatus est totus. Fornix, quo tegitur, multorum pulchritudinem vincit, lucidissimisque

que hinc inde parietibus sustinetur. Intus statuæ sunt ligneæ illæ quidem, at auro & coloribus dites, justamque staturam hominis exæquantes, MORTVI CHRISTI scilicet & MARIAE MATRIS supra filii monumentum extensæ, dolenti similis & ubertim lachrymas profundenti, prope quam ALIGERI DVO pari dolore perculsi, paresque in lachrymas abeuntes. Ostium neque altius, neque latius est eo, per quod in speluncam itur Dominicæ sepulturæ, totaque ipsa Cellula speluncæ ipsi respondet ad punctum, ut qui locum utrunque viderunt, & mensi sunt diligentissime, asseverant. Exterior parietum pars picturis non injucundis pietatis igniculos exsuscitat, vel exsuscitatos jam & flagrantes magis accendit. Antiquæ enim artis sunt, & ab architectura Romana minime discrepantes, quibus accedunt clypei venustissimi duo suis inscripti lemmatibus, quæ cujus id sepulcrum sit docent. Siquidem hæc in uno verba legere est, SEPVLCRVM CHRISTI VIVENTIS. In altero ista, GLORIA RESVRGENTIS.

Verum enimvero nos hic tempus admonet, ut cujusmodi sint alia sacella duo superiora rudi Minerva (quod facimus) delineemus. Horum unum dextrum sacelli principis latus obtinet, sinistrum alterum, amborumque par esse dimensio cernitur, forma quoque eadem, & structura. Ac istud quidem Deiparæ, Divo illud Carolo Mediolanensium Archiepiscopo, dedicatum jampridem istud, illud vero nuper impensa clariss. pientissimique nunc Templi nostri & Ecclesiæ Aversanæ Præsulis Caroli Caraffæ Neapolitani, literis ac monumentis omnibus ubique à me decorandi. At cum,

Mæonio possent hujus præconia cantu
Vix dici, valeat quid mea lingua puta?
Acta Viri, laudesque magis tacuisse juvabit,
Dicere quam brevibus maxima velle notis.
Laudibus & nostris nec eget vel carmine. Fama
Concinet aurato Præsulis ore decus.

Quamobrem unius in tabula Icon Beatæ Virginis in discreta pene verisimilitudine pigmentis artis expressa spectantium oculos pascit insatiabili voluptate: medius in alia Carolus Sydus æque Antistitum, ac Purpuratorum Patrum, divique hinc inde alii duo Nicomedes & Abundius Martyres ea stant forma, quæ nativum decus mentita felicibus penicillis, nihil aut naturæ solertia, aut colorum adminiculo fieri posse præstantius asseverant. Ac ne interim tantam Caraffæ Præsulis Illustrissimi pietatem erga cognominem suum Carolum oblivio deleret ulla, visum est eam ipsam hoc carmine summo in Iconis ipsius fastigio propagare, vel ipso recusante Præsule, qui laudanda præstare mavult assidue, quam laudari:

HANC MERVIT NOSTRO DE NOMINE CAROLVS ARAM.

Paucis nihil præter animam desideres in utriusque Sacelli Numinibus fallentibus subtilitate colorum acies, quas morantur. Quamquam ad ornatum ipsum quod attinet, tabularum venustior est illa, quæ D. Caroli, Martyrumque Nicomedis & Abundii ora vultusque referens, dubitandi relinquit locum, cujus in effigie major artificis manus industria desudarit. Siquidem illius parerga, trophæa sunt ipsa præcipua Pontificiæ, nec non & Cardineæ Majestatis coloribus, & auro fabre, sciteque adeo variata, vi ut non insuavi extra omnem sensum, mentemque rapiant intuentes. Accedunt ad hæc Argumenta duo petita è stemmate Borromeio, quibus dotes Divi totidem, fortitudo nimirum, ac pietas adumbrantur. Quamobrem uno hinc Camelus in latere oneri nulli succumbens erigitur, cum lemmate NATVS ONERI, Unicornis inde cælum in altero cum notis hujuscemodi contemplatur, VRGET AMOR CAELI. Sed enim memores brevitatis cogimur tot, tantarumque rerum summos quasi apices, aut lacinias aliquas adumbrare, ut pictores solent, qui ad hunc fere modum in angustam tabulam congerunt infinita.

Agamus nunc igitur ordine quod agendum, & sacellum, uti par est, aliud describamus. Quo enim alio potius nomine nominemus Baptisterii locum ac sedem è solido lapide ad lævam minoremque Templi Januam juxta ritus. Ejusdem quoque pictus est fornix, paries item fonti oppositus insignitur Imagine S. Joannis Baptistæ Christum Dominum baptizantis. Alia inibi similia decora & ornamenta passim. Legere ibi quoque est carmina testantia vehemens & accensum Illustrissimi Caraffæ studium erga sacras Ædes. Quale enim ac quantum totum hoc Sacellum est, ejusdem est egregium profusæ in sacros usus liberalitatis atque beneficentiæ monumentum, quibus auctoribus jussit illud à fundamentis erigi, ornari, pingi, ne quid suo deesset in Templo, quod ad procurandam salutem proximorum fidelium commode pertineret. Ea vero carmina sic se habent:

FONS FONTEM CARAFFA LEVAT, LAVAT, AVGET VTERQVE
ILLE ANIMAS, SACRAM PRAESVL AT ISTE DOMVM.

Longius caput hoc excurreret, quam deceret, si vellemus singularum Templi nostri partium ornamenta præcipua persequi sigillatim. Quid hic igitur addemus amplius? Quid? Alia longe majora, quæ suppetunt, & nobilissimum satis à seipso locum sua nobilius efficiunt dignitate. Quorsum enim initio nascentis in Urbe nostra religionis, & fidei Deiparæ Virginis honori ac cultui dicatum illud fuisse ostendimus, nisi ut honos ei major, ac cultus quam Templis in eadem Urbe reliquis exhiberetur? Cum Numen illud ejus in Ædibus coleretur, cui nullus par honos in terris ab ullo deferri Mortalium potest. Quorsum ejus in collocandis membris, ac partibus digerendis eam servatam agnovimus rationem, ut novem in illo Arcus, Columnas novem, totidem in ejus superiori parte fenestras, ac totidem omnino alias patentes & apertas in inferiori, novem insuper ostia, novem item scalarum gradus antequam ad Aram Maximam adscendamus, novem Angelorum Choros, sacella quinque præterea, quibus si aras quatuor copules, in novenarium incides; & alia pleraque eodem plane numero comprehensa cernimus, nisi ut plenum illum esse sciremus Majestatis, Religionis, ac mysteriorum locum. Ut enim paullo rem istam altius repetamus, constat novenarium numerum alios inter numeros sic nitere; ut eorum nemo mysteriis pluribus affluat silentio neutiquam involvendis. Aut enim è monade & octonario novenarius fit: aut è binario & septenario: aut è senario & ternario: aut demum ex quinario & quaternario comparatur: utramque harum malis originum diligenter expenderis, nullum alium Numerum esse fateberis mysteriis tot refertum, ut illi comparari, ne longo dicam æquari valeat intervallo. Monas enim, quæ cum octonario parere novenarium potest, ut à Philosophis fons & origo dicitur omnium numerorum, sic apud divinarum rerum Interpretes, quos Græce Theologos nominamus, Deum ipsum optimum primum rerum omnium fontem & originem ultimam notat. Quid quod monas initium cum sit, finisque omnium numerorum, principium ipsa nescit, ac finem, non aliter, ac suprema illa substantia è nullo nata, vicibusque nullis temporum subjecta, in uno semper, quod adest, consistit ævo: cumque numera-

merabilis non sit, utpote suapte natura una, triplices tamen Divinas intra se Personas continet, innumerasque rerum species extrinsecus creat, atque producit. Divina enim (ut ore loquamur Patrum) essentia omnino aliena à multiplici substantiæ ratione simplicissimum Naturæ sortitur modum, & cum se Personis Divinis communicat, nullam tamen init cum suæ Naturæ unitate divortium, sed ubique integra, & semper individua perseverat. Prædicatur Monas ipsa præcipue de ternario parte novenarii componente prima, ut quod repetitum ter novenarium sine dubio gignat: nec ulli magis apte, vel intime Monas æternæ substantiæ jungitur, & immiscetur; quam Ternario Divinarum Personarum nuperrime laudato. Neque vero suis octonarius, cujus nexu cum uno novenarius exit, arcanis mysteriis caret, quæ quidem omnia persequi liberi nimis esset otii, & fortassis etiam arguendi in eo, cui sit ad alia festinandum. Unum illud igitur scire de eo sufficiat, octonarium è numerorum omnium cœtu, qui intra denarii ambitum continentur, præstantissimum esse, quippe qui suis omnibus ex partibus constet, dimidia scilicet, ejus quarta, & octava parte. Fieri quoque potest, ut à binario, sive dyade, quæ primus est numerus, & septenario novenarius exeat: atqui dyas illa quoque post Monadem primam (ut ab æterna illa solitaria, & intelligibili substantia ad Divinas Personas iterum delabamur) à Patre per Generationis modum defluxit ad Filium, & per spirationem (ne à Theologorum formulis recedamus) ad Sanctum Spiritum ab utroque: Pater enim per intellectus actum (ut hoc ipsum purum putum eorundem è fontibus in nostros hortulos derivemus) seipsum intuens, ac cognoscens generat Filium patria scilicet virtute, ac majestate pollentem, quem alio verbum, sive Dei sermonem vocabulo nominamus: per actum autem divinæ Patris & Filii voluntatis divinus Amor utrique consubstantialis, & æqualis exsistit, sanctiori quadam alia Sanctus appellatione Spiritus nuncupatus. Ea est binarii dignitas, exceptis potestatibus aliis, quibus inter numerorum gregem excellit, ut unus divinas emanationes geminas complectatur. Latentia nunc in Monade divinæ naturæ mysteria, nec non Divinarum in Dyade Personarum sanctissimæ Trinitatis, ceu quodam in fidei Symbolo comprehensa, divinitusque magno Gregorio Thaumaturgo demonstrata sunt, ex *Oratione*, quam *de ejus Vita* alter Gregorius cognomento Nyssenus habuit, verbis Latine redditis, ostendemus; tum ut quæ dicta sunt à nobis hactenus de rebus eximiis nullam ullo unquam tempore venire in dubitationem possent: tum ut gravissimorum Patrum auctoritate firmata, & orthodoxæ fidei convenire, & retinenda esse tenacius appareret: *Unus est Deus Pater Verbi viventis, sapientia subsistentis, & Potentiæ, figuræ æternæ, Perfectus Perfecti genitor, Pater filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo, figura & imago Deitatis, Verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, & Potentia totius creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris; visum effugiens, visum effugientis; & corruptioni non obnoxius, non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius, non obnoxii morti; & Æternus Æterni. Unus Spiritus Sanctus ex Deo ortum, & existentiam habens, quique per Filium apparuit, videlicet hominibus: imago filii perfecti perfecta, vita viventium causa, fons sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix, per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia, & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia permanet. Trinitas perfecta, quæ gloria, atque æternitate, & regno non dividitur, neque abalienatur.*

Quænam autem septenario mysteria insint, sa-

A tis aperte Deus olim habitus Philosophorum Plato prodidit in *Timæo*. Siquidem cum ad numerum totius Universitatis molem à summo Rerum Artifice conditam, Mundanamque divinus idem ille Philosophus Animam generatam tradit. Inerrantes ad hæc orbes stelligero illi, cujus in amplexu reliqui continentur miro septenarii ordine sunt subjecti eo fine, ut motus illius rapidissimi temperarentur, inferioraque omnia melius regerentur. Luna quoque ultima Cœlo extima terris luce nobis aliena collucens septenis quibusque diebus varios vultus induit invariabili lege, ac ubi sic quater illuserit, Zodiaci totius ambitum conficit & absolvit. Quid hic de superioribus seu sphæris aliis

B dicemus, aut quæ potius non dicemus? Ut enim astra cætera, quibus ab errore nomen est inditum, omittamus, Sol ipse quoque, princeps luminum reliquorum septimum signum Zodiaci, cum attingit vices suas, variat, à brumali solstitio scilicet ad æstivum septimo perveniens signo, & à verno (quod ajunt) tropico ad autumnale, signo quoque septimo peragrato. Quinimo Christianus vir, undequaque sapiens, ac perfectus, vir, inquam, ejusmodi, qui juxta tritum illud sermone dictum, non inerrantibus modo, sed fixis etiam astris omnibus dominaturus sit, ex septem mysteriorum usu, concentuque perficitur & confla-

C tur. Hominis enim Natura primorum Parentum labe in omnes posteros lethali contagione transfusa, deformata penitus, ac depravata, adhibitis salutaribus septem sacramentorum remediis, sanitati suæ restituitur, & decori. Quid mens hominis ejusdem, & Animus, quo nihil ab optimo & sapientissimo genitore melius est procreatum? An non humanis in rebus septem à liberalibus artibus expolitur; in divinis vero septem Spiritus Sancti donis ad omnia Christianæ pietatis officia, salutaresque actiones omnes alacriter peragendas impellitur, & inflammatur? Quid voluntas? An non

D ipsa quoque (humanas quod ad affectiones, sive coercendas, sive moderandas attinet) septem moralium virtutum præsidiis informata dirigitur, & à capitalibus vitiis totidem, lethiferisque criminibus avocatur? Quid demum virtutes illæ, quibus æterna salus ab homine comparatur, an non illæ eodem plane inclusæ numero continentur? Quarum Theologicæ tres, Fides, Spes, Charitas, & aliæ cardinales quatuor, Prudentia, Justitia, Fortitudo, ac Temperantia, præcipua juvandarum animarum instrumenta dicantur, & re ipsa sunt, ut quod assequi per nos ipsi non possumus, earum divino munere consequamur.

Sequitur novenarii complexio tertia è ternario pa-

E riter, & senario fluens, cujus si mysteria taceremus, non tam in sacræ, quam in literariæ Reipublicæ commoda peccaremus. Ternarius enim Trinitatem Divinarum Personarum constituit increatam, novenariumque vice tertia repetitus numerum parit, solus infra denarium impar partibus ex imparibus æquabiliter satus, non aliter ac senarius numerus ex omnibus intra denarii terminos circumseptis, suis constat ex partibus, medietatem cum tertia parte nactus, & sexta. Superest novenarii connexio quarta, & ultima, quinario, quaternarioque ex numero mystice procreata, quæ reliquis non inferior dignitate commendationem à nobis

F efflagitat non postremam. Quaternarius enim medietates duas primus adeptus est, quas & sapientissimus Mundi totius Opifex in conciliandis inter se pugnantibus Elementis adhibuit, binas unicuique sua prius in sede posito qualitates attribuens, ut eorum unumquodque in altero, cui junctus esset, cognatam sibi qualitatem unam ac similem reperiret. Quinarius autem licet impar sit, denarii tamen paris omnino numeri, numerorumque

que omnium superiori medietas est, sola sui multiplicatione partem centenarii quartam efficiens, aliaque sub se arcana continens non reticenda, nisi nova nos ad se novenarii mysteria revocarent, cujus ergo numerorum aliorum laudes cursim attigimus, ut ostensa partium dignitate Totius longe majorem esse præstantiam nosceremus: & si currenti ista calamo persequimur, ne Lectori benevolo molestiæ simus amplius non ferendæ. Ad rem igitur.

Novenarii pariter præstantia hinc elucet, quod inter omnes constat novem menses humano partui perficiendo statuisse Naturam, Cœlestes eodem Orbes numero comprehendi; Choros totidem esse Spirituum beatorum, qui ævo sempiterno fruentes omne suum studium, atque ingenium eo conferunt, ut non solum perpetuo quodam cantu, & carmine alterno in divinarum laudum assidua celebratione versentur: sed etiam Deo ipsi adsint ut fidi ejus milites ac ministri, quorum opera, non modo ad Ecclesiæ suæ, sed etiam ad reliquarum rerum gubernationem utatur admirabilibus gratiæ potestatisque suæ muneribus ornatorum. Totidem demum præcipuas divinæ Naturæ dotes, quas *attributa* Theologi dicere maluerunt, ad capita revocari. Quo nescio possitne quidquam de novenarii numeri dignitate fingi, vel excogitari præstantius? Sed istis non illa tantummodo naturæ sive fragilis & terrenæ, sive immortalis & cœlestis, finibus tenetur inclusa. Alia quoque multa reperit, in quibus se videndam exhibet, ac in ipsa potissimum Ecclesiastica Hierarchia. Quotus enim est adeo mysteriorum illius ignarus ac rudis, cui non in ea primo novem dignitatis gradus occurrant, quibus ad Ecclesiasticæ majestatis fastigium pervenitur; Sacra Tonsura scilicet, Ordines Minores quatuor, tres Majores, omnium demum maximus & ultimus Episcopalis apex, in summo Ecclesiæ vertice divinitus constitutus? Offerent hic illi præterea sese res aliæ novem, sine quibus nemo rite sacræ liturgiæ solemnia divinæ peregerit Majestati: sacræ nempe vestes sex, Minister, Calix, & liber. Requiruntur res totidem in Altari, quo decenter Agnum in eo cœlestem, qui Mortalium omnium scelera abluit, immolemus, Mappæ tres, lumina duo, Pallium simplex, Ara sacra, (vulgo consecratus lapis) Candelabra denique duo luminibus sustinendis. Ecquis unquam divini cultus ardore succensus, ac bene peritus Ecclesiasticæ disciplinæ, placare cœlestes iras Missæ sacrificio poterit sine Calice, Patena, Purificatorio, Corporali, Palla, Sacculo corporalis, Velo Calicis, Pane, & Vino? Cur hic ultra provehimur, cum nemo rem divinam faciens Romano ritu non nesciat ejus Introitum consequi Invocationes novem, quibus Deum nobis reddimus propitium & placatum; Ambrosiano vero (ut dicitur) feriali, Populi salutationes novem, totidemque genuflexiones, antequam sacrificiorum illud maximum absolvatur. Novies etiam signo se Crucis sacerdos munit, antequam Populum præmissa benedictione demittat, toties Hostiam salutarem ante consecrationem signat, idemque post eam semel, ac iterum facit. Tundit sibi quoque pectus eodem in sacro sacerdos ictibus novem, cumque Consecrationi de more præfatur novem Cœlitum Choros enumerat clara & elata voce. Ac ne notos omnibus Missæ ritus ac cæremonias colligamus, idem cum sacerdos ter SANCTVS, ter AGNVS, ter NON SVM DIGNVS enunciat, an non is novenarium numerum, qui inter ternas partes æqua proportione digeritur, clarius exprimit, quam ut ei orationis nostræ indicio sit necesse? Ita sane censemus, ac ob id etiam numerum istum vere cæteris prælatum imus, Majorumque nostrorum prudentiam non admirari non possumus, quod in Vincentianæ Basilicæ partibus restituendis, numero isto frequen-

A tius quam ullo alio usi sint, quo laudabili æmulatione quadam in ejus veluti sinu ac gremio Naturæ omnis, Ecclesiæ, Divinitatis ipsius etiam (quoad fieri humana posset industria) mysteria omnia copularent. Templo jam utcumque adumbrato, ductisque quodammodo lineis, ob oculos Lectoris posito, tum quoad exteriorem & interiorem corporis universi faciem, tum quoad mysteria in eadem inclusa penitus cognoscenda, jure sibi suo deposcere videtur Sacrarium ipsum Templo conjunctum, neque postrema reliqui ædificii pars, ut hic stylo nostro pariter describatur. Ut igitur rem ipsam ducto paulo altius exordio persequamur, ab ejus nomi- B nibus ordiemur.

Sacrarium, quod vulgo *Sacristia* dicitur, ab antiquis sacrarum rerum scriptoribus aliquando *Camera*, *Secretarium* nonnunquam, à prophanis vero *Adytum*, & *Vestiarium*, aliisque hujuscemodi fere vocibus appellatum legimus, estque locus is, in quo sacra supellex omnis, sacer omnis ornatus reconditur & asservatur. Eum plane ob finem sacrarium nostrum est conditum, ibique loci situm, unde solem orientem spectet, cujus lucem duabus fenestris excipit hinc inde patentibus, una scilicet ad dextrum, altera ad sinistrum latus juxta sacrarum sanctionum leges. Sepiuntur geminæ illæ fenestræ cla- C tris ferreis, & vitreis pellucidis illustrantur, nec aliud quippiam eis ad decus, vel ornatum deest. Pavimentum sternitur lateribus operis non vulgaris, fornicatum subtus late & ample in modum magnæ cellæ vinariæ, ne quem humorem, aut uliginem contrahat sacris æque vestibus noxium, Æditus, ac celebraturis sacrum. Commendat eundem locum fornix altera duas in partes arcu medio discriminata, additque universo operi gratiam & leporem. Vestiarium parietum unus excipit nuceis è tabulis affabre ductum, & insigne valvis ex tessserulis ligneis coloris varii concisis in minutissimas partes, itaque connexis, ut concisas neges. Qua- D tuor in eo partes numerare est, quarum superiori sacrarum Reliquiarum thecæ & arculæ creditæ sunt, argenteis imaginibus & Angelorum statuis inclusæ. Alteri huic ex diametro respondenti, sed laxiori multo, Calices, Patenæ, Corporalia, Sacculi, Vela, Purificatoria, & reliqua ejus generis supellex necessaria operaturo divinæ rei suo quæque loco rite & ordine collocata. Tertia capsulas ductiles satis patentes habet, in quibus Indumenta sacra juxta colorum varietatem dispertiuntur decore admodum, ac venuste. Inferiori cæteris, ac postremæ pulvinaria diversa insunt addicta Missalibus libris in augustissimo Missarum sacrificio susti- E nendis. Armaria inibi alia videre est supellectilem Ecclesiæ reliquam, Ararum Antipendia, Mappas, Candelabra, Cereos, & alia hujuscemodi continentia, quæ longum esset omnia percensere. Hærent parietum alteri Repositoria in Lectoralium morem sustinendis Missarum, Antiphonarum, Psalmorum, rituum, & sacramentorum libros, & quasdam pensiles Indulgentiarum ac Sanctorum tabellas, nihil ut in eo desideres, quod vel usus Ecclesiæ, vel ejusdem regulæ, vel sanctiones Præsulum inibi jubeant asservari. Hæc est interior Sacrarii nostri forma; neque vero quidquam habet humanus oculus, quod possit amplius exoptare, sive F parietum structuram spectet lateribus inter se mirifice absque ullo glutino compactis opere, quod Græci ἰσόδομον vocant, sive parerga & ornamenta reliqua, tum ea in parte, supra quam tectum ipsum excurrit, tum in ea, quæ fenestras ambit, & Parastadibus superstat.

Verum enim vero oculos intuentium mirum in modum ad se rapit tecti fastigium, quod quatuor columellis pyramidalibus exsurgit altius, quarum in summo vertice totidem Cruces ferreæ defixæ

Cc sunt,

ſunt, cum nive ipſa candidius columellarum marmor eniteat. Accedit illud quod æque in admirationem intuentes trahit, tectum ipſum ita productum excurrere ad dimittendos imbres, ut lumini nequaquam officiat feneſtrarum juxta Vitruvii monita *capitulo tertio lib.* VI. Quod ſi quis ipſum quoque ſacrarii noſtri parentem avet agnoſcere, non erit ejus ſatisfacere voluntati difficile ex Gentilitiis Inſignibus in ſumma illius parte ſculptis; inde ſcilicet facile eſt colligere Balthaſarem Corium Abbatem, qui Cœnobio D. Vincentii præfuit annis multis antequam ſacrarium ipſum conderetur, & multis aliis poſt anno reparatæ ſalutis MCCCCXLIX. cœptum ſimul, & numeris fere ſuis omnibus abſolutum fuiſſe, eo ipſo anno, quo vita functus Dux Philippus Maria Vicecomes ſine virili prole, imperio Vicecomites reliquos exuit, & ampliſſimum dignitatis gradum ſecum extra familiam abduxit; Cives vero ſeſe in libertatem priſtinam vindicarunt, & formam Reipublicæ receperunt. Subdam autem hoc loco Gentilitii Coriorum ſtemmatis formam, ne quid Lectorem lateat, quod ſcire percupiat.



En ut diſſectus in eo Leo aureus erectus, & dexter in orbe purpureo ſuperiorem ſtemmatis partem obtinet, inferiorem vero candido colore nitentem litera C characteris exotici, ac perantiqui, coloris ejus, quem cæleſtem dicunt. Nec immerito: cum enim Leo fortitudinis, ac vigilantiæ Hieroglyphicum habeatur; diſſectus vero ſit virtutis atque concordiæ ſimulacrum; color item aureus Imperium notet; Fidem & Clementiam albus; Juſtitiam & Vindictam purpureus; cœleſtis, Ætheris ab omni corruptione ſemoti teſſera ſit; C. demum abſolutæ perfectionis imago, ac typus, quemadmodum, & centeſimus numerus ultimus, & perfectus, eadem litera deſignatur: ita Coriorum ſtemma non tam innuere, quam aperte declarare videtur, Coriam gentem natura quidem ipſa mitem, alioqui ſcelerum vindicem acerrimam eſſe, demandata ſibi à Principibus Urbium, & Populorum imperia pervigili cura geſſiſſe; rerumque maximarum, atque difficillimarum munia publica, non tam fortiter & fideliter obiiſſe, quam privata infracta æquitatis moderatione tractaſſe; civeſque diſcordes nexu ſolidiſſimo Concordiæ copulaſſe. Ac poſſem quidem hoc loco facili negotio ex myſteriis Ægyptiorum, Ariſtotelis, Plinii, & aliorum Naturalis Hiſtoriæ ſcriptorum monumentis elicere, tum Leonis proprietates omnes, tum colorum ſenſus reconditos & latentes ad indicandum Coriæ familiæ Robur, Virtutes, Dignitates, Merita, ni vererer, ne res omnibus notas, & à quamplurimis notatas hactenus, pertractaſſe, exiſtimer actumque agere,

Immo me populus rideat, multumque toroſa juventus
Ingeminet tremulos naſo criſpante cachinnos.

Quod videar lucernam in meridie accendere voluiſſe. Atqui ut ejus de familiæ Heroibus priſcis taceam, unum præterire ſine piaculo non poſſum ævi noſtri decus, ita notis ſtemmatis omnibus ſuis virtutibus reſpondentem, ut ab uno noſcere poſſimus & reliquos: Petrum ſcilicet Franciſcum Senatorem ampliſſimum Mediolanenſem, cujus in tractandis gubernaculis communis ſalutis, & vitæ ea vis exſiſtit, ut divina quadam virgula è cælo diviſſus in terras bono publico omnia gerere videatur; cumque omnes illum virtutes exornent, quæ ſingulos diviſæ beatos reddunt, tum illud in primis ſibi glorioſum putat, non tam præeſſe cæteris, quam prodeſſe, & quod plane divinum eſt,

Diſcordes animos conciliare ſimul.

Unde decus æternum, famamque ſibi immortalem parit, ne quid de ſumma ejuſdem dexteritate dicam in æternis alioqui futuris litibus amputandis, quæ familias plerunque funditus evertere conſueverunt. Gradum igitur ad alia facientes, videre quoque eſt in vitreis feneſtrarum Gentis alterius ſtemma, idque Jacobi Antonii Turriani ſuffecti in locum Corii Abbatis eſſe liquido apparet, eoque ex tempore ibi videri cœptum, quo novo Sacrarii ædificio à prædeceſſore ſuo Corio conſtructo feneſtras illas Turrianus Abbas adjecit. Ego vero næ hic etiam de clariſſima Turrianorum familia plura libens, lubens afferrem honoris & amicitiæ ergo erga magnas ſoboles alterius magni Jacobi Antonii Turriani maximis nuper honoribus cum vita defuncti, niſi Faſciculi finis calamo moram injiceret, ac vetaret extra terminos excurrere præfinitos.


Quamobrem ſtemma ipſum, quod ſubdam, ſubſcriptique verſus vicem noſtram explebunt, ejus Gentis antiquitatem, honores & fortunam variam anguſtis finibus complectentes. Stemma enim hujuſmodi eſt.



Verſus vero iſti:

Illius Turris ſceptris munita duobus
Eſt Gentilitium nobile ſtemma vetus.
Robore quo fuerit Turris deſignat, & illa
Imperium in populos ſceptra habuiſſe notant.
Nam Mediolani, & ſocias dominata per urbes,
Eſt gens officiis, & vice functa Ducis.
Anguigeri Proceres armis, opibuſque potentes,
Senſerunt quantis viribus illa foret.
Fortunæ varii caſus, Martiſque tumultus,
Inter Turritos, Anguigeroſque patent.

Eandem plane ob cauſſam quid ſacriſtia myſtice ſignificet apud eos, qui ſacra Eccleſiæ myſteria tractant, indagandum relinquo, neque enim id latere poterit, qui hoſce Scriptores legerit, ac in primis *Rationale divinorum* Gulielmi Duranti lib. I. ut cæteros ea deſcribentes ad manus habere non poſſit, ſic enim ille laudato in loco, cui ſi forte is quoque Scriptor deſit, lecturo aliquando noſtra: *Sacrarium, ſive locus, in quo ſacra reponuntur, ſive*


TABULA ICHNOGRAPHICA VINCENTIANI TEMPLI ET PAROECIALIS DOMUS.
Puteus.
Viridarium.
Aula.
Cuna.
Culina.
Cubiculum.
S. Maria.
Promtuarium.
Cohors Gallinaria.
B. Virginis.
Sacellum maius.
Basilica S. Vincentij.
Equile
Sacrarium.
S. Caroli.
Vinetum Abbatiæ.
Cæmeterium.
Via Publica.
Schala Brachiorum.
Riuulus
Fontanus
Pars Xenodochy Domentium.

sive in quo sacerdos sacras vestes induit, uterum Sacratissimæ Mariæ significat, in quo Christus se sacra veste carnis induit. Sacerdos à loco, in quo vestes induit, ad publicum procedit, quia Christus ex utero Virginis procedens in Mundum venit.

Sed facimus imprudenter, qui toti hujuscemodi rebus intenti in sola Templi nostri structura mystica commendanda sumus, & quibus illud ipsum amplissimis Apostolicæ Indulgentiæ thesauris summi Romani Pontifices honestarint; quam opimis donariis, ac spoliis potentissimi Reges idipsum auxerint, & ornarint; quibus Divorum præcipua religione fulgentium, & acerbissimorum cruciatuum patientia nobilium, sive corporibus integris, sive membris Archiepiscopi religiosissimi locupletarint,

A eodemque præcedentibus Clericorum ordinibus omnibus supplices ititarint, quæ omnia longe copiosiorem requirunt orationem, penitus reticemus. Verum enim vero quoniam hic æquo diutius Lectorem remorati sumus, & sigillatim iis de rebus singulis est agendum, nos hic scribendi, Lectorem audiendi, molestia levabimus non rogati, vel potius Ichnographica Tabella Vincentiani Templi, & Parœcialis domus eidem proxime adjacentis ad intuendum proposita recreabimus, quo dicta superius omnia, sicubi forte aliquid tenebrarum acceperint, è crasso stylo, clarius illustrentur, oculis subjecta fidelibus à Cribello nostro, cui cum æterna benefi-

B cii memoria debemus monumentum æternum benevolentiæ sempiternæ.

JO. ANT. CASTELLIONAEI

FLORILEGIVM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.

SECTIO I.

FASCIC. III.

De sanctis Martyrum trium Quirini, Nicomedis, & Abundii corporibus. Arcæ eorundem primus, & postremus locus. De Confessionibus, & Cœmeteriis obiter. Descriptio Arcæ, & figura. Latentes in ea Martyres jussu Federici Borromæi Card. & Archiepiscopi Mediol. visi. Martyrium eorundem, ac palma multiplici carmine celebrata.



AGEMVS nunc itaque primo de Sanctorum Martyrum exuviis, quas in Æde Templi nostri subterranea summa religione conditas asservari certum omnino est, ac inibi publica populi Mediolanensis veneratione coli nemini non ignotum. Ita fiet, ut de præcipuis ejus Thesauris loco principe disseramus, & tritam docendi viam ingressi, quæ est à notioribus & certioribus ad ea, quæ ignotiora & incertiora sunt, Scriptorum optimorum vestigiis insistamus. Adeo verum est igitur quam quod verissimum sacra illa tria corpora fortissimorum Christi militum QVIRINI, NICOMEDIS, & ABVNDII principio fuisse condita in illa marmorea & ingenti Arca, quæ nunc adhæret Aræ Confessionis, cum hodie quoque nostro in Templo picturæ aliquot perantiquæ exstent, ipsissima Arcæ illius similitudinem cum ipsismet trium Martyrum corporibus exprimentes, ut à nobis alibi pluribus ostendetur. Notum hoc, inquam, omnibus, & perspectum illud non item; Arcæ illius sacrosanctæ sedem initio non fuisse in illo subterraneo loco, nec ibi ubi nunc est, cum nullum ejus loci vestigium antiquitus appareret. Scire enim volumus eos omnes, qui nostras hasce commenta-

D tiones aliquando legent, locum illum non nisi post instaurationem Templi nostri novissimam conditum & exstructum, ornamentum maximum partibus ejusdem reliquis accessisse, cujus apertissimo nobis argumento sunt Columnæ ipsæ parietibus ipsorum laterum interjectæ, vel intextæ potius & innixæ: Arcus ipsi præterea parietibus iisdem inclusi ad necessarium totius illius Ædis subterraneæ sepimentum. Credere par est igitur initio Arcam illam juxta Aram Templi maximam in æqua planitie collocatam confluentium ad se fidelium animos suo adspectu mirifico recreasse, pavisseque mentem suavi commentatione rerum à

E Viris illis sanctissimis pie, fortiterque gestarum; sed ævo labente postea Ædem in peculiarem cultui suo tantummodo dedicatam, & in penitiorem locum, ubi religiosius Christianæ pietatis officiis, rebus gestis, & laboribus à Sanctis Martyribus pro fidei propagatione susceptis mente secum & animo tacite recolendis operam dare quilibet posset, ex antiquo Ecclesiæ divinitus institutæ usu fuisse translatam, cum nimirum in locum, qui à nobis CONFESSIO, à priscis MARTYRIVM, aut Κοιμητήριον (DORMITORIVM Latini dicerent) appellatus fuit, quod in eo Piorum corpo-

F ra requiescerent non omnino mortua, sed potius dormientia, & exspectantia diem illum, in quo gloriosa in Cœlum adscendent cum Christo magnifice regnatura: sive quod Piorum mors somnus sit, & quies, de qua excitationem exspectent & sperent. Eas certe ob caussas (ut Viro eruditissimo placet) Germani pulcherrimo AGRI DEI nomine Cœmeterium vocant, quod scilicet in eo Deus suam sementem ac segetem habeat, quam sub finem Mundi tanquam messi jam matu-

A ram demetet, & in cæleste horreum invehet, zizaniis omnibus in ignem inexstinguibilem missis.

Operæ itaque pretium erit hoc loco de Cœmeteriis & Confessionibus cursim attingere, quæ legimus à paucis hactenus observata, & aliis majori, quoad ejus fieri poterit, modio impertiri. Quidquid enim hac in parte valemus (quodquam sit exiguum non nescimus) aliorum certe quidem commodis & utilitati valemus. Confessiones æque ac Cœmeteria nata recens Ecclesia (eorum ut antiquitatem initio declaremus) exstrui cœpisse auctor est B. Clemens sacrorum princeps antiquissimus, & integerrimus Scriptor, ante scilicet quam
B illæ Basilicæ essent, aut ulla Templa exædificarentur, persecutionis ergo, qua grassante, non modo nullæ Basilicæ conditæ, nullaque Templa, sed etiam Cœmeteria ipsa servandis, tegendisque viventibus potius quam piis mortuorum excipiendorum usibus inserviebant, quæ demum pace Ecclesiæ reddita Templis & Basilicis illustribus sunt ornata. Asyla tum itaque fidelium erant hujusmodi loca, sacræ illis sedes erant hæc Templa, in quibus Clerus ac Populus Christianus anniversarios sanctorum Martyrum dies natales, ac felices in vitam illam beatam & æternam introitus, ac sacra cætera perageret, quæ veri Dei cultum attingerent; stationes etiam in
C iisdem, & Synodos haberet; Sacramenta à Christo Domino Salvatore nostro, ad communem omnium salutem proposita frequentaret; aliaque plena sanctitatis mysteria non solum ad fidem excitandam spectantia, & effrenatam humanarum rerum libidinem coercendam, sed etiam ad eam charitatem in animis inflammandam, cujus quasi gradibus propius ad Deum accedimus, nos inter nos amamus, totaque à rebus humanis evocata mente ad cœlestium & divinarum studium accensa voluntate ferimur. Quæ quidem omnia possemus hic pluribus confirmare, nisi ab Onuphrio in *Appendice ad Platinam* ea res jam pridem esset
D explicata. Immo B. Petrus Apostolorum Princeps, & Christianæ militiæ dux in Cœmeterio Ostriano (quod fuit Via Salaria ad tertium ab Urbe Roma lapidem) cœlesti lavacro non semel veræ salutis avidos expiavit. Neque vero cum Ecclesiæ Catholicæ res habere se melius cœptæ sunt, & data facultas discipulis veritatis Ædes sacras & Basilicas erigendi, primis illis Basilicis affinia Cœmeteria fuerunt, sed ab illis distincta penitus, & remota; siquidem hæc olim extra muros erant, quemadmodum & sepulturæ, Romæ potissimum, ubi intra Urbem pauculis exceptis, ne-
E minem fas erat mandare terræ, nisi id occulte forte & insciis aliis fieret. Idque diserte fatetur illustrissimus *Sacrorum Annalium* Scriptor Baronius, Tomo secundo ad annum ab Orbe redempto CCXXVI. num. VII. in hæc verba: *Imprimis liquet lege duodecim Tabularum vetitum fuisse, defunctum intra mœnia sepelire; quamvis Spartani, instituente Lycurgo, intra civitatem juxta templa sepulchra fieri voluissent. Romæ autem etsi omnes extra Urbem sepeliri solerent, qui tamen triumphum egissent (ut auctor est Plutarchus) intra Urbem poterant sepeliri. Cogebantur his legibus Christiani etiam suos mortuos extra mœnia sepelire, nisi forte quis clanculum (quod sæpius accidit) cadaver martyris sustulisset, ac in domo pro-*
F *pria sepelisset, quam quidem legem usu contrario antiquatam Theodoricus Rex Italiæ restituit, sed Leo Augustus postea penitus abrogavit.*

Templa vero in ipsa Urbe, ut plurimum, condebantur, ac sicubi contigisset, ut Templum aliquod locum Cœmeterio proximum ac conterminum sortiretur, cessabat tum Cœmeterii nomen, quemadmodum & ante condita Basilica, si quod ei Cœmeterium addebatur, nomen suum pristinum amittebat. Postquam enim emollitis Tyrannorum cordibus, qui è Christi schola erant Templa sua in urbibus tuto condere potuerunt, etiam Cœmeteria proximo Templis loco religiosa quadam affectione constituerunt, corpora ibi forte melius quietura rati, quemadmodum & de Valerio quodam ossa sua prope Templum Æsculapii collocante testatur Inscriptio Hispaniensis:

MORTE. ME. VALERIVM. M. F. ADSEQVENTE. IN. VLTIMA. TERRA. NVLLO. CREDIDI. LOCO. OSSA. NOSTRA. POSSE. MELIVS. ADQVIESCERE. QVAM. PROPE. TEMPLVM. ÆSCVLAPII. ITAQVE. EX. TESTAM. AD. X. PEDES. A. TEMPLO. VOLO. CONDIER. VOS. NATI. JVCVNDISS. AB. VRBE. ROMA. HVC. CONCEDITE. AD. SEPVLCHRVM. NOSTRVM. DEMETVR. DOLOR. PIETE. VESTA. SI. MANES. SENTIENT. VOS. MEMORES. NOSTRI.

Ex quo ritu nostris hodie temporibus spacia quælibet juxta templa mortuis sepeliendis destinata, Cœmeteria dicuntur à nobis, ab aliis TEMPLORVM ATRIA PROXIMORVM, in quibus præter illos, qui suos in Ecclesiis tumulos habent, sepulturæ mandantur corpora Christianorum. Immo patrum memoria cum quidam ea nequaquam Templorum vicinitate contenti, qua illis Cœmeteriorum spacia jungebantur, in ipsis quoque templorum penetralibus condi vellent, cautum est *l. ult. C. Theod.* 17. ne quis in Ecclesiis, sed in Cœmeteriis proximis mortuum sepeliret. Quod ipsum inter leges Caroli Magni exstat *lib.* I. *cap.* CLIX. Sanxitque Concilium Braccarense I. *Can.* 36. hisce verbis, quæ subdam: *Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam Sanctorum sepeliantur, sed si necesse est, de foris circa murum Basilicæ det. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent Galliæ Civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum cujuslibet defuncti corpus sit humatum, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere.* Hinc & sacra semper sunt habita Cœmeteriorum loca, utpote sacris Templis affinia, & Deo certis quibusdam ritibus dedicata, & iisdem fere, quibus ipsæ Ecclesiæ, privilegiis & immunitatibus potita. Quod ut Germani planum, apertumque reddant, Cœmeterium FERIATAM AVLAM, seu VILLAM nominant, hoc est, IMMVNEM ac LIBERAM, appellatione ducta à Latino vocabulo FERIATVS, sive (ut alii volunt) FERIA, quasi FERIAT.

Differunt tamen Confessiones à Cœmeteriis, nec una tantummodo ratione. Confessiones enim omnes sub terra non supra terram sunt, utpote sub majoribus sacrarum Ædium Altaribus sitæ: Cœmeteria non semper: illæ ad Apostolorum, Martyrum, & aliorum Sanctorum sepulturam, hæc ad cæteros etiam fideles humandos potissimum præparata. Potissimum, inquam, cum illud nos hic minime fugiat initio veritatis Euangelicæ nunciatæ in Cœmeteriis Sanctorum quoque corpora tumulata, quod vel ex uno Calixti Cœmeterio apertissime constat, in quo recondita fuisse narrat Xistus Tertius sanctorum Martyrum corpora, ac primo quidem Romanorum Pontificum Aniceti, Soteris, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelii, Lucii, Stephani, Xisti, Dionysii, Eutychiani, Caii, Eusebii, & Milciadis; deinde SS. Sebastiani, Cæciliæ, Tertullini Presbyteri, Nemesii Diaconi, Lucillæ, & aliorum plurimorum, qui pro Christi fide gloriosæ vitæ finem sortiti sunt, in fidelium reliquorum tumbis: quemadmo-

admodum & fideles aliqui prope Apostolorum & Martyrum sedes condi etiam atque etiam voluerunt, fenestram ad id aperientibus Constantino Magno, & Honorio Impp. quorum hic Romæ in SS. Petri, ille Constantinopoli in porticu Templi Apostolorum humatus legitur. Invaluitque adeo mos ille vulgo, ut legibus fuerit coercendus à Gratiano, Valeriano *, & Theodosio Impp. quos ad Pancratium Præf. Urbi super hac re ita rescripsisse testatur *l.* II. *C. de Sacrosanct. Eccles.* NEMO APOSTOLORVM, VEL MARTYRVM SEDEM HVMANIS (*humandis* forte) CORPORIBVS EXISTIMET CONCESSAM. Non dissimulaverimus igitur interdum nihil inter Confessiones & Cœmeteria discriminis intercessisse, tum scilicet, cum Cœmeteria etiam ipsa sub terra condita Sanctorum æque ac Confessiones corpora recipiebant, Hebræorum more, qui in speluncis sepelire consueverant suos, loculis in earum recessibus excavatis, quem ob finem Abraham *Genesis* XXIII. speluncam ab Ephron duplicem emit, & sepulchrum Redemptoris nostri in petra, seu in spelunca petræ fuit excisum. Ac ne ullus ea de re cuipiam relinquatur dubitandi locus, libet hic oculis subjicere Calixti supra laudati Cœmeterii Catacumbas in terræ profundo defossas, insignesque sepulchris Apostolorum & Martyrum, ipsissimis D. Hieronymi verbis, qui cum illas die quodam Dominico sedulo peragrasset, talem earundem imaginem transmisit ad posteros, *Commentariis* editis *in Ezechielem* capite quadragesimo examussim: *Dum enim essem* (is inquit) *Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis & propositi diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defossæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur:* DESCENDANT IN INFERNVM VIVENTES: *& raro desuper lumen admissum, horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes: rursumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur,*

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Hæc D. Hieronymus de Romanis Cœmeteriorum Cryptis, à quibus non abeunt illa Prudentii præclare admodum describentis, *Hymno* XI. Περὶ ϛεφάνων, Cœmeterium Cyriacæ in Agro Verano positum, his versibus:

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo
Mersa latebrosis Crypta patet foveis:
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus, luce latente, docet:
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu,
Illustratque dies limina vestibuli:
Inde, ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura, loci per specus ambiguum,
Occurrunt cæsis immensa foramina tectis,
Qui jaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arcta sub umbrosis atria porticibus:
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem luminibusque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter ubi apposita est † Arca dicata Deo.
Illa Sacramenti Donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita,
Servat ad æterni spem †† Judicis ossa sepulchro,
Pascit item Sanctis Tybricolas dapibus,
Mira loci pietas, & prompta precantibus ara:
Spes hominum placida prosperitate juvat.

Quæ omnia libentes ac lubentes attulimus; tum

* Repone, *Valentiniano.* † Alii legunt, *Ara.* †† Alii, *Vindicis.*

A quia nobis dignissima visa sunt, quæ hic in eorum gratiam exscriberentur, quibus Prudentii versus non essent ad manus; tum quia persequuntur Cœmeteriorum usus, de quibus nos supra meminimus; tum demum quia Aram Martyris Hippolyti corpori appositam docet, id quod in Confessione nostra factum proxime superiori capite est ostensum. Magni postremam ob hanc certe caussam, & assidui concursus fiebant undequaque piis à populis ad Cœmeteriorum cryptas, eodem supra laudato Prudentio teste, qui confluentium ad Sancti Hippolyti corpus frequentiam eodem in *Hymno* XI. sic descripsit:

B *Mane salutatum concurritur: omnis adorat*
Pubes; eunt, redeunt solis ad usque obitum:
Conglobat in cuneum Latios simul: ac peregrinos
*Permistim * relligionis amor,*
Oscula perspicuo figunt impressa metallo,
Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.
Jam cum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio festa refert:
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs augusta suos vomit, effunditque Quirites,
Una & Patricios ambitione pari.
Confundit plebeja phalanx umbonibus æquis
C *Discrimen Procerum, præcipitante fide.*
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum,
Indigena, & Picens, plebs & Etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, & altæ
Campanus Capuæ, jamque Nolanus adest.
Quisque sua lætus cum conjuge, dulcibus & cum
Pignoribus rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret, & in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse catervis
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.

D Et paullo post de Templo Cœmeterio proximo:

Plena laborantes ægre domus accipit undas
Arctaque confertis æstuat in foribus,
Maternum pandens gremium, quo condat alumnos,
Ac foveat fœtos accumulata sinus.

Usque adeo ut Imperatores Ethnici Christianos etiam edictis propositis inde arcerent, uti videre est apud Eusebium *lib.* VII. *c.* X. & XI. ea de re pluribus disserentem. Idque honorandi gratia Martyres ibi positos; aut venerandi divinum Numen, cujus immensam amplitudinem Sanctorum vita, mors & gloria maxime ostendit; aut gratiam cœlestium E benedictionum sibi vel aliis à Deo bonorum omnium largitore Sanctorum ob merita postulandi; aut sese totos in sacris commensationibus superumque deliciis occupandi. Quamobrem eorum nonnulla tantæ magnitudinis & amplitudinis exstitere, ut quandam præ se ferrent speciem oppidorum. Tale illud Priscillæ fuisse non ignoramus, quod Baronius diligenter à se lustratum descripsit egregie *Tomo* II. ad annum ab Orbe redempto CXXX. in hæc verba: *Mirabile dictu, vidimus, sæpiusque lustravimus Priscillæ Cœmeterium, haud pridem inventum atque refossum via Salaria tertio ab Urbe lapide; quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ ejus am-* F *plitudine, multisque atque diversis ejusdem viis, quam subterraneam civitatem: quippe quod ipsius ingressu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde vias diversas habeat, easdemque frequentes, quæ rursum in diversos viculos dividatur, & angiportus: rursus, ut in civitatibus, statis locis velut fora quadam, ampliora sint spatia ad conventus sacros agendos, eademque sanctorum imaginibus exornata; nec desinit, licet nunc obstructa, ad lumen recipiendum desuper excisa foramina. Obstupuit Urbs, cum in suis suburbiis abditas se novit ha-*

* Abest τὸ *populos.*

bere Civitates, Christianorum tempore persecutionis olim colonias, modo autem sepulchris tantum refertas: & quod legebat in chartis, vel videbat ex aliis Cœmeteriis aliqua solum ex parte reclusis, tunc plenius intellexit: quæ enim de iisdem apud S. Hieronymum, vel Prudentium legerat, suis ipsius oculis intuens, vehementer admirabunda spectavit.

At neque Mediolani defuerunt olim amplæ Cœmeteriorum substructiones, quarum Galliæ totius Cisalpinæ Metropolis admiratione defixa teneretur, nec Roma recensitas hactenus invideret. Ac licet earum memoria vetustate perierit, manet tamen hodie, vigetque, nonnullorum nomen, volitatque adhuc per Mediolanensium ora Specus Cœmeterii, quod PEREGRINORVM vocant, via Romana, in quo Castritianum sepultum fuisse commemorant Ecclesiasticorum Annalium monumenta: quamvis veteri nunc Cœmeterii Peregrinorum appellatione penitus antiquata, novo ex Martyrio D. Euangelistæ Joannis ad Concham nomine vocitetur; manentibus tamen adhuc illius vestigiis non obscuris, licet obscuro in specu, quod nunc Ædi illi sacræ pro Confessione subest, & in latebrosa via, per quam è Templo in Cœnobium ingressus patet, arctus ille quidem initio propter angustas fores: at qui patentior & laxior in progressu ducens in patentiorem sinum leviter assurgentem, qui tandem in aperta lucidis fulta porticibus atria nos emittit. Locus omnino similis (solam si magnitudinem excipias) Cœmeterio Priscillæ, quo de nuper egimus ex Baronio; cum & obscurissimus sit, quæque in eo sunt visu & admiratione digna non nisi adhibitis accensis facibus videri queant. Veteres inibi quædam apparent substructiones, Atria columnis multis innixa, latæ hinc inde viæ, angiportus aliquot antiquitatis priscæ, & alia permulta habitandi, vel certe latendi usibus accommodata. Siquidem fama percrebuit D. Castritianum, grassante gravissime Domitiani sævitia in Christianos, eo loci, ut occulti & abditi, convocasse fideles, tanti ut Imperatoris barbariem declinarent, ac quod nunc publicis in Ecclesiis fieri consuevit Christiana Republica dominante, cælestibus illic divini verbi, & Mensæ sacrosanctæ dapibus aluisse. Docent hoc perantiquæ inibi descriptæ hujusce historiæ monumenta: nam ibi videre est non uno in loco D. Castritiani imaginem, sedentes & utrinque egenos, peregrinos, & hospites ad mensas cum notis indicantibus Divi nomen, & cujus ergo egeni illi peregrini, & hospites assiderent, & alia multa, quam simillima descriptis jam veteribus Cœmeteriis Romanorum.

Fuit & aliud isto Peregrinorum longe præstantius & antiquius in eadem Urbe, quod Caji nomine vocabatur, dono datum Ecclesiæ à Philippo Oldano, viro non tam splendore clarissimi generis, quam virtutum maximarum ornamentis longe conspicuo, & à Cajo III. pientissimo Vrbis Antistite ad usum sepulturæ fidelium consecratum. Erat hoc ea in Urbis nostræ parte, quæ Templis DD. Ambrosii, Francisci, & Valeriæ cessit, primævamque sui faciem (quod est à perpaucis admodum observatum) ad usque D. Simpliciani, qui D. Ambrosio in Episcopatu Mediolani successit, tempora conservavit. Variis hoc ipsum nominibus appellatum invenimus, ne quis plura fuisse existimet, ejus cum diversas appellationes, vel ex aliis auditione accipiet, vel ipse leget in sacrorum Scriptorum paginis aliquando. Divus enim Ambrosius illud HORTVM IRRIGVVM nuncupavit, ob copiam aquarum saluberrimarum, ad quas hauriendas eo magni non tam fidelium, quam infidelium, concursus undequaque fiebant: B. Paulinus AGRVM EVANGELICVM, IN QVO THESAVRI OMNI VEL PERSICA GAZA PRETIOSIORES CONDERENTVR: Bonaventura denique Castillionæus noster *Polyandrion* appellatione Græca ob multitudinem eo in ambitu sepultorum: siquidem πολύανδρον Græcis significat *populosum*. Quam vero multa eo in loco sanctorum Martyrum corpora sepulta fuerint, vel ex his versibus colligere licet, qui marmoreæ tabulæ consignati in ipsius adhuc D. Francisci æde integri perseverant:

ALMA NITET RENOVATA PIIS CVLTORIBVS AVLA,
Tempore quam modico Fratres statuere Minores.
Hortus erat quondam locus iste, domusque Philippi,
Corpora martyrium pro Christo passa recondens.
Hortus secundus dictis domus unde repletur.
Fructibus immensis totus generaliter orbis
Barnabam huc perhibent translatum scripta vetusta.
Fama refert usti cineres, & plumbea tumba,
Hic Nabor, hic Felix, hic Fortunatus habetur,
Et cum Materno Caijus, dictusque Philippus,
Nec non Savinæ sanctæ venerabile corpus.
Ambrosio Paulus cœlos hinc mente petente
Protasium cum Gervasio pandendo revelat,
Sanguine Sanctorum totus locus iste sacratus
Multipotens factus delere piacula plebis.
Atque unum ex pueris Sanctis, quos dira necavit
Ambitio Herodis pro Christo continet hujus
Sacristia ædis, quo tota hæc patria gaudet.
Quam bene nudipedes loca hæc sacratissima servant
Cernere cum Moyse, Josueque ierarchica digni.
Perpetuo ritu feria redeunte secunda
Plebs prius Ambrosii meritum, templumque requirens
Huc venit, & domini verbis impleta resedens
Læta Deum laudat tantis dotata patronis.

Accedit huc proxime laudati Bonaventuræ nostri calculus in *Vitis M. S. Episcoporum Mediolanensium*, qui ante D. Ambrosii tempora exstiterunt, ac in ipso Cajo potissimum, in quo memoriæ prodidit multos inibi Christianorum illustrium tumulos integros permansisse usque ad eam diem, qua major illius Cœmeterii pars à Fratribus, qui è D. Francisci familia sunt, suum in Cœnobium est translata. Siquidem hi partim ad tecta, partim ad Templum, partim ad subterraneam quandam viam, qua ex Cœnobio in Odeum itur, suis commodis exstruendam, ita venerandam illam antiquitatis imaginem deformarunt, sursum deorsum omnia permiscentes, ut ne levissima quidem nunc ejus Cœmeterii vestigia deprehendantur, vel ab oculatissimis viris. Quare non immerito vir omnis antiquitatis studiosissimus Bonaventura tantam adeo præclari monumenti jacturam deplorat in eodem Cajo, graviterque invehitur in Cœnobitas illos, qui primi privata commoda publicæ antiquitatum utilitati præferre minime dubitarunt. Sed aliud quoque Polyandrion, & aliorum quidem omnium longe vetustissimum, Mediolani fuit ad nostri Jovis. Quod enim ad ejus antiquitatem attinet, ante Christi natalitia fuisse fertur, & Jovis Polyandrion dicebatur. Quod vero prope Jovis nostri Templum esset, id infra non tam verisimilibus conjecturis, quam gravissimis rationum ponderibus ac momentis comprobabimus. Illud hic tantum in lucem è tenebris vindicabo, eo in Polyandrio situm fuisse Galienum Imperatorem, teste Galvaneo cap. XCVI. *suæ Chronicæ*, cujus testimonio pondus addit communis Historiographorum omnium consensus, qui Galienum Mediolani commorantem, inibi lucis hujus usura defunctum, terram terræ reddidisse narrant. Ejusdem porro formam volens, libens hic apponerem, si quis mihi idoneus Scriptor illam, rudi saltem Minerva, ob oculos posuisset, quod non invitus supra feci, cum alia Cœmeteria descripsi, quorum lineas mihi aliquas D. Hieronymus, Prudentius, & alii vel leviter adumbrarunt. Neque vero labori ulli peperci, ut sicubi aliqua ejus vestigia, vel leviter impressa, reperire possem, hic illud


illud exhibere possem, eoque fine Chronographorum nostrorum omnium monumenta pervolvi, sed frustra. Quare ne (quod ab Historico procul abesse debet quam longissime) aliquid ex ingenio, aut lubidine commentus fuisse judicarer, aut vana somniasse potius, quam vera literis consignasse, volui eam præterire libentius, quam effictam dare.

Ad horum igitur antiquorum Cœmeteriorum exemplar, quas specus quasdam subterraneas fuisse tradidimus, succedente ævo fideles suas construxerunt CRYPTAS, easque peculiari nomine CONFESSIONES appellaverunt, quandoque etiam ab obscuritate vocabulo, vulgique sermone corrupto, SCVROLA, id est, obscura loca, tum ad reponenda his in locis Sanctorum Corpora, tum ad peragendas in iisdem procul à strepitu & hominum prophano commercio remotis stationes, vigilias, & alias hujusce generis sanctiores conventus, quales ab Sanctis Apostolis Christo duce & auspice derivati in primitiva Ecclesia frequenter habebantur, incalescentibus tum mirum in modum animis ad pietatem: sed clam in abdito ob immane Gentilium odium, & oppugnationes creberrimas, quæ recens natæ Christo soboli parabantur; atque adeo principio quidem in terræ specubus & cavernis, mox in Cryptis & substructis Cœmeteriis, ac demum traductis ad lenitatem animis Barbarorum, apertis in Confessionibus, aut publicis Templis. Quibus conditis cessarunt non multo post fidelium studia in Cœmeteriis adeundis, delatis inde scilicet intra Urbem, quæ ibi sita erant Corpora Sanctorum Martyrum, & honorificentius sacris in diversis Ædibus collocatis.

Porro tales olim conventus magno pietatis ardore Mediolani quoque agi sua tempestate solitos testatur Ambrosius, sacrorum ejus Urbis Antistes maximus, & ii omnes, qui sacras historias ediderunt. Verum enim vero cum corruptelæ non paucæ in eas cœpissent irrepere, non tam ex opportunitate peccandi occasione noctis & tenebrarum, quam ex callido vaferrimi Draconis astu, qui se Christi cruciatu atque morte perculsum & confectum sentiens, quantum suis artibus conniti poterat, tantum ei de possessione sua tentabat eripere, vel bona semina ad æternæ vitæ fructus à Christo jacta mentibus ex humanis eruere, vel adulterare contrariis seminibus occulte dispersis, intermissi sunt, & ea Confessionum loca sacris dumtaxat Divorum Reliquiis asservandis in posterum reservata. Quamobrem deinceps à nostris Confessiones una cum Basilicis ac Templis conditæ iisdemque conjunctæ sunt, quod usum nullum ab iis sejunctum haberent ex certa quadam & peculiari Ecclesiæ sacrosanctæ lege. Atque hæc de sacris subterraneis ædibus non abs re præsenti penitus dicta sufficiant, ut hujus tempestatis homines Majorum nostrorum pietatem, & accuratam in conservandis primis Ecclesiæ ritibus diligentiam noscent, quantique iidem illi sanctissima Divorum Corpora facerent, quorum sacris Reliquiis venerandis peculiares hujusce generis ædes tanto quandoque sumptu & apparatu conditas legimus, ut de Hippolyti Cœmeterio sic iterum à nobis, ac nunc etiam tertio laudandus Prudentius cecinerit ad stuporem:

Ipsa illas animæ exuvias, quas continet intus,
Ædicula, argento fulgurat ex solido.
Præfixit tabulas dives manus æquore lævi
Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis,
Addidit ornando claro talenta operi.

Ac nos quidem de Confessionis nostræ pulchritudine, dimensionibus, columnis, ac omni fere ornatu reliquo, satis superque disseruimus supra: nunc Arcam illam lapideam describemus, cujus in sinu tres illi Sancti Martyres continentur. Lapidea illa tota, ac ingens satis, inter supra laudatam Aram, & fontem Confessionis excurrit, nacta longitudinis pedes quinque, latitudinis duos, altitudinis unum, post Aram, inquam, illam de more, quo Sanctorum tumulis assignatum spatium post altaria, ut in plerisque aliis tum nostræ, tum urbium aliarum locis. Levigati intus est operis juxta sacrarum constitutionum formam, extrinsecus vero sculpti, cæsique cultu religioso pariter, & insigni duorum Angelorum manibus hinc inde tenentium Martyrii lauream in Arcæ ipsius meditullio sitam. Quocirca plane uti sese habet appingendam hic illam esse putavimus diligenter, ne quid non è veteribus Templi nostri monumentis protrahamus in lucem, appingi, vel spectari dignum.



Porro

Porro Divi, quorum Arca Reliquiis insignita colitur, sunt Qvirinvs Siscianvs Episcopus, & Martyr, Nicomedes Presbyter, B. Petri Apostolorum Principis Discipulus, & Abvndivs Diaconus, ambo fidei confessione pariter, & Martyrio clari. Horum ossa & cineres Federici Cardinalis Borromæi vigilantissimi Mediolanensium Archiepiscopi præsentis jussu visa, recognitaque sunt ix. Kal. Feb. anni mdcix. sepulchro eorundem, quamplurimis ex Canonicis Ordinariis Ecclesiæ Metropolitanæ spectantibus, reserato. Nos ipsi quoque (quod votis omnibus optaramus, sperabamusque aliquando fore, ut vivis nobis contingeret) non sine sensu voluptatis eximio intuiti tum hæc ipsa sumus, & enixe, quod piis eorum adjuti precibus è diuturnæ febris incommodis salvi & incolumes evaserimus, venerati. Visis iis Archiepiscopus statim in mandatis dedit peritioribus Ecclesiasticæ antiquitatis viris, ut quo primum tempore commode posset, & quam diligentissime perquirenda curarent antiqua Instrumentorum (ut vocant) exempla, patria historiarum omnium monumenta, veteres Inscriptiones omnes, tum nostræ, tum Patrum nostrorum memoria consignata literis, scripta publica, & privata, aliaque id generis documenta, ex quibus certe ac liquido colligi possent Martyrum inibi quiescentium nomina, genus necis, ac tempus, Principes insuper, vel Tyranni, quibus imperantibus innocentissimi Viri vitam pro Christo cum sanguine profudissent; ratio tandem, & modus, quo in Vincentianam nostram Basilicam pervenissent. Ac ut sine ulla cunctatione protinus pientissimi Præsulis voluntati mos gereretur ab iis, quorum id intererat maxime, Ticinensis Portæ Præfecto negotium datum est, non eum quidem ob finem antiquitatem omnem patriam excutiendi, quo certa inde rei totius cognitio peteretur, sed eum, cui munus impositum fuerat, describendi quæcunque ad eam facere viderentur, urgendi naviter ac morose, quo citius quale istud cumque opus esset maturaretur. Juvit igitur ista Præfecti strenui & impigri viri sedulitas paratum obsequi, immo difficultates procul amovit quamplurimas, quæ moras ingentes nectere poterant ea de re scribere festinanti. Itaque Deo Opt. Max. non abnuente, cujus immensam amplitudinem Sanctorum vita, mors, & gloria maxime ostendit, factum est brevi temporis intervallo, ut omnia fere invenerimus, quæ istud ad negotium pertinerent, nec multo post nullo cum labore digessimus in rationes decem, quas proxime sequenti Fasciculo complectemur. Accesserunt iisdem postmodum non pauca juris utriusque testimonia, auctoritates aliquot Sanctorum Patrum, Ecclesiasticarum Historiarum pleraque monumenta, eruditorum denique Virorum placita non contemnenda, ne quid omisisse consulto videremur in susceptæ provinciæ partibus obeundis. Ac licet supervacaneum videri fortasse possit aliquibus Martyris uniuscujusque facta, veluti lectissimos flores, inserere Fasciculo, quem æternæ uniuscujusque memoriæ nectimus in præsenti: cum Sacrosancta Romana Ecclesia omnium Christianorum benignissima parens ac nutrix unumquemque horum, Qvirinvm nempe Episcopum, Nicomedem Presbyterum, & Abvndivm Diaconum, ut qui per insignia tormenta & acerbissimos cruciatus effuso sanguine suam in præpotentem Deum fidem illustri confessione testati sunt, cum in veteri ac recenti Martyrologio, tum in pervagatis illis ac contritis Catalogis (vulgo *Kalendariis*) inter sacrorum Martyrum, atque adeo Cælitum ipsorum numerum retulerit, nullus jam ut alicui relinquatur dubitandi locus, quin hi sanctissimi Viri omne vitæ suæ curriculum honestissime, integerrimeque confecerint, ac tandem immani diræ necis genere

A gravi corporis custodia liberati in Beatarum Mentium sedes recepti, plurimos gravissimorum morborum tabe confectos pristinæ valetudini restituerint, ab obsessorum animis Dæmones ejecerint, oculis, auribus, ac membris omnibus debilitatos ad optatam sanitatem perduxerint, ac alias res multas admirabiles, quarum nulla fieri poterat sine divinæ ostensione virtutis supra naturæ vim & ordinem, perpetrarint; quibus sanctitatis suæ fama toto jampridem Terrarum Orbe, totoque Cælo diffusa clarissime nituerunt: non abs re tamen omnino fore duximus, Breviarium veluti quoddam necis uniuscujusque, ac vitæ conficere, locum, in B quo eorum unusquisque cæsus occubuerit, annotare, quo cruciatus genere, contempta temporaria morte, coronam vitæ æternæ perceperit, aperire, quot demum ad id usque tempus anni à Christo nato fluxerint, demonstrare, tum ut mandatorum partem hanc non minimam exhauriamus, tum ut quæ de illorum corporibus dicentur in posterum clarius innotescant.

Ut igitur à Sancto Quirino, quippe qui SS. Nicomedem & Abundium dignitate præstitit, ordiamur, Episcopalem Sisciensis Ecclesiæ clavum is tenuit, non ejus quidem, quæ est in Umbria Urbe D. Francisci natalibus clara, sed ejus, quæ in Illyrico juxta Sabarim fluvium est sita, de qua Ve- C nantius Fortunatus eo in carmine *lib.* vii.

Africa Cyprianum dat, Siscia clara Quirinum.

donec jussu Maximini cognomento Galerii addictus est neci, non, inquam, Maximini ejus, qui sub Valeriano Principe vixit, ac Proconsul Africæ præfuit, Sanctumque Cyprianum Carthaginiensem Episcopum extremo supplicio mactavit, ut aliqui memoriæ prodidere, sed alterius, qui in Asia, Illyrico, & Oriente in Diocletiani locum allectus, Præfecturæ munere fungebatur tunc temporis, quo liberius bacchante ipsius Diocletiani in Christi discipulos & alumnos, anno scilicet ab ipsomet nata- D li Christi Domini die cccviii. juxta Baronii mentem in *Annal.* juxta vero Galesini & aliorum calculos, cccx. & ab eodem Principe in societatem adscitus Imperii, insigni Cæsaris titulo decoratus, edicta de Christianorum interitu æreis in tabulis proponebat. Multos tunc sanctissimus Episcopus pro Christi fide dolores exhausit, multas exsorbuit acerbitates, plurima, variaque tormenta pertulit, ac demum ingenti ad collum alligato saxo, præceps in Sabarim fluvium (quem *Gunsionem* hodie nominant) est dejectus. At hic (dictu mirum) supernatante lapide ex undis, cum Christianos, qui tum forte fortuna spectaculo illi teterrimo præsen- E tes aderant, in proxima ripa rei totius exitum intuituri, diu fuisset hortatus, ne suo supplicio, neve ullis Barbarorum minis, nullis periculis, nullis cruciatibus se de recto Orthodoxæ fidei tramite dejici paterentur, cælestibus præmiis inhians, fusis ad Deum precibus impetravit, ut obrutus aquarum vorticibus in altiori fluvii gurgite mergeretur, assecuturus inde gloriosam illam tandem aliquando lauream, quæ nullis temporum intervallis suam viriditatem exuit, quamque paratam norat iis esse certissime, qui in hisce corporis inclusi compagibus pro Christo, ejusque salutaris disciplinæ propagandæ studio contumeliis affici, plagis contundi, vul- F neribus peti, jugulari denique voluissent. Ejus res gestas, si qui sunt, qui pluribus explicatas videndi desiderio flagrent, hi Mombritium civem, & Historicum Mediolanensem adeant *Tom.* ii. Bedam, Usuardum, Adonem, Martyrologium Romanum, & Ambrosianum Breviarium nostrum, in quibus præclara de rebus ab eo gestis mentio fit pridie Non. Junii, & alios Scriptores ejuscemodi, quos ultro missos facimus in præsenti, solo Aurelii Prudentii *Hymno* contenti, qui septimus est inter cos;

eos, quos libro *Peri Stephanon* inclusit, Quirino ipsi Sisciano Illyrico dictus: egregie siquidem is Scriptor de Martyre nostro est meritus, cum ejus hæc in laudem scripsit: A

Insignem meritis virum
Quirinum, placitum Deo,
Vrbis mœnia Sisciæ
Concessum sibi Martyrem
Complexu patrio fovent:
Hic sub Galerio Duce,
Qui tunc Illyricos sinus
Vrgebat ditionibus,
Fertur Catholicam fidem
Illustrasse per exitum. B
Non illum gladii rigor,
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant,
Sed lymphis fluvialibus
Gurges, dum rapit abluit.
Nil refert vitreo æquore,
An de flumine sanguinis
Tingat passio martyrem:
Æque gloria provenit
Fluctu quolibet uvida.
Summo pontis ab ardui
Sanctæ plebis Episcopus
In præceps fluvio datur, C
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Dejectum placidissimo
Amnis vertice suscipit,
Nec mergi patitur sibi,
Miris vasta natatibus
Saxi pondera sustinens.
Spectant eminus è solo
Ductorem pavidi greges:
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina
Stipato agmine sepserat.
Sed Quirinus ut eminens D
Os circumtulit, heu suos
Extemplo trepidos videt,
Nil ipse proprii memor
Inter stagna periculi.
Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Ne constans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga vehunt vadis,
Nec substrata profunditas
Saxoque, & laqueo, & viro E
Audet sponte dehiscere.
Sensit martyr Episcopus
Jam partam sibi præripi
Palmam mortis, & exitus,
Ascensumque negarier
Æterni ad solium patris.
Jesu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi gloria
Hæc est insolita, aut nova,
Calcare fremitum maris,
Prona & flumina sistere.
Scimus Discipulum Petrum, F
Quum vestigia tingeret
Mortali trepidus pede,
Dextræ subsidio tuæ
Subjecisse salum solo.
Jordanem quoque novimus
Tortis vorticibus vagum,
Dum fertur rapido impetu,
Ad fontem refluis retro
Confugisse meatibus.
Hæc miracula sunt tua
Virtutis, Domine, ut modo
Suspendar, leve prænatans
Summo gurgite fluminis,
Cum collo scopulum traham.
Jam plenus titulus tui est,
Et vis prodita nominis,
Quam gentilis habet stupor.
Absolvas, precor, optime,
Hujus nunc animæ moras.
Quid possis, probat amnicus
Qui vectat silicem liquor.
Hoc jam quod superest cedo,
Quo nil est pretiosius,
Pro te, Christe Deus, mori:
Orantem simul halitus,
Et vox deserit, & calor;
Scandit spiritus ardua:
Fit pondus grave saxeum:
Corpus suscipiunt aquæ.

Quod si quis prolixitatem *Hymni* hujus fastidiverit, legat is ejusdem epitomen paucis nuperrime versibus comprehensam à Matthæo Radero, sacerdote è Societate Jesu, & hic à me positam non augendæ molestiæ gratia, sed tollendæ:

Immanis saxi moles à Præsule pendet,
Sed ne mergatur, fit lapis ipse ratis.
Vt mergi posset, saxumque ut pondus haberet,
Rex maris, & terræ voce precandus erat.
Scilicet & tellus virtutem sensit, & unda
Pontificis sacræ parcere jussa mitræ.
Quem non hauserunt fluctus, non fragmina montis
Presserunt, cogis, sæve Tyranne, mori?

Quibus licet contenti possemus esse; ne qua tamen D. Quirino injuria fiat, omissis præconiis delatis ab aliis ejusdem eximiis meritis, ac virtuti, visum hic etiam mihi illa ipsa reponere ex publica scriptorum Neotericorum fide, Lectoris animum ipsa fortasse novitate rei, si minus ipsius orationis suavitate poterimus, refecturi.

Ferunt enim isti innixi auctoritati M. S. Vitæ S. Ruperti, quam VI. *Antiq. Lect.* volumen inclusam habet, (neque enim recentiores sine testimonio loquentes laudare libet in re nova, & antehac nostris fortassis etiam inaudita) D. Quirinum non Siscianum tantum Pontificem, sed Laureacensem quoque Archiepiscopum, & Aquilejanum Patriarcham, nec non & Philippi Majoris Romanorum Imperatoris filium exstitisse. Verba enim ipsissima M. S. sunt: *Quirinus illustris Philippi Senioris filius, qui primus Imperator fidem Catholicam ad prædicationem Origenis recepit. Quirino tandem in Primatum Aquiliensem sublimato, Sanctus Maximilianus ex Celeja civitate nobilibus parentibus ortus, Laureacensem Ecclesiam optime rexit, qui post multos agones in Vinea Domini habitos, locum nativum adiit.* Confirmant idipsum Metelli Poetæ non obscuri versus, quibus & antiquitas, (cum anno à Christo nato MLIII. vixerit) & Monasticæ vitæ genus, quod caste semper & integre professus est in Benedictina familia, fidem adstruunt non vulgarem. Sic enim ille de D. Quirino canens *ode* I.

O flos purpureus, tu rosa nobilis,
Martyr conspicuus, testis idoneus
Stirpis Cæsareæ germen amabile
Aulæ sidereæ clarus in ordine.

Et *ode* altera:

Horum sceptrigera de stirpe resedit aureos flos
Quirinus, infans septimum sub annum, &c.

Adstipulari videtur his Leander in *Catalogo Pontificum Aquilejensium*, undecimam Quirino sedem adscribens, ut nihil veritati magis congruere videatur. Alii tamen alia sentiunt, quorum in numero esse video Matthæum Raderum in *sua Bavaria sancta*, eo maxime fundamento innixi, quod nullibi apud Historiographos graves Romanorum Imper.

Genealogias enarrantes legere sit, Philippum Seniorem præter Philippum Juniorem filium, nullum alium suscepisse Quirini nomine nuncupatum: neque id à Prudentio prætermissum iri, ab eo Scriptore scilicet, qui majori quam cæteri diligentia vitam ejus, & Martyrium persecutus esset, ejus si filius exstitisset ob majus decus, quod sancto Martyri conciliare isto quoque nobilitatis Regiæ titulo potuisset, cum tamen nullum is ea de re verbum fecisse dicatur. Conati sunt igitur aliqui duas hasce sententias, inter se pugnantes adeo, conciliare, & opinionum dissidia tollere, si qua ratione possent. Ea re cum Baronio Quirinos primum quinque numerant, qui pro Christo testimonium sanguine dixerint, quos dein ad tres cum Radero & sectatoribus redigunt, ac tandem ad duos tantum cum M. Velsero II. Viro Augustano, Quirinum scilicet illum, qui Romæ sub Claudio Gothico passus gloriosæ in Christo perseverantiæ titulo illustratus est, & hunc Tegernseensem à Metello Cœnobii Tigurini, prope quod nobilissimum ei templum dicatum est, Monacho laudatum Poematio Quirinali. Alterum vero Siscianum Episcopum, & hunc in Illyrico Amantii Præsidis jussu capitali sententia sub Galerio Maximino (sive Maximo) Principe cæsum, & à Prudentio *Hymni* sacri præconio decoratum.

Hac itaque distinctione præmissa, componi has ita sibi invicem adversantes sententias posse contendunt Scriptores isti, si nimirum Quirinos istos à supra laudatis Auctoribus sine ullo discrimine celebratos, ac unum pro altero (ut amat quandoque fieri cum incuriosius scribitur) sumptos esse dicamus. Meum sane non est lites hasce tantas componere inter tales Viros, neque statuere quamnam harum opinionum amplecti libentius debeat Lector veritatis amans: penes ipsum igitur jus & optio sit, quam ipse maluerit amplectendi. A me quidem certe muneri satis superque meo fieri arbitror, cum nihil eorum prætereo, quæ ad Divi nostri laudem facere videantur, & uti vera communi fere omnium consensu recipi, ac probari. Illud enim Martyri ipsi perhonorificum, istud vero sacræ cuivis historiæ Scriptori non injucundum fore arbitror, quemadmodum neutri displiciturum, quod medicam nunc adhibiturus sim manum *Odæ* III. Metelli alicubi laboranti, sublatis errorum aliquot maculis extra ordinem versus in ora ex autographo deprehensis. Erratum itaque primum in eo situm est, quod asserit anno I. Philippi Quirinum natum, & anno ætatis XXVII. passum sub Claudio. Cum enim Triodia Sanctorum, & Martyrologia fere omnia, Quirinum Sisciensem Episcopum, & Martyrem sub Galerio Principe statuant, qui anno post C. N. CCCIV. ad Imperii gubernacula accessit; Philippum vero ad Imperii fastigium adscenderit anno CCXLV. mendum in eo certissimum esse fatendum est, quod anno ætatis XXVII. sit passus, cum anni quinquaginta novem inter Philippi & Galerii Imperia intercessisse constet: aut certe sine fundo dici, Quirinum natum anno I. Philippi, aut sub Galerio vita mortali functum, martyrii lauream accepisse. Verum enim vero cum postremum hoc affirmare non audeam contra communem Scriptorum Ecclesiasticorum consensum, facilius adducor ut credam, primum illud damnandum esse crimine falsitatis. Quod si quis rursum contenderit, Quirinum sub Claudio passum, in alterum is mendum incidat necesse erit; aut fateatur, Quirinum annos viginti tantum & quatuor vixisse, cum abiisse plures à Philippo ad Claudium non legamus. At qua ratione tandem, quove jure firmabimus tot honorum insignibus, tot titulis, Episcopali scilicet, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate, clarum fuisse Quirinum nostrum adeo brevem lucis hujus usuram homini tribuentes. Quo siquidem ille pacto viginti tantum & quatuor, imo & viginti septem annos natus in sacerdotum album adscribi tempestate illa, qua sero admodum sacris mysteriis fideles initiari mos erat? Quid plura? Totam hanc primi erroris molem funditus evertemus ariete firmiori, quem illi nunc admotum imus è sacra Divi ipsius Historia, quam Mombritius scripsit. Mombritius enim gravissimus *Vitæ Quirini* scriptor Tom II. *Sanctuarii*, disertissimis verbis asserit illum ætate gravi, imo senio prope confectum, una cum Martyrii laurea ad æternæ vitæ præmia commigrasse. Siquidem hæc apud illum Amantius dixisse fertur cum Martyrem alloqueretur in fidei prædicatione constantissime persistentem: *Ætatem tuam dolemus jaculari verberibus: tamen sensum tuum optamus emendari sermonibus, & præmio promissæ vitæ corrigere, ut reliquum senectutis tuæ tempus juxta legum Imperialium sanctionem Diis serviens perfruaris. B. Quirinsus dixit. Quid de ætate dubitas? quam fides inviolata reddere potest omnibus suppliciis fortiorem*, &c. Quibus idem ille verbis eundem alloquitur in V. Lectione publicæ liturgiæ, quæ palam in anniversaria D. Quirini memoria legebatur in Collegiata cognomine nobilis oppidi Corrigiæ ante reformatum Rom. Breviarium jussu Pii V. Pontificis Maximi, ut ex *laudato* Mombritii *loco* videantur exscripta, licet quæ de Translatione Sacri Martyris in VIII. & IX. Lectione ejusdem Corrigiensis Ecclesiæ recensentur, nullatenus cum Mombritio congruant, cujus tamen Scriptoris auctoritas magni semper apud Viros doctos ponderis ac momenti fuit, ac in primis apud illustrissimum Baronium, à quo laudatur passim in *suis ad Martyrologium Notis*, ibi, inquam, ubi totus est in confirmandis facinoribus à sanctis Viris fortiter ac strenue perpetratis. Atqui de D. Quirini Translatione commodior nobis erit agendi locus in proxime sequenti Fasciculo, cum illic de sacris Corrigiensium Reliquiis apposite, loco suo scilicet, ac proprio, disseremus. Cætera pariter, quæ ex Radero confuse de Claudio, imo & mendose, uti mea fert sententia, de Quirino protulit Scholiastes *ad Odem illam* III. *Metelli*, haud ignarus ad rem præsentem parum admodum facere, rejiciam alio commodius expendenda, ne meo quodam ex genio censorem potius obelo agere velle videar, quam veritatis studio monere Lectorem, ut ex recepta Ecclesiasticorum Annalium supputatione inter legendum juxta observationes nostras, aliorum errata corrigat, ac emendet.

Dignitate secundus, at antiquitate primus, à D. Quirino Episcopo D. Nicomedes Presbyter fuit, ut qui B. Petri Apostolorum Principis Discipulus, & S. Petronillæ ejus filiæ, ac Feliculæ Virginum à sacris confessionibus exstiterit, earumque corpora sepulcro crediderit, teste Surio Tom. III. *Flor. Sanctorum*, die XIV. Septembris, & aliis; siquidem is eandem ob caussam à Domitiano Imperatore comprehendi jussus, ductus est in vincula, squallorem ut ibi carceris pateretur. Eo igitur in loco Christianum se eum esse disertissimis verbis apertissime fateretur, atque commentitiis illis, fictisque Deorum inanium simulachris sacra nefaria facere constantissime recusaret, plumbatis diutissime cæsus tandem ad cœlestia capescenda præmia migravit è vinculis Romæ via Nomentana, anno à Virgineo partu tertio supra octuagesimum juxta communiorem Chronistarum illorum temporum opinionem. Hujus porro sacras anniversarias ferias colit Ecclesia XV. Kal. Octobris, deque eo mentio perhonorifica habetur in Conc. I. Romano coacto sub Reipublicæ Christianæ Pontifice Maximo Symmacho, quemadmodum & de illius

illius Cœmeterio in lib. *de Rom. Pontificibus* in Bonifacio V. legimus non contemnenda.

Ægre hic admodum ac permoleste fero, Vatis nullius insignis carmina reperiri, quibus (quod sciam) Divi Nicomedis vitam, aut Martyrium illustrare possem, id quod à me nuper est factum in D. Quirini laudem, satis, ut arbitror, cumulate, facem mihi liberaliter admodum qua Prudentii *Hymno*, qua Metelli *Ode*, qua Raderi *Epigrammate* præferente. Verum enim vero ne strenuissimus Dei Opt. miles alter Nicomedes jure sibi suo debitis omnino præconiis fraudetur, quin imo paribus, quoad ejus fieri poterit, gradibus incedat cum Quirino, cum & ambobus laurea par obtigerit, par sepulchrum, Ecclesia eadem, amboque domus nostræ, atque adeo Parœciæ totius, ac totius Urbis sint lumina, columinaque firmissima, recte me atque ordine facturum arbitror, si quid humili saltem avena depromam è penu meo, quod cultum, reverentiamque meam eximiam adversus magni nominis Martyrem, testatum apud posteros relinquat. Libuit igitur *Hymno* sacro vitam illius, vitæque exitum complecti paucis, sacris benevolentibus Musis, quibus illum referimus in acceptum, ad eorum morem, quos ab Ecclesiæ nostræ Parente Ambrosio decantatos accepimus, orationi solutæ, quam adstrictæ numeris propriores. Eo vero libentius id mihi sumpsi, quod is forte fortuna (modo tanti sit) ad ejus Divi festum diem inseri poterit Breviario nostro, cujus editionem novam, & ampliorem adornant religiosissimi Viri jussu illustrissimi Archiepiscopi Borromæi: aut certe testis esse perpetuus meæ nunquam erga Cœlitem de me optime meritum observantiæ intermoriturae. Quid quod Apostolorum Discipulum, Presbyterum nascentis Ecclesiæ numeris suis omnibus absolutum, Unigenæ Dei Filio charum, cujus & adspectu fruitum illum esse, dum adhuc in terris degeret, non temere suspicari possumus, ac ob id Ecclesiastici ordinis tutelarem præcipuum meis me præconiis extulisse nullo unquam possit me tempore pœnitere. Dabunt alii fortassis alia, ac in primis ii,

Queis meliore luto finxit præcordia Titan.

Nos humiles juvat humi serpere, & aliquam si minus, quod non potuerimus, saltem quod voluerimus à Divo Nicomede gratiam promereri.

Hymnus in laudem D. Nicomedis Martyris.

Apostolorum Principis
Sanctum vere Discipulum.
NICOMEDEM PRESBYTERVM
Tollamus omnes laudibus.
Is PETRONILLAM *Virginem*
Sobolem Petri nobilem
Sua fatentem crimina
Audiebat sedulus.
Alter Tobia dum studet
Humare corpus Virginis
FELICVLAE *pro nomine*
Christi passæ, compredenditur.
Domitiani mox feri
Jussu adolere cogitur
Aris nefandi Dæmonis
Thura sacerdos ætheris.
Sed adolere pernegat
NICOMEDES, *quotidie*
Uni Deo se victimam
Litare sacram prædicans.
Tyrannus illum protinus
Squallore mulctat carceris:
Nil sed Tyrannus proficit
Durante semper Martyre.
Pœnas parat statim novas
Putans Athletam vincere,
Sed vana cedunt omnia
Superna Christi gratia.
Fortiter namque pertulit
Plumbatos ictus asperos,
Ac illibatum reddidit
In illis cœlo spiritum.
Artus verendos Tyberi
Demergunt Gentes impiæ;
Eductos sed ad mœnia
JVSTVS *sepelit* CLERICVS.
Nec multo post hinc supplices
Ad Catacumbas transferunt
Christi fideles Martyrem
Ingenti cum lætitia.
Has tenuit Martyr sedes
Donec ad Urbem appulit
HERIBERTVS EPISCOPVS
Mediolani strenuus.
Hic à supremo Præsule
Sacro donatus corpore
Mediolanum detulit
Sancto repletus gaudio.
Deditque mox Cœnobio
Vincentii nunc pignore
Tanti potitur Martyris
Ædes sacra Vincentii.

Atqui ut quantum debitis D. Nicomedi præconiis *Hymni* nostri brevitate & tenuitate styli deperit, tantum eisdem accedat cumuli ex copia versuum seorsim complectentium Vitam ejus, Merita, & Virtutes, quæ subdam ea de re Epigrammata Lector humanissime percurrere ne graveris.

Allusio ad Apostolorum Principem Petrum D. Nicomedis Institutorem, & D. ipsius Nicomedis Discipulam Petronillam.

EPIGRAMMA I.

FELICEM *ne tuo dicam* NICOMEDE *Magistro*
Te magis, alme tua Discipulave magis,
Ambigo, Divorum Dux exstitit ipse Magister,
Discipula ipsa Chori gloria Virginei.
Utroque ô vere felix? felicior atqui
Virtute, & Meritis vivis in Axe tuis.

Quam ob caussam Nicomedes detrusus in carcerem.

EPIGRAMMA II.

DISCIPVLAE *in tumulo dum frigida membra reponit*
Martyris, & largis fletibus ora rigat,
Romani mavult contemnere jussa Tyranni,
Quam sacrum in nuda linquere corpus humo.
Invicti hac animi Virtus, hanc palma moratur
Æternis nunquam palma obitura comis.
Prisca fides taceat, nam post hæc facta, priores
Fama tacere Duces nescia, conticuit.

De D. Petronilla D. Nicomedis Discipula, Virgine & Martyre.

EPIGRAMMA III.

PETRONILLA *Polum Duce te sortita triumphat*
Virgines inter lucida tota faces.
Cælicolas tales Cælo parit, inclytus actis
Qui prius in terris, quod docet ore, probat.

In Domitianum Tyrannum.

EPIGRAMMA IV.

MONSTRVM *horrendum, ingens, quo nullum immanius atris*
Dira habitata feris Tartara nigra tenent,
Tu fera, tu feritas ipsa es, Tu immanior ipsa
Es feritate, Tibi qui fera bellua places.
Tu Divum Divam tumulantem funere mergis,
Exstincta tumulat corpora bellua fera.

Tolerantia Martyris Tyrannum vincit.

EPIGRAMMA V.

VINCERE nituntur telis & viribus hostes,
Ira quibus præceps imperat atque furor.
Non ita divino Nicomedes percitus œstro,
Sola cui pietas imperat atque fides;
Ast ira quavis sublimior atque furore
Vicit nulla timens vulnera, multa ferens.
Regis ad exemplum Christi se finxit. Ille
Vincere sic Hostes, vincere & Astra docet.

Constantia ejusdem ad Gentiles.

EPIGRAMMA VI.

VT libet insani pœnas geminate recentes,
Membraque vulneribus dilaniate novis;
Numinibus nullos vestris indicet honores,
Non Aris supplex impia thura dabit.
Ac quid enim possunt animis inventa malignis
Numina, mentiti quid simulacra Dei?
Christicolæ est eadem mens semper, pectore firmo
Ille colit veri Numen ubique Dei.
Ille colit Christum, qui crimina quæque piavit,
Quem peperit salva virginitate Parens.
Vt libet insani pœnas geminate recentes,
Christicola est quercu firmior, & scopulo.

Pœnæ ejusdem in carcere, & vitæ exitus.

EPIGRAMMA VII.

LANGVIDA colla feris constrictus, & ossa catenis,
Sternere humi vix dum corpora fessa potest,
Dum furvis septus tenebris, & carcere cæco
Ægra nequit vetito membra levare cibo,
Dumque movere pedes, quos ferrea vincla coercent,
Dum vinctas nequit, ah, tollere ad astra manus:
Attollens Cœlo mentem, non limina Regum
Optat, non molli membra locare toro,
Non epulas dulces, non Massica vina requirit,
Vnius ardescens totus amore Poli;
Quin & amor Poli pro luxu vulnera anhelat,
Proque epulis pœnas inter obire feras.
Affuit optanti Divûm Rex talia, pœnis
Constituitque feris ponere ab Axe modum.
Plurima sic inter ponentem vulnera vitam
Posse dedit vita nobiliore frui.
Scilicet æthereis post tot discrimina rerum
Posse frui jussit sedibus, atque bonis.
Exitus hic illum, fælix fors ista beatis
Intulit: hac itur sydera ad alta via.

Vetante Domitiano honore tumuli decoratur.

EPIGRAMMA VIII.

HVC agite ô Gentes mentiti Numinis, & vos
Dura quibus tenebræ pectora & ora premunt,
Consilia adspicite ô tandem, quibus audit ab alto
Vota hominum, superûm Rex, Pater atque Deus.
Quod Petronillæ tumularit corpora Martyr,
Cogitur extremo claudere fata die,
Cogitur & tumuli (si qua est ea gloria) honore
Destitui rapidis præda relicta feris.
Non ita. Ferre suos superûm Rex talia amantes
Non patitur, probris invenit ille modum.
Scilicet & sacri tumulantur Martyris ossa.
I nunc & tumulum sæve Tyranne nega?

Ad Heribertum Episcopum Mediolanensem, à quo Martyris Corpus Mediolanum delatum, & ad Nicomedem ipsum Actio Gratiarum.

EPIGRAMMA IX.

QVOD tuleris nostram cœlesti Numine in Vrbem
Divini Corpus Martyris alme Pater,
Solvimus haud dignas tanto pro munere grates
Heriberte tibi, solvet at ipsa dies.
Ast tibi Dive tuo nostrum quod corpore Templum
Dignaris mentem solvimus, atque animum.
Illius est voluisse suam te ducere in Vrbem;
Ast colere Templum hoc te voluisse tuum est.

A Ego inter arctissima curæ & sollicitudinis animorum (ut ita dicam) vincula pauxillum laxamenti nactus, hæc Epigrammata nuper recudi, & Divo Nicomedi libentissime adscripsi.

Tertium locum obtinet B. Dei Martyr ABVNDIVS Diaconus, quem una cum Carpophoro non Hispali in Hispania, ut volunt Beda & Vasæus in *Chron.* Petrus in *Catalogo* lib. I. cap. IV. *Flos Sanctorum*, *Thesaurus concion.* Tom. II. & alii; sed Spoleti, ut ex nostris animadverterunt probe inter cæteros Mombritius *Tom.* I. & Galesinus secuti Martyrologium Cremonense, & aliorum fida manu exaratorum codicum auctoritatem. Illustrissi-
B mus quoque Scriptor *Annalium Ecclesiasticorum* Baronius rem ita se habere in manuscriptis Ecclesiæ Spoletanæ vetustate fere consumptis, quæ vidit, testatur *suis* in *Notis ad Martyrologium* litera B. die 10. Decembris: modis immanibus excarnificatum effera Martiani Judicis rabies interemit anno salutis nostræ ducentesimo, ni fallimur, supra nonagesimum, quo rerum potiebantur immanissimæ generis humani belluæ Diocletianus, & Maximianus, qui Catholicam religionem tanto persequebantur odio, ut in eos, qui se Christianæ militiæ dedisse nomina profiterentur, non solum vivos, sed etiam mortuos, teterrimam crudelitatem suam
C pertinaciter exercerent, ac in eorum vexandis, dilaniandisque corporibus cum effrænatam animorum rabiem aliter satiare non possent, oculos saltem suos pascerent, & suorum. Enimvero sævissimi Judicis illius jussu Abundius tot ac tantis verberibus est affectus, ut juges è visceribus ejus omnibus rivi sanguinis emanarint. Conjectus nihilominus iterum semimortuo corpore in ergastuli tenebras, cibo, potuque subducto, fuit, ac postmodum in equuleo tortus, postremo cruribus abscissis in confessione ac defensione veritatis cursum beatæ vitæ martyrio complevit IV. Idus Decembris, quo die in antiquo *Missali* Ambrosiano ejus in honorem
D Missa legitur, & in Bedæ *Martyrologio*, Ambrosiano ritui nostro accommodato, ejusdem officium recensetur.

Quod adornare facile posset (modo tanti esset) *Hymnus* à nobis ejus honori nuperrime concinnatus. Qualis illecunque tamen ab ingenio & pietate nostra profluxit, hic eo libentius adscribetur, quo liquidius constet pari nos cultu & honore tres nostros Cœli Purpuratos Patres, & Ecclesiæ Sacrosanctæ Proceres venerari:

ABVNDIO DIACONO

Dicamus omnes laudes,
Qui fide Christi nobilis
E *Athleta fudit sanguinem.*
Is MARTIANI *Judicis*
Jussu nefandæ traditus
Carnificum licentiæ
Affectus est verberibus:
Sed more lædunt vulnerum
Ictus Athletam verberum,
Juges abundant sanguinis
Rivi perenni gurgite.
Plus at abundat sanguinis
Rivis Athleta nobilis
Fides, Amor, Cultus, Decus,
Zelusque summi Numinis.
F *Acceptus hisce pessime*
In vincla modis traditur,
Exsanguis, & inedia
Torquetur, & equuleo.
Hæc passus alto pectore
Martyr recisis cruribus
Victor, triumphator sui
Devicit Hostem perfidum.
Hinc regna calcat ætheris
Crines decorus laurea,

Quam

Quam gerunt Christi milites
Agone victo Dæmonis.
Hinc sacer exit tumulo
Latex salutis. Ebibit
Quem quisquis, abit protinus
A febre sospes torrida.
Lac quoque cum nutricibus
Desit frequentes huc volant,
Statimque sacro latice
Epoto lacte diffluunt.
Hinc quisquis optat copiam
Messis Lyei, serici,
Habet, quod optat, Martyri
Grates rependens debitas.
Nos ergo tanti Præsidis,
A
Quos prope corpus assidet,
Lætemur. Ille precibus
Nos, & tuetur Numine.
Rogemus inde supplices,
Ut ille nobis impetret,
Ut abundemus gratia,
Secumque tandem gloria.

Hæc erant illa, quæ de SS. Ecclesiæ nostræ Martyribus videbantur à nobis hic esse necessario quodammodo præmittenda: de sacra nunc eorundem corporum translatione non tam in Urbem, quam Basilicam nostram, decem illa momenta ac pondera rationum, de quibus paullo ante meminimus, novum in Fasciculum colligemus. B

JO. ANT. CASTELLIONAEI
FLORILEGIVM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.

SECTIO I.

FASCIC. IV.

Rationum momenta x. de Translationibus SS. Quirini, Nicomedis & Abundii Mart. Primus ex Pannonia delatus initio Romam, inde Mediolanum ad D. Vincentii Templum. Angilberti tres. Quorsum Crux in Tumulo Giselberti. Jo. Molani sententia ea de translatione, & alterius de tribus Regibus ad DD. Tumulum, repudiata. Nicomedes ad Romana mœnia tumulatus, in Urbe mox ad Catacumbas, ad D. tandem Vincentii Mediolani. Philippi Ferrarii lapsus in eo Cathedrali Parmensi temere tribuendo. D. Abundii & sociorum translatio Mediolanum. Verisimilitudinum vis, & locus. Fama, Traditione, Scriptis publicis, M. S. Codicibus, Diplomatibus, Apostolicis, Picturis, Visitationum Actis, Reliquiarum ipsarum inspectione res omnis evidentissime comprobata. Admirabiles putei ad Sepulcra Sanctorum. Munificentia Longobardorum Regum in S. Ædibus exstruendis. Epilogus verecunda Scriptoris excusatione conclusus.



OLEVM prorsus & operam perdidissemus, nisi quod universo Operi caussam dedit, persequeremur hoc loco, quibusque possemus rationum ponderibus ac momentis sanctorum trium Martyrum QVIRINI, NICOMEDIS, & ABVNDII corpora Vincentianæ nostræ Basilicæ vindicaremus. Has igitur denario, hoc in Fasciculo, numero complexi sumus, quod eum inter alios numeros supremum esse, nec nisi ex illius repetitione partium augeri posse, vel crescere non ignoremus.

Ac primo quidem quod ad primi Martyris Corpus attinet, supra laudatorum Bedæ & Adonis sententia fuit, Romam illud fuisse delatum non multo post quam Barbari Pannonias devastarunt, statimque ad D. Sebastiani reconditum in Catacumbis; D inde vero per Angilbertum Mediolenensem Archiepiscopum Mediolanum fuisse translatum, Martyris ejusdem Acta testantur, in nostra denique Basilica D. Vincentio sacra perhonorifice collocatum ab eodem Archiepiscopo Mombritius asseverat, cujus verba ex Tomo illius *Operum* II. quod mira sit exemplorum ejus paucitas ubique locorum, mihique non alibi eum scriptorem videre contigerit, præterquam in Bibliotheca Ambrosiana. Hæc igitur sunt, quæ de Quirino Martyre is scribit: *Sanctus Quirinus postea per Dominum piissimum Angilbertum venerabilem Archiepiscopum Mediolanensem honorificentissime apud Monasterium B. Levitæ Vincentii simul cum Sancto Nicomede Presbytero summa cum reverentia est reconditus.* E Suffragatur eidem Petrus Galesinus in *Annotationibus ad Martyrologium suum* pridie Non. Junii, ubi de Sancto Quirino loquens hæc habet: *Ejus corpus nonnulli sunt, qui Romam ad Catacumbas; alii ad ædem Sancti Vincentii Mediolanum translatum esse testantur; ut nos quoque perspeximus ex literis Pontificiis, & Litaniis Ambrosianis. Extant præterea de eodem Sisciano Martyre monimenta perantiquæ historiæ.* Eadem fere legere est in duobus vetustissimis Manuscriptis Martyrologiis, quorum unum est Monachorum Sancti Hieronymi, vulgo *del Castellazzo* in Urbis nostræ suburbiis, ubi nunc F summa cum laude Præfectum agit Balthasar Sudatus, spectatæ probitatis & integritatis Vir, gravioribus olim in studiis sodalis & popularis (mihi quod gloriari liceat) meus. Quam ante Provinciam longe majorem sustinuit bis Monachorum totius Ordinis Generalis, religiosæ politices adeo peritus, ut omnium animos facillime pertrahat in amorem, admirationem, cultum, & obsequium sui. Alterum Cœnobitarum D. Francisci in eadem Urbe. Siquidem in uno legitur: *Pridie Nonas Junii, apud Illy-*

Illyricum in Civitate Siscia natale B. Quirini Episcopi, qui pro fide Christi, ut Prudentius scribit, ligato ad manum molari saxo in flumen præcipitatus est, cujus corpus tandem translatum est Mediolanum in Ecclesia Sancti Vincentii. In altero: *Corpus Sancti Quirini translatum est Roma Mediolanum in Ecclesia S. Vincentii, die* IV. *Junii, quo festum ejus agitur.* Assentitur his omnibus Cardinalis Baronius in *Notis ad Martyrologium Romanum* ibidem litera B. Nec longe ab iisdem abit Breviarium nostrum Ambrosianum, quamquam ex eo S. Quirini corpus non per Angilbertum Archiepiscopum Mediolanensem, ut Mombritio placuit, sed per Heribertum ejusdem Urbis Archepiscopum Mediolanum delatum fuisse constet. Verum enimvero hic error manasse videtur ex similitudine nominum propemodum germanorum, Angilberti scilicet, & Heriberti, qui tamen gravissimus est, cum horum alter anno Incarnationis Dominicæ DCCCXXXV. vixisse dicatur, alter vero post annos ducentos in eadem illi provincia successisse, ut ex Ecclesiasticis Annalibus apertissime liquet. Si quis igitur nostram hic sententiam roget, ac utrum Translationis hujus auctor Angilbertus exstiterit, an Heribertus, libenter assentiremur doctissimo Viro Petro Galesino, qui Heribertum mavult legendum, quam Angilbertum, nisi forte dicere velimus delatum quidem fuisse Martyris Corpus ad Urbem Mediolanensem ab Heriberto Archiepiscopo, sed per Giselbertum Abbatem, illum scilicet, à quo non multo ante Cœnobium S. Vincentii in Prato Mediolani conditum, ornamentis auctum, locupletatumque redditibus, ut ejusdem apud nos Tumuli monumenta testantur his literis marmoreæ tabulæ, appositæ figuræ insculptis.



A Verum etsi hoc minus fortasse probabile videatur ob Episcopi vocem appositam Angilberto, qui Martyris corpus transtulisse dicitur Mediolanum, Abbatis autem alteri Angilberto, seu Giselberto, ut hic depicta marmorea tabula habet; vero tamen esse similius apparebit illud, quod à nobis in medium est allatum cogitanti vitæ utriusque tempora non admodum discordare. Siquidem enim Heriberto Mediolanensis Ecclesiæ Pontifice summo, Monachos Cœnobii Vincentiani floruisse maxime ob commoda & opportunitates sibi Giselberti Abbatis opera, studio, & labore partas, atque adeo (quod plerumque in secundis & ad voluntatem fluen-
B tibus rebus accidere consuevit) sese supra cæteros extulisse, ac vel ipsius Archiepiscopi jugo colla subtrahere conatos esse, notum est iis, qui *Manipulum Florum* Joannis à Monte manuscriptum inspexerint accurate. Quæ cum à disciplina illius Monasterii vetere plurimum abhorrerent, iisque medicinam aliquam facere decrevisset summus Mediolanensium Antistes Heribertus, ne suis defuisse partibus videretur, votique compos ad saniorem illos mentem & animum reduxisset; non male opinabitur quisquis inde conjecerit Giselbertum Abbatem, cujus beneficiis aucti Monachi defecerant ab optima disciplina, & Heribertum Archiepiscopum, à
C quo succrescenti illorum licentiæ frænum injectum est, iisdem fere temporibus exstitisse. Sed hæc pro quorundam opinione potius, quam pro nostra sententia, visum est hic paucis aperire. Nam re paulo diligentius examinata, inter laudatos Giselbertum Abbatem, & Heribertum Archiepiscopum Mediolanensem, longum intervallum temporis intercessisse reperimus, observatione diligenti adhibita ad Crucis sacrosanctæ signum incisum tabulæ marmoreæ humi stratæ, sub qua Giselbertus jacet. Notum est enim omnibus Jurisprudentiæ non ignaris, non nisi ante Herium & Ardaburum, quorum consulatus incidit in annum communis salutis CCCCXXVIII.
D Crucis sacrosanctæ signum humi stratis in marmoribus incidere licuisse, cum iis Consulibus ne id in posterum ullo modo fieret caverint Imperatores piissimi lege sanctissima, quam ipsismet Imperatoriis verbis subdimus ex *l. cum sit, C. Nemini licere signum Salvatoris: cum sit nobis cura diligens per omnia superni Numinis religionum tueri, signum Salvatoris Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere, & quocunque reperitur tolli (gravissima pœna mulctando eos, qui contrarium statutis nostris temptaverit) specialiter imperamus.* Ita rescripserunt Imperatores Theodosius & Valentinianus, Eudoxio Præfecto Prætor.
E Hierio & Ardaburo Coss. Cum igitur Heribertus Benedicto VIII. Pontifice Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus renuntiatus sederit annis septem propemodum & viginti, Joanne XIX. & Benedicto IX. Pontif. hoc est, exordio sacræ suæ provinciæ ducto ab anno salutis Dominicæ MIX. usque ad MXXXXV. vel ex hac annorum diversitate apertissime constat, Giselbertum Abbatem quam longissime ab Archiepiscopi Heriberti temporibus abfuisse. Itaque frustra non est observatio nostra: imo ut hac, & aliis in rebus hujuscemodi frustra esset, antiquitatem certe Vincentiani Cœnobii non declarare non potest, cujus administrationi
F multo ante latam ab Imperatoribus legem Crucis humi non incidendæ, præfuit Giselbertus.

Isto sane in loco non damnare non possumus, antequam ad alia progrediamur, (ita nos admonente Imperatoria lege) pravam consuetudinem aliquorum, qui Cruces non humi tantum in lapidibus, sed etiam parietibus & angulis viarum aliquot prophanis omnino usibus expositarum inconsulto ac temere (ne dicam impie) appingere non verentur contra placita gravissimorum Patrum, quibus sexcenta

centa fere Concilia, ac nostra præcipue Mediolanensi referta sunt. At hæc pluribus persequi, neque negotii præsentis est, neque muneris, quod sustinemus. Certum sit igitur Mediolanum S. Quirini corpus fuisse translatum, quicquid contra sentiat Joannes Molanus in *Adnotationibus ad Usuardum*, ductus levibus admodum (ut tribus in ejus exemplaribus videre potuimus) conjecturis, præsertim si de postrema translatione loquatur. Quod enim ad secundam attinet, non negamus fieri potuisse, ut tempore Pipini Regis in Austriam ad Tigurinum Monasterium delatum ad tempus, Mediolanum demum inde translatum fuerit per aliquem ex Regibus, qui post Pipinum Italiæ finibus imperitarunt, ut ex perantiqua pictura trium Regum ad Sepulchrum Martyris adstantium inter utrasque Templi nostri januas sumus aliquoties cum erudito Viro, (ut infra videbimus in v. Ratione) nec fortasse temere, opinati. Nemini vero mirum videri debet ista Molanum procul à nobis ultra montes dissitum latuisse, cum præsertim Annales solum is antiquos legerit, nec ullam de postrema translatione, sibi fortassis ignota, fecerit mentionem.

Nec mirum eundem prorsus errorem de Translatione eadem animo imbibisse Jo. Cuspinianum in *sua Austria*, eumque novis aliis, atque adeo gravioribus, erroribus cumulasse, cum præcipue scripsit, Bojariorum regionem conterminam hoc cælesti Thesauro ditatam usque ad ætatem suam, si aliam ad nos translationem non admittat. Sed enim falsus est, lapsusque gravissime Cuspinianus, cum ibidem scriptum reliquit, D. Quirinum sub Claudio in Tyberim notissimum Romæ flumen jactum, mersumque, agonem martyrii pertulisse, indeque eductum in Cœmeterio Pontiani fuisse perhonorifice tumulatum. Quibus enim ducibus in hosce errores prioribus longe graviores abduci se passus sit Cuspinianus, accuratissimus alioqui Scriptor, prorsus ignoro, cum è contra non nesciam ab Historiographis omnibus sacris utriusque memoriæ unanimi fere consensu proditum, D. Quirinum nostrum non in Tyberim Romæ, sed in Sabarim in Illyrico præcipitem datum: neque sub Claudio, sed sub Galerio passum: nec unquam in Cœmeterio Pontiani conditum, sed Calixti, quod ante dicebatur Cœmeterium vetus, postea vero substructis Catacumbis, ad Catacumbas audiit, ibique ad ea usque tempora quievisse, quibus Mediolanum ab Heriberto Pontifice translatum fuit. Quantis porro partibus, quamque longissimo intervallo, quæ de D. Quirini Translatione Roma in Bojariorum regionem Cuspinianus commentus est, distent ab iis, quæ nuper recensuimus ex Molano, nemo non intelliget, cum is velit, Quirinum post annos à Martyrii laurea CCCC. tempore Pipini Regis Bavariam ad Tigurinum Monasterium esse translatum; ipse vero Cuspinianus sub Zacharia Pontifice Max. ad Cœnobium Deegernense per Albertum Ducem Bavariæ, & Ottocharum Ducem Burgundiæ germanos fratres. Quin imo longe quoque minus ista conveniunt cum his, quæ in M. S. Codice Lectionum Ecclesiæ Collegiatæ Corrigiensis habentur, à nobis non multo post attentius expendenda: siquidem eo in Codice legitur per viros nobiles & potentes de Corrigia, scilicet per Conradum Corrigiæ Comitem delatum fuisse D. Quirini corpus ad oppidum Corrigiense an. DCCCXXVIII. dono acceptum à Gregorio Rom. Pont. tunc temporis Oecumenicam Ecclesiam moderante. Minus ob id etiam mira videri debebunt, quæ scripta sunt ab ultra montes degentibus de ejusdem Martyris & Episcopi translatione, siquidem ab illis est proditum sacras hujus D. Exuvias Romæ conditas fuisse anno CCCCLXXXII. inde vero translatas in Noricum, inibi quievisse annis CCCVII. qui cum XXVII. quibus Quirinum vixisse asserunt, DCCCXVI. efficiunt, quorum omnium una cum aliis CCCXVIII. quibus à C. N. juxta Baronii mentem Quirinus martyrii laurea redimitus è Mundi fluctibus molari saxo, quasi tuto quodam vehiculo, salutis æternæ portum attigit, ratione subducta MCCXXIV. annum eum reddunt, quo Mediolani Pontificem agebat Heribertus, à quo S. Quirini corpus Roma Mediolanum translatum fuisse, non multo ante docuimus. Verum enim vero, ut hos annorum calculos rite atque ordine subductos æquare non negem tempus, quo Romæ & alibi S. Quirini corpus jacuit, donec Mediolanum ab Heriberto Pontifice delatum est. Locorum certe & translationum ordinem pervertunt ii, qui cum primo in Basilica Scarabatensi (ut sacra ejusdem testatur Historia) conditum fuerit, deinde translatum in Noricum, inde Romam, postremo denique Mediolanum, nihilominus cum supra laudato Scholiaste *ad Odem illam* III. *Metelli* probare contendunt, conditum primo fuisse sacrum D. Quirini corpus Romæ, inde translatum in Provinciam Noricorum, quam Bojariorum populus habitat, ut cum Molano Cuspinianus etiam sentit. Atqui Scriptorum hujuscemodi pondus parvifaciendum est nobis, qui pluribus, atque adeo gravioribus Historiographorum nostrorum testimoniis abundamus, quibus major ob id etiam habenda est fides, quod firmiorum rationum ponderibus innituntur. Accedit demum ad hæc calculus Viri religione pariter, & eruditione longe clarissimi Matthæi Raderi Bojorum (ut arbitror) popularis in *sua Bavaria sancta* ibidem edita, & Bavaro Duci dicata, in qua de Quirini corpore scriptum ita disertissime reliquit, non sine aliqua præfatione laudis Basilicæ Vincentianæ nostræ: *Corpus D. Quirini Romam, inde Mediolanum transvectum, in S. Vincentii æde positum hodie magna religione colitur.* Quin illud etiam addit idem Scriptor, in Boica regione, Tegorii scilicet, habere nostrum Divum nobilissimum & celeberrimum templum.

Neminem quoque à nostra sententia dimovere debet, quod in recenti Sanctorum Italiæ Catalogo scriptum reliquit Philippus Ferrarius de Sancti Quirini corpore, nimirum id esse Tibure in Cathedrali. Ferrarius enim de alio sancto Quirino à Sisciensi nostro longe diverso loquitur ex Baronii mente, qui quidem festum ejus cadere prodidit in eundem quartum Junii diem, at inter simplices, ut ajunt, Martyres numerari: Ferrarius vero eum, de quo loquitur, Martyrem vel Episcopum fuisse diserte neget, ac inter Confessores tantum ab Ecclesia Catholica recenseri, colique vult proxime consequenti die, ut ex Tabulis, sive Catalogis Sanctorum, qui Tibure coluntur, præclare probari posse contendit.

Eodem plane modo S. NICOMEDIS corpus Mediolanum ad nos divinitus fuisse delatum, non est cur admodum ambigamus, cum in veteri Missali Ambrosiano habeatur Missa in horum duorum Sanctorum Martyrum translatione peculiaris ac propria, uno eodemque die, valdeque probabile videatur S. NICOMEDIS corpus in Tiberim, teste Marcello Petri Apostoli discipulo, præcipitatum, ac inde subductum à Christianis, prius quidem ad muros Urbis à Justo Clerico in sepulchro via Nomentana conditum, postea vero ad Catacumbas eo in loco, in quo aliquando SS. Apostolorum corpora, & nobilissimi Martyris Sebastiani mortalis exuvia conquievit, ab iisdem fidelibus tumulatum, quod ibi prius illis temporibus permulta Sanctorum corpora (uti supra retulimus) conderentur, ac demum delato Sancti Quirini corpore ex Pannonia Romam una cum illo Sancti quoque Ni-

Nicomedis corpus ibi diu reconditum, Mediolanum fuisse deductum, ut paullo ante Mombritii & aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis innixi docere ac dicere non verebamur. Quamobrem putandum est temere, vel certe gratis supra laudatum Ferrarium in Nomenclatura Sanctorum Italiæ adscripsisse D. Nicomedis corpus Cathedrali Parmæ. Idem enim in Indice peculiari Sanctorum, quorum corpora singulis in locis, vel urbibus conquiescunt, Parmæ Sanctos sex tantum attribuens missum D. Nicomedem fecit, quod certe facere minime debuisset, si verum fuisset, quod aliàs scripserat, illud esse reconditum in urbis illius clarissimæ Cathedrali. Quod apertissime convincitur gratis id à Ferrario dictum, cum in opere à se de Sanctis illis edito, quorum solemnia in diem XV. Septembris incidunt, quoque D. Nicomedis anniversaria celebritas agitatur, ejusdem quidem Sancti præclare gesta describat, at nullum omnino verbum habeat de loco, in quo sacræ illius exuviæ sitæ sint. Atque hæc de Sanctorum Quirini & Nicomedis Martyrum translatione Roma Mediolanum satis superque scripta sint.

Nunc quod ad S. Abundii corpus attinet, res hæc est densissimis profecto tenebris involuta. Siquidem, & illi cognominum multitudo, & varietas opinionum de Martyrii loco difficultatem hanc pene inexplicabilem reddunt. Ut igitur ex his etiam salebris, uti poterimus, evadamus, dicere non veremur Abundium nostrum esse Diaconum illum, qui una cum Carpophoro Martyrii laurea coronatus Christianorum sacra profusi sanguinis sui testimonio comprobavit. Nec temere: nam in antiquo Missali Ambrosiano festi ejus diei memoria recolitur IV. Idus Decemb. quo ipso die nostro in Templo ex prisca Majorum consuetudine celebratur cum certa delictorum indulgentia à summo sacrorum Antistite pie Templum nostrum adeuntibus assignata. Quæ quidem à Mediolanensi Ecclesia non aliam ob caussam fieri consueverunt, nisi ob cultum, quoad ejus fieri possit, maximum Sanctorum Reliquiis, aut corporibus, quæ sua in Urbe vel Diœcesi servantur, impensius exhibendum. Cujus ergo Summi quoque Pontifices aliquid Apostolicæ indulgentiæ fidelibus impertiri solent, ut quod ævi tabes è sacris Divorum artubus reliquum sibi fecit, majori mentis & animi religione prosequantur.

Cæterum nos Abundium (ut locum aperiamus Martyrii) non in Hispania apud Hispalim, sed in Umbria apud Spoletum, glorioso peracto pro Christi confessione certamine, palmam adeptum esse Martyrii minime dubitaverimus affirmandum. Castrum enim ad Fidardum (pagi nomen est Lauretanæ Diœcesis) à Spoleto passuum fere sexaginta millibus distans ad hæc usque tempora fulget Ædes D. Abundio sacra, in qua festum ejus diem anno vertente omnibus Christianæ pietatis officiis peragunt accolæ ex recenti decreto Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium, qui ritibus Ecclesiasticis præsunt IV. Idus Decembr. sibique hanc ædem jure patronatus vindicant honestæ familiæ Gherardellorum, & tres aliæ ejusdem pagi. Quare non procul ab pago Sanctum Martyrio coronatum cum ædis illius sacræ antiquitas, in qua eodem plane die, quo apud nos Martyrii illius dies solemniter agitatur: tum via Spoleto Romam versus compendiaria, facilis & perexpedita, si non liquido convincunt, saltem penitus persuadent. Facit hoc ipsum facilius, ut credamus, ejus Divi corpus primo Romæ depositum ad Catacumbas, (id quod fieri solitum primis illis Ecclesiæ temporibus nuper observavimus) indeque labentibus sæculis cum aliis duobus Sanctis Martyribus Mediolanum advectum, ut ipse quoque Mombritius censet, patetque ex memorato supra vetustissimo Martyrologio Manu- A scripto Monachorum D. Hier. quos de Observantia dicunt, cujus verba nobis idcirco duximus adducenda: *Idibus Decemb.* &c. *Beatus Abundius translatus fuit Mediolanum ad sanctum Vincentium, & cum sanctis Nicomede & Quirino conditus jacet altario.* Vetustiss. plane, si verba expendas, sed ea nobis fideliter recitanda fuerunt, ne quis hac in re fucum factum esse diceret veritati. Quid quod constanter nos id de Sancto Abundio quovis pignore contenderimus affirmare, non tam ob allatas hactenus rationes, quam ob unius illius pondus, qua usus est Dominicus Amfossius J. C. in *Tract. de Sacris Reliquiis* §. 5. num. 19. ad demonstrandum B Sanctorum Corpora Luxorii, Cisellei, Camerini, Marci, Robustii, & Appiani Episcopi Papiam una fuisse translata cum corpore nobilissimi & sanctissimi Ecclesiæ Doctoris Augustini ex Sardinia Insula, quo prius delata fuerunt ab Episcopo Hipponensi, ibique sepulta, ob hanc, inquam, unam maxime rationem, quod simul conquiescerent in eodem loco, licet in *Epistola* Oldradi Mediolanensis Archiepiscopi ad Carolum Magnum Imperatorem missa, de Sancti Augustini translatione tantummodo mentio fiat, ut qui inter Sanctos reliquos emineret: ut ob id etiam minime mirandum sit, rerum nostrarum Scriptores, ac præsertim eos, qui de sin- C gulis Sanctis nostris Martyribus meminisse debuerant, sigillatim eorum translationem litteris consignantes, suppressis aliquando duorum minorum Martyrum nominibus, Quirinum solummodo nominasse, quod is honore sacro infulæ decoratus princeps inter illos esse quodammodo videretur. Verum cum literarum aperta monumenta desunt, ad id deveniendum est tandem, quod magis ad verisimilitudinem accedit, in hocce præcipue negotio Translationum, quod & Baronius fecit, qui ad asserendam veritatem tertiæ & ultimæ Translationis Sacrarum Reliquiarum B. Ignatii Martyris Episcopi Antiocheni Romam, sola contentus verisimilitudi- D ne conquievit, nihil se habere de ea compertum, aut exploratum ingenue libereque testatus. Cum igitur pari propemodum ratione B. Abundii membra non procul ab Urbe Roma pro Christi confessione cruciatibus acerbissimis exantlatis, primo ad Catacumbas, ad quas Divi quoque Nicomedis corpus translatum initio fuisse diximus, humata sunt, eodemque postmodum delatæ D. Quirini Reliquiæ, ac ob id uno omnes in loco conditi fuerint, ac sepulti: cur non etiam nos simul omnes hos Martyres Mediolanum advectos nostram in Basilicam fuisse vero proximiori ratione constantissime fateamur.

E Secundum sententiæ nostræ firmamentum est, tria Sanctorum nostrorum corpora alibi reposita fuisse, præterquam in nostro hoc D. Vincentii Templo, in quo ex communi hominum fama & constanti traditione coluntur, neque constare, nec legi, ut ea de re amentis pene sit, vel impii dubitare. Siquidem hujusce ratiocinandi genus in rebus morali methodo comprobandis multum habere ponderis & momenti Juris utriusque consultissimi Viri censent, Bald. *cons.* 265. & *cons.* 267. in princ. vol. 2. Ruin. *cons.* 50. n. 1. *tit. si de feud. fuerit controvers. inter Dom. & Vassallum, per l. si arbiter. ff. de probat. l. Antiqui natura.* §. *cum me absente. ff. de ne-* F *got. gest. & l. inditia C. de rei vendicat.* Natta *cons.* 235. n. 15. & sequent. vol. 2. Mascard. *de probat. cons.* 474. num. 10. Bart. Socin. *cons.* 89. n. 3. vol. 1. *per c. Cum causam, de probat.* Dec. *cons.* 109. n. 2. & Card. in *Clem.* 1. *de probat.* qui omnes illud unum asserunt in laudatis locis, traditionem, famam, nec non etiam opinionem vulgi rei alicujus existentiam maxime perantiquæ, cujusmodi nostram esse nemo non videt, satis superque probatam, testatamque relinquere. Et quid aliud ingens multis

tis ex locis hominum utriuſque ſexus, variis ex morbis laborantium concurſus ad puteum juxta Sanctorum noſtrorum Arcam poſitum in ſilentio loquitur, niſi veriſſimam eſſe famam ſacrorum ibi conditorum artuum pervagatam? Ut enim ingenue fateamur, neſcire nos originis ultimæ tempus, quo puteus hic frequentari cœperit ab ægrotis, ante-ne ſanctorum Martyrum corpora Arcæ proximæ conſignata, an poſtquam in ea condita, varia morborum genera profligare divinitus inſtiterunt ab iis, quorum erga ſe præcipua pietas elucebat. Factum id quidem ante, ſuſpicari poſſumus ex ſubjicienda mox Inſcriptione vetuſtiſſima, non procul ab hoc puteo nuper reperta, quæ tum ex Characteribus ipſis, tum ex priſca formula, ſapere videtur antiquiſſimam antiquitatem, forte ob vim neſcio quam admirabilem lymphis illis jam tum inditam, impertitamque cœlitus Agrytio, qui illam grati animi ergo poſuerit, dedicaveritque: litteræ vero Inſcriptionis hæ ſunt:

FONTI PERENI
AGRYTIVS D
DONVM POSVIT

Atqui credere probabilius eſt divinitus vim fonti hujuſcemodi communicatam ſtatim ac ſacras Martyrum Reliquias proximas habuit, ut quemadmodum illi aquarum merſi vorticibus ad regna cœleſtia protinus evolarunt, ſic aquarum illarum hauſtu, ope ſanctorum eorundem Martyrum accedente, quamplurimi variis morborum fluctibus agitati emergant inde protinus, & convaleſcant. Ut aperte non minus quam vere indicant carmina in putei ipſius commendationem, memoriam, & honorem conſcripta, quæ idcirco ſubdimus non inviti.

In Aquas Putei ad Sepulchrum trium Sanctorum noſtrorum Martyrum, quibus abiguntur morbi.

QVID *juvat accenſas undis exſtinguere flammas,*
Exſtinctaſque ſimul vivificare faces?
Quid juvat in lapides virgas mutare virentes,
Auditoque undas tollere ad aſtra ſono?
Quid juvat inſanis amiſſam reddere mentem,
Quid juvat hanc ſanis demere poſſe viris?
Munere Naturæ dona hæc data fontibus illis,
At febrim ægrotis pellere corporibus,
Expulſoque viris morbo dare poſſe ſalutem,
Munere cæleſti perficit hic Puteus,
Qui ſcatet excultam ſancti Nicomedis ad Arcam,
Quæ ſacras ſervat marmore Relliquias.

Nec mirum, cum etiam in Inſula Chio in Baſilica Sancti Iſidori Martyris dicatur eſſe puteus, cujus aqua ſæpius hauſta ſanitati priſtinæ reſtituantur ægroti, ut auctor eſt Gregorius Turon. *de Gloria Martyrum* cap. CII. & Cæſareæ in Cappadocia fons ſcatens ad locum, ubi B. Julitha vidua martyrium paſſa & ſepulta eſt, qui inſtar lactis fluens mirum in modum ad ſe accedentes juvat; ejuſque meminit non ſine laudis præfatione S. Baſilius in *Oratione de ejuſdem B. Julithæ Martyrio.* Fluit & fons alius Turoni in Gallia apud tumulum S. Martini, cujus ſolam vel guttulam vino mixtam vinum ipſum mirifice augere affirmat Gregorius idem Turon. in *Hiſtoria Francorum* lib. V. cap. XXI. Facit huc etiam fons ille alius apud Nicopolim Palæſtinæ urbem, qui vim medendi morbis jamdudum eſt conſecutus ex ſolo contactu pedum Apoſtolorum Chriſti Domini, teſte Sozomeno *Hiſtoriarum* lib. V. cap. XX. non aliter ac noſter ille puteus ex proximis Sanctorum noſtrorum pignoribus, uti paullo ante docebamus, aliique multi, de quibus paſſim Baron. in *Annalibus.* Quinimo flores, frondes, velamina, & alia ejuſmodi ſacris ſepulchris admota, pulvis ipſe, ac ſepulchrorum ſitus ex fide D. Gregorii Magni *Dialogorum* lib. III. cap. XVI. & Gregorii Nyſſeni in *Oratione de Laudibus Magni Theodoſii*, vim innumera miracula perpetrandi conſecuta ſunt ob ſacrorum ipſorum corporum attactum, vel propinquitatem, ut alii quoque literis prodidere. Quod igitur communis jam hominum uſus, & fama in re noſtra obtinuit, aſſerendum eſt etiam id ipſum à Majoribus noſtris ad noſtra uſque tempora fideliſſime perveniſſe, licet nullis nunc ex publicis documentis ejus veritas conſtet. Et jure cum traditioni Eccleſiarum, tum maxime acquieſcendum eſſe doceat Baronius in *Notis ad Martyrologium Roman.* Idib. Maji, cum acta Tranſlationum de aliquibus SS. Martyribus non habentur. Quod ſi quis memor eorum, quæ ſupra attulimus ex Ferrario, contra nos inſurgat, & objiciat alibi quoque mentionem fieri Sanctorum noſtrorum, facili illi negotio occurremus, revocantes nominatim eum ad allata ſuperius argumenta, nonnullaſque rationes alias inferius adducendas, quibus diſerte, ne libere concludemus Ferrarium ibi vel de Sanctis longe diverſis à noſtris agere, vel temere (quod ejus pace dixerimus) & abſque ullo ſolido fundamento aliqua ſcriptitaſſe. Occurrimus eadem reſponſione iis, quibus vel ſcrupulum aliquem poſſent injicere, quæ de Sancto Abundio idem Ferrarius ſcripſit, ob hujuſcemodi controverſiarum exiguam habitam cognitionem. Is enim Abundius Martyr, & Diaconus, de quo Ferrarius, non Spoleti cum Carpophoro, ſed Romæ cum Abundio Presbytero & aliis XXIII. ad fidem converſis capite damnatus eſt, non Idibus Decembris, ut noſter, ſed XVI. Kal. Octobris, idemque Gregorio XIII. Pont. Max. demolita æde Sanctorum Coſmæ & Damiani in poſtico repertus eſt, Pontificatus illius anno XI. & illuſtri celebritatis pompa, ac ſolemni ſupplicationum apparatu ad Baſilicam Societatis Jeſu tranſlatus, ejuſque ſub Ara maxima honorifice collocatus, ut *Divi ipſius Vita* à Societate Jeſu edita nos docet.

Unum dumtaxat, quod ab celebri Corrigiæ oppido nuper accepimus liberali opera & propenſo in nos ſtudio Julii Cæſaris Tirellii, Civis & Beneficiarii Bononienſis, infirmare non mediocriter poſſet ſecundum hujus noſtræ ſententiæ firmamentum, niſi diligentiam pro eo fulciendo maximam adhibuiſſemus. Cum enim Mediolani Tirellius moraretur, gravioribus diſtentus negotiis Alphonſi Eſtenſis Viri Principis fama, natalibus, & omnium virtutum ſplendore longe clariſſimi,

Quem ſi ſancta pios reſpectant Numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti

Ee *Præ-*

Præmia digna manent Virtuti debita tantæ,
Præmia, quæ nemo valeat numerare canendo
Cœlicolûm sedes inter, quas tramite recto
Inde adiisse solo demissum, credere dignum est.

per litteras rogavit Herculem Raperiam Rectorem Parœcialis Sancti Blasii ditionis Corrigiensis, ut quæcunque posset de Sancto Quirino, ejusque mortalibus exuviis cognoscere, eademque sibi summo studio perscribere niteretur. Dudum enim, ac sæpe perlatum ad nos fuerat sermone non dubio, vel obscuro, quinimo ex certa numismatum cælatura, Quirinum Martyrem, & Episcopum Corrigiensium Patronum, ac Divum Tutelarem esse. Quamobrem non levis nostrum subierat animum dubitatio, quidnam in caussa fuisset, ut eo in oppido Quirinus hisce nominibus coleretur. Sed enim hanc nobis dubitationem omnem penitus abstulit absolutum Tirellio responsum ab amico datum, ejusdemque scripta nobis opportune reddita ab eodem. Intelleximus enim ex Raperiæ literis, partem tantum aliquam cinerum ejus Sancti Corrigiæ reperiri, cujus ergo summa Corrigiensium omnium religione præ cæteris coleretur. Eos porro cineres una cum non parva segminum parte Sanctorum Tiburtii, & Hermetis Martyrum, Veronicæ pariter, ac Reparatæ dono accepisse Conradum Corrigiæ Comitem sub annum DCCCXVIII. ab Gregorio IV. Romano Pontifice, acta in ejus oppidi Collegiata legi solita ante promulgationem Breviarii Romani, festo ipso die Sancti Quirini, quæ nos ipsi vidimus ad nos transmissa, aliquot etiam marmorum inibi exsistentium Inscriptiones, & Pontificia quædam diplomata clare, dilucideque testantur. Quamobrem cum hinc tantum appareat S. Quirini Reliquias non Corpus Conrado Corrigiæ Comiti dono datas, suum adhuc robur obtinet secundum hujus nostræ sententiæ firmamentum. Adde, quod licet illud insuper fateremur, (quod jerit inficias nemo) partem hujus quoque Divi aliquam ab eodem Pontifice datam Corrigiæ tum Comiti, non inde tamen posset quis jure suo contendere, integrum Sancti Quirini corpus Corrigiam esse delatum, adversante sibi vel ipsa prisca summorum Pontificum consuetudine, qui in Sanctorum Reliquiis largiendis eum morem servabant, ut Fratribus Archiepiscopis tantum, Regibus bene de Ecclesia meritis, ac Imperatoribus ejusdem propugnatoribus (etsi nec semper) integra Sanctorum corpora largirentur: minoribus vero Principibus, aut Præsulibus rarissime, uti nos Eusebius distincte docuit in sua *Ecclesiastica Historia*, & Baron. Tom. II. & IV. *Annalium*, & in *Notis ad Romanum Martyrologium* passim. Accedit huc Innocentii II. Diploma plurimi faciendum, ex quo tantummodo liquet Corrigiensibus dono datam à Pontifice fuisse non modicam Sanctorum ibi nominatorum partem, quam paulo ante Reliquiarum nomine comprehendit. Reliquiarum autem nomine non integra corpora, sed particulas eorum tantum significari, ut sonat ipsummet Reliquiarum nomen, & Doctorum pleraque pars interpretatur: nemo est vel leviter imbutus his litteris, qui non intelligat ex usu communi loquendi, qui Sanctorum Corpora à Reliquiis discriminat ac distinguit. Cum igitur res hæc omnis Apostolicæ Bullæ verbis innitatur, eorum partem ad præsens negotium facientem subdemus hoc loco, ne quid à nobis amplius desiderari possit: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Lenducio Præposito Collegiatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorumque Michaelis, & Quirini, suisque Canonicis, tam præsentibus, quam futuris Canonice substituendis in perpetuum de Corrigia Rhegiensis Diœcesis, apud Rhegium Civitatem olim in Emilia, nunc in Longobardis partibus. Vicum Sancti Michae-*

A *lis, ubi nunc oppidum Corrigiæ, in quo constructam Basilicam sub vocabulo Sancti Michaelis, ingentibus & assiduis postulationibus quondam Conradi Comitis Corrigiæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filii, & defensoris perpetui, felicis memoriæ Gregorium Quartum prædecessorem nostrum pro benemeritis, pro statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, per dictum Comitem multipliciter impensis, ab eodem reparatam, magnisque donariis mirabiliter dotatam in Præpositura Dignitatem scimus erexisse sub titulo Beatæ Mariæ, Sanctorumque Michaelis & Quirini, ipsam dicti Comitis intuitu Reliquiis Sanctorum Martyrum Quirini, Tiburtii, Hermetis, Veronicæ, & Reparatæ pro non modica ipsorum SS. corporum parte illu-*B *strasse, Comitemque dictum in dicta Basilica eas honorifice collocasse, in ipsaque duodecim Canonicos, cum pluribus clericis, qui una cum Præposito die noctuque ad laudem omnipotentis Dei, Beatæ Mariæ, Sancti Michaelis, & Sanctorum Martyrum horas Canonicas decantarent, instituisse, &c. Dat. XV. Kal. Junii, Inditione tertia, Incarnationis Domini anno* MCXL. *Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ secundi anno* II. *cum sigillo plumbeo, & subscriptione* 22. *Cardinalium*, &c.

En, ut perspicue ex recitatis hujus Diplomatis verbis habetur, non corpus Divi Quirini, sed ejusdem sicut & aliorum Sanctorum Tiburtii, Hermetis, Veronicæ, & Reparatæ Reliquias tantum C Corrigiam illustrare. Quinimo si forte fortuna contingeret, ut in aliquibus scriptis, aut marmoribus Sancti alicujus nomen usurparetur, pro parte illius tantum, sive Reliquiis, maxime cum aliunde constat ejusdem Divi Reliquias alias alibi coli, ut in re nostra contigisse docebimus in decima ratione, figurata illa esse locutio putanda erit, quæ frequens est in vetustioribus quarundam Ecclesiarum lectionariis, in quibus sæpe totum pro parte capitur, monente id ipsum Ferrario in *Præfatione Catalogi Sanctorum Italiæ*, & ante eum Baronio *Annalium* Tom. I. anno LV. num. 15. cujus verba, quoniam valde ad rem præsentem D facere videntur, hic subtexam: *Cum igitur eamdem virtutem in exigua parte Reliquiarum Martyris, quæ in toto sit corpore, inesse, experimento ipse testatur:* (loquitur hic de Gregorii Nazianzeni testimonio) *inde evenit, ut corpus unius Martyris in plures interdum partes dividi soleret, recondique in diversis altaribus, quæ sepulcra sunt Martyrum, ut auctoritate divinæ Scripturæ constat: indeque fortasse accidit, ut cum unius ejusdemque Martyris diversis in locis Reliquiæ conditæ haberentur, & æque ac si integrum corpus ubique horum locorum conditum esset, eadem miracula sint operata, unius ejusdemque Martyris corpus diversis in locis haberi dicatur. Tolerabilis error, cui non hominum im-*E *postura, sed exuberans divina largitas prabuit occasionem: dum quod ob virtutis præstantiam diversis in locis sit unius ejusdemque Martyris erecta memoria, vel excitatum sepulchrum, (quod esse consuevit sacrum altare) quisque apud se corpus illius haberi est opinatus.* Hæc ille. Ut ob id etiam minus reprehendendi sint, immo ex modo laudati Baronii sententia, excusandi Corrigienses, si forte eo loquendi more (quod pro certo non habemus) usi fuerint aliquando. Adhuc addimus, si caput Sancti Quirini nostra in Arca marmorea collocati à capitibus aliis Divorum Nicomedis & Abundii distinctum apparuit tunc temporis, quo jussu illustrissimi Federici Cardi-F nalis & Archiepiscopi, nobis & aliis Viris compluribus Ecclesiasticis fide, nomine, & dignitate clarissimis adstantibus, & aperte recognoscentibus ossa permulta, triaque diversa capita perspicue discernentibus, reserata fuit: vel hinc constare liquido poterit præcipuam hujus sancti corporis partem haud esse Corrigiæ, sed in Vincentiana Basilica reperiri, hocque tanto erit certius, quanto magis à recepto jampridem Ecclesiarum usu abhorret, brachia thecis argenteis includi, Christique

stique sectatoribus in Aris sacris intuenda proponi, cum ossa capitis adsunt, quod isto aptari modo præcipue consuevit. Quod quia notum est omnibus, ac perspectum fieri Romæ, Mediolani, aliisque primis in Urbibus Italiæ ex solemni ritu, neque oratione nostra, neque majoribus indiget firmamentis.

Neque vero ob ea, quæ literis mandare recens aggressi sumus hoc capite, quidquam detractum iri honori ac cultui delato jam pridem sepulchro Nostrorum Martyrum arbitramur: quemadmodum neque minores ad limina Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli populorum concursus facti sunt, nec pristinus illorum imminutus est cultus, licet Sanctissimus Urbis nostræ Patronus Ambrosius aliquas horum Apostolorum Reliquias in Basilica à se Mediolani in honorem eorumdem Sanctorum constructa perhonorifice collocarit: quibus B. Simplicianus Divi tum Ambrosii Archidiaconus, cum dissidentes inter se Romanos caussa Religionis ad concordiam suavi quadam eloquentia reduxisset, à Sancta sede donatus fuerat, Mediolanumque eas transtulerat. Quarum delationem divo Pastori divinitus significatam, ac peculiares ejus ceremonias, scire qui pluribus ac distinctius velit, consulat exemplar vetustissimi ea de re Manuscripti, quod in Archiviis ejusdem Basilicæ reperitur: & Desiderius Longobardorum Rex, teste Galvaneo, B. Petri dextera, & concreto Coapostoli ejus Pauli cruore eum in modum, quo à recisa morientis gentium Doctoris cervice profluxit, dono sibi ab Adriano Pontifice misso, Clivatensem Basilicam in Agro Mediolanensi, ex Aldechisii filii voto, à se constructam cohonestarit amplissime. Aliæque demum Ecclesiæ Sacrosanctis eorumdem Apostolorum segminibus glorientur. Quinimo sicut partium honos ad totum, & artuum singulorum pertingit ad caput, ita D. Quirini corporis cultus, ac reverentia, quæ apud nos maxime viget, ex honore, quo duo brachii illius ossa Corrigienses afficere voluerunt, thecis eadem argenteis includentes, ex dicato Divo ipsi Collegiato Templo, ejusdemque in Divum Patronum Oppidi adoptatione, magis, magisque illustrabitur, & accrescet in dies.

Lubet, ut hoc facilius fiat, succedatque felicius, rem hic admiratione dignissimam, quæ anno MDLXXXIII. in Oppido ipso Corrigiæ contigit, narrare paucis, & aliquam apud divini cultus amantes gratiam promereri. Nefarii quandoque fures nocte nescio qua intempesta clam in ipsa Corrigiensis Ecclesiæ adyta penetrarunt, in quibus pretiosæ vestes, argentea vasa, omnisque sacræ ædis supellex reliqua continebatur. Erat inter has opes argenteum brachium magnitudinis non vulgaris, neque vulgaris pretii annulis exornatum, in quo ossa illa gemina brachii S. Quirini Martyris, omni alia gaza pretiosiora, composita delitescebant. Accingunt itaque se nefario operi perditi homines ac profligati, præclaram se nactos occasionem rati, lustrant, rimantur, depopulantur omnia, ac cætera quidem omnia furati, uno excepto brachio Martyris, abeunt triumphantes. Verum enim vero, ut sacrilegos divini semper Numinis ira persequitur, donec admissi sceleris pœnas luant, à satellitibus comprehensi in custodiam Corrigiam pertrahuntur. Habentur illico de admissis ab illis criminibus quæstiones, nec mora, cuncta detegunt, seque inter alia, quæ nefarie & impie perpetrarant, sacras argenteas thecas Adyti Collegiatæ Corrigiensis nescio qua nocte expilasse libere confitentur. Cumque percunctarentur Judices quæstionis, quam ob caussam reliqua potiti præda argenteum S. Quirini brachium non abstulissent; Responderunt illi, se re vera semel, iterum, ac sæpius id tentasse, sed quoties D. Martyris illius ossa ab theca extrahere conabantur, ut eadem ibi relinquerent cum Martyrum aliorum Reliquiis, quas nullo fere negotio argenteis suis ex arculis extraxerant prius, tanto se toties artuum tremore correptos obriguisse, ut vix stare, nedum S. Martyris ossa loco suo movere possent: eadem fere in Criminalibus (ut ajunt) Corrigiæ Actis illius anni continentur, & in Incolarum omnium ore versantur. Fures vero sacrilegi criminis rei laqueo mulctati, eorumque cadavera in partes secta, extra Oppidi mœnia è regione Templi D. Rocho sacri in antiquis patibulis appensa sunt. Mira sane res ista, & animadversione digna, ut quæ S. Quirini gloriam augeat, cujus ergo hic illam adscribere visum est, non ossibus illius tantum, sed ipsomet argenteo illorum brachio à sacrilegis impiorum manibus vindicato, & antiquam miraculorum ejusdem (quorum multa supra naturæ vim, atque ordinem divina vi suffragante edidit, tum in Pannonia, tum in Basilica Scarabatensi quandiu in ea jacuit, ac tum demum Romæ positus in Catacumbis, ut ejus manuscripta Acta testantur) famam alat, nutriat, & confirmet. Ut non immerito hic acclamare possim Sanctissimi Quirini honori ac immortalitati:

Cætera quid fando miracula mille retexam?
Sive tuis olim precibus, dum vita maneret,
Seu mundi evecto te post melioris ad arces,
Quæ patrata fuere, hodieque stupenda patrantur:
Signatis equidem tabulis, & testibus illa
In luce, inque oculis hominum versantur, & ore.
Hæc omnis templi paries, postesque sacrati,
Undique picturis fulgentes, undique signis,
Quæ suspensa tholo, variis è partibus Orbis
Votorum posuere rei, donaria monstrant.

Nec erit hic à proposito alienum, undenam mos Tabellarum hujuscemodi Divorum Templis & Tumulis affigendi ad nos usque devenerit, paulo altius investigare negotio sane perfacili & expedito: Andreas enim Alciatus in opusculo *de D. Eustorgii Templo*, de sepulcro D. Petri Martyris scribens, narrat nostros consuetudinem hanc ab antiquis Gentilibus accepisse. Nec falsus est Alciatus; exstant enim hac de re Scriptorum gravissimorum apertissima testimonia, quæ nullum relinquant dubitationi locum. Tullii lib. III. *de Natura Deorum: Nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portu salutisque pervenerint?* Et *ad Attic.* lib. IV. epist. XII. *Hæc enim me una ex hoc naufragio tabella delectat.* Nasonis, ut mendose habet Alciati codex, sed Tibulli, ut nos infra emendate reposuimus:

——— nam te quoque posse mederi
Picta docet Templis multa tabella tuis.

Horatii *lib.* I. *ode* V.

——— me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Et *satyr.* I. *lib.* II.

——— quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella,
Vita senis.

Virgil. lib. XII. *Æneid.*

Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti Divo, & votas suspendere vestes.

Ibi enim dona Tabellæ sunt, & *votæ* vestes, non *notæ*, ut vulgo legitur, quæ *uvida vestimenta* Principi Lyricorum. Tibulli *el.* III. *lib.* I.

Nunc Dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Virgilii iterum in *Catalectis*:

Non ego thure modo, aut picta tua templa Tabella
Ornabo, & puris serta feram manibus.

Solebant enim prisci tam Romani quam Græci aliquo ingenti periculo, metu, vel labore pressi vota Diis suis Præsidibus nuncupare, quæ postmodum periculo illo, metu, vel labore defuncti dissolvere dicebantur, cum in eorum templis, vel alibi Tabulas votivas hujuscemodi suspendebant, quo scilicet exstaret aliquod insigne, tum suarum miseriarum, tum grati erga servatores Deos animi monumentum, quod etiam Turnebum observasse video lib. VI. *Adversariorum* cap. IX. Pari de caussa Gladiatores arma Herculi, Duces, ac milites consecrabant. De Gladiatoribus Horatius *lib.* I. *epist.* I.

——— Vejanius armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne populum extrema toties exoret arena.

De Ducibus Virgilius I. *Æn.* vers. 246.

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi:
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troja; nunc placida compostus pace quiescit.

De militibus Ovid. lib. IV. *Trist.* eleg. VIII.

Miles ut emeritis non est satis utilis armis
Ponit ad antiquos quæ tulit arma Lares.

Statius II. *Thebaid.*

——— figamque superbis
Arma tholis, quæque ipse meo quæsita revexi
Sanguine, quæque dabis captis Tritonia Thebis.

Pugiles etiam id præstabant. Virgilius de Entello *Æneid.* V.

——— Hic victor cæstus, artemque repono.

Pueri quoque virilem togam sumpturi bullas Penatibus dabant. Persius *sat.* V.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Servi catenas iisdem, & annulos ferreos Saturno. De catenis Horatius *sat.* V. *lib.* I.

——— donasset jam ne catenam
Ex voto Laribus quærebat.

De annulis Martialis, *lib.* III. *epigr.* XXIX.

*Has cum gemina compede dederat * catenas,*
Saturne, tibi Zoilus priores.

Innuptæ nupturis pilas cum puppis, & strophilis Veneri. Varro *Sesquiulysse*, *Suspendit Veneri marinas pilas, reticula, ac strophila.* Omnes denique omnis ordinis & ætatis homines arma professionis suæ, præsertim cum illis feliciter usi fuissent, in Templis collocabant eorum Numinum, quibus tamquam artis suæ tutoribus, Præsidibus, & adjutoribus, victoriæ acceptam referebant felicitatem suam. Horatius de sua barbito *ode* XXVI. *lib.* III.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit.

De Venatoribus Virgilius lib. IX. *Æneid.*

Tu dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, & nemorum Latonia custos,
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Et *Egloga* VII.

Setosi caput hoc apri tibi Delia parvus,
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.

De Pastoribus idem *ibidem*:

Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Sic Tibullus *lib.* II. *elegia* V.

* Alii, *dedicat.*

A *Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,*
Garrula sylvestri fistula sacra Deo.

Sic Timon dives repente factus apud Lucianum Pani ligonem & sagum suspendit; sic Sappho in *Heroidibus* Ovidii Phœbo Lyram dedicat. Sic Propertius *lib.* II. *eleg.* XIV.

Magna ego dona tua figam Cytherea columna.

Sic tandem Lais speculum Veneri in Græcorum Epigrammatum *Florilegio* lib. VI. aliique inibi cujuscunque artis ac disciplinæ, cui mori quid tam simile, quam id, quod passim nostris videmus in templis, ubi Tabellæ, enses, scuta, galeæ, signa suspensa, quorum occasione à proposito di-
B gressi, hæc pauca de more piorum Christi fidelium à Gentilibus priscis accepto, Operi nostro inserere placuit, veluti flores peregrinos nostratibus venustiores & lectiores, Fasciculo domesticorum & communium Prati flosculorum.

Non hinc igitur (ut jam ad miraculorum gloriam Divi nostri, unde digressi sumus, revertamur) primævi sui cultus jacturam ullam patietur S. Quirini corpus apud nos exsistens, sed majus in dies singulos capiet incrementum, cum non apud nos tantum, sed apud alias etiam nationes ejus ossa vel pauca, miraculorum gloria fulgeant, & coruscent. Gradum ob id ad alia faciamus, & ter-
C tium caussæ nostræ firmamentum in medium afferamus.

Neque vero id alte admodum petendum, nec procul: nam in vetustissimo Missalis Kalendario Mediolani edito an. à Christo nato MCCCCLXXXII. habentur in ipso die festo trium nostrorum Martyrum, SOLEMNITAS AD S. VINCENTIUM IN PRATO, & in margine Missalis alterius antiquitatis ejusdem, & notæ, quod adhuc in dicti Templi sacello summo studio conservatur, manuscripta hæc verba leguntur, HORUM CORPORA SUNT IN SCUROLO S. VINCENTII IN PRATO. Quemadmodum igitur notæ illæ primæ apponi consuevere in Kalendariis
D non nisi ad festos Sanctorum illorum dies, quorum corpora in sacris aliquibus Ædibus re vera obdormiunt & quiescunt, ita putandum est non frustra fuisse notas illas alias manu ad oram Missalis antiquissimi scriptas. Nec mirum hic à nobis manu exaratam scriptionem firmamenti loco produci ad Sanctorum Corpora nostræ Basilicæ vindicanda, cum observaverimus non semel eruditissimum & illustrissimum *Sacrorum Annalium* Scriptorem hoc ipsum sæpissime factitasse, ac præsertim in *Annotat. ad Martyrologium* pridie Non. Decemb. litera H. VII. Idus Julii lit. B. V. Idus ejusdem mensis lit. C. V. Kal. Decemb. XII. Kal. Novembr. & alibi
E passim. Verba sane illa AD S. VINCENTIUM IN PRATO, quæ in perantiquo Missalis Codicis Kalendario legi diximus, & nunc etiam novis Ambrosianis nostris Diariis quotannis apponi solent ad Dies horum Sanctorum festos, mirum in modum nostram hanc assertionem firmant.

Prodeat jam è tenebris Pontificium Diploma Innocentii Pontificis Maximi, quod in hoc ipso Templo Sanctorum nostrorum corpora quiescere plane convincit: *Innocentius Episcopus servus servorum Dei, &c. Dilectis filiis Abbati, & Conventui Monasterii S. Vincentii Mediolanen. ordinis sancti Bene-*
F *dicti salutem & Apostolicam benedictionem. Licet is de cujus unitate venit, ut sibi à fidelibus suis digne & laudabiliter serviatur de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit, & vota bene servientibus multo majora retribuat, quam valeant promereri: nihilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum, & quasi quibusdam illectivis muneribus, Indulgentiis scilicet, & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cum igitur, sicut asseritis, in vestro Monasterio, quod in honore Assumptionis B. Virginis Mariæ,*

riæ, & B. Vincentii est constructum, Sanctorum Quirini, Nicomedis, & Abundii Martyrum corpora requiescant. Nos cupientes illud congruis honoribus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui Monasterium ipsum in festivitatibus Sanctorum ipsorum, & usque ad Octavas eorum venerabiliter visitaverint, annuatim de Omnipotentis Dei misericordia & BB. Petri & Pauli Apostolorum, cujus auctoritate confisi, quadraginta annos de injuncta sibi pœnitentia, misericorditer relaxamus. Datæ Romæ, &c.

Has ego Pontificias literas illas esse arbitror, quas se vidisse testatur Galesinus in Martyrologio suo, ita ut de illarum veritate nullus esse possit reliquus suspicioni locus. Quinimo illud quoque B verissimum putandum est, Summo Pontifici plane, probeque compertum ac probatum fuisse, Sanctorum nostrorum corpora nostra in Basilica reperiri, antequam Monachorum petitioni satisfaceret, ne qua illi posset in re gravissima nota levitatis inuri. Sed aliud Apostolicæ Indulgentiæ donum in sacris Sanctorum eorumdem Martyrum diebus felicis recordationis Clemens Papa VIII. eidem Ecclesiæ concessit annuens precibus amplissimi S. R. E. Cardinalis Simonis de Terra nova, tituli sancti Hieronymi Illyricorum tunc Abbatis, & perpetui Commendatarii sancti Vincentii. Quod amplissimum novissime reddidit Paulus Papa Quin- C tus, & libenter ac liberaliter admodum indulsit illustrissimo & reverendissimo DD. Carolo Caraffæ supra laudati Cardinalis optimo successori, & omnibus numeris absoluto Episcopo Aversano, cujus auspiciis non tam Templum ipsum in ampliorem & augustiorem formam restitutum, quam Abbatiæ bona omnia ejus fidei commendata, aucta & locupletata sunt. At quoniam Caraffei sanguinis est digna laude præstare malle, quam laudari, & impares huic provinciæ, vel disertissimi quilibet Oratorum & Historicorum forent, nostrarum virium conscii, quod agendum suscepimus, peragamus.

D Declarant igitur hoc ipso in templo Sanctorum Martyrum Corpora reperiri picturæ illorum aliquot perantiquæ, tribus in ipsiusmet Templi locis, ut prisca ferebant tempora, delineatæ cum lemmatibus, in quibus de illis mentio fit non obscura. Siquidem in ipsa fronte Januæ majoris una harum imaginum visitur vocibus his adscriptis:

SANCTORVM MARTYRVM QVIRINI EPISCOPI NICOMEDIS PRESBYTERI ABVNDII DIACONI IN ALTARI SVBTERRANEO HVIVS ÆDIS SACRÆ CORPORA REQVIESCVNT.

E Altera juxta sepulchrum ipsorum Martyrum in hæc verba:

Hic requiescunt corpora SS. Martyrum Quirini Episcopi, Nicomedis Presbyteri, & Abundii Diaconi.

Tertia longe cæteris antiquior in interiore pariete, qui inter utramque Templi Januam intercedit, ut quæ videtur eodem omnino tempore de- F lineata coloribus, quo ducta stylo fuit Inscriptio illa vetustissima, quæ se videndam objicit in marmore extra Templi fores posito An. Incarnationis Dominicæ MCCCLXXXIIX. Ac licet hujus Imaginis inscriptio vetustate perierit, Martyrum tamen nostrorum imaginem illam esse clare confirmant tria illic expressa corpora, unum Episcopi, alterum Sacerdotis, tertium Diaconi, quæ non solum semet suis in loculis intuenda ponunt, sed etiam à

A Monacho nescio quo, vel Anachoreta sene, tribus inibi depictis Regibus digito commonstrantur, quos quidem Reges, visum est cuidam haud inerudito viro, è Longobardorum Principibus fuisse, Italiam ea tempestate Regio dominatu tenentibus, quorum tum summa erga Sanctorum Reliquias ferebatur esse religio, si credimus Paulo Diacono, Carolo Sigonio in *de Longobardorum gestis*, Rodobaldo Ticinensi Episcopo in *Chronicis* editis anno salutis humanæ MCCVI. & Jacobo Gualla in *Sanctuario*, viris utique summa fide & auctoritate dignis. Omnes enim hi uno ore testatum posteris reliquerunt, Longobardorum Reges, qui B prius veluti belli fulmina universam Italiam imperio suo subdiderant, ob suam in Regnorum suorum sedes amoris ingentem flammam, Reliquias illas omnes, quas Summi Pontifices & Christiani Imperatores ex universo terrarum Orbe collectas, summo studio Romam detulerant; eorum etiam, quos Romæ gloriosi Martyrii laurea primis illis Ecclesiæ Catholicæ sæculis coronatos acceperant, quorum in numero Quirinum fuisse monuimus ex Pannonia delatum Romam, Nicomedem in ipsamet Urbe passum, Abundium apud Spoletum dire pro Christi confessione supplicii cæsum, Romamque pariter asportatum: Roma Mediolanum, C Ravennam, & Papiam præcipuas imperii sui sedes, quo primum potuere tempore, detulisse, Basilicasque præcipuas, & sacella ab eisdem exstructa, magnoque prædiorum dotata reditu, divinis hujuscemodi pignoribus decorasse.

Patebunt ista planius laudatos Historicos pervolventi, aut certe memoratas Longobardorum sedes mecum hic animo perlustranti. Nam Papiæ, quæ diuturnior eorum Regum sedes fuisse dicitur, visuntur adhuc permulta, eademque præclara, Longobardorum Regum monumenta pietatis erga Deum & Cœlites, quorum primum est sacrum D. Joanni Templum in Burgo Italice nuncupa- D tum, quod Rotharius Longobardorum Rex VII. condidit, tot opibus, ac tantis Divorum illustrium ossibus cumulavit, ut merito olim per se inclytum, nunc demum universo Orbi notissimum factum sit ob furtivam & clandestinam Sanctorum corporum Jobi, Thobiæ, & Thobioli subreptionem, quæ universum Ticinensem Populum maximopere commovit, & ingenti dolore perculsit. Templum quoque D. Petri in Cœlo Aureo constructum fuisse legimus à Luitprando, qui præter ingentes divitias ei dono traditas, & augustissimum D. Augustini Episcopi, & Ecclesiæ Sacrosanctæ Doctoris corpus eo transferendum curavit labo- E ribus & sumptibus vere maximis, una cum aliis superius recensitis corporibus Patriarcharum. Est & inibi sedes alia D. Marino ab Aistulpho condita, dicata, & XX. Sanctorum corporibus decorata. Fanum item D. Michaelis opus est à singulari Longobardorum Regum pietate profectum, in eoque SS. Episcopi Ænodius & Eleucadius perhonorifice conquiescunt. Ædes etiam, quæ Sanctæ Agathæ cultui assignata est, Partharim Regem Parentem suum & Patronum agnoscit, à quo & SS. Primi & Feliciani corporibus illustrata. Divi sane Ambrosii templum à Grimoaldo: Servatoris, in quo & D. Felicis Reliquiæ, ab Ariperto: S. F Mariæ ad Catias à Rachisio inibi cum S. Epiphania tumulato: D. Joannis Donarum, ut vocant, ubi S. Blasius cum septem Mulieribus Martyribus pie colitur, à Godimberga celeberrimæ Reginæ Theodolindæ F. & Regina (ut interim omittamus alia, quæ pietatis suæ illustria monumenta apud Ravennam, & alias Italiæ Civitates procul à nobis distantes, Longobardorum Reges ad omnem posteritatis memoriam reliquerunt) ex eodem omnino fonte manarunt. Sed quorsum externorum

exemplis utimur, cum proximis ac fere domesticis abundemus? Tria sane ad hanc usque diem præcipua Diœcesis Mediolanensis templa Regum illorum liberalitatem, munificentiam, & pietatem egregiam loquuntur, & loquentur tamdiu, quamdiu pietas in animis mortalium inhærebit, nimirum Christi Domini Præcursoris Templum à Theodolinda, summæ probitatis & integritatis fama toto terrarum Orbe conspicua, regio plane sumptu Modœtiæ conditum, ditissimis auri, argentique ponderibus locupletatum, sacris Divorum exuviis illustratum; Monasterium S. Petri Clivatensis ab Aldechisio Desiderii F. exstructum, ditatum, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Divorum Reliquiis egregie cohonestatum, Divi tandem Vincentii nostri Cœnobium, quod Mediolani ad Ticinensem Portam fundasse Desiderium Longobardorum Regem sæpe laudatus Galvaneus, & alii permulti Chronographi veteres prodidere.

Ex hac igitur altius fortasse, quam par videretur esse, at non frustra penitus, repetita pia ac liberali Longobardorum Regum in sacras Divorum ædes ab iisdem conditas, munificentia, adductus est facile vir eruditus ille, cujus paullo ante meminimus, ut Reges illos, quibus in Icone tertia Sanctorum nostrorum corpora commonstrantur, Longobardos fuisse diceret, Bernardum scilicet, Aldechisium, & Ghislam, ejus Desiderii filios, quem Roma Mediolanum tres ipsos Sanctos Martyres transtulisse opinatus idem aliquandiu fuerat, eadem ex conjectura liberalitatis & pietatis, qua erga Deum & Cœlites alii Longobardorum Reges mirifice nituere; & sane videbatur hoc illi minus à veritatis tramite aberrare, quo certius ex historiarum monumentis patet, Desiderium à gravi Saracenorum obsidione Romam, Hadrianumque Summum sacrorum Antistitem liberasse, maxima de eis Victoria reportata. Is enim captis viginti duobus Regibus Saracenorum, reliquas innumerabiles copias fugavit, disjecit, ac omnes eventu feliciſſimo pene delevit. Ob quam adeo insignem victoriam, adeoque præstans servati ac liberati Pontificis beneficium, cum præter triumphum & perpetuam gloriam, quam è præstanti facinore sibi ipse pepererat Longobardorum Rex, admirabiles etiam Indulgentiarum & amplissimarum gratiarum thesauros, multasque sacras Reliquias à Pontifice beneficii in se, atque adeo in Christianam universam Rempublicam, collati memore, dono consecutus esset, earum in numero nostrorum quoque Martyrum Reliquias fuisse, haud improbabile videbatur Amico illi nostro, & antiquitatis indagandæ studioso Viro. Nobis autem idipsum ille facillime persuasisset, nisi temporum ipsorum ratio obstaret, & ratiocinationem ejus everteret, ac improbaret. Nimirum nos ipsi supra Translationis ejus, qua Sancti nostri Martyres ad nos Roma delati sunt, auctorem præcipuum fecimus Heribertum Archiepiscopum Mediolanensem ex mente graviſſimorum hominum, quibus non sine gravi piaculo possumus adversari, cum præsertim nuper idipsum legerimus in vetustissimo Codice M. S. Joannis de Monte Mediolanensis Sacerdotis, quem quidem non secus ac Gryphes aurum in Riphæis montibus cum avita hæreditate nobilissimi Fratres Vicecomites Sexti Kalendarum Comites servant. Siquidem in eo sic habetur pag. 139. *Heribertus Archiepiscopus subjectionem Monasterii S. Vincentii, quod se exemptum dicebat, à Papa obtinuit, in cujus rei testimonium, Papa corpora Sanctorum Martyrum Quirini, Nicomedis, & Abundii eidem Archiepiscopo donavit.* At Heribertus vixit anno centesimo quadragesimo supra millesimum, eoque amplius; Desiderius vero, & tres ejus filii multo ante regnarunt, anno scilicet septingentesimo octuagesimo, ita ut nullo modo potuerint Regii illi Juvenes Sanctorum nostrorum corpora quatuor post sæcula delata Mediolanum, sua illic tempestate vidisse. Nec alios sibi potest Amicus noster Longobardorum Reges fingere, post Desiderium & filios, quibus Translationem hanc referat in acceptum, cum postremum totius Flaviæ Gentis Regem Desiderium exstitisse sciamus. Eam ob caussam, & Amici nostri conjecturam improbare, & Viros illos sepulcro Sanctorum Martyrum assidentes alios omnino fuisse à Longobardis, opinari cogimur, eorum, inquam, è numero, qui vel Heriberti temporibus, vel annis non multo post proximis imperarunt. Possemus eosdem suis etiam nominibus, freti conjecturis haud inanibus, appellare. Sed quoniam haberi hac in parte nolumus conjectores, Lectorum id omne captui permittimus indagandum.

Ad ipsas igitur Sanctorum Imagines redeuntes contendimus, ex iis satis superque probari Sanctorum illorum exsistentiam in D. Vincentii Templo. Nam illud in confesso est apud Jurisconsultos omnes, ea, quæ sunt difficilis probationis, aut de quorum auctoritate ob temporum antiquitatem, aut Scriptorum incuriam plane non constat, satis idonee probari ex tabulis, picturis, & signis aliis ejusmodi, muris adnexis, ut omnium optime vidit & docuit S. R. E. Cardinalis Baronius Tom. VII. *Annalium* Ann. DXXXXIV. Num XIII. vers. Hispania in loco ubi dicitur *Alcala del Rio*, ex picturis in parietibus depictis, Tom. IX. An. DCCXXIV. Num. II. vers. Apud quod, Tom. X. An. M. Num. VIII. vers. Porro coegit, & Tom. XI. An. MCLII. Num. II. vers. Nos ergo, ubi disertissime tradit, summum Pontificem ad confirmandam exsistentiam Sanctorum corporum sculpturis & picturis, tanquam certissimis veritatis indiciis & argumentis solidissimis usum. Quod si de sculpturis & picturis omnibus affirmare licet, quanto id firmius asseremus de picturis illis, quæ cæteris antiquitate præstant, qualis est sine dubio nostra posterior, cum Deci. *Cons.* 199. Num. V. Afflic. *decis.* 305. Num. XIII. Rol. à Val. *Cons.* 99. Num. XXIV. Vol. 2. Mascar. *de probat. concl.* 108. in princ. Fel. *in c. ex parte il primo* sub Num. XLIX. *de Rescript.* Baron. Tom. II. *Ann.* CCLXX. Num. XV. vers. Sed plane, fol. 448. & in *Notis ad Martyrologium* IV. Idus Februarii, vers. Zotici. Magnam ob id certe Cicero *de Amicitia*, Magnam inquit esse vim vetustatis. Et in libris *de Oratore* scriptum id ipsum reliquerit in hæc verba: *Habet autem, ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas: quæ quidem apud me ipsum valet plurimum:* quæ in libris quoque *de Legibus* exaravit. Ob id vero maxime picturæ publicæ, ac in primis illæ, quæ in Ædium sacrarum parietibus sunt expressæ, veræ censentur: solentque non dubitanter Ecclesia ex iis certissimam elicere veritatem, quod juxta Sanctæ Matris Ecclesiæ ritum jam inde à primis Christianæ religionis temporibus receptum, & in Concilio Tridentino nuperrime laudatum, approbatum, & restitutum, nullibi novæ pingi imagines possunt, nisi prius id Episcopo constiterit, ab eoque pingendi facultas fuerit impetrata. Hinc Alphonsus à Villega Hispanus in novo, ut appellant, *Legendario Sanctorum* in Præfatione Vitæ S. Christophori Martyris, maximam picturæ tribuit auctoritatem ad ea comprobanda, quæ nullis Chronicis, nulla alia authentica scriptura, nullove auctoris classici testimonio desiniri possunt. Quod ante ipsum Baronius observerat *ad Martyrologium Romanum* VI. Kal. Junii, Tom. III. *Annalium* An. CCCXII. Num. XXVI. vers. Porro ipsa Labari forma, & Tom. VIII. Anno DCIV. Num. XXXIX. vers. Quod vero alias venerandas imagines,

gines, & Anno DCXXVII. Num. XXIX. verſ. Caremus ſcripturis.

Nec mirum à ſapientibus ac peritis tanti fieri Sanctorum ac aliorum imagines, cum ipſimet imperiti tantum eis tribuant, quantum libris ipſis: habent enim iſti imagines librorum loco, à quibus eorum veritas apertius declaratur, quæ de Sanctis dicuntur, ab Eccleſiave credenda fidelibus proponuntur. Quis hic igitur exiſtimare audeat, aut Vincentiani Templi, pariter atque Cœnobii Moderatores primos, aut vigilantiſſimos Archiepiſcopos Mediolanenſes pati voluiſſe, tres illas Sanctorum imagines ſacris in Templi noſtri parietibus cum appoſitis lemmatibus pingi, aut ante ſe pictas, ſuis illic temporibus ſartas tectaſque ſervari, niſi intra parietum illorum limites ſacra eorundem corpora ſervarentur? Quod quidem ſi ſe aliter habuiſſet, Populum ipſum tantis auctoribus deceptum fateri neceſſe eſſet, eoque deceptum magis, quo in ipſius conſpectu imagines ipſæ apertius ſtabant ex ſententia Caſtrenſ. in *l. Si ſepulchrum* Num. 6. *C. de relig. & ſumpt. funerum*, Specul. *de probat.* verſ. *Videndum reſtat*, Num. 12. verſ. 9. Bal. *conſ.* 310. A *patronatus* Vol. 5. Dec. *conſ.* 135. Alb. *conſ.* 64. Num. 27. Quo etiam faciunt Bar. in *l.* 1. *ff. ſi certum pet.* Felin. in *c. inter dilectos col.* 8. & ibi Abb. *de probat.* Maſcard. *de probat.* dicta concl. 108. Num. 1. Menoch. *de præſumpt.* lib. VI. præſumpt. 37. Num. 7. Ut ob id jure ac merito Galeſinus ſummam ſemper fidem habuerit ultimæ, hoc eſt, vetuſtiori noſtræ imagini, ut ipſemet in *Martyrologii ſui Notis* ſcriptum reliquit.

Accedit his firmamentum ſextum. In Archiepiſcopalium Viſitationum Actis, recognita ſæpe corpora Sanctorum noſtrorum fuiſſe, & approbata, ut ex *Sanctuario* Pauli Morrigii conſtat. Quantum autem ponderis ac momenti habeant Acta Viſitationum, quemadmodum & ſcripturæ publicis in pluteis aſſervatæ ad probandam exſiſtentiam Sanctorum corporum, videre eſt apud Juriſperitos, Decium in *l.* 1. *ff. ſi cer. petat.* Num. 21. ubi probat generaliter ab iis in judicio plenam fieri fidem: jure id omni teſtante. Tex. in *c. Ad audientiam extr. de præſcript. l. Cenſus*, & ibi *Gloſ. ff. de probat. auct. ad hæc C. de fide inſtrum. gloſ. c. Pervenit. verſ.* Archivii. 30. q. 1. Corn. *conſ.* 333. num. 7. vol. 1. *de probat.* & D. P. Anton. Lazar. in aureis *addit. ad Compend. Navarri*, in verb. *ſcriptura*, num. 6.

Ac quoniam de ſcripturis publicis hoc in loco fecimus mentionem, ex iiſdem firmamentum noſtræ ſententiæ ſeptimum hauriemus. In quodam igitur Indulgentiarum ac Sanctorum Corporum libro Mediolani edito Anno MCCCCLXXXXVIII. hujuſmodi fere verba leguntur: *In æde D. Vincentii in Prato P. Ticin. Sanctorum* NICOMEDIS PRESBYTERI, QVIRINI, *&* ABVNDII DIACONI, & MARTYRIS, *&* D. ADEODATI, *qui à S. Simpliciano luſtralibus aquis ablutus traditur, & multorum aliorum corpora ſepulta quieſcunt, & etiam multæ reperiuntur Reliquiæ ſine nomine.* Quinimo tot huic Templo Indulgentias impertitas, eaſque Plenarias adducimur, ut credamus, non tam quod antiquitate, nobilitate, multiſque privilegiis auctum, & decoratum inter XII. Mediolanenſis Urbis Baſilicas jure ac merito numeretur, quam quod ſuo felici gremio multorum Sanctorum oſſa & cineres complectatur. Idem fere aſſerunt de primis tribus Sanctis toties laudatus Galvaneus duobus in *Hiſtoriæ ſuæ* locis, Beroldus in *Kalendario*, Jo. Franciſcus à Baſilica Petri Novarienſis Epiſcopus in Opuſculo *antiquitatum quarundam Mediolanenſium Eccleſiarum*, & nuper celebratus Morrigius in *Sanctuario*, antiquiores ut alios omittamus. Quantum autem recenſitis à nobis Scriptoribus detulerit ſanctæ & æternæ memoriæ Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanen-

A ſis integerrimus Carolus Borromæus, vel ex eo licet agnoſcere, quod cum ſanctiſſimus oculatiſſimus Præſul ſibi in animum induxiſſet, ut in pulchro Metropolitanæ Baſilicæ Odeo Divorum omnium, quorum in Urbe Mediolanenſi corpora reperirentur, ſculptæ imagines cernerentur, noſtros quoque tres Sanctos Martyres inibi cerni voluit in illuſtri loco cum epigraphe, quæ ſacra illorum corpora in Sancto Vincentio ad Pratum adeſſe cernentibus teſtaretur. Quid quod exploratiſſimi juris eſt Chronicorum, Hiſtoriarum, & librorum omnium volumina, præſertim ea, quæ Typographorum induſtria publici juris fecit, vim in ſe habere maximam ad probandum, ſi quæ fides (B) habenda placitis Juriſperitorum Bart. Alex. Dec. Ripæ, & aliorum in *l.* 1. *ff. ſi cert. pet.* Maſcard. *de probat.* concl. 287. verſ. Chronicorum, Ludovic. Roman. conſ. 524. *quod eſt ultim.* num. 12. Textus enim elatus eſt in *l. In quæſtionibus. ff. ad l. Juliam Majeſtat.* ubi Pomponius J. C. ſententiæ ſuæ firmamenta ex Criſpi Salluſtii *Hiſtoria* petit. Validius iſtud profecto cæteris argumentum, ut quod minime de Sanctorum noſtrorum corporibus dubitare permiſerit ſapientiſſimum & vigilantiſſimum illum Mediolanenſis Eccleſiæ Protomyſtam: ſed alia nobis aliunde ſuppetunt argumenta, quæ noſtram orationem magis augeant & confirment. (C)

At unde? niſi ex ipſiſmet noſtræ Eccleſiæ Catacumbis. Cum enim Mediolanenſium pietas, quæ cæteris in Urbibus eo in genere norat excellere, ſemper imitari ſtuduerit, atque ita Romanæ religionis, quæ in Catacumbis Sanctorum Martyrum corpora humare conſueverat, veſtigia perſequens, vel in ipſis naſcentis apud ſe pietatis incunabulis, ſubterraneas ædes conſtruere cœperit, quibus Sanctorum ſuorum pignora eam ob cauſſam maxime condere, ut illis in locis ab omni ſtrepitu remotis Chriſtiani majori mentis adfectu poſſent ad Sanctorum ſepulchra preces ſuas fundere, & conſuetis (D) in vigiliis pernoctare, D. Auguſtino teſte, qui *contra Fauſtum* lib. XX. cap. XXI. & lib. XXII. cap. VIII. *de Civitate Dei*, docuit ſuo id tempore à Chriſtianis fieri conſueviſſe: niſi in ſubterraneis D. Vincentii ſedibus horum Sanctorum corpora vere quieſcerent, fruſtra illæ ſane fuiſſent à Chriſti fidelibus ædificatæ. Quemadmodum & aliæ multæ, quas noſtra in Urbe paſſim videre eſt, quæ tamen fruſtra fuiſſe conſtructas nemo auſerit affirmare. Ut enim omittamus de Catacumbis iis, quæ tum olim Mediolani exſtiterant, quod de iis ſatis ſuperque meminerimus in Faſciculo hujuſce Operis tertio, incurrunt in omnium oculos nunc maxime (E) in Metropolitana Eccleſia Catacumbæ ſacris condendis artubus quamplurimorum Martyrum & Confeſſorum inibi quieſcentium, quos omnes percenſere numerando non vacat, cum ipſorummet nomina in Tabellis eidem appenſis impreſſa legantur. In Ambroſiana vero Baſilica quis ignorat Catacumbas eſſe juxta ſepulchrum Beatiſſimi Mediolanenſium Præſulis & Patroni, nec non & amborum Fratrum Martyrum, qui eum circumſtant, Marcellinæ quoque ejuſdem ſororis ac Virginis tumulum exſtructas. In ſacris ædibus etiam aliis ſubterraneis ejuſdem Urbis, nimirum Sancti Victoris Martii, D. Calimeri, S. Sepulchri, D. (F) Joannis, aliorumque Sanctorum, quæ notæ ſunt omnibus, Sanctorum variorum Corpora liquido conſtat eſſe condita eundem prorſus ob finem, ob quem in noſtra jacere trium noſtrorum Martyrum pignora: qua de cauſſa & nulli dubitandi locus debet eſſe relictus.

Sed nos ad ſe vocant jampridem S. M. E. Rogationes, quæ ad Divinum Numen noſtris ſceleribus ac flagitiis graviter læſum, jamque pœnas de illis acerbiſſimas ſumere cogitans, Sanctorum in-

A intercessione placandum, institutæ fuerunt, non ut opinantur aliqui à D. Gregorio Magno, sed multo ante ex Baronii fide Tom. VIII. *Annalium*, & in *Annotationibus ad Martyrologium Rom.* VII. Kal. Maji, monentis ibidem Latinorum aliquos, cum dicunt institutas à S. Gregorio Litanias, sic intelligendos esse, non quod ipsas Majores Litanias S. Gregorius primus instituerit, sed quod ad S. Petrum eas primus indixerit VII. Kal. Maji, quemadmodum minores nostræ initio hebdomadæ Christi Domini adscensum ad Cœlum proxime consequentis, fieri consueverunt. Cum enim singulis in Templis, quæ singulis harum Rogationum diebus B Clerus ac Populus universus pie ac sedulo frequentat, præter auxilium, quod à Tutelaribus Templorum illorum Numinibus enixe contendit, eorum etiam Sanctorum opem imploret, quorum in illis corpora, aut aliquæ Reliquiæ præcipua religione coluntur; primo die, quo Templum D. Vincentii frequentatur, habentur inibi Litaniæ, cum præcipua sanctorum horum trium Martyrum invocatione, ut ex veteribus codicibus & Beroldo liquet, vocari jam ut in dubium nullo pacto possit assertio nostra. Siquidem & rationibus iisdem petitis è subterraneo loco, è Litaniis, & Precibus fundi à Populo solitis in sacris Ædibus, usi sunt Jurisperiti Papienses in controversia aliquot C ab hinc annis orta in causa sanctorum Corporum Jobi, Tobiæ & Tobioli, & Saræ, ut probarent ea in Templo S. Joannis in Burgo suæ Patriæ quievisse, & Judicibus ad id decernendum electis visæ sunt non parum in se ponderis habuisse, illam vero postremam de Litaniis amplexus est Galesinus, cum ait, quod nos asserimus, constare ex Litaniis Ambrosianis.

Claudat nunc tot rationum agmen ea, quam stulti plane, vel impii fuerit oppugnare. Nos enim ipsimet vidimus, quæ subdemus, ac nostræ manus propemodum contrectarunt. Placuit ali- D quando S. M. E. Cardinali Archiepiscopo Martyrum ipsorum Arcam consulere, ut repertis in ea corporibus honores amplissimos procuraret. Factum id IX. Kal. Februarii anni MDCIX. reseratoque marmore tria in eo capita reperta sunt, quorum unum magnum & integrum; alterum antiquius paullo, & ob id aliquantulum etiam imminutum; tertium tandem aliqua ex parte capitis adhuc humani speciem referebat. Præter hæc ossa quoque plurima perspecta sunt, brachia scilicet, costæ, crura, & alia diffusa late in tumulo, & confusa, facile ut unicuique spectantium esset, trium illa esse corporum, suspicari. Nec arduum E fuisset illa, meo judicio, cum antiquitate colore & magnitudine trium illorum capitum diligenter conferre, eademque sic inter se collata recognoscere ac segregare, si tum per otium licuisset. Duo simul hic lignea vasa deprehensa sunt cæruleis medicata pigmentis, auroque distincta, continentia materiem quandam combustæ, aut certe uligine, seu vetustate consumptæ chartæ simillimam, eademque confracta ex parte, ex parte cremata paululum videbantur. Credimus in iis horum Sanctorum scripta, aut aliquas eorumdem Reliquias à piis Majoribus collocatas. Lucis adhuc usura fruuntur Viri fide dignissimi, qui narrent annis ab F hinc sexaginta casu nescio quo factum, ut candela honoris ergo ad horum Sanctorum sepulchrum accensa de more, ac in superiorem illius lapidem per foramen, quod etiam num, sed clausum, spectatur, immissa, decideret in sepulcrum, sericamque vestem absumeret, qua lignea velabatur Arca Sanctorum cum arcæ ipsius parte, ita ut ad conceptam flammam exstinguendam necesse fuerit loco suo Sanctorum ossa movere, atque adeo (ut in rebus hujuscemodi amat fieri) perturbare. Id ipsum semiustæ sane illius arcæ tabulæ in ipso nunc etiam Sanctorum Tumulo sitæ plane testantur. Auctor hujusce Visitationis præcipuus S. R. E. Cardinalis & Mediolanensis Archiepiscopus Federicus Borromæus Magno Carolo non tam generis splendore, Ecclesiasticaque dignitate, quam morum & virtutum imitatione par. Quamobrem eo præsente facta, aliisque Viris amplissimis, & religiosissimis Alexandro Mazenta Archidiacono Basilicæ Metropolitanæ, Alexandro Maggiolino, & Ludovico Besutio Portæ Ticinensis Præfecto, Canonicis Ordinariis ejusdem Basilicæ Metropolitanæ, nec non & Horatio Casato tunc ceremoniarum Magistro, nunc ejusdem Basilicæ Canonico Ordinario Diacono, permultisque aliis, cum sanctione decreti de transferendis pompa & apparatu solemni horum Sanctorum Corporibus in locum ejusdem Templi honestiorem, & delegatione Præfecto Portæ, ut eandem translationem, & pleniorem eorundem Sanctorum notitiam procuraret.

Libuit hæc uti gesta sunt exponere, quod nullum aliud argumentum possit Sanctorum horum trium Martyrum corpora nostræ Ecclesiæ firmius vindicare. Nullam enim probationem aliam fingi, vel afferri posse solidiorem tradit Azo in *Rubrica ad l. Aquiliam*, Bal. in *l. contra negantem. C. eodem*, quod aspectus loci derogat unicunque generi probationum, & in *l. Deo nobis* col. 11. vers. *Ulterius nota. C. de Episcopis & Cleri*, quod omnis alia probatio vincitur, & in *Rubrica C. de probation.* quod est optima, & superlativa probationum, Jason in *l. Admonendi* col. 17. vers. ex suprascripta, & doctores alii *ff. de Jurejuran.* quos omnes consulto prætermittimus, ne testimoniis tantum in re apertissima paginas impleamus. Potuissent hic alia pleraque in hanc tandem sententiam adduci. At quoniam satis superque probatum ac demonstratum esse censemus, sancta Quirini, Nicomedis, & Abundii Corpora in Templo D. Vincentii reperiri ex tot verisimilibus conjecturis, scripturis privatis & publicis, Kalendariis, libris Missalibus, Chronicis, Historiis veterum & recentiorum, tabulis, picturis, & Inscriptionibus, communi traditione Visitationum Actibus, literis Apostolicis: ex ipsamet tandem Sanctorum Corporum inspectione, maluimus ulterius progredi, quam lucernam stulte (quod ajunt) accendere in meridiana luce. Potuissent allata quoque pondera rationum elegantiori calamo perpoliri, nisi animadvertissemus in legum sanctionibus, & Jurisperitorum deductionibus afferendis tantum de auctoritate detractum iri, quantum addidissemus styli. Qualicunque igitur nostra primum ex officina manarunt, passi fuimus venire eandem in partem Operis inchoati, studiosi rerum potius, quam verborum, quo fides nobis major ab omnibus haberetur, nec fucus nostro in Opere quæreretur, sed pondera rationum, ea mens nostra fuit initio, semperque fuerit, quoties ad aliquid scribendum animum adjungemus.

JO. ANT. CASTELLIONAEI
FLORILEGIVM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.

SECTIO I.

FASCIC. V.

Sacra alia Corpora Basilicæ Vincentianæ. Insubrum antiquæ sedes ubi primo conditæ. Urbes olim ad amnes. Ticinensis Portæ commendatio ab accessu D. Barnabæ, Cittadella, publicis locis. Sanctorum sepulcra in hortis. Adeodati plures. Horum quis in D. Vinc. Templo, quisve Gallianum translatus. Festus ejusdem dies, tumulus, & sacellum. S. Vinc. Reliquiæ, & earum virtus. Inde Templo nomen. Templum ejusdem aliud ad Garumnam. Venantii versus expensi. Illustriora quædam alia D. Vincentii Templa apud Gallos, Hispanos, & Mediolanenses. Vera de Corpore D. Vincentii historia. Sanctorum aliorum Reliquiæ in D. Vincentii Templo. Laus earumdem, & Vincentiani Prati. De cultu & veneratione Sanctorum, nec non, & Reliquiis, & præsidiis eorumdem.



FIRMATA jam igitur adeo validis rationum ponderibus exsistentia trium Sanctorum Corporum in Cryptis Basilicæ Vincentianæ, id, quod præcipuam à nobis operam requirebat, operæ nunc pretium erit de Sanctorum aliorum corporibus verba facere; quorum multa in eadem Basilica reperiri, quamvis eorum nomina nesciamus, cum aliorum Reliquiis ignotis pariter & incertis, docuit nos Joannes Petrus Casoratus harum rerum scriptor minime contemnendus. Cum enim extra Urbis mœnia Templum hoc esset, nec longe abesset à primis antiquis Insubriæ sedibus, credere par est, multa Sanctorum corpora eo fuisse delata. Atqui ut quod de sedibus hisce diximus, non sine fundo dictum sit: sive Tubal ex Japhet Noemi filio genitus eas condiderit primus, ut quidam antiquitatis studiosi magis quam veritatis in Urbis nostræ origine indaganda Chronographi voluerunt: sive Hetrusci, qui suo late patenti imperio tenuerunt eam regionem omnem, quam nos hodie Longobardiam dicimus, conditis in ea XII. Urbibus, ac inter illas omnium maxima Mediolano uti principe Regionis: sive Transalpini Galli, qui pulsis Hetruscis Duce Belloveso ab Regione nostra, fœcunditate pellecti eadem potiti sunt, ut alii locupletissimi Historici memoriæ consecrarunt. (liberum enim esse volumus unicuique quam malit harum sententiam sequi, sive primam minus sane certam, sive secundam satis probabilem, sive tertiam communi jam quodam assensu receptam) Illud nos ex vetustissimis Annalibus M. S. exploratum habemus, has Insubrum
C sedes primo sitas fuisse ad margines aquarum ex Ticino, Athesi, & Olona fluminibus in hanc Basilicæ Vincentianæ conterminam, quæ solem orientem spectat, planiciem derivatarum, atque adeo ad Portæ Ticinensis Templo nostro proximam Regionem, ad quam, utpote humiliorem & decliviorem, majorem aquarum vim sine dubio confluere necesse erat.

In sententiam non dissimilem, stylo licet ac oratione dissimili, pedibus ivisse video Bonaventuram nostrum Castellionæum in M. S. *Vitis* XI. *Episcoporum*, qui D. Ambrosium præcesserunt. Siquidem in Castritiano hæc habet, quæ nos, quod ad rem nostram facerent, Latio donavimus in hæc
D verba : *Diligenter aliàs observavi, nec absque prævio rationis lumine eam in sententiam veni, ut existimarem Romanos olim, subacta Insubria, curam huic Urbi amplificandæ, atque adeo exornandæ præcipuam impendisse. Quamobrem quotiescumque illorum alicui ob aeris temperiem, opportunitatemve bellorum, ob Gallorum, Germanorumve defectionem, Mediolani mora longa trahenda erant, eam illi Portæ Ticinensis partem incoluere, quam hodie mœniorum ambitus excludit ob crebras ibi fontium perennitates. Putei siquidem nondum apud Romanos in usu esse cœperant, in hac Urbe præcipue, quæ tunc temporis longe crassioribus obducta*
E *paludibus, quam nostra ista memoria, tenebatur, earumdem ob rationum pondera, quæ per me alibi sunt allata.*

Enimvero ad loca aquis ubertim irrigua Majores nostri nescio quo genio sedes suas condere gestiebant, quo facilior esset illarum aquatio, auctore Festo. Non hinc igitur male nos conjicimus, primas Insubrum sedes fuisse non longe à sacris nostris ædibus collocatas. Accedit huc illa altera conjectura D. Barnabam ad Ticinensem Portam primitus pervenisse, & ad Eustorgianum fontem aliquandiu commoratum, Christo plurimos acquisivisse aquis cælestis lavacri vitalibus expiatos, non
F aliam ob caussam, quam quod in hac Agri Mediolanensis parte primum condita fuerat Civitas, in eaque frequentiores conventus hominum habebantur. Eandem putamus ob caussam per Ticinensem Portam in Urbem ingredi solere Pontifices novos, indeque solemni pompa progredi ad sacros honores infulæ capescendos, quasi per antiquiorem Urbis nostræ partem, & reliquis, ob jacta inibi primo Catholicæ fidei semina, sanctiorem. Quid quod adhuc hæc Urbis nostræ pars nomen *Cittadellæ* retinet, quod parvam civitatem sonat, ut sciamus hoc Urbi nostræ nomen initio fuisse antequam adveniente frequentia Mediolanum meruit appellari.

Firmant hoc ipsum plura publici Juris & exercitationis

tionis loca non pauca, eadem tum in Urbis regione conspicua, Arena scilicet, quæ hodie *Viarena* dicitur, Thermæ, & Templum Herculis, ubi nunc D. Laurentii sedes, Circus & Palatium, ea in parte, quam nunc obtinet Collegiata S. Georgii etiam num in Palatio nuncupati situm, vel certe (quod magis ad rem nostram attinet, arridetque maxime Bonaventuræ nostro, in loco nuper à me laudato) nostræ in Basilicæ Vincentianæ tractu. Pergit ille scilicet in hæc verba, eadem à nobis opera Latinitate donata: *Trajanus Nervæ successit par Christianorum hostis, & fama notum satis ac celebre Mediolani Palatium condidit, non tot ac tantis, quantis aliqui fabulati sunt, pretiosis lapidibus dives, nec eo in loco, qui Collegiatum Templum D. Georgii in Palatio proxime attingit, uti vulgi sermonibus circumfertur. Ea siquidem illud in parte condidit, in qua sese nobis nostris hisce temporibus videndum objicit D. Vincentii Majoris Templum extra Ticinensem portam cum Xenodochii situ, & reliquo viæ illius tractu. Altera vero pars, in qua nunc sacra D. Calocero Martyri ædes, & ejus ad latus fons est, media tum ejusdem Palatii pars erat.* Hæc Bonaventura: à quibus mirum quantum ponderis ac momenti sententiæ nostræ accedat. Neque enim ea sine fundo prodita fuisse putandum est ab eo, qui veritatis cultor, æque ac patriarum antiquitatum peritus semper est habitus ubique Gentium ac terrarum. Neque tralaticia, aut fabulosa rebus à Mediolanensibus Episcopis sancte, pieque gestis intexere debuisse eum, qui Ecclesiasticæ dignitatis fastigium (*Præposituram* vocant) in Ambrosiana Basilica consecutus, cum omnem procul à se commenti, aut mendacii suspicionem arcere rebus in aliis omnibus tenebatur: tum vero maxime in historiis ad majestatem universalis Ecclesiæ Ambrosianæ pertinentibus historico calamo describendis.

Ego sane mecum hæc animo sæpissime reputans non possum à Bonaventura nostro non sine gravi lapsu aliquo dissentire, putoque non obscura antiqui hujusce Palatii vestigia fuisse illa, quæ duobus jam elapsis annis in Vineto sacram D. Caloceri ædem, & Vincentianam Basilicam interjacente, reperta sunt, cum altius glebæ illius aliquot effoderentur. Basis tum scilicet prægrandis, variique marmoris, ac peregrini deprehensa cubitorum duorum latitudinem excedens, ita ut altiorem columnam superpositam habuisse credatur illis, quas nos hodie ad D. Laurentii superstites intuemur, potiusque Palatium illud à Trajano Imp. Max. conditum sua illa magnitudine decuisse, quam Jovis Templum unius Patritii Romani impensis (quod Operis initio docuimus) excitatum. Nec procul ingens & quadratus lapis eodem fere tempore defossus est, eum in modum situs, ut magnam fuisse partem fundamenti, cui magni illius ædificii moles inniteretur, vel jurejurando quilibet affirmasset. Repertum etiam est novissime inibi marmor ingens elaboratum affabre, variisque parergis tum florum, tum frondium exornatum, quod Artificis insignis manum refert, & Romanorum operum præstantiam æquat. Quamobrem idipsum in Hortis nostris medium collocari jussimus intra duos supra in Fasciculo primo laudatos Cippos, ut apertius fidem rei faceret in aliena sententia mordicus obfirmatis, ne contra solem amplius loqui audeant, ac nobiscum, velint, nolint, sentiant aliquando. Cuinam vero Palatii parti marmor illud exstiterit ornamento (ut hoc amplius addam) facile est, vel ex ipsius figura & lineamentis inspectis attentius, divinare. Aut enim exornasse credendum est spatium illud, quod excurrit medium inter coronas, & superliminaria, (Græci ζωοφόρον, καὶ ὑπερτραχύλιον vocant) Latini Fasciam dicerent exornatam, Italicæ voci *Freggio* respondentem: aut

A certe ad epistylii, sive superliminaris modum januam ipsam Palatii maximam & principem ambiisse, ut ex coronula, quam incisam habet, (Echinum alii nuncupant) meridiana luce clarius innotescit. Ornatus porro januæ marmori nostro persimilis, etsi minori foraminum cælatura, hodie quoque visitur in ingressu rotundæ Cellæ ad D. Laurentii, quam olim Placidiam Gallam Reginam Magni Theodosii F. opere plane regio condidisse Historicorum consensus unanimis tradit. Jovis porro Templum, quod in eadem regione fuisse testati sumus, valide admodum suspicionem, sive conjecturam, nostram firmat. Romani siquidem Palatia pro-
B pe Jovis, vel alterius Dei, Templa condere consueverant. Cujus ergo Romæ olim cum in Capitolio geminum erat Templum Jovis Opt. Max. & Monetæ, tum in Palatino Monte affinis Romuli Palatio Jovis Statoris ædes, de qua Ovidius in *Fastis:*

Templum idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.

Nec non & Mediolani Capitolium ad Minervæ cellam, & Maximiani Palatium cum Thermis ad Herculis delubrum fuit. Quem morem posteris subinde sæculis ipsi quoque Christi fidelium Principes amplexati Ædes sibi sacras, sive sacella, suis in Pa-
C latiis erexerunt, ne pii minus Ethnicis ipsis Principibus haberentur. Neque vero consensus Historiographorum aliorum sententium Trajani Palatium ad D. Georgii fuisse, eaque de caussa Templum illius in Palatio dictum, fidem ullam iis, quæ diximus, abrogarit. Nam præterquam quod Scriptores alii summa fide digni cum Bonaventura sentiunt, Palatium, quod D. Georgii Templo cognomen sua vicinitate indidit, non Trajani, Romanive alterius Cæsaris fuit, sed Vicecomitum, penes quos olim summum Urbis imperium, testantibus id argumentis aliquot eodem in Palatio superstitibus non obscure. Summo nempe in Januæ principis fastigio Vipera, peculiare Vicecomitum insigne, marmori incisa visitur, formaque parietum talis est, quæ illis tantum temporibus conveniret,
D quibus Vicecomites imperabant, non quæ ætate Cæsarum in more esset. Quinimo sese diligentius intuenti puram putam quandam barbariem à Gothis relictam, priscamque artis ejus ævi inscitiam repræsentant, vel ipsis imperitissimis artificibus deridendam, & Imperatoria Romani Cæsaris majestate prorsus indignam. Periti siquidem viso Trajani Palatio Romæ ad ejusdem nominis forum, ubi nunc etiam Columna illa insignis æque, ac multorum ob materiæ, formæque præstantiam nobilitata
E præconiis, aut Romanorum Antiquitatibus lectis, vix sibi in animum inducent, Palatium illud, cujus ad D. Georgii vestigia exstant, Trajani munificentiæ convenire. Nostræ opinionis haud dubium adstipulatorem habeo Tristanum Calchum lib. v. *suæ Historiæ*, de Palatio ad D. Georgii hæc narrantem: *Palatium Mediolani duabus turribus insigne, & adhuc nomine Maximiani celebre: & hoc dixerim illud, ex quo regioni Urbis ad Palatium durat, quod Merula vulgarem imperitiam secutus Trajano adscripsit.* Quin imo ejusdem auctorem præcipuum, ac disertissimum assertorem nuper offendi Andream Alciatum lib. II. *Rerum Patriæ*, cum animi gratia
F ejus Historias recognoscerem. Sic enim ille de Trajano agens: *Cum quandoque Mediolanum venisset, mira magnificentia Palatium construxisse auctores nostri prodiderunt; eamque opinionem secutus est elegantissimus Scriptor Merula, nihilo diligentior, ut video, hac in re aliis. Conjectura præsertim hac moventur, quod hodie exstet D. Georgii fanum, quod in Palatio nuncupatur: exstitisseque aliquando illic Trajani Palatinas ædes ex eo existimant, argumento certe futili. Fuit in eo loco Luchini Vicecomitis pala-*

palatium, conspiciunturque adhuc fundamenta, murique aliqua pars. Ab hoc sumpsisse cognomen delubrum illud potius crediderim. Nam quod hodie Palatium quoque media in urbe vulgo dicitur, recenti opere nihil antiquum habet. Ex hoc Palatio nihil decernes, quod ad Trajanum possit referri. Quod si de re cum aliis sentiam, de loco certe est, eritque mihi, donec certioribus signis id exploravero, controversia. Hæc Alciatus: qui quidem si præjacta nostræ sententiæ firmamenta vidisset, aut sibi in animum inducere potuisset, omnem à se controversiam abegisset.

Adde his, mirum cuique visum iri, in Urbe nostra Maximiani Templum dicatum Herculi incursionibus hostium & minis temporum perpetuo patens tot adhuc insignes Columnas, Arcus, & alia ejusce modi pulcherrima monumenta parum imminuta præ se ferre; Trajani vero Palatium in minus aperto ac pervio rerum vicissitudinibus loco situm (siquidem ad D. Georgii, Urbis, inquam, ipsius in visceribus, fuit) deteriorem expertum esse fortunam, nec plures illius, quam Herculei Templi, reliquias ad hæc usque tempora pervenisse. Quamobrem fatendum nobis est libere, bona cum Historiographorum aliorum venia, Trajani Palatium ad D. Georgii non fuisse, cum ejus nullum apud nos hodie vestigium exstet; quin imo eandem prorsus ob caussam in alia urbis parte proposita magis minis hostium, depopulationibus, demolitionibus, ac minis, qualis ea profecto planicies fuit, in qua Vincentianum Templum Gallorum Pedemontanorum potissimum incursiones diuturnas nimis & crebras experta. Nec longe à regione nostra Ticinensi aberant Curia, Theatrum, & extremi supplicii locus, qui ad Ulmos erat, ubi nunc S. Victoris ædes ad Capucinos. Eo scilicet Christiani trahebantur ad necem, ibi feris immanibus objiciebantur, non tam mundi spectaculum facti, quam Dei, aut à peritis Gladiatoribus crudeliter ludis in publicis cæsi, aut diris modis aliis trucidati jacebant, ut plurimum insepulti barbarorum Imperatorum jussu. Ex quo libet illud etiam assequi conjectura sacris illorum corporibus ne diu justo honore sepulturæ carerent, à Christi fidelibus clam inde sublatis in proximo Prato, in eo scilicet, in quo Templi nostri moles attollitur, levem humum injectam. Paulinus enim hoc ipsum de sacris Corporibus Nazarii & Celsi disertissime refert, cum narrat illa primo in horto extra Urbis mœnia occulte fuisse sepulta, ibique latuisse, donec ab S. Ambrosio divinitus inventa, ad Apostolorum Basilicam sunt translata. De Sanctis quoque fratribus Gervasio & Protasio Martyribus illud Sanctus ipse Pater Ambrosius prodidit, eos primo sepultos una fuisse in Philippi horto, deinde inibi à se divino repertos afflatu, summa cum populorum lætitia in Basilicam Ambrosianam, ubi etiam num jacere creduntur, illatos. Neminem enim fugere debet apud fideles initio nascentis Ecclesiæ positum illud in more fuisse, ut sanctos pro Christi confessione mactatos clam in ædibus quandoque privatis ad exemplum Tobiæ, aliquando vero in hortis, ac in pratis etiam sepelirent, gratiam se putantes aliquam ob id à Sanctis Martyribus inituros.

Maneat igitur tum ex his, quæ diximus, tum ex Casorati fide, quæ maxima putanda est, cum is auctor non nisi antiquis literarum monumentis, ut ipsemet in fronte Operis profitetur, vel receptissima Majorum traditione munitus scripserit, in D. Vincentii Templo anonyma Sanctorum multorum Corpora reperiri. Atque ne à tanto Scriptore longe abeam, nominatim alia ille Sanctorum duorum Corpora monet in Ecclesiæ nostræ gremio contineri, ac unum quidem B. Adeodati, quem D.

A Simplicianus aquis lustralibus ablutum, Christianis mysteriis initiarit, licet quis ille Adeodatus fuerit jure dubitari possit: Adeodatus-ne ille Nolanus, ac Presbyter, qui S. Paulino in Episcopatu successit, & Sicardo Principe Longobardo Beneventum translatus est, uti Philippo Ferrario placet in *Catalogo Sanctorum Italiæ* die XXVII. Junii; an alter ille, qui Probo Juniore IX. Kal. Julii migravit è vita, ac ut idem Ferrarius asserit die XI. Julii ad aliud S. Vincentii templum, quod est Galliani Diœcesis Mediolanensis, delatus est temporibus Heriberti Intimiani; an demum Adeodatus ille, qui à S. Ambrosio una cum D. Augustino & Alipio Mediolani sacro latice ablutus est. B Quamobrem nec meam hac in parte sententiam ab ullo desiderari patiar: non ego frustra censuerim B. Adeodatum in nostra Ecclesia quiescentem eum esse, qui à S. Simpliciano non batismate, sed Catechismo una cum BB. Augustino & Alipio initiatus est, ac cum iisdem à Sancto Ambrosio baptizatus, ac cum forte Mediolani decessisset è vita, sepulchrum ad D. Vincentii in Prato nactus, ibidem eum ad diem usque quievit, quo sedente Heriberto Archiepiscopo, ejus Sancti Corporis partem translatam Gallianum ferunt eo ipso tempore, quo SS. Quirini & sociorum corpora ab eodem Archiepiscopo Mediolanum delata C sunt, ut est memoriæ proditum in Breviario Ambrosiano jussu Sancti Caroli Cardinalis, & Archiepiscopi Mediolanensis recognito, & ab aliis supra laudatis scriptoribus fidei non vulgaris. Ejusdem plane translationis, quæ anno communis salutis MLVI. contigisse legitur, meminit Inscriptio sepulchralis ipsiusmet Sancti non Galliani, sed apud Vicum Canturium exsistentis, ut ante nos scripsit antiquitatum peritissimus Carolus à Basilica Petri Episcopus Novariensis in fragmentis manuscriptis *Historiæ Mediolanensis*, ubi agit de corporibus SS. Innocentii, Adeodati, & aliorum, quæ Canturii esse dicuntur: & quamvis eo- D rum aliqua anno MDLXXXIX. Kal. Septembris se vidisse testetur, Sancti tamen Adeodati sepulcrum, & duas tantum Inscriptiones rudi in lapide, atque exoticis characteribus incisas, de eo se legisse commemorat, monuit eruditissimus Burserius in *Theatro Insubricæ Magnificentiæ* apposito Inscriptionis ipsius testimonio, quod nemo est, qui magnum non censeat, eademque nostrum hunc esse Adeodatum docet. Ac licet hujusce translationis dies anno vertente Canturii celebretur VI. Non. Julii, alio nempe ab ejus sancti viri obitu, qui in IX. Kalend. Mensis ejusdem incidit die. Cum hoc tamen stat, ut major ejus sancti corporis pars E in Templo nostro remanserit. Usus enim ex pia quadam licentia jam pridem obtinuit, ut qui sancti alicujus corporis Reliquias, sive ossa, sive cineres, habent, ii corpus ipsum habere dicantur, neque par erat tam celebre Templum, ad quod nova quotidie Sanctorum Martyrum corpora deferrentur, antiquis, hoc est, sui quodammodo juris, Reliquiis penitus viduari. Nec obstat in omnium fere ore versari, duobus in locis ejusdem Sancti Corpus exsistere, cum id ipsum apud gravissimos Auctores passim de aliis sacris Corporibus affirmetur, puta de corporibus S. Apollinaris Episcopi & Martyris, meique præcipui Patroni & Tutela- F ris, quod non tam Ravennæ in proprio Templo, quam Papiæ in æde D. Thomæ sacra coli scribitur: Sanctorum Cantianorum, quæ & Aquilejæ in proprio Templo, & Veronæ in æde B. Mariæ in Organis, & Mediolani in Metropolitana quiescere constans est fama: atqui non proprie, sed ex more nescio quo figurate loquendi, hac in parte præcipue ob singularem & propensam nationum omnium pietatem erga Cælites, quorum apud se

Reliquias habent, usu recepto, quo pars pro toto frequentissime capitur, & in ejusdem fundum quodammodo, & possessionem migrat, uti possemus exemplis sexcentis propemodum confirmare. Nisi, ut inquit Alciatus *rerum Patriæ* lib. III. *hac Christianæ legis Cælestium par conditio esset, dum qualibet civitas sibi aliquid arrogare contendit. Innumeræ Divorum Reliquiæ, & plerumque eædem ubique gentium reperiuntur, & rumor falsis auctoribus principio vulgatus, ita demum animis nepotum insidet, ut verissimum esse vel jurati affirment. Ecquæ Christianorum, ne dicam Italiæ, urbs est, quæ ex Salvatoris nostri Corona spinas non habeat; tametsi tot fuisse dictu credibile non sit. Nemo tamen hunc honorem patriæ suæ non vindicandum putavit. Accedat his, quod & plures Persarum more à profanis cultoribus sepulchro illati aromatibus conditi, quod post tot annos incorrupti integrique sint, tanquam Cælestes hoc explorati miraculo, vulgi opinione existimantur.* Hæc Alciatus in commune dicta esse fatetur: nam quod ad illas sacras Reliquias attinet, quæ à Præsulibus sunt approbatæ, procul dubio nobis, & Alciato ipsi, in confesso est veras esse.

Verum enim vero quomodocumque tandem ista sese habeant, illud est certissimum, corpus S. Adeodati Confessoris, cujus festus dies alicubi agitur die XXIII. Junii ex antiqua traditione, in maxima nostri Templi Ara conditum credi, & inibi sine dubio coli. Cum enim sacerdos is esset, & in Altari Domini Hostias Deo Patri vivens offerret, mortuus sub illo, uti Sanctissimus Pater Ambrosius in *Epistola ad Marcellinam sororem*, (quod æquum & justum erat) debuit sepeliri. Aderat & peculiare sacellum hujusce Sancti Numini consecratum in ea nostri Templi parte, in qua nunc ad Christianam Doctrinam sexus sequior informatur, ejusdem nunc etiam aliquot vestigia supersunt: nec sat scimus utrum vetustate collapsum, nempe,

Mors etiam saxis marmoribusque venit.

An vero quod esset impedimento conventui mulierum celebrando ad festas illic exercitationes in Catholicis dogmatibus obeundas. An demum quod de Adeodati sanctitate non usquequaque constaret, sponte sublatum esse desierit, nec ab alio fuerit restitutum. Ut enim mihi non ignotam esse fatear controversiam subortam aliquando de sanctitate Adeodati Canturii quiescentis vel ex ipsius Inscriptione tumuli, ea me tamen ab affirmante Adeodati sanctitate sententia non abducit, cum pro illa stare videam Martyrologiorum aliquot pondus, quibus in *Catalogo suo* Ferrarius, & alii non vulgaris notæ Scriptores omnibus calculis suffragantur, præter communem famam & Majorum traditionem; quæ duo mirum in modum laureolæ Adeodati favent, ne quid interim dicamus aliud de supra laudato ejus sacello, quod insignem ejus apud nos memoriam olim fuisse testatur, eumque tum illic debitis Sanctorum virtuti præconiis, & honoribus cultum. Quibus libenter addemus testimonium illius vetustissimi manuscripti Martyrologii Cœnobitarum D. Francisci supra laudati, cum de S. Quirino nostro. Cujus hæc sunt verba: XXXI. *Junii translatio Venerabilis Adeodati presbyteri, & Confessoris. Hic obiit die* IX. *Cal. Julii, & jacet in Ecclesia S. Vincentii de Canturio Galliani, hic erat annorum* XXXV. *de hoc est legenda gloriosa.* Hanc perquisivisse nec invenisse testatur laudatus Episcopus Novariensis, qui Deodatum appellat Sanctum, duarum Inscriptionum auctoritate fretus; quarum prima est hujusmodi:

HIC REQVIESCIT IN PACE S. M. ADEODATVS. PRESBYTER, QVI VIXIT IN SAECVLO ANN. PLVS M. LXXXV. D. P. SVD. VIIII. CAL. IVLII.

A Altera ita se habet:

VI. NON. IVLII TRANSLATIO S. ADEODATI ET DEDICATIO IPSIVS ECCLESIAE ET IBI REQVIESCVNT IN PACE B. M. ECDESIVS, ET MANIFREDVS PRESBYTERI, ET SAVINVS DIACONVS, QVI FVERVNT INVENTI IVXTA SEPVLCHRVM IPSIVS S. ADEODATI ANNO DOMINI INDICTIONE VI. TEMPORE, DOMINI ERIBERTI DE ANTIMIANO SVBDIACONI S. MEDIOLANEN. ECCLESIAE, ET CVSTODIS ISTIVS

B ECCLESIAE SEV TEMPORE ENRICI REGIS.

Quod si secus Sancta Mater Ecclesia unquam sentiret, aut aliis sentiendum esse declaraverit, ejus nos placita uti obsequentes filii libentissime complectemur.

Sancti præterea Levitæ & Martyris VINCENTII corpus in hac sacra æde conditum reperiri idem Casoratus scribit; atqui hoc ob ejus partem ab eo scriptum par est credere, non quod in ea corpus illius integrum revera insit. Nam cum olim fideles, suppresso B. Virginis nomine novum Tem-

C plo nostro Divi, nempe Vincentii, nomen indiderint (quod in primo Fasciculo aliis quoque Mediolanensium Basilicis ob solam Sanctorum translationem contigisse diximus) credendum est ob hanc ipsam alio Templum nostrum novissime nomine nuncupatum, nimirum ob sacras & insignes ejus Divi Reliquias eo vere translatas, ejus, inquam, Divi, cujus in perferendis pro Christi confessione suppliciis fides, & constantia mirum in modum eluxisset, victaque Tyranni barbarie præclaræ sibi victoriæ auctor, atque adeo sui sibi parens quodammodo nominis exstitisset, non dubie, nec inornate ea de re loquente Augustino in *Sermonibus* de

D hoc Martyre & Levita habitis: de cruciatibus quidem, & suppliciis cum ait: *Terret videre invictam Martyris animam contra insidias antiqui hostis, contra sævitiam impii Datiani, contra dolores mortis, carnis acerrima conflictatione certantem, & in auxilio divino cuncta superantem. Nam Datianus ipse Sanctissimum hominem in equuleo primum levatum toto corpore distendi fecit: distentumque diversis vulneribus cruciari: cruciatum etiam pectinibus lacerari: carnificesque ad crudelius sæviendum verberibus fecit urgeri. Ejusdem deinde corpus in craticula positum uncinis ferreis aperiri, & ardentes laminas infigi, ac sale ignito aspergi, ac laceratum in teterrimo carcere fecit in-*

E *cludi, atque ibi testas acutissimas congeri, in lignoque pedes ejus affigi, & sine humano solatio derelinqui.* Ad nomen autem alludens dum inquit: *Beatus Vincentius vere Vincentius fuit, quod fortissime omnia mortis pericula vicit. Vicit, inquam, in verbis, vicit in pœnis, vicit in confessione, vicit in tribulatione, vicit exustus, vicit submersus, vicit vivus, vicit mortuus, quod eo mortuo, ut ejus sacra habet historia, Angelos ei dixisse ferunt, Agnosce, ô Vincenti, quod pro cujus nomine viriliter decertasti, ipse tibi coronam præparatam servat in cœlis, qui te victorem fecit in pœnis.* Hactenus D. Augustinus.

Neque eadem de re adscribere gravabor lepi-

F dum sane Epigramma Guidi Vanninii J. C. Lucensis, quamquam sub prælo esse audiam:

Mergeris in flumen, prodis, transfigere frustra
Lædere nil ferro, nil nocet unda minax.
Tygribus exposito mitescunt Tygrides ante
Ora tibi volucres carmina dulce canunt.
Quam merito bellum vincis Vincentius omne?
Pro Christo pugnas, militat ille tibi.

Ob tot ac tantos cruciatus constantissime superatos D. Vincentius inter celeberrimos Martyres relatus uno

uno ferme omnium Latinorum Patrum antiquorum ore celebrari meruit, quos quisque per se consulere poterit, ne nos vel à proposita brevitatis concinnitate, vel ab ejus Reliquiis nostro in Templo repositis longius abeamus. Ac licet quonam tempore, quaque ratione S. Vincentii Reliquiæ Mediolanum translatæ fuerint pro comperto non habeamus, conjecturis tamen non dubiis consequi possumus, id non multo post ejus Martyrium accidisse. Cum enim S. Vincentius Valentiæ in Hispania gloriosam Martyrii palmam adeptus sui nominis famam innumerabilibus prodigiis, & maximis miraculis longe lateque diffudisset in posteritatem omnem, fieri facile potuit, ut Mediolanenses aliqui rebus æternis, aut etiam caducis, puta commutandis mercibus, aut aliis hujusce generis negotiis inibi operam dantes, quo patriam insigni aliquo thesauro locupletarent, Sancti illius Martyris membris aliquot ditescere voluisse, sive tunc temporis, quo piæ nescio cujus mulieris opera ad Valentiæ mœnia sepulta sunt, sive cum ab Alphonso Rege translata sunt Ulyssiponem, eademque secum ad patriam detulisse, cumque illis, sive è terra, sive è mari reducibus Templum nostrum, uti vicinius occurrisset, in eo Reliquias collocasse, ne pretiosæ adeo sacræque merces honore suo diutius privarentur. Cumque rei fama percrebuisset, eoque frequentissimi populi concursus undequaque fierent, cum ut Sancti Levitæ Reliquias venerarentur, iisdemque dona generis omnis offerrent; tum ut intercedente pro se Martyre convalescerent è gravissimis morbis, ac ipsis in primis doloribus articulorum, & ægritudinibus iis, quas frigidi humores creant. Cum enim Sanctus hic Martyr media rigente hyeme cruciatus acerbissimos prunis ardentibus, candentibusque laminis ambusto corpore, & fragmentis lancinantium testarum in ipsis præcipue membrorum articulis & nexibus passus sit, pie credendum est eorum intuitu à præpotenti Dei Opt. Maximi Numine, cujus ut gloria manaret in dies latius ac latius, tot ac tanta tormenta pertulerat, impetrasse, ut quisquis ad ejus ossa colenda, certa divini auxilii spe fretus, accederet, ab hujuscemodi morbis omnibus liber abiret.

Quamobrem, ut à Majoribus nostris accepimus, ex quo S. Vincentii Reliquiæ Templo nostro illatæ sunt, nullum unquam tempus exstitit, quo non Mediolanenses, atque etiam exteri cœlestem opem in hisce ægritudinibus imploraturi ad nostrum Templum non venirent, devote rem inibi sacram hujusce Sancti Votivam (ut ajunt) audituri, & eidem vota pro commoda recuperanda valetudine persoluturi. Faciunt hoc ipsum ii, quos alio atque alio mente non sana traduci contingit, eamque ob caussam maxime vicinum Xenodochium mente captis excipiendis patet, quo facilius ad sese ope proximi Numinis revertantur. Licet igitur in Urbe Mediolanensi aliæ quoque huic Divo sacræ ædes exsistant, nullus tamen nisi imprudens ad illas divertitur ad dandam stipem pro re sacra ad opem implorandam Martyris facienda, ea in dies magis ac magis invalescente in animis opinione eam in nostro Templo ob exsistentes in eo Divi Reliquias, fieri consuevisse. Et sane communis hæc hominum opinio allatis conjecturis innixa apud Eruditos etiam magni esse ponderis debet, ut qui non semel legerint eodem fere pacto alias Divorum Reliquias ad plura loca delatas, ut de ossibus inclyti Martyris Ignatii habetur in *Chron.* Eusebii, & in *Sermonibus* D. Jo. Chrysostomi Tom. v. Ab iis enim est traditum hujus Sancti Reliquias Roma Antiochiam delatas à Syris, qui eum ad Urbem fuerant comitati furtim sublatas, vel certe pecunia redemptas, ut mavult Baronius Tom. I. Anno c. num. 6. illuc perlatas ad portam Daphniticam in cœmeterio

A fuisse depositas. Eisdem adstipulatur S. Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* in *Ignatio*, ibique multis eum miraculis & concursu populi nituisse testatum idem aliquando Chrysostomus reliquit. Unde Baronius in *laudato loco* non sine admiratione inquit: *Videas ex his quanti fecerint Christiani hujus temporis (omnes haud dubium Apostolorum Discipuli) Reliquias Sanctorum Martyrum: dum sæviente licet persecutione, nihil veriti invidiam, sævitiamque Gentilium, nec viarum pertæsi difficultates, & longitudinem, Roma Antiochiam usque, eas magna veneratione & lætitia retulerunt, & loco honestissimo collocarunt.*
B Quæ libuit hic afferre, quod aperte exprimant usitatum modum, quo D. Vincentii Reliquias ad nos pervenisse diximus innixi non dubiis conjecturis.

Cæterum, ut ad eorum vim & potestatem, à qua discessimus, redeamus, eam plane maximam exsistere necesse est, cum ex solo S. Levitæ Vincentii Tunicæ contactu, quamplures ad mentem, relicta phrenesi, & insaniæ furore deposito, rediisse ferantur, multaque alia supra naturæ ordinem ob eandem in Galliam deportatam contigisse memorent Gregorius Turonensis in *Historia de gestis Francorum* lib. III. cap. XXIX. Ado Viennensis in *Chronico*, Anno DXXVII. & Sigibertus ad Annum
C DXLII. Narrant enim hi Scriptores omnes, quo tempore Childebertus Rex in Hispaniam iit, ac una cum Clothario Cæsaraugustanam civitatem obsedit, cives ejus omnes timore perculsos indutos ciliciis, ac à cibis & poculis abstinentes ad præpotentem Deum supplices confugisse. Delata B. Vincentii TUNICA cum psalmis & hymnis circum mœnia civitatis, adhibita sancti ipsius Martyris invocatione, atque ita ab obsidione illa fuisse divinitus liberatos. Illud unum addit ex Metaphraste Alphonsus à Villega in *Vitis Sanctorum*, Clotharium Francorum Regem, ut civitatem obsidione liberaret, dono accepisse à Civibus STOLAM S. Levi-
D tæ, eamque in Galliam asportasse, ac Templo ultra Garumnam in honorem Sancti ipsius perhonorifice condito collocasse, eo, inquam, in Templo, quod Venantius Fortunatus lib. I. *sacrorum Poematum* hisce carminibus commendavit:

Tempore vita brevis meritis fit longior almis,
Augustosque dies tendit honore fides.
Post finem sine fine manet mens dedicata Christo
Linquens turbam hominum stat sociata Deo.
Hac ope suffultus VINCENTIUS *exstat in ævum*
Gloria Martyrii cujus optima viret.
Vertice succiso rapuit qui ex morte triumphum,
Et nova de terris proles ad astra volat.
E *Credidit unde necem, Sancto dedit hostis honorem,*
Percussorque magis morte perenne jacet.
Vicerat ille miser, hunc si jugulare nequisset;
Nam abstulit unde caput, contulit inde polum.
Hujus amore novo pia vota Leontius explens
Quo sacra membra jacent stagnea tecta dedit.
Et licet eniteat meritis venerabile templum,
Attamen ornatum præbuit iste suum.
Præmia succedant operanti longa salutis,
Hujus ut obsequiis culmina sancta micent.

Quanquam Venantii versus suis si ponderibus expendamus, non de Templo D. Vincentio Cæsaraugustano sacro is loqui videbitur, sed de alio multo
F ante condito, quam D. Vincentii Cæsaraugustani Martyris tunica in Galliam deferretur, dicatoque S. Vincentio Diacono, & Martyri Aginnensi, si fidem habendam esse ducimus Gregorio Turonensi. Quod enim asserit Fortunatus de Divi illius Vincentii, cujus Templum Garumnense laudat, martyrio loquens eum reciso capite Martyrii lauream adeptum esse, minus id Divo nostro Vincentio Cæsaraugustano convenit, qui cum immortalitate mortalitatem diverso plane lethi genere commutavit. Confessus idipsum est ingenue Baronius in

in *Martyrologii Notis*, licet in vii. Tom. *Ann.* ad ann. dlxi. paulo aliter fuerit opinatus, ac cum eo Villega in prima impressione sui Operis *de Sanctorum Vitis*, Garumnæ Templum in honorem D. Levitæ Vincentii Hispani conditum asseverans, studio gentis suæ potius quam veritatis in medium proferendæ; quæ tamen apud illum plurimi esse debebat, ut vere fuit in secunda ejusdem Operis editione. Idcirco nos, qui unam illam sequimur pro virili, cum laudata Venantii carmina recitaremus, eo in carmine, in quo apud mendosos codices Clotarius habebatur, Leontium pro Clotario reposuimus, ut qui Templum illud multo ante Clotarii tempora, atque adeo ante se conditum exornarit, eoque potissimum nomine Venantii carminibus extollatur, cum inquit:

Et licet eniteat meritis venerabile Templum,
Attamen ornatum præbuit iste suum.

Neque enim aliud sacro Vati propositum eo in Poematio, quam singula Leontii opera commendare, ac Templa ab Episcopo illo religiosissimo condita numeris quibus possit amplissimis celebrare. Cæterum ex delatis in Galliam D. Vincentii Cæsaraugustani Reliquiis, (quali illæcunque tandem tempore eo delatæ sint) non negarim factum, ut ejus passim beata pignora colerentur, Templaque alibi ejusdem Numini ingentia collocarentur. Cujusmodi illud sine dubio fuit, quod Parisiis Childebertus Francorum Rex vi. opere plane regio puro puto ex marmore condidisse traditur, in eoque D. Vincentii Cæsaraugustani Tunicam, sive ut alii volunt Stolam, non in Garumnensi illo, de quo aliquando Baronius, non minoribus pietatis argumentis, quam sumptibus collocasse. Itaque ejus sibi laudes minime prætereundas idem Fortunatus censuit lib. ii. *Poematio* ii. in hæc verba:

Si Salamoniaci memoretur machina Templi,
Arte licet par sit, pulchrior ista fide.
Nam quæcunque illic veteris velamine legis
Clausa fuere, prius hic reserata patent.
Floruit illa quidem vario intertexta metallo,
Clarius hic Christi sanguine tincta nitet.
Illam aurum, lapides, ornarunt cedrina ligna,
Huic venerabilior de Cruce fulget honor.
Constitit illa vetus, ruituro structa talento,
Hæc pretio mundi stat solidata domus.
Splendida marmoreis attollitur aula columnis,
Et quia pura manet, gratia major inest.
Prima capit radios vitreis oculata fenestris,
Artificisque manu clausit in arce diem.
Cursibus auroræ vaga lux laquearia complet,
Atque suis radiis & sine sole micat.
Hæc prius egregio Rex Childebertus amore
Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu divini cultus adhærens,
Ecclesiæ juges amplificavit opes.
Melchisedech noster merito rex atque sacerdos,
Complevit laicus religionis opus.
Publica jura regens, & celsa palatia servans,
Unica Pontificum gloria, norma fuit,
Hinc abiens, illic meritorum vivit honore,
Hic quoque gestorum laude perennis erit.

Fuit & aliud augustum D. nostri Vincentii Templum in Gallia ejusdem supra laudati Leontii Episcopi Burdegalensis opus, cui *Vermetis* ob id cognomentum. Neque enim aliud ea vox Gallice, quam rem ingentem sonat, eodem ejusdem Templi encomiaste, & ejusdem cognominis interprete Fortunato, cum scripsit:

Cultoris Domini toto sonus exiit orbe,
Nec locus est ubi se gloria celsa neget.
Sed cujus meritum scimus percurrere mundum,
Hujus ubique viri surgere templa decet.
Ecce beata nitent Vincentii culmina summi
Munere Martyrii, qui colit alta poli.
Promptus amore pio, qua Papa Leontius olim
Condidit eximio consolidata loco.
Nomine Vermetis voluit vocitare vetustas,
Quod quasi fanum ingens Gallica lingua refert.
Auspicii præmissa fides erat ante futura,
Ut modo celsa domus staret honore Dei.
Hic etiam sanctus, Domini suffultus amore,
Virtutis summæ signa tremenda dedit.
Nam cum Templa Dei Præsul de more dicavit,
Martyris adventu Dæmonis ira fugit.
Redditur incolumis quidam de parte maligna,
Cui vidisse pii templa, medela fuit.
Emicat aula potens divino plena sereno,
Ut merito placeat hic habitare Deo.
Nunc specie suadente loci, ac virtutis honore
Evocat hic populos, hinc decus, inde salus.
Qui plebem, accendit veneranda conditor arcis
Talibus officiis præmia justa metit.

Plures eidem Hispano Martyri Basilicas in Gallia constructas recenset Gregorius Turonensis in *Commentario de gloria Martyrum*, appositis miraculis in iisdem solitis perpetrari, quas quilibet in eo per se commode poterit contemplari, ne nos illæ, quam par sit, diutius remorentur. Quot igitur, quamque majora Templa eidem ab Hispanis posita fuisse credendum est in natali solo, cum tot illi tamque magnifica è nationibus exteris fuerint collocata. A nullo certe nemini Divorum cultu & religione secunda Italia in sancto nostro Vincentio Levita & Martyre Templis ac delubris amplissimis cohonestando suas partes desiderari voluit, passim in Oppidis suis ac Urbibus sacras illi sedes erigens, ac in primis in hac nostra aliarum omnium principe Civitate, in qua xxvi. olim ejusdem Martyris Ecclesiæ ex Galvanei fide cap cccci. *sua Chronica* numerabantur, ad quas mira populi celebritas confluebat, plane ut nesciam, mirari, an dolere debeam ad pauciores ævo nostro redactas, quo pietas calere deberet ardentius, non frigere, ad quatuor scilicet, si eis unam tamen Parœcialem suppressam demas. Nostra hæc apposito cognomine Abbatiæ, Parœcialis altera, tertia, quæ Monialium Cœnobium attingit, quarta ad Xenodochii mente captorum domum. Nec illud nobis hoc loco prætereundum est, quod honores D. Vincentio debitos auget mirum in modum. In urbe quoque Bergomi excelsa (ut cæteras interim tum humiliores, tum excelsiores Italiæ urbes prætereamus) Templum ejus urbis maximum D. Vincentio sacrum esse, & cultu præcipuo Fidelium celebrari. Cujus ergo carmina D. Alexandri ejusdem urbis Patroni ore prolata libenter afferam ex prima *Theatri Bergomatis* Parte:

Hispanus simili mecum Vincentius *Urbem*
Observat martyr numine, amore, prece:
Templum illi Cives ideo erexere togatis
Conspicuum Patribus, redditibusque grave.

Et in quinta *ejusdem Theatri* Parte hujusce Templi magnificentia commendatur his versibus:

Ædes Augusta Vincentii, *& limina Divi*
Saxorum ingenti mole parata patent.
Ambitus magni, sublimis verticis, auctum est
Reliquiis, cœtu conspicuumque Patrum.
Quod si tantarum peragi primordia rerum
Contingat: formam compleat utque labor,
Hoc erit illustre, immensum, memorabile Templum,
Hoc videant utinam tempora nostra decus.
Quæ bene de Divis meruit Respublica semper
Stare imperfectum non patietur opus.

Cæterum his omissis fatemur eam de corpore S. Vincentii historiam verissimam esse, quæ S. Martyris alligato ad collum molari saxo in mare præcipitis dati corpus ab Angelis revocatum ad littus, & in arena leviter & decore compositum fuisse narrat,

narrat, ibique à pia muliere divinitus in somnis admonita repertum, juxta Hispaniensis Valentiæ mœnia tumulatum, nec multo post inde translatum in ædem eidem Martyri consecratam, in qua ad id usque tempus quieverit, quo à Saracenis universa fere Hispania devastata est, eversis urbibus, deletis oppidis, Sanctorum corporibus propemodum omnibus immanissime ab Kabdorogne Cordubæ Rege Barbaro redactis in cinerem, & absumptis. Nec effugisset incendium illud & rabiem Sancti Vincentii corpus, nisi loci incolæ communi calamitate prævisa navigio quamprimum impositum per vastos Oceani tractus Cimmerium Bosphorum versus ad Promontorium, quod ex ejus nomine postea nuncupatum est, divina favente aura constitissent, ibique in exiguo sacello sacrosanctum pignus arcæ sub altari ligneæ credidissent, addictis sacello sedibus, in quibus à se Barbarorum injurias propulsarent. Sed accidit, ut horum successores & posteri multis post annis capti in Albohacen Mauritaniæ Principis ditionem potestatemque venirent, & anno salutis MCXXXIX. Alphonsus Lusitaniæ Rex debellato Ismace Aliendæ Rege, inter captivos eorum aliquos reperiret, qui jam pridem ab Albohacen capti fuerant, ab iisque victor Alphonsus rem omnem, uti gesta fuerat, de S. Vincentii corpore plane cognosceret. Quo nuntio mirifice recreatus Rex optimus, misit peritos loci, qui diruptæ Capellæ vestigia diligenter explorarent, quibus deprehensis arcam inibi ligneam cum S. Viri corpore invenerint, secumque quam diligentissime custoditam transtulerint ad Regem, à quo fuerit in Ulyssiponæ Cathedrali perquam honorifice collocatum. Hinc clare patet illos longe minus audiendos esse, qui corpus ipsum B. Vincentii nullis freti rationum ponderibus translatum in Gallias, & illic apud cœnobium Benedictinorum Monachorum, cui nomen Guiana, positum contenderunt: cum vel sola Stola, vel Tunica illuc ad summum delata sit, ut ex antiquorum Scriptorum auctoritate Villega testatur, non tam ut ditius hujusce Divi Reliquiis natale suum solum redderet, majoremque regionibus suis gloriam impertiret, quam ut pro veritate staret. Neque idcirco à vero discrepat, nostra quoque in Basilica Mediolani aliquas hujus Sancti Reliquias asservari, cum & Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum corpora Romæ in Vaticano liquido esse constet, quorum nos tamen Mediolani Reliquias insignes in Basilica S. Nazarii publice veneramur. Quid quod ejusdem Levitæ ac Martyris Vincentii caput in Ecclesia Cænomanensi collocatum à S. Damnolo Episcopo ejusdem acta fuisse testantur, subscribente quoque Baronio in *Notis ad Martyrologium* in natali Sancti, jam ut nemini dubium esse possit, alias ejusdem Divi partes aliquas nostrum in Templum antiquitus ejusdem Numini, Majestatique dicatum, fuisse divinitus importatas.

Verum enim vero de Sanctis nostris Corporibus satis superque disseruimus. Quamobrem instituti nostri memores stylum ad minutiores aliorum Sanctorum Reliquias dirigendus, & ad eas maxime, quæ celebrioribus festis anni diebus in Altari principe colendæ fidelibus proponuntur. Ut hinc igitur exordiamur in Reliquiarum theca in modum arboris ex ligno olivæ gracillimo opere tornatili affabre facta horum Divorum Reliquiæ continentur, SS. Joannis Baptistæ Dominici Præcursoris, Cornelii Papæ, & Mart. Flori Mauri, Eugenii, Cassiani, Constantini Martyrum; Abundii pariter Martyris Romæ sub Diocletiano passi, qui & Abundantius dictus, cujusque corpus in Romana Societatis Jesu Basilica requiescit; quod idcirco placuit adnotare, ne quis eundem illum esse putet, quem sub Altari Confessionis nostræ supra ostendimus reperiri. Continentur in eadem arbore fra-

A gmenta quatuor sacrorum ossium ignotorum, ossium item Sancti unius Martyris ex Cœmeterio Calixti, atque adeo complurium aliorum Sanctorum fercula, nempe SS. Benedicti, Melanti, & alius Sancti cujusdam incogniti, vestis Deiparæ pars, & Tumbæ B. Stanislai Kostæ. Pulcherrimum hunc ego thesaurum Reliquiarum suos in loculos eleganter admodum dispositum crediderim à Monachis hujusce Cœnobii, procuratum ad hæc usque tempora sartum tectum, non sine operis admiratione pervenisse, præterquam ea in parte, quam nos omni adhibita diligentia restaurandum curavimus, ne quid amplius caperet detrimenti.

B Ad hæc capsula apud nos plumbea celebratur, cujus illustriores Reliquiæ sunt DD. Stephani Protomartyris, Marci Euangelistæ, Laurentii Martyris ac Levitæ, Jo. Chrysostomi Ecclesiæ Doctoris, & Urbani Papæ, quæ quidem cum Sanctorum illorum, quos cum Deo ævo perfrui sempiterno certo certius esse scimus, pignora sint omni veneratione colenda, operæ pretium esset eas honestiori in vasculo collocare, ne diutius honore merito privarentur, quem illis fideles commodius, atque adeo religiosius exhibere possent, si suis in natalibus præstantioribus in loculis expositæ cum aliis publi-

C ce spectarentur. Horum ego Divorum ossa, ut à fide dignis jampridem accepi, nostrum in Templum detulit Vir undequaque pius, neque tam honorum insignibus, quam omnium scientiarum ornamentis illustris, qui vere cum illud adeo præstanti munere cumularet, dicere poterat,

Sacratos cineres venerandaque segmina Divûm
Accipe Parasio munera missa polo.

Sunt & in Altari B. Virginis quorundam Sanctorum Cineres serico panno viridi convoluti, quemadmodum & qui in tribus aliis aris continentur, sed carentes notis, quibus eorundem nomina declarentur. Atque hæc quidem minorum Sanctorum segmina sunt, quæ in florido D. Vincentii PRA-

D TO, qua rosarum instar Martyrum illustrium sanguine purpurascentia, qua liliorum nitore fidei sanctis in confessoribus albescentia, qua violarum omnigena colorum varietate ob diversimodas Sanctorum aliorum virtutes distincta, gratæ suavitatis, gratiarum scilicet, & sanitatum odores hactenus effudere, variis & innumeris ab ægritudinibus languentia mortalium pectora liberantes. Quare non immerito cum nostri, tum exteri horum intercessione Sanctorum divinam opem frequenter experti, nostrum ad Templum confluunt, nec inde nisi post serta mira florum varietate sacrorum pignorum loculis implicata, habitasque Deo Opt.

E Max. gratias pro perceptis muneribus divelluntur. Ac sicut olim Romani veteres primas agricolationis partes tribuebant Prato, sic hi PRATVM hoc nostrum jure vocare possunt hortorum decus, viridariorum gloriam, vinearum lumen, camporum splendorem, universorum agrorum ornamentum, immo & humanis omnibus auxiliis destitutorum asylum, languentium portum, cæterorum omnium ope divina egentium præsidium & tutamen. Qua par est igitur pietate eo se mortales recipere Sanctis honorandis, sacrisque eorum corporibus, Reliquiis, atque cineribus venerandis? Qua inibi modestia commorari, qua mentis ad eorum aras ac se-

F des intentione precari? Ut enim Deum Opt. Max. Sanctosque omnes ubique colere debemus, sic illos præcipuo quodam cultu ac veneratione prosequi necesse est, quorum Reliquias possidemus, iisque præsertim in Templis, in quibus illas Christiana religio voluit asservari, D. Maximo teste in Serm. de natali SS. Octavii, Adjutoris, & Solutoris Martyrum die, ubi ait: *Cuncti Martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt à nobis, quorum Reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adju-*

adjuvant, isti etiam adjuvant passione, cum his autem nobis familiaritas est: semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur: hoc est & in corpore nos juvantes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt, hic ne peccatorum nos labes assumat, ibi ne inferni horror invadat. Addo & elegans D. Ambrosii testimonium, quia huc maxime pertinet; *Luca* enim IV. sic ait: *Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris.* Eam nos certe unam ob caussam maxime laborem hunc suscepimus, ut quos Sanctos nostro in Templo quilibet fidelium colere & invocare, quorum, inquam, in eo corpora, Reliquias, & cineres venerari deberet, nostra quoque opera sciret. Quamquam ne rudes ac simplices in hoc aberrarent, visum est etiam pro muneris nostri partibus, cum nemini dubium sit ex communi dogmate ad nos ab Apostolicis usque temporibus derivato, à sacris Conciliis Generalibus sancito, à Patribus omnibus approbato, Sanctos esse colendos & exorandos, paucis hoc in loco nonnulla pro eorum captu subjicere de veneratione & invocatione Sanctorum, deque cultu sacris eorundem Reliquiis exhibendo. Quod ut commodius fiat, rem omnem duo veluti in capita dividemus, ac in uno quidem, quid in Sanctis colendis non conveniat, in altero vero quid conveniat, ostendemus; ac ut certa ab incertis penitus secernamus, quæ omnino certa sunt, initio præmittemus.

Illud igitur certum est primo unum præpotentem Deum complectentem in se ipso præstantiam atque dignitatem omnem, summum rerum omnium principem & auctorem, donorumque omnium, Gratiæ scilicet, Gloriæ, aliorumque ejusmodi omnium, quæ orantes præcipue petimus, largitorem, invocandum esse; atque adeo humani generis Servatorem Christum, ut qui non tam verus est Homo, quam Deus æterno Patri par in omnibus, oratione, quæ sit vere ac proprie sacræ Religionis actus, oratione, inquam, ejusmodi, qua ei, quem invocamus, divinus plane cultus exhibeatur, opem ab eo petendo, tamquam à summo bonorum omnium Auctore: siquidem ad alium præterquam ad Deum preces ea ratione fundere, manifesta esset Idololatria, cum hic orandi modus adorationis Latriæ sit, cujus honos soli Deo Opt. Max. tribuendus. Ad hæc certum illud est etiam, Sanctis non eum honorem solummodo tribuendum esse, qui cæteris Viris alioqui præstantibus, ob aliquos virtutis, dignitatis, & honoris gradus, quibus hominibus reliquis antecellunt, tribui consuevit, siquidem id fieret, Sanctorum cultus ab humana observantia neutiquam discreparet. Pari nempe ratione Parentibus à liberis, Præceptoribus à Discipulis, à subditis ei, qui sibi cum imperio præest, Principi demum à Civibus exhiberetur.

Alio quodam igitur cultu, qui neque Latriæ sit, neque civilis observantiæ, sed inter hanc & illum medius intercedat, qui quidem Duliæ à Doctoribus Scholasticis appellatur, colendi & invocandi sunt. Itaque primum eos Ecclesia in album Sanctorum adscribit, deinde jubet eosdem ab omnibus inter Cœlites coli, tum precibus ad eorum opem implorandam publice fusis, cum sacris ad eorundem memoriam, nec non & ad sepulchrorum ornatum aris & ædibus consecratis. Quatenus enim ædes, & aræ sacræ ad sacrificia spectant, eæ soli Deo dicantur, cui soli sacrificium debetur, & à Latinis templa proprie nuncupantur. Sed ipsum quoque tum Eucharistiæ, tum laudum, sive precum quotidianarum sacrificium (vulgo *Horas Canonicas* vocant) in Sanctorum honorem offerri Deo publice solet, dies etiam festi quidam eorundem

A caussa celebrantur, pinguntur & eorum imagines, ad quas moris est cereas faces & lychnos pensiles crebros accendere cum perpetui luminis alimento æternæ, qua perfruuntur, gloriæ monumentum. Ejusdem plane cultus gratia Sanctorum Reliquiæ pretiosis loculis includuntur, ac publicis honoribus illustrantur. Adduntur his votorum nuncupationes crebræ cum longinquis peregrinationibus ad eorundem Basilicas, Oratoria, Memorias, & Sepulcra, ibique vigiliæ, & pia rerum ab iis sancte admirabiliterque gestarum commentatio ad animos cœlestibus virtutibus excolendos. Cum enim Divorum animæ corporeis exutæ spoliis, non ad Campos B Elysios, ut olim Poetæ fabulabantur, sed ad cœleste domicilium, uti Christiana religione imbuti vere sentiunt, evolarint, ubi bonis omnibus potiuntur, ibique sejunctæ nunc quidem à corporibus, quæ extremo volventium sæculorum die, quo genus humanum universum in vitam revocabitur, rursus induent, uti procul ab humanis sensibus dissitæ, coli pro dignitate non possint: eorum apud nos sanctissima corpora, uti res subjectæ sensibus, qui tantum in id, quod adest, quodque præsens est, feruntur, divino Numine conservantur, ut illis honores, quos in hac imbecillitate possumus maximos, habeamus. Quamvis autem Sanctorum C corpora, sacræque Reliquiæ eorundem, uti res rationis expertes, & ideo honoris omnis & injuriæ (Peripateticorum Principe locupletissimo teste) recipiendæ minus idoneæ videantur; nihilominus ex eo quod nescio quam habitudinem & ordinem dicunt ad res participes rationis, eandem illam scilicet habitudinem, qua actus à potentia, (ut de re in scholis agitata, scholastico more loquamur) forma à materia, animus à corpore respicitur, ratione conjunctionis, tum præteritæ dum vitam mortalem viverent, tum futuræ post horribilem & pertimescendum novissimi judicii diem, inter hujuscemodi partes, quæ viva olim Christi membra, D & Spiritus Sancti templa fuerunt in terris dum viverent, ac etiam num sacra sunt pignora nobis in hac lacrymarum valle degentibus à Deo salutis nostræ spei, vitæque solatio relicta, ejusdemque instrumenta præsentissima ad innumera pro Reip. Christianæ propagatione miracula perpetranda, nostræ, inquam, militantis Ecclesiæ lumina solem ipsum luminum reliquorum principem vincentia, decora nominis Christiani, propugnacula fidei, Religionis insignia, cœlestis ærarii thesauri, opes nullis propositæ casibus, nullis vicissitudinibus temporum reservatæ, trophæa pro Christi confessione triumphantium animorum, præsidium no- E strum, decus, & gloria, vasa tandem æterni decoris, & æternæ gloriæ, tum futura, cum decorem omnem induent, ac supra firmamentum splendidius emicabunt in æternitatem omnem, coli jure suo possunt, & debent.

Neque eam tantum ob caussam Sanctorum Reliquias veneramur, sed ob illam etiam, quod sacra eorum pignora contemplantes in Sanctos ipsos, eorumque virtutes attentius animum intendentes, ut res ab iis præclare gestas, quoad fieri possit, vita & moribus exprimamus. Sunt enim Reliquiæ Sanctis ipsis proximiores imaginibus eorundem, quemque illis cultum religiosis animis & ritibus F exhibemus, referimus ad eosdem. Quamobrem eodem plane more Sanctos, & ipsorum Reliquias veneramur, modo id habeant, ob quod venerationе dignæ censendæ sint. Duo siquidem ad id necessaria judicamus. Primum ut sub illis formis & qualitatibus conserventur, ob quas ex communi hominum sententia Reliquiæ censeantur esse, & ad Sanctum aliquem pertinere, quod utique non contingit cum ob transmutationes aliquas in vermes, vel aliud quid hujusmodi, commutatæ sunt.

A sunt. Secundum ne sint partes suppositi, ut ita loquamur, alicujus indigni cultu, cujusmodi sunt impiorum manus, quæ se sanctorum virorum cæde & sanguine contaminarunt, nec coluntur licet Sanctos tetigerint, ne ipsa coli impietas videatur. Veneramur autem Sanctorum vestes & instrumenta Martyrii propter contactum & piam memoriam eorundem, ut crucem, clavos, lanceam, & alia generis ejusdem propemodum infinita, quæ vesana Tyrannorum sævitia reperire potuit, propter contactum Christi, ac alia ejusmodi propter contactum Martyrum aliorum. Veneramur etiam alia propter significationem, uti sacramenta, & voces sacras, sive illæ sacris in paginis scriptæ sint, sive piorum ex ore prolatæ, uti nomen Jesu: B alia quoque propter cultum Dei Opt. Max. & Sanctorum, ad quem potissimum referuntur, ut ædes ipsas sacras, & vasa. Cæterum Sanctorum audito nomine aperire caput, pectus coram ipsorum imaginibus tundere, genua flectere, Litanias, & alias hujusce generis preces iisdem fundere, donaria largiri, vota persolvere, anniversaria sacra præpotenti Deo in eorundem honorem & memoriam offerre, aliaque præterea constantissimo usu Ecclesiæ recepta præstare, pium & æquum semper habitum fuit apud Christianæ religionis dogmatibus institutos. Quin imo fidelibus ipsis perutile C semper idipsum fuit, tum ad sacrarum & aliarum rerum etiam conservationem, propagationemque majorem in dies, tum ad impetrandam ex morbis innumeris sanitatem. Ecquid enim aliud testatum reliquit S. Paulinus Nolanus Episcopus in *Carmine*, quod in Natali S. Felicis Martyris Nolani die conscripsit apposita serie miraculorum, quæ Deus Opt. Max. ad Sancti Reliquias perpetrabat, nisi ad hæc maxime valere Sanctorum patrocinium & tutelam? Audiamus ipsum, si lubet, neque enim ejus me versus unquam pigeat adscripsisse:

Cernere sæpe juvat variis spectacula formis
Mira salutantum, & sibi quæque accommoda votis
Poscentum; videas etiam de rure colonos
Non solum gremio sua pignora ferre paterno,
Sed pecora ægra manu sæpe introducere secum,
Et Sancto quasi conspicuo mandare licenter:
Moxque datam sua confisis ad vota medelam
Experto gaudere Deo; & jam credere sana,
Et vere plerumque brevi sanata sub ipso
Limine, læta suis jumenta reducere tectis.

Quid S. Leo *Serm.* I. in sacrum Apostolorum pariter principum Petri & Pauli diem, cum inquit: *Sicut & nos experti sumus, & nostri probavere majores; credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos, ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.* Pertinent huc etiam illa D. Basilii verba *Homeliæ* in quadraginta Martyres consignata: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat; qui rursus lætatur, hos oret. Hic ut à malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Hic mulier orans pro filiis auditur; peregrinanti viro redditum incolumem, ægrotanti vero salutem implorat, &c.* Sed Fasciculum hunc Eusebii Cæsariensis verbis, quasi rastro quodam, involvam ac cumplicabo, facit enim mire ad hanc rem, quam habemus præ manibus, concludendam: *Hæc nos*, inquit lib. XIII. *de præparatione Euangelica* cap. VII. *quotidie factitamus; qui veræ pietatis milites ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.* Hæc erant, quæ de Sanctorum cultu, & sacrarum Reliquiarum veneratione, nobis quam brevissime perstringenda duximus eorum in gratiam, qui se nostrum ad Templum conferent oraturi. Nunc ad Cœnobium & ejusdem Monachos veniamus, res eorum vetustissimas percensuri, ne quid consulto videamur omittere voluisse.

JO. ANT. CASTELLIONAEI FLORILEGIVM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.

SECTIO I.

FASCIC. VI.

Ex occasione Monachorum Cœnobii D. Vinc. Monachalis instituti antiquitas, etymon, Principes, Regulæ, Lupercorum gens Fabia apud D. Vinc. Cœnobium habitare solita. Sepulturæ genera duo, ritus sepeliendi plures. Lupercos post Euangelii lucem solitarios, Heremitas, Monachos tandem dictos. Vincentianum Templum beatissimæ Virgini quis dicarit, Cœnobium à quo conditum. Benedictinorum apud Mediolanenses initia, & incrementa. Qui lapsi in assignando Monasterii Monialium S. Vincentii conditore. Vincentianorum Monachorum laus, regulæ, mores, & instituta. Historia de dente, & aureo Altari S. Ambrosii, deque sanctis ejusdem Protasii, & F *Gervasii Martyrum corporibus, & Heriberto Archiepiscopo quadam. Mediolani exscidium à Rubrobarbo.*



De Cœnobio & ejusdem Monachis hac in parte dicturi, rem omnem paullo altius repetemus. Ac illud in primis uti certum supponimus, Monachorum institutum recens non esse, neque ab ipsis dumtaxat nascentis Ecclesiæ Christianæ primordiis vigere cœpisse cum Philone Hebræo teste, qui de Jessæis scribens ait, multos ab iis Monasticæ vitæ formam,

 suum

ſuum deſumpſiſſe exordium, vero verius putaviſſe, inter quos eſt Epiphanius *Hæreſi* XXIX. E cujus hæc ipſa ſunt verba : *Reperies autem ſtudioſe etiam hoc argumentum in Commentariis Philonis, in libro de Eſſæis ab ipſo inſcripto: qui horum converſationem & laudes eorum exequens, & monaſteria ipſorum in vicinia circa Mariam paludem recenſens, non de aliis quibuſdam narravit, quam de Chriſtianis.* Quo loco Epiphanius inſinuat Philonem de Eſſæis, hoc eſt, de Jeſſæis eſſe locutum, non de Eſſenis; Jeſſæos enim à Jeſu, ſive à Jeſſe, ex quo Chriſtus ſecundum carnem, affirmat nominatos eſſe Chriſtianos ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, & Dionyſius Areopagita ubi de Nazaræis & Monachis aliis ſermonem habet, ſed ab ipſa prima ineuntis Mundi ætate originem deſumpſiſſe. Cum enim Monachus à Græca voce ΜΟΝΟΣ, quæ *ſolitarium* Latine ſonat, apertiſſime derivetur, fuerintque aliqui in ipſo pene Mundi exordio, qui ſolitariam vitam egerint, ac præſertim Seth, & Enos, ut ex *Gen.* cap. IV. colligitur, à quibus & Sethini ſacris in hiſtoriis filii Dei appellati, & ex Joſepho Hebræorum Hiſtorico confirmatur lib. *de Antiquit. Judaicis* I. cap. IV. Ex Patriarchis antiquis etiam alii nonnulli rationem eandem vivendi amplexi ſint, ut Jacob tum cum ſibi irati fratris minas & odia declinavit, & ante ipſum Iſmael cum Agar in ſolitudine Berſabee, & in deſerto Pharan procul ab arbitris omnibus commorantes ex *Gen.* capp. XXI. & XXVIII. & ſupra laudato Hiſtorico *lib.* I. *cap.* XXVII. Moyſes etiam ſive cum Pharaone ſibi necem ac perniciem moliente ſeceſſit ad ſocerum Jetrum in regione Madian, ibique pavit illius gregem in intima deſerti parte non procul à Monte Oreb, in qua & ardentis rubi, nec in ignes conſidentis, ſpectaculo recreari; & Deum ſibi ex illo loquentem audire meruit, ſive cum Sinai montem ſolus adſcendit, in eaque ſolitudine quadraginta dierum ſpatio commoratus lapideas Legis tabulas Dei ipſius digito exaratas accepit; Samuel tum cum Populi celebritatem atque frequentiam declinabat; David tum cum ſe Regi Sauli ſubducens & abdens, in ſylvas & nemora ferarum in luſtris & ſpecubus latitabat; Elias Thesbites, qui cum diu zona pellicea cinctus ſibi nimis adverſæ Reginæ Jezabellæ furores metuens magnis itineribus per invia loca ſuſceptis, angelico inter fugiendum pane, potuque cæleſti donatus eſſet, ut in illius fortitudine, demum in vaſtis ſolitudinibus ac horridis montium cacuminibus ſolus utplurimum habitavit. Cujus veſtigiis inſiſtentes alii, ac ipſe potiſſimum Eliſæus, qui filiis Prophetarum ab Elia magiſtro collectis in ſolitudine præfuit, non ſecus ac ſi quis eorum Abbas eſſet, Iſajas, & Jeremias, & alii Prophetæ Minores quamplurimi, quos longum eſſet omnes ac ſingulos percenſere, magnum Anachoreticæ vitæ decus & gloriam pepererunt, ingenteſque ad eam amplectendam cum ſuis, tum poſteris, amoris & ardoris igniculos reliquerunt. Libet itaque inſignem hic D. Hieronymi locum *ad Paulinum* adſcribere, qui huc maxime ſpectat: cum enim de Elia, Eliſæo, & filiis Prophetarum hæc dixiſſet: *Noſter princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri filii Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula ad profluenta Jordanis*, ſtatim ſubdit: *De his ſunt & filii Rechab, qui vinum & ſiceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Jeremiam voce laudantur, & promittitur iis, quod non deficiat de ſtirpe eorum vir ſtans coram Domino.* Repetiit idem ipſum alibi *ad Ruſticum Monachum* ſcribens, filioſque Prophetarum, quod ad rem noſtram mirum in modum facit, Monachos appellavit: *Filii Prophetarum*, inquit, *quos Monachos in Veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas juxta fluenta Jordànis, & turbis Urbium derelictis, polenta & herbis agreſtibus victitabant.* Quam in ſententiam paria propemodum Ambroſius libro I. *de Virginibus*, eaque pluribus, ut ob id à nobis, brevitati ſtudentibus, omittenda ſint, D. Hieronymi teſtimonio jam contentis. D. ſane Auguſtini verba prætermittenda non ſunt, qui Monachalis inſtituti antiquiſſima primordia ſuſpiciens & admirans *Tract.* XCVII. *in Joannem*, ſic ſcripſit: *Monaſteria & Xenodochia poſtea ſunt appellata novis nominibus, res autem ante ſua nomina erant, hoc eſt qui ſolitariam vitam traducebant, antiquiores erant: ſed novis his nominibus minime nuncupabantur.* Sicut autem inter Prophetas Joannes Domini Præcurſor major cæteris exſtitit, ita magis atque magis ad vivum ſolitariam cum in cibo, tum in potu, ac veſtibus, vitam expreſſit. Quod pulchre nos etiam docuit S. Jo. Chryſoſtomus *Homil.* I. *in Marcum*, cum inquit: *Sicut ſacerdotum principes ſunt Apoſtoli, ita & Monachorum princeps Joannes Baptiſta.* Et iterum in altera *Homilia: Conſiderate*, inquit, *Monachi dignitatem veſtram; Jo. princeps veſtræ eſt dignitatis, ipſe Monachus, ſtatim ut natus in eremo vivit, in eremo nutritur.* Subſcripſit eidem Hieronymus *epiſtola* XXII. *ad Euſtochium* in hæc verba: *Hujus vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, & ut ad ſuperiora contendam, princeps Joannes Baptiſta.* Fatentur hæc eadem Iſidorus, & alii luculentiſſimi Scriptores Catholicæ veritatis, quos ſi cui videndi eſt otium, videre commode poterit apud Petrum Caniſium, qui eruditiſſimo Opere teſtimonia ea de re omnia propemodum eſt complexus.

Cæterum hanc eandem vivendi rationem ad omnis poſteritatis exemplum ipſemet etiam Chriſtus Dominus, humani generis Servator ac vindex, ſacroſancto illo quadraginta dierum jejunio in deſerto peracto conſecrare voluit, & probare. Ex quo factum eſt, ut ipſe quoque Princeps Apoſtolorum Petrus magiſtri ſui exemplo commonitus in ſpeluncam ſeſe receperit ad delendum lachrymis & dolore abnegationis ſcelus, quod admiſerat in eundem: & Euangeliſta Joannes in Pathmos Inſulam relegatus ſolitariam ibi traducens vitam, divinam Apocalypſin inſtinctu, afflatuque cœleſti conſcripſerit: & Euangeliſta Marcus Alexandriæ in Ægypto primus Monachos inſtituerit tanta ſapientia præditos, ut de eorum laudibus ſcripſerint Philo Hebræus, eam ob cauſſam inter Eccleſiaſticos Scriptores à D. Hieronymo recenſitus in libro ejus tituli cum dixit: *Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcirco à nobis inter Scriptores Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſiam, in noſtrorum laude verſatus eſt: non ſolum eos ibi, ſed in multis quoque Provinciis eſſe commemorans, & habitacula eorum dicens Monaſteria. Ex quo apparet, talem primam in Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt, ut nihil cujuſquam proprium ſit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur, & pſalmis, doctrinæ quoque ac continentiæ, quales & Lucas refert primum Hieroſolymis fuiſſe credentes.* Flavius Joſephus, Petrus Damianus, Joannes Caſſianus, & alii, Diſcipulorum demum Chriſti Domini veſtigia vel longe ſecuti cæteri miros in ſanctimoniæ & ſalutis via progreſſus habuerint, ac inter illos Maria potiſſimum Magdalena cum ſociis. Ea ſiquidem apud Maſſiliam in ſolitudine, quo ex Judæa incolumis divinæ Providentiæ aura nullis velis, aut remigio, devecta fuerat, permultis annis ſola vixit & flevit. Qua de vectione cum nuper legerim lepidum Epigramma, hic apponendum curavi:

Par-

Parva domus, mea cura, feris committitur undis,
Fors bona; nescio quo navigat, Eure, fave.
Hei mihi ne rapido minitetur vertice pontus,
Et pereas media parvule linter aqua.
Massilia ignotas ô si te errare per undas
Sciret? quotquot habet, mitteret illa rates.
Tu mare, vos venti, trepidæ succurrite cymbæ,
Nullus in imbelli navita puppe sedet.
Exiguum est pondus, facilis via, poscitis, & vos
Si pretium, pretium est grande, tulisse pios.

Eaque nostra nunc etiam tempestate spelunca visitur & frequentatur. Ad quam cum aliquando devotionis ergo pervenisset Etruscorum Poetarum longe clarissimus Franciscus Petrarcha, elegantissima inibi hæc carmina, perpetuum susceptæ suæ ad illam peregrinationis monumentum, expressa reliquit, quæ postmodum ab exemplari in Oratorio illic appenso, & propemodum obliterato, Ludovicus Vivaldus è familia Prædicatorum exscripsit, & ad nos transmisit, ut ipsemet fatetur in Opere, quod *de veritate contritionis* emisit:

Dulcis amica Dei, lachrymis inflectere nostris:
Atque meas intende preces, nostræque saluti
Consule, namque potes: neque enim tibi tangere frustra
Permissum, gemituque pedes perfundere sacros,
Et nitidis siccare comis, ferre oscula plantis,
Inque caput Domini speciosos spargere odores,
Nec tibi congressus primos, à morte resurgens,
Et voces audire suas, & membra videre,
Immortale decus, lumenque habitura per ævum,
Nequicquam dedit ætherei Rex Christus Olympi.
Viderat ille cruci hærentem, nec dira paventem
Judaicæ tormenta manus, turbæque furentis
Jurgia, & insultus, æquantes verbera linguis:
Sed mœstam, intrepidamque simul, digitisque cruentos
Tractantem clavos, implentem vulnera fletu,
Pectora tundentem violentis candida pugnis,
Vellentem flavos manibus sine more capillos:
Viderat hæc, inquam, dum pectora fida suorum
Diffugerent pellente manu: memor ergo remisit
Te primam ante alios, tibi se prius obtulit uni,
Te quoque digressus terris, & ad astra reversus,
Bis tria lustra cibi nunquam mortalis egentem
Rupe sub hac aluit, tam longo tempore solis
Divinis contenta epulis, & rore salubri.
Hæc domus arcta tibi stillantibus humida saxis,
Horrifico tenebrosa situ, tecta aurea Regum,
Delicias omnes, ac ditia vicerat arva.
Hic inclusa libens longis vestita capillis,
Veste carens alios ter denos passa Decembres
Diceris, hic non fracta gelu, nec victa pavore:
Namque famem, frigus, durum quoque saxa cubile,
Dulcia fecit amor, spesque alto pectore fixa,
Hic hominum non visa oculis, stipata catervis
Angelicis, septemque die subvecta per horas,
Cœlestes audire choros, alterna canentes
Carmina corporeo de carcere digna fuisti.

Libuit omnia nostro quoque in Opere recensere, licet eorum pleraque pars minus ad rem nostram faciat: tum ut aliquo testimonio declararem me hanc Divam, clarissimum pœnitentiæ speculum, summopere venerari, mihique in Advocatam & Patronam præcipuam delegisse; tum ut adeo cultis venustissimi Poetæ carminibus tantæ fœminæ laudes, & merita fierent notiora. Verum enim vero alia pleraque huic non dissimilia Sanctorum aliorum solitudinis amantium exempla passim inveniet pius & studiosus Lector in gestis Patrum Eremitarum, ne nos hac in parte longiores simus. Neque enim aliunde tot ac tanti Eremitæ, Anachoretæ, & Monachi in vastis illis Ægypti recessibus exstiterunt, Pauli, Antonii, Macharii, Arsenii, & alii hujusce vitæ homines, qui usque ad S. Basilii tempora sine ullis certæ disciplinæ regulis vixerunt. Is enim primus duriora illa antiquorum Monachorum instituta, quæ à S. Pachomio, qui vixit sedente in Apostolica Petri Cathedra D. Sylvestro, & imperante Constantino Magno, ab Oriesio & Theodoro conscripta fuerant, uti nos monuit S. Hieronymus in *Præfatione eorundem Institutorum* à se Latio donatorum, quorum & meminit Gennadius, ubi de viris illustribus agit, ad meliorem & certiorem formam redegit: quamvis D. Benedictus post ipsum eam Monachorum regulam luculenter admodum, sancteque conscripserit, quam à S. Gregorio I. Pontifice laudatam & cultam omnes postmodum occidentales Monachi complexi sunt. Sed quorsum hæc tam alte, tam longe ducta de Monachis à nobis hic in medium afferuntur; & ex antiquitatis, ut ita dicam, latebris eruuntur? nempe ut longe facilius ad credendum Lector adducatur ea, quæ mox non tam de Cœnobii nostri Gentilibus Lupercis religiosis alioqui viris, & vetustissimis sacerdotibus subjungemus, quam quæ de Christianis ejusdem Cœnobii Monachis sub D. Benedicti regula eo in loco degentibus loco & ordine afferemus.

De Lupercis igitur ut scribamus, Faunum Regem omnium Latii vetustissimum primum Aboriginibus imperasse, homines ferarum more viventes ad mitiorem vitam traduxisse, lucos sacrasse, sua locis & urbibus nomina imposuisse, ædes ad arcendas temporum injurias ædificasse, Templa condidisse, quæ idcirco fana dicta sunt, Lupercos & Augures instituisse: Lupercos vero rem ei divinam fecisse, Lupercales ludos suo de nomine celebrasse, apud antiquitatis bene peritos constat. Panem eundem Lycæum, & Sylvanum antiquitas nominavit, eique hujusmodi Sacra ab Euandro Rege, qui ab Arcadia pulsus ac profugus in Latium venerat, ac arci demum Romanæ præfuit, celebrata primum, & ad nos delata, una voce Scriptorum perhibetur. Ac per Italiam quidem initio disseminata, deinde cum per alias regiones, quæ certatim imitari Romanos cum in ædificiis publicis exstruendis, tum in sacris peragendis, eorumque sacerdotibus instituendis conatæ sunt: ita factum est, ut antiquitus Mediolani (quod ex bona Galvanei fide supra retulimus) non tam ædificia publica fuerint, verum etiam Deorum templa & fana, eorumque sacrificuli & sacerdotes. Neque mirum sit ad nostrum PRATUM, cui contermina quondam erat Sylva illa, quam ad Ulmos consueverant appellare, ut supra docuimus, priscis illis temporibus Luperci sacerdotum omnium, teste Jo. Rosino lib. III. *Romanarum Antiquitatum* cap. II. antiquissimi morati sint, ut qui ex propria disciplina loca hujusmodi adamarent, in quibus & humana cadavera conderentur. Siquidem Lupercula sacrificia ad expiandos Manes fiebant, auctore Pomponio Læto, ubi de sacerdotiis Romanorum à Græcis Λυκαία dicta, nomine à Pane Lycæo Numine Arcadico derivato, quem Romani vocabant Junum, eundemque putabant esse cum Fauno sylvarum & agrorum Deo. Porro Lupercos hic commorantes ex Fabiorum ordine fuisse assequor conjectura, quod adhuc adjacens Prato nostro vicus nomen Fabiorum obtinet à Fabio ordinis præfecto ductum, ut infra suo loco commodius ostendetur, licet ab imperitis, corrupto vulgi errore vocabulo, Fabrorum vicus soleat appellari. Nam & Propertius Lupercorum Fabianorum eo carmine meminit:

Unde Licens Fabius sacra Lupercus habes.

Et Ovidius illis:

Risit, & indoluit Fabios potuisse, Remumque
Vincere, Quintilios non potuisse suos.

Ex quo quidem Ovidii loco meridiana luce clarius liquet, ex Lupercis fuisse quosdam, qui Fabii, alios, qui Quintilii dicerentur ex supra laudati Rosini animadversione, illud insuper observantis, Fabianos Lupercos in Romuli, Quintilianos in Remi partibus exstitisse. Idem ibi plura Rosinus, quem, qui volet, leget. Eo vero magis nostra nobis conjectura placet de Lupercorum sede Prato nostro proxima, quod in extero urbis angulo situm esset, nec procul ab eadem Urbe, ita ut facili negotio eo loci deferri possent cadavera de more committenda terræ, more, inquam, veteri, nec apud Judæos tantum, qui suos extra urbem in hortis & speluncis humare soliti; sed etiam apud Græcos, apud quos religione cautum erat, sicut etiam apud Romanos, imo apud hos gravissimis etiam pœnis lege XII. Tabularum, senatusconsulto ac edictis Adriani, Antonini, Diocletiani, & Maximiani Imperatorum vetitum, ne quis in Urbe sepulchrum haberet, vel ab ipsis Urbis incunabulis, ut multis, & omnium quidem disertissime probatum est à Joanne Kirchmanno lib. II. *de Funer. Romanorum* cap. XX. & deinceps usque ad XXV. cui profecto gratias immortales debent antiquitatis studiosi omnes pro argumento hoc adeo dilucide posteris explicato, ut ego certe debeo, habeoque jure & merito, ac ut alii mecum habeant, rogo. In agris etiam, pratis, & hortis sepulcra olim Veterum exstitisse idem auctor colligit ex Martialis *epigr.* XLIII. *lib.* X. ubi de sepulcro uxoris Phileros:

Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro:
Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager.

Suetonio *cap.* LIX. testante, Caligulæ cadaver in hortis Lamianis ambustum, Julio Capitolino Adria-

A num apud Bajas mortuum in hortis Domitiæ collocatum tradit. Quamquam Plato vetaret defunctos in agro culto, eove, qui coli posset, humari, docente idipsum nos Cicerone lib. II. *de Legibus* his verbis: *Ut mortuorum corpora ea agri pars tantummodo recipiat, quæ sine detrimento vivorum compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & ut mater, cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus.* Ex quo Ciceronis loco illud quoque colligimus in Pratis humare præcipue licuisse, quippe quæ nec colantur, nec fruges ferant, imo sine ullo herbarum inibi adolescentium detrimento cadavera recipere possunt, quod vel

B ipsa nunc experientia comprobari facile potest, qua duce videmus, licet in Cœmeteriis juxta sacratas Ædes positis, mortuorum corpora ex sepulchris extracta, terra passim conduntur. In iisdem tamen herbas virescere, immo & alicubi quoque liberius luxuriare late succrescente fœno, ut non immerito à plerisque Cœmeteria Ecclesiarum ipsarum prata dicantur. Duo tandem cum præcipui sepeliendorum mortuorum modi in usu apud Romanos fuisse ferantur, Humatio scilicet ac Combustio, eorum utrumque in nostro Prato viguisse, qui dixerit, haud aberrabit à vero. Ac combustos quidem ibi fuisse quamplures, evincunt Urnæ pene innu-

C meræ olim apud Templi nostri Cœnobium repertæ, ac præcipue tres nuper à me defossæ cum ejusmodi notis, quæ dicta de Lupercis Dei Sylvani sacerdotibus mirum in modum firmant. Quocirca in antiquariorum gratiam eas adpingendas curavi; tum ut antiquam formam suam exhibeant, tum ut ea ratione characteres, quos habent, injuriæ temporum subtrahantur.



Literæ siquidem aliæ minusculæ, quæ ex antiquorum figulorum usu peculiari sigillo imprimi consueverant ad earum opificum memoriam, propemodum evanuerunt non sine deploranda jactura, quod in iis libenter agnovissemus earundem opificis nomen. Solliciti nimirum erant artifices cujuscunque operæ, ut inquit Cicereius lib. II. *Antiquorum Monumentorum*, Mon. VIIII. de nominis perpetuitate: quin imo, ut auctor est Cicero lib. I.

F *Tusc. Quæstionum*, post mortem etiam nobilitari volebant. Quo sane consilio etiamnum videmus statuarios, pictores, & alios cujuscumque generis opifices & architectos nostros nihil habere antiquius, quam ut nomen proprium suis operibus inscribant.

Harum Urnarum occasione Lectorem monuerim mihi admodum non placere, quod aliquando placuit eruditissimo Viro, cum eas mecum apud me recogno-

cognosceret, eas scilicet non esse mortuales Urnas, sed earum ex numero, quæ in sacris Deæ Vestæ solemnibus adhibebantur, futiles à fundendo dictas, ut Festo placet; aut certe ab antiquo verbo futio, ut alii censuerunt, eo quod liquorem sibi commissum non satis fideliter custodirent ob patuli oris hiatum & fundi nimis acuti lancinatum acumen, ut ex descriptione ejusdem patet apud Donatum *ad scen.* v. *actus* III. *Andriæ Terentianæ.* Utebantur enim hoc vasis genere in sacrificiis Deæ Vestæ, quod aquam ad ejus sacra haustam ex Juturnæ fonte in terram effundere non licebat, quod si fieret, piaculum ac triste omen erat. Quamobrem ejus formæ vas ad ea sacra rite peragenda excogitatum fuit, quod stare non posset, sed statim ac humi positum esset sua sponte concidens, ac veluti se prosternens receptam aquam emitteret, ut aliam ejusdem copiam ad eadem Vestæ sacra haustam admittere ac recipere posset, ac Deæ sacrificulos omnis culpæ piaculo liberare, vel admissam in se transferre quodammodo, & derivare. Ita siquidem Luctatius *ad lib.* VIII. *Theb. Futile, inquit, vas est quoddam lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Deæ Vestæ, quia aqua ad sacra in terra non ponebatur, quod si factum esset, piaculum erat. Unde excogitatum est vas, quod stare non posset, sed si positum esset statim funderetur, unde & homo commissa non retinens futilis dicitur, & contra non futilis bonus consiliis. Licet quidam eruditi hoc vas Cadum, & Scyphum dixerunt, illudque manibus tenere oportebat, quod quidem Flaminicæ Virgines sacrorum ministræ, aut Vestalium famulæ, & nonnunquam pueri Flaminum ministri, quos Camillos appellabant, ut dictum est alibi, patrimi & matrimi omnes coronati tenebant manibus.* Utebatur autem Vestæ sacerdos ea dicendi formula, cum aquam in vas hujuscemodi infundebat, *Ego te statuo*, uti ex sacrorum illorum religione cautum erat, licet ex ipsa vasis ad lapsum facti forma sciret aquam protinus omnem, quam in se receperat, effundendam. Et quidem his & aliarum ejuscemodi rationum ponderibus Vir eruditissimus suam nitebatur sententiam confirmare.

Contra quem adnitebar ego valide, & pro Urnis nostris, quod Mortuales essent, uti pro focis & aris sedulo decertabam. Pro me primo Donatus erat, qui Vas futile latissimi oris esse disertissime testabatur, quo nihil minus Urnis nostris convenit, ut quæ collo sint gracili admodum & orificii perangusti, quales se ipsas produnt suo ipso vultu, & collo, cujus ergo voluimus earum figuram uniuscujusque oculis objici ad contemplandum. Cineres ipsi præterea, quibus Urnæ nostræ plenæ repertæ sunt carbonibus intermixtis, qui eam ob caussam maxime conservantur, sententiam nostram mirum in modum confirmabant. Eandem illud magis ac magis etiam confirmabat, repertas in iis fuisse particulas aliquot lucernarum fictilium, quarum usus ad funera pertinebat, ut vel ex iis apertissime pateret, eas Mortuales esse, non Vestæ sacrificiis, ut ille nervis contendebat omnibus, destinatas. Sed ejus opinio minus probabilis fiebat ex eo, quod nullum hic Vestæ Templum exstitisse legeram, cujus vasa illa fuisse quis posset sine erroris suspicione censere: cum altera ex parte mihi penitus exploratum esset, Jovem eo in Templo cultum, & proximam illi planitiem humandis hominum cadaveribus sub nomine Polyandri Jovis patuisse. Itaque major earum etiam numerus repertus est, quam esset sacris unius Deæ tantummodo usibus opportunus. Addebam illud insuper, me nescire, quorsum sacrificiorum suorum vasa sepelire soleret antiquitas, & eo quidem ordine, qui magis mortualibus Urnis, quam Vasis aliis conveniret, integra præsertim & plena cinerum & carbonum.

A Siquidem enim vasa Deæ Vestæ fuissent, & attrita fuissent manibus ministrorum, & vacua, cum solam aquam exciperent, & exceptam protinus effunderent in propinquum solum. Poterant hæc obfirmatum cujusvis animum è sua sententia dimovere, sed promovebam nihil. Cum ecce Urnas ipsas arripio, & incisas in iis notas ostendo, quæ propriæ funebrium Urnarum, quarum frequens apud Priscos usus. Vidit, legit, abiit, nec qua mente scio. Quamobrem quovis ego pignore contenderim, Urnas nostras mortuales esse, earum, inquam, ex genere, in quibus crematorum cineres condebantur, quarumque crebra mentio apud Scriptores omnes veteris & profani ævi. Propertius enim *lib.* II. *eleg.* XIII. sic earum meminit: B

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos.


Ita & Cicero *Tuscul.* I. carmen illud priscum adducens:

Aspicite Cives Ennii imaginis Urnam.

Et alii, quos omitto, satis ex his probatum putans cremationem apud nos quoque olim fuisse Veteribus usitatam.

Ut igitur ad alterum sepulturæ genus in nostris quoque Pratis Jovis Polyandri appellatis, usurpatum antiquitus accedamus, humatos inibi etiam C fuisse non obscure probant veterum marmorum Inscriptiones in primo Fasciculo laudatæ, quibus hic addemus alias duas recens repertas, neque meo judicio contemnendas. Una est hominis sine dubio Ethnici, uti patet ex formula loquendi vetustissima, marmore candido incisa his notis:

D



Altera ejus candoris tabulæ consignata his aliis notis:

E

B M
HIC REQVIESCIT IN
PACE CONSTANTIA
QVAE VIXIT IN SE-
CVLO NI IIIX. ANI

Fateor tamen apud antiquos Romanos & alios per Italiam sparsos atque diffusos populos morem illum cremandi cadavera maxime invaluisse, repudiatis ritibus aliis gentium aliarum, ut qui crudelem quandam barbariem sapere viderentur, eos sic complectente, atque describente Silio Italico, *lib.* XIII. quem audiamus licet:

F *—— tumuli & cinerum sententia discors.*
Tellure (ut perhibent) is mos antiquus Ibera,
Exanima obscœnus consumit corpora vultur.
Regia quum lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis adhibere canes: Ægyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exsanguem haud separat umbram,
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, & longum myrrhata reponit in ævum.
Quid qui reclusa nudos Garamantes arena

 Info-

Infodiunt? Quid, qui sævo sepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Nasamones in oris?
At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.
Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremptos
Decrevere simul communibus urere flammis.
At gente in Scythica suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit, putri liquentia tabo.

Illud hic addam etiam de sepulcris, ea semper habita fuisse religiosa apud mitiores gentes, adeo ut inexpiabile quoddam scelus esset sepulchrum aliquod violasse, lege sanxerint sacrum illum locum esse, ubi cadaver jaceret humatum, isque diceretur in patrios cineres immixisse, cui adversa omnia caderent, & præter exspectationem omnem. Apud nos quoque Christianis moribus institutos ecclesiasticis damnantur cærimoniis, qui aut lotium in sepulchris egesserint, aut quid aliud immundum adjecerint, vel admorint. Verum enim vero de sepulchris satis.

Ad Lupercos redeo, qui cum Sylvani Sacerdotes essent, solaque, & amœna loca ex proprio incolerent instituto, locaque humandis cadaveribus destinata religiosa essent, multas eos annorum centurias ibi ante Christi Servatoris adventum mansisse credendum est, ac forte iisdem ibi degentibus à Romanis rerum victoribus Templum Jovi Opt. Max. dicatum, de quo nos supra egimus accurate, adventante demum illuc Apostolo Barnaba, primo Urbis nostræ Antistite, miris eosdem signis & prodigiis ad Christiana dogmata fuisse conversos, aquisque lustralibus proximis Eustorgiani fontis ablutos superstitionem omnem Fauni ac Jovis inanium omnino Numinum exuisse, veramque vitam Monachorum more ad Christi Domini exemplum, cui non absimilem ad ea usque tempora vixerant, traduxisse. Quemadmodum enim apud Gentes ante Christum natum, D. Augustino teste *de Civitate Dei* lib. II. fuisse feruntur Flamines, Protoflamines, & Archiflamines, quorum dignitates, disseminata per Apostolos toto terrarum Orbe Christi Domini disciplina, in vera Ecclesia retentæ sunt, solis eorum nominibus commutatis, ita ut qui Flamines, Protoflamines olim appellabantur, Episcopi postmodum, Archiepiscopi, & Patriarchæ dicerentur varia iisdem auctoritate in populos divinitus impertita: ita credere par est, Lupercis illis ad meliorem frugem adductis nomen quoque aliud, non illud, quod nunc est proprium Monachorum, utpote novum tunc temporis, nec multis, uti paulo ante docuimus ex D. Augustino, notum, sed solitariorum, aut Heremitarum inditum fuisse consilio non humano. Ducunt in eam sententiam perantiquæ illius picturæ, sive historiæ monumenta, quæ prope Templi nostri fores interiores exsistunt. Videre scilicet est in illis senem quendam adspectu venerandum non Monastico, qui tunc haud fortassis vigebat, sed Heremitico habitu digito commonstrantem tribus ibi præsentibus Regibus, tria Sanctorum corpora rite suis in loculis collocata. Is enim habitus tum proprius veterum Monachorum erat, ut ex D. Athanasio habetur in *Vita S. Antonii*, cum ait, D. Antonium indutum tunica saccea & palliolo incessisse. Quamquam & vestimenta hæc in usum fuisse apud Monachos omnes Ægypti testis oculatus dicere poterit Cassianus in *de institutis Monachorum*, ubi hæc habet: *Sunt præterea quædam in ipso Ægyptiorum habitu, non tantum ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia, quo simplicitatis, & innocentiæ observantia etiam in ipsa vestitus qualitate teneatur.* Cætera, quæ longiori serie idem ibi Cassianus prosequitur de Habitu Monachorum Ægypti, consulto omittimus, ne in re apertissima Lectorem diutius detineamus. Quicunque tamen

A de eodem Habitu plura scire desiderat, adeat Baronium *Annal.* Tom. II. anno CXCVII. & Petrum à S. Andomaro lib. III. cap. II. *Illustrationum Religionis Monasticæ*, qui hoc ipsum argumentum allatis quamplurimis gravissimorum Scriptorum testimoniis pertractat, ac fuse explicat.

Cæterum Heremitas nostros Ædem illam ipsam, vel Fanum illud Fauno dedicatum initio, & ævo succedente Jovi, Beatissimæ Servatoris nostri Matri ac Virgini dedicasse, propius accedit ad verum, quod propter Tyrannorum sibi tum modis omnibus obsistentium feritatem, suamque ac Christi sectatorum inopiam à fundamentis erigere potuisse credimus difficulter: easdem ob caussas

B Capitolium Servatori Christo à Sancto Barnaba consecratum Galvaneus, Herculis vero Templum S. Laurentio Martyri & Levitæ Carolus à Basilica Petri Novariensis Episcopus docent. Quin immo aliquot annorum spatio apud Ædem hanc nostram B. Virgini dedicatam nonnullos ex iis Heremitis ad patrum usque nostrorum memoriam perdurasse notum est Historicis omnibus, & perspectum. Hæc & alia pleraque sacræ vetustatis illustria monumenta ad nos usque veluti per manus & traducem derivata adeo bona, quam quod optima à nobis fide narrata sunt, quamquam prodiga

C nescio qua facilitate credi videbuntur alia sentientibus, & hujus antiquitatis rudibus ac ignaris. At qui ista sentiunt, sciscitentur, quæso, Desiderium Longobardorum Regem, atque is ultro affirmabit suis se vidisse oculis hujuscemodi solitarios homines, hoc in agro degentes, eisque ne in posterum sub dio pernoctarent, commodius, inquam, ut possent Numen supernum colere, proque sua & filiorum suorum salute preces assidue fundere, satis amplam Ædem exstruxit, quam postea Cœnobium ex solo illorum conventu apposite nominarunt. Magnis hanc ipsam Ædem Rex ille censibus locupletavit, fructuosos fundos adjecit, redditibus auxit, ne stipem amplius Cœ-

D nobitæ illi hostiatim colligere cogerentur. Porro ne temporum diuturnitate regularis disciplinæ cultus una cum antiquis illis Monachis interiret, alios iisdem Monachalis disciplinæ peramantes viros suffecit recentes ac novos, quibus subsequens ætas nomen Benedictinorum dedit. Per id enim tempus jactis jam pridem Monasticæ disciplinæ fundamentis in Italia à D. Benedicto, Monachorum in Occidente patre ac Patriarcha, in monte Cassino majora in dies ejus Ordo incrementa capere consueverat, ita ut adduci facile quivis ad credendum possit, per varios ejus Alumnos huc

E atque illuc deductas fuisse colonias, eorumque professionem, habitum, & nomen latissime propagatum, à nostrisque Heremitis facili negotio susceptum.

Jecit itaque Cœnobii nostri fundamenta Pius Longobardorum Rex post aliud à se D. Benedicto conditum, dicatumque Cœnobium, in Leno agri Brixiani vico, filiamque Ansilbergam divino cultui Virginem consecratam in Monasterio à se quoque ad urbem Brixiam Christo Servatori, & S. Juliæ Martyri dedicato summam approbante Regis pietatem, & operam Summo Pont. Paulo anno DCCLXII. Ex Sigonio *de Regno Italiæ* lib. III. & Au-

F berto Miræo in suis *Originibus Benedictinis* cap. II. cum Mediolanum victor rediisset anno Domini DCCLXX. aut certe non multo post ex veterum Anналium fide: & primo quidem ad Carrubium Ticinensis Portæ, ubi nunc sacra D. Xisto stat ædes, ex qua mox in suburbia ad S. Vincentium est translatum, cum ipsum in locum ubi nunc viget, vigente perpetuo penes hujusce Monasterii Præsules jure eligendi Rectorem sacræ Xisti ædi præficiendum, eo plane tempore, quo teste Nicandro vetustissimo Chro-

Chronographo, Cœnobium Ciſtercienſium, quod prius ad D. Satyri viſebatur intra Romanam Portam foras in ampliorem Ambroſianæ Baſilicæ planitiem, veluti novam in Coloniam eſt deductum. Ac ipſi quidem Ambroſiani Monachi perantiquam hujuſce facti memoriam ſancte quotannis recolunt ſacro ipſi Satyri die ejus ad Templum ſacrum illic ſolemne facturi recte & ordine prodeuntes. Monaſterium quoque D. Simpliciani, quod initio cernebatur juxta S. Victorem ad Quercum, qui nunc commutato nomine S. Prothaſius ad Monachos nuncupatur, cujuſque Parœciæ moderatorem ex antiquo patronatus jure Monachi ipſi eligunt, ad D. Simpliciani templum delatum eſt, à quo nomen habet. Nec temere Monaſteriorum ſedes alio commigrarunt. Nam in interiore Urbis parte, ſuccreſcente in dies ſingulos cive, laxiori opus eidem erat ambitu ad domicilia collocanda. Quamobrem alio ſe recipientes Monachi ſuarum illi ſedium copiam, ne dum poteſtatem, ultro fecerunt, quo juxta vitæ Monaſticæ inſtitutum relicta frequentia populi in ſuburbiorum receſſibus, ſoli viverent, ſilentiumque ſibi commiſſum perfectius obſervarent.

Ex his toto cœlo conſtat aberraſſe noſtrates non ignobiles Chronographos duos, qui obſequendi fortaſſe Virginibus Veſtalibus deſiderio ducti, temere (uti par eſt credere) prodiderunt Monaſterium à Rege Deſiderio conditum fuiſſe illud, quod nunc incolunt D. Vincentii Moniales in Maynorum via non longe ab ea poſita, quam Mirabilium vocant. Cum enim Monaſterium hoc alio tranſlatum fuiſſe nuſpiam legatur, nec aliunde ſciatur diverſum illud eſſe ab eo, quod Longobardus Rex condidit, credere neceſſe eſt. Quid quod D. illius Vincentii Monaſterium Novum etiamnum dicitur, ut à noſtro, quod antiquitus à Longobardorum Rege conditum Vetus appellabatur, apertiſſime diſtingueretur hac nota. Et ſane hallucinatum hac in re fuiſſe par Scriptorum alioquin oculatorum valde miror, cum eos legiſſe conſtet Benvenutum in *Chronicis*, qui fol. 15. ſic inquit: *Monaſterium S. Vincentii Portæ Ticinenſis fundavit Deſiderius Longobardorum Rex, ſimiliter & Monaſterium S. Petri de Clivate Diœceſis Mediolanenſis anno Domini* DCCLXXX. Joannem à Monte in *Manipulo Florum*, qui ait: *Deſiderius fuit Rex vigeſimus Longobardorum & ultimus, qui regnavit annis* XXV. *& fuit miles Curiæ, & Mediolanenſis natione, qui dum pergeret ad locum electionis in via ſuper ſcutum dormiens, ſerpens caput ejus circulavit, qui excitatus dolore capitis gravatus à ſcutifero ſuo didicit, quod ſerpens ei fecit, quod pro bono augurio habuit: ideo in vexillo viperam portavit, qui tandem factus Rex per electionem, Monaſterium Monachorum S. Vincentii fundavit.* Jacobum Galvaneum *Chronicorum minorum* titulo X. ubi hæc habet: *Deſiderius anno* DCCLXI. *mortuo Aiſtulpho Rege Rachiſius Monachus frater ejus derelicto Monaſterio voluit arripere regnum, & pugnavit contra Deſiderium, qui regnum obtinuit annis* XXV. *hic natus ex Comitibus Angleriæ, & genuit Bernardum, Aldechiſium, & Ghiſlam, & anno* DCCLXX. *in civitate Mediolani ad Carrubium Portæ Ticinenſis, ubi nunc eſt Eccleſia Sancti Sixti, fundavit Monaſterium S. Vincentii.* Et *Chronicorum majorum* cap. CXCII. ubi hæc (poſt factam ſcilicet mentionem Deſiderii conditoris Monaſterii Clivatenſis) ſcribit: *Conſtruxit etiam Mediolani Monaſterium S. Vincentii in loco, ubi nunc eſt Eccleſia S. Sixti ad Carrubium Portæ Ticinenſis, Chriſti anno* DCCLXX. & alios priſcos auctores omnes ab iiſque ſua fere omnia deſumpſiſſe: ii vero omnes una voce teſtantur non alibi, quam ad Carrubium Ticinenſis Portæ Cœnobium à Deſiderio Longobardorum Rege fuiſſe conditum, & inde ad D. Vincentii in Prato planiciem

A annis labentibus deportatum, Monachis item non Monialibus brevi temporis ſpatio locupletatum. In hoc itaque Cœnobio Monachalis religio ſic diu fulſit, adeoque fulſit, ut ejus Alumni non ſolum multis Italiæ locis, verum etiam in toto fere Europæ ambitu Monaſteria quamplurima condiderint longe lateque diſſeminata virtutis & integritatis fama. Vigiliis namque, & orationibus, rerumque divinarum contemplationi mirum in modum dediti, ita res humanas deſpiciebant, ut vitam in terris Cæleſtium imitarentur. In Odeo frequentes erant, ibique pſalmodiis plano cantu modulatis utebantur aſſidue, ut ex vetuſtiſſimis eorum chromaticis codi- B cibus, qui nunc etiam noſtro in Sacrario viſuntur, non obſcure liquet. Monachos enim noſtros minime fugiebat Canonicas preces, cantica, laudes, pſalmodiam, quibus in Odeo frequentiſſime vacant Monachi, plurimum lucis ac utilitatis adferre Monaſticæ diſciplinæ, uti nos monet D. Auguſtinus ſcribens *contra Hilarium* quemdam hæreticum pſalmodiam damnantem: *Canticis enim*, teſte Iſidoro in *de ſummo bono*, *triſtes conſolantur, gratiores efficiuntur mentes, faſtidioſi oblectantur, inertes exſuſcitantur, peccatores ad lamenta invitantur. Nam quamvis dura ſint corda carnalium, ſtatim ut pſalmi dulcedo inſonuerit,* C *ad affectum pietatis animum eorum inflectit, dum Chriſtianum non vocis modulatio, ſed tantum verba divina, quæ dicuntur, debeant commovere, neſcio tamen, quo pacto modulatione canenti major naſcitur compunctio cordis. Multi enim reperiuntur, qui cantus ſuavitate commoti, ſua crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lachrymas, ex qua pſallentis inſonuerit dulcedo ſuaviſſima.* Cujus argumento eſt apertiſſimo Auguſtinus ipſe, qui multas ſe fudiſſe lachrymas ad cantus Eccleſiæ ſæpiſſime teſtatus eſt, quem, qui de hac Monachali pſalmodia plura deſiderat, adeat otioſus D. quoque Baſilium ſub Pſalterii Davidici initium ea de re plurima diſſerentem.

D Lectorem tamen cupidum ſciendi undenam originem traxerit conſuetudo canendi reſponſa in Mochorum choris haud libentes amandaverimus ad diſſidentes inter ſe auctores hac de bipartita pſalmodia diſſerentes: eos enim tres in longe diverſas inter ſe ſententias abiiſſe comperio.

In prima ſunt, qui cantum hunc Eccleſiæ primitivæ inventum autumant, qui tamen in aſſignandis tempore & inventoribus inter ſe non parum diſſident. Horum aliqui ſcilicet, ut Philo Hebræus in *de Vita Contemplativa*, & legitur apud D. Hieronymum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* in *Philone*, volunt morem alternis choris perſolvendi divinas E preces viguiſſe Romæ vivente Principe Apoſtolorum Petro: inquit enim Philo: *Conveniebant oriente ſole Eſſæi (hoc enim nomine Chriſti fideles appellabat Philo) unum in locum, quem Cœnaculum tunc nuncupabant, in duoſque dividebantur choros, quorum alter ex viris, alter ex mulieribus conſtabat, horum uterque peculiarem habebat magiſtrum ac moderatorem, qui cantus non quidem profano flexuum vocis artificio, ſed gravi & plana harmonia modulabatur.*

Advocant iidem in teſtem Plinium *lib.* II. *epiſt.* XCVII. qui à Trajano miſſus ad regendam Bithyniam, hanc conſuetudinem ibi viguiſſe apud fide- F les teſtatur. Idem affirmant Juſtinus in *Oratione ad Antoninum Pium*, Tertull. *ad uxorem* lib. II. cap. VI. & Cyprianus *de Oratione Dominica.* Alii, inter quos eſt Baſilius *epiſt.* LXIX. prodiderunt in Ægypto, & utraque Libya apud Thebanos, Palæſtinos, Arabes, Phœnices, & Syros, ævo Apoſtolos conſequente, receptam eam canendi in Odeo conſuetudinem, quam noſtri Monachi retinent. Alii plures ex fide Socratis lib. X. *Hiſtoriæ Tripartitæ* cap. IX. tradunt modum alterne pſallendi à D. Ignatio in Antiochenſem Eccleſiam primitus introductum, indeque ſenſim in totum Orientem ſeſe propagaſſe.

Cauſ-

Caussam dedit huic instituto visio quædam cœlestis, in qua Angelos Sanctam Triadem ἀντιφώνως, id est, alternis vocibus, collaudantes audivit: quam visionem innuere videtur Fortunatus his versibus:

Cœtibus Angelicis hominum sociata propago
Reddit honorificum laudis amore sonum.
Alternis vicibus divina poemata psallunt,
Atque Creatori mystica verba canunt.
Lucida Syderea cœli strepit aura tumultu,
Laudibus, & Domini concutit astra fragor.
Et Davidicis resonant alterna camœnis
Pulpita.

Alii, ut Gulielmus Durantus lib. v. *Rationalis divinorum officiorum*, scriptum reliquerunt, id factum esse à Damaso Papa, suadente Theodosio Imperatore, dataque provincia D. Hieronymo, linguarum & cæremoniarum peritissimo, officium divinum digerendi suas in partes, & eo modo, quo nunc in Ecclesia Romana legitur, contrahendi, quod ut ab universis Ecclesiis reciperetur, sancitum deinde jussum est, *l. tanta C. de vet. jur. enucl.* Verum enim vero successu temporum plures accessiones & mutationes admisit.

Secundam sententiam amplexi sunt ii, qui cantus hujus auctores agnoscunt Gentiles, quorum in numero est Alciatus noster in *Opusculo M. S.* de D. Eustorgii templo ad hunc modum scribens: *Cæterum nihil novi est, à priscis gentium sacris nostra quondam traxit similitudinem, ut in responsis, quæ inter choros concinunt nostri sacerdotes. Nam ea in Cybelis Deorum matris cultu dici solita locupletissimus testis est Ausonius:*

Dindymaque Idæo respondent cantica Luco.

Quo allusisse quibusdam videtur Ovid. II. *Fastorum*, cum ait:

Dum canimus sacras alterno pectine Nonas,
Maximus his Fastis accumulatur honos.

At meo quidem judicio non satis scite. Ex antiquis vero Plutarchus in opusculo *de Musica*, Macrobius lib. II. *in Somnium Scipionis*, ubi ait: *In Hymnis Deorum per strophem & antistrophem metra canoris versibus adhibebantur.* Et Dicæarchus libro *de musicis certaminibus*, ubi de Scolio, Pæane, & Hymnosodia. Primi cantus meminit Clemens Alexandrinus lib. II. *Pædagogi* cap. IV. dum ait: *Apud Græcos quoque veteres, in conviviis ad compotandum comparatis, & distillantibus poculis, ad Hebraicorum Psalmorum similitudinem, canticum, quod appellabatur σκολιὸν, id est, obliquum, canebatur, communiter omnibus voce simul Pæana clamantibus, & nonnunquam etiam per cantici vices propinationem circumagentibus.* Secundi Virgilius lib. VI. *Æneid.*

——— ——— lætumque choro Pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus ———, ———.

Et *lib.* x.

Conclamant socii lætum Pæana secuti.

De tertio Plut. in supra *laudato loco*, & ejus interpres in *Præfatione* eam camœnam Gymnopodiam vocans.

In tertia sententia, quæ magis nobis arridet, video fuisse Philonem eundem Hebræum lib. III. *de Moyse*, asserens usum hunc Moysi in acceptum ferri debere, tum cum Hebræi se duce Mare Rubrum siccis pedibus transmiserunt, Pharaoque eos insecutus una cum ingenti Ægyptiorum exercitu in eo demersus est. Tantæ enim victoriæ triumphum celebrantes carmen hoc cecinere, *Cantemus Domino gloriose*, &c. duos in choros partiti, quemadmodum & mulieres, Maria sorore Moysis præeunte, fecisse Sacrarum Literarum monumentis est proditum. Hinc mos apud Hebræos invaluit, ut non modo viri, sed etiam fœminæ palam in choros divisæ canerent divinas laudes, ut Genebrardus recte colligit ex *Psalmo* Davidico LXVII. & liquido constat legentibus cap. II. lib. I. *Esdræ*, & cap. XXV. lib. I. *Paralipomenon*, ubi ex XXIV. familiis cantores Templi designantur. Jam explicata Monasticæ psalmodiæ origine, qua Deus in Ecclesia publice colitur, ad privatum corporis cultum nostrorum Monachorum transeamus.

Illud quoque nostros Monachos non latebat non modo usum vestium pretiosarum, sed abusum etiam comarum nimis comptarum dedecere eos, qui in Cœnobiis vivunt, monente eos apertissime Paulino in *epistola* VII. *ad Severum: Nos adeant & revisant conservuli & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus ciliciis humiles: nec chlamyde curta lini, sed sagulis palliati: nec baltheo, sed veste succincti: nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem casi, & inæqualiter semi-tonsi, & destituta fronte prærasi, & ornatu pudicitiæ inornati.* Erant itaque Monachi nostri juxta D. Paulini mentem in victu parci, pullis in vestibus verecundi, in crine comati, in barba rasi, in omnibus omnino corporis & animi sui partibus ad religiosæ vitæ pulchritudinem & speciem conformati. Quamobrem vel ad novos alios Monachos instituendos, vel ad veteres in jam susceptæ disciplinæ officio continendos, aut si forte ab eo defecissent improvide, reducendos in viam, sæpissime vocabantur. Monasterium sane omnium celeberrimum inter ea, quæ Urbi nostræ gratiam conciliant non vulgarem, sive divitias, sive operis magnificentiam spectes, ut alia pleraque prætereamus, Monasterium, inquam, Cisterciensium sancti Ambrosii Mediolani, integritatem illam Monasticæ disciplinæ, qua nunc etiam sibi placet, maxime Monachis nostris in acceptum refert. Hoc enim Monasterium, quod jure præstans Urbis nostræ decus & ornamentum esse fatemur à nostris Monachis auctore Angilberto Archiepiscopo, qui & Gaudentium, spectatæ in Cœnobio D. Vincentii nostri præfectura moderationis & probitatis virum, Abbatem illi dedit, instructum, & ad optimam Monachalis disciplinæ rationem institutum fuisse ad hanc usque diem apertissime constat ex publicis documentis.

Quorum illud est præcipuum, quod adscribam, nihil ut præterea ad ejus illustrationem desiderari possit: *In nomine Domini, Angilbertus beatæ Mediolanensis Ecclesiæ humilis Archiepiscopus. Cumque Domino juvante gererem solicitudinem de meæ Parœciæ monasteriis, & ea ad tramitem sanctæ conversationis corrigendo, atque construendo prout valui perduxissem, verti me ad monasterium beatissimi Ambrosii Christi confessoris, ubi ejus humanum corpus quiescit, quatenus necessitate cogente ibidem Abbatem ordinare debuissem. Cumque per hoc diutius quem Abbatem illius constituere debuissem, quia ibi non reperiebatur talis, eo quod ob negligentiam ordo regularis valde maneat corruptus, per hoc diutius cœpissem cogitare cum meis sacerdotibus divinam clementiam postulando. Tunc Domino favente, consulentibus etiam sacerdotibus nostris, abstuli Gaudentium Abbatem monasterii sancti Vincentii. Quem etiam ego ibi Abbatem jam dudum ordinaveram, & in præfato monasterio sancti Ambrosii Abbatem constitui. Nunc autem ut ipsi Monachi valeant Deo deservire, & ei jugiter laudem & gratias referre exclusa indigentia, tam ob stabilitatem Regum nostrorum invictissimorum Imperatorum Lodovici, quam ob pacem immaculatæ matris Ecclesiæ, per hoc præceptum confirmo Ecclesiam, & altare quod ini bi novit mirifice ædificavi ab nimio amore confessoris Christi Ambrosii in tutela, & omni custodia supra taxati Gaudentii Abbatis, & in ejus ditione perenniter suisque successoribus permaneat sine fine. Et ita omnes possessiones, atque res ipsius monasterii diversis in locis constitutas, quorum vocabula hæc sunt, Oleoductus, Campellione, Ceresiolla, Grate, Lucusinterani, Casteniade, & Catenacla, seu omnes res, quas nunc possidere videntur, vel ab hinc Domino largiente eidem venerabili Ecclesiæ Deum timentium liberalitate quoquove modo fuerint aditæ, excepta Curte Dubini, quam nos juxta conventionem commutare volumus. Placuit nobis ob Dei & beati Ambrosii amorem pro consensu sacerdotum nostrorum constituere per hanc nostram institutionem; ut neque nos, neque aliquis successorum nostrorum jam prædicto Abbati Gaudentio, aut successoribus ejus, de supradictis rebus ullam*

contra rationem ingerat molestiam, vel in rebus diminutionem. Eo videlicet modo, ut sub nostra nostrorumque succedentium consistentes ordinatione atque dispositione patrum, nobisque etiam prout decet parendo, liceat eisdem perfrui, & quietam sub sancta degentes regula ducere vitam; statuentes etiam per hoc nostræ auctoritatis minime ut cujuscunque ordinis homo tactus supremo amore ibi suis cum rebus voluit sacræ normæ sua submittere colla, ex nostra amplissima largitate sine ullo obstaculo habeat facultatem. Verum etiam, & hoc concedimus, ut quocunque tempore Abbas ipsius Monasterii de hoc seculo migraverit, ut de ipsis sibimet eligant pastorem, si talis inibi persona reperta fuerit, qui juxta regulam eosdem, & vitæ statum regulariter quieverit regere ex nostra tranquillissima concessione habeant facultatem. Et ut hoc præceptum meæ concessionis inconvulsum, & inviolatum perpetuo permaneat, Abroxium notarium Sanctæ nostræ Mediolanensis Ecclesiæ scribere jussimus, & propria manu subscribere confirmavimus annorum dominorum nostrorum confirmantium hoc Ludovici, & Lotharii Imperatorum 18. & 16. Calend. Mart. Indictione 13. Angilbertus indignus Archiepiscopus in hoc præcepto subscripsi, Adoaldus Penio, Ermenfredus Dominus dedit, Ermenaldus, & alii quamplures Sacerdotes, & Diaconi not. subscripserunt.

Ea vero tempestate Mediolanenses Archiepiscopi tum ob potestatem acceptam à Principibus, quos in Reges Italiæ ferreo diademate coronabant, tum ob suas in Urbe opes, imperium, & dignitatem suo quoque jure quodammodo Abbates transferre, ac eorundem Ecclesiis quoscunque viros alios sacri ordinis & instituti præficere potuisse, colligere facile est, non modo ex allato publico documento Angilberti, verum etiam ex fide Tristani Calchi lib. V. *Historiæ Patriæ*, consignata his verbis: *Sub idem tempus* (quod ut ad oram libri adscriptum est incidit in annum DCCCVI.) *Mediolani Oldepertus, qui in Archiepiscopatu Petro successerat*, (qua tamen in re ab aliorum Scriptorum sententia longe abit Calchus, eorum, inquam, qui Oldipertum, sive Oldobertum, sive Oldibertum, ut alii malunt, eum præcessisse prodiderunt) *donat Arigauso Abbati ædem Divi Vincentii in Prato, ut jam tunc vulgo nuncupabatur*. Illud etiam hinc colligimus non obscure Templi nostri cognomen antiquissimum esse, & ibi Monachorum Cœnobium perspicue floruisse.

Sed enim ante Calchum id ipsum scriptum alii quamplurimi reliquerunt, quorum è numero Arnulphus in *sua M. S. Historia de gestis Urbis Mediolan.* cap. III. in hæc verba scribit: *Cum Archiepiscopus* (Guido scilicet, cujus elationis annum in Archiepiscopalem sedem idem auctor asserit incidisse in MXLVI. à Christo nato, cum alii in MXXXVI. incidisse contendant, alii in MXLIV. qui Archiepiscopum etiam ipsum voce ad Latium propius accedente non Guidonem, sed Vidonem vocant) *defuncto Abbate S. Celsi, alterum more prædecessorum provideret ordinandum, penitus interdixit, spreto illo, alterum jam consecratum omnino contemnit, armans contra illum Monachorum cum famulis, conspirationem. Alterum vero à Cœnobio Sancti Vincentii eodem modo repulit, Simoniacæ ordinationis arguens illos.*

Accedit huic Landulphus à Sancto Paulo in *Historia* pariter *M. S. Urbis ejusdem* fol. 10. ubi ait: *Grossolanus* (quem alii longe melius & elegantius *Chrysolaum* vocant) *statim, ut vidit se à quadam magna multitudine vulgi, & nobilium conclamatum, & ab Abbate illo plaudatum, Archiepiscopalem sedem ascendit, & sedit, & sedens illum Arialdum Abbatem (scilicet monasterii D. Dionysii) de Abbatia in Abbatiam majorem (Clarevallensem nimirum ditiorem) transtulit.*

Andreas quoque Monachus Vallis Umbrosæ in *M. S. passione B. Arialdi* (licet de eo Beato nulla in Martyrologio, quod hactenus viderim, mentio fiat) pagina 18. sic scripsit: *Eo tempore Archiepiscopus* (Vido scilicet supra laudatus) *defuncto Abbate S. Celsi alium ordinavit, quem Herembaldus expulit. Alium à Cœnobio S. Vincentii eodem modo repulit, illorum Simoniam damnans.*

Alii demum complures adhuc inediti ejusdem notæ, quorum cupiditate flagrantes, ne nos plus æquo prolixiores simus, aut aliorum scrinia compilare velle videamur, adeant Museum clar. & eruditissimi Viri Jo. Jacobi ab Ecclesia Mediolanensibus à secretis, studiosissimi simul ac peritiss. antiquitatum Mediolanensium. Ut enim verus is Musarum pullus & legitimus Gratiarum fœtus est, ita nihil fere usquam est eruditorum monumentorum, quod non avidissime conquirat, & ut olim Darius Persarum Rex Homeri carmina, suis una cum thesauris non recondat in penitiori elegantissimæ Bibliothecæ sinu. Atqui æmulus principis illius luminum reliquorum non ita recondit, ut premat, sed ut ille æque omnibus lucet, sic ejus in omnes humanitas ubertim effunditur; nec ullis opes eas invidet, sed cunctis lubens, libens impertit bono rei tum publicæ, tum literariæ totus quotus est factus; nec aliud sibi tempus perire dolens cum Augusto, quam quod sine beneficio in alios collato, sibi fluxisse senserit. Cogit hic me veritatis studium exclamare,

O Virum monumentis omnibus, ac literis decorandum?

Quam multa, quæ adhuc Cimmeriis in tenebris delitescunt, haurirent eam, quam diu merentur & exspectant, lucem, nobisque facem ostendendo prælucerent ad eruendam multarum, magnarumque rerum latentem & abditam in profundo veritatem, si plures hujuscemodi de antiquorum MS. monumentis optime meritos haberemus.

Adeant igitur hujus Museum hilares quotquot voluerint: ejus enim in Bibliotheca (quod ad rem nostram attinet) unius industria, unum in locum contractum adspiciet quidquid MSS. Codd. vel Episcopus Novariensis à Basilica Petri conspexit, vel Ambrosiana Bibliotheca MSS. omnis generis refertissima late patenti suo gremio complexa fovet, in Urbis nostræ meditullio Literatorum omnium commodo collocata. Servent hunc interim multorum instar æterna Numina, quæ in Antiquitatis & literarum gratiam veneramur, & longissima ac felicissima statione mortali fungi concedant:

——— *nec tarda senectus*
Debilitet vires animi, mutetque vigorem.

Erant enim nostri Monachi, tum vitæ sanctimonia conspicui, tum scientiis, ac omni disciplinarum genere illustres. Hi vero, ut eorum mores & vitam paulo uberius persequamur, ex peculiari Monasterii instituto viginti quatuor juvenes alebant, & disciplinis omnibus imbuebant, erudiebantque, quorum ex numero in demortuorum Monachorum locum, alii atque alii subinde subrogabantur, ac præsertim ii, qui instituti illius & regulæ studiosiores esse, eamque adamare affectu quodam præcipuo viderentur. Qui quidem mos cooptandi alumnos in proprium Monachorum Collegium fortean ductus fuerit ab illo antiquissimo Lupercorum, qui non in Comitiis à Magistratibus, vel à populo, sed à collegis cooptabantur in sacerdotes, ut erudite docet Nicolaus Gruchius lib. I. *de Comitiis Romanorum*, judicio prudentis Lectoris relinquitur æstimandum, maxime vero ejus qui meminerit eorum, quæ paulo ante diximus de sacra metamorphosi Lupercorum in Christianos Monachos D. Barnabæ sacra prædicatione conversos. Quod vero in hoc nostro Cœnobio juvenes illi omni literarum genere imbuerentur, vero similius etiam redditur ex eo, quod vetera Monachorum Cœnobia eruditis-

sima Collegia fuisse nos monet Claudius Espencæus lib. III. *Digressionum in Epistolam D. Pauli ad Timotheum*, in quibus Abbates doctissimi divinas æque Literas ac humanas non tam Monachos quam alios juvenes Monasterio oblatos docuerint magno cum utilitatis fructu. Possum & oculatum testem advocare D. Gregorium, qui lib. XI. *Dialogorum* apertissime scripsit, Romanos tradidisse S. Benedicto suos filios educandos. Ob id etiam recentioribus in Canonibus sancitum fuisse legimus, ut in Cœnobiis omnibus magister aliquis esset, & doctor, qui juniores erudiret: ac ut ingenio majore præditi gravioribus disciplinis Monasterii ipsius sumptibus accuratius imbuerentur. Viguit hic idem mos apud Monachos etiam recentiores. Nam in Germania potissimum Monachos eleemosynis & prandiis adjuvare solitos juvenes liberalibus disciplinis operam dantes Jacobus nos Meddendorpius *Historiæ suæ Monasticæ* cap. VI. clarissime docet. Hinc factum, ut juvenes, qui majores in studiis progressus fecerant, quique excellentioris ingenii noscerentur esse, in Monachorum ipsorum numerum reciperentur. Cæteri porro cum in humanioribus litteris, tum in scientiis aliis, quæ vel in sola cognitione veri, vel in actione consistunt, artibusque cæteris equitandi, digladiandi, ducendi choreas, & alia hujusce modi peragendi, quæ virum ingenuum decerent, in partem honorum & munium publicorum assumebantur. Ea vero cum & institutio non alterius, quam Monasterii ipsius impensis fiebat, nulloque sibi proposito præmio, mercede nulla. Immo quidquid Monachorum è mensa supererat à prandio, vel à cœna, ad vicinum Xenodochium subito mittebatur in victum pauperum & egenorum, satisque hoc illis erat ad vitam commode traducendam, ut fusius infra demonstrabimus, cum de Xenodochio ipso loco suo & ordine disseremus.

Monet me educationis Nobilium horum Adolescentum facta mentio, ne tacitus prætermittam commentitiis, inanibusque rationibus ductos non infimæ notæ Viros, hallucinatos esse gravissime, cum putarunt Activam vitam nequaquam prius usu & exercitatione parandam, quam Contemplativæ dulcedine perfruamur. Hi siquidem omnem recte institutionis ordinem pervertunt, quem non ignoramus à Majoribus nostris perfectionis attingendæ caussa fuisse perpetuo, sancte, & integre custoditum. Non ea Monachorum nostrorum mens fuit, qui tanto studio Alumnos suos sibi multo ante moralibus in Virtutibus exercendos, iisque disciplinis & artibus, quæ Virum ingenuum ac liberalem decent, excolendos esse senserunt, quam ad Monasticam vitam, divinarumque rerum contemplationem admitterentur, ut ad sanctissimorum hominum laudem & gloriam pervenirent. Hanc enim rectissimam viam recte instituendæ Juventutis ad æternæ felicitatis fructus uberrimos consequendos ab ipsismet Monasticæ disciplinæ parentibus didicerant, arripuerant, hauserant, ac in primis à vere Magno re æque, ac nomine Cœnobiarcha Gregorio laudato nuper, & ex Monachorum septis fidelium omnium ductore ac Doctore, summoque totius Ecclesiæ Catholicæ Pontifice renunciato divinitus, ne tantus virtutum splendor, quo cæteros evincebat, inter abdita Cœnobiorum claustra detineretur inclusus. Is enim non uno in loco suis in scriptis solo auro compensandis testatus est, Vitam eam, quæ in actione consistit, priorem esse tempore illa, quæ in rerum divinarum contemplatione versatur, quod ex bono opere tendatur ad Contemplationis gradum, planeque oportere eum, qui ad Deum convertitur, in labore prius, hoc est, vitæ Activæ contentione, desudare cum Lea, quo tandem ad videndum principium in Rachel amplexibus requiescat: & quidem *Homelia* III. *ad Ezechielem* in hæc verba

A scribens: *Duæ autem sunt Sanctorum prædicatorum vi-*
tæ, Activa scilicet, & Contemplativa: sed Activa prior est
tempore, quam Contemplativa; quia ex bono opere tendi-
tur ad contemplationem. In *Homelia* vero XIII. *ad eun-*
dem Prophetam in hæc alia verba: *Quia videlicet*
omnis, qui ad Deum convertitur, Contemplativam vi-
tam desiderat, quietem æternæ patriæ appetit: sed prius
necesse est, ut in nocte vitæ præsentis operetur bona, quæ
potest, desudet in labore, id est, Leam accipiat, ut post
ad videndum principium in Rachel amplexibus requie-
scat. In VI. autem *Moralium* libro cap. XVII. ita con-
cludit: *Prius ergo mens apperitur gloriæ temporalis, at-*
que ab omni carnalis concupiscentiæ delectatione tergenda
B *est, & tunc ad aciem contemplationis est erigenda.* Hæc
Gregorius, cui succinit & adstipulatur egregie Isi-
dorus in *de Summo Bono*, lib. III. cum inquit: *In Activa*
vita prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda
sunt vitia, ut cum Contemplativa jam pura mentis acie ad
contemplandum divinum lumen quisque pertranseat. Cum
his conspirasse diceres D. Bernardum *Sermone* XLI. *in*
Cantic. Vide quomodo illa (scilicet sponsa) aliud cupit,
& aliud accipit, & nitenti ad contemplationis quietem,
labor prædicationis imponitur; & sitienti sponsi præsentiam
filiorum sponsi pariendorum, alendorumque solicitudo in-
jungitur. Et in *Apologia ad Gulielmum Abbatem Clunia-*
censem: Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda
C *sint, aut qui se in illis non exercuerit, mox ideo spiritualis*
efficiatur, cum potius spiritualia (quamquam meliora) nisi
per ista, aut vix, aut nullatenus vel acquirantur, vel obti-
neantur, sicut scriptum est, 1 Cor. XV. Non prius quod spiri-
tuale, sed animale, deinde spirituale. Sicut nec Jacob, nisi prius
cognita Lea, desideratos Rachelis amplexus meruit obti-
nere. Unde rursus in Psalmo LXXX. *Sumite psalmum &*
date tympanum. Quod est dicere, sumite spiritualia, sed
prius date corporalia. Quæ *Psalmi* verba ad rem nostram
mirum in modum facere facilius is cognoscet, qui
attentius ad omnes tympani & psalmi qualitates ex-
pendendas animum suum contulerit. Illud enim vi-
tæ Activæ conditiones omnes ad vivum exprimit, &
D proprietates omnes ob oculos ponit: iste vero vitam
Contemplativam aptissime & apertissime repræsen-
tat. Tympano scilicet utimur ad ordinandas cohortes
in re bellica: Vita Activa ad moderandos homines in
Rep. Tympano milites acrius excitantur ad hostium
impetus reprimendos: Vita Activa propriæ passio-
nes omnes & rebellantes contra rationem carnis mo-
tus facillime compescuntur. Tympanum nisi bacu-
lo percutiatur sonum nullum edit: Vita Activa
proximos non instruit, nisi baculo abnegationis
(mortificationis alii dicunt) reluctantes rationis im-
perio sensus & carnem feriat. Tympani pars supe-
rior percussa in caussa est, ut inferior etiam reso-
E net, ac moveatur: Prælatus quilibet, aut Princeps
sua in semetipso vitia plectens, inferiores suos ad
eadem profliganda impellit. Tympani usus belli
quam pacis tempore major est: Vita Activa præsen-
ti sæculo, in quo scilicet, *Vita hominis militia est*,
ut inquit Job, adminiculatur magis, quam futuro,
in quo pace homo perpetua perfruetur. Tympani
sonitus perennis non est, ac permanens, sed trans-
it: pari ratione perpetuo duratura non est Activa
Vita, sed in cælesti patria desitura. Tandem ut rem
omnem verbo absolvam, quidquid præstat Tym-
panum, ut instrumentum sonorum, idipsum effi-
cit Vita Activa in morali hominum disciplina.
F Quamobrem in Sacris Literis habetur scriptum: *In-*
cipite Domino in Tympanis, quia ab operibus vitæ A-
ctivæ Deo servire cupientibus capienda sunt exor-
dia. Et Maria illa Prophetissa soror Aaron, ut
legitur *Exodi* XV. *Sumpsit Tympanum in manu sua*,
in qua nimirum pleræque vitæ Activæ operationes
perficiuntur. Et in *Psalmo* CXLIX. dicitur, *Laudate*
Deum in Tympano & Psalterio, ut sciremus prius in
Tympano vitæ Activæ esse Deum laudandum,
quam in Psalterio Contemplativæ vitæ fruamur dul-
cedi-

cedine. Psalmo autem (ut hoc etiam comprobemus rationum suarum ponderibus & momentis) quis non videt convenire proprietates omnes Contemplativæ vitæ adscriptas à Sacris tum Literis, tum Magistris. Hæc enim illa vita est, quæ sita dicitur in actionibus mentis & spiritus, quod insidens in animo sedato & æquo, circa Deum versetur, & perficiatur in futura vita. Quæ quidem omnia in Psalmum egregie cadunt. De hac enim legitur prima *ad Corinth.* XIV. *Psallam spiritu, psallam & mente.* Jacobi V. *Æquo animo est, psallat.* *Ad Ephesios* similiter V. *Psallentes in cordibus vestris Domino.* Et *Habacuc* III. *Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos, quasi cervorum, & super excelsa deducet me victor in Psalmis canentem.* Sed hæc, quæ pluribus subobscure prophetico more protulit Habacuc, clare D. Gregorius sobrii interpretis modo, in *Commentariis ad Ezechielem* scripta reliquit in hæc verba: *Contemplativa hic incipit, ut in cælesti patria perficiatur.*

Ab hac Psalmi expositione, à nobis fusius jam explicata, non longe abiisse videtur Raynerius Suoygondanus in *Psalmorum Paraphrasi* ad eum Psalmum ubi inquit, *Sumite Psalmum*, devotam scilicet orationem, *& date*, id est, offerte ultro, *Tympanum* Deo, scilicet carnis mortificationem, *Psalterium jucundum* in verbo Dei, *cum cithara* bonarum operationum.

Hæc pauca auctoritati D. Bernardi subnectere placuit, non ut ei fidem, qua non eget, adstruerem, aut pondus nostro labore adderem, sed ut ejus gravitas & momentum magis ac magis à Candidato Scripturæ Lectore perpenderetur.

Ac clarius (ut ad alios Patres transeamus) cum aliis jam supra laudatis conspirasse pariter diceres Venerabilem illum Presbyterum Bedam *in caput* X. *Lucæ* sic scribentem: *Maria secus pedes Domini sedisse describitur, quia vita Activa laboriose desudat in certamine, Contemplativa vero pacatis prius vitiorum tumultibus, optata jam in Christo mentis quiete perfruitur.* Sed eisdem & nobis mirifice applaudit rursus D. Bernardus, dum inquit: *Sed quid est, quod intrantem eum (scilicet Jesum) Martha excipit, discurrit, ministrat: Maria vero secus pedes sedens ingressi, in ejus verbum cor suum suspendit, nisi quod prius Activa, postea vero Contemplatio subsequitur?* Eadem fere verba ego à D. Bernardo sum aliquando mutuatus idem prorsus asseverando, Activam nimirum vitam prius exercitatione parandam, quam Contemplativæ dulcedine frui liceat: de eis tamen injecta dubitatio auditoribus an vera. Sed enim in nostram omnino sententiam eunt plerique veterum & meliorum Patrum, quos nimis longum esset omnes ac singulos percensere. Quos deinde secuti sacræ Theologiæ mystæ omnes suis id ipsum suffragiis & calculis comprobarunt. Inter quos reliquorum veluti princeps & coryphæus Doctor Aquinas duas ea de re Quæstiones instituit in plures Articulos distributas, quorum in postremo sic inscripto, *Utrum vita Activa sit prior, quam Contemplativa*, adductis suo de more tribus in contrarium argumentis, decernit tandem ac statuit, Activam vitam Generationis via, & quoad nos priorem esse Contemplativa, eadem illa D. Gregorii ratione ductus, quod ad Contemplativam vitam Activa disponat; dispositio vero Generationis via præcedit formam. Quæ ut illustrius appareant in aperta luce, Cajetani, doctrinæ ejusdem approbatoris & interpretis summi, verba adducere non gravabor. Mirum enim in modum mihi ad hanc controversiam sedandam facere semper visa sunt. Sic igitur ille *ad Art.* I. *Quæst.* CLXXXII. secunda secundæ: *Notent tamen, qui alios in via Dei instruunt ad profectum spiritualem, & diligenter efficiant, ut prius in vita Activa exerceri faciant, quos edocent. Oportet siquidem prius passiones domare habitibus mansuetudinis, patientiæ, &c. & sedare, quam ad Contemplativam vitam ascendere.*

A *Et ob defectum hujus multi non ambulantes, sed saltantes in via Dei, postquam multum temporis vitæ suæ Contemplationi dederunt, vacui virtutibus inveniuntur impatientes, iracundi, superbi, si in hujusmodi tangantur. Et propterea tales nec Activam, nec Contemplativam, nec ex utraque compositam habuerunt, sed super arenam fabricaverunt. Et utinam non sit frequens defectus iste.* De hujuscemodi instituentibus tyrones spirituali disciplina cum Beato Laurentio Justiniano in *de disciplina & perfectione Monastica* cap. XII. jure merito dicere possumus: *O quot, qui jam inter astra nidos suos collocasse credebantur, occasione hujus præposteræ institutionis in lutum carnalis concupiscentiæ turpiter corruerunt.* Qui B. Justinianus in *de oratione* cap. V. jam recitatam & receptam unanimem

B sanctorum Patrum sententiam non tam suscipiens, quam suspiciens, hoc docentibus & discentibus æque utile documentum statuit: *Quicumque ad Arcem orationis & contemplationis pulchritudinem attingere desiderant, prius semetipsos in campo per exercitium operis probent, quam ad quietem transeant; quatenus sciant, an illata convitia à proximis æquanimiter portant; an oblatis temporalibus bonis, mens lætitia solvitur; an sublatis, vehementi dolore sauciantur; an cum ad se introrsus redeunt, in eo, quod spiritualia rimantur, secum umbras transeuntium rerum ferunt, vel fortasse tractas à mente manu discretionis abigunt.* Quisque igitur antequam

C vitæ Contemplativæ idoneus sit, in Activæ operibus exerceri debet. In eadem fere verba, eandem certe sententiam loquuntur cæteri omnes, qui sine fuco & fallaciis veram ipsi Christiane vivendi rationem tenuerunt, tenendæque cæteris rationem recto ad æternam salutem tramite perscripserunt. Ii scilicet omnes, qui vitæ salutaris præceptis fideles instituunt editis Opusculis Meditationum (ut vocant) & exercitationum sacrarum, aliarumque hujusmodi divinarum rerum.

Quod si quis per otium, quo afflueret, Sacrarum quoque Literarum testimonia nosse cuperet nostræ

D sententiæ pondus adjicientia, non ea indicare gravabor. Exstant enim prompta & parata omnibus, & quidem unum velut in corpus redacta apud Neotericos Scriptores quamplurimos; sed horum aliquos dumtaxat in iis colligendis diligentiores indicasse suffecerit. Agmen mihi ducat Joannes à Carthagena lib XIV. *in Euangelia* ab Homelia 19. ad 25. Tom. 3. sequantur Philippus Diez in *Summa*, verbo *Contemplatio*, & in *conc.* II. *Dominicæ* V. post Pentecosten, & *conc.* II. *Dominicæ* XVII. post Pentecosten, Jo. Vitalis in *Speculo morali* fol. mihi 44. Paulus Palatius *in Matthæum* fol. 72. Peraldus *Sum. Virt.* Parte I. Petrus Brecorius in *Reduc. morali* cap. XX. Jo. Maldonatus

E *in cap.* X. *Lucæ* Tom. 2. Cæsar Franciotus in prima Parte *feria 6. post quartam Dominicam Quadragesimæ*, Didacus Stella *in cap.* I. *Lucæ*, Jacobus Alvarez *de vita spirituali* lib. XI. Partis secundæ cap. XVI. Tom. I. & Didacus Lopez in *sua Mensa spiritualium ciborum*, verbo *Vita Activa, & contemplativa*, num. 5. 6. 11. & 12.

Quod autem ad nobilium adolescentium educationem attinet, (ut ad rem nostram, facta forte justo longiore de Vita Activa digressione, revertamur) ejus monumenta non obscura ad nostra usque tempora permanserunt. Nam, qui in commemorato Sacelli maximi vertice delineati pueri gentilitiis quoque suis insignibus marmoreis innixi cernuntur,

F ex eis fuisse dicuntur, qui in hujusce Monasterii septis educabantur tum, cum Sacellum ipsum picturis illis ac insignibus reliquis, de quibus alio loco meminimus, est ornatum. Horum adeo piorum institutorum intuitu, quorum fama non urbes vicinas modo, verum etiam totum pene terrarum Orbem pervasit, quandiu eo in Cœnobio Monastica disciplina floruit, omnes tum Summi Pontifices, ac Imperatores, tum Reges & Archiepiscopi Mediolanenses, non tam opulenta vectigalia

Cœnobio quotannis persolvi solita sarta tecta mordicus conservarunt, verum etiam peculiari nescio quo studio cumulatissime locupletarunt, adeo ut Gregorio IV. Summo sacrorum Principe, & Ludovico Pio Imperatore, Angilberti Pusterlæ Archiepiscopi opera prædia ac proventus omnes Cœnobii Sancti Petri in pago Mandelli monasterio nostro accesserint anno à Virgineo partu DCCCXXXIII. teste fidelissimo & antiquissimo veritatis hujus Galvaneo Flamma titulo XI. *Chronicæ minoris* nondum in lucem datæ, quo quidem tempore teste Galesino multæ Mediolani sacræ sunt ædes Angilberti supra laudati, non tam cohortatione, quam consilio, & ope sedula in honorem cœlestium Numinum ædificatæ, ac præcipue tres Beatissimæ Matri ac Virgini consecratæ. Una scilicet à Falcoreno Comite, quam suo de nomine S. Mariam Falcorenam nuncupare voluit, quaque in æde B. Pater Franciscus Assisii in Umbria natus initio cum aliquot ex suæ familiæ sociis aliquandiu commoratus est, donec eo confluentibus aliis in dies magis ac magis eam vivendi rationem amplexandi studio divinitus inflammatis, inde abscessit, ac Basilicam SS. Naboris & Felicis Martyrum in loco laxiori sitam adiit, commutatis cum Præposito & Canonicis ejus Basilicæ Laribus, & Templo. Enimvero nunc etiam utrobique Canonici & Cœnobitæ Franciscani vigent. Illi quidem suis sub titulis beneficiorum Canonicalium, suis quoque fundis ac vectigalibus gaudentes, concesso patrum nostrorum memoria Falcoreniani Templi usu quibusdam Disciplinatis sodalibus S. Rochi: quos tamen audio eum usum nunc cedere eisdem Canonicis divinas preces inibi juxta primævum eorum institutum in Choro deinceps recitaturis, addicto eum in finem novo Canonicorum & distributionum censu: hi vero ad Basilicam SS. Martyrum amplificato in Cœnobio nuper majorique Templo honorificentius excitato. Sed ut ad alia Templa Angilberti consilio condita veniamus: Alterum ædificavit Comes Pedo, quod etiam nunc vulgus ex conditoris nomine S. Mariam Pedonem appellat. Tertium exstruxit istorum piorum Comitum ancilla nomine Secreta; quamobrem & S. Maria Secreta dicitur, piæ mulieris cognomine non mutato.

Nec mirum Angilbertum Ambrosiani Cœnobii curam gessisse præcipuam, ut ei Vincentianum Abbatem præficeret, cum erga Sanctum Ambrosium præcipuo semper cultus & observantiæ studio flagraverit, eumque sibi in præcipuum Patronum & Præsidem in Archiepiscopali provincia elegisset. Is enim ille Angilbertus fuit, qui ex ore D. Ambrosii, dentem, cum ejus corpus inviseret, sibi extraxit, extractumque devotionis ergo in aureo annulo alligavit, ac cum de more ad Basilicam D. Laurentii Majoris die Dominico Palmarum procederet pontificalibus infulis ornatus, in via se amisisse cognovit, cum forte extractis pontificiis chirothecis gemmam loco suo motam animadvertit. Qua re commotus graviter, omnia viæ, per quas processerat, loca spatiaque diligentissime perlustrari jussit, quo dentem amissum reperire posset. Sed frustra; nusquam enim, omni licet adhibito studio, potuit inveniri, donec probatæ sanctitatis anus Archiepiscopi sollicitudine cognita, eum statim convenit, jussitque bono esse animo, quod dens eo in loco exsisteret, unde dimotus fuerat. Quod ita re ipsa esse plane comperit; siquidem D. Ambrosii sepulcro subito reserato dentem in pristina sua maxilla repositum adinvenit. Ibi rei novitate, quæ sibi mira videbatur omnino, & supra rerum humanarum ordinem, & naturæ vires, percul-

A sus Archiepiscopus Angilbertus divino sibi factum id esse consilio persuasit, ne S. Patroni corpus imminueretur, aut sui parte ulla quantumvis minima privaretur. Idcirco ne illius sepulchrum ullo in posterum tempore patere cuipiam posset, eidem aureum Altare pretiosis utrinque gemmis, lapillulisque distinctum, figuris etiam variis exornatum imposuit: Arcam vero sacri corporis quatuor catenis appensam in altum puteum, eam ipsam ob caussam effossum, demisit, ita ut videri vix posset. Quæ res etsi unanimi veterum Mediolanensium Historicorum consensu firmata sit, vetustate tamen obsolevit adeo, ut ex ævi nostri

B memoria omnino fere fuerit obliterata, quin imo à plerisque ætatis nostræ hominibus dubitatur, num hæc præclarissima DD. Patriæ nostræ Tutelarium pignora in Basilica Ambrosiana nunc etiam reperiantur, contra sentientibus aliis ea reperiri in Basilica Sancti Victoris Martii, ubi & corpus S. Satyri germani D. Ambrosii fratris cum nonnullis aliis incognitis Divorum Episcoporum & Martyrum corporibus à sanctæ memoriæ Carolo Cardinale Archiepiscopo collocatum fuerit, eo pacto, ut à nullo videri posset in posterum, idque Virum integerrimum sub dirarum & exsecrationis obnunciatione cavisse; aliis Coloniæ Agrippinæ; aliis

C Bavariæ, unde & Cœnobitæ quidam sacras Divi Patroni nostri Reliquias se accepisse contendunt à Federico Barbarubro una cum tribus Sanctorum Magorum corporibus, eo post acerbissimam illam Urbis nostræ eversionem eodem imperante delatis: Aliis demum aliis in locis eadem Sanctorum corpora suo marte ponentibus contra veritatis fidem. Siquidem quæ dicunt isti, nullo solido traditionis, rationum, aut scripturarum testimonio nixi effutiunt potius, quam probent. Ego enim, qui à teneris, ut Græci dicunt, unguiculis hortatu parentum, qui ut præcipua voluntatis & animi propensione erga hanc Basilicam ferebantur, ita

D me ad eandem secum frequentissime deducebant, D. Ambrosii Basilicam adulta jam ætate frequentare ac venerari consuevi: non semel nescio quos inter se obloquentes non sine justa animi indignatione hisce, quod ajunt, auribus audivi, nec semel gravissimis eos verbis accipiens tam palmarem audaciam, ne exsecrandam impudentiam dicam, retudi, refutavi, convici. Atque ut eam controversiam sedarem omnino, quoad ejus fieri per modicas ingenioli mei vires posset, ipsiusmet sepulcri diligenter considerandi, hisceque luminibus expendendi, ardentissimo flagrare desiderio cœpi. Nec defuit mihi benevolentia Præpositi, & Cano-

E nicorum ædis illius, penes quos claves Altaris D. Ambrosio positi servabantur, ut voti compos evaderem. Itaque mihi primo licuit per horum humanitatem Altare ipsum aureum, opus Urbis nostræ præcipuum, contemplari, & expressa in eodem præcipua salutis nostræ mysteria in ejus fronte studiosissime venerari. In lateribus quoque gemmas omnis generis, & pretiosos lapillulos inclusos argento admiratus sum, tum propter nitorem & varietatem, tum propter magnitudinem & multitudinem eorundem. Sed posterior ejusdem Aræ pars pari opere affabre elaborata me præ cæteris maxime delectavit, cujus ergo versus illam utrinque

F miro quodam artificio circumambientes, & dividentes in medio, describere volui, eoque libentius, quod iisdem non obscure declarabatur illo sub Altari jacere divorum Tutelarium ossa, & ob honorem S. Ambrosii ab Angilberto Archiepiscopo fuisse constructum. Ii porro versus hi sunt, & is eorum ordo:

Ut hosce versus diversas in Altaris fascias distributos esse Lector agnosceret, lineis distinximus.

EMICAT ALMA FORIS RVTILOQVE DECORE VENVSTA
ARCA METALLORVM GEMMISQVE CVMPTA CORVSCAT
THESAVRO TAMEN HAEC CVMPTO POTIORE METALLO
OSSIBVS INTERIVS POLLET DONATA SACRATIS
EGREGIVS QVOD PRAESVL OPVS SVB HONORE BEATI
INCLITVS AMBROSII TEMPLO RECVBANTIS IN ISTO
OBTVLIT ANGILBERTVS OVANS DOMINOQVE DICAVIT
TEMPORE QVO NITIDAE SERVABAT CVLMINA SEDIS
ASPICE SVMME PATER FAMVLO MISERERE BENIGNE.

Verum enim vero posticam hanc ejus Altaris partem præter recensitos versus, tabellæ aliquot argenteæ suis parergis & lemmatibus illustrabant, quibus S. Patroni vita & miracula opere anaglypto, hoc est, sculptura leviter eminente, intuentium oculis proponuntur, illudque memoriæ proditum accepimus hunc ornatum impensam viginti mille aureorum excessisse, qui juxta Galvanei mentem octoginta librarum auri pondus exæquant, ejusque opifex fertur Magister Vuolinus Faber, ut patet ex literis in una tabellarum ab ipsomet opifice exaratis. Aperiuntur in hac eadem parte fores peranguftæ duæ, per quas ostiolum in partem Altaris interiorem patet, sive quis illam intueri, sive ingredi malit. Ac fores quidem istæ intus ornatæ sunt serico panno figuris diversi coloris distincto, extra vero præcipuis Angelorum beatorum imaginibus, suis cum appositis nominibus, illustrantur. In Aræ sinu duo magni lapides continentur, quorum unus rotundus, & porphyreticus est, habetque diametrum unciarum novem: alter vero marmoreus ad quadratam formam accedens, feruntque eam illic ob caussam detineri, quod Sanctorum uterque sanguine Protasii & Gervasii Martyrum sint adspersi: Pavimentum hujusce sinus porphyreticum est, habetque rotunda foramina, sive concavitates orbiculares quinque scrobulorum instar, unam in medio, in angulis vero quatuor reliquas excavatas. Ara ipsa tota porphyreticæ mensæ innititur, ita ut non ante loco suo dimoveri possit, quam ei superposita mensa dimoveatur. Quorsum autem quinque illi scrobuli sic effecti fuerint, non aliunde, quam ex observatione aliarum ejusœmodi marmorearum mensarum, colligi potest. Solebant enim antiquitus hujusœmodi mensæ Altaribus inservire, erantque tunc temporis sepulcra Martyrum ex Baronii fide Tom. I. *ad ann.* LV. Num. XV. ut à nobis etiam supra fusius demonstratum est, eædemque consecrabantur chrismatis unctione à Præsulibus, canonicis Sanctionibus id præcise disponentibus, ut habetur duobus in canonibus, titulo *de Consecratione*, distinctione I. *duplici in c. Altaria*. In priori quidem sic: *Altaria si non fuerint lapidea chrismatis unctione non consecrentur*. In posteriori vero hoc modo: *Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.*

Quæ autem altaris partes inungerentur à Præsule distincte explicat Gulielmus Duranti in suo *Rationali divinorum officiorum*, ubi agit de Præsule Altare consecrante, cum ait: *Faciens primo super illo quinque cruces ex oleo infirmorum secundum ordinem Romanorum, secundum quasdam vero alias Ecclesias de utroque oleo unam in medio, & quatuor in cornibus: postea eodem modo totidem ex chrismate.* Caussas autem cur tot fierent unctiones paulo post subdit his verbis: *Ter ergo Altare inungitur, bis oleo, tertio chrismate; quoniam Ecclesia fide, spe, & charitate, qua major est cæteris, insignitur.*

C Alias quoque hujusce consecrationis ceremonias ibidem recenset. Verba ejus hæc sunt: *Post unctionem adoletur incensum, quod devotionem orationis significat: in quinque autem locis adoletur, videlicet in quatuor angulis, & in medio: quia sic quinque sensus exercere debemus, ut fama boni operis nostri usque ad proximos extendatur.* Et mox concludens: *Ultima Altaris benedictio significat illam finalem benedictionem, quando dicetur, Venite benedicti Patris mei, &c. deinde Altare linteo candido extergitur ad notandum, quod cor nostrum castitate mundare debemus.*

Hunc fere in modum Aræ sacrificiorum legis Mosaicæ victimarum sanguine sacerdotis ipsius digito tingi solebant in ipsismet angulis sive cornibus, ut hostia in medio Altaris cremata, juxta ritum legitimum, Deo esset accepta ex præcepto *Levitici* IV. longe enim omnium gratissimæ Deo victimæ Martyris ipsius erant, ideoque erant eorundem aræ mystico ipsorum sanguine, qui *chrisma* ab Ecclesia dicitur, intingendæ. Præsulibus vero ejusdem Ecclesiæ visum est operæ pretium fore, si unctiones illæ sacrosanctæ in iis quinque partibus fierent, ne paterent expositæ ministris ipsis inferioribus, sive clericorum ordinis cujuscunque contactui, sive aram illam sacris vestibus spoliarent, sive novis induerent, ac multo magis ne Hæreticorum manibus abradi possent, quod factum à Donatistis asserit Optatus Milevitanus *lib.* VI. aliique multi. Quamobrem lapideas hujusœmodi tabulas alias, cum ejusœmodi scrobulis, in hac ipsa Urbe nostra vidi & observavi. Ut enim præteream mensam arcæ marmoreæ nostrorum Martyrum suppositam, in qua visuntur totidem concavitates ad singulos ejusdem angulos, sed quadratæ, aliam ei persimilem contemplatus sum in Basilica Ambrosiana ad septentrionale latus, aliæque non dissimiles aliis in templis sese offerent id ipsum per otium inquirenti. Nobis certe non abs re visum est observationem hanc nostram paucis aperire, quod ejus ignoratione Vir quidam æque pius ac diligens in inquirendis sacris Archiepiscoporum Mediolanensium exuviis, eorundemque primordiis, hallucinatus est, putans ex scrobulo illo, quem in meditullio ejus mensæ porphyreticæ videri diximus, quasi ex foramine introspici posse arcam ipsam D. Ambrosii sepulchralem, imo per immissam in illud facem cognosci, quo modo sub ea mensa nunc se haberent tria illa Sanctorum Patriæ Tutelarium corpora, in arca scilicet catenis appensa, ut voluit Galvaneus, an humi strata, ut Historiographi nostri alii prodiderunt. Is opinionem hanc suam mihi non semel aperuerat, & exorarat,

orarat, ut sedulo agerem cum Præposito & Canonicis Ambrosianis, uti sibi mecum liceret locum illum inspicere, id quod ab amicis facile potuimus impetrare. Sed manu probe tentata concavitate illa, ubi nullo modo eam in subjectum locum penetrare reperimus, statim Virum illum deceptum, nosque nimia facilitate ductos frustra Viros alios eruditissimos & nostri amantissimos illuc nobiscum adduxisse cognovimus non absque sensu doloris aliquo & mœroris. Quod si viri illius indicium communi desiderio & opinioni respondisset, unum id proculdubio omnem ex animis nostris dubitandi occasionem de exsistentia Sanctorum illorum eo in Altari penitus sustulisset.

Negantem partem qui sequuntur, pro se, præter commentationes superius explicatas, illud in medium afferunt, urbes quamplurimas ac Regiones sibi hæc ipsa sacrosancta Divorum pignora vindicare, seque habere hujusce rei auctores non ignobiles, qui constanter asserant reperiri variis in Provinciis sacras ædes, & ingentia Templa in honorem sacrarum Reliquiarum SS. Gervasii & Protasii martyrum illic exsistentium ædificata. Atque, ut ab Urbium Domina ducant initium, eam sibi horum Divorum ossa vindicare ostendunt ex eo, quod eorundem Sanctorum Titulum erectum habeat à Vestina nobili ac prædivite fœmina, qui Titulus postea ab Innocentio Papa fuit dedicatus, uti legere est in libro *de Romanis Pontificibus*, gravissimorum scriptorum fide receptus & approbatus. Fundana quoque Basilica à S. Paulino erecta horum Martyrum Reliquias habere se asserit & gloriatur, ipsomet D. Paulino teste in *epistola* XII. quam adire quilibet vel mediocriter otiosus potest. Brixiæ item adesse in Basilica, Concilium Sanctorum appellata, sacras eorundem Divorum exuvias S. Gaudentius Episcopus Brixiensis diserte testatur in *Sermone*, quem in ejusdem dedicatione habuit, quique apud omnes exstat. In Gallias etiam delatas fuisse Reliquias Martyrum eorundem, sacrasque illis memorias inibi excitatas Gregorius Turonensis affirmat libro *de Gloria Martyrum* cap. XLVII. & lib. X. cap. XXXI. *Historiæ Francorum*. In Africam quoque pervenisse, sunt qui perspicue scribant, dicantque in Victorina villa trigesimo ab Hippone lapide collocatas, ubi & Sanctorum ipsorum nomine erectam fuisse Ecclesiam, ex Augustino liquet libro de *Civit. Dei* XXII. cap. VIII. Quin etiam ad Noricos eædem pervenisse dicuntur, uti scriptum reliquit Eugipius in *S. Severini Actis*. Ex quibus, qui contra nos sentiunt, sic loquuntur: Si Beatissimorum germanorum Reliquias tot ad Urbes delatas, tot ex monumentis constat, cur non etiam corpus S. Ambrosii una sepulti potuit in loca eadem una cum ipsis transferri? At quoniam hujus argumenti pondus quale quantumque sit, vel ex primo pro nostris Martyribus suprà posito firmamento patet, illud in præsentia refellere non conabor.

Quid quod pro veritate exsistentiæ sanctorum istorum corporum in Ambrosiana Basilica Mediolanensi contra ipsos pugnat agmen ingens firmissimorum argumentorum, inter quæ nec invicti nobis Achilles desunt. Offert enim sese primo phalanx veteranorum militum, hoc est, antiquarum traditionum, ob quas ea in Basilica semper exstitisse tria illa Sanctorum pignora, non tam Majores nostri firmissime censuere, sed etiam posteri veluti per manus & traducem id ipsum ad alios transmiserunt. Prima hanc, ut sic loquamur, aciem cohortes levis armaturæ validissimæ consequuntur: quarum prima est perantiquarum aliquot in ejusdem Ecclesiæ parietibus picturarum, in quibus videre est, Sanctum Episcopum jacentem inter duos juvenes hinc inde stantes, iisque indutos tunicis, quibus in somnis sibimet ipsi apparuisse testatur Am- A brosius, quæque vulgo Colobia nominantur. Proxima, quæ succedit, conflata est ex pluribus Rubricis, Kalendariis, Breviariorum, Missaliumque codicibus, in quibus ad horum Sanctorum festa solemnia sic habetur: Ad Basilicam Ambrosianam, Ad Qvam Fit Processio, Missa Pontificalis, Et Oblatio Civitatis. Quæ notatum in Rubricis diariorum Mediolanensis Ecclesiæ collocantur, cum iisdem diebus recolitur eorum Sanctorum memoria, quorum corpora in sacris illis ædibus re ipsa obdormiunt & quiescunt. Nec aliam ob caussam solent Magistratus publici commodi, & Universitates, sive Collegia opificum Mediolanen- B sis Urbis, statas & anniversarias oblationes quasdam peragere ad Sanctorum ædes, nisi ob Urbis ipsius vota publica, vel peculiarem ejusdem cultum Divorum illorum corporibus impendendum, quæ illis in Templis esse pro comperto habent.

Aliæ cohortes hujuscemodi his adjungi possent ex tabellis, libellis, litaniis, confessionibus, & altaribus, & ædificiis reliquis ad sacras Sanctorum exuvias conservandas exstrui consuetis. Sed quorsum tot Velitibus, Rorariis, & Elaphris opus est in una hac concertatione tantum, cum nobis abunde suppetant copiæ Cataphractorum equitum, Triariorum, ac Primipilorum. Hi nempe Chro- C nographi ac Historici celeberrimi sunt, quos nunc producam in campum totis nervis ac viribus pugnaturos, ut, quoad ejus fieri possit, Ambrosianæ Basilicæ asserant sacra trium Patronorum nostrorum pignora omni dubitatione sublata. Ducet vero universam hanc aciem Jacobus Galvaneus à Flamma, vir summæ religionis & fidei, quem uti antesignanum agnoscent cæteri non inviti. Is enim rem omnem, uti à primis Historiographis, qui temporum injuria postmodum perierunt, acceperat, ad hunc fere modum, quo supra à nobis paucis narrata est, scriptum reliquit *capp.* CXXIII. & CCIV. Eam quoque prodiderunt veterum M. S. aucto- D res, ac præcipue Mediolanenses aliquot, Joannes à Monte, Gotifredus, Stephanandus, Bonvisius, Sicardus, Bonvicinus, Chronographia Martiniana, & alii permulti, quibus adstipulantur ii, qui vel Patriam Historiam typis mandarunt, vel qui Chronographias & gesta Sanctorum Mediolanensium Archiepiscoporum, quos omnes sigillatim laudare velle nimis otiosi esset, cum præsertim ad manus sint omnium fere studiosorum Ecclesiasticæ vetustatis. Ac inter Auctores quidem in lucem editos, sciat Lector nos eos tantummodo numerare, qui vel post Federicum Rubrobarbum, vel nostra hac tempestate scripserunt: neminem enim horum hæc E controversia latuit, licet eorum nemo eam de medio tollere sit aggressus. Probe nempe norant, ita parum fuisse firmatam à contra sentientibus, & probatam; ut nullius gravis Viri confutationem, ne dum censuram suam aliquam mereretur. Sed antequam receptui canamus, prodeat in apertam planitiem tandem aliquando Achilles noster, unusque adversariorum omnium imbelles copias proterat & profliget. At quis hic tandem alius quam Ambrosius ipse, qui se disertissimis verbis sub Ara ejusdem Basilicæ maxima condidisse fatetur corpora Beatissimorum Martyrum, seque in ea condi vehementer etiam atque etiam cupiisse. Sic enim is *ad Marcelli-* F *nam sororem* de inventione horum Sanctorum Martyrum scripsit: *Succedant victimæ triumphales loco ubi Christus est hostia, sed ille super Altare, qui pro omnibus passus est, isti sub Altari, quia illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi. Dignum est enim, ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste Martyribus debebatur. Condamus ergo Reliquias Sacrosanctas, & dignis sedibus invehamus, totumque diem fida devotione celebremus.*

Cæ

Cæterum non tantum Sancti illi duo Martyres inibi sunt sepulti, sed ipse quoque D. Ambrosius, nec sine Divûm numine, ut patebit. Cupientibus enim Clericis Mediolanensibus juxta pii Patris votum, eum in Basilica ante à se condita, & sub Altari, quod sibi vivens elegerat in sepulcrum, condere, feruntur sancti illi duo fratres sese paululum contraxisse, locumque inter se medium D. Patrono Ambrosio concessisse, perinde ac si accepti beneficii memores eam inire à Domino suo gratiam exoptarent. Hinc illud commune dictum omnium fere ora pervasit, medium inter SS. Gervasium & Protasium Martyres Ambrosium consídere. Verum enim vero eum, qui funeri ipsi interfuit, B. Paulinum scilicet, qui & *Vitam S. Ambrosii* scriptor oculatus literis consignavit, testem adducam. Sic enim is inquit ad finem Vitæ: *Sed lucescente die Dominica, cum corpus ipsius peractis Sacramentis divinis de Ecclesia levaretur, portandum ad Basilicam Ambrosianam, in qua positus est, ita ibi dæmonum turba clamabat, se ab illo torqueri, ut ejulatus eorum ferri non posset.*

Suffragatur mirum in modum Paulino Jo. Franciscus à Basilica Petri Novariensis Episcopus, & sacrarum historiarum peritissimus auctor in libello, in quo *de Basilica Ambrosiana* agit, siquidem is adeo magnum est ætatis nostræ decus & lumen, ut hujusce rei idoneus testis jure merito sit habendus, & cum supra productis testibus copulandus. Is enim recitatis ea de re D. Ambrosii verbis non multo ante descriptis, hæc subdit sic à nobis Romana civitate donata: *At ii pariter, & ille locum suum obtinuere, ac etiam nunc obtinent, scilicet sub ara maxima Ambrosianæ Basilicæ.*

Sed posset horum duorum Episcoporum testimonio tertium quoque Cardinalis Baronii jure suo subjici, cum & is amplissima dignitate sit, & Tom. *Annal.* IV. Ann. CCCLXXXIII. diserte testetur, D. Ambrosium apud SS. Martyres Gervasium & Protasium, sepultum in Ambrosiana Basilica, ad quam ipsemet eorum Martyrum corpora transtulerat, reperiri. Eam ob caussam trium hisce Divorum prope se positorum imaginibus Mediolanenses aliquot Archiepiscopi sigilla sua obsignatoria insignire voluerunt, ut ex ipsorummet literis vel hodie commonstratur, eosdemque D. Carolus imitatus, auctoritate Gregorii XIII. summi Pontificis, eorundem Divorum imagines in proprium & peculiare sigillum Mediolanensis Ecclesiæ suscepit. His tot ac tantis rationum & auctoritatum ponderibus victos jam ac profligatos adversarios non terga tantum, sed & manus daturos esse putabamus, cum ecce conferti magis & in cuneum coacti, quasi sese ipsos pro aris focisque devoverent, tela contra se missa in nos ad hunc fere modum contorquent.

Argumentationibus nostris probari tantummodo primam collocationem horum victricium corporum in Ambrosianæ Basilicæ templo ab ipsomet D. Ambrosio factam, quod etiam ipsi facile concedunt, atqui eosdem nunc etiam in eadem Basilica reperiri nequaquam. Cæterum cum Magorum sacris pignoribus nostris è Templis ab Imperatore Henrico surreptis, eadem cum illis nobis erepta fuisse convincere, ac multo magis Reliquias S. Patroni nostri, quas Colonia & Bavaria Mediolanum translatas esse, dixerunt aliquot Cœnobitæ, id ipsum apertissime comprobare. Addunt in Basilica D. Victoris Martii Mediolani saltem gloriosum D. Ambrosii corpus apud S. Satyrum fratrem nunc temporis reperiri vel ex illa dirarum obnunciatione à D. Carolo profecta, qua cavit ne quis sepulcra illa reserare in posterum auderet, ea fortasse ratione permotus, ne solitus cultus, & antiqua veneratio Basilicæ Ambrosianæ antiquitus conciliata ob corpus in ea tanti Doctoris & Urbis Patroni existens, imminueretur.

Verum quam parum adversarios hæc nova contentio juvet, quamque casso vulnere eorum tela in nos illata sint, cuicunque liquido constabit, qui nos illamet rursus in eosdem, ac validiori ictu retorquentes spectare voluerit. Nam ut extremum leve prorsus & hebes primo loco infringam. Negare non ausim Satyrum, qui ante D. Ambrosium fratrem mortem obiit, juxta S. Martyris corpus in ejus Basilica, quæ Porciana dicebatur, fuisse ab ipsomet Ambrosio tumulatum, à quo & epitaphium accepit, quod ex Dulingo, non ignobili suorum temporum scriptore, eo libentius adscribo, quo veluti obsignata tabella, dissidium nescio quod omnino tollatur inter Cistercienses & Olivetanos Monachos temere subortum pridem, quod si assequar, næ ego gratiam mihi inibo maximam apud Angelum Mariam Alchisium nobilis Cœnobii Olivetanorum Basilicæ D. Victori sacræ Abbatem tali munere longe dignissimum, cui me debere plurimum sentio, fateor, gloriorque, cum ob patrocinium perpetuo susceptum existimationis meæ, pariter & amicorum meorum: tum ob præstantes & eximias animi ejus & ingenii dotes, quibus non aliter ac magnete ferrum, principum etiam Virorum voluntates ad sese facillime allicit, & allectas mirum in modum detinet defixas penitus in admiratione, cultu, & obsequio sui, nihil ut non illius caussa velint omnes, nihil non moliantur affectu & studio singulari. Epitaphium hujusmodi est:

Uranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluvat exuvias.

Post quem, & Ambrosium, mortua cum esset eorumdem soror Marcellina, sepulta est à D. Simpliciano, tum Mediolani Archiepiscopo, in Confessione Basilicæ Ambrosianæ, ubi ejus quoque tumulus hodie visitur juxta Ambrosium fratrem, Epitaphium nacta, quod ex codice Bibliothecæ Vaticanæ ejusdem in gratiam & Patroni nostri laudem exscripsi: notata varia lectione alterius exemplaris, quod reperitur apud Alciatum in *Antiquario*, ubi monumento XX. de auctore hujus Epitaphii hæc habet: *Marcellinæ tumulus insigni supra scripto carmine illustris prætermittendus non fuit: tum ob ejus Virginis sanctitatem, qua divorum Ambrosii, Satyrique soror fuit: tum in ejus gratiam, qui carminis auctor creditur: receptum enim est, eique sententiæ & ipse accedo, Simplicianum, qui Ambrosio in Episcopi dignitate successit, id pudicissimæ & in Sanctorum album descriptæ mulieri Epitaphium condidisse:*

Marcellina, tuos cum vita resolveret artus,
Sprevisti patriis corpus sociare sepulcris,
Cum [1] *pia fraterni speras consortia somni,*
Sanctorumque cupis cara requiescere terra.
Nil longinqua domus casto decerpsit amori,
Affectus nec morte perit, nam munere lethi
Rursus tacta [2] *soror, fraternæ redderis aulæ* [3].
Quamvis magna pio suspiret Roma dolore,
Tertia quod sacris [4] *patitur jam damna sepulcris* [5],
Nec tamen angustæ [6] *sedem quis dixerit aulæ.*
Corporis hæc domus est, nam te, pia Virgo, supernum
Accipit Imperium, placidæque [7] *ad munera vitæ*
Æternæ Christus pretium tibi destinat aulæ,
Præmia dans castis intactæ matris honore [8].
Te Juli [9] *medius transcendit fervide cursus,*
Et te, Virgo, tuus transvexit ad æthera sponsus.

Ea nempe aula, quæ fratris nomine appellatur, & in qua sepulta Marcellina, Ambrosiana est. At (quod ad rem nostram attinet) si in ea Marcellina

1 *Dum* legit Alciatus. 2 *Vincla.* 3 *Umbræ.* 4 *Sacri.* 5 *Sepulcri.* 6 *Angustam.* 7 *Placidæ post munera mortis.* 8 *Honorem.* 9 *Te medius Juli transcendit.*

lina ad nostra usque tempora permansit, credere quoque par est Ambrosium fratrem, apud quem perpetuo quiescere optavit, inibi permansisse; neque transferri ad fratrem Satyrum voluisse, sed cum sorore sanctissima commorari. Quid quod nusquam legimus, aut ex Majorum traditionibus accepimus, ea de sede amotum Ambrosium alio commigrasse. Illa porro dirarum & exsecrationis obnunciatio à D. Carolo facta reserantibus sacra illa Portianæ Basilicæ monumenta, commentitia prorsus & inanis à plerisque censetur, non aliter ac eidem innixum adversantium argumentum. Quin imo aliqui bonæ fidei Monachi Olivetani S. Victoris Cœnobium incolentes, inter quos aliqui adhuc vivunt, qui D. Carolo monumenta invisenti interfuerunt oculati testes, profitentur ingenue nihil prorsus à D. Carolo de corpore D. Ambrosii dictum, nihilve sub dirarum obnunciatione vetitum, sed sepulcrum illud ab eo tantum remotis arbitris omnibus inspectum, statimque clausum fuisse, nihilque præterea factum.

Urget me profecto magis objectio tertia, quæ alio delata testatur Patronorum nostrorum corpora à Federico Rubrobarbo in illa acerbissima Urbis nostræ eversione, una cum corporibus Magorum. Sed illi facili negotio occurretur ex concessis. Ultro enim admiserunt, D. Ambrosium cum duobus aliis Martyribus sub Ara maxima Basilicæ Ambrosianæ conditum ibidem permansisse, non modo usque ad tempora Angilberti Pusterlæi, qui sedit Archiepiscopus anno Domini DCCCXL. & DCCCLX. sed ipsius etiam Federici, qui anno MCLIII. * usque ad MCXC. imperavit, quo in Sara Armeniæ flumine demersus periit. Atqui cum Angilbertus aureum illud Altare ita condidisset ac collocasset, ut mensa illa porphyretica Aræ Sanctorum corporum superposita superexstructi ab eo Altaris basis ac fundamentum esset, fieri nullo pacto potuisset, ut Arca illa aperiretur, ne dum sacra inde corpora extraherentur, nisi prius diruto ac everso Altari, quod factum minime fuisse etiam num patet. Quod si ita est, ut esse re vera comperiet quilibet ejus inspiciendi studio permotus, eo se conferet, qui fieri potuit, ut Federicus Altari integro & immoto corpora illa sacrosancta, ac non potius Altaris superexstructi aurum, & preciosas gemmas, quibus credere par est avarum Imperatorem inhiasse, potius quam sacris pignoribus abducendis, extraheret & auferret? Eadem ductum ratione nostræ sententiæ adstipulari video Tristanum Calchum, qui *lib.* X. finem excidii Urbis Mediolanensis commemorans ita inquit: *Cessationis, quietisque concedendæ instans dies Palmarum, Olivarumque cerimonia religiosus admonuit, qui eo anno Kal. Aprilis contigit: tulitque sacros ramos Federicus è Templo Ambrosiano, à quo sacrilegam manum abstinuisse hostes, indicio est Argilberti Archiepiscopi Lamina aurea, argenteaque multis ante sæculis Altari circumdata.*

Satis hæc, ut arbitror, nostram sententiam firmant, & adversariorum inanes conjecturas arguunt & condemnant. Sed contra nos quoque pugnant à simili, alio translata dicentes nostrorum Patronorum corpora cum tribus Magis. Sed frustra, neque enim à Translatione Magorum argumentari licet ad Tutelares nostros, cum receptissima sit apud omnes nationes fama tres Magos translatos fuisse Mediolano Coloniam Agrippinam ab Rainaldo Coloniæ Archiepiscopo in illa Rubrobarbi clade: de his vero vix levis, ac ne levis quidem percrebuerit apud imperitos rumor, illorum translationem adstruant plurimorum Chronographorum scripta: de hac ne verbum quidem faciat vel ignobilis Scriptor, unum si excipias nostratem, qui ta-

A men solo scripturæ simplicis & exoticæ, ac (ut credere par est) apocryphæ, testimonio nititur. Illos nunc etiam Coloniæ in Cathedrali coli, palam in confesso sit apud nationes omnes: isti qua in Urbe, quave in æde alia sacra reperiantur, præterquam in Ambrosianæ Basilicæ templo, nullibi constet: sepulcrum tandem illorum adhuc inane visatur in Eustorgiano templo: istorum Basilicam & sepulcralem Aram nemo non hodie colat, ad eamque se conferat in votis tum publicis, tum privatis, nec non & in supplicationibus peragi solitis pro rebus majoris ponderis ac momenti, ad eosdem opem enixius implorandam, quod ibi sacra
B illorum corpora reperiri certo certius credat. Dispar itaque ratio, & argumentatio dissimilis hæc omnino, & ob id nostræ sententiæ nil repugnans. Illud unum adjecerim appendicis loco, sanctos Magos eversionis illius initio ex Basilica Eustorgiana ad Collegiatam S. Georgii Uberti Pirovani tum Archiepiscopi Mediolanensis jussu delatos, & in sacra ejusdem turri abditos, paullo post innotuisse armatæ hostium multitudini pretiosa quæque sibi occurrentia rapienti, mirum ut esse nequierit, eosdem inde sine ullo labore fuisse surreptos, & alio deportatos, id quod Tutelaribus nostris in subterraneo specu latescentibus, loco advenis militi-
C bus prorsus ignoto, multisque aliis præsidiis circumsepto, quis adeo rerum humanarum ignarus putet accidere potuisse? Verum enim vero objectionibus nunc brevioribus reliquis brevius occurramus.

Bavariæ corpus esse S. Ambrosii satis idonee non probatur, ex eo quod inde aliquot ejus Reliquiæ ad nos aliquando fuerint asportatæ: tum quia nullas ea de re publicas assertiones habemus: tum quia Reliquiæ, quæ hoc nomine apud D. Ambrosii Cœnobitas exstant, ac ob id dubiæ & suspectæ, egentesque potius rationum, quibus fulciantur, ponderibus & momentis, quam aptæ per se ad
D D. Ambrosii corpus alienis provinciis, vel urbibus adstruendum.

Jam ad varia Templa quod attinet, diversis in provinciis jamdudum erecta ob Sanctorum Gervasii & Protasii Martyrum ossa inibi collocata, & si recte ratio perpendatur, ad veterumque scriptorum mentem accommodetur, nostram nullo modo sententiam, qua sacra illorum corpora ad hanc usque diem exsistere diximus in Ambrosiana æde, debilitant, vel infringunt. Apud veteres enim Christi cultores talis ac tantus exstitit Reliquiarum Sanctorum Martyrum cultus, ut vel exiguæ earundem particulæ tantum honoris tribuerent,
E quantum integro corpori deberetur. Unus hæc D. Gregorius Nazianzenus firmabit hoc loco, supra siquidem alia nos de re Patrum testimonia meminimus protulisse: *Est adeo frequens horum luctæ, certaminumque veneratio, ut exiguus pulvis, aut reliquiæ veterum ossium, totius ad honorem sufficiant: & nonnullorum saltem appellationem reliquiarum omnino expertem, scio locis certis inditam esse pro toto Martyre, quæ tamen eamdem vim obtinuerit. O rem gloriosam!* [sic] *salutem affert sola recordatio.* Et alibi: *Quorum vel solum sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora.*

Hinc fit, ut licet aliis in locis esse dicantur ali-
F quæ Martyrum horum particulæ, nihilominus in Basilica Ambrosiana eorum ferme integra corpora reperiri, fateri possimus, cujusmodi se illa invenisse atque adeo condidisse ipsemet Ambrosius fassus est *ad Marcellinam* scribens, cum inquit: *Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat, ossa omnia integra.* Et paulo post: *Condidimus integra ad ordinem transtulimus vespere etiam incumbente ad Basilicam Faustæ, ibi vigiliæ tota nocte, & manus impositio.*

Ac

* Anno 1151. aut 1152. electum Federicum putat Tristanus Calchus *lib.* VIII. & mersum in amni Saleph enectum an. 1190.

Ac particulæ quidem illæ forte fortuna contrectationis & translationis ipsius tempore à sacris illis corporibus sejungi ab ipsomet D. Ambrosio potuerunt, eam ob caussam, ut pio & ardentissimo aliarum Ecclesiarum aliquam earum expetentium desiderio satisfaceret, Sanctorumque cultum, quoad ejus fieri poterat, latius propagaret. Sentire Baronius id videtur Tom. IV. *Annal.* Ann. CCCLXXXVII. num. XLII. ubi sic inquit: *Absoluta igitur Ambrosius concione, sacra pignora, ut dicebat, suo loco recondidit; ita tamen, ut ex eis partem aliquam sibi servaret, erogandam in diversas Ecclesias, quæ ardentissimo studio eorundem Sanctorum Martyrum reliquias ex diversis locis expeterent, ut in eorum honorem basilicas vel erigerent, vel in jam ædificatis reponerent.*

Porro eam Reliquiarum partem, quam sibi retinuisse D. Ambrosium Baronius opinatur, non illam ego fuisse crediderim, quam opinatur ipse, sed sanguinis tantum, aut panniculi eo perfusi, coactus gravissimorum virorum auctoritate à Viro illustrissimo dissentire. Ac in auctoritate quidem D. Ambrosii nuperrime recitata, si non apertum, magnum certe momentum inest ad probandam nullam partem sanctorum corporum integrantem defuisse, tum cum in Ambrosianæ Basilicæ Ara maxima condita fuerunt.

Altera vero Gregorii Turonensis, disertissima omnium quotquot adduci possent, adeo me movet, ut in aliam me à Baronio sententiam pertrahat non invitum. Præcise enim in *de gloria Martyrum* cap. XLVII. hujuscemodi ea de re historiam narrat: *In hac Urbe DD. Martyrum Gervasii Protasiique victricia corpora retinentur, quæ beato Ambrosio revelata, atque ab eodem reperta in Basilicam, quam ipse proprio ædificavit studio, ostensis miraculis sunt sepulta. Et quæ super his quodam referente audivi, absurdum non putavi inserere lectioni, quia non continentur in historia passionis. Ajebat enim quod quando hæc gloriosa corpora translata in Ecclesiam illam fuerunt, dum in honore ipsorum Martyrum missarum solemnia celebrarentur, cecidisse è camera tabulam unam, quæ illisa capitibus Martyrum, rivum sanguinis elicuit. De quo infecta linteamina, vel pallulæ, sive vela Ecclesiastica, beatus cruor collectus est, qui usque adeo confluxisse fertur, quoadusque linteamina, quæ susciperent, sunt reperta. Ex hac enim eorum Reliquiæ affatim collectæ per universam Italiam, vel Gallias sunt delatæ. Ex quibus & S. Martinus multa suscepit, sicut Paulini beatissimi narrat epistola.*

Pari fere modo beatus Inventius, sancti Syri discipulus, & in Episcopatu Ticinensi successor, Mediolanum missus, ut piam sepulturæ operam Sanctis tunc pro fide Christi demortuis præstaret, intinctum sacro sanguine linteum, à quadam pia muliere Mediolanensi accepit, magnaque reverentia Ticinum detulit. Quin imo Divus ipse Syrus solam vestium particulam magno procuravit studio, Laurentio Surio auctore, cujus è tertio *sacræ Historiæ* Tomo, die XII. Septembris, ipsa verba ponam: *Post aliquod dehinc temporis intervallum, cum Sanctorum Protasii & Gervasii apud Mediolanum finita essent certamina, beatissimus Syrus à Lyberto Christi fidele particulam sanctarum exuviarum, munus longe gratissimum, obtinuit, quod signis & virtutibus coruscans, varia sanitatum genera conferebat variis: adeo ut eorum mirabilium magnitudine permotus Antistes, templum haud procul ab Urbis mœniis extra civitatem exstruxerit.* De Urbe Ticinensi antiqua Surius loquitur hic: quia hujusmodi Templum intra Urbis mœnia nunc clauditur, Urbe ipsa jam olim transcendente antiquos fines opulentia tum recenti Longobardorum Regum, qui eam sibi in sedem elegerant.

En ut adversarios profligavimus, & omnia eorumdem tela, vel comminuimus, vel certe con-

A jecimus in eosdem. Conticescant igitur tandem aliquando victi, nec amplius contra nostram sententiam audeant obgannire, quin potius nobiscum, imo cum universo Clero & Populo Mediolanensi, Patronos & Tutelares suos, non modo in Ambrosiana Basilica etiam num exsistere fateantur, sed studio quodam præcipuo pietatis, uti par est, venerentur ac colant. Interim nos ad sacrum Archiepiscopum Angilbertum, à quo piæ ejusdem contentionis æstu divertimus, revertamur. Eluxit ejusdem Angilberti pietas erga Sanctos tum etiam cum ex Albingauni oppido corpus S. Caloceri Martyris in Clivatensem ædem ab Aldechisio conditam,
B summo studio transtulit, ratus, illud ibi cultum iri religione & sanctiore ritu.

Sed ut ad nostrum Cœnobium redeamus; tot ex eo, Benedictinaque familia, Viri disciplinis & moribus probatissimis clari, tanquam ex Equo Trojano, singulis ætatibus prodierunt, ut ii non Italiam solum, sed ipsam quoque Germaniam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, cæterasque Christiani Orbis Provincias doctrinæ sanctitatisque suæ fama, superstitionibus involutos homines ad fidei veritatem, unitatemque traduxerint; eos etiam, qui Romani Imperii jugum excusserant, Romanæ Ecclesiæ potestati subegerint, ejusdemque in obse-
C quio continuerint non invitos. Mitto intra Monasterii nostri septa nutritos & educatos fuisse Reges æque ac Monachos, Sigibertos, Alfredos, Inas, Ceoluulphos, Etchibidas, Chenridos, Offas, Egebertos. Mitto fortissimos Duces, Chilianum, Euvaldum, Lambertum, Stephanum, & Ablonem ex Ordinis nostri Benedictini castris in solem, in aciem, in pulverem prodiisse. Siquidem primi illi Monachi omni virtutum genere antiquis illis Lupercis longe superiores, non Fauni nescio cujus inanis numinis patrocinio fulti, feras ac lupos, ut illi arcere à stabulis credebantur, sed hæreticorum lupis ipsis deteriorum incursus, Dei veri ope, à
D grege Dominico propulsare.

Atque uti se res humanæ habent, quæ instabili nescio quo fluxu, seu potius præcipiti volubilitate, ad interitum sua sponte ruunt, suumque terminum ac certam durationis periodum sortiuntur, huic quoque Monasterio nostro, non longo temporum decursu, finis adfuit deplorandus. Anno siquidem MXX. à Christo nato, Heribertus tertius Gualiardi, seu (ut quibusdam ex nostris magis arridet) Gerardi Antimiani Canturiensis, & Berlendæ acris ingenii fœminæ filius, ac postea à Benedicto VIII. Mediolan. Archiepiscopus renuntiatus, ut erat animi magnitudine singulari, præclara quæque facinora aggressus, Monasterium S. Dionysii condidit;
E Templum D. Satyri consecravit; Corpus S. Monæ Archiepiscopi Mediolanensis in æde D. Vitalis transtulit; corpus S. Quirini Episcopi & Martyris cum aliis duobus nostrum in Templum invexit; Episcopum Papiensem in conventu Rocaliensi crucem deponere jussit; Ambrosium Ecclesiæ Mediolanensis ordinarium Episcopum civitatis Laudensis instituit; Henricum Imperatorem Romam deduxit, ut à Benedicto Pontifice coronam acciperet. Cumque se in Basilica D. Dionysii sepeliendum jussisset, majoribus Monasterium illud à se fundatum proventibus augeri voluit, ac ob id magnos nostri Mona-
F sterii census ita imminuit, ut S. Vincentium *phlebotomasse* Galvaneo diceretur, ex ejusque sanguine S. Dionysii Cœnobium construxisse. Quin imo his non contentus, an. MXXIII. tam nostri quam Ambrosiani Monasterii Præsules, qui ab omni Archiepisc. jurisdictione sese vindicaverant, Heriberti jura potestatemque penitus subierunt, annuente Summo Pontifice Benedicto, à quo præterea sanctorum nostrorum Martyrum Quirini, Nicomedis, & Abundii corpora dono acceperat, ut aliàs meminimus supra.

A Fuit is pusillo corpore, ac instar alterius Macedonis parvo, sed animi magnitudine adeo ingens, ut multorum tam prædecessorum, quam successorum Archiepiscoporum in rem Christianam merita superarit: ut qui semper vincendi rationem apertam secutus est, ac maximum rerum gerendarum momentum in celeritate posuit, palam fusis hostibus gaudens, belli magis quam pacis amans; periculorum contemptor; metui magis cupiens, quam amari; literis apprime excultus; magnæ liberalitatis & fidei viri; subjectis æque parcendi cupidus, ut ipsa libidine dominandi; fortuna tandem non tam vinci nescius, quam concuti, vel moveri. B Plures idem Lombardiæ Urbes magna militum copia domuit, Arduinum, Berengarium, & Ugonem Comitem bello superavit, quamplures Episcopos, & insignes Præsules sibi obsistentes vicit, & subditos in officio perpetuo continuit, aliaque pene innumerabilia præclare gessit, ob quæ à Benedicto VIII. Pontifice Maximo magni semper habitus, donariis opulentissimis cumulatus, titulis ac honorum insignibus decoratus est.

Tandem vita functus in æde D. Dionysio sacra, & ab eodem instaurata conditus, adscriptis hisce versibus, qui & id ipsum testantur apertissime, Lapidi incisi, & stylum ejus ævi mirum in C modum repræsentant:

HIC JACEO PVLVIS, CVI QVONDAM CLARVIT ORBIS,
TVNC HERIBERTVS ERAM, NIMIOQVE DECORE VIGEBAM
OFFICIO PLACIDI FVNGEBAR PRAESVLIS ARCHI,
NVNC TVMVLOR SERVVS SERVORVM CHRISTE TVORVM
PRO MERITIS HORVM TIBI DIGNE COMPLACITORVM.
D SANGVINE QVAESO TVO MIHI TV MISERERE REDEMPTO
HVC VENIENS LECTOR SIBI DIC IGNOSCE REDEMPTOR,
VT VIVENS VITA REQVIESCAT SEMPER IN IPSA.

OBIIT ANNO DOMINICAE INCARNAT. MIL. XLV. XVI. DIE MEN. JAN. INDICT. XIII.

In Arca lapidea Epitaphio isti subjecta, ac proxima suspicatus olim fueram Heriberti ossa quiescere, nec temere ob utriusque vicinitatem maximam. E Nec defuit mihi rem paulo diligentius inquirere cupienti Cœnobitarum Ædis illius prolixa humanitas, ut voti compos evaderem. Nam ea de caussa animum meum invaserat cupiditas ossa illa propius intuendi, ut ex fidelissimo oculorum testimonio certior plane fierem de forma corporis Heriberti, parvusne re vera fuerit, (quod ex probatorum Chronographorum fide testatus ante fueram) an procerus. Facile siquidem vel ex ipso ossium exilium, magnorumve conspectu, id quod scire avebat animus, dignosci posse mihi persuadebam. Immissa igitur in sepulcrum face ossa Præsulis omnia diligentissime recognovi, & grandiora F longioraque deprehendi, quam ut homini parvi corporis convenire possent. Quamobrem quid hic mihi sentiendum esset, statim ambigere cœpi. Nimirum aut falsitatis insimulare debebam Scriptores illos, qui Heribertum statura pusillum litteris, quasi coloribus, expressissent, aut certe fateri ossa in Arca illa composita Heriberti non esse. At primum, ne quam gravitati & auctoritati Historicorum, qui parvam staturam huic Archiepiscopo tribuerant, injuriam inferam, asserere libere non audebam; alterum præter ipsam ossium inspectorum fidem suadere non obscure videbatur Galvaneus non obscurus Scriptor c. CCXLIV. *Chronic. Mediolanensium*, ubi de Heriberti corpore sic scribit: *Heriberti corpus in monasterio S. Dionysii, quod ipse fundaverat., tumulatur extra Ecclesiam, quia terra erat interdicta: post decem menses translatum fuit & sepultum apud sepulchrum Valvassorum de Bussero: & inventus est oculis apertis, corpore integro baculum pastoralem cum summo vigore gerere.* Quibus ex Galvanei verbis aperte liquet Heriberti sepulchrum olim extra D. Dionysii Ecclesiam exstitisse, cum hodie in ipsamet Ecclesia videatur; aut si motum inde fuisse concesserimus tunc temporis, quo D. Dionysio Templum instaurari cœpit, tunc certe ad Valvassores de Bussero commigrasse, nec inibi amplius constitisse. Quid quod fieri potuit, ut Heriberti tum Epitaphium, tum sepulcrum sine ipsius Heriberti corpore, casu, vel errore aliquo, unum in locum coaluerint, cum ante inter se maxime diffiderent. His accedit (quod ejusdem templi æditüus affirmavit) lituum in eo sepulcro repertum fuisse litteris hisce exoticis in ære deaurato incisis:

Aluysius. de Carchano. Abbas. Sancti Dionysii Mediolani &c.
MCCCC. XXXX. Madii.

Quæ quidem, cujus illic ossa quiescant, planissime docent, nec ullum amplius ea de re dubitandi locum relinquunt. Lituus autem hisce notis inscriptus apud eundem Æditüum diligentissime custoditur. Quibus fit, ut illud Heriberti sepulcrum esse constantissime negem. At ne multus in hac re sim, parvam ipsius Heriberti effigiem ex ære ductam à rudi quidem & impolita manu, sed ut illa ferebant tempora non invenuste, ad pedes positam imaginis alterius grandioris, quæ Cruci affixum humani generis Servatorem ex ære pariter refert: quæque in ejusdem Templi cœnobio visitur, benevoli ac prudentis Lectoris oculis ad intuendum subjiciam: tum ut ipsemet allata rationum momenta perpendens, controversiam hanc pro suo arbitratu dirimat: tum ut Imago ipsa, antiquam vestium Archiepiscopalium formam exhibens, memoriam tanti Præsulis posteritati consacret & propaget in æternitatem omnem. Propagabit autem, si quam ejusdem Lectoris favor ætatem his scriptis dabit, quod rogatum imus. Nos interim ne injurii simus iis, à quibus ista nobis humaniter commonstrata sunt, eorum isthic memoriæ consulemus, grati colemus memoria sempiterna nomen & humanitatem D. Matthæi Valerii è celeberrima Cartusianorum Ticinensium familia Cœnobitæ, ejusdemque familiæ apud Mediolanenses Procuratoris integerrimi, deque omni Antiquitate literaria optime meriti, quod eas nobis prisci ævi reliquias non inviderit, sed ultro primus, quasi divinitus indicarit.

Operæ



Operæ pretium duxi de Heriberto paucis hæc libare, quod is non tam male meritus de Cœnobio nostro videatur esse ob annua illius vectigalia imminuta, quam bene ob auctam Vincentiani Templi gloriam & splendorem, illatis in illud thesauris Sanctorum Martyrum. Nimirum hoc monumentum unum,

——— ære perennius
Regalique situ Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Magni namque sunt, ut inquit Paulinus in *Vita D. Ambrosii*, *Martyrum thesauri, quos non ærugo, neque tinea exterminet, neque fures effodiant, & furentur. Quia custos eorum Christus est, & locus eorum aula cælestis, quibus vivere Christus fuit, & mori lucrum.*

Divorum enim corpora cum suis jungentur animis durabunt in æternitatem omnem: at illa volubilis fortunæ bona nunc mihi nunc alii benignæ fluminis

Ritu feruntur nunc medio alveo
Cum pace dilabentis Hetruscum
In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesque raptatas, & pecus, & domos
Volventis una, non sine montium
Clamore, vicinæque sylvæ
Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes.

Minus hæc igitur deploranda fortunæ commodorum, prædiorumque jactura, quamvis illam ægre tulerit D. Vincentii Cœnobium, coactum eam ob caussam non pauca intermittere ad ejus peculiare vetus institutum spectantia non sine sensu doloris & damni. Hinc prima mutationis illius origo, & caussa promanavit: sed alia subinde, nec leviora, damna perpessum est, summam rerum Mediolanensium tenente Corrigii Domino, nostrisque Civibus jus dicente: is enim non modicam uberrimorum fundorum Monasterii nostri partem Præpositu-
D ræ Carrugati adjecit extra Portam Novam, opulento ibi Sacerdotio constituto, nostro interim Cœnobio per potestatem nescio, vel per injuriam, ad extremam propemodum inopiam redacto. Quamobrem tum primum à suscepto jampridem instituto viginti quatuor illorum adolescentum ad omnem virtutem educandorum recessit, piumque Xenodochii proximi subsidium non mediocriter imminui cœpit. Quin imo rerum ille status Monachos nostros coegit quidvis, & facere, & pati, nedum pristinæ virtutis officia deserere, Monachorum inde numerus, & regularis disciplinæ majestas, cæteraque omnia de pristino illo statu de-
E cidere, & in pejus ruere cœperunt. Suborta sunt eadem fere tempestate per universam pene Italiam bella, quæ ita postea exarserunt, ut regiones ipsæ vastatæ, urbes direptæ, cætera loca omnia pessime sint accepta, nostrumque Cœnobium etiam in partem cladis illius venerit, sæpe Barbarorum immanitati obnoxium, sæpius fortunis omnibus spoliatum, ferro etiam flammaque petitum aliquando, & non eversum tantum. Quippe Monachi inde per summam injuriam exturbati, tribus tantum vel ad summum quatuor superstitibus, obierunt. Itaque Romani Pontifices, ne defunctis Monachis, Mona-
F sterii quoque prædia & census annui deperirent, ea fidei præstantium Ecclesiæ Præsulum commendarunt, & in illustrium virorum potestate quodammodo posuerunt, & Abbatiæ Commendatarios (hoc enim illos peculiari nomine afficiunt Jurisconsultorum libri) voluerunt esse. Commendatariorum igitur jussu Monachi illi superstites in Monasterio retenti sunt, ac frugali mensa accepti usque ad annum MDXX. succedentibus interim in demortuorum locum aliis à superstitibus subrogatis. Summa apud ipsos dignitas Prioris erat, qui à Commendatario &

Monachis ipsis electus, eos in claustralis disciplinæ muneribus continebat: ac illi quidem obedientiam, reverentiam, & observantiam Priori debitam pollicentes, ille vero cervicibus novi Prioris Monachalem cuculam imponendo, eum in Priorem instituebat, cui reliqui parere deberent. Ex mente eorundem quatuor Monachorum, quasi ex voto pleni Capituli, negotia universa Cœnobii ad Abbatis nutum expediebantur. Verum cum hi nec sibi ipsis, neque Commendatario multum prodessent, neque Monasterio ipsi satisfacere viderentur, abeundi facultate impetrata, cum annuo sibi assignato censu quandiu viverent, ad privatos lares se contulerunt: tumque Commendatarii eos alendi, & in rebus hujusce sacerdotii consulendi, onere liberati sunt, finis Monachis inclyti olim D. Vincentii Cœnobii factus.

Unum illud scitu dignum, & ad idem Cœnobium spectans, antequam incœptum Fasciculum absolvam, tacitus præterire non possum quod Donatus Bossius res patrias concisa quidem brevitate, sed vere juxta & accurate scribens, memoriæ consignavit: in illa octava hujusce Urbis cæterarum omnium longe dirissima à fundamentis eversione, crudelis æque ac inhumani Imperatoris Federici, Rubrobarbi cognomine, jussu facta anno à Christo nato MCLXII. Alexandro summo Romæ Pontifice, Mediolani vero Archiepiscopo Urbano Pirovano, Cives omnes, qui tunc temporis incolebant Ticinensem Portam, ad nostrum D. Vincentii extra Urbis mœnia positum Cœnobium, ceu ad asylum tutissimum confluxisse, ibique consedisse, extremum Patriæ suæ excidium spectaturos. Quia vero major horum pars fabrorum ferrariorum, lignariorum, sutorum, cerdonum, cæmentariorum, & aliorum hujuscemodi opificum erat, quorum ex genere nunc etiam pars est pleraque degentium in eadem Porta, idcirco Vico illi, qui nostro Cœnobio Urbem versus extendebatur, exstructis hinc inde casis, Fabrorum nomen est datum: quamvis aliorum sententia improbanda non sit, qui longe antiquiorem, nobilioremque hujusce nominis originem, ut ostendemus infra commodius, indagarunt.

Verum enim vero, cum tuguria festinanter exstructa, capere tantam multitudinem non possent, eorum aliqui, ut exonerarent vicum, concesserunt ad Vigentinum pagum, præstantibus id ipsum reliquarum Urbis Portarum civibus, ut est literarum monumentis inscriptum. Nam qui Portas Orientalem & Novam, ante cladem illam, habitare solebant, ad Monasterium S. Dionysii protinus adierunt, inde ad Lambrati villam; qui Romanam ad D. Celsum, inde ad Nucetam; qui Vercellensem ad D. Victoris Cœnobium, inde ad S. Joannem ad Vipriam, & S. Syrum; qui Comensem ad S. Simplicianum, inde ad Carreriam ordine commigrarunt. E propria quippe tum, & communi patria ad unum omnes, nulla sexus aut ætatis habita ratione, nulliusque discrimine, abire jussi sunt, hostis immanissimi Federici decreto jubentis Urbem nostram, salis semente super injecta, æquari solo penitus, & everti, ne quo in posterum tempore habitari posse clarius indicaret, omnemque spem Civibus auferret ex ea radicitus evulsis quodammodo, & exstirpatis, novam ejus in solo sobolem procreandi, aut principio vitæ sale quodammodo exstincto, ad pristinæ Urbis instaurationem, post ulla intervalla temporum, renascendi. Ejus itaque Urbis, quæ inter reliquas locum fere principem obtinebat, demoliendæ penitus, & delendæ negotium Sepriensibus atque Martesanis datur, qui Mediolanensibus inimici, infensique nimium erant. Sed eam Patriæ ruinam, domorum exitium, ejectionem Civium, ac cætera ejuscemodi mala persequi horret mihi animus, & refugit: abhorruit enim is semper à cogitatione, nedum à narratione gravium calamitatum, (id quod sæpissime sum expertus) idcoque me id aggredi invita, quod ajunt, Minerva, & adversantibus Musis non placet. Eos casus spectare qui cupit, Latinorum is poetarum præstantissimum Virgilium adeat, & attente legat. Is enim II. *Æn.* libro extremos Troiæ casus enumerans & describens, Patriæ nostræ excidium, & infandos civium dolores, in illa miseranda suis ex ædibus exturbatione, ad vivum exprimit, remque ipsam omnem oculis ipsis subjicit usurpandam. Nempe,

———— crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Cæterum funestus Imperator, capta Urbe, Civibusque suam in potestatem, ditionemque redactis, in murorum propugnaculis præsidia militum collocavit, qui ad omnes eventus expediti essent, dum alii partim in expilandis ædibus, suisque ex iisdem habitatoribus exturbandis; partim in scrutandis latebris, indeque absconditos cives eruendis; partim in reliqua populi multitudine ex Urbis limitibus ejicienda occupati penitus distinebantur. Quocirca feri illi ac barbari, ex Martesana & Seprensi regione conflati, præclaram occasionem nacti, capitale odium, quod in Mediolanenses jamdiu conceperant, exercendi, direptionis initium fecerunt à supremis ædium tectis, quorum tegulas tanto furore & impetu præcipites ad terram dabant, ut ex eorum insolenti fragore ac strepitu plerique Civium timore insolito perterriti, alii corpore ipso hæsitantes mortuorum simillimi, alii subito animis conciderent semivivi. Hinc luctus ille crudelis, hinc pavor, & plurima mortis imago. Patres quoque nostros pertinaciter negantes è communi Patria pedem efferre à filiis, & nepotibus, enixe rogatos, ut iræ Barbarorum, furentique Cæsaris satellitio cederent, divinum Vatem descripsisse putabit Lector ea cum legerit, quæ sequuntur:

Ast ubi jam patriæ perventum ad limina sedis,
Antiquasque domos; genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troia,
Exsiliumque pati. Vos ô, quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes: satis una superque
Vidimus excidia, & captæ superavimus Urbi:
Sic ô sic positum affati discedite corpus.

Sed ipsos quoque stridores ac strepitus Mediolanensium fœminarum cum ob hostium timorem ostia pulsantium, ac etiam dejicere molientium, tum ob rerum, quæ supererant, familiarium & domesticarum curam, visus est idem Vates illas carminibus adumbrasse:

At domus interior gemitu, miseroque tumultu
Miscetur: penitusque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

Instabant hostes ipsi effractis ædium foribus, easque cogebant egredi: contra illæ negantes pertinaciter obsistebant, qua studentes comprehendere columnas, qua januas complecti, qua limina retinere; sed frustra. Vi nempe omni inde avulsæ miserando sane ac deplorando spectaculo extremum eis vale dicere coguntur, passisque crinibus & incompositis, decurrentibus hinc inde uberrime lacrymis, ac ejulantibus liberis divelluntur ad prædam. Quis sine lacrymis satellites illos carnificibus ipsis immaniores videre potuisset tardiores, aut minus expeditas non probris tantum lacessentes, sed ferro & armis, perinde ac si bruta essent immania fodientes. Fœminas, viri æque, ac juvenes dimissis verticibus inermes, ac mœsti, sine ordine, sine

sine discrimine sequebantur: adeo Barbari illi sicarii spoliaverant universos omni supellectili, & pretiosa veste, vix ut eis necessaria, eaque vilia reliquerint ad tegendum corpus. Claudebant lugubre agmen senes, & cæteri infirmo corpore & adversa valetudine impediti, iique pallidi & exsangues: nec ob ætatem tantum, quam ob pavorem totis artubus contremiscentes. Expulsis Civibus urbs sola relicta penitus, & deserta, nulli privatæ domui parcitum, direptæ omnes & æquatæ solo, quod demum sale satum & tectum. Matres igitur cum natis, viri pubi permixti, ac reliquum omne senum vulgus ad recensita paulo ante Monasteria, quæ extra muros erant, suis quique ex portis sese ordine receperunt, adjacentia illis domicilia occupantes, ut illic si minus patria, saltem patrii soli conspectu fruerentur, extremumque Patriæ suæ exitium, quoad ejus fieri poterat, propius intuerentur. Ex his, qui mercibus, artibus, vel scientiis dediti erant, otio contabescere nescientes ad alias urbes Italiæ cogitaverunt tandiu esse, quandiu saltem abesse e Patria cogerentur. Quod ipsum idem Virgilius initio III. *Æn.* adumbravit: sed quia rem longe diversam sibi ad narrandum proposuerat, eam nobis clarius exprimendam reliquit: suis nobis quodammodo coloribus præparatis, hoc est, vocibus quibusdam, ac leporibus ad rem hanc nostram pingendam maxime accommodatis. Quod licet non ita facile sit, longeque difficilius sit usurpare numeros Maronianæ Musæ, quam ejus lepores & flosculos legere: juvat me tamen proprio genio indulgere, quidquid contra sensuri sint Momi, & in hac Mediolanensi direptione Vatem ipsum iisdem fere numeris canentem audire, conatu, uti arbitror, non reprehendendo:

Res postquam Insubrum, Latiique evertere gentem
Immeritam visum Superis, ceciditque superbus
Illorum vertex, & fumat humo Itala tellus:
Diversa exsilia, & diversas quærere terras
Fatis incerti Cives, miserisque tenentur,
Quo ducat fortuna illos, ubi sistere detur.
Ast ubi convenere animis, opibusque parati
Innumeri in cunctas tandem contendere terras.
Dulcia tum Patriæ plorantes mœnia cuncti,
Et caros olim quos jam coluere Penates,
Rursus, & armentis omnes delubra, patentes
Atque lupis campos linquunt, ubi Patria quondam
Cara fuit cunctis (miserum) nunc exsulis instar
Civis per Latium sparsis datur urbibus hospes,
Artibus hinc multis effloruit Itala tellus,
Commune, & cunctis dictum fuit inde sequutum.
Is condet reliquas unam hanc, qui everterit urbem.
Sic deserta diu crudeli exercita casu,
Et natis orbata suis miseranda ferarum
Exstitit eheu sedes, pecudumque est facta cubile.

Conatus sum veteres Patriæ nostræ miserias hoc in loco subjicere, quo felicitatem eam, qua nunc Deo dante fruuntur nostri Cives, eidem in acceptum ferrent, caverentque sedulo, ne suis eum criminibus sibi infensum redderent, ansamque novis infortuniis darent. Annus, dies, & hora, quibus tum Mediolanenses ex urbe in suburbia commigrarunt, versibus aliquot indicantur apud Galvaneum *cap.* CCLXXXV. *Chronicæ*, quos hic adscribere non gravabor:

Exiit Aprilis bis quatuor ante Kalendas
De muris Urbis plebs tristis, Mediolanum
Mille centum datis annis sexaginta duobus
Vacua fuit cive, Virgo salutatur ab Ave.

Ad hunc fere modum & stylum tempora & rerum casus exprimere solebat vetus Chronographorum diligentia, de quibus satis; ne quis me alienorum scriniorum expilatorem putet.

JO. ANT. CASTELLIONAEI FLORILEGIVM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.

SECTIO I.

FASCIC. VII.

Cœnobii D. Vincentii opes. Parœciæ fines. Vitriæ origo, cursus, nomina. Cloacæ. Nero. Canosa. Clusia. Cantarana. Coriariorum, & Capucinorum novæ, & antiquæ sedes. Burgatiorum jus, ars, rivus. Vipera Vicecomitum. Vetræ antiquitas. Vecchiabia. Tributarii D. Vincentii. Fabiorum Vicus, & Porta, eorumque adventus Mediolanum. Sarcophagi nomen vetus. Sepulcra rosis spargi & ornari solita. Molliter ossa quiescant, *formula sepulcralis. Hymenæi ad Pontem Fabium statua declarata. Nuptiarum ritus. Vera de eadem statua auctoris sententia. Alia Cœnobii Vincentiani jura. De Præpositura D. Albini, S. Vincentii Vicariatu perpetuo, sacerdotiis SS. Viti, & Xisti, Delubris DD. Christophori, Catherinæ, Caloceri, & amentium Xenodochio, scitu pleraque non indigna.*



COENOBIVM hoc, ut ex Galvaneo jam antea sum præfatus, initio adeo opulentum fuit, ut ex latis illius prædiis tantum ei quotannis reficeretur, quantum non modo ad optimum victum, statusque splendorem & dignitatem satis esset, sed etiam ad affluentiam superesset. Enimvero cum Desiderii potentissimi Longobardorum Regis munificentia, tum fortuna ipsa

 cum

cum præclara Monachorum hujus Cœnobii religiosa disciplina ac sanctimonia, in eo opibus, omnique copiarum genere cumulando certasse videbantur. Hanc fructuum copiam, nimiumque redundantes Monasterii divitias, diligentius animadvertens, & acutioris nescio cujus ingenii trutina perpendens Heribertus Mediolani Archiepiscopus, earum partem novo S. Dionysii Cœnobio exstruendo jussit adscribi. Hinc factum ut illud in ore omnium versari cœperit, *Heribertum venam Divo Vincentio secuisse, sanguinemque misisse, atque hoc vitali succo D. Dionysii nomen, ac monasterium, à mortuis excitasse.* Pertingebant tunc temporis Cœnobii nostri prædia, si non à Carrubio Ticinensis Portæ, saltem à Fabiorum Ponte, quem Fabiam Pusterulam Antiquitas appellavit, nunc vero vulgus corrupta (ut opinor) voce Fabrorum Pontem, usque ad ædem D. Christophori in libera nostrorum Monachorum ditione. His in prædiis, cum civitas post illam maximam ab Imperatore Federico illatam Patriæ cladem, instauraretur à S. Galdino Cardinali sacrum imperium Mediolani tenente, & viciniora suburbia cingerentur, ne in posterum barbaris, exterisque gentibus essent adjumento: varia exstructa fuere ædificia, eorum prædiorum fundis quibusdam Civibus in emphyteusin concessis, ut infra pluribus ostendemus. Sed & aliis in locis tum Mediolanensis, & Viglevanensis, tum Comensis, & Novariensis agri amplissima frumenti, vini, & aliarum rerum vectigalia Divi Vincentii Cœnobium exigebat.

Ac ne quæ de prædiorum fructuum & redditaum hujusce Cœnobii ubertate universe diximus, à vero discrepare videantur, speciatim attingemus ea, quæ publicis documentis & integerrimis literis continentur, ut veritatis amantes potius, quam Poetæ, in explicandis Ecclesiasticis antiquitatibus, habeamur. Ac quoniam prædia, quæ media inter Carrubium, sive Corrivium Ticinensis Portæ, & loca delubro D. Christophori proxima jacent, in Monachorum nostrorum jus atque ditionem majori saltem ex parte, Regia munificentia concessisse initio Fasciculi diximus, eam rem nunc clarius exponemus. Neminem igitur hujusce veritatis attingendæ cupidum latere debet, egressis olim è veteri Ticinensi Porta obviam fuisse perennem quendam aquæ rivum decurrentem ad fines usque nostræ Parœciæ spectantis orientem solem. Is postea Vipriæ nomen accepit, ac tum agri quidem aperte lymphis illius, & prata finitima irrigabantur, quæ nunc veluti per cuniculos fornicati operis occulte profluunt ad peculiares usus Vicum eorum de nomine incolentium: & nostra memoria quidem limpidissimos rivus is latices promebat viatoribus palam, hodie delitescit, nec se inspiciendum præbet, nisi post aliquod intervallum, quo latior ubi Ticinensis excurrit via, Coriarios contingat, qui Vetraschi, ut ipsemet ibi rivus Vitria nominatur. Undenam igitur rivus is nomen & initium traxerit, operæ pretium, ut locus me ipse admonet, aperire. Nam hodie quidem videmus illum ex Urbis fossa juxta Pontem Fabium proficisci: sed olim ex remotiori fonte manasse non desunt, qui audeant affirmare. Nos igitur re sic hortante superiora, quantum in nobis erit, tempora repetemus, ac primum ejus fontem, lucerna Cleanthis adhibita, requiremus.

Ignari locorum & antiquitatum varias de eo sententias attulerunt. Siquidem aliqui censent Vetram ex eodem fonte atque principio promanare, ex quo rivus ille, qui è prædio urbano Breguntia, non procul à Cœnobio Cucullatorum S. Victoris ad Ulmos primum erumpit, statimque sese fornicato sub ponte abdit, inde Monachorum Olivetanorum, Collegii Calchii, & Ambrosiani Xenodochii conterminos & amœnos hortos irrigando discriminat: mox exiens per canalem siliceum ad Conchettam Parœciæ Vincentianæ terminum, aquis fossæ Civitatis auctus, secus viam Lesinorum excurrit, ac majori Xenodochii Amentium parte circum obita, medium Abbatiæ nostræ vinetum interfluit, percurritque, donec navigero aquæductu apud Tombonem exceptus alieno in alveo conquiescit: ab eodem, inquam, fonte & principio censent isti rivum illum promanare, à quo promanabat Vetra, antequam Urbs mœnibus cingeretur à Ferdinando Gonzaga Mediolanum pro Carolo Quinto Cæsare moderante.

At hi non minus inscitiæ locorum, quam erroris temporum arguuntur, illius quidem eo clarius, quo notius est rivum hunc alterum non extra Urbis mœnia, unde Vetra nostra quondam proficiscebatur, sed intra è parvo fonte prope Vercellensem Portam effluere, & ad Breguntiam modico alveo derivari: istius vero quod multo ante mœniorum Urbis instaurationem aquæ Vetræ, quas longe emendatius Veteres diceremus, decurrebant in Urbem: rivus autem ille paulo supra nostram memoriam, nempe tunc temporis, quo mœniorum fundamenta poni cœpere, ex fonte effosso arte non natura prodiit ad privatos usus vectigalia ac rerum portoria exigentium in vicina Porta.

Ferunt alii aquas istas Veteres per aquæductum pensilem Urbis mœnia transcendentem influere, deducto in agros Monachorum sancti Victoris Martii alveo ad irriganda prata nobilium Raynoldorum, indeque fontanis nescio quibus aquis admixtas lavandis & purgandis pannis lineis inservire, eorum demum ambitu munitis prius ac septis quodammodo vinetis Abbatiæ nostræ, nec non & contermino Majoris Monasterii agro, navigabili rivo conjungi.

Verum enim vero hi quoque licet propius antiquum Vetræ principium attigisse videantur, ejus tamen verum & primævum fontem, quemadmodum etiam auctorem, tempus, & locum, unde primo deductæ fuerint, penitus ignorasse ex his, quæ dicemus, meridiana ipsa luce clarius apparebit. Constat enim aquas ejusmodi nostra ætate à Præside Raynoldo magna impensa ex loco D. Petro in Sala proximo, derivatas è capite fontanarum aquarum inibi ejusdem opera repurgato, ac novo pariete communito nasci: Vetram vero prope Fanum D. Joannis ad Vetriam una cum ipso nomine caput extollere, olimque Orona permixtam nostrum S. Vincentii Templum versus fluxisse, nunc conditis Urbis mœnibus, obstructo sibi in eandem aditu interclusam ægre admodum juxta ejusdem mœnia labi, demumque navigabilem rivum ingredi ad primarium ejus ostium, Tombonem à nobis superius appellatum.

Aliorum sententia fuit Coriarios aquas Vetræ per occultos Urbis meatus aliunde deductas illuc, qua nunc defluunt, coegisse.

Ac veritatem isti quidem magna ex parte contingunt, sed clare minus & expedite loquuntur. Quamobrem horum ego mentem explicare contendam, quod ut commodius præstem ab eo usque seculo ducam exordium, quo Romani Mediolanum redactum in potestatem suam mœnibus munierunt. Tunc enim iidem ut humiliora nostræ Civitatis loca circa forum aliasque præcipuas Urbis vias imbribus plus æquo quandoque madentes, & interdum invias exsiccarent cloacas quatuor, quarum Paulus Morigius lib. 1. *suæ Historiæ* cap. 11. meminit, ad Romanæ Urbis imitationem substructis fornicibus effoderunt. Ac quemadmodum Tarquinius Priscus earum primus auctor Romæ, quod infima Urbis loca (verba Titi Livii sunt *lib.* 1.) circa forum aliasque interjectas collibus convalles, quia ex planis locis haud facile evehebant aquas è cloacis fastigio in Tyberim ductis siccat: ita Romani Medio-

Mediolano potiti, ut Urbis & civium sordes inde facilius eveherentur, rivos perennium aquarum in cloacas ex fossis ipsius Urbis, aliisque ex jugibus fontibus derivarunt: neque vero id tantum commodi ex aquis hujuscemodi Urbs cepit, sed utilitatum aliarum quamplurimarum fructus, quos nostri instituti non est pluribus aperire. Illud sane non aperire non possum, hujuscemodi subterraneos aquæductus tres præcipue fuisse, eosque omnes in Vetram seu Veterem confluxisse. Primo à confluente navigabili Martesanæ caput erat, excurrebatque nostra memoria patenti & aperto alveo juxta Jovis arcem usque ad D. Joannis ædem, cui cognomen supra Murum, non quod ejus Divi imago olim in pariete picta fuerit, ut sciolus nescio quisdam, literis ad me datis, scite parum sensit, sed quod trans, sive ultra murum Urbis vetustum initio esset, qua significatione Virgilius usurpavit hanc ipsam propositionem, cum cecinit de Augusto Cæsare lib. VI. *Æneid.*

——— *Super Garamantas, & Indos*
Proferet imperium.

Et Apulejus cum inquit: *Jam enim supra oppidum profectus, nos citra reliquerat.* Ejus ædis nunc præfecturam obtinente Antonio Curtio, qui veluti cum Ambrosio Borroneo Lateranensis apud Mediolanenses Basilicæ dignissimo olim Parocho in laboriosis Philosophiæ ac Theologiæ castris mecum strenue desudavit: ita in utriusque facultatis laurea referenda tertius à nobis fuit, quod eo libentius à me dictum, quod alteri me devinctiorem esse non credam, nec alias hisce duabus candidiores alibi animas reperiri. Ab hoc igitur D. Joannis Fano primus is aquæductus non visus Vercellensem Patriæ regionem clam interfluit, mox ad Ticinensem divertens descendit in Vetram. Cognomen, quod idem à vulgo, sed corrupte, traxit, Niro est, rectius enim Nero dici deberet à Nerone Cæsare, quo imperante sunt qui illum per Urbem primo deductum velint, nisi quis, meo quidem judicio, malit, prima N. in R. litera commutata, Rivonem dicere, voce ob aquarum copiam increscente. Quamobrem rivus is cloacas memoratarum regionum satis commode putridis ac restagnantibus aquis levabat, uliginesque ac sordes cæteras imo fundo firmius adhærentes penitus eradebat.

Alter is erat, qui hodie quoque è confluentibus Lambri aquis extra Urbis mœnia juxta Orientalem Portam initium ducit, ingressusque primum ejus regionis vicum aperto & patente alveo ad pannos maxime lineos abstergendos, & usus alios accolarum excurrit, hinc ad Urbis fossam se sub ponte condens ad interiores Civitatis regiones occulto meat, perque Orientalem, Tonsam, & Romanam Portas meridiem petit, nec ante se olim aperte conspiciendum exhibebat, quam Canosam attigisset, locum non procul à Monasterio Vestalium S. Augustini Portæ Ludovicæ situm, ubi denuo sese oculis subtrahebat, ac demum ad S. Michaelis nescio quibus claustris interclusus, quæ Clusiam dicunt, ne totus simul flueret, ac ob id Coriariis impedimento esset, sensim excipiebatur à Vetra. Hujusce rivi interclusionem proximæ D. Michaelis ædi cognomen dedisse credimus, etsi recentem ejus Rectorem FRANCISCUM PORTAM è cœlo delapsum ad divinum in ea cultum, exquisito in primis sacrarum omnium rerum nitore, restituendum, ædis ejusdem famam obscuratam propemodum illustrasse, & sua industria ferme abditam patefecisse, doceant vel ipsius tum sacræ ædis, tum rectoris nominibus, & cognominibus, arcana mysteria comprehensa. Ad ejus enim usque tempus clausa Parœcialis majestas, non nisi hac patente PORTA in publicum prodiit, atque ut ab Archangelo Michaele clarissimam denominationem suam ædes assumpsit, sic is nomine clarissimo Seraphici numinis meruit appellari. Nemo sane hoc uno melius candore, vel suavitate morum, Parochum omnibus suis numeris absolutum expressit, nemo clarioribus argumentis utile honesto miscere cupientibus, non modo mortuam, sed ferme sepultam familiarem inter animorum Curatores consuetudinem, atque Parœcialibus in muniis mutuas tanta cum majestate officiorum vicissitudines persuasit. Hinc facili negotio factum est, ut quem magnum virtutis & communis necessitudinis desiderium idoneum suasorem Parochialis dignitatis ultro fecerat, communis quoque Curatorum consensus veluti magistrum sua secutus sit sponte, & uti Virum bono natum publico amplexatus. Ea mente, & pietate, eo concordiæ studio, domi, forisque diu optatum in Mediolanensis Ecclesiæ templa sacrarum functionum decorem sua cum majestate Pastor vigil ac sedulus vindicavit. At quoniam pelagus immensum laudis ingressus videor, è quo vix egredi poterunt, etiamsi maxime velint, qui ulterius abripi patientur, ad littus me recipiam, ex quo solvi, ne quam invidiæ, aut adulationis notam incurram, imo ad rivum illum, qui me in hoc mare duxit, ut reliqua de eo mihi dicenda prosequar, antequam ad alia progrediamur.

Secundus is igitur rivus, quem vulgo Cantaranam vocant ob ranarum ejus in limosis aquis coaxantium, & garrulis inter se modulis obstrepentium, copiam, statim ac è claustris erumpit Vetræ fluvium parit ob eam, quam supra diximus, purgamentorum admixtionem majori ex parte subnigrum.

Tertius ob id rivus est Vetra, cujus præsentem cursum paulo ante descripsimus, antiquum vero suo mox loco commode subjiciemus, ubi hanc tertiam opinionem planius explicaverimus.

Ex dictis igitur propius vero est aquarum Vetræ partem tantum, non omnem, per occultos Urbis meatus fluxisse modo, quo narravimus supra: siquidem aquæ nostra ex Parœcia recto tramite decurrentes ab aliis discretæ primitus erant, eæque solæ nomen toti rivo dabant, eo, qui consequitur, meantes modo.

Ante Urbem mœnibus circumseptam paulo nempe ante memoriam nostram Olonæ flumen, aliæque in illud confluentes aquæ prope D. Joannis Fanum, cui cognomen ad Vetram, ambitu leni labentes aliquantulum considebant, perinde ac si ibi morarentur, metamque sui cursus attingerent consistentes. Eam ob caussam Coriarios aquarum illarum opportunitate ductos scœnofactoriam ibidem artem primitus exercuisse, à Majoribus nostris accepimus fide bona, ac eo fortassis etiam fine, ut animalium male olentium coria procul à civibus curarentur, cujus ergo illic habitare jussi sunt à Provisoribus communis commodi & urbanæ incolumitatis imperio, publico quoque decreto Principis accedente, ne qua inde contagio crearetur, si apud frequentem populum curarentur. Hoc certum ex Veterum monumentis, licet procedente ævo, longioris viæ incommodum, & artis eorum necessitas ad eum, ubi nunc degunt, locum eosdem (permittente Magistratu) coegerit commigrare. Hæc ipsa itineris longitudo, cum civium animos retardare & avocare quodammodo videretur à concursibus, & pio quovis officii genere erga familiam Capucinorum, quæ ædem illam D. Joannis ad Vetram primo habitatum venerat, in caussa fuit, ut ad vetus Monasterium S. Victoris ad Ulmos concesserint, quod prius incolebant Moniales, quæ nunc in æde S. Catherinæ ad Clusiam divino cultui mancipatæ perhonorifice degunt, quibus Capucini loco, & vice nuper acqui-

quisiti loci, primum nimis ab Urbe distans reliquerunt, in earumdemque Monialium jure ac ditione ad hunc usque diem Ædes sacra à Capucinis deserta, & eidem adjacentes agri perseverant.

Hac una de re tantum inter se digladiantur acerrime Mediolanensium antiquitatum studiosi, num illa, quæ hodie quoque visitur, sacra D. Joanni ædes extra Vercellensem portam ad Meridiem sita, ædes illa sit, quam Mediolanenses Duces instaurarunt, duobusque sacerdotiis honestarunt, an illa, quam æquasse solo dicuntur Mediolanenses, cum Urbem mœnibus communirent. Cæterum in eo conveniunt omnes, primam ejus nominis ædem vel ab ea tempestate, qua Federicus Rubrobarbus Mediolanum evertit funditus, exstitisse, cum post ad illam ii, qui ad Monasterium S. Victoris primo confugerant, commigrarint, uti supra nos quoque notavimus ex Donato: recentem vero ejusdem nominis ædem non admodum antiquam esse, idque tum ex sacræ turris forma, quæ nupera est, tum ex ædificiis aliis apparere. Ut ut hac de controversia sit, quæ parum ad rem nostram facit, nisi qua verum esse confirmat prope illam D. Joannis ædem restagnantes aquas per alveum arte effossum in illum fuisse rivulum derivatas, qui nunc dementium Xenodochium ambit, rectoque decursu postea Burgatiorum domum versus meat, ubi olim molendis rebus ad novæ artis inventum segregandi aurum ab argento, spectantibus, magno usui erat; ac mox sub ædium Burgatiorum radicibus permeabat, è quibus egressus per illam patentem tumbam, quæ nunc etiam visitur, fossam Urbis intrabat, statimque exceptus ostio inibi posito è regione, viam primo Vitram Cittadinorum, à proximis & frequentibus earum familiæ domiciliis nuncupatam, per aquæductum subterraneum interfluebat, donec Coriariorum Vetra modo, quem ante descripsimus, exciperetur. Eum nos antiquum Vetræ cursum eam primam illius originem exstitisse censemus prioribus, uti potuimus, sententiis confutatis, posterioribus vero partim explicatis clarius, partim diligentius comprobatis, non tam edocti rationibus jam adductis, quam Majorum, à quibus eadem sæpe accepimus, auctoritate, vestigiisque pervetustis arcuum, alveorum, aliorumque ædificiorum & rerum, quæ visæ à nobis acuratissime nostram ita sententiam firmant, ut infirmari non possit. Haud tamen inficias ierim, improbatas à nobis sententias aliorum videri dignas excusatione aliqua ob vicinitatem loci, à quo tamquam à fonte & principio aquas à se falso Vetræ creditas, deducere studuerunt: ac multo magis propter Vetræ veteris alveum communem, per quem has etiam num aquas præterfluere animadverterunt; maxime denique propter unum prorsus & eundem harum aquarum & Vetræ ingressum in Urbis fossam. Adde his ansam, immo justam caussam, variandi datam fuisse post condita mœnia Civitatis, quæ aquas illas à suo fluxu veteri, sua mole interposita abducentes, migrare alio coegerunt. Burgatiorum Virorum tunc è vita discessus, & superstitum ex eadem familia mulierum incuria in retinenda sibi aquarum illarum possessione, sive inscitia in antiquo illo molendi jure sibi (ut decuerat) vendicando, in caussa fuerunt, ut obstructa mœnibus via, per quam aquæ illæ gradiebantur, nunquam in posterum sit aperta. Exstiterunt re vera decursu temporis è Burgatiorum familia surculi & hæredes aliquot, qui facti grandiores, suarumque rerum æque ac aliorum statum edocti, in procurandis domesticis commodis naviter desudantes, de jure aquarum illarum sibi sublato coram Mediolanensi Principe graviter questi sunt, suaque sibi reddi etiam atque etiam petierunt, tantoque studio, tanta contentione animi & nervorum rem suam ad unum omnes administrarunt, ut aquarum illarum loco concessum iis fuerit ejus rivuli jus, qui ex supra laudato illo fonte juxta Vercellensem Portam perenniter fluens primum ad Breguntiam, dein manat Hospitalem sancti Ambrosii domum, mox dementium Xenodochium circumfluens, demum ad fines horti Seroniorum patente delatus alveo per subterraneum aquæductum eorundem Burgatiorum ædibus ad usum molendi sese ingerit & immiscet. Cæterum quemadmodum veterum Burgatiorum res, non modo artis peritia, & industriæ nescio cujus singularis studio, sed etiam Ducum Mediolanensium beneficiis ac familiaritate, ob insignem in venando solertiam, floruerant, sic artis ejusdem neglectu in posteris reique familiaris, nec non socordia & nimia ganeæ indulgentia penitus conciderunt, adeoque ære alieno oppressi sunt, ut non solum aquarum illarum possessionem ac molendi usum, vili accepto pretio, Hospitali concesserint: verum etiam cum solvendo non essent, in carcerem detrusi vitam exitu clauserunt deplorando, vere ut de Burgatiis illud Poetæ Comici affirmari possit,

O Fortuna, ut nunquam perpetuo es bona.

Ea siquidem sæpissime consuevit, quos initio suo favore complexa fœlices effecerat, sævo post quodam joco quodammodo insectari, & in fœdum tandem miseriarum omnium pelagus deturbare. Sed hanc vicissitudinem ipse quoque rivus expertus est, jussus consistere, aut certe pigre admodum fluere & restagnare ob ulvas & purgamenta plurima congesta ad os cuniculi Burgatiorum in ædes alias deducentis. Quamobrem ne illic aquæ illæ putrescerent certo cum accolarum, magnoque discrimine, Majoris Xenodochii præfecti, quos in jus Burgatiorum concessisse diximus, circiter annum sexcentesimum septimum supra millesimum, rivum eundem à suo cursu veteri abduxerunt, & in Divi Vincentii vinetum fluxu non difficili deduxerunt, potestate sibi ejus per viam illam Abbatiæ nostræ propriam deducendi liberaliter à Præsule Vincentiani Templi data, legibus quibusdam adjunctis, quæ rei non tantum privatæ quam publicæ commodum spectant. Atque hæc de antiqua Vetræ origine, & præsenti ejusdem cursu pro re nata dicta sufficiant: unde tale nunc illi nomen inditum fuerit, indagemus, rem alioqui difficilem & perobscuram, cum nulli de ea scripserint, quod sciamus. Adhibenda tamen nobis pro viribus ejus indagandi nominis caussà diligentia est, quod plurimum ad rei totius veritatem, quam aperimus, magis declarandam attineat, & comprobandam.

Ut hinc igitur ordiamur, ex antiquorum Scriptorum lectione varie sæpe hocce Vetræ vocabulum usurpari animadverti. Pluribus nimirum in tabulis fide Notariorum, sive tabellionatus, ut ipsi loquuntur, signis & literis insignitis VEPRIA; in rescriptis autem aliquibus Senatus Mediolanensis VITRIA; in quibusdam demum Ducum Mediolanensium diplomatibus VIPERA nuncupatur. Ac primi quidem, si vocabuli ab iis usurpati notionem attentius persequimur, à voce Latina Veprium, herbæ notissimæ nomen ad rivulorum margines enascentis, Vepriam dixisse videntur, quod forte ejus rivi ripæ magna olim Veprium copia abundarent. Neque idcirco Senatus clarissimi Ordinis Scribæ minus scite locuti putandi sunt, cum Vepriæ loco Vitriam usurparunt, quod illis persuasum esset non alio nomine commodius, quam ab insita rivuli ejus aquarum perspicuitate, qua vitro pellucidiores suo de fonte manabant initio, rivulum ipsum Vitriam appellandum.

At qui Principes Urbis nostræ Vicecomites uti plus imperii, plus potentiæ habebant, ita plurimum auctoritatis & gratiæ nomini à se rei imposito

sito sua afferre præstantia potuerunt, tametsi ab usitato rivi nomine distare longissime videretur. Id enim non nisi optima cum ratione rivo illi nominis imponere voluisse sapientissimos Duces, aut eorum in gratiam Mediolanenses, credere par est, ac cum Vipera peculiare Vicecomitum insigne vetustis in parietibus ædis illius D. Joanni sacræ depicta, aut certe sculpta in marmore juxta gentis & temporum illorum morem illac transeuntibus appareret, ob singulare beneficium duorum Sacerdotiorum ea in æde à Vicecomitibus patronatus jure institutorum: rivus vero ille, de quo nunc agimus, propter eandem ædem caput olim attolleret, facile adduci possumus, ut credamus à signo illo, veluti à re Mediolan. Principibus grata, & rivum eundem Viperam, sive ad Viperam appellatum. Nam quod rivus idem statim ac à suo fonte digressus est, viperinum in modum flexuosis mæandris & anfractibus serpat, leve argumentum est nominis illi impositi Viperini. Confirmant id ipsum imagines unius & alterius Joannis in ipsamet eorum æde coloribus olim expressæ, quarum uni Jo. Baptistæ scilicet verba illa cernebantur adscripta, GENIMINA VIPERARVM QVIS VOS DOCEBIT FVGERE A VENTVRA IRA? Alteri vero Joannis videlicet, cujus ex calice Vipera prominebat, hæc alia, RIVVLVS, ET ANGVIS, ille quidem humi serpens humilis & labe carens; iste vero divinæ gratiæ dono innoxius factus. Qui enim rivulum puritatis ac humilitatis indicem fuerit imitatus, & eodem elingui doctore quodammodo uti voluerit in emendanda vitæ dissolutæ ac perditæ ratione, is omni procul dubio imminentem sibi Christi venturi judicis iram facile declinabit. Quamquam Anguis eidem quoque propositus esse debeat ad imitandum, in ipso nempe veneno scelerum evomendo ad pedes sacri alicujus à Confessionibus viri, pravosque humores omnes ac noxios animis expellendo.

Hæc erant, quæ de multiplici hujus rivi denominatione me legisse memini; verum quia nullum harum trium denominationum verum etymon invenio in actis alicujus publici documenti, nec ullum certum earundem auctorem habeo, quem sequar, certi nihil hac in parte audeo affirmare: etsi *Vetræ* nomen diutina consuetudine frequentius usurpatum, præ cæteris magis utendum esse, probandumque crediderim loco VETERIS, quod prisca ætas Latinæ linguæ peritior usurpabat, scribebatque semper. Vulgi enim vitio & prava loquendi consuetudine factum est, ut VETER in VETRAM sibi proximiorem, significatione aptiorem, magisque inter alias sibi congruentem vocem abierit, ad eum plane modum, quo Pontis Veteris in Cumana Porta Mediolanensi, primum & sincerum cognomen easdem ob caussas in Pontis Vetri appellationem, corrupto à vulgo vocabulo, transiisse scimus, & legimus apud omnes. Sed enim dicti ante, res ipsa magno documento est rivum hunc VETEREM, non VETRAM, fuisse antiquitus nominatum, vel ex eo patet, quod ab ea tempestate exstabat, qua Romani ad exonerandam sordibus Civitatem, cloacas Urbis nostræ condiderunt, easdem in hunc Vetræ rivum commode deducentes, nullus fere ut apud nos eo vetustior sit rivus. Quid multis? omnem prorsus difficultatem hanc tollit nominis istius Vetræ commutatio in aliud Veteræ apud nostrates simillimum nomen, materno si idiomate proferatur. Rivus is siquidem tum ubi prope coriarios inflexi cubiti imagine sedens aream illam magnam patibulo fontium famosam, ne dicam infamem, à lævo latere cinxit, tum ubi pergrandi fornice receptus subsedit, fossamque Urbis subterlabens in adversa ripa juxta eam turrim, quam Imperatoris appellant, emergit ad usum molendi frangendo tritico accommodati, Vetræ nomine perpetuo vocitatur; at ubi transgressus est Urbis prima mœnia, nomine Vetræ de-

A posito laxior & patentior means non exiguis aquarum Urbanæ fossæ auctus incrementis, vulgo VECCHIABIA dicitur: qua voce juxta patrii sermonis usum, Mediolanenses res appellare veteres consueverunt. Hinc igitur, rem ut omnem hanc paucis absolvamus, colligimus Rivum istum primo Veterem appellatum, mox aliis affectum fuisse nominibus pro diversitate capitum & sententiarum; novissime demum à vulgo Vetram vocali E. imo in loco sublata, in altero vero cum A. vocalium altera commutata dictum.

Recte nunc & ordine his præmissis, tum urbanorum, tum rusticorum prædiorum vectigalia nostro B Cœnobio debita prosequemur, in ea nempe Vetræ parte, quæ Cittadinorum dicitur, duæ adhuc magnæ sunt domus, aliaque hinc & inde usque ad Fabiam portam vasta ædificia conspiciuntur, quæ annuum censum, sive tributum, Præsuli nostri Templi persolvunt, adhucque clari hujus Vetræ, sive Vici, cives Casati, Petrasanctæ, Caravagii, Vertuæ, Cittadini, Bormii, nostro Cœnobio tributa pendunt, ut ex publicis Notariorum documentis, & antiquis Monachorum tabulis satis constat. Extra Fabiam Portam ad lævam ædes sunt Burgatiorum, de quibus paulo ante meminimus nos meminisse, & Palatium à fundamentis patrum nostrorum memoria ex- C structum à Flaminio Saronio, viro hilari, liberali, diti, quod medium Vicum ipsum Fabrorum illustrat. Neque enim pulcherrimo fonte tantum frigidissimas lymphas variis è siphunculis emittente, variisque Deorum statuis ac picturis illustre nitet, & recreat: sed insigni quoque horto diversis arboribus consito perenne viret ad prospectum & oblectationem maximam oculorum. Quamplurium quoque Europæ Principum hospitio nituit, & celeberrimo Labyrintho, cui Flaminii mors, vita immature functi, finem attulit, cum aliis quamplurimis ornamentis pulcherrimi fontis, alias graviores in curas incumbente in oppido Laudis Pompejæ Julio Saronio, D nepote ex fratre, & hærede, ubi uxore ducta patrios lares incolebat. Nitetque nunc maxime domus hæc ingens, sedes effecta clarissimi Alphonsi Ghilien à Carreria Hispaniæ syderis, Magistratusque extraordinarii apud Mediolanenses Præsidis. In quo sibi Charites & Virtutes omnes suum ante domicilium collocarunt. Antecessor enim primarius Academiarum complurium toto terrarum orbe celebrium, in iis sic effulsit, ut ad Salmanticensem omnium facile principem accersitus Antecessores illius præcipuos longo post se reliquerit intervallo. Dignitatem sane illam eximiam ac majestatem, qua Præsidis personam sibi nuper impositam egregie sus- E tinet, ordinum omnium amorem sibi concilians, mortalium meo judicio perpauci consequentur. Camilli tandem Comitis domus nuper à Dionysio Maspero empta extremum hunc Vicum à læva claudit. Dexterum ad latus domicilia quatuor ingentia se attollunt, quorum unum est Plantanidarum, alterum hæredum Joannis à Specie, tertium illustrium Fratrum à Petrasancta, postremum Caroli Balconii, cujus in locum successit emptionis titulo Joannes Petrus Pratensis mercator Florentinus: iique omnes annuam pensionem Templo nostro in recognitionem (uti Jurisperitorum vox est) directi Dominii solvunt.

F Sed antequam ab hoc Vico cedamus, perlustratis licet ejus ædibus tributi, seu pensionis jure Vincentiano Templo devictis, de nominis ejus origine persequemur, quæ sunt à nobis hactenus observata, licet obiter aliis in *Fasciculis* attigerimus aliqua spectantia ad eundem finem. Uni siquidem nominis hujus Vici originem unam, alii aliam, & quidem diversam tradunt, veterem aliqui & insignem, novam alii sordidam & obscuram. Quod ego partim ab adulatoribus, partim ab obtrectato-

ribus manasse crederem, quorum primis Vicus is maxime placeret, aliis è contra maxime displiceret: nisi jampridem apud graves Historicos legissem, & hisce etiam, quibus scribimus, oculis adspexissem antiquitatis aliquot monumenta, ob quæ Vicus is potuit nomenclaturas diversas accipere à nobis mox suo loco planius explicandas. Ac ii quidem, qui volunt Vicum hunc traxisse nomen ab insigni fabrica inibi ab antiquis Romanis ad Urbis ornamentum exstructa, vel à sanctæ memoriæ Archiepiscopo Galdino in antiqua mœniorum instauratione ædificari cœpta, quo instar speculæ, nec non & propugnaculi populo Mediolanensi esset nationibus exteris oppositi ad terrorem vulgare: potius ejus nominis etymon respiciunt, quam proprium & Latinum. Adde, nullum firmum probatæ historiæ testimonium suffragari, ex quo hujusmodi illic exstitisse fabricam constet, sed duas tantummodo, easque leves admodum, conjecturas, quarum alteram ducunt ex vetusta loci appellatione, qua olim Portam hanc Fabricam appellabant; alteram ex antiquis turris nescio cujus, aut arcis vestigiis, quæ etiamnum visuntur in ampla vinaria cella Joannis à Furno. Verum quam levis utraque hæc conjectura sit, nemo non videt. Nam & Fabricæ nomen ex corrupta & barbara illorum temporum lingua manasse, & vestigia illa non altioris, insignisve alicujus Fabricæ, sed portæ, seu mœniorum Urbis vestigia esse rectius meo censeri judicio potest.

Alii vero, qui nomen à Fabris Vico datum putant, (quod sane communibus nunc civium omnium sermonibus usurpatur) ut in vocabulo congruunt, sic in ejus origine derivanda valde inter se dissident. Horum enim ex numero sunt, qui illud deducant ab aurificibus, quorum nonnullas antiquas officinas ex curiosa quadam observatione, anterioris scamni parietum rubro intus colore delibutorum ex eorum artificum more, & aliis officinarum ejuscemodi formis notatas in hujusce Vici vetustioribus ædibus se agnovisse testantur.

Alii è contra censent non ab aurificibus, licet ii vernacula apud nos lingua Fabri nominentur, sic dictum, (quod aurifices Fabri interiorem Urbem incolerent) sed à Fabris illis, qui ingenti malleorum sonitu auro velatum argentum in tenuiores bracteas deducunt, ac etiam num ad extimos Urbis vicos frequentiores degunt.

Tertii sunt quodammodo ordinis alii, qui quovis pignore contendunt, Vicum hunc, aut à Fabris aurificibus dictum, aut si qui sint, qui id negare ausint, longe minus à Fabris aliis appellatum. Primo quod hujuscemodi Fabrorum ars Mediolani ipso Vici nomine sit recentior. Deinde quod etymologia ejusmodi nimis obscura ac sordida videatur, nec absque majori fundamento in Mediolanensium animis propaganda. Hujus igitur ordinis viris placet, Mediolanensi Urbe jam à Federico Rubrobarbo eversa penitus & deleta, variarum artium Fabros Ticinensis Portæ in hæc loca, ubi nunc Vicus Fabrorum est, unanimes confluxisse, sedesque ibi, quas tum poterant, posuisse, casis quibusdam exstructis, ut in proxime superiori *Fasciculo* docebamus, Vicumque à Fabris non unius, aut alterius artis, sed ab omnis fere generis opificibus nuncupatum. Favent his Annales Patriæ: sed præter rationes duas contra primæ sententiæ auctores nuper allatas, mirandum in modum pugnat hæc tertia. Non minorem in aliarum Portarum regionibus Fabrorum copiam tum fuisse, quam esset in Ticinensi Porta, nec ob id loca, ad quæ tunc illi confugerant, Vicos Fabrorum dicta, nec dici, nulla ut afferri posse ratio videatur, cur Vicus hic noster à Fabrorum concursu ad se facto ita appellari debuerit, cum ad alios æque concurrentibus Fabris, eorum nullus à Fabris acceperit cognomentum.

A Proferamus igitur nos in medium novam quidem, &, ut plerisque videri poterit, inauditam hujusce nominis originem: sed firmioribus rationum monumentis innixam, ut ea perpendentibus facillime apparebit. Ac, ne longius aberremus, antiquorum Scriptorum vestigiis insistemus, quibus datur hæc venia, ut in nomenclaturis locorum ac gentium afferendis, originibusque nominum indagandis, eorum primordia semper augustiora faciant, & ad Deos auctores referant, vel Heroes. Ac ut in præsentia de superstitiosis Gentilium Diis uti commentitiis nihil dicamus, licet multa de iisdem memoriæ prodita ad rem quoque nostram posse facere videB rentur, clarissimam Populi Romani Gentem FABIAM nomen huic Vico dedisse sentimus, ratione vel à summo illius culmine, ab ipso, inquam, Fabio Maximo, repetita, ut ostendemus, ubi pauca fuerimus de hac ipsa Gente, majoris Vico splendoris adsciscendi caussâ, præfati. Gens itaque Fabia divitiis æque affluens, ac familiarum numero referta, tantum olim Romæ una valuit, ut aliquando sola totius belli contra Vejentes gerendi provinciam susceperit, sustinueritque. Quamquam adversante fortuna, quæ solet in bellis maxime dominari, eorum sex & trecenti desiderati propter insidias fuerint uno die, sic eorum cædem lib. II.
C *Fastorum* Ovidio deplorante:

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes:
Ad bellum missos perdidit una dies.

Eadem longe plures, quam cæteræ, viros Consulares habuit, quorum magnam partem cum exercitibus in varias expeditiones contra Cisalpinos Gallos à Romanis missam ad nos venisse satis ex historiis liquet, ac Fabium quendam in primis Allobrogem cognomento, Q. item Fabium Maximum, ac Fabium Gurgitem, ut aliquibus placet. Quibus cum Ducibus plerosque alios ejusdem gentis una venisse vel ex innata genti cupiditate, qua ad Imperatorum suorum decus ac gloriam concitaD to quodam impetu rapiebantur, persuasum omnibus esse debet. Legimus enim Fabio Duce contra Allobroges proficiscente tantum eodem proficiscendi libidinem reliquos ejusdem familiæ viros ac juvenes incessisse, nunquam ut exercitus numero unius & ejusdem gentis major, aut generis nobilitate clarior, Romanæ Urbis è mœnibus sit egressus.

Ac ejus splendori quidem eventus non impares responderunt: nam re feliciter ab eo ad Isaram flumen gesta Rege Allobrogum interempto, reliquis hostium fusis, & pene omnibus internecione deletis, opimis eorundem spoliis onusti Fabii una cum præstantissimo Duce, à quo jam in hyberna fuerant E distributi, redibant in patriam triumphantes, Mediolanensemque jam Urbem attigerant, cum novis rumoribus ab hostibus acceptis, ibi subsidere coacti sunt, ne itinere majori jam ex parte confecto novo cum labore reverti, aut frustra Allobroges repetere viderentur. Quamobrem re variis hostium artibus diu extracta, ancipiti ad deliberandum cogitatione distracti Fabii, inter spem rursus in Patriam redeundi, & metum ad eosdem Allobroges revertendi, novos tumultus acrius excitantes, in stativis ea in Urbis nostræ parte, quæ Allobrogum regionem spectat, quæque viam ad eandem expeditiorem habet, novo nunc Sabaudia nomine nunF cupatam, commorati sunt, donec spes illis abeundi certior arrideret.

Eandem igitur Urbis nostræ partem cum incolerent Fabii, eorum aliqui cœli clementia, aeris temperie, pratorum viriditate, aquarum salubritate, camporum amœnitate, vinetorum feracitate, sylvarum æque volucribus ac mansuetioribus feris refertarum opacitate, frutetorum denique generis omnis specie, & amœnissimorum fontium perennitatibus à diuturno labore militiæ conquiescentes sic affecti sunt,

sunt, ut aliis inde discedentibus pedem ipsi movere noluerint, putantes certam hic sibi domum & patriam divinitus obtigisse. Ab his Fabiis FABIORVM cognomen Vico nostro additum, non Fabrorum, id quod nec probabili ratione caret, & auctoritate historiæ est innixum, licet aliqui rem aliter evenisse autument, dicantque Insubres gentem Fabiam ad tutandos suæ Provinciæ fines gentili cum exercitu collocasse adversus Transalpinos Gallos, eamque sibi præsidio diu fuisse: atqui ejus tandem progeniem Romam & Patriam longo post intervallo repetiisse una cum ordinis Senatorii gradu, ac ob id Mediolani nullum ejus familiæ virum nobili loco natum in posterum constitisse. Opinionis isti suæ fundum in hoc habent maximum, quod apud Romanos illud olim usu receptum esset, ut passim præsidia militum collocarent in Provinciis illis, & Urbibus, quæ suam in potestatem redegissent, tum ad interiores, tum ad exteriores quosvis impetus cohibendos, quam ob caussam ajunt Dertonem, seu Derthonam in Apenninos colles Coloniam esse ductam, ne scilicet Insubres cum Liguribus convenirent. Hastam item, & Hipporrhediam, ut est apud Plinium, Polybium, & alios, Colonias ejusmodi fuisse, quæ conventum prohiberent inter Salassos & Cisalpinos Gallos; nec non & Augustam Prætoriam, ut media inter Salassos, Veragros, & Allobroges esset. Hæ siquidem gentes (ut Historicorum peritissimi literis consignarunt) Romanorum ægre imperium perferebant, quocirca ad levem quemvis strepitum sumptis armis, & præsidiis trucidatis, ab illis deficere consueverant. Confirmant isti suam sententiam exemplo ducto à simili ex Tranquillo in *Vitellii Vita*: ut enim ibi legere est, Vitelliorum familiam suis tantum opibus fretam depoposcisse à Senatu, ut Coloniam ejusdem nominis tutarentur adversus Equicolas: tempore vero Samnitici belli quosdam ex iis Nuceriæ Civitate Campaniæ, de qua eo in versu Silius,

Illic Nuceria, & Gaurus navalibus apta,

subsedisse: sic cum Vitelliis gentem Fabiam, quæ Mediolani remanserat, Romam longo post intervallo rediisse, illicque ad honores pristinos adscendisse. Novum huic sententiæ firmamentum posset accedere ex gemina ferme, ac germana propemodum, nomenclatura cujusdam vici in Agro Bergomate siti, quem hodie Longolam vocant. Is enim Fabiorum olim Vicus appellabatur, nec aliunde Longolæ nomen obtinuit, quam à longo Fabiorum inibi accolatu, vel certe ab hastarum concursu juventutis, quæ ibidem exercebatur ad arma, accedente Scriptoris Bergomatis non invenusti fide:

Longola villa jacet sub amœnis collibus Urbis,
Cunctantes Fabios quam coluisse patet;
Hinc Fabias ædes prisci dixere coloni,
Delicias cives hincque habuisse suas.
Edebant illhic spectacula Martis in umbra
Missilibus, lucta, fustibus, ense, rotis.
Longola ab hastarum concursu ad ludicra bella
Dicitur hinc vicus, qui Fabianus erat.

Cum his recitatis carminibus congruunt mirifice subsequentia antiquiora, de eodem Vico Longula anno à salute communi IↃCCVII. conscripta:

Præteriturus eram te pratis Longula decus,
Carmine sed nostro spero per secula vives,
Tu Noti spectas oras, Solisque calores,
Et virides nutris oleas, Bacchique liquores:
Hic fuit, ut perhibent, Fabii celeberrima sedes,
Pergameas missi quondam tutoris ad ædes.
Hic Martis juvenes exercebantur ad arma,
Atque feras pugnas, ictusque repellere parma.
Martius inde quidem campus locus iste vocatur,
Nulla illic quamvis nisi ludicra pugna geratur.

A Utram hujus nominis interpretationem admittere voluerit Lector, liberum ei esse volumus, & permissum: nobis certe in eam sententiam ire certum est, quæ Fabiis favet. Illud enim unum me maxime in eam ducit, imo pertrahit, quod nostro in D. Vincentii Templo hoc elogium in mensa candidi marmoris ad lævum sacelli Aræ maximæ parietem, nunc Parœciali in horto positum cum hujuscemodi carminibus videre est:

B
ABDITA SARCOPHAGO CVM MANIBVS
OSSA SVB ISTO
SVNT FABII DICTATORIS DEFLETA
NEPOTVM.
SPARGE ROSIS TVMVLVM LEGIS
HÆC QVICVNQVE VIATOR
QVÆQVE IACENT TVMVLO DIC MOLLITER
OSSA QVIESCANT.

Ex hac enim Inscriptione vel apertissime liquet Fabii Dictatoris Nepotes in proximis nostro Templo sedibus habitasse, cum haberent sepulcra peculiaribus etiam Epitaphiis decorata, ea nempe Romano ex more dominorum in fundis exstruebantur, ut ex Livio *lib.* VI. & Jo. Kirchmanno *lib.* II. *cap.* XXII. *de Funer. Rom.* in Fasciculo nostro proxime superiori demonstratum est. C Ac Inscriptionem quidem ipsam venustissimam æque, ac vetustissimam esse, vel ipsa primum scribendi ratio, deinde stilus, & perantiquæ formulæ, ipsa demum versuum dispositio satis indicant. Neque enim versus unus una linea claudebatur, sed duplici; cujus exemplo sit alter ille versus alterius perveteris Inscriptionis:

TE. TELLVS. SANCTOSQVE. PRECOR.
PRO. CONIVGE. MANES.

Et alii illi duo in quodam lapide Romano:

OPTO. SI. QVA. FIDES. REMANET.
TELLVRIS. AMICAE.
SIT. TIBI. PERPETVO. TERRA.
LEVIS. TVMVLO.

D Sed enim hic à nobis etiam Vir alioqui magnus, & in præcipuis quibusvis Scriptoribus versatus, dissentire videtur, negans Inscriptionem hanc antiquam esse ob Sarcophagi nomen, quod antiquum esse pernegat; sed falso: antiquissimum enim esse *Sarcophagi* nomen vel ex Juvenale discimus, qui in *Satyra* X. de Alexandri Magni sepulcro sic loquitur:

Unus Pellæo juveni non sufficit Orbis,
Æstuat infelix angusto limine mundi,
Ut Gyari clausus scopulis, parvaque Seripho,
Quum tamen à figulis munitam intraverit Urbem,
E Sarcophago *contentus erit, mors sola fatetur*
Quantula sint hominum corpuscula.

Et in Epigrammate antiquo Romanæ Urbis sic legitur:

Me nunc torquet amor, tibi tristis cura recessit,
Lethæoque jaces condita Sarcophago.

Docet nos idipsum etiam Epistola Liberti ad Ælium Severum: *Rogo Domine permittas mihi in eodem loco in marmoreo* SARCOPHAGO *ea corpora colligere.* Item *l. Libertis. ff. De alimentis legat.* in *l.* quoque v. *C. Theodos. de sepul. viol.* legitur: *Omnia, quæ supra terram sunt, urnis clausa vel* SARCOPHAGIS *corpora detineantur, extra Urbem delata ponantur.* Sed F elegans in primis ejus rei exemplum exstat in libello, qui Severo Principi oblatus est, his verbis: *Cum ante hos dies conjugem & filium amiserim, & pressus necessitate corpora eorum fictili* SARCOPHAGO *commendaverim donicum is locus, quem emeram, ædificavi*, &c. Discimus hoc etiam à Pontano Scriptore, Viro illi alioqui familiari, qui ad carmen illud elegiæ II. lib. I. *Tristium*,

Et mandare suis aliqua, & operari sepulcri,

inter varia sepulcri nomina, quæ ibi recenset, SAR-

cophagi quoque meminit, & ultimo loco tanquam nominis ab Antiquis loco habiti non postremo. Hic autem, ut alios sexcentos omittam, concludam diserto loco D. Augustini, qui mire ad hanc rem facit, & sic habet lib. xviii. *de Civit. Dei: Quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes jam* Sarcophagvm *vocant*, *σορὸς Græce dicitur, à nostris pro sepulcro usurpatur.* Nimis igitur parvo magnus ille Vir argumento ductus Inscriptionem nostram vetustam esse negavit ob unum Sarcophagi nomen in ea positum, cum ipsum vetustissimum sit. Quamquam ex ipsis quoque formulis se antiquam prodit, qualis est illa, *Sparge rosis tumulum:* Romani enim rosarum adeo studiosi fuerunt, ut, teste sæpe laudato Kirchmanno, iis post mortem monumenta sua spargi Svpremo Jvdicio nonnunquam jusserint, legata ad eam rem ingenti pecuniæ vi, ut ea in Inscriptione olim, quam in propylæo Templi D. Ambrosii Alciatus Patricius Mediolanensis in hæc verba descripsit, & in *Antiquarium suum* intulit cum aliis multis:

PETRONI. IVCVN. VI VIR.
SENI.
PETRONIA. MIRA. L. F.
PATRONO. QVÆ. HS.
CCCC. LEG. POSSESSORIB.
VICI BERGOMAG. IN HERM.
TVEND. Et ROSA QVOTANNIS.
ORNANDVM.

Facit huc illud etiam Jo. Passeratii, lepidissimi & eruditissimi Viri, in *Rosa*, cum inquit:

Manibus est imis Rosa grata & grata sepulchris.

Caussam porro, ob quam Rosis sepulcra Veterum ornarentur, tangit Anacreon in ode de Rosa, cum inquit:

Medicatur hæc & agris,
Defendit hæc sepultos.

Postrema tandem Inscriptionis nostræ formula, Dic molliter ossa qviescant, usitatissima, id quod sexcentorum exemplorum appositione facile confirmare possem, nisi ad alia festinarem. Ovidius enim lib. i. *Amorum* elegia viii. sic cecinit:

——— *sæpe rogabis*
Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.

Lib. iii. *Trist.* eleg. iii.

At tibi, qui transis, ne sit grave, quisquis amasti
Dicere Nasonis molliter ossa *cubent.*

In *Epistola Didûs ad Æneam:*

Et senis Anchisæ molliter ossa *cubent.*

Et Virgilius *Ecloga* ult. sensu non absimili:

Tristis at ille tamen, cantabitis Arcades, inquit,
Montibus hæc vestris soli cantare periti
Arcades: ô mihi tum quam molliter ossa qviescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores.

Quod si quis hisce paucis non contentus plura desiderat, adeat is me consultore V. CL. Felicis Osii *de sepulcris & epitaphiis* singulares libros, Romana passim & Græca eruditione refertos: is enim scitu dignissima aperiet, qua est in antiquis Romanorum & Græcorum ritibus colligendis diligentia infinita propemodum ejus formæ exempla congessit, quæ ubi per occupationes licuerit typis rei literariæ commodo commendabit. Quot enim ille occupationibus semper districtus fuerit, necesse non habeo persequi. Vix enim confectis Rhetoricæ, Philosophiæ, Theologiæ curriculis, laureaque sacræ scientiæ parta, præcipuis in Urbis nostræ Collegiis desudare cœpit, in iisque gravissima munia qua docendo, qua regendo, summa semper cum laude & dignitate obire. Quocirca fama ejus prudentiæ, doctrinæ, ac suavitatis morum non ad vicinas tantum, sed ad

A remotas etiam urbes delata Academias Italiæ principes administrandas suscipere coactus est, quæ ejusdem divinam pene doctrinam ardentissimo studio expetebant, ingentibus ad eas stipendiis & honorariis propositis invitatus. Libuit hic paulisper excurrere in hominis laudem mihi ut metipsi quodammodo gratificarer, qui ut illum unice amo, sic glorior eundem mihi Rectorem in suprema moderatione nobilissimi, nostrisque temporibus florentissimi, Collegii Taeggiorum ad D. Simonis jure ac merito successisse, jureque ac merito gloriabor, cum ob eximias Viri virtutes, tum ob arctissimam mihi cum eo initam consuetudinem vita mihi ipsa longe
B chariorem, aliaque multa, quæ nos inter nos arctissimo amicitiæ vinculo copularunt. Verum, ut ad rem propositam revertamur, vel ex hac Inscriptione nostra liquido colligimus, Fabium Dictatorem, aut ejus Nepotes, ad D. Vincentium habitasse, indeque Vico proximo nomen FABIORVM datum, cujus ergo à nobis in medium est allata.

Sed erit hoc ipso in loco abs re nostra, qui Urbis antiquitates inquirimus, ac quoad ejus fieri potest, in lucem è tenebris vindicamus, neutiquam alienum, expendere marmoreæ statuæ in summo Fabiæ Portæ fastigio positæ notas, & nomen, rem haud ita perviam omnibus, & vulgatam, ut nostra
C interpretatione non egeat, oleumque simus, quod ajunt, & operam, id si conati fuerimus, amissuri.

Ne multis, Hymenæi ea statua est, ut ex forma & notis aliis, quibus à Veteribus effingi consueverat, conjecimus aliquando, præeunte nobis Vincentio Cartario in libro *de priscis Deorum imaginibus*, qui id ipsum acute & accurate prospexit ex Seneca & Catullo, nec non & Jo. Paulo Lomatio in calce operis ab eodem editi *de pictura.* Hi siquidem ad unum omnes Hymenæum juvenem & imberbem exprimunt, insigni nescio quo diademate redimitum, cujus sinistrum humerum velamen obtegat ei persimile, quo sponsæ ipsæ, cum viris tradebantur, ve-
D lare sibi capita consueverant, quem prorsus in modum statua Portæ Fabiæ imposita expressa est adjectis literis, quas cum ipsamet statua subjicimus intuendas. Tab. II. fig. I.

Ac primis quidem horum alterutrum fortasse potuit indicari Imago Optimi Regis, vel Ivssv Optimi Regis, dicata statua. At ultimis lateris alterius elementis absque dubio demonstratur, cujusnam sit illa effigies, solidumque caput, Hymenaei scilicet, Uraniæ, sive Veneris (in hoc enim inter se dissentiunt fabularum architecti) filii; firmat hanc conjecturam nostram consuetudo illa, quæ patrum nostrorum memoria, antequam scilicet æternæ,
E sanctæque memoriæ Archiepiscopus, & Cardinalis Carolus sacrum Mediolanensis Ecclesiæ imperium capesceret, apud Mediolanenses plus adhuc nimio Gentium superstitionibus addictos, perseverabat. Hi siquidem tunc temporis cum sponsa traducebatur ad virum, faces quasdam & lampades ad eam statuam accendere consueverant, quo Numen illud futuras perpetuo nuptias fortunaret. Id enim apud Veteres in nuptiarum solemniis usitatum, Terentio me satis aperte docente in *Adelphis*, ubi sic Æschinus ad Demeam patrem, Act. v. sc. vii.

Uxorem accersis? cupio; verum hoc mihi moræ est
Tibicina, & Hymenæum qui cantent.

F Quibus auditis pater, quasi filius non omnia ad Nuptias rite celebrandas necessaria complexus esset, statim subdit:

Hymenæum, turbam, lampadas, tibicinas.

His namque uti in nuptiis olim ex veteri religione cautum & perscriptum. Ovidius in *Epistola Medeæ ad Jasonem* diserte morem hunc aperit, cum ait:

At subito nostras, ut Hymen cantatus ad aures
Venit, & accenso lampades igne micant.

Et in *Hypermen.*

Undi-

TAB: II.



Fig: 3.















Fig: 2.



Fig: 3.



Fig: 4.



Undique collucent præcinctæ lampades auro,
Vulgus Hymen Hymenæe vocant.

Huc illud Plauti facit, *Cas.* Act. IV. Sc. III.

Age Tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras.
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam Hymenæo,
Io Hymen Hymenæe! Io Hymen!

Item illud Veronensis Poetæ:

O Hymenæe Hymen, Hymen ô Hymenæe.

Hi erant apud Antiquos solemnes Nuptiarum ritus à nobis obiter explicati, neque tamen hactenus, non sine maxima religionis nostræ injuria, penitus antiquati. Quid enim sibi nunc etiam volunt puerorum greges post connubia sacris in ædibus celebrata crebris absonis & corruptis vocibus ALAMINE conclamantes, nisi quod olim Ethnicorum vulgus enunciabat, cum Hymenæum ad nuptias invitabat? Tibicen apud nos etiam adhibetur, aut certe sonantes aliis instrumentis, adhibitis quoque saltibus & choreis cum nuptiæ peraguntur. Lampades autem non multo ante nostram memoriam accendi solitas ad Hymenæi Mediolan. statuam, satis jam ostensum est. Sed tandem mos iste cum aliis ejuscemodi idololatriam apertissimam sapiens, sanctissimi Præsulis Caroli vigilantia jure ac merito Mediolanensis è populi mente deletus est, & oblivioni traditus sempiternæ. Nolo esse longior in hac parte; hos enim, & alios propemodum infinitos Nuptiarum ritus propediem, Deo favente, Reipublicæ literariæ bono in lucem dabit Vir eruditissimus Hieronymus Bossius Ticinensis, Regius & primarius eloquentiæ Professor apud Mediolanenses in Palatinis scholis. Is enim ritus omnes veterum Romanorum, nuperrime Romana civitate donatus, omnium elegantissime collegit, & in *Hymethalasium suum de Sponsalibus & Nuptiis* eo stylo transtulit, nihil ut ab ullo præterea desiderari possit.

Quæ hactenus de Hymenæo prælusimus ex opinione vulgi potius, & Poetarum scriptis, qui fabulis omnia referserunt, orationis variandæ gratia, præmissa sunt, quam ut medullam veri, meamque ea de re sententiam aperirem. Utramque nunc Orbi dabimus, ac siquidem clare minus ex Historiæ fontibus hauriri poterit, ex Antiquariorum certe Thesauris, & abditis priscæ memoriæ penetralibus, eruetur, quo me non priorem illam explicationem amplecti posteritas sciat; sed multis ab eadem partibus dissentire. Verum antequam id ipsum præsto, in Theatro, quod olim Gabinius Patricius Rom. ex S. C. Mediolani condidit, paulisper insistam, ejusdemque ornamenta præcipua contemplari necesse est. Fuerunt in illo scilicet (uti me non raro observasse memini) inter cætera illius decora, statuæ urbium Galliæ Cisalpinæ, quæ vel in caryatidum modum Theatri coronas ac mutulos exornabant, quemadmodum apud Latinos passim, & Græcos usus illorum temporum obtinebat, Vitruvio teste libro *Architect.* I. vel certe cujuspiam & peculiaris signi locum habebant, ad quod Urbis Cives & populares omnes confluerent, cujus ergo statuam nostram eo in Theatro positam non temere suspicari possumus, tum cum in Urbe Metropoli publica spectacula edebantur, ac fortassis etiam Comœdiæ, Ludi, ac reliquæ Theatrales actiones miro omnium silentio, & sine ulla prorsus spectatorum confusione, oblectandis sociarum Provinciarum oculis, agebantur: vel demum (quod ad veritatem propius accedit, & peritissimis antiquorum ædificiorum Architectis arridet magis) ad cuneorum similitudinem accedebant, lapidibus sic effictis, ut in iis cernerentur insculpta pectore tenus sociarum (uti dicebamus) urbium simulacra, tum ad venustatem porticuum excurrentium in Theatro, tum ad colligandos arcus in ipsorummet arcuum meditullio collocata ad instar περιφερειῶν, ut loquuntur Græ- A ci, Mensularumve, aut *Modiglionum*, ut Architecti nostri. Nemo siquidem est Architecturæ veteris præceptis vel leviter informatus, quem lateat suprema arcuum triumphalium, quemadmodum & Porticuum Theatralium, fastigia hujuscemodi mensulis à priscis Romanis ut plurimum exornata, cum id in Theatro Marcelli, quod Romæ condidit Augustus, & in fornicibus eadem in Urbe passim erectis Septimio Severo, Vespasiano, ac Constantino Auggg. multisque aliis ob triumphos, & insignes victorias ex hostibus Imperii reportatas, videre facillimum sit.

Sed antequam ex hoc ipso Theatro egrediar, libet hic illud etiam recensere, quod plerique B Historiographorum nostratum literis consignarunt, sartum illud tectumque ad ea usque tempora pervenisse, quibus D. Galdinus S. R. E. Cardinalis Mediolanensibus Archiepiscopus datus est, cum cæteris publicis ædificiis ejusdem Urbis, quæ ædium privatarum excidium, Federici Barbarubri immanitate decretum, evasisse feruntur. Verum enim vero Galdinus, ut dirutam & eversam Urbem instauraret, ac contra hostes omni immanitate barbaros novis vallatam mœnibus communiret, Theatrum hoc sustulit funditus, & disjecit, ut ab Arluno proditum accepimus in hæc verba: *Priscæ luxuriantis* C *pompæ testimonia peragrantibus nobis, & cuncta relegentibus perhibent, Galdinum Salensem Urbis Pontificem, ut disjectam à fundamentis restitueret Civitatem, Circum, atque Theatrum evertisse lego, ipsamque lapidariam congeriem in fossarum, portarumque munimina translatitio opere contulisse: quæ civitatem obambientibus nobis, nonnulla cum indignatione & stomacho pervisentium oculis ingeruntur, siquidem iniquum fuit, quæ Gothorum, Longobardorum, immaniumque Barbarorum fœda colluvies non conspurcaverat, ea civem & amicum propolluisse sordibus & disjecisse.*

In eadem plane verba prorupit Georgius Merula, quem his verbis reprehendit Calchus lib. XI. D *Historiæ Patriæ: Ex quo à re ipsa repercutitur Merula noster, qui invidiam in Caldinum colligit: quasi is pulcherrima opera singularia vetustatis monumenta, quibus etiam Barbari & fere gentes pepercissent, demolitus sit. Debuit certe Merula rei præsertim ignarus prudentius de Principe tunc religionis nostræ, & postea divinis honoribus affecto, loqui.*

Eodem respexit etiam Alciatus Antiquariorum Mediolanensium facile princeps, *monumento* CX. sic locutus: *Cum Urbis mœnia majores nostri fossa circumvallarent, latissimo quoque muro cinxerunt, hujus pinnas, quo visu pulchrior & opere firmior esset, ingentibus saxis implevere, ex quibus viginti, quæ infra sequun-* E *tur, antiqua monumenta esse deprehendi ea in ordinem digerenda duximus, non modicum inde operæ pretium facturos nos opinantes.*

Pauca ista de veteri Mediolanensi Theatro libasse licuit, meam ut sententiam apertius aperirem. Ea siquidem est, Caput illud è solido marmore in modum cunei efformatum non Hymenæi, sed Fori Livii esse, quo nomine sicuti nemo est, qui nesciat, Urbem Bojorum Gallorum dictam, ita quisquis momenta rationum & argumentorum pondera, quæ subdimus, animo reputarit, prioris opinionis levitatem, ne falsitatem dicam, nostræ vero gravitatem, atque adeo certissimam veritatem F nullo fere negotio deprehendet. Nostram itaque sententiam primo firmat prioris illius opinionis imbecillitas, quæ solis Poetarum figmentis, vel levibus conjecturis innixa, stare nullo pacto potest. Ut enim non negem ea in statua reperiri multa, quæ possint Hymenæo, juxta Poetarum & Mythologorum placita, convenire, nemo tamen antiquitatis bene peritus exstiterit, qui censeat ad Nuptiarum Deum symbola illius omnia pertinere. Neque corona est, quæ capiti illius insidet, sed murorum

semi-decussæ pinnæ. Neque flammeum repræsentat id, quod humerum ejusdem lævum obtegit, sed vestem superadditam ad ornatum; socchos prætereà, & alias germanas magis ac proprias Hymenæi notas, nemo illic non desiderat, nec videt. Pinnæ vero illæ vel solæ, semi-decussæ licet, satis superque declarant, non illud coronati Numinis caput esse, sed urbis alicujus, vel oppidi simulacrum, quod adeo notum, non modo pictoribus oculatis, quam lippis ac tonsoribus, esse censeo, nulla ut alia probatione indigere possit. Ob hanc nempe caussam turritam Cybelen Deorum & Dearum Matrem, urbiumque omnium Præsidem finxit Antiquitas, quique primus vi & armis hostium mœnia transcendisset in urbem, murali corona ex auro conflata in formam muralium pinnarum ab Imperatore exercitus donabatur. Exstant hodieque denarii argentei cum inscriptione M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. in quorum parte versa capiti turrito subscriptum est ALEXANDREA, quorum unum hic diligenter expressum formis æneis exhibemus. (Tab. II. fig. 2.) Sed enim libet eidem subdere Græcum nummum alterum Philippi patris, & filii Cæsarum, tertium quoque solius Philippi patris cum parte adversa aliquot characteribus dissimili secundo huic appicto. Supersedeo pluribus hujuscemodi numismatibus afferendis, quæ quidem cum turritis imaginibus Urbium ac Provinciarum, titulisque priscorum Augg. videre per otium qui voluerit, adibit Fulvium Ursinum, & Antonium Augustinum, vel certe Scipionis Tonsi Patricii Mediolanensis, & Equitis longe clarissimi, Museum, Musarum domicilium, & virtutum. Explebit ibi scilicet studiosus quilibet antiquitatis vel ardentissimam sitim, tot illud insignibus numismatibus scatet, tot pulcherrimis tabulis, tot signis pretiosissimis est refertum, nihil ut amplius eo viso desiderare humanum ingenium possit. Quidquid enim humana nuper industria finxit, quidquid humani acumen ingenii adinvenit, uno loco nobilissimi Viri industria conclusit, nullis sumptibus, nullis lâboribus, nulli diligentiæ parcens.

Quid multis? una illius Tabula novis nuperrime coloribus animata cujusvis pulcherrimarum rerum cupidissimi animi vota potest explere. Omnes enim in illa conatus Artis expressi, omne præstantissimorum ingeniorum acumen, omnis pigmentorum vis & potestas, omnis trium toto terrarum orbe fama probatissimorum Pictorum ævi nostri, & Patriæ, Cerani, Procacini, Morazonii virtus, & industria angustis circumsepta limitibus, mirum in modum elucescit. Hujuscemodi vero inventum non alterius, quam summæ ejusdem Scipionis Tonsi Viri clarissimi, & Equitis nobilissimi prudentiæ in acceptum referet grata nostrorum, posterorumque memoria, qua factum est, ut uno in opere spectaretur pulchri

Quidquid habet tellus, quidquid habere potest.

Duæ scilicet in ea Divæ Rufina, & Secunda, post obitam pro Christo mortem Virginitatis & Martyrii gloria illustrem, vivæ adhuc spirant, & quæ olim triumphantes animis ad superos evolarunt, redivivo nunc corpore de hostium immanitate triumphant iterum, & retroactis sæculis inaudito victoriæ genere potiuntur. Nil mortalibus arduum est. Nullum ad hanc usque diem opus suis numeris omnibus absolutius mortales oculis usurparunt. Quidquid enim divisum hactenus tabulis aliis per se decus ac pretium afferre potuit, una hæc in se Tabula comprehensum & expressum habet penicillis felicibus ad stuporem. Nimirum Ars ipsa secum in hac una certare voluit, ut Naturam aliquando vinceret non ante victam, & spectaculum omnium pulcherrimum præstantiæ suæ mortalibus exhiberet, provocatis tribus Pictorum Antistitibus ad certamen eo in stadio, in quo sibi quisque & vinci, & vincere gloriosum duceret, nec alia, quam se ipsos vincendi proposita sibi gloria decertaret. Vere jam Divûm ipsorum genus licebit homines appellare, cum nostræ memoriæ homines divinis suis operibus Divorum potestatem propius æmulentur. Quam libenter ego hic Phœbum ac Musas D. Memoriæ filias advocarem, ut Tabulam hanc immortalibus suis carminibus æternarent, si mihi vox talis esset, quæ posset ad abdita & celsa earum domicilii culmina pervenire. Conabor sane quantum eniti potero, & ejus in Herois gratiam dudum dissuetas fides ad modulos provocabo, cujus ergo Pictores ante præstantissimi desudarunt, & siquidem eorum præstantiam assequi nequivero in Poesi, Picturæ finitima & affini, laudabor omnino, quod, ut ad eam accedere propius possem, contenderim pro virili. Accedam autem aliquo modo, si Poesis uti lingua Picturæ semina illa divinæ mentis ex Phœbi & Musarum horreo depromat: quod non invenuste innuit Poeta Neotericus his versibus:

Nulla ars est similis magis ut Pictura Poesi,
Utraque divinæ semina mentis habet.
Est Pictura tacens historia, aperta legendi
Ignaris linguæ, sancta Poesis opus.

Tunc enim Poesis mutam Picturam, elingues colores, tacitum linteum effari jubebit. Advocare igitur Phœbum & Musas majori & altiori, qua potero, voce conabor, Phœbe veni: En ut ad primum vocis sonitum,

Protinus Aonio descendunt vertice Musæ,
Lunati Phœbus dux erat ipse chori.
Permixtæ Charites Nymphis numerosa Dearum
Hic præter Febrim turba Varonis erat.
Hinc procul agrestes Fauni Satyrique sequaces
Multifores taxos, cornua, sistra sonant.

Fieri silentium statim jussit Phœbus; ego inde cum, divasque ejus filias veneror, precor, atque imploro, ut divinum trium illorum celeberrimorum Pictorum opus immortalibus suis carminibus, ut exoptabam, æternitati consecrarent: datum mihi hoc responsum: Heliconiades cum Phœbo adeo impeditas esse in concelebrandis virtutibus heroicis Gabrielis Tonsi, nuper inter Cœlites translati, ut hanc Provinciam laudibus celebrandi eam Tabulam demandatam velit earum asseclis & cultoribus, eosque ut audirem monuit me Phœbus. Multa cecinere illi, ut obsequerentur divis sororibus, ego tamen duo Epigrammata tantum memoria tenui, eaque, ne perirent, scripsi.

De Tabula trium præstantissimorum Pictorum

Epigramma,

Alludens ad illud commune dictum, *quod cæcus non judicat de colore.*

Una est in tabula pictorum dextera triplex,
Quævis arte sua conspicienda nitet.
Quæris, amice, magis mea nunc quæ lumina pascat,
Difficile est circa hoc, credito, judicium.
Primam dum specto, divertit amice secunda,
Hanc lustrans, celeres tertia vult oculos.
Qui lustrare nihil potis est, non vincere cæcum
Dices, at cæcus qui statuisse potest?

Alivd

in eandem Tabulam,
Alludit ad Paridis judicium pro Venere pronunciatum.

Tres invitasti pingendi ad bella magistros,
Inque una tabula ars debet inesse trium,
Ævi, non fallor, tria sunt miracula nostri,
Quodlibet insigne est pulchrius, at quod erit?
Nullum: jam disces æquales jungere, Poma
(Nam Venus est triplex) sunt tria danda viris.

Ad

Ad nos Phœbum, Musas, earumque cultores libentissime quidem advocavimus, sed amice illos consulturi, ut Museum clarissimi Tonsi, pulcherrimamque in primis trium excellentissimorum Pictorum tabulam æternis versuum præconiis celebraremus: ne quam tamen ex longiore mora in Poesi invidiæ, aut adulationis notam contrahamus, ad id, quod dicebamus de sententiæ nostræ firmamentis pro statua in pontis Fabii fastigio collocata, revertemur.

Addit nihilominus sententiæ nostræ pondus persimilis omnino statua nunc exsistens in ædibus Ludovici Tabernæ Comitis & Senatoris, in ea regione Urbis, quæ *Mons Fortis* dicitur inter Portas duas, Orientalem scilicet & Tonsam, sita, summoque P. Cantonii, non minus Juris utriusque consultissimi Mystæ, quam antiquitatis & eruditionis omnigenæ peritissimi Philologi studio delineata anno CIↃDCX. mihique pro magno munere ab eodem data, cujus ut in partem veniat amicus Lector, ut & gratiarum agendarum Viro de Republica literaria optime merito partes mecum ineat, eandem hic illi cum adscriptis characteribus, quæ HASTAE urbis simulacrum illam fuisse testantur, à manu optima repræsento. Tab. II. fig. 3. 4.

Quis hanc quæso cum nostra nunc propter de industria rursum appicta conferens non affirmarit, utramque simillimam esse ob notas ejusdem fere generis, materiam eandem, & formam, & artem, & artificis manum? Ob hanc unam certe similitudinis affinitatem duo Civilis Prudentiæ & Patriæ antiquitatis peritissimi Viri insigniter decepti sunt, putantes nostrum hoc Fabiæ Portæ superpositum simulacrum Hastæ omnino, nec Urbis alterius, esse, quos tamen excusatione aliqua non indignos puto, quippe quos loci distantia distincte videre, ne dum legere, prohibuerit adscriptas statuæ literas, quas vix tandem ego in Solis clarissimi luce rem omnem proximioribus è fenestris oculis, & manu tentans assecutus sum; tum quia characteres propemodum omnes vetustatis vitio aciem quamlibet acutissimam fugiunt; tum quia eorum pleraque pars tormentorum ictus in ipsammet statuam ab hostibus ex industria collimatos experta, cum ipsomet statuæ lapide violata, vitiata, tot adeo damnis & maculis affecta est, ut magno vix ab Argis & Lynceis negotio dignosci possit. Hisce tamen ex characteribus, quales illicunque tandem ad hæc usque tempora post tot injurias pervenere, argumenti postremi vis elicitur, quo probatur statuam Portæ Fabiæ impositam Hymenæi nullo pacto esse, sed Urbis, vel Oppidi non obscuri, FORI LIVII scilicet, vel LICINII, cum primæ literæ non IOR, sed FOR apertissime repræsentent, postremæ vero non HVF, sed LIVI, ut oculate nostra industria deprehendit, aut LICINI, ut mecum præ cæteris suspicatus est JACOBVS VALERIVS, acerrimi judicii Vir, nec in ipsa tantum litteraria Rep. Consularis, sed omnis Mediolanensis antiquitatis peritia, Historiæ utriusque cognitione, omni disciplinarum genere, ut si quis maxime mortalium, triumphalis. Hujus enim ego tum amicitia utens, tum suavissima consuetudine in hac lucubrationum mearum parte non mediocriter adjutus, illud assecutus sum, ut qui in Patria selectorum Judicum Mediolanensium veri & æqui facem non postremam gerit, eandem mihi prætulerit ad conjecturam istam; tum ipsis ex characteribus, quibus ex mutilis id fieri non dubie conjectavit: tum ex vetusta LICINI Oppidi nobilitate, & propinqua cum Urbe Mediolanensi sede. Bonaventura siquidem Castellionæus noster eo in opere, quod *de Antiquis Gallorum Insubrum sedibus* transmisit ad posteros, eo de Oppido verba faciens, quo de Plinius ante meminerat, illud ipsum fuisse testatur quod à posteris Incinum, amisso veteri cum prisca nobilitate nomine, fuerat appellatum. Incinum vero Mediolanum attingere vel infantes norunt.

Non multis ab Incini partibus procul, paulo nimirum inferius ad Lambri fluvii ripas forum fuisse, quod olim Forum Populi diceretur, nunc Moguntia, ex antiquis marmorum monumentis nos docuit Andreas Alciatus lib. II. *Rerum Patriarum*; Forum etiam aliud prope eundem fluvium exstitisse Forum Diuguntorum dictum, alii prodiderunt, ut hæc fori vox nostris in regionibus adeo frequens eam nobis opinionem injiciat, ut suspicemur Forum etiam aliquod Livii cognomento in Mediolanensi ditione fuisse, diversum à duobus illis, quorum unum prope Ravennam; alterum juxta Adriaticum sinum antiquam Coloniam celebrata scimus, ut quæ à nostris regionibus dissiderent longissimis intervallis.

Hæc volui, quod gratum hominem semper beneficium delectat; estque animi plane magni, ingenui, ac liberalis, per quos profeceris, etiam cum aliqua legentium voluptate, libere profiteri. Sed utrum affirmare satius sit statuam nostram FORI LIVII, an LICINI esse, curiosius inquirere, ne multus hac in parte fuisse arguar, prætermittam, permittamque rem omnem integram iis, quibus, & otium, & acumen oculorum, & ingenii majus obtigit ad hasce conjecturas dirimendas. Sed qui videre plus, quam cæteri hac in parte volunt, adhuc ab Hymenæo stantes nostram ex eo sententiam in dubium trahunt, quod apud Mediolanenses jampridem inveteravit opinio illa, neque tam vulgi sermonibus, quam Historicorum propemodum omnium scriptis longe, lateque percrebuit, in Portis Mediolanensis Urbis, non aliarum Urbium, sed Deorum inanium simulacra posita fuisse tum, cum infelix Civitas Romanorum sacris initiata, eorum in tenebris versabatur. Itaque longe minus ab Historiæ veritate recessurum eum, qui dixerit Hymenæi statuam in Portæ Fabiæ fornice collocatam, quam qui Urbis alterius simulacrum.

Video quorsum hæc spectent, sed scrupulum hunc istis etiam eximam, nec, ut arbitror, difficulter. Vera sunt, quæ de simulacris illis Deorum inanium Mediolanenses Historici prodiderunt, Galvaneus inprimis hujuscemodi rerum solertissimus indagator, idque nos etiam testati sumus aliàs, cum Antiquitates D. Dionysii Cassanensis erueremus luci publicæ datas Mediolani an. MDCXVII. Atqui docendi mihi sunt ii, qui contra nos sentiunt, Portas olim Mediolanensis Urbis duplicis quodammodo generis exstitisse, Majores scilicet & Minores. Ac Majores quidem septem, Minores vero quatuordecim, cum harum binæ singulis Majoribus, utroque nimirum illarum ex latere responderent. Ob id illas Principes, & Laterales istas visum est aliquibus appellare, exstantque hodie prope nos Laterales hujuscemodi Portæ duæ Majori uni deservientes, Fabia scilicet & S. Crucis, quarum una dextero lateri Ticinensis Portæ, lævo altera, ultro citroque meantium commodis, adhærescit. Majores porro Portas tantummodo simulacris Deorum Romana superstitio decorarat, ac cum septem essent septem illas Planetarum Numini consecrarat; Zobiam, quæ nunc Castro Jovis includitur, Jovi; Vercellensem Veneri; Romanam Marti; Orientalem Soli; Comensem Lunæ; Novam Saturno; Mercurio denique Ticinensem. Harum igitur in numerum cum Fabia Porta non venerit, amentis plane sit affirmare positum in illa fuisse Romanorum Deorum aliquod simulacrum. Quid quod Majores Portas Romanorum opus (M. enim Marcellus eas condidisse fertur ex S. C.) ad Divi tantum Ambrosii tem-

tempora pervenisse, quibus & Portæ illæ cum magna mœniorum parte dirutæ, nec Imperatorum tantum, sed ipsorum quoque Deorum Romanorum statuæ dejectæ sunt, & humi stratæ, Hunnorum Rege Attila destructore, id quod in annum CCCCLV. incidit, cum nihil ille magis agitaret animo, quam ut Romanæ superstitionis majestatem opprimeret, & Imperii toto terrarum Orbe clarissimi splendorem & amplitudinem funditus aboleret. Restituit re vera subinde labentibus annis mœnia, & eorundem Portas sanctæ memoriæ Vir Eusebius Archiepiscopus Mediolanensis, sed ut ille veri Dei Opt. Max. cultum propagare totis nervis ac viribus nitebatur, restitutis Portis, statuas suas reddi vetuit, quin imo sicubi eorum fragmenta superfuerant, sacrosanctæ Religionis amore succensus ea penitus excidi jussit, ne quid superesset usquam in expiata Urbe, quod posset fidelium mentes ad cultum Deorum inanium revocare. Quamobrem cum Hymenæum nulla in Porta Mediolanensis Urbis Romani coluerint, nec ullum in Porta Fabia Numen habuerint, quin imo longe nunc aliæ sint Majores & Minores Portæ aliis, quæ Romanorum stante florenteque Rep. visebantur, multis post superstitionem illam sæculis, simulacrum illud, quod expendimus, Portæ nostræ Fabiæ impositum fuisse fateri possumus nemine reclamante.

Ad rem nos nostram igitur redeamus. Atque ut exeamus è Fabiorum Vico, inde progredientibus quacunque illi tandem voluerint via, vastum D. Vincentii Vinetum occurrit, longe lateque patens ab ipsis Urbis mœnibus usque ad aquas navium patientes, rivulis perennibus, ac densis sepibus circumseptum, grandi colonis mercede quotannis persolvenda à nostri Præsulis procuratore locatum. Arva illa quoque frugifera, quæ nostro Templo opposita ad Septentrionem excurrunt, ac partim contermino Xenodochio, partim Monasterio sancti Victoris Martii concessa sunt, tributa nostro Cœnobio pendunt. Ejusdem nostri Templi facies Biragorum domum, & alia subinde submœniana loca Vesperi adversa spectat, & Biragi quidem ratione fundi sibi dati ad domum illam ædificandam: Respublica vero Mediolanensis, occasione soli in condendis Urbis mœnibus occupati, ne quid inde damni Cœnobium nostrum acciperet, singulis annis pecuniæ vim certam Abbati Vincentiano solvunt. In hac ipsa Urbis Mediolanensis parte arva illa omnia, quæ mœnia transgressis inter ipsa mœnia, & sacram Divo Christophoro ædem occurrunt, censui nunc (ut ajunt) libellario eidem Abbati solvendo, subjecta sunt, quique illum solvunt isti potissimum recensentur, Moniales S. Bernardi, Angelicæ D. Pauli, sodales præfecti delubro S. Christophori, Cittadini fratres Canturii, Canobii, Barbavaræ, Comites, Putei, ut ipsamet Mediolanensium Notariorum fide subsignata publica documenta clare demonstrant. In his enim legitur supra recensitis censum solventibus, certas quasdam & suis limitibus definitas eorum arvorum partes, in emphyteusin (ut iidem Notarii loquuntur) à nostri Monasterii Præsulibus datas. Hæc pauca de prædiis illis, quæ Urbi proxima, oculis ipsis omnium subsunt, ne prorsus abirent intacta, fideliter perstrinximus. In ea nunc, quæ majora sunt, minusque nota, stylum & animum intendamus, eademque paribus, hoc est, levibus vestigiis persequamur.

Illud igitur primo haud ita notum est, Abbatem Cœnobii nostri in Mediolanensi ditione latissimos olim campos de Romano dictos pleno (ut cum Juris Consultis loquamur) jure possedisse: at anno fere MCCCCXC. à Christo nato, agros illos, qui ad duo fere millia jugerum excurrebant, Jacobum Antonium hujus Abbatiæ Commendatarium, accedente auctoritate Innocentii Papæ VIII. Gaspari Turriano Comitis Francisci F. cum annui census librarum 800. solvendi onere addixisse.

Secundo illud loco etiam est sciendum, Cœnobium nostrum in Pago Serenii amplos olim agros habuisse, ut publicis documentis constat, quorum in partem venisse crediderim Julium Cæsarem Serenium annuo sibi canone constituto. Idem in Treni Plebe quos habebant fundos, Fratribus Maynis, certa injuncta pensione annuatim sibi solvenda, reliquit. Nonnullorum quoque prædiorum fructus in agro Berratensi antiquitus colligebat, quos Paulo Turrensi, præscripta peculiari lege emphyteotica, concessit, qua quoque lege bona Busnati pago adjacentia Fratribus à Comite, & quæ in Aliatensi Plebe erant, Bursanæ Familiæ tradiderat possidenda. In ea vero, quæ ad Vicum Cusanum in Plebe Severi possidebat Franciscus Aresius, Hieronymus Bernarigius, & Bernardinus Cabiatus, iisdem ferme acceptis legibus immissi sunt. Paulus quoque & Fratres à Curte anno MCCCCLXXIIX. à D. Vincentii Monasterio in emphyteusin accepere domum insigni horto & areæ latissimæ adjacentem, necnon & feracissimo agro perticarum centum quinquaginta septem ad omnem amœnitatem circundatam, utilem, & incolarum usibus mirum in modum opportunam. Aliam item & majorem bonorum Barnerii & Cazani possessionem Alvisii Carati filii, & nepotes sub annum MDX. ab eodem Monasterio nostro, una cum pactis libellariis consuetis, adepti sunt. Anno vero MDXIII. opulentissima prædia ad Naritium trans Lambrum in Aliatensi agro Lanfrancus Regna consecutus est cum onere persolvendi Cœnobio nostro annui census nomine libras 340. anno quoque MDXIV. Thomas Brasca aratri patientes perticas 330. in Bolati ditione sitas, certa cum emphyteotica lege potitus est.

Denique possessio illa ingens, quæ Vincentiani Cœnobii erat in Aliatensi Plebe trans Lambrum ad locum Caloe nuncupatum, anno MDXVI. amplo canone superimposito, Bartholomæo Homato & Fratribus cessit, quorum in locum postea Jo. Baptista Niguarda subrogatus est. At amplissimas possessiones Senaghi, Senaghini, Capsinarum Mactæ, & Novæ, nescio quis ejusdem Cœnobii Commendatarius prius Coriæ familiæ in emphyteusin tradiderat ea lege, ut quotannis Monasterio libras mille sexcentum quinquaginta penderet, ut publicis adhuc literis indicatur. Bona reliqua, quæ supersunt in Gratiago pago Plebis Pontiroli, antiquæ Moronæ familiæ cum annuo librarum biscentum octuaginta censu concessa sunt. Prata in Lambrensi agro Sigismondus Vicomercatus eadem fere cum lege accepit: Vinetorum generosissimi vini feracium in pago Vernati Rizardus Villanus in possessionem venit. Alia permulta rustica prædia non solum pratis, vinetis, & arbustis læta, sed pomariis, hortis, & viridariis pulcherrimis, cum herbarum & florum varietate, tum pecudum pastu & apium examinibus referta, aliaque urbana non pauca diversis familiis variis temporibus ea conditione distributa sunt, ut annuam aliquam fructuum portionem Monasterio Vincentiano darent. Inter has vero nobis adhuc tributarias familias istæ potissimum in quodam vetusto codice fructuum Cœnobii nostri manuscripto sigillatim & ordine recensentur, Trivultia non minus ubique terrarum clara, quam inter antiquas Urbis Mediolanensis jure ac merito recensenda; Morona nobilissima nostræ Patriæ, Gens Lampugnana, Madia, Mayna, Puteobonella, Ferraria, Porra, Decia, Stanga, Ghilia, nobiles omnes, ac primariæ familiæ Mediolanensis Urbis, Barbavariorum item Castellorum, Pighettorum, Cotiorum, Cortesiorum, Sorefinarum, Syrturorum, Vicomercato-

catorum, & Piscinarum. Hodie certe earum ex numero, quæ Cœnobio D. Vincentii census libellarios pendunt quinquaginta quatuor, iis exceptis, qui Monasterii fundos ficti simplicis nomine (liceat mihi communi tabellionum loquendi formula uti ad rem apertius explicandam) solent conducere.

Verum enim vero, ut rerum humanarum vicissitudo fert, Cœnobii nostri bona, prædiaque tum urbana, tum rustica, modo hæc, modo illa, alia scilicet aliis suffecta fuerunt, quemadmodum & in tributariis modo hi, modo illi numerati sunt, id quod Lectorem benevolum eam ob caussam monitum volui, ne majori, quam par est, capiatur admiratione, si forte legerit aliquando certas Familias inter nostro Cœnobio tributarias recenseri, quæ tales hodie re vera non sint, aliquando etiam quorundam prædiorum mentionem fieri, quæ olim ejus ditionis fuerint; nostra vero hac tempestate non sint, nec esse jure ullibi reperiantur: neque enim hoc errori nobis, aut tabellionibus culpæ, aut Monachis negligentiæ tribuendum, sed frequentibus prædiorum commutationibus & successivis emphyteutarum variationibus adscribendum. Missos facio in præsentia fructuosos fundos, quos Cœnobium Sancti Petri de Mandello nuncupatum in Comensi ditione possidebat, sibique Divi Vincentii Cœnobium miscuisse supra ex Galvaneo demonstratum est, cum nihil ea de re certi compertum habeamus, neve odium, offensionemve dominorum viventium incurramus. Illud sane, utpote certissimum, silentio mihi transeundum non est, sed apertissime absque ullius offensa, vel injuria proferendum, deceptos egregie fuisse illos, qui Præposituram sancti Albini Diœcesis Viglevanensis ad oppidum, quod Mortariam dicunt, Cœnobio nostro Apostolica auctoritate adscriptam, & justo legitimoque vinculo cum eodem adstrictam perpetuo crediderunt. In eam enim forte sententiam adducti sunt ob diutinam successionem unius, ejusdemque personæ diu in utriusque sacerdotii possessione durantis.

Nam primum falsam hanc opinionem esse plane convincunt Pontificia diplomata cum antiqua, tum nova: dein diversitas personarum, quibus uno eodemque tempore duo hæc sacerdotia seorsim concessa sunt, ni nos memoria fortasse fallit, aut rerum hujuscemodi monumenta publica mentiuntur. Sub Paulo Quarto Pontifice Max. Ascanius Sfortia Cardinalis Tituli Sanctæ Mariæ in Via Lata Præposituram hanc obtinebat, & fructuum exigendorum, sicut & negotiorum omnium ejusdem Præposituræ curandorum, provinciam publici mandati literis demandavit Pompeo Birago, eodem plane tempore Cœnobii Divi Vincentii Abbati. Hinc factum, ut Abbas viam sibi sensim aperiret ad eam Præposituram resignatione, decursu temporis obtinendam certa cum fructuum pensione cedenti addicta, de qua in dati & accepti codice Biraghiano, qui apud nos est, crebra fit mentio, & aperta. De sede Divo Albino sacra Joannes quoque Franciscus à Basilica Petri Novariensis Episcopus lib. 1. *sua Ecclesia*, narrat eam Præposituram fuisse cum Collegio Clericorum Regularium, & redditibus satis amplis, sua vero tempestate Clericorum Collegio sublato, Commendæ nomine uni tantummodo tradi consuevisse, principioque Regalem sancti Eusebii dictam, ut quæ à Magno Carolo Galliarum Rege ac Imperatore condita esset, at Albini Episcopi corpore illuc allato, sancti Eusebii nomine deposito, cognomentum Albini sumpsisse. Addit idem Episcopus in hac ipsa æde sepultos olim Amicum & Amulium vitæ sanctitate conspicuos, furto inde sublatos, quæ quidem omnia, sicut & alia pleraque hujuscemodi, libenter admitto, non solum quia cum Historiographis nostris consentiunt, verum etiam quia minus abhorrent à vero. Inter illos enim convenit Carolum Magnum cum Desiderio Longobardorum Rege conflixisse ad eum locum, qui tunc Bella sylva dicebatur, ibique Longobardis fere omnibus internecione deletis, Regem eorundem paulo post Papiæ obsessum, & captum, locum ipsum ob magnum illic cæsorum & mortuorum numerum, *Mortarii* nomine suscepto, desiisse veteri nominari. Quamobrem non tam veritati quam pietati liberalis Imperatoris congruere videtur, eum ob perpetuam tot ibi sepultorum suffragationem, ædi à se sacræ conditæ opulentum sacerdotium addicere voluisse, & addixisse re ipsa, ea in re nemine discrepante. Illud unum à publicis documentis, Apostolicis literis supra recensitis, & à nobis, longo dissidet intervallo, quod in illis nullius Clericorum Regularium Præposituræ, aut Collegii mentio fit aperte, sed Præposituræ tantum Ordinis S. Augustini. Ac ne quid hic fictum à nobis fuisse posteris videatur, lapidea tabula, quæ ad D. Albini adhuc legitur, horum ex parte meminit in hæc verba:

HANC DIVI ALBINI AEDEM A CAROLO
MAGNO OB PARTAM VICTORIAM EX
DESIDERIO LONGOBARDORVM REGE DITI-
ONIS ECCLESIAE V. ADRIANI I. PONTIFIC.
ANNO OCCVPATORE ERECTAM VETVS-
TATE COLLAPSAM PETRVS ANTONIVS BIRAGVS
SACRI HVIVSCEM. LOCI PERPETVVS COMMENDAT^s. IN MELIVS
RESTITVIT AN. SAL. DOMIN. MDXXXXI.

Biragus vero, à quo Ædes hæc augustiori cultu restaurata, non Abbas S. Vincentii fuit, sed Fidentiæ in Parmensi Agro, non tam opibus potens, quam clarus trium totius Orbis Christiani potentissimorum Principum simul exceptorum hospitio, ne quid de splendore Gentis Biraghæ dicam, quæ à Scriptoribus non contemnendis, non tam Urbis nostræ, quam inter nobilissimas totius Italiæ Familias recensetur. Albinæ quoque Præfecturæ prædia, quæ decem octo millia perticarum excedunt, & annuos pendunt pecuniæ census novem millium, iisque plurium librarum absolutissime descripsit Jo. Angelus Cribellus, præstantissimus Architectus, & arctissimo mecum amicitiæ vinculo copulatus, cujus solerti opera Præsul noster utitur, & alii clarissimi Cives in prædiorum suorum juribus discutiendis, controversiisve, si quæ forte inde suboriuntur, penitus amovendis, quo in utroque munere mirum in modum excellit. Nec mirum: adolescens enim bonæ indolis Romam à patre missus, ut literariæ militiæ nomen daret, indeque mox in Patriam incommodæ valetudinis caussa revocatus, præcipua liberalium disciplinarum ornamenta, Picturæ scilicet, Arithmeticæ, Geometriæ, Astronomiæ, & cæterarum Mathematicarum artium ad Architecturam pertinentium à peritissimis, do-

doctissimisque magistris præcepta hausit, sedulam, semperque talis ut Architectus evaderet qualem Vitruvius efformavit, operam dedit, ut ob id jure ac merito ephebus adhuc in Reipublicæ Mediolanensis Architectorum numerum nullius suspenso calculo sit adscitus. Hæc habui, quæ meus erga te amor effunderet, mi Cribelle, cujus quod virtutum primordia tantum attigerimus, veniam ab ingenita tibi humanitate speramus, quod à sacra Cœnobii nostri dictione ad amicitiæ perpetuo inter nos cultæ memoriam recolendam, ab æquis rerum æstimatoribus laudem & amorem. Aliàs de te alia perscribemus, quæ vel immortalitati amicitiam nostram consecrent, vel cum antiquis illis amicorum paribus, quorum elogiis plena est omnis antiquitas, conferant & anteponant. Vocant enim post bonorum Cœnobii enumerationem ad sese scriptionem meam ejusdem juris dicundi potestas, & sacerdotia, quæ jurispatronalia nuncupantur, ac licet de jurisdictione multa scribi possent, tamen quia non libet, ne dum studiosus Ecclesiasticarum antiquitatum esse cupio, odium alicujus incurram verum asserens, nunc vel vetustate abolitum, vel contrario usu, vel jure novo aliquo commutatum.

De Sacerdotiis jurispatronalibus tantum agam, eaque proferam quæ minus dubia, vel controversa sunt, à nostro, cui sollicitudo æternæ animarum salutis imminet, exordio ducto. Vicarium olim erat sacerdotium nostrum ad Cœnobiarchæ nutum, quod esse perpetuum cœpit jussu & imperio summi sacrorum Antistitis Clementis VIII. annuente, immo precante Simone de Terra Nova amplissimo S. R. E. Cardinali. Primoque in Pompejum Siccum, virum ingenuum, & insigniter eruditum, quo aulico Romanæ Curiæ non inurbano Cardinalis ipse diu & perquam familiariter usus fuerat, est collocatum. Eo mortuo Vicaria eadem mihi dignitas est delata ex electione & designatione nominatim facta ab illustrissimo Carolo Caraffa, in supra laudati Cardinalis locum jure ac merito subrogato. Is enim unum me non solum præter spem & competitorum omnium opinionem, verum etiam cum nulla mea in illum merita exstarent, Curatum secundum esse voluit, pro quo beneficio cum parem gratiam referre me nunquam posse certissime sciam, grata saltem illud mentis significatione, sempiternaque memoria colam, semperque plus me externo Principi, & nobilissimæ Balborum familiæ debere fatebor, quam nostratibus viris quibusdam primariis, ac potentibus, eorumque ministris, qui cum se mea caussa velle omnia profiterentur, nihil denique voluerunt. Hominem igitur suum in Vicarium designat Commendatarius, mox Archiepiscopo Mediolanensi exhibet, qui facto prius ejus doctrinæ periculo, diligentique vitæ & morum inquisitione habita, ubi illum aptum esse reperit, ad ejusmodi provinciam sustinendam per Bireti impositionem Vicarium in perpetuum creat: nam ut primum illud ad Commendatarium jure suo spectat, ita hoc alterum Archiepiscopalis juris est ex Pontificio erectionis diplomate ad præscriptum in Conc. Tridentino, & in Bulla Pii V. sanctiss. Pontificis normam.

Nemini quoque dubium erat Parochiale sacerdotium D. Xisti, olim patronato jure pertinuisse ad Commendatarium nostrum, tum in habendo personæ delectu, tum in beneficii ipsius titulo electorum uni conferendo, ut est ex antiquioribus beneficiariorum literis patentibus & agitatis in Archiepiscopali Curia manifestum. Erat enim olim S. Xisti templum in ditione Monachorum Cœnobii nostri, quod illic moram traxissent initio, ut ostendimus in *Fasciculo* vi. licet mox exortis controversiis aliquibus inter Ordinarium & Monasticos ordines, ad quos eligere, aut ex electis selectos quarundam vacantium Parœciarum beneficiarios instituere pertinebat, ut paulo ante de S. Maria, cui ad Circum, male ad Circulum, cognomen est, contigisse diximus, D. Xisto turbari jus illud cœperit, ac permisceri, sed enim sedatæ sunt tandem controversiæ omnes, & amputatæ sine ullo præjudicio partium lites.

Fuerunt etiam, qui non leviter dubitarunt, num parochiale sacerdotium S. Viti, quem ad Corrivium dicunt, ad nostri jus Monasterii pertineret, ea ratione ducti, quod ibi Monachorum hospitium olim fuerit, in quo fortasse Novitiorum grex degeret ad prima Regularis disciplinæ primordia capescenda, ut quam vivendi rationem ibi didicissent, in Monachorum Cœnobio postea profiterentur. Ad quod etiam respexisse contendunt D. Carolum Cardinalem, & Mediolanensem Archiepiscopum, novo Clericorum Seminario ibi instituto: licet eo aliqua post temporis intervalla alio deducto Hospitium idem tenuerint Parochi, & nostra etiam memoria Religiosi Camaldulenses, quasi id loci antiquam Religionis sementem adhuc retinens, nova disciplinæ Monasticæ germina producere niteretur, quæ tamen hodie cruderatis terrenæ molis aggeribus ob novam ædem honorificentius exstruendam, penitus interierunt, vel ad ferventissimos solis radios ita exsiccata sunt, ut nulla spes illis sit reliqua renascendi. Non levem ea de re dubitandi ansam nobis quoque præbet illud, quod subdam: Rectori S. Viti certam grani & pecuniarum vim quotannis ad hanc usque diem à nostro Monasterio pendi solere, quod & cum S. Xisti Parocho ab eodem fieri consuevit: eo pacto, quo Vestales Monasterii Majoris idipsum præstare cum Curato S. Mariæ ad Circum, aliisque plerisque cum Parœciis Monachos alios eodem modo pendentes, usu veteri introductum scimus, ac nunc etiam cernimus observari. Facit huc etiam lis olim ea de caussa orta inter Beltrandum Præalonem Abbatem Cœnobii nostri, & Rupertum Alciatum ejus tum Parochialis Rectorem, quæ si res aliter se habuisset, orta profecto non esset, dixitque ea de controversia sententiam Jacobus à Trivisio Generalis Archiepiscopi Mediolanensis Vicarius anno à Christo nato MCCCLXXXV. quæ publicis adhuc in documentis legitur, quorum videndorum potestas cum aliis multis exaratis in pergamena charta mihi facta, permissu & liberalitate erga me singulari Bartholomæi, ex antiqua & nobili Marchionum Malaspinarum gente oriundi, majoris nunc æditui Metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ pii non minus, quam docti, generalisque tam fructuum, quam pecuniarum Abbatiæ Vincentianæ Procuratoris, ab ipsomet nostro Cœnobiarcha jure ac merito instituti.

In nostrum sane jus à prima sua origine concessit Delubrum D. Christophoro sacrum, quippe quod in solo nostrorum Monachorum excitatum fuerit, & intra nostræ Parœciæ terminos collocatum, ea lege, ut ejus sodales annuum librarum quinque ceræ candidæ ad usum Altaris elaboratæ tributum nostrum in Templum inferrent. Exstant apud nos hujusce concessionis ab Ambrosio Bernadigio Abbate sodalibus istis factæ, nec non & ceræ census, pactorumque conventorum tabulæ fide publici Notarii subsignatæ. Quamquam nunc cœnobiarreorum loco certam pecuniæ summam Cœnobiarchæ quotannis pendunt Patritii nonnulli Mediolanenses ædi Christophorianæ præfecti. Jurisdictio, & plena potestas hac in æde sanctiora nostræ religionis sub sensum cadentia signa populo impertiendi, funera ducendi, justa defunctis persolvendi, & solemniores sacras res alias peragendi, pedines unum D. Vincentii Vicarium semper fuit. Isque

que cum libuerit aliorum sacerdotum opera uti potest, nulla vel exigua Parœcialium emolumentorum jactura facta. Ita certo tempore & annuo præfinito censu nobis visum est Religiosis Monachis Camaldulensibus facultatem aliquando dare anniversaria dierum festorum D. Christophori solemnia

A in æde eidem sacra rite & ordine peragendi. Eodem nos quoque jure utimur in ædibus D. Catherinæ ad Fabium Pontem, & S. Calocero sacris, & minore paulo olim in vicino Dementium Xenodochio, qua de re suis in locis alibi sigillatim, hisce nunc contenti, agemus.

JO. ANT. CASTELLIONAEI

FLORILEGIVM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.

SECTIO I.

FASCIC. VIII.

Parœcialis Muneris Dignitas, & Origo. Parœciæ cur divisæ, suisque singulæ terminis definitæ. Urbium, & Provinciarum cura Præsulibus, minorum locorum minoribus Sacerdotibus. Mediolanensium Parœciarum numerus major, & minor. Late patens Juris Parœcialis campus, sed à Religiosis Mendicantibus usurpatus. Parochorum nomen multiplex dignitatis plenum. Onus eorundem, conditio calamitosa. Vincentianæ Parœciæ fines undequaque dimensi & descripti Ichnographica in Tabella. Catholici olim solis in Parœciis humari soliti. Parœciæ Vincentianæ laus variis ab adjunctis, ac præcipue ab artibus auri cudendi, filis superinducendi sericis, ejusdemque ab argento sejungendi.



QVONIAM hucusque in sacerdotiis & juribus Abbatiæ nostra desudavit industria, non abs re fuerit nunc, quæ de jurisdictione Parœciali ad primum post Abbatiam Sacerdotium, quod Vicariam dicunt, attinente legimus, mandare chartis, leviter adumbrata prius ipsius Parœcialis muneris dignitate. Munus hoc igitur suam primam originem à Christo Domino Redemptore nostro per Apostolos divini afflatu Spiritus in varias Terrarum orbis partes, summo cum imperio, missos ad Gentes veræ fidei dogmatibus imbuendas, Provinciis aliquot eorum unicuique datis, ne qua in Euangelii disseminatione confusio suboriretur, duxisse, quamplurimis Sanctorum Patrum testimoniis indicatur apud Baronium, qui illa collegit Tom. 1. *Annal.* An. XLIV. Verum enim vero quia Parochorum & Episcoporum jura sub illa nascentis Ecclesiæ primordia miscebantur interdum, hinc factum est, ut decursu temporis, urgente necessitate, vigilantissimorum ejus sæculi Præsulum cura distinguerentur. Neque id respectu Urbium & Provinciarum, quibus Primates & Episcopi præsidere debebant, ut est à Lucio Papa dictum, teste Gratiano in *Decret. distinct.* LXXX. *can.* I. Hæc siquidem cer-

C tis Præsulibus ac primariis sacerdotibus assignatæ sunt ab ipsismet Apostolis, & à B. Clemente Apostolorum legitimo successore, nec non & à Dionysio summo Pontifice, qui S. Xisto successit, cum eædem multo jam ante Christi adventum ita distributæ, atque descriptæ forent ex collocatione prisca Flaminum & Archiflaminum Ethnicorum, ut aperte declarat *distinct.* LXXX. *can.* II. verbis illis: *Urbes, & loca, in quibus Primates præsidere debent, non à modernis, sed multis ante adventum Christi statutæ sunt temporibus, quarum primates gentiles etiam pro majoribus negotiis appellabant. In ipsis vero Urbibus post adventum Christi, Apostoli, & eorum successores, Patriarchas, & Primates posuerunt, ad quos Episco-*
D *porum negotia (salva tamen in omnibus Apostolica auctoritate) & majores caussæ post Apostolicam sedem, sunt referendæ.* Et *can.* III. sic habetur: *In illis vero civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant Episcoporum Primates, vel Patriarchas B. Petrus poni præcepit, qui reliquorum caussas Episcoporum, & majora negotia in fide agitarent. In illis autem, in quibus dudum apud prædictos Ethnicos erant eorum Archiflamines, quos tamen minores esse tenebant, quam memoratos Primates, Archiepiscopos institui præcepit. In singulis vero reliquis civitatibus singulos, ac plures Episco-*
E *pos constitui præcepit, qui Episcoporum tantum vocabula sortirentur: quoniam neque inter ipsos Apostolos par fuit institutio: sed unus præfuit omnibus.* Et *distinct.* XCIX. *can.* II. *Provinciæ multo ante Christi adventum tempore divisæ maxima ex parte sunt, & postea ab Apostolis, & B. Clemente prædecessore nostro ipsa divisio est renovata.* Alia subsequentia hujus Canonis verba præcedentibus persimilia omitto, ne vel Lectori tædium pariant, vel mihi ipsi in ea exscribendo laborem.

Non, inquam, respectu Urbium, vel Provin-
F ciarum, ut jam diximus, sed privatorum, minusque communium locorum, in quibus Parochi & minores sacerdotes degerent ac residerent, uti melius & oportunius Reipubl. Christianæ consultum foret, quæ se cunque necessitas obtulisset, ut habetur 13. *quæst.* I. *cap.* I. Certi limites unicuique sacerdoti perscripti sunt, ita ut nullus in alterius fines pedem inferret, aut jus illius in re nulla, vel minima

 viola-

violaret, sed suis tantummodo finibus contentus esset, id quod Anacleti quoque decreto sancitum, uberiusque declaratum ab Urbano, aliis subinde summis Pontificibus fuit, ex animadversione Baronii Tom. II. *Annal.* ad calcem An. CCLXX. cum inquit: *Sed considerandum est, non à Dionysio Papa primum, verum ab aliis antecessoribus Romanis Pontificibus, suis limitibus distinctas fuisse parochias, presbyterisque divisas. At quod in persecutione Valeriani (ut dictum est) ab Ecclesiis essent avulsi presbyteri, & in cœmeteria Christiani omnes etiam convenire vetiti; illo sublato de medio, & à Gallieno restituta Ecclesiæ pace, & cœmeteria adeundi ab eodem libera facultate concessa; illarum Ecclesiarum presbyteris compluribus martyrio vita functis, easdem iterum dividere, ac pro ratione distribuere, cœmeteriaque singulis consignare, Dionysii opus fuit.*

Jam quod ad nostram Mediolanensem Urbem attinet, D. Monas Archiepiscopus ejus Ecclesiæ VI. Burreæ perillustris apud nos familiæ decus, & clarum tum Philosophiæ scientia, tum vitæ sanctimonia, lumen, in centum quindecim Parœcias distinxit, ac certis quibusdam limitibus definivit, ut ex vetustiss. MS. Ecclesiæ Ambrosianæ colligit Galesinus, & in suo *Martyrol.* adnotavit ad IV. Idus Octob. ubi sic inquit: *Mediolani S. Monæ Episcopi, & confessoris. Hic, quo tempore Episcopus renunciatus est, cœlesti lumine circumfusus, patrias opes, quas satis amplas habebat, Ecclesiæ donavit; Mediolanum Parochiis distinxit; quinquagintaque novem annis in maxima persecutionis tempestate munere Episcopali sancte perfunctus, multa fortiter, atque ex præscripto Euangelii egit: quibus clarus obiit in Domino.* Et ante Galesinum scriptum reliquit Tristanus Calchus lib. I. *Historiæ Patriæ* his verbis: *Mox cessante metu, habitis in Portiana æde comitiis, nobilis & consularis vir Monas ex Kalimeri schola sacrorum Antistes creatur, qui beneficio longæ ætatis multa ad incrementum religionis contulit, auctaque est adeo multitudo eam profitentium, ut jam non sufficeret nominatim quemquam, & per cognomina denotare, sed per vicos, & regiones Urbis, in quibus habitarent, designari Christiani Cives cœperint, quas Parochias dixere, ab antiquo fortasse verbo Parocho appellatione sumpta, qui præbenda publice Magistratibus expediebat, ut apud Horatium,*

Et Parochi, quæ debent, ligna, salemque.

Quod etiam verbum ætate nostra vir doctißimus Hermolaus Barbarus, cum Patavii ærarium publico nomine curaret, mutuatus est, & præceptor Merula concessit. Quidam tamen primam Parochiarum mentionem in Maternum transferunt. Vixit autem Monas quam diutissime: nam cum octogenarius esset, unde sexagesimum Episcopatus annum attigit.

Sed multo ante laudatos hujuscemodi geminos Auctores hæc ipsa literis consignavit Galvaneus *cap.* XCIV. in Mona, à lectore videndus. Quamquam harum numerus ætate hac nostra minor, idque propter adjunctionem Parœciæ unius, vel plurium ad alias sibi proximas. Quo pacto cum Metropolitanæ Parœcia olim conjunctæ sunt aliæ plures, ut S. Theclæ, Divorum Zenonis in Pasquirolo, Clementis, Galdini etiam, & Michaelis sub Domo memoria nostra; cum Basilica Apostolorum Parœciæ SS. Stephani & Joannis ad Fontes, & Lantasii; ad Parochialem quoque S. Joannis supra Murum jampridem illa D. Petri Linti, nuper vero illa S. Vincentii Monasterii novi accessit; quemadmodum Parochiali D. Petri in Caminadella, duæ aliæ S. Carolo auctore addictæ sunt, Divorum Bartholomæi scilicet & Vitalis; ad illam demum S. Mariæ Secretæ Divorum Nazarii ad Petram Sanctam, & Cypriani, ne Parœcias singulas, cum quibus aliæ patrum nostrorum memoria copulatæ sunt, numerando percenseam: nam & nostra fere

A memoria aliæ quoque aliis uti proximis adjunctas legimus Fidelis, Simpliciani minoris, Thomæ in Siccariorum arce, S. Mariæ Vallis, S. Sepulcri, S. Alexandri in Perizio, S. Stephani ad Murigiam, S. Laurentii in Turigio, Sanctorum omnium, S. Damiani in Carrubio, Sancti Protasii in Campo Amollorum infra, S. Petri in Curte, Sancti Martini in Compito, S. Victoris ad Puteum, & si quæ sunt aliæ, quarum nomina delerit oblivio, vel vetustas. Altera minoris hujusce numeri caussa fuit concessio sacrarum quarundam ædium, quibus initio animarum cura commissa fuerat Religiosis aliquibus novis, quam ob caussam ædis D. Naboris B Franciscanis Cœnobitis data; Lantasii vero, S. Mariæ Vallis, S. Margaritæ, S. Benedicti, Monialibus, S. Sepulcri Oblatis Sacerdotibus D. Ambrosii Ecclesiæque nostræ maximis firmamentis; D. Fidelis Sodalibus Societatis Jesu uberrimis scientiarum omnium fontibus addictæ sunt. Nostra quoque ætate ad commodiorem recentium ædificiorum descriptionem, dimensionemve, Parœciæ multæ veteres sublatæ sunt, solo æquatis templis, D. Michaelis sub Domo, S. Vincentii ad Monasterium novum, SS. Theclæ, Galdini, Joannis ad Fontes, Joannis ad Monachos, Vitalis, & Sanctorum omnium, ut Annales docent.

C Quod si quis nunc caussam ex me roget, ob quam sapiens æque, ac pius Mediolanensis Archiepiscopus Monas plures tunc Parœcias esse voluerit, cum Civitas minor erat, & incolæ pauciores, quam nunc sint, longe aucta cum ipsismet civibus Civitate?

Non negarim id prudenter quæri; sed conferenti inter se tempora, & hujusce mutationis caussas, quas attulimus, secum animo reputanti, quærendi locus nullus propemodum relinquetur, vel eos, qui numerum illarum contraxerint arguendi. Cum enim eo felici seculo vigilantissimus Ecclesiæ Mediolanensis Pastor animadverteret, fidelium gre- D gem sibi creditum divino amore flagrantem quotidie magis magisque divina mysteria frequentare, ne sacrarum ædium distantia, Rectorumve paucitas, tantam animorum concitationem ad omnia pietatis officia retardare notiores subditorum mores, ac ægritudines animi essent, quo plures Parochos, hoc est, animorum medicos, haberent, adeo multas voluit esse Parœcias Mediolani. Verum enim vero cum labentibus annis Mendici Religiosi suborti nuper in Ecclesia Dei sibi Parochorum partes & munia vindicare, quodque vetustiores Monachi ante non fecerant, obire cœpissent, non solum divinæ populo doctrinæ pabula E suppeditantes, verum etiam ægrorum æque ac sanorum sacris audiendis confessionibus assidentes, sanctissimam quoque Eucharistiam ministrantes, ægrotos, ac eos in primis qui morti proximi decumberent, sæpe ac sæpius invisentes, funera quoque & exequias Christiano de more ducentes, & alia ejusmodi religiosissime peragentes, frequentari desierunt Parœciæ multæ, earumque Rectores parum necessarii summis à Præsulibus habiti, suo sunt numero imminuti. Quin imo cum Mendici iidem Religiosi extraordinariam, eamque satis amplam, stipem universam ad se propemodum studiosissime traduxissent posthabitis solis pecuniarum F redditibus, Parœciis antiquitus attributis, relictisque pastoribus earundem, iique vix ad sacrarum ædium instaurationem, Ecclesiasticæ supellectilis innovationem, victum, & vestitum Pastorum ipsorum necessarium sufficerent, Parochi tum ipsi pauperibus ignavis ac desidibus similes victitabant, eam ob caussam Mediolanensis Ecclesiæ Præsules, tum ut ab hujuscemodi Parochis otium, pestem animorum certissimam, propulsarent, tum ut eorundem inopiam sublevarent, tenuioribus Parœciis

rœciis suppressis, earundem fructus & redditus superstitibus aliis assignarunt. Quamobrem brevi temporis intervallo minorem ad numerum sunt redactæ.

Verum hic ex me fortasse quispiam sciscitabitur, si Religiosi Viri, quibus à mendicitate nomen est, tot ac tanta jura solis olim Parochis concessa sibi vindicarunt, quî robur suum habere potuerunt Summorum Pontificum decreta Parochorum ergo edita, tum antiqua, tum nova?

Non frustra res hæc in disceptationem venit, nec est à præsenti *Fasciculo* aliena, monetque me uti per singula juris Parœcialis capita brevi discurram, quod facere non gravabor.

I. Primum igitur juris Parœcialis caput illud est, quod Populum ad sacrum in Parœciali Ecclesia audiendum disponit, uti videre est in Clementina, *Religiosi de Privilegiis*, ubi in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ (textus ipsius verba sunt) omnibus Religiosis viris præcipitur, ne qua arte, vel ingenio laicos ab Ecclesiarum Parochialium frequentia, vel accessu retrahant, & cap. *de paroc. & alien. paroc.*

II. Alterum, ut Parochis Decimæ solvantur, 16. q. I. c. *questi*, & tota, II. item toto Titulo *de Decimis*.

III. Tertium, ut oblationes ejusdem fiant, 10. q. I. c. *Quia sacerdotes*, cap. *Sanctorum*, & c. sequenti, & *de cons.* d. I. c. *omnis Christianus.* Quæ quidem jura Parochorum tria, licet ab œcumenica Synodo Tridentina *Sess.* 22. 24. & 26. ubi de Reformatione, fuerint populis sæpissime laudata, Episcopis ipsis maximopere commendata, & ut perenne robur contra quorumcunque injurias obtinerent cautum & sancitum. Utrum tamen ita se nunc habeant, nec-ne, ii viderint contra quos diræ & exsecrationes in ipsomet juris corpore etiamnum militant non revocatæ.

IV. Nuptiarum jus, quod quarto loco ponimus, sartum tectum ab omni extraneorum contactu, omnique commixtione sincerum ad nostra usque tempora pervenit: nec satis compertum, utrum metu-ne futura matrimonia forent irrita pedem populo ad se referente, an pœnarum formidine, si quis alius, præter Parochum, ausus esset pedem in istam functionem inferre, ut habetur apertissime XXX. q. 5. cap. I. & sequentibus XXXV. q. II. cap. *Nulli*, & in cap. *Cum terra de Elect.* & alibi in Tit. *de Consuet. de Censibus*, *de Simonia*, *& Usu pallii*, quæ quidem juris antiqui decreta gravioribus etiam pœnis adjectis inviolabiliter servari Concilium Tridentium *Sess.* XXIV. cap. I. de Matrimonii reformatione præcepit.

V. Jus omne fatendorum criminum sacerdoti ad eorum à Deo Opt. Max. veniam impetrandam penes olim solos Parochos erat, ut vel ex uno illo celeberrimo cap. *omnis utriusque sexus*, Tit. *de pœniten. & remissionibus* constat. Atqui nunc plena idem præstandi facultate Religiosis aliis viris concessa, in ipsorum pene potestatem totum migrasse videtur, solis pueris, aniculis, inopibus, & egenis necessitate potius quam voluntate confluentibus ad Rectores.

VI. Jus etiam Parochorum illud, quod sacramenta amplectitur, ipsorumque tantummodo Parochorum erat ex Juris Canonici sanctione XIII. q. II. cap. *Placuit*, unam si solemnem Baptismi, & Extremæ Unctionis celebrationem excipias, jampridem ad eosdem transiit, & juris esse communis cœpit, quod peculiaris erat.

VII. Postremum quoque Parochialis jurisdictionis caput, quod inferias, funera, parentationes, & anniversaria pro defunctis respicit, & utilissimum ipsis quondam Parochis erat, laborumque præmium aliquod in eorum curandis animis exan-

A tlatorum, proprium Parochorum erat. Verum enim vero labentibus annis ad eorundem Religiosorum scopulum ista quoque Parœcialis juris navicula appulit, sex illis ventis prioribus agitata, ibique naufragium deplorandum fecit, re omni submersa, verius ab hiantis absorta Syrtis vorticibus, vel Carybdis.

Ex his factum arbitror satis propositæ quæstioni, satisque fiet magis ac magis, si jura non antiqua modo, quæ recensuimus, sed nova quoque à sancto Carolo tum in Conciliis Provincialibus, tum in suis Pastoralibus literis ea de re pie & accurate conscriptis exposita, & in Actorum Ecclesiæ B Mediolanensis Volumen, unum veluti in corpus, relata, nec non & privilegia ipsa Mendicantium Religiosorum amplissima perpendantur. In Conciliis enim illis & literis Parochi, Rectores, Moderatores, primarii sacrorum dispensatores, ac ministri proprii, item Parœcianorum Sacerdotes, & Pastores apertissime nominantur: in privilegiis vero Mendicantium Religiosorum Parochialis quidem muneris partes conceduntur iisdem, sed uti Parochorum adjutoribus, suffraganeis, administris, mercenariis, delegatis, in partem demum Parochialium ipsorum onerum accersitis. Quamobrem, ut tandem aliquando quæsito satisfaciamus, C Summorum Pontificum decreta Parochorum ergo edita habere robur suum, affirmare possumus, qua Parochi sacrorum ordinarii & principales sunt dispensatores, ut diximus, Religiosi vero delegati & adjutores tantum. Unde licet utrorumque par propemodum administratio videatur, non tamen jurisdictio ordinaria, quæ penes Parochos incommunicata adhuc perseverat, & de hac loquuntur laudata Pontificum decreta, tum antiqua, tum nova.

Cæterum gloriosum sit, ut ait Bernardus, esse coadjutorem Dei, onus tamen istud Parœciale angelicis ipsis sit humeris, ut idem asserit, formidandum, æquiori animo ferendum est, alios Pa- D rochis ipsis fortiores ac validiores viros majorem sibi hujusce oneris partem quandoque assumere: quin etiam atque etiam exoptandum, votis etiam ac precibus contendendum, ut assumerent crebrius, modo id charitatis ardore succensi facerent, non emolumenti dulcedine deliniti, ac non etiam jure improbo usurparent. In eorum enim fide & religione gravissimo procurationis æternæ onere deposito, paulisper respirare quoque Parochis liceret, recuperatisque viribus alacrius demandata sibi in Provincia desudare. Verum enim vero res omnino aliter se nunc habet, itaque se habere liquido comperiemus, si quæ nunc testamenta Parœciis E minus utilia conduntur, solemniores etiam exequiæ magna ex parte in privata sacra, quorundam artificio propriis omnia commodis metientium, commutata, reputabuntur animo diligenter. Quin imo cum id unum quarundam Sodalitatum Confratres aggressi cuniculis essent, ne res nostræ in pejus ruerent, sibi iis opportune admodum occurrendum censuerunt sapientissimi Provinciæ Mediolanensis Antistites in *Conc.* VII. excommunicationis latæ sententiæ pœna, cum ipsis quodammodo oculis usurparent Parœcialia jura, laxissimis Regularium privilegiis, plus æquo imminui, profligari, perdi. Misera conditio Parochorum, quibus solum pene F nomen est reliquum, aut si quid aliud, cura tantum, & labor, onus, inquam, solum honoris olim amplissimi loco. Licet enim huic malo vigilantiores quique Mediolanensis Ecclesiæ Præsules obviam ire præ viribus conati sint, nihil tamen sive decretis generalibus Conciliorum, sive privatis & publicis Synodorum assequi potuerunt, nimis aucta Regularium illorum potentia, ita ut Parœcialis juris restitutio suum in primævum locum sit à nobis in posterum desperanda. Perpenderent hoc

 sal-

ſaltem attentiſſime, qui deberent, ſcirentque noſtro è lapſu ſuum quoque pendere exitium & ruinam. Sed alio querelas iſtas, juſtas licet ac debitas, amandemus, noſtræque Parœciæ fines, quod noſtri eſt inſtituti, potius exponamus.

Erat hic mihi in animo, antequam Parœciam ſuis terminis circumſcriberem, Breviarium adſcribere deciſionum, tum earum, quæ in Juris corpore, tum earum, quæ apud auctores typis excuſos ſparſim poſitæ continentur, de controverſiis ad dicta ſeptem juris Parœcialis capita ſpectantibus, ut Parochos, in quorum gratiam hæc ſcribimus, levaremus, tum ſumptibus, tum labore perquirendi, emendi, legendique tot ac tantos hujus argumenti ſcriptores. Verum quia huic noſtro deſiderio cumulate ſatisfactum eſſe accepimus à Hieronymo Carrato Mediolanenſis Diœceſis Parocho, meique ſtudioſiſſimo, ſatius eſſe duxi à me de hac ipſa re collecta Amico tradere, quam actum agere, & chartas inanis atramenti illinire. Ad hujus igitur Scriptoris non contemnendi librum, qui lucem propediem adſpiciet, Lectorem ea diſcendi cupidum remittimus non inviti. Ac eo libentius intermiſſum eſt à me jam cœptum opus de jure Parœciali, quo ſtudioſius alios quoque graves Viros hoc idem argumentum ad frequentes in primis funerum cauſſas componendas nunc pertractare audio. Satis enim ſuperque nobis eſt deſiderium hoc noſtrum Parochorum commodis inſerviendi perpetuo; illis ipſis & poſteris, hac veluti ſyngrapha, paucis indicaſſe, ſatis illis ſuperque facturi, niſi nos prudentiſſimi & graviſſimi jam laudati Viri levaſſent onere ac labore; quamvis non toto & omni, cum & ipſi communi commodo aliqua ſaltem ex parte inſerviverimus, materiam à nobis jam comparatam eiſdem ſubminiſtrando.

Collegium ipſum Taegiorum, quod & S. Simonis dicunt, nobilium adoleſcentum hoſpitium, in quo ſcilicet probis ad honeſtatem moribus, & politioribus ad humanitatem literis imbuuntur, ad lævum ad nos ab ortu venientium latus per nobilem S. Simonis viam primus Parœciæ noſtræ limes eſt: ad dexteram autem in eadem via Balborum nobilium domus è regione modo laudati Collegii ſita.

Quam, dum hæc ſcribimus, incolit clariſſimus Heros Hippolytus Bondelmontius Florentinus, Magni Ducis Hetruriæ legatum apud Mediolani Proregem agens, Vir morum ſuaviſſimorum candore omnibus æque charus ac gratus; prudentia vero, uſuque multarum & magnarum rerum nemini ſecundus, munificentia ac magnificentia vere maximus; vitæ demum integritate ac in Deum pietate tanta,

Illius ut ſi quis conetur dicere laudes,
Is dare Phœbeis lumen amet radiis.


Eandem D. Simonis viam terentibus duæ hinc inde Domus aliæ ſeſe intuendas offerunt, non minus mole ſua celebres, quam incolarum nobiliſſimorum fama virtutis illuſtres. Illuſtratur una ſcilicet clariſſimæ Senatoriæ dignitatis face Ludovico Vignate pulcherrimo Laudenſis nobilitatis flore, quem Romana Curia Advocatum præſtantiſſimum ante ſuſpexit, quam in Senatorum Mediolanenſium Ordinem cooptaretur, cælique noſtri ſpeciem ſuo lumine colluſtraret. Quamquam non ob id virtutes ejus, ac merita nitentes in Urbe Romana radios ſpargere deſiere, dignus, qui eidem ornamento & præſidio ſit in illuſtriori loco poſitus, ſacræ ſcilicet Epiſcopalis, aut Cardinalitiæ dignitatis faſtigio propoſitus omnibus ad imitandum. Utinam eorum albo inſcriptus ſit, quos Sanctiſſimus Pontifex Urbanus VIII. cui eximia ejus merita ac virtutes perſpecta plane ſunt, atque cognita, proxime renuntiaturus eſt Purpuratos, Duceſque Chriſtianæ militiæ ſanctioris,

Neſtoream donent illi pia Numina vitam,
Quo late meritus ſoſpite creſcat honos.

Ad alteram venio, quam Eques inſignis nobilitat Carolus Arconatus, ejus familiæ germen, proleſque certiſſima, quæ ſplendoris ſui fama Mediolanenſium finibus non contenta proximas urbes & nationes, totumque ferme terrarum Orbem, brevi complevit. Tot enim Heroas una protulit, quot Viros in lucem extulit, omnes omni laude majores, quorum in numero principem ſibi locum noſtra memoria vindicavit Franciſcus Eques B. Virg. Annunciatæ, Legationibus ſane multis apud pleroſque Europæ Principes ſumma cum dignitate ſemper obitis longe clariſſimus; atqui non celebrandus minus Eruditorum linguis ac litteris, quod rebus aliis quamplurimis præclare geſtis, bonorum publico, tum privato virtutum ſuarum gloriam latiſſime propagarit. Redonarent hunc utinam terris ſydera, quibus invida rapuere, patronum enim mihi longe chariſſimum redonarent. Sed aliò ab hoc æſtu pertrahor, ne laudum tanti Viri campum latiſſime patentem ingreſſus finem dicendi nullum inveniam. Nullius enim tanta dicendi vis, aut ubertas orationis exſiſtit, quæ vel minimam earum partem attingere, ne dicam exornare, ſe poſſe confidat. Miſſas itaque eas faciam non invitus, eoque libentius, quod virtutes ejus æque fulgeant in J. Conſultorum integerrimo Joanne Baptiſta fratre, per omnium fere Patriæ ſuæ dignitatum gradus jampridem ad immortalitatem evecto, Judiciorum ſcilicet tribunalibus primariis caſte ſemper & integre aſſedit; Vicarium Proviſionis pro dignitate & boni publici ratione ſemper habita, ſuiſque commodis prælata, egit; Juſtitiam Capitaneus adminiſtravit ſpectato ſolius Juſtitiæ candore; nunc vero Quæſtoris Ordinarii Magiſtratus partes ita ſuſtinet, ut omnibus admirationi ſit, ob eamque cauſſam dignus habitus, qui non ſemel Regum maximo Philippo IV. proponeretur in comitiis Senatorum Mediolanenſium, ut ad ejus honoris apicem eveheretur, ad quem ac ſerius ocius (ſi quid ex maximis ejus in Rempublicam meritis, & præſtantibus virtutibus veri divinat animus) ſine ullo dubio evehetur. Egregie adeo publica munia omnia ſuſtinuit ſemper, & ſuſtinet, ut omnibus ſe honoribus dignum præſtet, veramque ac redivivam imaginem repræſentet Franciſci Aurati Equitis Annunciatæ, cui nullus eſſe par honor poterat, nulla ſatis digna laus fingi, omni honore, omni humana laude majori.

Inde ſeſe recta Parœcia noſtra porrigit per Fabiorum, ſive Fabrorum Vicum uſque ad ſancti Chriſtophori ædem, & Zanchorum domum, quam *Dorſum* nominant, ubi poſtremis limitibus, quaſi cancellis incluſa, conſiſtit ulterius non excurrens.

Hos inter limites major Parœciæ noſtræ longitudo ad quatuor mille ſeptingentos paſſus effunditur, ac fortaſſis etiam plures. Menſura autem paſſus, qua hic utimur, eſt ejuſdem longitudinis cum brachio Mediolanenſi unciarum 12. Ab Urbis quoque mœnibus cum recedit, plurimum latitudinis habet, à navigabilibus ipſis aquis ultra Olonam fluvium ſe protendens, triginta tres caſas, ſeu ruſticana tuguria, complexa, in quibus Communionis, ut ajunt, animæ bis centum degunt. E contra cum propius ad interiorem Urbis partem accedit, ſpatium perangustum habet; ſed accolarum tantum, ut adulti ſacrorumque myſteriorum participes pluſquam mille ſint, exceptis infantibus, pueris, & puellis. Sex aliis hæc una Parœciis cingitur: quaque Orientem ſpectat præſtantiorem Parœciæ ſancti Laurentii Majoris partem attingit. In via quidem ſancti Simonis Collegio Taegiorum ad lævum latus, ad dexteram autem ipſa Balborum




SECVNDA TABVLA ICHNOGRAPHICA
Partem Vrbanam Parœciæ D. Vincentii in Prato Portæ Ticinensis Mediolani puncti simplices in modum lineæ continuati terminant, ab alijsq; adiacentibus Parœcijs, ad complementum hujusce Tabulæ appictis, discriminant.
Decursum Vetræ antiquum indicant puncti duplices à litera A. ad B. producti: à B. vero ad C. eiusdem cursum sub fornice nunc latentem; à C. autem per Vetrascos patentem, et apertum usque ad Navigeram Vrbis fossam.
Solum, cui ædificia superposita sunt tenuiorum linearum adumbratione signatur.
Flumen Olona
Via
A
Tumbo
PARS
MOENIVM
VRBIS
MEDIOLANI.
Rivus Fontanus
Prata
Agri arvi
Vinea Montalium
Monasterii Maioris.
VINETVM ABBATIÆ
S. VINCENTII
Vineæ
Conca
NAVIGIVM
Pars Parœciæ
Sancti Laurentii Maioris.
S. Caloceri
Rivus Bergunticæ
Collegium Calcorum
BASILICA
S. VICTORIS.
Viridarium Triquetrum.
S. Martini
Pars Parœciæ
S. Martini ad Corpus
Monasterium Victoriæ
Vicus Fabrorum
Hospitale S. Ambrosii
B
FOSSA VRBIS NAVIGERA.
Concheta S. Ambr.
Vicus Ocarum
Via Terratium
S. Catherinæ
S. Petri in Caminadella
S. Augustin
S. Michaelis
BASIL. AMBROSIANA
S. LAURENTII
S. Bernardini
Pars Parœciæ Sancti
Petri in Caminadella
S. Sigism.
Area Vetra
Carrobium
S. Viti
Platea S. Ambrosii.
Stella Mendicor.
Vicus Portæ Vercellensis.
S. Mariæ Grattiarum.
S. Mariæ Magdalenæ
ad Circum.
S. M. ad Cir.
Pars S. Francisci.
Scala brachiorum 300 Legnaminis Mediol.s
D. Stoopendaal Fec:
P. vander Aa, Exc: Lugd: Batav. cum Privil.

borum domo: in Vetræ vero, seu Viperæ vico, cum ex parte domo, quæ quondam Claræ Petrasanctæ, seu mariti ejusdem Hieronymi à Basilica Petri erat, nunc est Pauli Nicolai Casati, viri tam frugi, quam ditis, ac inter primarios nostræ Parœciæ viros merito numerandi, secuta ejus alienatione permissu Commendatarii nostri: ex altera vero domo Fontanæ familiæ, quæ modo in ditionem venit Ludovici Cittadini, pietate, multarumque aliarum virtutum splendore conspicui & illustris viri.

Est & via, quam *Terratium* dicunt, in eaque à janua, quæ à tergo est domus supra modo laudati Viri, inchoat Parœcia nostra, & ad oppositam eidem domum Sostram Vanzaghellam dictam desinit ad postremas metas.

Altera Parœciæ nostræ pars, quæ ad Septentrionem vergit, uno ex capite cum viridario Monialium S. Bernardini: ex altero cum perillustrium Fratrum Vicecomitum, Comitum, & Feudatariorum, magnæ soboles Magni Coriolani, domo jungitur, quæ est Parœciæ S. Petri in Caminadella, hærente grandiori & potentiori æde, quæ templum S. Catherinæ ex adverso respicit, & adhuc Monasterium appellatur, quod olim ibi sub institutis religiosæ disciplinæ degerint Virgines illæ, quæ postea ad sanctam Catherinam ad Rotam, amplioris Monasterii gratia, sunt translatæ. Ejus nunc dominus est Joannes à Furno serici fili infector, ex Liguria oriundus, nulli sua in arte ex multis nostræ Parœciæ infectoribus ingenio, industria, rei familiaris augendæ solertia, judicio meo secundus. Ea domorum hujusce modi, quæ diversarum Parœciarum sunt, affinitas in caussa fuit, ut inter S. Petri in Caminadella Parœciam, & Vincentianam nostram summa semper ac reciproca quædam, Parochialibus in muniis obeundis, suffragatio intercesserit, ac deficiente unius Parocho, Rector alterius vices ejus obeat cumulate. Separantur hæ porro Parœciæ duæ, extra dextrum Portæ Fabiorum latus, ab ipsomet Navali fluvio ad Conchettam Hospitalis D. Ambrosii: quemadmodum idemmet in Urbem fluvius recto ad lævam alveo irrumpens ab ostio, quod Tombonem dicunt, Parœciam nostram ab ea, quæ S. Laurentii est in extrema fere ejusdem regione, sejungit.

Ubi in labro navigabilis rivi eo loci, quo vectigal exigitur, & Concha vocitatur, in pergrandi siliceo saxo incisa sequens Inscriptio visitur, quam hic ut in loco proprio apponendam censuimus:

MATILIO SABINO
CONIVGI

L. ÆBVTIO CARPO
AEBVTIAE CRISPAE

ACILIAE HELIADI SODALI
NOVELLIO DECVMO
HILINO EROTI T. F. I.

Q. NOVELLIVS DECVMVS
GN. VIRGINIVS AQVILO
L. AEBVTIVS CARPVS

PRO EA PARTE QVA HEREDES SVNT
F C

A Cæterum si ab eodem illo ostio linea recta ducatur usque ad Francisci Magantiæ, nobilis æque ac elegantis viri, domum, Mariolam dictam, domum, inquam, primam Parœciæ nostræ, qua se ad Meridiem vertit, ibique rectum in angulum detorta, obliquo mox ulterius aliquanto tramite protrahatur Moniales Capucias versus, ubi numerosa Cacciabullæ coloni familia degit, ripas ejusdem fluvii statim attinget. Huc autem secundum earum riparum marginem à dorso Zanchæ familiæ domo perpetuo decurrentes Navilii aquæ Parœciam nostram à Parœciis primum S. Gotardi, deinde S. Nazarii Barronæ dividunt, qua Meridiem spectat. Qua tandem

B solem occidentem videt, ab eo dorso nostræ Parœciæ fine ducto circuitu, ea cum Parœcia, quæ S. Petri in Sala dicitur, se conjungit, donec perveniat ad ferri malleatorum moletrinam, quæ clausa mœnibus civitatis ab hac extima parte limes ejus est. Ac licet ibi porta nulla sit, per quam extra Urbem aditus pateat, Parocho Vincentiano tamen per portatiles scalas ad id exstructas, semper patuit, in obeundis muniis omnibus, quæ ad curam animarum spectant. Quod si hinc recto tramite progrediamur ad Conchettam Hospitalis S. Ambrosii, primo nobis occurret vasta quædam Antonii Raynoldi Viri clarissimi vinea; mox Antonii

C Sormani viridarium, cui satis opportuna humanis usibus domus adjacet, quemadmodum & Raynoldi vineæ palatium ingens, sed imperfectum; postremo hortus vitibus, arboribusque variis consitus, quo nunc Grimaldi Paulus Camillus pater & filii potiuntur, hisque nostra Parœcia limitibus clauditur in hac occidentali parte contermina S. Martini Parœciæ, quem ad Corpus vocant. Hi sunt ipsissimi nostræ Parœciæ fines, eaque verisimilis mensura longitudinis & latitudinis eorundem. Quod si circuitus universi spatium metiri quis per otium velit, octo centum quinquaginta supra decem millia passuum erit, ut ex Tabula tertia geographica

D ad calcem Operis apponenda ad amussim patebit.

Ex quo colligi facillime potest quam sit hujus Parœciæ provincia difficilis, ardua, laboriosa, quamque dignus sit ejus operarius mercede sua, quæ tamen si, qui foris vitam ægre trahunt, terræ cultores spectes, perexigua est; si qui vicum Fabiorum incolunt, minima, & aliquando etiam nulla, propter eorundem inopiam & egestatem, nostris plerumque opibus & eleemosynis sublevandam: si qui in civitate sunt ob diversitatem status, diversa pariter, & incerta. Hæc enim tria Rusticorum, Burghesanorum, & Civium genera Parœcia nostra complectitur. Primi generis & secun-

E di homines Templum & Parochum suum frequentes in vita adeunt, eodemque mortui deferuntur: at tertii cum incolumes sunt, rari apparent, cum defuncti, nulli: eo quod apud Monasteria Regularium in primis recentum se humandos mandant, nescio quibus eorundem lenociniis irretiti contra vetus Ecclesiæ Catholicæ institutum, quo Parochianorum corpora suis in Parœciis mandabantur humo, non tam, ut Parochi suis eos precibus & solemnibus officiis prosequi commodius possent, quam ut affines ipsi in ejusdem Parœciæ templis preces pro se suisque Deo Optimo Maximo fundere consueti, defunctorum suorum manibus quie-

F tem precarentur æternam, & sempiternam pacem. Sed hæc, quæ delicatas aliquorum aures fortean mordeant, etiam omittamus, ut universum Vincentianæ Parœciæ spatium non tam ipsis legentium mentibus, quam oculis intuendum subjiciamus in jam promissa Tabella, quam diligenter admodum & ad fidem nostræ historiæ accommodate mihi confecit mei studiosissimus Architectus Joannes Angelus Cribellus, cui me eam ob caussam debere plurimum non ignoro. Nam & in ea Basilicæ Vincentianæ

tianæ Ichnographiam, & varium Vetræ cursum antiquum, & novum cum aliis multis, videre erit in Tabula secunda Ichnographica Parœciæ Vincentianæ ad finem libri posita, id quod lucem non exiguam afferet *Fasciculo* secundo, & septimo.

Monet me nunc ipsa nobilitas ejusdem Parœciæ, ut de ea aliqua disseramus. Fulget enim hæc ipsomet nobilissimo & antiquo D. Vincentii Templo, & multo magis trium SS. Martyrum, Quirini, Nicomedis, & Abundii, aliorumque Reliquiis, quibus Templum ipsum abundat, ut loco suo ostendimus, & aliis quamplurimis præstat. Quatuor hæc ipsa sacris ædibus intra fines suos conditis, sanctorum scilicet Christophori, Caloceri, Catherinæ, & insigniter per omnium ora vulgati Hospitalis Amentium juxta nos positi, mirum in modum illustratur. Quibus in ædibus Parochianorum commodo, defunctorum suffragio, publicæ utilitati ad Dei Opt. Maximi gloriam quovis non festo die decies, festo vero duodecies, res sacra de more fieri consuevit.

Ac numerus quidem Missarum, quas obiri solere diximus, sic accipiendus est, ut is eas Missas tantummodo comprehendat, quæ olim obiri consueverant, sive ut legatis defunctorum, sive ut sacerdotiorum oneribus rite & ordine fieret satis: nam quæ extra ordinem, ita poscentibus Piorum eleemosynis, in dies ob eam rem datis, ut res sacra quotidie fiat, eæ recensitum aliarum numerum excedere jam inde ab anno MDCXVII. quam longissime cœpere, ita prorsus, ut sacerdos quilibet paratam sibi stipem adventitiam semper habeat, si rei divinæ quotidie voluerit operari, ut in II. *Florilegii* nostri Parte, sectione II. Deo favente commodius & uberius ostendemus, stylo ad vernaculum propius accedente, ne quæ tum dicentur rudes ac ignaros Latinæ linguæ latere possint, quorum tum in gratiam disseremus. Accedunt his Oratoria duo publica, quorum unum in medio fere Fabrorum Vico visitur eo in loco, ubi prius sola Crux picta, nunc autem pia Dionysii Masperi orationis Vespertinæ præfecti opera Christi cruci affixi, aliæque sacræ imagines divinis ad pietatem facibus mentes accendunt: alterum intra Portam ipsam Fabiam in trivio, ubi lapidea columna Thusci Ordinis, cujus in epistylio aurata Crux, quæ fere quattuordecim ab hinc annis statis de more precibus à me Parocho benedicta, debita veneratione coli cœpit, adhucque concursu colitur non vulgari. Solet enim ad hanc strata vicinia sub occasum solis litanias ac alias hujuscemodi sacras precationes exsolvere, indeque singulis sextis feriis Metropolitanam Basilicam cruce præeunte adire ad audienda de superiore loco passionis Dominicæ Sacramenta. Ibi siquidem sanctissimæ Crucis Sodalitas instituta est, quemadmodum & ad alias Cruces in Urbis & suburbiorum triviis positas, quæ esse octo & triginta numero perhibentur, quibus singulis cum certum Redemptionis nostræ mysterium assignatum sit, nostræ quod obtigit, Descensum Christi Domini ex Pilati scalis exhibet intuendum. Cæterum in iis omnibus, quæ esui, potui, cultui corporis, neque tam ad vivendum, quam laute & opipare vivendum homini necessaria censeri, fingi, vel excogitari possunt, Parœcia nostra nemini alteri concedit. In ipsis enim propemodum ædibus nostris ob ubertatem soli triticum optimum, variaque leguminum genera producit, vitium inibi copia, lectissima vina, & æstivo maxime tempore gustui gratissima, satis superque suppeditat; frugiferarum eadem arborum multitudine felix est, & pinguibus glebis ad olera, reliquasque cujuscunque generis sativas herbas copiose gignendas mirum in modum opportuna. Nascuntur in ejusdem qua fontium, qua fluminum perennitatibus suavissimi pisces. Ab Urbe

A etiam cum recedit loca sylvis opaca, collibus molliter acclivibus aprica, declivia vallibus, latioribus camporum intervallis distincta, gratissimo oculis spectaculo repræsentat, in quibus feræ cujusvis generis & volucrum omnium varietas non ingrata.

Jam intra ejusdem ambitum interiorem quæcunque ad corporis cultum spectant variarum artium opifices abunde suppeditant, scilicet in ea frequentes degunt fullones, infectores, textores eorum numero maxime, qui serica licia nectunt, ex quo fit, ut sericis pannis, holosericis, & subsericis magis quam aliis levioris materiæ, minorisque pretii vestibus abundet Parœcia nostra. Illuduntur hic
B etiam serica tenuiora velamina auro & argento, ut inquit Julius Solinus, in usum publicum damno severitatis admissa, & quo sua potius ostentare corpora, quam vestire primo fœminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido, quæ jam omnes modestiæ terminos longe lateque est transgressa. Nec absunt hinc fœminæ, quæ linum, bombatium, seu gossipium, & sericum, lanamque neant, ac carminent.

Sed unica in primis in nostro Fabiorum viget ars illa, quæ sub auri malleatorum nomen generale venit, licet magis proprie Bractearia nuncupari posset. Quamobrem hic à nobis ejusdem ratio pluribus explicanda videtur, eoque libentius, quod eam
C ante nos nullus vel leviter adumbrarit. Initio magna vis argenti, molis ad instar funditur, quæ mox certam in formam redigitur, post extrinsecus uno tantum in latere auro levissime obtegitur, dein argento igne pluries emollito magnis idipsum malleis tunditur, post in miræ tenuitatis laminam, seu bracteam in ligneo canali substrato distenditur, quæ demum æreis quibusdam involucris obtecta, tam diu latioribus percussa malleis cuditur, donec ad perfectam latitudinem, tenuitatem, ac subtilitatem pervenerit, idque fabri principis judicio, qui solus manum extremam operi imponit. Hujus-
D ce vero auri mercatores, qui subministratis auro, argento, cæterisque opificum sumptibus, has tenuissimas laminas auro obductas cudendas mandant, ubi sic cusæ fuerint, recte complicatas mulieribus tradunt, à quibus primo longis forficibus tenuissima secantur in fila, mox sericis staminibus protensis in longum, annuloque suspensis, eadem non levi pollice, sed dextera tota vola cum ipsomet auro decore superinducto torquent, donec fila ipsa aurea esse penitus videantur. Hujusmodi auri commutatio cum mercibus gentium aliarum, Mediolanenses cum nationibus exteris omnibus copulavit, ac fecit, ut quidquid ubique terrarum esset, ad
E eosdem etiam perveniret, ob nimiam una merce commutata comparandæ uniuscujusque alterius rei procul à se positæ facilitatem inde profectam. Fœminarum vero aurum hujusmodi nentium greges habet Parœcia nostra. Cæterum si quæ auri frustula, vel segmenta hisce fœminis, Mercatoribus, aut etiam Bracteariis ipsis supersunt, Partitoribus quibusdam industriis dantur eam ob caussam, ut aurum, quod argento permixtum habent, ab eodem purum putum facillime sejungatur. Sed enim Partitorum hujuscemodi mira Mediolani paucitas est, duoque in ejus latissimo ambitu tantummodo reperiuntur, quorum alter in nostra Parœ-
F cia degit, eratque unus tantum initio, cui ob id satis ampla res familiaris erat, non aliam ob caussam postmodum imminuta, quam quod ejus alumnus quidam artem eandem probe callens ad Imperatoris turrim alteram ejuscemodi officinam, vel Ustrinam potius, quod in ea præcipua metallorum genera candescant, & ad partitionem flammis ardentibus adurantur, in eadem Ticinensi Porta aperuerit cum ingenti lucro. Ideo nec ab incepta horum artificum narratione fuerit alienum, artis eorun-

rundem proſequi rationes omnes, cum una tot ac tantis aliis artibus ſolent inſervire.

Partitores igitur primo ſegmina illa auri, vel fragmenta fundunt, & in maſſam redigunt, quæ mox judicio eorum, qui auri bonitatem explorant, ſubtiliori trutina perpenditur, ut quantum admixtum habeant auri, vel argenti ea, qui ad ſe detulerint, ſciant. Eo facto periculo, certioribusque redditis ſingulis de ſuo auri pondere, vel argenti, plurium maſſas una cogunt, & fornaculæ orbiculari fundi pauliſper concavi, & marginis per circuitum leviter deficientis immittunt, ut igne ſuppoſito liqueſiant. Ejuſdem fornaculæ labra, ſumma in parte concava, uno ab latere apertius patent, ut inde viliora metalla quælibet æs, ſtannum, plumbum facilius educantur: id quod paulatim fit adunco & oblongo ferro metallis iis omnibus ſupernatantibus, auro vero metallorum omnium graviſſimo cum ipſomet argento, cui mixtum eſt, in imo fundo formulæ ſubſidente. Quod ſi forte fortuna contingat, ut leviora metalla illa (quod interdum accidit) ignis calore deficiente, aut ſcoriæ expurgandæ gratia aliquando deſcendant, ita ut ex orificio fornaculæ nullo modo fluant, tum eidem plumbi tantum infunditur, quantum ad illa, quodam quaſi vehiculo, educenda ſufficiat, ſuccreſcente materia ſenſim aliquid è ſummo illo orificio ferro illo iterum abradendo, quo metalli gravioris deſcenſus facilior & expeditior ſit. Superadduntur interdum aliquot aluminis fæcis particulæ, quæ aurum purgare & in abſolutiſſimum nitorem redigere perhibentur. Apparente mox argento in ipſa fornaculæ concavitate à vilioribus metallis aliis ſejuncto prorſus, ac puro (quod tum aperte liquet, cum metalla alia ad inſtar olei in ipſamet argenti ſuperficie fluitare amplius non videantur) ſubtrahitur fornaculæ ignis, ut in maſſam argentum iterum coaleſcat, dureſcatque citius, cujus ergo aqua quoque tepida perfundi ſolet. Ad hæc, argenti ſic purgati maſſa liquatur iterum, mox cochleari magno accepto in aquam ferventem effunditur, eaque ratione in particulas granorum inſtar diſtinguitur, & ſeparatur. Ea porro grana in olla grandiori (*Bozzam* ipſi Partitores vocant) rite locantur, quibus aquæ fortis menſura ex alumine & nitro conflata ſuffunditur cum lento igne, eadem ut grana aqueum in humorem ſolvat, auro in ollæ fundo, rubenti terræ ſimillimo, reſidente. Aqueus hinc ille humor ubi refrixerit, & in ollam aliam haud diſſimilem transfuſus, iterum admovetur igni, clauſo orificio ollæ vitreo quodam operculo, oblongam fiſtulam porrigente in ollam alteram ſibi ſimilem, receptaculum dictam alio ſimili operculo clauſam, ad ejuſdemque formæ vas tertium pari cum fiſtula pertingentem. Ita fit ut exſiccetur argentum ab eodem, aqua illa forti educta per ſublimationem (ut cum Partitoribus ipſis loquamur) diſtillatoriam ab ignis fervore profectam, fractoque vaſe, argentum cum gypſo, aut calce de candore certans, ejus in fundo cernatur. Hinc ferreo in vaſe, quod iidem Partitores *Croſolum* vocant, ſicut & aurum ipſum ſolvitur, cum hoc uno diſcrimine, quod argentum in grana, ut ſupra expoſuimus, extracto prius ſupernatante nitro, diſtinguitur; aurum autem in virgas oblongas effingitur & efformatur. Rebus tandem omnibus his peractis, Partitores unicuique mercatori, aliisve, à quibus ſegmina illa auri, vel argenti acceperint, portionem ſuam, juxta bonitatem & pondus, deducta laborum mercede & expenſis, reddunt.

Metalla vero alia viliora, mixtim ex illa fornacula ſuperiore extracta, liquantur in alia peculiari fornace manicæ brachii recurvi perſimili, ac inter ſe, educta aliqua ex parte terreſtriori materia, ſecernuntur, quæ pars terreſtrior una cum reliqua ſcoria metallorum, purgamentiſque aliis, quæ ex officinis aurificum efferuntur, dantur viris quibuſdam terræ lavatoribus appellatis, quorum ingens etiam numerus eſt in vicinia noſtra, ut eadem ſaxeam in pilam immittant certa argenti vivi quantitate prius admixta, pluries lavent, ac ſubtiliſſime molant, donec admixti argenti vivi beneficio conglobetur in pilæ fundo quicquid argenti, vel auri cum illis purgamentis terreſtribus compertum fuerit adhæſiſſe. Hæc humana adinvenire induſtria
B potuit, ne minimum quid auri, vel argenti, tanto ſtudio ab inexplebili mortalium cupiditate, ne exſecrabili avaritia dicam, ſuam ad perniciem, ex ipſis effoſſi terræ viſceribus, interiret. Sed hæc domi noſtræ nata quodammodo relinquamus, veniamus ad alia, quæ noſtram Parœciam ditant; ſcilicet per hanc maxime noſtram in Urbem invehuntur fere commeatus omnes, cæteraque humanis uſibus accommodata, tum ex vicinis regionibus Verbani lacus, ac fluminum Ticini & Padi; tum ex remotis Provinciis, non quidem itinere terreſtri, magis autem Pado ipſo ab Adriatico mari ad nos uſque deducta, quæ longum nimis eſſet
C ſingula percenſere. Hinc late dictum illud manavit in vulgus; *eum, qui commeatum per hanc Parœciam Mediolanum invehi ſolitum intercepiſſet, univerſam Urbem non tam rerum omnium copia privaturum, quam obſidione famis graviſſima oppreſſurum.*

Somnia porro ſunt, & rabularum nugæ, quæ de aere noſtræ Parœciæ inſalubri vulgo circumferuntur ob aquas illic ſtagnantes, craſſiores fontium ſcaturigines, & puteos parum altos, ideoque æſtatis tempore, ſæviente Syrio, parum admodum frigeſcentes: multa enim ſunt, quæ natura ſua ſalubrem eſſe noſtræ Parœciæ ſitum cœlumque ejus clemens ac temperatum arguant non ob-
D ſcure. Indigenarum primo vita ſatis diuturna ad ipſam uſque canitiem, & effœtæ ſenectutis metas. Funera paucorum, quæ aliis in minoribus Parœciis crebiora. Accolarum demum natura appetentium craſſiorem cibum, coloris non mali, vegetis ſenſibus, hilari animo, robuſto corpore præditorum. Quibus argumentis aeris ubique temperies oſtenditur & probatur.

Hos mihi è Vincentiano PRATO flores præcipue legere hac tempeſtate viſum, adnaſcentes Baſilicæ ipſi, locum inter ſacras Ædes reliquas noſtræ Parœciæ principem obtinenti: eoſdemque octo in FASCICVLOS diſpertitos, ac in pri-
E ori FLORILEGII ſectione uno veluti in calatho collocatos benevoli Lectoris naribus admovere, ea ſpe ducti, fore ut ipſorum ſive pulchritudine, ſive odore perculſi antiquitatum ſtudioſi, laborem qualemcunque noſtrum approbent & commendent.


Secundæ ſectioni FLORILEGII PRATI noſtri nunc accedet eadem manus lectura raptim (non tantum enim otii in hac ſecunda ſectione habemus, quantum in prima ad commode ſcribendum nobis contigit) alios flores, quos in Parœcia Vincentiana ædes Divo Chriſtophoro ſacra produxit, ut in peculiarem ac ſimplicem Faſciculum,
F receſis digreſſionum frondibus plus nimio inoleſcentibus, & inſuavibus deductionum Juris, ac Peritorum foliis luxuriantibus amputatis, diſponam; ac rudi, paupereque in fiſcella, uti agreſtes, & extra urbem procreatos, collocem, ſua fortaſſis ruſticitate Lectorem recreaturos.

JO. ANT. CASTELLIONAEI
FLORILEGIUM ANTIQUITATUM PAROECIAE
D. VINCENTII IN PRATO.

SECTIO II.

Fascic. IX.

Delubrum S. Christophori ubi, quando, & à quibus conditum, ordine quæsitum. In augustiorem formam ex voto à Civibus Mediolanensibus redactum. Qua caussa sint dies duo festi apud Mediolanenses in honorem S. Christophori, & in eis civium concursus ad Templum, ubi Sancti Reliquiæ, & imagines plures. Quædam de ejusdem Sancti die festo, & Templo apud Laudenses, in quo serpentis spina posita. Imago S. Christophori qua de caussa in suburbiis, viis publicis, & extra Templa frequenter picta. Sub titulo D. Christophori Hospitalis domus primum, deinde societas ex nobilibus præcipue viris instituta. Quantitas redditum ejus societatis examinata. Jus Abbatiæ, & Parochi D. Vincentii decreto Archiepiscopalis Vicarii confirmatum in æde S. Christophori, & ejusdem Ædis forma explicata.



AM extra Urbem spatiari licebit, si ad D. Christophori Delubrum pergere velimus, ut ex nostro instituto res ejus veteres ac recentes scrutari & explicare possimus. Juxta profluentem navigabilium aquarum Ticinensi porta egredientibus ad dextram positum est hoc Delubrum, intra fines nostræ Parœciæ ad tertium ejusdem profluentis trajectionis pontem. Domus hinc inde adjacent, habitatoresque frequentes visuntur. Esse antiquum, & structura, & picturæ ostendunt. At stemmata & gentilitia Vicecomitum Mediolani Ducum insignia, Reipublicæ item Mediolanensis, ac Præsulis nostri Cœnobii Vincentiani rem apertius declarant, omnem quoque ambiguitatem de medio clarius tollunt literæ quædam prominentes in marmore Pario in ædis hujus fastigio inscriptæ. Duæ nunc sacræ ædis cernuntur copulatæ atque connexæ, quarum altera, quæ Aquilonem spectat, antiquior apparet, dicataque est D. Christophoro, ut cum ejus Sancti imagines, tum ara major liquido ostendunt: altera vero, quæ ad Meridiem vergit, viciniоremque habet rivum navigabilem sub B. Virginis numine & quatuor aliorum Sanctorum, videtur condita, & ex pictis Matris Dei imaginibus, & iconica ejusdem statua aræ primariæ superposita. Hæc recentior cognoscitur ex marmorea tabula supra januam ejus locata, cujus insculptæ sunt à dextro latere vipera Vicecomitum gentis singulare insigne, à sinistro crux alba rubro in scuto Reipublicæ Mediolanensis peculiare signum; & Viperæ quidem adscri-
C pti sunt hi duo characteres G. & M. denotantes (ut
credere par est) hanc ædem conditam anno Joannis
Mariæ, filii Jo. Galeatii, fere quarto post acceptum
patris imperium, vel certe paulo post. Cujus rei
non solum illarum duarum literarum conjecturam,
sed & testes locupletissimos habemus literas quasdam Ducales ad Vicarium generalem Curiæ Archiepiscopalis Mediolani, & ejusdem ad eas responsionem, quarum exemplar in testimonium, depromptum hinc inde, subjiciemus. *Dux Mediolani*, &c. *Venerabilis Doctor nobis dilecte; Intelleximus Illustrissimum q. D. Ducem Philippum Proavum nostrum ædificari jussisse Ecclesiam sancti Christophori ex-*
D *tra muros istius inclitæ Urbis nostræ ob devotionem & cultum, quem erga eum sanctum gerebat, eamque in Capellam erigi facere instituisse, in qua quotidie celebraretur, & ad eam rem conficiendam ex eleemosynis ejus bona quædam coempta fuisse, sed morte præventum peragere non potuisse, quod animo destinaverat; Bona vero dictæ Ecclesiæ relicta, & compartita ex eleemosynis Excellentiæ suæ, à Laicis quibusdam usurpari & detineri audimus, & quoniam cupimus certiorem & clariorem hujus rei notitiam habere, hortamur & oneramus vos, ut opportunas & diligentes informationes sumere velitis, de his, quæ superius narrata sunt, & nobis deinde rescribere quidquid pro mera veritate com-*
E *pertum habueritis, & hoc facietis, quo celerius fieri potest. Papiæ die primo Augusti* 1401. *Ja. Antiquarius. A tergo, Venerabili Doctori Domino Vicario Archiepiscopatus Mediolani nobis dilecto.*

Hactenus Ducales literæ: sequitur responsum Vicarii ad eas: *Illustrissime & Excellentissime Princeps: Excellentia Vestra dignata est mihi scribere, intellexisse Illustrissimum q. DD. Ducem Philippum ædificari jussisse Ecclesiam sancti Christophori extra muros Urbis hujus, eamque in Capellam erigi instituisse, in qua quotidie celebraretur, & ad eam rem conficiendam eleemosynis ejus quædam empta, sed morte præventum peragere non potuisse, bonaque dictæ Ecclesiæ à*
F *quibusdam Laicis detineri, jussitque Excellentia Vestra ut diligentes informationes sumam, deindeque rescribam quid pro veritate comperuerim: habitis Excellentiæ Vestræ literis, infrascriptas assumpsi informationes: Reperio namque ipsam Ecclesiam ædificatam fuisse anno Domini millesimo quadringentesimo octavo per quosdam Laicos, qui supplicaverunt Illustrissimo tunc & Excellentissimo Duci, quod dignaretur ejus Excellentia concedere, ut ibidem possent congregationem Scolarium facere, & quod possent condere inter ipsos Scolares statuta, præfatus Illustrissimus Dux scripsit Vicario provisionum Communitatis Mediolani quod super his se informaret & rescriberet. Vicarius scripsit esse concedendam licentiam scolæ, & Scolarium congregationem, sed quod statuta facere non possent, sed tantum ordinationes*

tiones inter ipsos, & ita Princeps concessit dicto anno 1408. In ipsis literis non nominatur nomen Ducis, sed quia millesimo quadringentesimo octavo datæ sunt suprascriptæ literæ, arbitror quod Illustrissimus q. Dux Philippus adhuc non esset Dux. Comperio quoque ex relatione plurimorum præfatum Illustrissimum q. Ducem multas eleemosynas in pecunia numerata dictæ Ecclesiæ perstitisse, sed quod instituisset in Capellam erigi, in qua quotidie celebraretur, nec per scripturas, nec per testes constare mihi potuit: volui tamen videre libros, & scripturas, & Instrumenta ipsorum Scolarium, per quæ mihi constat, quod ipsa Ecclesia habet in redditibus annuis libras ducentum viginti septem, & soldos duodecim, vel circa, Imper. quos annuos redditus acquisiverunt, ex eleemosynis maxime præfati Illustrissimi Principis, & ex eleemosynis etiam aliunde habitis, ac etiam ex legatis factis per alios Laicos, quos redditus expendunt pro uno Capellano, qui celebrat omni septimana quatuor missas in ipsa Ecclesia sancti Christophori, & duas in Ecclesia S. Satyri Mediolani; item alii Sacerdoti solvunt, qui longo tempore servivit dictæ Ecclesiæ, senio confecto, faciuntque omni anno eleemosynam decem modiorum panis cocti in Ecclesia sancti Michaelis ad Gallum Mediolani. Reliquum quomodo expendant Excellentia Vestra suspici facere poterit in lista his inclusa, quam ab ipsis Scolaribus habui. Hæc sunt quæ pro veritate comperio, & Excellentiæ Vestræ humiliter me commendo. Mediolani die octavo mensis Augusti 1491. Excellentissimæ Dominationis Vestræ servulus Jo. Baptista Ferrus Vicarius Archiepiscopalis Mediolani. Illustrissimo & Excellentissimo Principi & Domino Domino meo observandissimo Domino Duci Mediolani.

Ex his duabus Epistolis facile colligitur, & hanc ædem Meridionalem magis novam, & illam Aquilonarem vetustiorem; Ducemque, sub quo recens condita est, fuisse non Philippum proavum Jo. Galeatii Sfortiæ, cujus jussu ac nomine hæ primæ conscriptæ sunt ad Vicarium ante dictum literæ, sed illius fratrem Jo. Mariam, qui novem annos Insubricum, parum quidem feliciter, rexit Imperium, cui successit idem Philippus Maria, & die 25. Maji, qui est sacer D. Dionysio, publice renunciatus Mediolani Dux anno communis salutis 1412. ut recte censuit prædictus Vicarius, veram temporum vitæ Ducum Mediolani supputationem secutus. Jo. enim Galeatius Vicecomes Melegnani moritur anno 1402. eique succedit Jo. Maria ejus primogenitus, qui Imperii infulas atque Ducalia insignia accepit 29. die Octobris anni 1402. & anno 1412. die 16. Maji ob nimiam in subjectos populos sævitiam à quibusdam nobilibus conjuratis civibus occiditur, cujus successor post nonum diem declaratur à militum ducibus, publicaque acclamatione juxta priscam Romanorum consuetudinem, pro Principe Philippus Maria salutatur. Igitur cum hæc ædes ante annum 1408. jam esset constructa, ut compertum est ex supplici libello porrecto Galeatio Sfortiæ Duci prædicto, quibusdam ejusdem Principis literis inserto, & ad Vicarium, ac duodecim viros nobiles publici commodi provisores datis, quas hic exscribere ad verbum placet.

Dux Mediolani, &c. à tergo nobilibus, & Sap. Locumtenenti, Vicario, & Duodecim Provisionum Communitatis nostræ Mediolani. Visis litteris vestris responsivis ad nostras super continentia supplicationis nonnullorum Civium nostrorum Mediolani requirentium inter cætera, posse quæcunque bona immobilia acquirere nomine Scolæ Sanctorum Jo. Baptistæ, Christophori, Jacobi, & Christinæ extra Portam Ticinensem hujus nostræ Civitatis Mediolani, &c. per quas vestrum exprimentes judicium scribitis videri vobis respectibus, & motivis in dictis vestris litteris recitatis, ut concessio per eos requisita possendi emere bona immobilia, ut præfertur, non sit eis præcise fienda, sed quod hoc stet in dispositione Juris, & statutorum, decretorum, & ordinamentorum Communis nostri Mediolani: ad factum autem confirmationis statutorum, dicta Scolæ quam requirunt dictis vobis videri, quod ipsa Capitula ad modum statutorum compilata, quæ vobis nonnisi rationabilia videntur, pro hujusmodi Scola regulanda per nos sint affirmanda, dummodo statuta non appellentur, sed ordines inter eos facti tantummodo nuncupentur, adhoc uti ipsi Scolares se possint convenire & eligere valeant Priorem, Consiliarios, Syndicos, Procuratores, & alia facere, quæ in dictis ordinibus continentur. Respondemus quod dictum vestrum judicium utique nobis placet, volentibus ut juxta illud effectualiter exsequi faciatis, & proinde fieri litteras, & scripturas quaslibet opportunas. Dat. Mediolani die primo Martii 1408. Vbertus. Et volentes eas litteras prout ad ipsos ex debito sui officii pertinet & spectat exsequutioni mandare etiam vigore arbitrii & bajiliæ eis virtute dictarum litterarum per præfatum Dominum concessarum ut supra, ac omni alio modo, jure, via, & forma, quibus melius potuerunt, & possunt, prædictos ordines, de quibus supra fit mentio, qui sunt in capitulis quindecim compilatos prologo eorum excluso, quorum primum incipit, In primis statuerunt, & ordinaverunt, & finitur, Penes notarium eligendum ut infra, & ultimum incipit, Item quod dictis Prior, qui taliter electus fuerit, & finitur, Ne fraus aliqua valeat committi de dictis bonis, quod tantummodo ordines, & non statuta declaraverunt, & declarant nuncupari debere, tenore præsentium approbaverunt & confirmaverunt, ac approbant & affirmant in quantum non sint contra formam ordinamentorum Communis Mediolani, vel aliqua ex eis. In margine Joannes Locumtenens subscript. Ego Ambrosius de Clericis de Lomatio Notarius Officio Provisionum Communitatis Mediolani, prædictorum ordinum confirmationi præsens fui, & in testimonium præmissorum subscripsi, &c.

Certe minime potuit hæc ædes à Philippo Maria ædificari, qui nondum imperabat, sed teterrimo carcere emancipatus Papiæ ultimum infelicis fortunæ casum exspectabat. Remanet ergo firmum & stabile, quod, etsi hanc recentiorem ædem postmodum Philippus Maria in fratris locum suffectus, non tam piorum hominum eleemosynis, quam suis pecuniarum & reddituum elargitionibus auxerit, quod in exscripto supra libello recensebatur, eam tamen primo conditam circa annum quartum imperii Jo. Mariæ, quod nos asseruimus, & dictus Vicarius bene animadvertit. Hoc tempore pestilentiæ vis Mediolani maxime sæviit, ob eamque caussam cives id templum D. Christophori ad cultum augustiorem reformare, & nova sacræ ædis fabrica S. Patrocinium in præsentibus pestilentiæ malis magis promereri voluerunt. Cæterum de tempore, quo altera Aquilonaris hujus ædis pars, in jam recitato libello vetus nuncupata, nemini dubium potest esse; cum propter characteres illos prominentes, quibus exprimitur annus millesimus quadringentesimus, diesque primus Septembris; tum propter Jo. Galeatii Vicecomitis nomen, ibi tribus expressum literis, qui vere tunc temporis dominabatur, & rerum potiebatur Mediolanensium; quo pariter anno vertente pestis insignis fuit in multis Italiæ partibus; exortaque fertur ex Barbarorum turba, & colluvione Romam petente ob Jubilæum, quod illic cum plenissima delictorum condonatione ex Summi Pontificis in Christi fideles indulgentia & benevolentia celebrabatur, ibique ex contagione ducenta hominum millia perierunt: Florentiæ amplius trecenta millia; Mediolani vero supra viginti millia; increbuissetque etiam nostra in Patria defunctorum numerus, nisi citius de piorum hominum sententia populus ad Deum confugisset, opemque instantius petiisset à S. Christophoro, ut justam Patriæ infensi Dei iracundiam, & suis precibus mitigaret & averteret: at

voto publice pro salute nuncupato de construendo ei templo, ejusque die festo quotannis perpetuis futuris temporibus feriando, gratiam mitigationis divinæ iræ optatam exoravit, & beneficium salutis, incolumitatisque Patriæ impetravit: pestilentiæ enim vis statim conquievit, & cives pariter grates & vota reddentes sancto communis salutis Deprecatori sacram hanc ædificarunt ædem, pro cujus foribus signum Reipublicæ Mediolanensis proprium posuerunt, hinc indeque stemmata duo, unum Ducale Jo. Galeatii, alterum nostri Præsulis, qui tunc eo loci, ille mundanum, hic Ecclesiasticum tenebat imperium. Verum multo ante hæc tempora ibi adfuisse delubrum D. Christophoro sacrum, & fama est, & aliqui memoriæ proditum reliquerunt; quod profecto tanto facilius credere par est, quanto rationi congruentius apparet, Mediolanenses peste afflictos noluisse Sanctum extra Urbem loco à publico commercio seposito & distante honore sacræ ædis prosequi, nisi urgenti de causa, summaque ratione; quam certe aliam fuisse, vix excogitari potest, quam quod peculiare delubrum jam olim Sancto sacrum ibi præexstiterit: non quidem tantum ab aqua illic decurrente, qua apud Antiquos, ut religio exigebat, sacrificuli manus abluebant, ita nuncupatum, (quod tamen minime improbabile videbitur, si hujus delubri exsistentiam ad tempora ante Christi Salvatoris adventum referamus, quibus conditum etiam, statim saltem obiter dicemus) sed forte etiam à simulacris Deorum falsis Gentilium religionibus ibi forte antiquitus dedicatis: in quorum locum, disseminato postea apud Mediolanenses per Apostolum Barnabam Christi Domini Euangelio, suffectæ sunt Servatoris nostri, beatissimæ Virginis ejus matris, ac aliquorum Sanctorum statuæ, quemadmodum & nunc in eo simulacrum D. Christophori ligneum visitur. Nam simulacra ex ligno delibrato, hoc est, decorticato, olim fiebant, locaque, in quibus ponebantur, Delubra dicebantur. Cæterum quomodocunque res hæc se habeat, nec incredibile, aut absurdum erit affirmare Delubrum hoc ex situ, & nomine, usque ab Idolorum cultoribus suum habuisse principium. Meo autem judicio dixerim tempore Galeatii Vicecomitis Populum Mediolanensem præcipue ob sacras D. Christophori Reliquias, quem in primis colere cupiebat, ad perpetuam tanti beneficii memoriam, ibi novam ædem, antiqua diruta, Sancto consecrasse. Hanc rem tanto mihi facilius persuadeo, quanto evidentius constat hujusmodi ibi adesse Reliquias, cum ex antiquis monumentis, de quibus infra, tum ex illo magno dente Sancti, qui cum fuerit statura gigantæa, ut unus fere omnium habet consensus, liquido probat quoque tales esse ejus Reliquias: tenetque Civitatem opinio hæc eas ibi esse. Huc venire bis in anno apud nostrates religio est, scilicet die 7. Januarii, & 25. Julii, quorum ille quidem miraculo, vel (ut aliis placet) voto, quos & nos supra secuti sumus: hic vero Sancti martyrio publice colitur, ac plene dedicatus, & feriatus habetur ex ritu nostræ Ambrosianæ Ecclesiæ; quibus item duobus festis diebus D. Christophori Reliquiæ palam in Altari exponuntur, à populo pie coluntur, & reverenti deosculatione, omnique alio honore venerantur: alio autem tempore asservantur in loco juxta aram fenestellæ instar, ferreo clathro decore obstructo, certisque clavibus occluso, quas viri quidam illustres nostræ Urbis delubri hujus regimini præfecti diligenter asservant, ac penes se custodiunt. Præcipuas hujus sancti Martyris Reliquias Toleti in templo ejus nomini dicato asservari, & summo coli honore, auctor est Cardinalis Baronius in *Notis ad Martyrologium*, propriumque ac peculiare de eo in Ecclesia Toletana, subdit, haberi officium, ex cujus hymno effigies Sancti facile colligitur: in eo enim hæc leguntur verba:

Elegans statura, mente elegantior,
Visu fulgens, corde vibrans, & capillis rutilans,
Ore Christum, corde Christum Christophorus insonat.

De hujus tamen imagine & pictura plura scribit Joannes Molanus lib. II. *Historiæ Sanctarum Imaginum* cap. XXXV. & lib. III. cap. XXVII. & de ejus vita, ea, quæ manuscripta circumferuntur, magna ex parte cum Martyrologio Græco convenire testatur Galesinus, illaque complexus est brevi quidem, sed non ineleganti, *Hymno* Hieronymus Vida Cremonensis Poeta, in quo quia adfert mysticas rationes, ob quas D. Christophorus depingi consueverit extra templa, Christum ferens, statura procerus, baculumque manu, ad instar palmæ floridum, tenens, placuit hoc loco eum adnotare:

Christophore, infixum, quod eum in corde gerebas,
Pictores Christum dant tibi ferre humeris.
Quem gestans quoniam multa es perpessus amara
Te pedibus faciunt ire per alta mari.
Id quia non poteras, nisi vasti corporis usu,
Dant membra immanis quanta Gigantis erant,
Ut te non capiant, quamvis ingentia, templa,
Cogeris, & rigidas sub Jove ferre hiemes.
Omnia quod victor superasti dura, virentem
Dant manibus palmam, qua regis altus iter.
Quod potis, ars tibi dat, nequeat confingere vera,
Accipe cuncta bono tu bonus ista animo.

Hic monitos vellem pios Lectores, me minime ignorare narrationem hanc gestorum D. Christophori semper fuisse controversam, & plenam dissensionis inter doctissimos, inter rudes vero ac homines simplices, tanquam pervulgatam receptissimam. Historiam-ne, an cogitationem pii hominis fuisse, nos non affirmamus, magnam certe habere probabilitatem putamus, & nisi aliunde erroris convincatur, pie credendam. Ad explicandas autem allegoricas sancti Christophori picturas jam vulgo receptas, & in *Hymno* ex Vida modo recitatas, non ineleganter se habet Laurentius Xerisanus in libris, quos restituit, *de ratione studii Theologici*, quamvis eum nequaquam sequamur in eo, quod de martyrio hujus Divi dubitare videtur, ut quam possumus longissime à Philippo Melancthone pessimo hæresiarcha discedere judicemur, qui impudentissime asseruit hoc vanum imperiti alicujus Monachi commentum, cum re vera nullus hujus nominis Sanctus Martyr in Ecclesia Dei unquam exstiterit: quod falsum omnino esse probat fuse citatus Molanus, & D. Ambrosius in *Præfatione Missæ*, ut martyrem luculenter celebravit, & eum talem fuisse convincunt divinum officium ab Ecclesia in ejus honorem persolutum, Basilicæ constructæ, & sacræ ejusdem Reliquiæ, non apud nos tantum auguste, atque sancte semper habitæ, sed apud alias quoque Italiæ civitates, ut nunc Laude Pompeja, ubi jam ab hinc annis tercentis, & templum, & Reliquiæ hujus Sancti habentur, & coluntur, ut ex probatissimorum Scriptorum auctoritate mox subjiciemus: & olim item viguit Basilica D. Christophori circiter annum 743. ad quinquagesimum à Ravenna lapidem, de qua meminit Sigonius lib. III. *de Regno Italiæ*.

Quare autem in nostro Delubro numini hujus Sancti dicato Populus Mediolanensis binas excogitatissimas ferias usu receperit, non omnino adhuc liquet: Diem certe natalem martyrio ejus Divi solemnibus feriis celebrari haud ignotum, cum in eum Sancti Apostoli Jacobi festus dies præcise cadat, qui ex sanctæ Matris Ecclesiæ præcepto ubique observatur. Septimus vero Januarii dies qua de

de caussa pari cultu celebretur, non est undique manifestum. Scio plerosque existimasse talem à Mediolanensibus diem festum excogitatum æmulatione Laudensium, qui non sine admiratione hujus Sancti precibus aliquando eam civitatem ab infestatione ingentis Serpentis liberarunt, alias ut conterminas regiones, quibus imminebant, nostri alicujus insignis honoris ac reverentiæ fama ad hujus Divi ampliorem augustioremque cultum excitarent. Sed avum meum narrantem, referentemque sæpius patrem puer audiebam, caussam hujusce festi a Senioribus proditam, quod Archiepiscopus Mediolani, anxio de pestilentia Urbis Principe, affirmasset, non prius eam pestem cessaturam, quam sancto Christophoro à Civibus novum templum, & festum dedicatum fuisset. Rem hanc totam in opinione positam non inficior; ingenue tamen fateor, Laudensium consuetudinem hunc diem feriandi illic primo introductam anno salutis trecentesimo supra millesimum, quo dirus ille Serpens hujus Divi ope est necatus. Nec esse commentitiam fabulam, sed veram historiam ex hoc publico Laudensium scripto, ac monumento nunc subjungendo liquido constabit. Laude Pompeja in æde Divo Christophoro dicata appensa visitur tabella, vernacula lingua conscripta in hanc sententiam Latinis verbis hic expressam, ut æquabilis styli tenor continuetur.

Circa Laudis Pompejæ oppidum anno trecentesimo supra millesimum, lacus subsederat, qui ob vastitatem, & copiam restagnantium in unumque confluentium aquarum Gerondi maris nomen obtinuerat. In hoc lacu magno apparuit portento dira & virulenta Serpens, horribilis forma monstri, halitum adeo fœtidum ac venenosum spirans, ut vicinum oppidum ferme totum inficeret, ac misere affligeret. Hinc fiebat, ut multi civium perirent odoris illius dumtaxat intolerabili fœditate. Verum cum animadverterent cives hujusmodi morbum ac pestem in dies magis invalescere, pariterque cætera increbescere mala; è contra vero incolarum atque habitatorum numerum quotidie magis ac magis imminui, & quod pejus erat, timerent quoque civitatem ipsam ex frequentiori turbidarum aquarum colluvione obruendam, ac penitus submergendam, in acerbissima versabantur sollicitudine, & eo gravior fiebat dolor, quo certior erat exspectatio extremorum malorum, ignotiorque ratio, qua labenti ac penitus cadenti patriæ opem ferre possent: spem enim abjecerant plane omnem, ægra corpora ad pristinam valetudinem revocandi, & redundantes plus nimio aquas coercendi, nedum in lacu siccandi, aut ex parte exhauriendi. Quare exclusa spes omnis videbatur interemptionis illius immanis belluæ eas innatantis aquas.

His nimirum malis Laudenses ad extremam pene desperationem adducti, ignari penitus, quid ultra facerent, cum humanæ vires omnino impares essent præsentibus infortuniis, divinam opem imploravere, certissima freti spe æternum Numen ad se sincero affectu confugientes exaudire sæpe, spernere nunquam. Et ut facilius impetrarent, quod toto cordis desiderio exoptabant, Bernardinus Talentinus tunc Laudensium Episcopus, congregata Cleri & populi multitudine, de suggestu piam habuit ad eos concionem, miserabili deprecatus voce omnes, ut Deum tota mentis intentione exorarent, ac precarentur, ne mœstam civitatem perire pateretur, sed solita miseratione ex tantis eriperet miseriis, exitiumque tandem averteret. Quapropter statuit primum habendas triduum solemnes supplicationes, deinde votum una à civibus nuncupandum in hunc modum, ut si quando Numen haberent propitium, præsentiumque urbis malorum commiserans, atque occisione Serpentis finem

A eis faciens, sacram ædem Sanctissimæ Trinitati, & glorioso Martyri Christophoro ponerent. Nec eorum spes fuit inanis, aut vanum consilium: nam tribus supplicationibus rite gestis, & voto pro urbis salute nuncupato, eodemmet die, qui in Kalendas Januarias incidit, duo magna & memorabilia evenerunt miracula: Serpens enim statim periit, & lacus exsiccatus est. Quamobrem pii Cives hujus singularis beneficii non immemores, magnificum, prout voverant, exstruxere templum, quod postea Deo favente Monachi Olivetani anno 1563. magis amplum reædificarunt, & ad cultum augustiorem reformarunt, qui & nunc eodem in

B templo divina munia eximio decore & honestate obeunt, ac proprium Cœnobium huic templo adjunxerunt. Apud Divi Christophori aram hodie etiam suspensa spectatur pergrandis illius Serpentis spina, ossis instar bubulini adservata illic usque ab illo ævo, tamquam ejus infelicissimæ calamitatis monumentum. Verum quia hic dies feriari debuerat in ipsis Januarii Kalendis, ut præfati jam sumus, quibus celebratur Christi Servatoris circumcisio, anno 1319. hæc solemnis & jucunda recordatio à Plantino Ordinis Minorum sancti Francisci Laudensi Episcopo translata est in diem post Epiphaniam sequentem. Hactenus tabella Laudensis.

C Igitur unde fuerit prima origo diei festi D. Christophori, qui septimo Idus Januarii à Laudensibus celebratur, vel ex hoc monumento jam satis est clarum; quomodo vero ad nos transierit, non item: certissimum quidem illud, & toto Mediolano notissimum, quod ille septimus Januarii dies in honorem ejus Divi ferietur, & ante S. Carolum Borromæum Archiepiscopum celebris tunc habebatur in divinis precibus anniversaria gratulatio, quam is Sanctus, sicut & aliorum quorumdam Sanctorum abstulit, ac prorsus abrogavit, ut Basilio Episcopo sanctissimo aliquem inter fastos Ambrosianos concederet locum; populus tamen

D eundem diem ad Sancti honorem atque reverentiam agere festum nunquam destitit: isque celebris est in nostro Delubro, cum propter populi frequentiam, tum propter musicos concentus in eo fieri solitos. Quæ sane res argumento est, illum diem VII. Idus Januarii D. Christophoro celebrem, ut mox asseruimus, multo ante Jo. Galeatii Ducis Mediolani tempus alibi feriari solitum, tunc pestilentia cessante, penitusque exstincta, & Mediolani voto Numini hujus Divi nuncupato, cœptum esse feriari. Hinc manifeste deprehenditur simul stare posse, ut is festus dies primo alibi introductus, prodigiosa Serpentis nece, postea nostræ Patriæ

E voto fuerit inter feriatos receptus. Si quis autem curiosius quæreret, cur ad D. Christophorum Mediolanenses confugerint, ut à peste liberarentur: ita respondere possemus: Primo hoc divino afflatu factum esse; deinde, ut majori honore Sanctus iste martyr, ac ejus Reliquiæ à nobis colerentur; & tandem ne plerasque alias divinare videamur caussas, hanc unam rationi non incongruam subjiciemus. Christi fideles ex antiquissimo usu consueverunt eos Sanctos in iis implorare malis, in quibus & ipsi viventes, vel morientes versati sunt, ut in pestifero morbo, ne longius ab re digrediamur, D. Rochum, qui eodem laboravit; in ad-

F versa mammarum valetudine S. Virginem Agatham, cui mamilla à Quintiano Tyranno abscissa est; in diris dentium doloribus Apolloniam, cui ob Christi confessionem Decio Imperatore dentes omnes excussi ac convulsi sunt; in oculorum ægritudinibus Luciam, cui Pascasius Præfectus in Diocletiani persecutione oculos effodit; in gravedine, aut aliis capitis morbis, Petrum Martyrem, qui à sicario in capite percussus, martyrii coronam ac nomen adeptus est; in articulorum cruciatibus, & alio-

aliorum corporis membrorum langoribus ex frigida intemperie præcipue ortis, sanctum Levitam Vincentium, qui à Datiano Hispaniæ Provinciæ Præside in toto fere corpore, igne, ferro, & cæterorum tormentorum immanitate excruciatus, omnia vincens tormenta, sæviente bruma, ad Cælum evolans sui auctor exstitit nominis; & in plerisque aliis malis & infortuniis, alios, atque alios pro ratione morbi invocare Divos, qui eadem perpessi sunt. At pestilentia grassante, Deus mortalium delictis ad justam iracundiam excitatus, sagittas iræ, furorisque sui in homines vibrare dicitur, contagioque illa non secus ac vulnera à sagittis inflicta divinis prosternit quotquot sua lue inficit. Quo etiam modo Christus Dominus in picturis antiquis hujus delubri cernitur delineatus minitans scilicet Urbi, & sagittas contra eam vibrans, quamvis sancto Christophoro deprecatore tandem remittat furorem, & Urbi parcat. Cum vero D. Christophorus sagittis confixus fuerit, ut narrat Surius, qui volumine IV. brevi complexus est quicquid Latine & Græce de hoc Martyre scriptum reperitur: profecto meruit, ut qui in se ipso expertus est sagittarum vulnera, aliis subvenire posset ad se recurrentibus, ut infectæ pestis sagittas declinare & evitare valerent. Eadem de caussa, ut auctor est Paulus Diaconus, Romani gravi cum præmerentur peste ad sanctum Sebastianum confugerunt, eique in Basilica D. Petri, quæ ad vincula dicitur, ara excitata mirabiliter per illius intercessionem à tam funesto morbo liberati sunt. Hos imitati sunt Mediolanenses, suadente D. Carolo Cardinali Archiepiscopo in præterita ultimo loco peste, qui non aram tantum, sed integrum templum, illudque honorificentissimum à fundamentis fabricati sunt in honorem S. Sebastiani, quod non tam ratione rotundæ figuræ, quam ratione singularis structuræ inclytum habetur, cui ultimam manum imposuit Respublica Mediolanensis nostro ævo Sebastiano Martinione, hujus templi Rectore, viro æque pio ac studioso, mihique in primis charo.

Igitur cum hi Sancti veluti scopus in præsenti vita degentes exstiterint, in quem hostes Christiani nominis sagittas direxerant, ac ad necem conjecerant, jure etiam optimo potuerunt eidem irato Christo se, ceu scuta in illa æterna beatitudine, opponere, & miseros mortales pestiferis jaculis petitos protegere, ne ab illis funestis telis è Cœlo tangerentur. Quamvis enim adhuc mortales essent ita sagittarum scopus, ut ab illis lædi possent, & re ipsa iis sæpe confoderentur, tamen postquam ex communi mortalitate excessere, omnis doloris & afflictionis inexpertes redditi sunt ad instar scutorum æneorum: quare sicut tunc pati, ita nunc protegere jure & merito se in eorum clientelam, tutelamve conferentes, possunt. Unde Populo Mediolanensi vere inculcabitur hoc Davidicum, *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à jaculo volante per diem:* Et D. Christophorus tamquam ex Odeo illud Trenorum alternabit, *Quia posuit me quasi signum ad sagittas.* Ecce qua permoti ratione Mediolanenses ad Divum Christophorum in tantis pestilentiæ calamitatibus auxilii gratia confugerunt, quos patres nostri ultro sunt consectati in deligendo sanctum Sebastianum in præcipuum propugnatorem contra vim ejusdem contagiosi morbi. Paulo magis ab hac diversam assignant alii caussam, secuti, ni fallor, Surium, & Villegam in *Vita hujus Sancti*, qui affirmarunt, Divum Christophorum sagittis confixum antequam capitis abscissione martyrium compleret, Deum exorasse, ut se invocantes in locis, ubi asservarentur sui membra corporis, incolumes & ipsi servarentur à peste, ab aliisque perturbati aeris infortuniis. Hac de caussa (quæ

A certe historiam magis, quam ut præcedens allegoriam, redolet) pingi assolet hic Sanctus in suburbiis ac viis publicis frequentissime, ut si minus ad hujus Divi Reliquias pateat aditus, saltem ad ipsius imaginem facilis sit accessus, cum talia imminent mala. In Alemannia multis in locis pictum esse D. Christophorum extra templa circa ingressum, aut in exteriori templi parte, testatur citatus Molanus: hujusque rei caussam asserit indicare quibusdam locis scripta carmina hujusmodi:

Christophori sancti speciem quicunque tuetur,
Ista nempe die non morte mala morietur.

B Nos vero si consideremus sigillatim imagines hujus Sancti depictas in faciebus ac parietibus utriusque nostræ Christophorianæ ædis, ad quadraginta fere numerabimus, quibus singuli hujusce templi fabricæ ac regimini forte præfecti singularem Sancti tutelam expostulabant, atque deprecabantur in illis pestilentiæ sævientis calamitatibus, è quibus erepti incolumesve servati fuissent. Hanc tamen illorum virorum erga Sancti imagines pietatem admirari atque laudare potius, quam imitari existimarim oportere, in eo præcipue, quod fortassis viri isti populari simplicitate pro certo crederent ex sola hujusce Divi imaginis inspectione tutos sese omnino futuros à quocunque infortunio;
C unde illud vulgo usurpatum,

Christophorum videas, postea tutus eas.

Quinimo penitus in animum inducerent omnia feliciter casura eo die, quo talem vidissent imaginem, juxta illa duo carmina, quæ in ore omnium tunc temporis versabantur:

Christophore sancte, virtutes sunt tibi tantæ,
Qui te mane vident, nocturno tempore rident.

Et enim Synodus Cameracensis *de Sanctis*, cap. VI. tanquam absurdam vanitatem damnat superstitio-
D nem eorum, qui certo pollicentur non ex hac vita migraturos sine Ecclesiasticis sacramentis, qui hunc puta ex Divis ita coluerint. Sacræ vero Theologiæ, ac rerum in primis moralium peritissimi, quique ex Patrum & summorum Pontificum placitis asseruerunt minime id licere: Sanctaque Oecumenica Synodus Tridentina *sess.* 25. præcepit quidem Sanctorum imagines in templis habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, vetuit tamen credendum inesse eis aliquam divinitatem, vel virtutem, propter quam sint colendæ, & ab eis petendum aliquid, vel in eis fiduciam figendam. Ex his non obscure ap-
E paret, quænam fuerit caussa, cur ad D. Christophorum Mediolanenses in tam magno pestis morbo confugerint.

Nunc adnotandum restat aliquando apud hanc novam D. Christophori ædem quosdam cives ex nostris huic sacræ ædi addictos ad honorem & gloriam beatissimorum Jo. Baptistæ, Jacobi, & Christophori, ac Christinæ, & inopum miserorumque auxilium, ac subsidium & hospitalitatem exercuisse: postea vero mutato consilio, sodalitatem sub iisdem Sanctis tutelaribus instituisse, fierique rem ibi sacram procurasse ex oblationibus piorum hominum, & in primis Philippi Mariæ Ducis
F egentibus elargiendo quicquid ex redditibus annuis, quos possederant, superesset: petiisse quoque à Principe confirmationem sodalitatis, & quorumdam ejusdem legum. Ex hac Philippi Ducis munificentia, & inditum novæ ædi jam fabricatæ nomen Ducalis Sacelli, & ipse idem ejus auctor habitus & nominatus: quamvis & illius nihil publico elogio testatum, & illius nihil veritate fundatum reperiatur, ut vel ipsis prælibati Archiepiscopalis Vicarii litteris supra apertissime patuit. Fuisse

Fuisse tamen tunc temporis pinguiores hujus delubri redditus annuos, cum ex Ducali liberalitate, adjunctis maxime aliis uberrimis piorum civium subventionibus; tum ex quantitate proventuum, qui temporis decursu pendebantur huic religioso loco, in quo præter ministros, tot alebantur pauperes, ad justi instar Xenodochii, facile est conjicere. Verum succedentibus variis patriæ nostræ, tam belli, quam sterilitatis infortuniis decrevisse, ac imminutos esse redditus clare constat ex antedicta *Epistola* Vicarii Archiepiscopalis, in qua legitur hanc ædem Divi Christophori habere annuis in redditibus libras 227. & solidos duodecim imperiales. At sub annum millesimum quingentesimum excrevisse hujusmodi redditus usque ad libras 312. s. 9. imperiales, & bona immobilia, ex quibus percipiebantur, fuisse æstimata libris octo millibus & ducentis nonaginta: verisimileque est exinde semper auctos, quemadmodum & cæterarum rerum pretia. Cura, & munus exigendorum reddituum, sicut & in varios usus erogandorum societati sancti Christophori jam diu erectæ incubuit, ac Duce Mediolani prædicto approbante demandatum est. Hujus societatis sunt honesti cives numero duodecim, quem in numerum aliqui Equestris & Senatorii etiam Ordinis adscripti sunt. Distribuunt quotannis certas eleemosynas pauperibus, adventante nostri Servatoris natali die, loco fortasse alimentorum, quæ in illo olim Xenodochio egentibus præstabantur. Domus è regione hujus sacræ ædis collocatæ, quæ binæ sunt, una ad usum sacerdotum inservientium religiosis templi altaribus: altera inquilinis locatur; illi adjacet vinea, huic hortus, & area. Adest item à parte posteriori ædis sacræ agellus, ex quo annuus census percipitur, quæ omnia cum in ditione ac potestate essent nostri Vincentiani Cœnobii, concessa fuerunt principio titulo locationis sodalibus sancti Christophori prædictis ab Ambrosio Bernadigio Abbate, certa annua pensione injuncta & imposita, quæ & nunc solvitur, sed emphyteotica. Dant quoque isti sodales annuum in pecunia tributum Abbati nostro loco librarum quinque ceræ, ut vocant, laboratæ, quam offerebant & præsentabant in recognitionem juris mancipii, & nexus soli, in quo hæc Divi Christophori ædes constructa est, ut membrum Parochialis nostræ. Est Ecclesiastico more rite consecrata, ut testantur acta sancti Caroli eam lustrantis, longitudinemque habet cubitorum XXIV. latitudinem vero XXIII. In duas item partes erat divisa ac dispartita pariete, & ferrea craticula interpositis olim, nunc autem iis de medio remotis atque sublatis ad instar unius amplioris ædis redacta & restituta.

In hac sacra æde patrum nostrorum memoria in ædicula lignea, coloribus ac auro ornata atque distincta, sanctissima asservabatur Eucharistia à festo Paschatis Christi Domini ab inferis excitati ad festum diem sancti Martini ob seduliorem forte custodiam, & validiorem conservationem frugum, fructuumque terræ contra grandines & reliquas aeris tempestates, eratque in ara sancti Christophori reposita, ardebatque jugiter ante eam lampas expensis hominum quorundam pauperum, qui se in sodales sanctissimi Corporis Christi sponte dederant, & inter sese eleemosynas quasdam in tertio cujusque mensis die Dominico colligebant, in primis quidem ad eum finem, postea vero ad stipendium, honorariumve Concionatoris pro diebus in Quadragesima festis. Instituuntur quoque & erudiuntur in hac æde mares ac fœminæ feriatis diebus primum ad Dei cultum, deinde ad cætera Christi præcepta, tum ad modestiam & reliquas Christianas virtutes. Non ab re esset hoc loco repetere ex *Fascic.* VII. ea, quæ de Abbatiæ Vin-

A centianæ antiqua ditione, & potestate in alias sacras hujus Parœciæ ædes, supra generatim attulimus, ut quænam jura eidem Abbatiæ in hoc Divo Christophori Delubro speciatim conveniant, atque debeantur, distinctius cognoscatur: sed commodius forte erit prætermissa tantum ibi nunc referre, & statim inchoata prosequi, ne plura quam sit necesse congeramus.

Sub Pompejo Birago olim nostri Cœnobii Præsule lis est in judicio mota contra omnia ferme jura, quibus quiete ac pacifice utebatur Curatus sancti Vincentii in hac S. Christophori æde tam in emolumentis funerum usitatis, quam in officiis

B & sacris solemnibus obeundis; in quæstionemque permulti tum sacerdotes, tum laici vocati sunt, qui omnes antiquam ditionem & perennem jurisdictionem pro Curato sancti Vincentii in eo delubro semper stetisse testati sunt. His incorruptis atque integris testibus nonnullis aliis productis permotus Generalis Archiepiscopi Mediolanensis Vicarius suo irrevocabili edixit decreto, ut Curati sancti Vincentii per tempora futuri retinerentur, defenderentur, ac protegerentur in ea jurium omnium possessione, quam antea & posthac in eo habuere delubro. Ex eoque tempore omnia pacata & quieta fuerunt spectantia ad Parochialem juris-

C dictionem, quæ una & eadem est, atque illa, quæ in cæteris Parœciæ sacris ædibus, nisi quod istic habet hoc præcipuum ac peculiare, ut sacrificus ad rem sacram faciendam mercede conductus requisitus præstare Curato sancti Vincentii obsequium teneatur in deferendo ad ægrotos Christi corpore, & in iisdem postrema sacri olei unctione corroborandis ad ultimum illud agonem in hac nostræ mortalitatis palæstra. A difficultate has exercendi functiones, tum propter loci distantiam à Parochiali, tum propter urgentes & inopinatos casus, potius quam ab ulla Curati, aut accolarum voluntate, hujus consuetudinis ac peculiaris juris

D initium ductum fuisse facile crediderim, ob eamque caussam sacrosancti ejus olei vas ibi in templi adyto ad omnes repentinos eventus paratum asservatur.

Superest modo pro hujus capitis absolutione, ut sacras Reliquias, quæ illic sunt, singillatim percenseamus. Primo in quadam lignea Cruce reconditæ sunt particulæ quædam ligni S. Crucis Christi Domini; de vitta ejusdem, sive fasciola dicere mavis, fragmenta aliquot columnæ, sepulchri, & Calvarii montis; ex ossibus quoque sanctorum Apostolorum Pauli, Matthæi, & Simonis; Divi item Hieronymi, & ex XI. millia Virginum.

E Deinde in quodam majusculo tabernaculo inaurato asservatur mandibula S. Christophori; colitur postea in lignea capsella inaurata lac B. V. Mariæ. Ultimo visitur in tabernaculo ex aurichalco dens ille magnus sancti Christophori, qui dono datus est sodalitati sanctorum Jo. Baptistæ, Jacobi, Christophori & Christinæ, sub certis legibus ample, lateque digestis in quodam publico elogio inter acta Joannoli Piscinæ tabellionis relato, sexto Idus Novembris anno MCCCC. Ante dictæ omnes sacræ Reliquiæ fuisse antiquitus in hoc delubro palam factum est, tunc maxime cum D. Carolus visendi caussa huc venisset, ex compluribus vetu-

F stis indicibus, & ex nonnullis etiam publicis documentis fide Notarii munitis, easque jure & merito approbavit idem S. Archiepiscopus, omnique honore dignas laudavit. De mandibula D. Christophori, quæ ibi multis ante annis fuerat, & de illo magno dente, qui post liberali munere illuc concesserat, illud libenter notarim, quod mirabilis quidem Deus in Sanctis non tam in rebus magnis & mirificis, verum etiam in parvis & minus portentosis. Quis enim non miretur divinam providentiam,

tiam, & altiſſimum ejus conſilium in reponendo dente ejuſdem Sancti apud propriam mandibulam? Hinc profecto utriuſque Reliquiæ veritas eo clarius eluxit, quo evidentius loculus, capſulave ejus dentis molaris in maxilla magnitudini ejuſdem adæquate reſpondebat, & eam is complebat, ac juſtiſſime metiebatur; unde & ex dente illam eſſe hujus Sancti maxillam, & ex hac eum eſſe ejuſdem Divi dentem certo compertum eſt. Hic ſi reviviſceret D. Chriſtophorus, cum beata Agata merito exclamare poſſet, *Qui reſtituit dentem meum maxillæ meæ, ipſum invoco Deum meum.* Cæterum etſi re vera hoc mirum ſit, tamen quia ex quadam propenſione ipſius conſultricis, & providæ Naturæ hoc fit: ſicut enim materia naturaliter appetit formam, & corpus animam, ita partes ſuum totum quadam vi ingenita exquirunt: minus Lectores mirari debent, cum viderint naturæ Auctorem innatum creaturæ conatum ſæpe ſua bonitate ante tempus explere atque ſatiare, partes loco diſtantes ex commiſſura jungendo, & in ſuiſmet locis reponendo, ut mirabiliter factum eſſe de maxilla & dente D. Chriſtophori ingenue fateor. Dixi ante tempus, quia in illo horrifico ultimi Judicii die explebitur perfecte inſita illa omnis membrorum appetentia ad colligationem & naturalem partium juncturam.

Caſum paulo diverſum eveniſſe Angilberto Mediolanenſi Archiepiſcopo, hujus nominis ſecundo, narrant Hiſtorici quidem antiqui, ſed nequaquam
A pœnitendi: quos me quoque ſupra eſſe ſecutum memini, dum eundem plane caſum referrem, quem, quia ad rem valde facit, hic repetere placet. Nam cum hic Angilbertus ob pietatem & reverentiam, quam erga S. Ambroſium gerebat, abſtuliſſet ab ejus capite dentem, repoſuiſſetque ceu pretioſiſſimum lapillum in annulo, ut eum aſſidue ſecum ferret, forte, vel ut melius dicam divino miraculo, dum ſupplicationes ad Baſilicam S. Laurentii perageret, amiſit, de qua amiſſione valde anxius & ſollicitus nihil non egit, ut illum inveniret ac recuperaret, ſed omnia fruſtra tentavit; jam tandem à pia muliere vetula certior factus eſt, dentem in
B proprio loco repoſitum apud Sancti gingivam, ac proinde monitus ne ultra plus diligentiæ & laboris inſumeret in eo perquirendo, quandoquidem ex ſepulchri inſpectione ſtatim res fieret perſpectiſſima; ſepulchro enim reſerato, in maxilla, à qua primum excuſſus fuerat dens, mox repoſitus apparuit, magna Archiepiſcopi admiratione, divinam voluntatem recognoſcentis, & approbantis; & ne idem futuris unquam temporibus accideret, ex argento, & auro, gemmiſque innumeris aram ſuper ipſo ſepulchro ita conſtruxit, ut nuſquam poſtea auſus ſit aram eximiæ dignitatis, & tanti pretii demoliri, ut D. Ambroſii corpus inviſeret, aut tan-
C geret. De hujus Chriſtophoriani delubri origine, cultu, & ſacris reliquiis ſuffecerit hæc ex antiquis litteris, atque monumentis retuliſſe.

JO. ANT. CASTELLIONAEI
FLORILEGIVM ANTIQVITATVM PAROECIAE D. VINCENTII IN PRATO.
SECTIO III.

FASCIC. X.

Fani D. Caloceri antiquitas, & fama; primum ex mira fontis inibi ſcatentis origine declarata; tum Regii diplomatis teſtimonio confirmata, illuſtrata deinde ex baptiſmo D. Secundi peracto in eo ab SS. Martyribus Fauſtino, & Jovita. Fontis ejuſdem ſitus, Civium frequentia ad illum, ſacrum olim ibi Religioſarum mulierum ſeptum. Imaginis antiquæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ ad Servatoris Crucem ſtantis, prodigii anno MDXIX. *ſucceſſi, munerumque ejus occaſione datorum deſcriptio. Procedente ævo ſocietates variæ ſub diverſis nominibus ibidem erectæ. Poſtrema Sanctiſſimi Crucifixi nomine nuncupata adhuc durat & floret.*

E NUNC ſequitur neceſſario, (ne longius latiuſque vagemur) ut de viciniori quoque D. Caloceri Fano (ſi hac profanæ Gentilitatis voce, bona cum eruditiſſimi Baronii venia uti liceat) dicere incipiamus, cui non antiquitas tantum, ſed fama etiam apud Cives incredibilis, cum ex antiquis prodigiis, tum ex fre-
F quentia recenti piorum hominum attributa eſt. Ejus quidem mira vetuſtas jure optimo comprobatur. Primo ex modo originis aquarum fontalium inibi antiquitus ſcatentium, ut aliqui dicunt, ad preces D. Caloceri, qui cum eſſet Mediolanum productus, ut Chriſti fidem abnueret, in tormentis atque cruciatibus poſitus obtinuit divinitus, ut fons emanaret perennis & perpetuus, & hoc factum eſſe

esse circiter annum à Christo nato trigesimum supra centesimum, eo in loco ubi Adriani Imperatoris jussu ad caudas sylvestrium taurorum alligatus cum sanctis Jovita & Faustino, ut ita ab illis feris & immanibus belluis per sylvas carduis & tribulis obsitas raptatus necaretur, vinculis ab Angelo resolutis liberatus est, bestiisque ita edomitis & mansuefactis, ut Sanctorum dicto audientes non modo essent, sed eos civitatem ejusdem Angeli admonitu ad Cæsarem Adrianum rursus ingredientes, non secus ac si canes forent domestici ac familiares, & veluti fida custodia sequerentur magna totius populi admiratione ob rei novitatem frequentissime confluentis. Qua autem de caussa, fontem hunc D. Calocerus Deum deprecatus impetrarit, non satis constat, creditu tamen facile est hanc fuisse caussam, ut propriam vel sedarent sitim, vel certe concitarum & anhelantium ferarum, vel (quod & rationi magis consonum est) ut hoc etiam miraculo adstantes Gentiles ad Christum converterent, in eoque, cum aliunde aqua non suppeteret, baptizarent. Convenit sane inter omnes antiquitus fuisse in hujus Parœciæ suburbanis prata & sylvas; siquidem ad nostra usque tempora cognomen sancti Vincentii inter prata remansit, ut habent perantiqua scripta, & nomen sylvæ, quæ diu ad Ulmos vocitata est, & à D. Victore Capucinorum, ad locum, ubi nunc jacet Xenodochium Dementium, pertinebat. Comprobant hoc idem non obscure *Acta* sanctorum Faustini & Jovitæ lib. II. Brixiæ impressa anno 1588. quæ meminerunt fontis divinitus producti circa sylvas, & eos campos, ad quos abire jussi sunt ursi & tigres ad eorum internecionem Adriani jussu emissi, ut in eodem vitali tingerentur latice populi, qui eam rem stupentes Christi fidem susceperant.

Hæc à nobis quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem publica scripta vindicent, & nostrum sit solum facientia ad rem nostram, huic inseruisse operi, & proinde ac vana non respuisse. Illud quidem unum nostris recentibus monumentis consecratum æternitati fuerit, firmissimamque dictis fidem adstruet nostris; fontem hunc Calocerianum principio divinitus prodiisse: eritque hoc non leve popularis hominis testimonium, sed Regiæ Majestatis gravissimum incorruptæ veritatis verbum. In diplomate enim Francisci Francorum Regis, & Mediolani Ducis, dato Nonis Octobris, an. 1519. habetur, D. Caloceri fontem non natura, aut humana arte, sed divino miraculo prorupisse ante annos jam 1390. ad preces S. Caloceri, ut ex ejus cælesti unda, Mediolanenses, qui repudiatis falsis Gentilium superstitionibus, veram Christi fidem amplexabantur, spiritualiter renati æternam auspicarentur vitam: habuisseque D. Ambrosium, Urbis nostræ Patronum, horum omnium plenam notitiam, ut ex Annalibus Ecclesiasticis liquido constare ibi asseritur.

Ex his de hujus fontis origine satis Lectori persuasum esse arbitror, modus nunc originis clarius nobis explicandus superest. Ego fontem insequenti modo suum habuisse divinitus principium, sacras, magisque receptas secutus historias crediderim. Cum D. Calocerus Astæ ob Christianam religionem esset in custodiam datus, ingentibus editis miraculis virum quendam, Idolorum præcipuum cultorem, nomine Secundum, ad Christi fidem convertit, sacrisque imbutum dogmatibus, Mediolanum ad sanctos Faustinum & Jovitam destinavit, quorum ille Sacerdos, hic Diaconus erat, ut aquis ablueretur lustralibus. Secundus optimo duce Dei Angelo, comite, licet pessimo, Sapritio quodam, infestissimo Christianorum hoste, statim est iter ingressus, in quo ita ab illo claris vocibus de divinis

A præceptis firmiter retinendis sæpius est admonitus, quemadmodum ab isto de Idolorum cultu pertinaciter defendendo frequentissime commonitus: tamen cum ipsi iter una facerent Sapritius Derthonæ remansit; Secundus vero ceu anhelans cervus sitiens baptismi aquas, via Ticinensi Mediolanum divertit, & eam Urbis portam, qua venientibus Ticino ingressus patet, adiit, monitusque ab Angelo ad locum extra eam portam ad dexteram consedit, exspectans jam jamque adventantes Faustinum & Jovitam è carcere ab Angelo eductos, ut eum baptizarent. At cum aqua ibi pura desideraretur, sive ad preces D. Caloceri absentis, sive Sanctorum ibidem adstantium, illico nubes adfuit formam co-
B lumnæ præ se ferens pertingentis ad terram, ex qua fluxerunt aquæ, factusque est fons, in quo Secundus cælesti est tinctus latice: advolavitque statim columba de Cœlo Christi Domini Corpus & Sanguinem afferens, & in manus Faustini reposuit, ut iis divinis dapibus novum athletam Secundum communiret, ad agonem pro vera fide confirmaret, & ad longum, quod illi restabat, ad æternam fælicitatem iter corroboraret, quam fælicitatem eum brevi martyrio adipisci debere pronunciavit atque prædixit, ut postea re vera ejusdem Sapritii Præfecti jussu in Urbe Astensi capitis abscissione factum est 14. Kal. Maji anno Christi Domini 134.
C Adriano Imperatore, Augurino & Sergio Consulibus. Hanc ita narrant historiam Petrus in *Catalogo* in *Vita sancti Secundi*, & Mombritius Tom. 2. in *Vita sancti Martiani Episcopi Derthonensis*, quos citat Baronius in *Adnotat. ad Martyrologium* die 18. Aprilis, & in Manuscriptis Ecclesiæ Mediolanensis plura de D. Calocero exponi asserit Galesinus in *Notis ad suum Martyrologium* 14. Kal. Maji, quos etiam refert & sequitur Philippus Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italiæ*, in ejus die festo.

Cæterum, quod locus ille exeuntibus Ticinensi Porta ad dextrorsum positus, ad quem Secundus se conferre, statim ac Mediolanum attigit, jussus
D est ab Angelo, sit iste, ubi nunc scatet Calocerianus fons, magis rationis necessario probantis vi coacti asseverare cogimur, quam quod certissimos auctores (si unum excipiamus Mombritium) repererimus, qui locum hunc nostrum aperte notarint, aut expresserint. Et ut melius Lector probationis vim percipiat, præmonendus est, haud aliam esse potuisse Urbis portam, qua egressus est beatus Secundus, quam Ticinensem, cum & illa primo occurrat venientibus ex urbe Ticinensi, & statim egredientibus vicinior & accommodatior sit Derthonam petentibus, ut inde vere peregit Secundus, vadens salutatum D. Martianum illius civitatis E-
E piscopum jam neci religionis caussa destinatum à Sapritio, ac pro ejus salute divinum Numen supplicatum, ut in agone fortitudinem & constantiam, atque in excessu è vita præmium & æternam beatitudinem largiretur.

Illud quoque erit præmittendum circa fontis locum, & Urbis antiquæ situm, quod Tristanus Calchus in primo *suæ Historiæ* libro, loquens de antiqua Urbis Mediolani positione, scribit perennem fontem via Ticinensi ad lævam non longe à mœnibus ortum nunc quoque perdurare, & Eustorgianum dici, & alterum ad dexteram eadem via pergentibus adesse non ita antiquum, & hunc pariter
F extra Urbis mœnia fuisse, cum tunc porta circa Corrivium exsistere ante dixerimus.

Ex jam dictis, & nunc particulatim prænotatis, rationem formabimus (ni fallor) necessario demonstrantem fontem, qui divino prodiit miraculo ad expiandum cælesti lavacro Secundum, illum esse, cui nomen est D. Caloceri; hoc itaque argumentabimur pacto: Secundus Ticinensi Porta egressus dexte-

dexteram statim adiit partem, ibique, quemadmodum ei Angelus mandaverat, sanctos Faustinum & Jovitam præstolatur, qui paulo post Angelo eodem comitante adventantes, aqua è cælo delapsa, illum baptizarunt; jam alius ab hac Vrbis ora fons haudquaquam reperitur, præter nostrum Calocerianum: fateri igitur necesse est in eo B. Secundum aquis esse lustralibus ablutum. Conclusionem, cum ex ipsa ratiocinationis forma valide sequatur, nemo negare potest: Major propositio ex his, quæ modo sum præfatus, satis videtur probata atque persuasa. Sola ergo Minor argumenti assumptio restat latius nunc confirmanda. Duo insignes fontes in hac nostra Vrbis regione jampridem vigent, alter, ut ante dixi, lævam tenet, & Eustorgianus à vicina D. Eustorgii Basilica vocatur: hujus aqua primos Mediolanenses Christo Servatori nomina dantes tinxit sanctus Apostolus Barnabas, indeque cum antiquitate majorem quoque famam sibi fons vindicavit: Ad dextram alter, qui multis post annis veluti è cælo per nubem in columnæ modum formatum est ad nos demissus, servatque in hunc diem cum antiqua religione non imparem gloriam. Præter hos duos in hac australi plaga sacer fons nullus adest. In illo quidem antiquiore Eustorgiano nemo vel mediocriter in sacris versatus historiis affirmabit baptizari potuisse B. Secundum, quippe qui in fonte novo, & modo prodeunte, ut Acta ejus testantur, sit lotus: in isto autem nostro expiatum cælesti lavacro non temere, sed jure ac merito asseruerit quis, tum ob cognomen D. Caloceri, cujus ætate vixit beatus Secundus, ad huncque locum ab eodem Astæ in custodia detento est destinatus, tum ob hujus fontis situm dexterum ab Vrbe viâ Ticinensi abeuntibus, ad quem divertisse Secundum diserte scripsit unus Mombritius, & pleno ore asseruit in *Vita S. Martiani* memorati, vel ex auctoritate Manuscriptorum Ecclesiæ Mediolanensis, in quibus plura de S. Calocero exponi testatus est Galesinus, vel testimonio illorum Ecclesiasticorum Annalium, quorum mentio fit in jam adducto Regio diplomate, quos tamen etsi alieno etiam usi studio avide perquisiverimus, haud invenire hactenus potuimus. Historia hæc, ut nunc est à nobis narrata, picturis non invenustis jamdiu fuit expressa juxta Calocerianum fontem, cum hisce literis adscriptis: S. MARTYR SECVNDVS A D. CALOCERO FIDEI MYSTERIIS IMBVTVS AB SS. FAVSTINO ET JOVITA BAPTIZATVR IN HOC FONTE DIVINITVS AD PRECES SANCTI E NVBE IN FORMAM COLVMNÆ DEMISSO.

Nunc dabitur aliquid loci paucis commonstrandi errata veterum quorundam scriptorum emendanda, qui, ceu pecudes improvidæ unus post alium gregem sequentes, eadem ferme exscripserunt verba, parum mehercule solliciti de temporum diversitate ac annorum supputatione, nimisque profecto oscitanter legentes scripta cujusdam Landulphi de S. Paulo circiter annum communis salutis 1133. publice edita, quorum exemplar etiamnum visitur in Bibliotheca Canonicorum Ordinariorum Metropolitanæ Mediolanensis. Is enim cæterorum familiam duxit, & quod per errorem, vel certe dormitans, memoriæ prodidit, alii veluti studiose & de industria dictum excipientes posteritati tradiderunt. Inter alia ab iis perperam scripta illud est, Sanctos Gervasium, & Prothasium, atque Secundum in Eustorgiano fonte esse baptizatos, quod quam intolerabile mendum sit, & à nobis de S. Secundo modo commemorata satis indicant, & ratio temporum aperte convincit, atque ea, quæ inde sequuntur, absurda manifestissime coarguunt. Etenim si tempora supputemus,

A liquido apparebit ab ea tempestate, qua germani illi fratres cælesti latice expiati sunt, in eo fonte, ad quem primo D. Barnabas Christum Mundi Servatorem nostris civibus annunciavit, annos fere centum fluxisse, antequam fons ille, in quo baptizatus est Secundus, divinitus eruperit. Quî igitur fieri potuit, ut in hoc, qui nondum erat, fonte mergerentur Gervasius & Prothasius? Atqui minus verum erit Secundum in nostro fonte primum omnium accepisse salutare animi lavacrum: aut fatendum erit, sanctos illos fratres post Secundum baptizatos: aut, quod etiam pejus est, Eustorgianum fontem Barnabæ temporibus non exstitisse; B aut certe martyrum Faustini & Jovitæ historiam jam sæpius editam esse falsam; quæ omnia tanto absurdiora esse constat, quanto à vero magis abhorrentia. Igitur pertinax cujusdam amici opinio illis antiquis consona scriptoribus corrigenda, vel ut omnino improbabilis, quin & falsissima penitus abjicienda & deponenda.

Non desunt tamen alii, qui hunc fontem longe diversum à veritate principium habuisse opinantur: putant enim D. Calocero Mediolani decollato evenisse, quod Romæ S. Apostolo Paulo, cujus caput, ubi à corpore dissectum est, ter per humum prosiliens, tres itidem fonticulos, qua saliendo C terram contigerat, scaturire fecit, qui in hunc usque diem extra Urbis Romæ mœnia visuntur, & accurate servantur. Ita exsiliens D. Caloceri obtruncatum caput, locum ad quem primum dedit saltum, fontem admirabiliter effecerit, isque sit ille, qui nunc apparet. Hæc opinio quamquam plures patitur difficultates, ita tamen illam ejus auctores apparentibus exornant argumentis, ut non modicam videatur habere probabilitatem ac verisimilitudinem. Etenim primo adducunt communem Ecclesiasticorum Annalium consensum perhibentium D. Calocerum Mediolanum Asta deductum, hic multa, eaque teterrima, cruciamenta D pro Christi confessione perpessum, mox testimonium Surii To. I. in *Vita SS. Faustini & Jovitæ*, asserentis ex Alpibus Cottiis & Asta Mediolanum revocatum, ibi martyrio demum coronatum; quod profecto videtur contrarium auctoritati universorum fere Martyrologiorum, in quibus legitur Albengauni, quod oppidum in Liguria vulgo *Albenga* nuncupatum, S. Calocerum cursum martyrii capitis obtruncatione complevisse; post ex Actis eorundem Sanctorum ostendunt ab Augustali Palatio, quod erat Mediolani, ad Thermas Herculeas (ubi nunc est Basilica S. Laurentii) extra Urbis mœnia Ticinensis portæ propinqua deductum E facile in hujus nostri fontis loco, ut quondam moris erat apud Gentiles, decollatum fuisse. Comminiscuntur denique veterem picturam juxta fontem hunc olim exsistentem, historiamque hujusmodi ut præfertur exprimentem.

Verum ne diutius in hujus Caloceriani fontis origine immoremur, simulque videamur potius mentis commenta nostræ, quam veritatis commentaria conscribere, his omissis, nunc oratio procedet nostra ad antiquam populi venerationem erga hunc fontem. Hanc magnam atque eximiam fuisse primis temporibus illis ob mirum & prodigiosum originis modum hujus fontis, qui pro certo habere poterit, si accurate animadvertat ingenita quadam reverentia F mortales prosequi res hujusmodi principiis divinitus datas, ut fontem olei, qui eo die, quo Virgo Christum peperit, Romæ in Transtiberina regione erupit; tres jam dictos fonticulos ab S. Apostoli capite productos; Lauretanam domum ad nos ab Angelis transportatam, & pleraque hujusmodi alia, quæ non tantum accolæ, sed etiam exteræ nationes & gentes semper summopere coluerunt, &

& summis prosecutæ sunt honoribus. Crevisse autem magis magisque quotidie honorem ac loci reverentiam minime est ambigendum, cum & cultus veri Dei, abjecta Idolorum superstitione, & religio Christiana emollitis vitæ fidelium innocentia, Tyrannorum immanibus animis, magna successu temporis receperint incrementa. Porro complures in Christi fidelium numerum nominibus datis, ab antiquo infectionis parentum crimine his nostris fontanis abluebantur aquis: ad hunc enim peculiarem usum videbantur è cælo delapsæ per illam nubis columnam in locum hunc à publico hominum commercio sepositum, extra Urbem, ac à Ticinensi porta parum distantem, ut studiose præter cæteros Chronistas notavit Tristanus Calchus 1. *Histor. patriæ* libro, per illud enim tempus ob gravia & funesta Imperatorum edicta contra Christianæ religionis cultores, in Urbe, aut palam, hoc peragere non licebat. Magnum sane ac validissimum priscæ hujus fontis reverentiæ auctæ, nedum conservatæ, est argumentum, quod sacris historiæ monumentis proditum esse commemorant prætactæ Francisci Francorum Regis literæ, quarum autographa Regio sigillo obsignata nos ipsi vidimus in nostræ Calocerianæ ædis tabulario quam diligentissime custodita, scilicet quod S. Ambrosius Urbis Patronus, ac Patriæ nostræ Parens, prædicta omnia probe sciens hunc fontem pie adamavit, diligenter custodivit, ornamentisque auxit. Nam ea loca, in quibus jacta fuisse nostræ religionis fundamenta noscebantur, frequentabat, ut Hortum Philippi, in quo sæpissime in oratione pernoctabat; Basilicas Faustinianam & Portianam, in quas cum ad declinandum Faustinæ Augustæ, ob strenuam Arianorum oppugnationem ab eo susceptam sibi iratæ, furorem, tum ad recreandum animum in contexendis spiritualibus concionibus, aliquando secedebat.

Quibus vero ornamentis hunc auxerit fontem Divus Ambrosius, non ita constat; credere tamen est, fuisse quosdam parietes fontem ab occidente solis cingentes in modum sacelli picturis fortasse decoratos. Hujusce rei nec leve præstat argumentum, quod paulo supra patrum nostrorum memoriam circa fontem visebatur ædicula quædam ruinosa, semicircularis, formam conchæ marinæ in fastigio præ se ferens, vetustissimisque depicta imaginibus. Igitur, cum in Christi nomine iis tincti aquis ab omni prorsus animi ægritudine liberi semper evaderent, & aliquando etiam integram corporis sanitatem consequerentur cum Sancto Spiritui undam hanc sanctificanti utrumque tribuebatur, quippe qui hanc corporis non minus mirabiliter, quam illam animi incolumitatem facile concedere soleat.

Itaque cum ad hos sanctos latices tanta, tamque multa ederentur miracula, ut in recitatis asseveratur literis Regiis, ibidem à fidelibus est constructa ædes S. Calocero sacra, suadente D. Ambrosio, vel alio certe successore Episcopo, in qua & Cathecumeni commodius instituerentur, & baptizati Ecclesiæ sacramentis reficerentur, vel (quod & magis cum ratione ac temporum conditione congruit) ut oblationes Christi fidelium in honorem Dei atque commodiorem populi usum insumerentur. Porro ædes ita eo sita erat loco, ut ejus janua occidentem, altare vero orientem solis, juxta sacras sanctorum Patrum sanctiones, spectarent: tantæque longitudinis erat vetus, quantæ nunc latitudinis est novum sancti Caloceri templum, illaque formæ quadratæ ad instar ostii nostræ Vincentianæ ædis; hoc unicum adhærens sacello concavo ad ejus formam, quod jam pridem circa fontem exstitisse diximus. Huc ex civitate multi ex suburbiis plures festis maxime diebus ventitabant; alii animi gratia; alii vota persoluturi; alii sanctis precationibus, & laudibus, atque sacris quibusdam ritibus, locum veneraturi, quæ cum viciniæ, tum Monachis nostris in primis grata erant, quorum auspiciis fanum erectum, nutuque eorum atque arbitrio gubernatum fuerat. Hæc nihilominus parum sibi constabant; nam, qui horariis precibus assidue incumberent, desiderabantur, sæpe enim pauci, aliquando nulli, aderant. Censuerunt ergo Monachi, & ut viciniæ rem gratam facerent, & ut divinus cultus eo loci augesceret, piarum quarundam mulierum agere conventum, in quo aliquot vita & moribus probatæ seligerentur, quæ hujusmodi obirent munera religiosa, ac cætera, quæ ad cultum divinum spectabant, diligenter pertractarent. Per id tempus parieti hujus antiqui fani in Aquilonem obverso annexa sunt nova templi culmina, ut populus à præfatis mulieribus divina officia audire, ac reliqua peragere posset. Verum etsi religiosa disciplina harum mulierum, quæ sub numine D. Mariæ Magdalenæ in hoc vivebant domicilio, ob acrem curam, præcipuamque Monachorum diligentiam aliquot viguerit annos, Barbarorum tamen frequentioribus incursionibus, hanc nostram Italiæ partem misere vastantium & diripientium, coactæ sunt tandem ex suburbiis in civitatem se recipere, ne ferocioribus illis nationibus prædæ essent. Quod hæ religiosæ fœminæ olim hic commoratæ sint, præterquam quod ex longa habetur traditione, liquido etiam constitit, cum solo æquarentur parietes hujus fani ob novam oratorii constructionem anno 1615. inchoatam, cujus primarium lapidem de more benedictum nos jecimus 14. Kalendas Junii: ibi enim apparuerunt indicia, & antiqua quædam monumenta ac vestigia fenestellarum loci colloquio destinati, Rotæ quam *turnum* vocant, & aliorum ad Moniales pertinentium, & aliquot item solida ex silice sepulchra ossibus mulierum (quantum ex certis signis & notis judicare licebat) oppleta.

Possumus quoque hoc loco ad prædicta confirmanda in medium proferre id, quod superius in allegatione pro Sanctis Martyribus nostris IV. *Fascic.* adduximus, ad rem propositam maxime faciens, ex monumentis illius perantiquæ historiæ in nostro D. Vincentii templo inter utramque januam depictæ, ubi sese oculis offerunt amictu Monachali mulier stans, manumque sursum tenens, & vir senex Heremitico habitu, quem fuisse Monachum nostri Cœnobii supra meminimus, quippe cum ante D. Francisci & Dominici tempora nullum certum induerunt amictum Monachi, illam vero mulierem, quam vestis & imago ipsa sanctimonialem declarant, fuisse ex vicino sancti Caloceri domicilio, eo facilius creditu redditur, quo & propinquius degebant, & arctiori vinculo Monachis inserviendi tenebantur religiosæ mulieres ibidem commorantes. Hoc interius templum, in quo orabant, officiumque divinum recitabant istæ mulieres, vocatum est postea vetus scriptis in antiquis ad differentiam exterioris, quod novum appellarunt, & erat ex prima sui constructione parvum atque angustum, vixque à loco primarii altaris ad sacella lateralia nunc existentia pertingens, ita ut illud non venustate, sed necessitate ipsa divina audiendi fabricatum esse mehercle diceres. In hac exteriori æde sacra visebatur antiqua imago B. Virginis Mariæ adstantis Christo Domino cruci affixo, una cum aliis sacris imaginibus sanctorum Joannis Euangelistæ, & Mariæ Magdalenæ, ac beatorum Caloceri, & Bernardini Senensis in veteri pariete pictura expressis anno 1474. die 10. Novembris: non quidem in eo, quo nunc est, loco, sed paulo propinquiori sacrario.

Hæc B. V. Mariæ imago anno à Christo nato 1519. die XI. Mensis Julii lacrymas sanguinis prodi-

digiose cœpit effundere, eodemque modo toto triduo flere perseveravit. Portentum autem istud in hunc modum evenisse narratur. Transibat forte illac Gallicana mulier, (tunc temporis enim Galli arbitratu suo cuncta Mediolani moderabantur) quæ cum imaginem prædictam pie salutaret, animadvertit, guttas sanguinis ab oculis B. Virginis decurrere: dubia tamen de rei veritate oculos ad imaginem curiosius intendens, nec satis certa sanguis-ne, an aliud quidquam humoris deflueret, candida manica grandiori, quam juxta nationis suæ consuetudinem ab humero pendentem portabat, manu apprehensa guttas tentat, experiturque ex colore esse sanguinis, tunc admirabilis rei novitate obstupescens magnas cœpit attollere voces; accurrentesque ad tantum clamorem vicini valde mirabantur; re autem vulgata, momento temporis adfuit hominum frequentia, ut eos locus minime capere posset. Jacobus autem Antonius à Turre, Mediolani illustri familia natus, sancti Vincentii Abbas; de novo prodigio monitus advenerat cum aliquot religiosis viris, inter quos erat Thomas Suardus Prior nostri Cœnobii, qui rem diligentissime considerantes, manicam primum Gallicæ mulieris à veste abscissam decenter reponi curaverunt, sanguinemque deinde ab oculis imaginis stillantem condecenti vase recipientes custodierunt. Interim Superiores Ecclesiasticos de prodigio reddunt certiores, illique diligenti inquisitione de rei admirabilis veritate facta, locum commendarunt auctoritati, & fidei, & prudentiæ Præsulis monasterii nostri, qui quosdam pios viros custodiæ imaginis ac loci constituit, ac deputavit. Confluebant undique viri ac mulieres frequentissimi, cum ut prodigiosam imaginem viderent, simulque venerarentur, tum ut gratias sanitatum postularent, atque obtinerent, inter quos multi morbis ac ægritudinibus variis affecti atque distenti pristinam valetudinem recuperarunt. Quam obrem multæ, tam pecuniarum, quam & aliarum rerum oblationes quotidie fiebant, ita ut singulo fere die obvenirent amplius aurei nummi ducenti. Hoc prodigium certe portendebat futura mala, non solum Gallis, qui ea tempestate superbissime dominabantur: honestas enim mulieres opprimebant, virgines deflorabant ac violabant, nobiles tetris carceribus emancipabant, diris tormentis cruciabant, & crudeliter necabant: sed etiam Mediolanensibus, qui postea fere per decennium tot tantaque passi sunt incommoda, ut potius vivere, quam mori tæderet: nam primo cariori annona laborarunt, post luporum rabie petiti misere devorati sunt multi; mox latronum rapinis domi & foris vexati: exinde militum violentia varie spoliati: tandem an. 1524. pestifera lue & contagioso morbo pene deleti; spatio enim quatuor duntaxat mensium ab Vrbis Conservatoribus centum millia hominum peste peremptorum numerata sunt. Tunc profecto hæc Maronis carmina *Æneid.* III. nostris civibus mirifice congruissent,

——— cum tabida membris
Corrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora; tum steriles exurere Sirius agros;
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.

Nec Galli minoribus sunt afflicti malis; etenim ineunte anno 1521. turris major & pulchrior Arcis Mediolani, in quam coegerant vim magnam sulphurei pulveris & pilarum, de Cœlo fulmine maximo tacta, tantum excitavit incendium, tamque magnam invexit ædificiorum ruinam, ut com-

A plures percusserit & occiderit Gallos, ita ut Cœlum ipsum videretur idem curasse fœdus, quod inter se prius fecerant Adrianus Pontifex maximus, Carolus V. Imperator, Franciscus Sfortia, & alii Italiæ Principes, contra ipsos Gallos, qui postea usque ad annum 25. obsidionibus non paucis pressi sunt; rerum fere omnium penuriam, ne dicam necessitatem, sustinuerunt, clades maximas acceperunt, ut fuit illa ad Bicocam, in qua perierunt 23. millia virorum, & viginti duo strenui Duces Galli desiderati sunt; & illa inprimis, quæ prope Papiam, ubi ceciderunt omnes fere
B Galli Principes, & totus fere deletus exercitus, quinimo Rex ipse captus est, & Ticinum in custodiam productus; & tandem ubique pessime habiti, omnibusque infortuniis vexati, è tota Italia per vim ejecti & exturbati fuerunt. Quid mirum, si fœmina ejusdem gentis, nationis, & linguæ nuncia futurorum facta malorum, prima vidit nostram B. Virginis imaginem sanguinis lacrymas profundentem, quandoquidem gens ista Gallorum principalem tantorum malorum caussam dederunt, unde cunctas supra narratas calamitates unis ipsis acceptas referre debeamus.

Cæterum religiosus cultus hujus sacræ imaginis,
C & populi concursus simul cessarunt adveniente, invalescenteque ante dicta pestis contagione, qua crudelius grassante, Urbs propemodum inhabitata & derelicta fuit, quare & templa clausa, & viæ desertæ, atque herbis, frondibus, & virgultis interclusæ, ut speciem solitudinis potius quam Civitatis referrent. Unde multa hujus ædis ornamenta dono à piis viris data, non tam hujus temporis vitio, quam hominum, periere una cum miraculorum memoria. Vigebat ea tempestate, antequam hæc B. Virginis Imago prima ederet miracula, in hoc nostro delubro civium societas, in qua nonnulli viri nobiles annumerabantur sub nu-
D mine D. Mariæ & S. Caloceri, qui cum & locum maximo in honore haberent, & summopere venerarentur, labori, aut sumptui, non parcebant, ut ejus honorem ac decus augerent atque amplificarent, & ideo novo sanguinis prodigio magis, magisque excitati, omni studio ea, quæ utilitati ac commodo loci erant, curare cœperunt. Eodem namque vertente anno 1519. mense Octobris apud Christianissimum Regem procurarunt ad majorem fontis puritatem ejus scaturigines in navigabilem rivum derivare, & ab eodem Rege, nobilissimis Urbis civibus id postulantibus, impetrarunt, ut ex Regio apparet diplomate, in quo
E multa tunc miracula nuperrime exstitisse evidentissima ad hanc B. Virginis Imaginem commemorantur. Altare pretiosa veste & lauta supellectili ornarunt; Ædis pariter aulæis serico admixto auro contextis obduxerunt, & magnificum construere templum statuerunt & deliberarunt. At pestifero adveniente anno vigesimo quarto supra millesimum quingentesimum, ut diximus, facta quidem conservari, nedum infecta perfici valuerunt: adeo enim morbus desævire cœperat, ut nemo unus rebus publicis studeret, & vix privatis propriis ac necessariis usibus, quantum satis erat, incumbe-
F ret. Quare Ædes sacra derelicta, & societas exstitit dissipata, nec non hoc intermedio tempore res societatis magnam passæ sunt jacturam, ut ex actibus publicis controversiarum in judicio jactarum, ut ex aliis coram Magistratu extraordinario Mediolani agitatis cognoscere licet.

Conquiescente autem pestilentiæ vi, cætera mala minime cessabant, aut minuebantur, quinimo in dies magis progrediebantur & augescebant ob diuturna bella inter adversas nationes ad asserendum unaquæque sibi Mediolanense imperium, cujus

jus omnis salus adeo jam desperata erat, ut anno 1529. Nobiles fere nulli, mercatores pauci, & alii cujusvis generis cives rari in publicum prodirent. Unde misera civitas à propriis pene destituta Civibus, omnem pristinam gloriam exuisse, & novam squalentis solitudinis ac deserti speciem, expressamque imaginem induisse videbatur. Virgulta enim & herbæ quasi in saltu in viis ac plateis creverant, templa erant occlusa, Cœnobia tam virorum, quam mulierum, militum rapinis (quorum permulti hæresi Lutherana erant infecti) exinanita atque exhausta: & cum nullus locus tutus miseris Civibus esset relictus, omnes cujusvis generis, ætatis, ac sexus expositi fuerunt ferorum injuriis Barbarorum, & penitus dejecti spe tanta finiendi mala in majora se libere conjecerant: nam aliqui veneno, alii laqueo, aliqui præcipitiis, alii suffocatione se occiderant, alii aliis diris modis sibi ipsis necem consciverant. Minima ergo quisque capi debet admiratione, cum audierit D. Caloceri sodalitium funestis illis temporibus dissolutum ac dissipatum, fano ejus sacrilegas militum manus allatas, sacrarium penitus expilatum, ac cætera sacræ ædis jura prorsus deperdita, cum neminem Dominum haberent, qui illa tueretur atque defenderet.

Verum anno, qui à partu Virginis fuit trigesimus supra millesimum quingentesimum, favente præpotenti Deo, cum Clemens septimus Bononiæ commoraretur, & Carolus Quintus illuc venisset, ut Imperii diademate à Pontifice juxta veterem Cæsarum Christianorum consuetudinem insigniretur, Cives Mediolanenses respirasse videbantur, nondum re, sed spe pristinæ libertatis recuperandæ: aderat namque Franciscus Sfortia eorum Dux sub fide publica à Cæsare in Pontificis gratiam data, fueratque ad illius colloquium paulo post admissus ejusdem Pontificis studio, in quo non tam à falsis calumniis se expurgavit, quam & suspiciones de se omnes apud Cæsarem ortas dimoverat. Quare & ab eodem Imperatore facile impetravit confirmationem Ducalis prærogativæ, & bonam ejus gratiam ac stabilem amicitiam sibi conciliavit. Pro hisce rebus Insubricis fæliciter compositis à Cæsare toti Provinciæ Mediolanensi vacatio data est molestissimi contubernii Cæsarianorum militum, ac cæterorum illius militiæ sumptuum. Quo uno maxime Civitas emersisse è fluctibus barbaræ servitutis, & revixisse putavit. Unde cum viri pii frequentiores quam ante in templis jam apertis per id tempus esse inchoarint, etiam in nostro Caloceriano viciniæ homines sæpe aderant, & consuetudinem divini officii recitandi paulatim instaurare cœperunt, ac procedente tempore sodalitium renovarunt, & post aliquot annos sub nomine obedientiæ nuncuparunt. Huc primo pii illi viri, qui jamdiu in antiquissima sancti Vitalis Basilica, Faustiniana olim appellata, fuerant, se contulerunt cum rebus suis, inter quas (sacra excepta supellectili) erant statuæ illæ D. Joannis, & quatuor Mariarum ligneæ juxta Christi crucem stantes, opus certe artificis industria non ingratum, quæ etiam nunc visuntur in sacello occidentali, quod Passionis nuncupatur. Alia item societas, quæ prius fuerat in S. Stephano Rugabellæ, & exinde in S. Michaele ad murum ruptum, deinceps reportata est ad S. Calocerum. Verum ob consociationem, & aggregationem ad Sanctissimæ Trinitatis Archiconfratriam Urbis Romæ anno 1581. initam, nomen & vestem mutavit, ad exiguumque tempus in nostro commorata est hæc societas fano; sed voto recedendi à suburbanis in intimiora Urbis loca commigravit, scilicet ad S. Jo. Baptistam in Arca nuncupatum conterminum Basilicæ sanctorum Apostolorum, ut urbaniori & frequentiori fortasse uteretur populi commercio; quod tamen aliter ac optatum erat successit.

A

Tunc incolæ nostræ hujus viciniæ, qui in eam societatem conscripti fuerant, ne laudabilis Calocerianæ ædis frequentia imminueretur, & ipsi devotionis ac pietatis gratia à propriis domiciliis longius discedere cogerentur, novum sodalitium nomine Mortis assumpto in veste nigra instituerunt, Romanæque Archiconfratriæ Mortis adnixi sunt, ut amplissimo diplomate Romæ dato sub anno 1582. 17. Maji liquet. Cujus sodalitii institutioni atque erectioni ut plus auctoritate spirituali firmitatis ac roboris accederet, à Joanne Fontana Archiepiscopi Mediolanensis Generalis Vicario approbationis decretum fuit interpositum, de quo exstant literæ testimoniales. Cæterum cum ejusdem nominis & instituti aliud vigeret sodalitium apud illa ampla S. Gregorii septa ad seponendos tempore contagii pestifera lue infectos jamdiu constructa, orta est inter utrumque lis, & controversia magna, quam ut sedaret, vel potius componeret Gaspar Vicecomes Mediolanensis Archiepiscopus alterutrum Mortis institutum relinquere jussit, & illud, quod sponte deponeret Mortis nomen, curavit adjungi Archiconfratriæ sanctissimi Crucifixi Urbis Romæ, quæ tunc temporis à Summo Pontifice amplissimis donata fuerat Indulgentiarum prærogativis. Hanc nominis repudiationem sodalitati D. Caloceri magis convenire visum est, quia illi ad S. Gregorium jam exsistenti, & ratione loci, quo mors ingruente pestilentia mortales falce sua copiosius emetere consuevit; & ratione peculiaris nomenclationis, vulgo *Fopponi*, in quo præmortuorum cadavera humari solent; & ratione legum societatis, quibus defunctos ad sepulturam deferre constituitur, & præscribitur, nomen Mortis magis congruebat: isti vero nostræ Christi Crucifixi agnomen mirifice quadrabat, multis quidem rationibus, ea tamen imprimis, quod haberet simulacrum Crucifixi iconicum jamdiu miraculis superius commemoratis inclytum, ad primariam delubri aram collocatum.

B

C

D

Hujus Confratriæ nomenclatura magnam mihi movet admirationem cogitanti, & veteres denominationes brevi durasse tempore, & novas vix impositas evanuisse; hanc vero sanctissimi Crucifixi quasi cælitus datam consistere, ac tam longo processisse ævo, ejus verum typum tot tantisque in hoc fano miraculis illustrem: quo Crucifixi vero nostræ religionis trophæo nihil honorificentius apud fideles, illustrius in Ecclesia Dei, amabilius Religiosis, charius Principibus ac Regibus, gloriosius penes Imperatores atque Monarchas, gratius Sanctis, Cælitibusque cæteris, & ipsi Præpotenti Deo jucundius ac intimius. Quamobrem non immerito primariam nuncupationis prærogativam hæc nostra sodalitas sibi vindicare videtur, in qua, qui sanctissimi Crucifixi non signum salutare tantum, sed & vestigia & sancta doctrinæ præcepta sequuntur, cælestis Regni gloriam, fide creditam, spe concupitam, verique amoris ardore adamatam, procul dubio obtinebunt. Hanc salutarem instituti rationem recte perpendentes cumplurimi cives Mediolanenses, tum viri, tum fœminæ nomina dabant, ut simul magnum Indulgentiarum à Summis Pontificibus elargitum thesaurum ad suorum expiationem scelerum participarent, adeoque numero processerunt & propagati sunt, ut conscripti Cives ab anno 1591. usque ad 1604. fuerint octies mille quinque centum septuaginta; exinde illis adjuncti sunt alii mille sexaginta quinque, in diesque magis ac magis auctus est Confratrum numerus, ut ex indicibus Confratriæ compertum ac manifestum est. Verum quod

E

F

A tam numerosæ hominum huic sodalitati accessiones factæ sint, minime mirum videbitur, si in mentem venerit Servatoris nostri oraculum, quod non Obedientiæ, aut Morti, aut cuipiam alterius societatis nuncupationi adaptari & accommodari perspicuum est, sed soli Christo, cruci affixo, à quo nostra Confratria suam traxit denominationem. Ipse enim vaticinatus est, *omnia ad se ipsum allicere, & attrahere velle, cum à terra in crucem sublatus fuisset.* Quid ergo si virtus Crucifixi hic nuperrime erecti ad sodalitium tot tantosque utriusque sexus homines non modo invitavit atque allectavit
B Indulgentiarum blandimentis, verum etiam vi quadam secretiori sibi propria adduxit atque protraxit?

Cæterum cum Carolus Cardinalis Borromæus sanctissimæ recordationis à Pio Quarto fuisset renunciatus Mediolani Archiepiscopus, & primum Urbis splendidum ac egregium sui ingressum anno Christi nati 1565. mense Septembris populo dederit, rebusque Ecclesiasticis in quibusdam Comprovincialium Episcoporum conventibus in meliorem formam compositis, aggressus est Urbis primum lustrare templa, inter quæ fuit etiam nostrum Calocerianum, quod cum cognovisset tanta antiquitate præditum, tali hominum frequentia
C cultum, tot tantisque miraculis celebre, instaurandum, amplificandumve suo sancivit decreto, certamque Architecti judicio probatam præscripsit formam, & novæ structuræ speciem. Hoc S. Caroli decretum primo quoque tempore sodales exsecuti sunt, piis viciniæ hominibus sumptus suppeditantibus. Ac cum cuperent ad majus aræ primariæ decus atque ornamentum prodigiosam illam imaginem Crucifixi & B. Virginis Mariæ aliquantulum è terra elevatam collocare in eo, quo nunc sita est, loco, necesse fuit ingentem parietis molem funibus alligatam machina apposita attollere: funibus vero nimio pondere perfractis certa Mechani-
D cis impendebat ruina, qua simul omnes inevitabiliter obruendi erant: cum ecce tota moles (evidenti B. Virginis prodigio) in proprium, quo reponenda erat, locum statim concidit, sine ulla sacræ Imaginis, aut succumbentium ministrorum, læsione, aut jactura. Ex iis, qui huic admirabili casui interfuerunt, & præsentes viderunt, aliquos ego ipse allocutus sum, qui & adhuc mortalem agunt vitam, & hujus negotii eventu etiam nunc stupescunt.

Constructioni hujus templi finis impositus est à sodalibus sanctissimi Crucifixi tertio Kal. Junii 1590. & ad hanc formam, qua nunc visitur, redactum. Istud dicebatur templum exterius & no-
E vum, sicut alterum interius & antiquum, & hæc duo simul concessit dictis sodalibus Pompejus Biragus S. Vincentii Abbas, certis quibusdam pactionibus in instrumento fide Notarii firmato contentis, quæ ne aliquo unquam tempore obsolescerent, renovatæ fuerunt anno 1608. die 3. Junii, ut ex publico documento, quod rogatus confecit Martinus Cavana Curiæ Archiepiscopalis Notarius, perhibetur. In eo documento antedictus Præsul Biragus, extra ea, quæ ad jus spectabant parochiale, ut sibi & successoribus integrum esset, reservavit, eos sodales si deliquissent, vel præstare,
F quæ tenebantur, omisissent, ex sacris illis ædibus liberaliter concessis expellere atque exturbare. Verum hucusque omnia tam ad Abbatiam, quam ad Parœciam pertinentia illibata in summa pace & tranquillitate continenter habuerunt & conservarunt: ita ut nos hos sodales potius benevole protegere, & amice fovere optemus, quam ullo unquam tempore hinc abire, ne dicamus abigi, passuri simus. Imaginem illam Christi in crucem suffixi fere sub id tempus ligneis ornamentis affabre inauratis decorarunt, & ut icona justam, debitamque haberet proportionem, venerationem, ac reverentiam in parte superiori Imaginis, (certam cæli turbati additis Sole & Luna obnubilis ob patientis Creatoris commiserationem) adjunxerunt portionem nuperrime depictam. Huic eidem sacræ Imagini exinde à non paucis vota persolvi, à multis donaria argenti imaginibus convalescentium signata afferri, & à compluribus multa alia donari compertum habemus, ob beneficia sanitatum ibidem divina affluente gratia, & sancta B. Virginis precatione impetrata. In hoc quoque templo aliqui ita meritam eis sacris imaginibus gratiam justis honoribus, & memori mente persolverunt, ut voluerint semel, aut bis, pluriesque per hebdomadam, & aliqui etiam quotidie rem sacram eorum impensis fieri, ut fuit Hieronymus à Petrasancta, qui hoc quotidianum munus detulit certa data pecunia S. Francisci Cœnobitis, & alii, qui frequentibus elargitionibus effecerunt, ut sodales una cum aliis templo obvenientibus sacerdotem alerent intra proprias hujus templi ædes degentem, qui & confessiones audiret, & missæ sacrum quotidie obiret. Huic addixerunt æditiuum custodem sacrarum supellectilium, piarumque oblationum; nec non & clericum, qui eidem domestico sacerdoti atque aliis rem sacram facientibus inserviret. Sacella duo lateralia, unum Passioni Christi Domini, alterum Divo Lucæ Euangelistæ sunt dicata. Apud fontem antedictum in interiori templi pariete adest Imago sanctissimæ Virginis, quæ creditur antiquitus ibi picta, nuper vero in templi instauratione nova arte perpolita: quemadmodum & fons ipse fornicato opere est contectus, siliceisque scalis ac scamnis ad sedendum & descendendum accommodatis, quem hic non tam Lectori describere, quam spectatori commonstrare his paucis metro prolatis ad hujusce nostri insulsi sermonis tædium paulisper levandum placuit:

Quisquis ades, partemque pius partiris in omnem
Lumina, cerne memor divini flumina fontis,
Corporis unde salus miseris mortalibus exit.
Intus aqua dulces, prono quas hauserit ore
Nectaris oblitus mensis accumbere Divûm,
Cui datur, invitant medicis ad pocula lymphis,
Stant pario circum, vivoque sedilia saxo
Marmoreis vallata vides, qua candida septis
Grata oculis species similisque precantibus ara.
Namque ubi prima dies primo se tollit Eoo
Prævia, qua Christo redeunti in luminis auras
Postibus effractis Erebi, luce omnia complet
(Sabbata sancta sua dicunt non voce Latini)
Templaque campani resonant concentibus æris
Illicet, & tectis certatim effusa Juventus,
Matres atque Viri, Pueri, innuptæque Puellæ,
Queis sanie caput, & fœda porrigine sordet,
Et gaudent sacras manibus contingere lymphas,
Agmine fervet iter venientum, templa laborant,
Fit via vi, rumpunt aditus, vix se capit æger,
Infantum grex intus, inops ex ubere pendens.
Cædere mirantur Matres è vertice labem
Fluminis attactu mira dulcedine læta,
Osculaque æternum mansura in marmore figunt.
Fama volat, properant alii, quos nulla medentum
Cura, laborque juvat, non dextra Machaonis ulla,
Non ullæ Marsis quæsitæ in montibus herbæ.
Septa laborantum complentur utrinque catervis,
Nec numero è tanto quisquam non sanus ad ædes
Carpit iter geminas tollens ad sydera palmas,
Ore salutiferum tollens ad sydera Fontem.

Pluribus elegantioribusque carminibus hunc Calocerianum fontem celebrare atque illustrare iis relinquam, quibus cum Musis major amicitia, & familiaritas intercedit. Ego enim ab eis sum tam alie-

alienus, ne dicam aversus, ut vix de facie illas noverim. Igitur eo sabbati die ad hunc fontem occurrit, ut dicebamus, maxima multitudo male se habentium, ac inter eos in primis, qui adversa oculorum valetudine utuntur, quorum plures his loti aquis, pro spei & fiduciæ ratione, è morbis evadunt, ut contigit anno 1616. 15. Kal. Maji, qui fuit idem dies sabbati sancti, quo adolescentula fere nubilis, nomine Hieronyma Radaelia, Parœciæ S. Stephani ad Nuxigiam domi Alexandri Sicci degens, non minus fama miraculorum (si hoc tamen nomine licet appellare gratias) quam efflatu permota divino huc venit manu matris ducta; jam enim annos quatuor oculis capta erat, quæ statim ac eos lavit hujusmodi unda, videre cœpit, & ad octavæ Paschatis finem rediit, pristina oculorum acie integre recuperata, ut si minus in referenda pari beneficio accepto gratia, in prædicanda saltem B. Virgini habenda, satis videretur fecisse. Induta autem albis vestibus subter, supraque cæruleis ob honorem sanctissimæ Virginis, à qua sospitem se venisse sciebat, ad eam gratias, & vota persoluta reversa est, & illam ego ipse vidi firma oculorum valetudine utentem. An res hæc divino facta fuerit miraculo meum non est judicare; sed Ecclesiasticorum Judicum, quibus nostram subjicimus deliberationem, eorum judicio stamus non inviti. Si quis vero curiosius conquirat, atque investiget caussam rationemve, ob quam ad fontem hunc pridie illo Paschatis, ea hora, qua sonant campanæ, cæteraque sonora in ecclesiis pulsantur, tam magnus fiat concursus eorum, qui prædictis ægritudinibus premuntur, majorque numerus puncto temporis eodem convalescat & sanetur: consideret primo, quisquis ille est, divina consilia adeo recondita esse, ut vix indagari possint: mox non incongruæ rationes eidem inquirenti, ingeniique acie contemplanti miros hujuscemodi effectus, sese ostendent & occurrent. Etenim Piscina illa, quæ Hierosolymis vigebat Probatica nuncupata eo duntaxat tempore sanabat variis languentes morbis, quo cælicola descendens ejus commovebat aquas: ergo & fons noster haud absimili ratione potuit eandem dimissam è Cælo vim habuisse pro eo tantum tempore: nam quemadmodum ea quinque illis porticibus præfigurabat, ac referebat, non tam Christum Servatorem per quinque vulnera mortuum, sed illum quoque gloriosum magno terræmotu resurgentem, quinimo & sacrum Baptismum ab eo institutum: ita hic fons ab illa Piscina præsignificabatur, quia & Sanctorum baptismate sacratus, & ex eo Christi passi sepulturam per immersionem, & ejusdem gloriosam resurrectionem per emersionem prænuncius liquido apparet juxta illud Apostoli *ad Romanos* vi. *An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sunt in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos.* Si ergo illa ægris medelam præstabat corporibus solo Angeli aquas commoventis ministerio: cur non magis hic fons, qui animi & corporis simul abluit maculas, conferre corporibus poterit salutem Angelo testamenti, ut loquuntur sacræ Scripturæ, Christo Domino, tunc magno edito terræmotu, resurgente? Ea tandem de caussa Ecclesiarum Præsules in Sabbato Sancto solemne Baptisma consueverunt ministrare, campanæque pulsari ea hora ob gaudium Dominicæ resurrectionis sacrum Baptismum præfigurantis, qui non præterito tantum tempore, sed semper animas sanare valet ægras, ut major vis, & virtus figurati super figuram Probaticæ Piscinæ omnibus clarius ostenderetur. Ex his judicare pro suo arbitrio quisque poterit, an conveniat rei veritati, nec ne, propositæ nunc quæstionis per caussam probabilem, ejusque rationem verisimilem jam allatam, dissolutio. Unum tamen libenter notarim ex multiplici tabellarum numero, in quibus visuntur miracula depicta, non obscure colligi posse apud fontem hunc non semel, aut iterum, sed sæpe ac sæpius divinam bonitatem ad preces beatiss. Virginis variis temporibus elargitam esse hominibus infirmæ atque ægræ valetudinis salutem ac corporis bonam habitudinem.

De hoc fano finem dicendi faciam, si pauca prius de hac Confratria (ut vulgo dicunt) coloratorum, & de Sanctorum Reliquiis, quæ hic reperiuntur, dixero. Has laicorum sodalitates coloratis vestibus utentes recentiores Disciplinatorum Confratriis esse nemo ambigit, cum ex dictis in secunda Decuria Disciplinatorum satis aperte constiterit Disciplinatos saccis indutos primos fuisse ad publicam pœnitentiam introductos atque institutos: post aliquot vero annos excrescente horum sodalitiorum numero ad distinctionem & varii instituti rationem discolores usurpasse habitus, ita, quod prius erat doloris & pœnitentiæ signum, postea differentiæ & discriminis cœperit esse argumentum, & tandem pompæ atque luxus non leve tulerit indicium. Habent nostri Confratres diversam à Disciplinatis regulam, aliquanto tamen latiorem: amictum, quod insigne Confratriæ est, prius sortiti sunt rubrum, sub sanctissimæ Trinitatis cognomento; post nigrum sub Mortis nuncupatione; postremo, amictu eodem retento, Mortis nomen cum cognomine sanctissimi Crucifixi commutarunt, quod optimo factum esse consilio ego quidem arbitror, ut si unum mortis odiosum nomen amittere viderentur, alterum retinerent, nobiliorem & gratiorem nuncupationem adepti. Et hæc de Confratria satis.

Nunc sacras tantum subnotare Reliquias superest. Hæ multæ sunt, conditæ quidem prius in ara antiqua interioris veterisque delubri, nunc vero honeste repositæ in fenestella juxta altare majus versus sacrarium, suntque partim in lignea capsella rotunda, partim in arca marmorea operculo item marmoreo rite contecta: in illa quidem præter innumera ossium fragmenta, visitur os longitudinis digitorum trium: in hac vero, quatuor parvis tegumentis papyraceis distincta, cernuntur varia ossium segmenta, & alia plurima confuse sparsa, inter quæ tria ossium frusta non parva, schedulæ etiam comminutæ apparent, quæ minime legi possunt, una tantum excepta. Fuerunt ab Ecclesiasticis Superioribus aliquando hæc visa, ac pro sanctis Reliquiis approbata.

Hæc habui, quæ de antiquitatibus Fani D. Calocero sacri litteris consignarem. Nam quod attinet ad dona cœlestia, quibus affici consuevere fideles ad D. Caloceri undique confluentes, jam tum cum ageretur annus MDCXVII. & etiam num hodie afficiuntur in dies magis ac magis, ea me commodius persecuturum arbitror in altera FLORILEGII nostri Parte, in qua præterea, Superioribus Ecclesiasticis bene volentibus, complectar celebritatem assiduam populi frequentissimi, qua Ædes illa quotidie colitur, nec non & ingentem stipem Deiparæ oblatam, cujus inibi effigies gratiis innumeris nitet, siquidem votis Deus annuerit, & otium concesserit, quod optamus.

Styli porro, quo duos postremos *Fasciculos* exarare libuit, ut Operis forma justa esset, veniam rogamus à Lectore nostro: cum enim Typographi properarent ad metam, mihi quoque festinandum fuit, ne desisterent ab incœpto. Ea re factum illud est etiam, ut minus esse debuerimus eruditi, quam in primis octo *Fasciculis* exstiterimus, ac ob id etiam Scriptorum testimonia sine verbis eorundem in medium attulerimus, quod aliàs non egeramus, ut rem

rem ageremus, ubicunque deceret, tabellis, quod asserunt, obsignatis. Hæc igitur æqui boni consulet noster Lector, ut voluntatem erga se propensam & bonam, si minus res ac stylum, probare poterit.

Finem hic scribendi faciam, & primæ Parti Florilegii Prati Paroeciae Vincentianae coronidem imponam, occupationum novarum turbinibus abreptus alio, ne alteram ejusdem Florilegii Partem in lucem simul edam. Ac licet queri mecum graviter videatur Paraphodochion nobis proximum, & annexum historico plane calamo dignum, quod se tacitum præterire silentio velim, de me tamen nullus ei erit expostulandi locus, si operæ novæ nunc parcens ea, quæ de eo hactenus observavi, posterorum memoriæ transmittam, & in secunda Florilegii Parte peculiari *Fasciculo* includam.

A


Aliarum Urbis Parœciarum Antiqvitates singillatim scribere est in animo, si hasce D. Vincentii Parœciæ benevolis Patriæ saltem civibus placere cognovero, stylo tamen alio ad vernaculum propius accedente, ut omnibus etiam Latinæ linguæ ignaris facere satis, vel certe aliquo modo inservire me velle apertum sit atque perspicuum. Quamobrem cum ad decimum *Fasciculum* pervenerit hæc prima Pars *Florilegii* nostri, veluti pari numero æquata duabus jam excusis Decuriis de honoribus Ecclesiasticis,

Conticeo tandem, factoque hic fine quiesco.

B

Præpotenti Deo in sempiterna sæculorum æternitate sit laus, & gloria, sanctissimæ Virgini Matri purissimæ beatitudo perennis, ac magnificentia, atque beatissimo Levitæ & Martyri Vincentio hujusce Parœciæ tutelari Divo honor, decusque immortale.

F I N I S.



BERNARDI SACCI,

PATRITII PAPIENSIS,

HISTORIAE TICINENSIS

LIBRI X.

IN QVIBVS MVLTA SCITV DIGNA RECENSENTVR,
DE ITALIAE POPVLORVM VETVSTATE, DOMINIO,
ET MVTATIONE:

ITEM

DE PROVINCIARVM PROPRIETATE, ET ROM.
ECCLESIAE AMPLIFICATIONE, &c.

Quorum elenchum versa dabit pagina.

IN HOC OPVSCVLO HAEC PRAECIPVE REFERVNTVR.

SITVS ITALIAE, PARTES, ET PROPRIETATES.
ANTIQVIORES POPVLI EX TRANSPADANIS.
LIGVRVM VETVSTAS, ET GENTIS PRAESTANTIA.
LIBERTAS ET DOMINIVM CIVITATVM ITALICARVM.
CHRISTIANAE RELIGIONIS PRIMORDIA.
ITALIAE DEPRAEDATIONES, ET SVBJECTIONES.
REGNA ITALICA IN EXTERNIS CONSTITVTA.
LONGOBARDORVM ORIGO, ADVENTVS, ET REGNVM.
DVELLI INTRODVCTIO, ET CAVSAE OLIM ADMISSAE.
DOMINIVM ROMANAE ECCLESIAE IN ITALIA.
BONONIAE ET FERRARIAE INCREMENTA SVB ECCLESIA ROM.
REGNVM LONGOBARDORVM IN CAROLVM MAGNVM TRANSLATVM.

CLA-




TABVLA TERRITORII
TICINENSIS
LAVDENSIS
PLACENTINI,
aliorumque Mediolanensi
vicinorum.
Milano
Novarra
Vigevano
Pavia
Lodi
Crema
Cremona
Piacenza
Valenza
Alessandria
Tortona
Voghera
Val di Ticino
PARTE DEL CREMASCO
PARTE DEL PIACENTINO
M. Apennino
Po fl.
Tesino fl.
Adda fl.
Lambro fl.
Trebbia fl.
Nura fl.
Milliaria Italica, 60 in uno Gradu.
D. Stoopendaal Schulp.
P. vander Aa, exc. Lugd. Batav. cum Privil:

CLARISSIMO AC PRAESTANTISSIMO J. V. CONSULTO

D. POLICTONIO MEDIOBARBO,

REGIO DUCALIQUE SENATORI ILLUSTRISSIMI MEDIOLANENSIS CONSESSUS,

HIERONYMUS BARTOLUS

S. D.



INDUXIT nostra ætas morem, Vir celeberrime, ut liceat Impressoribus in prima uniuscujusque novi operis editione labores suos amicis, summisque viris dedicare: quem morem artis meæ jure observare cupiens, quæsivi diu, nec inveni, quod dignitati tuæ aptum foret: nunc tandem excusso à me opere Ticinensis Historiæ, cujus copiam etsi Auctor ipse Romæ olim pluribus peritis viris fecit, præcipue Reverendiss. Bernardino Cocio Cardinali Trannensi, & Antonio Massæ Galesio Romanorum Advocatorum primario, ac Marco Lauredano Veneto patritio, Episcopoque eruditissimo, minime tamen opus ipsum Typis Impressoriis subjecit, existimavi negocium istius impressionis meæ opportune tibi dedicandum fore, tum quoniam Patriæ tuæ primordia longe apertius explicata, & quasi à vetustatis consumptione eruta agnosces, tum etiam quoniam Austriæ nobilissimæ gentis originem, à materno deductam genere, repeti iis scriptis ac nobilitari antiqui Regni elogio senties: cujus quidem Austriæ gentis, nobis imperantis, cum tu, genusque tuum semper obsequens esse, ac illi inviolata fide subservire studueritis, gratum similiter tibi futurum censui præsens munusculum, in quo ipsius gentis comprobatur Imperium, Regnumque, ab antiquis Patribus divinitus prævisum. Sume igitur prompto animo, quod tibi pro artis nostræ primitiis destinatur munus, & in clientulorum tuorum cœtu me colloca, ac serva. Vale. Papiæ, Januario mense incipiente, M D LXV.

BERNARDI SACCI

DE DIVINAE RELIGIONIS

CONSTITUTIONE ET AMPLITUDINE

PRAEFATIO.



ULLA major virtus, ac honorabilior optari ab homine potest, quam mentis Religio, quæ divini boni initium, & pars præcipua est, erigens nos ad paranda nostræ infirmitatis adminicula, quibus animæ immortalitas salutem & claritatem habeat, nec in divinæ ultionis periculum hic versando incidat. Quam quidem virtutem contemplatus, minime me idoneum ad scribendum de ea pro ipsius dignitate putavi, quoniam Divina virtus altiore, quam meo, ingenio atque eloquio celebranda esset. Verti itaque animum, viresque seniles, ad leviora onera meis humeris imponenda, scribereque institui de loco, & gente, ubi primum apud nos Religionis cultus & splendor enituerit, suoque fulgore innumeros populos illustrarit, & in eandem Religionem fidemque pellexerit, clarum illum Principem imitatus, qui Dei Maximi numen perhorrescens, ipsius Dei Templum subire ac revereri dignum censuit, sic etiam canens:

Domine dilexi decorem domus tuæ,
Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Locus autem Divinæ Religionis apud nos Roma in primis fuit, & gens ipsius urbis incola, à qua in Occidente & Septentrione diffusa passim Sacrosancta Religio est, nostris olim ignota majoribus. Quod mirabili rerum ordine factum apparet, ut quæ prior civitas Imperii caput fuerat, priorque vivendi leges ediderat, ac sua amplitudine communis patria effecta erat, prior etiam lucem Divinitatis adspiceret, teneret, ac finitimis gentibus communicaret; & ipsius communicationis gratiâ communis pariter statio omnium Christianorum, quæ Ecclesia *Græce, Latine* Congregatio *est, fieret, ut tandem Orientalium Imperatorum excusso jugo facta est. Ad quod denique opus convertens, ut dixi, animum, sentio me insueto oneri subjici atque alligari, ne ab aliis scripta & vulgata aliquorum exemplo rescribam, sed ut nova omissaque depromam, & quæ vetustate quasi consenuerant, novo cultu expolire incipiam, quod an perficere queam, dubitare magis libet, quam promittere.*

Sumam autem, Deo auspice, initium ab Italiæ descriptione ac quinquipartione, referens situm, Regiones, & proprietates à natura insitas, item antiquos Populos tam Italiæ originarios, quam peregrinos, quorum initia rescire Priscorum sedulitas nequivit; addensque subinde, quibus modis ab illis antiquioribus, isti qui vigent, prodierint: quæ omnia in prioribus quinque Libris Operis mei complectar. Ad quos quidem legendos si quis accesserit, unum hoc sciat. Cum ego Gispadani, vel Transpadani agri, & populi mentionem fecero, referre prospectum oportere ad urbem Romam, Italiæ & Christiani ovilis caput, ubi hæc scribebam Julio Tertio sedente, & Paulo Carapheo subeunte, Marcello Cervino vix viso, cerva velocius illius effugiente vita. Colligam denique in posterioribus quinque Libris tempora & res præclare gestas in Italia, præcipue circa Religionis nostræ constitutionem ab Apostolorum obitu usque ad Caroli magni Francorum Regis adventum, à quo Longobardorum Regnum Franciæ adjectum ea ætate fuit; relatis ex ordine civitatum eversionibus, ac gentium multitudine ac varietate ipsam Italiam tunc affligente: quæ deinde gentes uno & altero vix exacto seculo esse desierunt, nostra semper repullulante fide ac Religione.

Quibus explicatis finis aderit, hoc ex meo labore commodo lectori oblato, quod intelliget, nullam prorsus Regnis ac principatibus subesse stabilitatem Divino adversante numine; Divinumque adversari numen plerunque illis Populis, à quibus justitia, atque Religio rejecta fuerit: & ne mihi in iis colligendis nomen arrogarem, modestiam sequens, Ticinensem Historiam, *id est, Ticinensis hominis scriptionem librum nuncupavi, Patriæ potius quam mihi laboris mei præmia impendens. Valeat quisquis hæc lectitaverit; in quibus si quid fortasse minus aptum deprehenderit, illo omisso folio gratiora excipiat, memineritque nullum tam oportunum demitti è cœlo imbrem, qui alicui imparato gradienti caput non madefaciat, atque displiceat: difficillimumque esse in opere texendo ac componendo unicuique morem gerere, ingeniorum concordia raro emergente, discatque ex ipsius naturæ operatione segeti sæpe immixta gramina invito colono ex agro sponte prodire. Romæ, anno* M D LVII.

BERNARDI SACCI,
PATRITII PAPIENSIS,
HISTORIAE TICINENSIS
LIBER I.

Cap. I.
De Italiæ situ, & diversitate.



OMNIS Italia in quinque partes hodie à natura divisa conspicitur, quarum altera plana est, interlabente Pado, partim montibus, partim Adriatico sinu circumsepta: alia pars huic finitima Montana, sive Apenninica, dici ab Apennini montis vastitate & ambagibus potest; qui ab Alpium lateribus in Ligustico tractu incipiens, & per Etruriæ & Umbriæ oram insurgens, immensisque flexibus Picenos à Septentrione, & Latinos à Meridie pertingens, bicipiti cornu porrigit sese in Apuliam, altero quidem cornu ad Mare Adriaticum in agro Sipontino, sive Manfredonico, desinente, & altero in Calabriam tendente. Tertia pars Cisapenninica appellatur, relatione habita ad urbem Romam, olim Europæ caput. In qua quidem parte, magna pars Etruriæ, Latium, Campania, & regni Neapolitani regiones, citra Apenninum sitæ, continentur, Mediterraneo mari à Meridie exteriora latera ambiente: & quibus demum in regionibus minime omnia plana sunt, sed montosa plurima fructiferis passim collibus, speciosisque vallibus conspicua. Quarta pars orientalis est inter Apennini cornua & mare posita, Apuliæ & superioris Calabriæ circuitum colligens, & Adriaticum à Septentrione attingens. Quinta & postrema pars insularis est, ut Sicilia, & cæteræ insulæ Italiæ vicinæ, quæ tametsi situ ab Italia divisæ sunt, moribus tamen, institutisque, & lingua, Italicæ perhibentur. Nunc, quæ similitudo ac dissimilitudo inter has partes vigeat, videamus.

Cap. II.
De Insulis.

INSULAE, tanquam in Meridiem atque intra pelagus porrectæ, æstibus etiam magis subesse quam Italiæ continens videntur, argumentoque est ignis in Sicilia, & in altera proxima Insula continuo à terra exhalans: attamen quoniam ipsæ insulæ ventorum flatibus circumquaque patent, nonnihil interdum aura ab aliquo latere spirante refrigerantur, qua cessante, caloribus æstate urgentur, præcipue ii, qui æqualia & humilia loca colunt. Hyeme vero omnia Insulana tepidiora sunt, & plana ipsa longe calidiora, quam in alto sita iccirco probantur, quia à ventis minus perflantur.

Cap. III.
De Cisapenninica Italiæ parte.

IN Italiæ continenti duo sunt à natura constituta discrimina, quibus singulæ partes inter se differre probantur: unum est à cæli climate, alterum à terræ, marisque situ. Cæli enim climate Cisapenninica pars à Liguriæ montibus usque ad Rhe-

B gium, Calabriæ urbem, tota fere spectat in Meridiem, & meridionali plagæ directius ac propius subjacet, quam Apenninica, & plana Italia: quod non solum orbis descriptio à peritissimis viris facta, sed ipsius Solis, umbræque dimensio probat: nam sub Meridiem æquinoctialem umbilicus sive obeliscus longitudinis novem unciarum, ad Solis radios Romæ expositus atque directus, octo tantum uncias terræ adumbrabit. In altitudine itaque novem unciarum sub æquinoctium, Sol in hac parte spaciosius terram occupat una uncia, quam in aliis duabus partibus, in quibus eadem mensura parem Solis & umbræ portionem refert,
C præcipue Venetiis, ut Plinius affirmat, libro II. *Naturalis Historiæ*, cap. LXXII. & libro VI. cap. XXXIV. de Roma & Venetiis diversa enarrans. Si ergo æqualitas, alibi deprehensa, probat inæqualitatem mensuræ in hac parte esse, ac majorem Solis quam umbræ occupationem fore, nemini dubium est, inæqualitatem ipsam à majori hujus regionis propinquitate, quam ad Meridiem habet, procedere: & cum sit propinquior, necessario etiam est caloribus subjectior. Quam quidem subjectionem multo amplius auget vicini maris Mediterranei apricitas, qua patet aditus Austro meridionali vento, vulgo *Marino* appellato, à Solis itinere, unde
D exit, irruendi in hanc regionem: ille enim pelagus transiens, natura commutata, humiditatem à mari attrahit, planisque locis Latii & Tusciæ, quocunque illabitur, caliditatem à Sole conceptam cum suscepta à mari humiditate infert, ut auctor est Hippocrates libro II. *de Diæta*, his verbis scribens: *Ubi vero pelagus transit*, &c. Qua ex re maritimi populi meridionalis oræ, plana loca incolentes, plerumque morbosi fiunt: & morbo etiam non subeunte, lividi tamen, & pallidi, aut fusco colore adspiciuntur, & ante tempus senio conficiuntur, ut in Liburno, Plombino, Orbetelloque oppidis, & Civitate vetula, Portu, Ostia, Portiano,
E Porciliano dicto, Antio, Neptuno, & similibus. Altiora autem loca, pari rectitudine ac propinquitate in Meridiem porrecta, minime eo modo, ex hujus venti incessu, morbosa fiunt, quia, ut idem docet auctor, situ ipso sicciora sunt, quam plana & campestria, cum sint elevatiora, ut est montana, maritimaque Liguria, Cajeta, Neapolis, & aliæ, quæ loci altitudine à mari eminent, pendentque situ, nec imbres, caliginemque, nec subvectam ab Austro humiditatem retinent: & ex qua demum eminentia ac declivitate contingit, ut facilius à Sole & aliis circumambientibus ventis perlustrari & purificari pos-
F sint, quam humilia & depressa oppida. Quiescentibusque etiam ventis, ac vigente æstu, sublimia loca puriorem aerem à natura sentiunt, noctiumque umbris magis refrigerantur, quam loca æqualia: & propterea fructus arboreos elegantiores etiam ac sapidiores emittunt; ut ipsa Cajeta probat: & è contrario Ostia vix paucos melones ex se præbet, quibus tamen longe præstantiores sunt Sarmonetæi. Item à mari remota loca & collibus, ab Austro tuta minus, ab ejus incessu læduntur, etiam circumeunte flatu, ut probat pars Romæ post montem Tarpejum, sive collem Capitolium, ja-

jacens, ubi Divi Marci templum, inchoatæque ædes manent; in quas commigrare Romani Pontifices, Vaticano relicto, æstu appetente solent. At earum amplitudinem in probato rei commodo nemo perficit.

Minime vero idem evenit Transtiberinæ regioni, aliisque urbis vicis, Austro expositis, ubi pauperiores habitant: pallent enim, quasi morbo vexatæ inquilinorum facies, filiique impuberes squalidi, & decolorati, in ipso ætatis flore cernuntur, Austri malitia aperte eam oram facessente: hinc Plinius *libro* II. de natura ventorum, scribit, eo flante accidere, ut animantes minus esuriant; cujus sententiæ ratio apertius patefacienda est. Flante Austro hyeme, & æquinoctiali tempore, aer humidi & calidi qualitatem sumit, ex qua in eo conflatur crassitudo: quæ quidem aeris crassitudo, per anhelitum attracta, replet plerumque corpora humido, calidoque superfluo: (nisi magna siccitas alicui à natura insit, is enim minus ab ea læditur) superfluitate igitur corpori invecta cessat cibi appetentia, ipso videlicet stomacho repletione humoris aerei præter naturæ rationem laborante: nam puritas aeris nobis apta est à natura, cujus contrarium est impuritas, vel crassities. Doctiusque nostro Plinio Græci scripsere, spirante Austro impurum aerem effici, quo per ora & nares attracto fit læsio in cerebro, ejus constitutione ad intemperiem versa. Quod non solum hominibus, sed etiam pecudibus, caprisque contingere, inquit quidam peritus vir, qui de morbo sacro librum composuit, Hippocrati adscriptum, cujus negatur esse: (alio enim modo scripsit de eo morbo Hippocrates in postrema parte libri *de flatibus*) æstate vero Auster raro die noctuque spirat, sed à meridie tantum usque ad noctem, ideoque nubes non movet, sed molestum, gravemque calorem infert. Ab eadem etiam aeris crassitudine, vel impuritate, ore vel naribus excepta, & in pulmonem demissa, fit tumor in ventre, morbique creantur, quos referre longum esset, & ab historia alienum. Nunc alterum discrimen explicare aggrediar.

CAP. IV.

De Apennino monte, & ejus objectu.

ALTERUM discrimen positum à natura in Italia, est Apennini jugum in cœlum tendens, verticeque nubes scindens, & brachiorum anfractibus plures regiones includens, excludensque, atque dispartiens, & incurva latera tum ad Aquilonem, tum ad Meridiem, tum ad Orientem diversimode locata habens, atque ex sese hinc & illinc rivos, torrentesque, ac vasta flumina fundens, gignensque, sua altitudine pluribus in locis perpetuas umbras, à quibus frigora manant, & quibus demum exceptæ nives hærent rupibus, & diuturnæ fiunt, & in aquas, glaciemque, versæ, caniculares dies exspectant, & sese efferri ad Principum convivia in spectaculum sinunt. Quo quidem discrimine fit, ut Cisapenninica, de qua scribebam, pars minus aquilonaribus ventis pateat, minusque ab eis æstate pertingatur, quam si ipsius montis cacumina non intercederent, omniaque plana essent: raro enim ii venti, quando urgente æstu leni aura spirant, in hanc partem permeant, ipso videlicet Apennino auræ lenitatem excipiente. Cum itaque meridionalis pars Italiæ Aquiloni æque non subjaceat, sicut subjacet Meridiei, multiplici causa calore torretur; cæli, ut dixi, climate ad æstum inclinante, marisque vicinitate à Meridie Austrinos turbines admittente, item Apennino Aquilonares auras sæpissime intercipiente: postremo ipso similiter Apennino, aliisque conjunctis montibus, Solis æstum, & meridionalis venti flatum, in subjectam planitiem Latii & Etruriæ retrudentibus ac

A comprimentibus. Qua idem ex re majores in ea fervores æstate excitantur, quam si apertis & æqualibus campis sine ullo montium objectu venti utrinque commearent: repercussio enim caloris tam à Solis radiis quam ab Austri tempore emissi, montium objectu facta, auget caliditatem aeris in regione, intra quam æstus compellitur: hinc gigni sulphur & alumina intra montium viscera prope mare Mediterraneum clarum est. Ignes quoque è terra emissos nostra ætate prope Neapolim omnibus constat, natura scilicet conceptum fervorem intra terræ concava diutius continere nequeunte, & igneos aliquando flatus evomente, quod in aliis montium lateribus, ad Adriaticum & Septentrionem versis, in continenti Italiæ æque non contingit.
B Fontes quoque non alia causa quam insiti caloris ratione sulphureum odorem & acetosum prope Romam ebulliunt, & pluribus in locis calore fervent. Quid memorem naturæ miracula ad Ostiæ stagnum edita, anno à partu Virgineo, millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, quo quidem anno flante mense Augusto fere continuis diebus Austro à meridie usque ad noctem, nimio æstu stagnum in circuitu maxima ex parte exaruit, limusque, ab aquis paulatim secedentibus destitutus, per viginti dies salem edidit, rore videlicet salso sub matutinam lucem in candidum salem verso, cujus vel magnam quantitatem Porcilianenses, me
C spectante, legerunt, servaruntque. Solius enim caloris vehementia, marisque vicinitas, hoc efficit.

CAP. V.

De Orientali Italiæ parte, in qua præstantes equi gignuntur.

ORIENTALIS pars Italiæ regno Neapolitano adscripta, ubi Apuliæ & superioris Calabriæ opes late patent, majore æstu ac siccitate urgetur, quam Campania & Latium, quia Orienti propinquior est, præcipue Apulia, quæ magis sinuoso litore orientem Solem æstivum & hibernum excipit, quam Calabria, & Aquiloni quoque ab A-
D driatico patet, quod ejus siccitatem interdum auget. Utraque vero mare ab Oriente, & montium rupes ab Occidente habet, qua ex re orientis Solis radii in montium altitudinem inflexi, similem caloris repercussionem edunt, sicut in Meridionali diximus. Quid, quod etiam in Apulia montium cornua, brachiave in Orientem extenta, longe majorem caloris rejectionem in ejus planitie excitant, quam in Latio, Sole videlicet in meridiem adscendente, ac matutino, æstivoque calore cum meridionali æstu per montium reverberationem conjuncto & continuato: à qua continuatione, æstuosa, sitibundaque fit Apulia, universa planitie ante finem mensis Maji pene exusta. Additurque
E aliud siccitati malum, innumerabilium muscarum infestatio, quod suis carminibus noster testatus est Virgilius, *Georgicorum* tertio:

Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo.

A qua re manasse populare proverbium constat, *Quisquis inferni pœnas subire tentat, æstatem in Apulia, hybernum circa Aquilam agat.* Flanteque æstate in ipsa regione Austro vina in vasibus mutata bonitate resident, passimque flaccescunt. In tanta tamen rerum molestia, pabuli præstantia celeberrima est, vinique, & olei, ac tritici, & amygdalarum, & aliorum fructuum copia, tum à soli fœcunditate, tum à situ Orientalis oræ maxima pro-
F venit; qui quidem oræ respectus in Orientem maxime probatur ab Hippocrate in libro *de aere & aquis.* Hujusque regionis pabulum, hac ipsa ratione, equino armento est aptissimum, tam ad pullorum proceritatem, quam ad robur constituendum, ideoque ejus provinciæ equi, optimi bellato-

tores sunt, ævoque diuturniores aliis Europæ equis. Nam septimo ineunte anno finem corporei incrementi recipiunt, ut Plinius etiam *libro* VIII. de natura equorum innuit, & quartodecimo anno labori probe sufficiunt, ac diligenter curati vigesimum annum excedunt, præcipue ii, qui albi ac maculosi sunt, vulgo à muscarum similitudine, *Muscati* appellati: albos enim, vel albicantes, nigrosque unicolores, plerique improbant, nisi pede, fronteve, aut juba, lineaque à dorso ad caudam tendente, aut alio modo diversam à reliquo corpore notam habeant: magnoque in precio rubri insigniti præter alios censentur, quos Virgilius *Spadices*, equorumque magistri *Bajos* vocant. Sed cum de equis quæritur, probatio in domito signis est præferenda: in indomito autem alia sunt potiora spectanda, quam signa, quorum conjectura sæpe fallax probatur: quæ quidem potiora sex videntur, corporis aptitudo, sive proportio, sanitas partium, edendi promptitudo, & emittendi oportunitas, cujus contrarium est facilitas, hebetes corporis vires indicans, & agilitas gradiendi, quæ corporis aptitudini antefertur, & mansuetudo in pertractando, nam nimia & insueta feritas domino, aut servo, infesta erit. Pascuntur autem equi in Apulia æstate in vallibus opacis, & montium lateribus in Septentrionem versis, & ad algida Apennini juga traducuntur; hyeme vero in planiciem descendunt, & per campestria, sive per apricos colles, sine stabulis & tecto, die noctuque vagantur, separatis inter se gregibus, quibus pulli à matribus, femellisque, longe ablegantur, ne, sexus agnitione percepta temere, in amores ruant, & libidine enervati, frustra deinde inter armenta torpeant: quæ omnia ut servari oporteat, primus inter Latinos Varro, in libris *de Re Rustica*, doctissime scripsit. Ingruente autem per hyemem procella sub ilicibus sese recipiunt, quarum copia & proceritate Orientalis ac Meridionalis plaga referta est. Est autem ilex glandifera arbor, durior quercu, & ramis extensior, patula cacumina formans, foliis semper virentibus ac duriusculis, ita ut eorum densitate ac firmitate pluvia ab arboris caudice procul arceatur, ac guttatim per foliorum ordines in circuitus margine decidat: insuetoque nonnunquam frigore, aut pruina, exustis herbis, pastores ab ilice pro pecoribus alimenta petunt, aut glandibus excussis, aut detractis frondibus, gregique substratis, tantisperque hoc alimenti genere turmas nutriunt, donec adveniente vere aer tepescat, herbasque reponat. Tegmen itaque hæc arbor & cibum glande, & frondibus, cogente procella, aut gelu, animantibus præbet, una cum aliis pluribus arboribus, atque fruticibus, quæ hyeme virent foliis, nec brumæ gelu comas amittunt, ut suber, myrtus, lentiscus, Marci Tullii versibus decorata, oleaster, & unedon, cerasus marina vulgo habita, atque in dubio à scriptoribus relicta, sit ne mas, an fœmina. Et quæ quidem arbores, fruticesque, à nostris regionibus sunt alienæ.

Quid de Calabria scribam, cujus pars sicut prior omnium Græcum genus nomenque recepit, ita etiam postrema retinet, Græcis adhuc ritibus, institutis, literisque, utens, Divina celebrando sub Divi Basilii religione & cultu, nomenque Calabriæ solam Græcitatem repræsentat. Hæc provincia aere puriore fruitur quam Apulia, pabuloque ac omnium fructuum genere feracissima est, suasque laudes in pecoribus, equitioque armento, non inferiores habet, quam Apulia, nisi quod staturæ magnitudine Apuli Calabris supereminent, sed itineri faciendo Calabri aptissimi sunt. Estque ipsa provincia minus æstuosa quam Apulia, minusque etiam, & muscarum frequentia, ac volitatione, infamis. Quamvis enim Orienti directo pateat, minus tamen flexuosum littus maris ad Orientem habet quam Apulia; & Sole insuper meridiano ad occasum declinante Calabria æstu æque non premitur, ipso videlicet Sole post meridiem montium vertices transcendente, & magnam ipsius regionis partem, superiorem nuncupatam, pomeridiano occiduoque descensu levius adurente, à quo Solis occasu percoqui homines ac infirmari, notat idem Hippocrates in eodem libro *de aere & aquis*. Hinc puto evenire, ut in Calabriæ superioris vallibus ex innocuo calore roris perfectio fiat, mannaque gignatur, quod omnibus præfertur. Ros, aeris siccitatem caliditatemque puram concipiens, facile à natura condensatur, mannaque efficitur, ac collectum servatur; purique aeris indicium in Calabriæ parte Apulis finitima Croto exhibet, aeris puritate à scriptoribus commendata, tametsi urbs ipsa mare vicinum ab Oriente habet. Ventus enim Orientalis, sive Subsolanus, (ut naturæ ratio pateat) nubifer quidem est, sicut Auster, attamen caliditate differt ab Austro, quia Subsolanus exit ab oris, ubi Soli perpetua statio esse nequit, ipso quidem Sole ex naturæ ordine accedente, recedenteque ab Orientali meta æstiva, & hyberna, & per oram meridianam continuum transitum faciente, & ideo pluviam cum frigore effundere Orientalis ventus solet, Auster vero contra, in his, de quibus scribo, regionibus.

CAP. VI.

Communia utriusque Regionis & Romæ propria.

PLURA esse tam Meridionali quam Orientali Italiæ parti communia, pluraque etiam alteri tantum, & non utrique propria, clarum est: quæ tamen propria cum communibus simul colligam. Aeris inprimis tepor sæpius quam frigus in hyeme per diem, calor in vere & autumno, humorque noctium in his regionibus ad planitiem tendentibus durat, raroque frigoris vis potest esse diuturna: quod uno carmine noster complexus est Virgilius*,

Hic ver assiduum, & alienis mensibus æstas.

Imbres hic pro nivibus sunt, lenes tardæque pruinæ vix in fine mensis Novembris terram operiunt, conspectæque defluunt. Nix si contingat, pro insueta habetur, nec omnino diu in planis moratur, stupent animantia, ea visa, agnoscuntque per pabuli operimentum, sibi ipsis in victu impedimentum à natura fieri, ideo sese invicem mirantur, mœrentque similiter, ac vagantur incerta, inquiruntque longo itinere, num ipsa terræ facies eodem operimento alibi etiam lateat. Sole deinde perlucente, aut flante Austro, nix simul ac pecorum mœror uno tempore, unoque die, plerunque solvitur, repetuntque sua pascua oves, bovesque: sed caprarum alia est ratio, nihil ipsæ nivis adventum pertimescunt, invadunt scilicet frutices, & super incurva arborum brachia saliunt atque contendunt, frondesque & lenta genimina mandunt, famemque depellunt, cæteris pecoribus tum frustra albicantem terram pedibus oreque tentantibus. Grando etiam, & tonitrua, fulguraque frequentissime hic hyeme è cœlo emissa audiuntur, quæ in aliis Italiæ partibus aliorum temporum, non ipsius hyemis, propria sunt. Denique ab autumno, usque ad æstatis ingressum, omnia in his partibus læta tibi atque suavia arrident, nisi cum flante Aquilone vis frigoris insequitur, aut atra caligo tenebras effundit, lucemque adimit: frondosæ hic arbores virent, in quibus olentes gratique flores, deinde sub frigus rubentia poma è ramis pendent, quæ te non legente sponte decidunt, puerisque pro jaculis sunt: avicularum turmæ, à montibus in hanc planiciem evolantes, cantu & volatu myrteta petunt, lu-

* Georgic. lib. II. ℣. 149.

dunt-

duntque sub frondibus, ac colludendo & cantando in laqueos incidunt, prædæque ac voluptati dominis sunt.

Confluuntque undique Romam Italici populi, suaque armenta, greges, & opes tardo gressu simul trahunt, locantque per agros. Galli quoque, Germani, Hispani, Lusitani, Britanni, Anglicive, & Belgæ, sive Flandri, Poloni, & alii externi viri Romam adeunt, & in unum populum coeunt, sedesque implent. Judæa quoque suam regionem ac Synagogam habet, angusta tum apparet Urbis amplitudo, ex populorum frequentia, strepunt passim artifices, suaque negocia exercent: dissonæ ubique voces, linguæque exaudiuntur; Græcum ille vinum, ab Hischia, aut Soma evectum, hilariter bibens, Germanice subinde alta voce canit: alter jampridem pransus Gallicum carmen edit, pulsant alii nervos, levique manu ac cantu cœtum convocant, ac plebejis hominibus pro certis incerta affirmant, stipeque exacta vendunt inania verba: omnis hic natio, & omne hominum genus, sua collegia, sua loca & conciliabula, suosque Rectores habet, & una demum Roma plures tibi uno adspectu gentesque moresque repræsentat, omnesque in ea, tanquam in patria, suis legibus & ritibus vivunt, ludunt, effundunt, inopes fiunt, ditantur, & appetunt, insaniunt in tempore nonnulli, temporeque resipiscunt: panduntur tum curiæ, & judicia, cancelli, & tribunalia aperiuntur, vigiles scriptores ad subsellia redeunt, scriptitantque Regesta. Divina & humana statis quæque diebus celebrantur, Romano Pontifice pro Throno sedente, ac Purpuratis fratribus una circumsedentibus, & Regum, ac Rerumpublicarum, Principumque Legatis ex ordine dignitateque consistentibus, unde *Consistorii* nomen manasse dicitur. Venus quoque sub hæc tempora suas vices, suaque spectacula, habet, & sine amore esse Roma nullo modo potest. Curiales itaque sese ostentant, fœminæ corporis venustate ac ornatu comptæ, quæ visæ ignotos simul ac notos alliciunt, nugisque & illecebris raptos detinent, & longa sæpe exspectatione frustrantur, aut bonis expilatos pilis quoque denudant, pluresque interdum ex stultis insanos faciunt. Et vice versa, illa quæ inter alias sese providam & cautam censet ac profitetur, prima omnium nonnunquam effluit & implicatur: & dum eludere adolescentes cogitat, ipsa prior eluditur ac deridetur.

His igitur, aliisque varietatibus referta Roma, gratam plerisque stationem tam insipientibus quam sapientibus hoc anni tempore exhibet, sive quis urbem colere, ac in foro curiaque versari, ociumque, vel negocium sequi, sive in agro, aut pascuis, vineisque opus facere maluerit. At ubi æstas advenerit, messisque triticea ab agro abducta fuerit, & terræ facies, operimento denudata, Solis radios perceperit, tum mutari pleraque ac in contrarium verti videas. Omnia jam nimio calore æstuant, aer quasi igneus fervet, aquarum rivuli languent, calentque, & insuaves fiunt, terra scissuris confracta viscera pandit, hiatque calore ac siti: nulla tum in agro jocunditas, nulla voluptatis species relicta est, ipsaque operariorum frequentia dilabitur, ardor vehementius invalescit, & urbis vicos tectaque incendit, pulvisque insequitur ab aura, aut ab Austro in orbem sublatus, longoque turbine eversus. Jamdudum tum sunt ab agris abacta pecora, & in Apennini valles transmissa: Nursini, Asculani, Peligni, Aquilani, Reatini, Sabini, Umbri, aliique, montana & transmontana colentes, in sua sese rura oppidaque recepere, Romam, Neapolimve, nulla jussione, nullaque ratione, invisuri, nisi subeunte autumno, crocoque prius è suis agellis collecto: Volsci tantum (durum hominum genus) in agris remanent, explicatisque equarum catervis trituræ seminudi ac semiusti à Sole incumbunt. Justitium in urbe publica lege litibus indicitur, silent tantisper causidici, manusque ociosi continent: Gymnasia clauduntur, nemo fere in Campofloreo, aut in Pontis quinquivio, sub meridiem apparet, subtrahunt sese omnes à meridiano æstu, simulque etiam à labore declinant, & opaca loca quæritant, cœtusque in eis ac sermocinationes celebrant, ocium tum passim quiesque probatur, à qua quidem quiete Physici notant, corpori frigiditatis lenimentum, æstate innocuum, induci, ac naturam juvari. Infestæ tum exsurgunt muscæ, apertaque invadunt atria, ac dominarum facies importunæ petunt, & flabro etiam abactæ redeunt, ac invisæ, pulsæque per angulos circumvolant. Cicada quoque, ex arbore lugubre carmen rauco stridore sonans, molestiam nobis auget, & dum illa per noctem stridula voce silet, aliud sese nobis tædium longe majus exhibet. Prodeunt in tenebris infensæ Cicindulæ, vulgo *Cicinsula* dictæ, quas ego vel *sucindulas*, à sugendo, vel à vocis *zincino* stridore *cincinulas* scribendas putarem; hæ enim insectæ vix cubili illato lumine simul adsunt, ac summisso sibilo improbo osculo nobis dormientibus insident, inflictoque fronti vulnere, humano cruore saturæ, sub lucem abeunt, latentque rursus, nocte reversuræ.

Gloriare nunc rerum tuarum magnitudine, Roma, quando tantillum animal noctes tibi tuisque Patritiis infestas facit, bellumque sine telo ciet. Monet nos naturæ auctor Deus per infirmiora ipsius naturæ discrimina, infirmitatis humanæ in ipsa honorum serie ac majestate meminisse oportere. Major insuper molestia huic tædio adjicitur, aerisque gravedinem auget, stipularum & pasculorum ambustio, quæ in agro Romano Augusto ineunte fit, ut æstivæ herbæ à Sole arefactæ incendio absumantur, locumque renascendis sub autumnum herbulis uberiorem præbeant, pascuaque pinguiora ac lætiora fiant. Æther tum simul ac terra flagrat, ignis pernicitate longe lateque vagante ac ventorum impulsu à meridie invalescente. Nimbus tum etiam fumi in altum tollitur ac spargitur, urbis sæpe tecta obumbrans, fœdoque spectaculo ac fœtore vicos fumigans. Quisquis ergo saluti studet, ac sibi suisque prospicere pro opibus potest, Roma excedere ante has molestias debet; quemadmodum plerique nobiliores, Neapoli degentes, faciunt, qui urbe relicta ad suburbanos colles, & opaca rura, aquis fluitantia, æstate divertunt. Corporis enim virtus, quæ temperie constat, satis superque lassatur æstu ac premitur. Alio itaque postea ei superadjecto incommodo in aperto discrimine ponitur.

Cap. VII.

De Agri Tusculani differentia à Romano.

INTER naturæ propria hoc etiam præcipuum est; plurimum differre locum à loco ex situs diversitate: quod non solum in regionum amplitudine, sed etiam in locorum angustia intra stadii spacium, verum esse docuit Hippocrates in libro *de aere & aquis*. Ego itaque naturæ propria inquirens, inesse Latio aeris diversitatem perspicio, atque ut Tiburtinum agrum & alios omittam, Romanis campis finitimos, aereque longe præstantiores, ab uno Tusculano tantum naturæ experimenta petam, ubi Frascata olim vicus, nunc oppidum, & elegans Cripta ferrata jacent, in quo Monasterio Græco sermone & ritu Divina celebrantur. Distant ab urbe hæc loca decem millia passuum, & à planitie Romani agri duo millia. Inter planitiem, & Criptam ferratam, Frascatamque, exstat Burgetum oppidum, hac ætate desertum, una tantum ta-

taberna, eaque infelicissima, superstite: quod quidem oppidum mille passus à Cripta ferrata distat. Situs autem utriusque ita se habet: Cripta ferrata in eminenti planitie posita Orientem spectat; Burgetum situm est in clivo, ad Occidentem verso, prope planitiem agri Romani: inter Burgetum & Criptam ferratam antiqua sylva per stadii latitudinem clivum occupat; ab ipsa sylva Burgetum versus, id est, ab Occasu, aer, & aqua est insuavis: cujus rei causa oppidum destituere omnes inquilini, assiduo morbo perciti, jam diu coacti fuerunt. E contrario autem à sylva ipsa Criptam ferratam versus, hoc est, ab Oriente, & à montis regione, aer ibi amœnus, innocuusque die ac noctu patet. Aqua etiam à fonte in medio pratorum saluberrima manat. Rationem hujus diversitatis in eodem clivo admiratus Paulus Tertius Pont. Max. in rem præsentem profectus nullo modo reperit; quam ego quoque inquiro. Burgetum sulphureum fœtorem haurit ab infami & perniciosa fovea exhalantem, quæ *Sulphurata* dicitur, & in planitie agri Romani sita, parum ab ea distat. Qui quidem fœtor, spirante occidentali vento, directo flatu in Burgeti oram infertur; sed minime ipse fœtor sylvæ locum, clivumque transcendit, quod experimento unicuique patet: nam si ab hac sylva egressus in prata Criptæ ferratæ, Monasterio propinqua, gradum feceris, orientalis plerunque aura à monte perflans obvia tibi erit, ac recreabit euntem. Quæ quidem aura, tum quod orientalis est, tum etiam quod ab innocuo monte prodit, ubi Roccapapia insidet, sana est. Si qua igitur fœtoris pars, malitiaque, in sylvam à Sulphurata irreperet, aut si qua æstivi caloris molestia à Romana planitie sursum evaderet, illa ipsa orientalis aura, ab alto validiuscule prodiens, omnem aeris impuritatem facillime deorsum pelleret, ac in Burgeti situm longe inferiorem juvante descensu omnino detruderet, malumque malo in ipsius infelicis oppidi perditionem adderet, Cripta ferrata ab aeris impuritate semper illæsa. Hæc mihi diversitatis ratio esse videtur.

Magnaque omnino, ut alia simul pateant, varietas est agri Tusculani à Romano in aere, in ventis, pluvia, nive, tempore, & fructibus. Aere primum differunt: quod si ineunte Martio in agro Romano egeris, calor aderit, si in Cripta ferrata fueris, algebis, vestemque vesti addere necesse erit. Venti etiam vim à montana Regione in Criptam ferratam descendere sereno die sæpe senties, quæ nullo modo agrum Romanum attingit: & è converso ab occidentali flatu planitiem Romani agri ambiri sæpe animadversum est, Tusculano agro ab eo intacto. Adeo etiam ventis præstituti à natura limites sunt, sicut Soli, Lunæ, marique, quos præterire nequeunt: & quemadmodum equi certo spacio, cursu peracto, viribus lassi sponte subsistunt, ita flatus aeri sua spacia emensi, juxta naturæ metas, finitis viribus hebescunt. Imbribus quoque madefieri Tusculanos colles videmus, Romano agro in pulvere permanente, & è contrario. Nives quoque in Tusculano supercilio sedem firmant urgente frigore, in agro vero Romano non ita. Ab agro Tusculano sub antelucanam horam Romam spectanti caliginosa propemodum urbis planities, ubi ædificiorum frequentia est, sæpe apparet, ipso Tusculano tunc caliginis experte. Idem etiam tibi interdum videbitur, si ab urbis collibus locisque editioribus in subjectam Romam ad Tiberis fluenta sitam oculos intenderis, quod à tectorum altitudine, & viarum angustia, planitieque, evenire puto, luto scilicet, aut humore, diu in inferioribus partibus immorante, & Sole eas partes hyeme & æquinoctiali tempore raro ac parum perlustrante, ex qua luti vel humoris mora nubeculæ caligini

A similes in noctis dieique crepusculo frequenter exsurgunt, urbisque tecta operiunt. Discere ergo unusquisque ex his potest, non à solo cœli climate, ut quidam opinantur, sed ab aliis quoque partibus aeris salubritatem constitui.

Temporibus pariter sationis, ac messis, vindemiæque uterque ager differt: prior est messis, ac vindemia facienda circa Romam, quam in Tusculano, & è contrario in jaciendis autumno seminibus, prior Tusculanus serendus est, quam Romanus, ne frigore urgente in Tusculano semina ægre è terra gelu constipata enascantur: ac in Romano agro etiam Novembri mense projecta semina inter Ro-
B mam & mare adolescunt; quia aeris calore, eo etiam mense, in maritimis oris herbæ foventur. Vitium etiam putatio, & effossio tardior in Tusculano agro est, quam in Romanis collibus, (colles enim, ubi antiqua Roma erat, in vineas plerique versi sunt) pullulat enim promptius unaquæque arbor Romæ, quam in Tusculano, ideo tempestivius etiam curanda est. In fructibus similiter magna est utriusque regionis varietas. Linum Cripta ferrata speciosum ac lene emittit, Roma vero minime: carduos olitorios Roma quam maximos fert, quibus Cripta ferrata caret. Ficus habet Roma in maxima copia, & præstantia, Tusculana & Criptæ ferra-
C tæ prædia contra: at Tusculanæ vites longe sapidiores uvas faciunt, quam Romanæ, uno, aut altero colle excepto: vinaque similiter Tusculana Romanis sunt in universo præstantiora, ac durabiliora. Meritoque omnino commendandæ Tusculanæ vineæ sunt ob situs & culturæ elegantiam, qua inter primas ac præcipuas Latii vineas celebrantur; è quibus quidem vineis Cripta ferrata palmam obtinet, ubi vinea illa speciosa enitet, regio cultu consita, omnique vitium & pomorum genere refertissima, quam admirari potius quam commendare pro ejus elegantia ac amplitudine possumus. Poma quoque & pyra autumnalia colore, sapore ac magni-
D tudine insignia Tusculana prædia copiosius emittunt, quam Romana: quæ omnia indicant aeris temperiem majorem eo loco æstate inesse, quam Romæ. Sed ne diutius Roma, agerque Tusculanus, meipsum in suis contemplandis detineat, ad Apennini juga, verticesque, gradum facio.

CAP. VIII.

De Apenninica Italiæ parte.

MAJOR montium occupatio, quam agrorum latitudo, in hac parte discernitur, atque ab Apuliæ & Calabriæ oris incipiendo, colligendoque
E Picenorum, Apprutinorum, Sabinorum, & aliorum Populorum juga usque ad Ligurum fines, Italiæ postremos, plures montium circuitus ac præcipitia, quam agrorum jugera, exstant: qui quidem montes in rupes & colles dividuntur, altiores enim ac scopulosos montes rupes appellamus, humiliores vero, culturæ aptos, colles dicimus. Rupes itaque umbris ac frigoribus aptiores sunt, quam frugibus: oriens enim Sol, occidensque, dum alterum montis latus circuit, & calefacit, alterum latus adumbratur, atque ab umbra gratum frigus herbis, fruticibusque, ac arboribus æstate percipit.
F Itaque aut mane, aut vespere, rupes semper aliqua umbrarum diuturnitate potiuntur. In meridie etiam Sole sub æstivum solstitium adscendente minime omnia montana, scopulosaque, perlustrantur, montium videlicet anfractibus ac volutionibus meridianum Solis prospectum in pluribus locis declinantibus, ac ab eo per situs diversitatem tergiversantibus. Hinc fit, ut Sole ex omni parte montium latera ambire una & eadem hora nequeunte, ac pluribus etiam in regionibus radios nusquam in Septemtrionales prospectus immittente, nives glaciesque in eis ab æstu incorruptæ inveniantur, loca-

eaque ipsa sub caniculares fervores pabulosa, aut frondosa reperiantur. Qua opacitate ab antiquo agnita, pastores Apennini incolæ, præcipue Tusci, & Umbri, atque Apprutini, annum & regiones in tempora pastionibus apta diviserunt, septem quidem mensibus, quibus in ipsis montibus frigora durant, id est, ab initio Septembris usque ad Aprilis ingressum, à patriis regionibus abscendendo & pecora sua in orientali & meridionali planitie continendo, pascendoque: item quatuor mensibus, quibus dictæ planities nimio calore æstuant, eadem pecora intra Apennini rupes & umbracula deducendo, unoque ferme mense in deducendi & reducendi itinere consumpto.

Pecora autem, quæ postremo loco à montibus in planitiem Autumno traducuntur, sunt porcorum turmæ, quas non nisi decussis in sylvis glandibus, castaneisque partim lectis, partim depastis, deducere à montanis saltibus Apprutini solent. Hæc montium ubertas, ac commoditas est, in quibus neque seri vites, neque arari terra potest: à qua quidem re hoc beneficium populis manat, quod sine stabulorum, & fœni secandi labore impendioque, ac sine palearum vel stipularum consumptione, omnia fere pecora hyeme, æstateque, in saltibus pascuntur, loco tantum commutato: fructusque lactis, casei, carnium, & pellium, lanæque simul, & equini pulli usus per temporum vicissitudines, modo iis populis, modo illis communicantur: pascunturque proprie ea ipsa, quæ servando servari nequeunt, (ut Jurisperiti scribunt) nullo enim modo ex rupibus colligi herbæ possent, situs lubricitate hominis vestigia parum apte ferente, nullaque etiam industria in Meridionali & Orientali ora servari hyeme herbæ à corruptione, atque à pruinis possent usque ad Veris initium. Aliaque etiam sequitur major utilitas, quod quibus mensibus agri à cultura vacant, ut quiescente solo vires terra recipiat, iisdem mensibus campi ipsi pastionis fructum dominis ferunt, ignibus prius, ut diximus, purgati. Terra enim (ut scias) in Orientali ac Meridionali regione alterno saltem biennio cessationem appetit. In Circumpadanis autem campis anno tantum quiescit. Quiescere enim & ociari terram à seminibus necesse est: & sicut animantia, pondere onusta atque defessa, ponderis detractione quiescunt & recreantur; ita terra ipsa amota cultura ociosa reficitur. Novalesque hinc dicti sunt agri, quia post annorum cessationem, quasi fructificandi novitate læti seminibus susceptis cultori suo arrident, faventque.

Hujusmodi ergo hominum studiis, pecorumque traductionibus, crevere in immensum istorum populorum opes, fructibus scilicet ex locis inviis sine pecuniæ erogatione perceptis, & agris, pratisque, durante frigore greges & armenta pascentibus. Colles quoque amœni & fœcundi, amplis intercedentibus vallibus, in hac parte spectantur: in quibus cultura summo studio exercetur. Olearum hic sylvæ perpetuis frondibus albicant; alibi vineæ densis ordinibus distentæ nitent. Surgunt alio loco ante viatoris oculos superba oppida, situ ipso à natura munita, quæ tibi iter facienti prope esse, cum longe absint, contemplando apparent, defessoque laborem addunt. Virorum passim robur hic in opere exercendo frequentiaque conspicitur: mitior iis in collibus aer, ac lenior, quam in montium jugis, clare deprehenditur, sole regionis declivia melius explorante, & rupium circuitu vim ventorum ab inferioribus monticulis avertente: & propterea nives esse in eis diuturnæ sicut in summis rupibus nequeunt, sed sub Aprilis ingressum liquefactæ abeunt. Læta tum ibi floribusque conspersa terræ facies sese aperit, viget cœli temperies, paulatimque jucunda æstas apparet.

Nundinæ tum passim statis diebus suo quæque
A loco ac oppido celebrantur, fiunt sub mercatus nomine populorum conventus, artes, negocia, & mercimonia in unum locum conferuntur, venduntur ista, permutantur illa, pluraque emptoris verbo fideique creduntur. Incedit palam Prætor, quem alii *Vicarium*, quidam vero *Capitaneum* vocant, tumetque juris dicendi potestate, & satellitum comitante turba tribunal adscendit, populisque jus dicit, volumine secum perlato, in quo oppidorum jura descripta leguntur. Circumstant tum populi, & judicis verba, moresque mirantur. Ille vero interdum exlex, ut terribilitatis famam quam primum acquirat, spargatque per ora vulgi, insontem hominem criminis suspectum, frequenti
B foro plecti ac torqueri jubet, ut unius infortunati supplicio sontes perterreat, & ad fugam, vel ad æris solutionem pœna commutata compellat: quod Bartholum Saxoferratæum in primis factitasse ajunt, maleque ab initio perpensis legibus, in reum similiter male animadvertisse, suisque quæstionibus mandasse judicibus, ut seipsos populis terrificos exhibeant: at Populi contra hujusmodi, aliisque interdum vexati injuriis, ferre diu inepti hominis imperium nequeunt. Primi itaque Nursini, Asculanique, jus dicentem, suæ civitatis jura temnentem, à foro & urbe, vivum ne, an mortuum, nescio, sede vacante exterminarunt. Montiregalenses inter Apprutinos noti, Commissarium impudenter
C se habentem obtruncarunt: Cantalitiis etiam superiore anno Reatinis agricolis vim inferentibus, ipsi Reatini Prætorem suum, cujus jussu arma deposuerant, (miserabile visu) è fenestra præcipitarunt. Interamnenses, Perusinique, Præfectos sæpe ejecerunt. Quid scribam præfectos? immo vero ipsos dominos ejectos, depulsosque ab oppidanis, civibusque, ob immoderatum regimen audivimus, vidimusque. Aspera & Roccifundia Sabinorum oppida id ipsum attestantur, quorum vis dominorum potestati palam obstitit.

Plura possem exempla subjicere, sed satis nota sunt horum populorum ingenia, qui aut modestia pertractandi, aut evitandi sunt; suus cuique ho-
D nos, etiam egeno habendus, suum cuique jus, sive bono, sive malo, æqua lance librandum est. Plerique enim sunt natura arguti, suspiciosique, laboribus & periculis apti, meritorum & demeritorum memores, retributoresque, atque ad audendum non minus quam ad dicendum prompti. Arx olim Italiæ, tutumque propugnaculum hæc pars montana fuit, externis populis plana loca invadentibus, ac deprædantibus. Pluraque in ea exstant Castella, jamdiu ab alienorum vi usque in hunc diem intacta servata, quæ situs natura, adeundique difficultate à periculis seposita, in summis rupium verticibus consistunt: quæque expugnari nullo modo possunt, nisi ipsorum incolentium pro-
E ditione, ac dolo, ignaviave, aut seditione: atque hæc ipsa loca delicias humano generi æstate præbent, corporaque nimio æstu laborantia innocuo algore juvant & recreant: excedereque ab iisdem locis, & Romam, Neapolimve æstate adire perniciosum plerisque, & mortiferum est, ob repentinam diversi aeris mutationem, qua natura concutitur. Itaque Autumni initium in Latium profecturis omnino exspectandum est ad ægritudinis pericula evitanda.

CAP. IX.

De Circumpadana Italiæ parte.

F PLANA nobis sese pandit Italiæ pars, nobilissima quæque continens, Terram, Aerem, Aquas, Urbes, Oppida, Populos, Opes, Greges, Armenta, Metalla, omniaque humano usui à natura apta, atque jucunda: de cujus situ ornatissime scripsit Polybius *libro* II. his verbis: *Huic lateri,*

ri, quod Alpibus terminari dicimus, &c. Parique orationis dignitate eandem complexus est Strabo, *libro* v. ita scribens: *Ante omnia de subjecta Alpibus regione dicemus. Est autem fœlix admodum campus*, &c. Indignius utroque scripsit Plinius, in ea natus, exili quodam ac confracto sermone, & ordine pauca tantum quasi per transennam attingens, ac decimo capiti undecimum anteponens, quod numero nonum est, & Istriæ descriptioni subdens multa ab ea aliena, atque remota, veluti Mantuam, Veronam, Rhætos, Adduam, & Ticinum, amnes, lacusque, è quibus ipsi amnes superfluentes prodeunt, quod sive scriptorum, vel impressorum incuria, sive ipsius Auctoris transpositione contigerit, ita esse in *libro* tertio manifeste apparet. Præclarius sane ipso Plinio posteriores de ea disseruerunt, quorum Opera in maternam linguam versa circumferri ac lectitari audio.

Ego autem eorum omissis vestigiis, alio ordine ac exemplo mea scripta instituam, hujusque partis situm, non tam triangulari formæ, quam humano corpori terræ procumbenti, brachiis super caput extentis, assimilabo: cujus pedes in Occidentem Alpesve, caput autem, & brachia in Orientem porrigantur, quæ similitudo, tametsi rerum qualitate differt, imaginem tamen similiorem in situ describendo refert, quam triangularis angulus. Atque ab Alpibus incipiendo, à perangusto angulo in Orientem verso, ubi oppidum Nebulosa imminet, planities initium sumit, quam humanis pedibus comparo, sicut etiam incolæ ipsi Pedemontani appellantur, incrementumque ipsa latitudo accipit, montibus hinc inde secedentibus; ampliaturque hæc ipsa latitudo in Ticinensi agro è regione Vicqueriæ oppidi; ibi enim ab Apennino ad Alpium radices Novariensibus proximas latior est planities, quam in superioribus oris, à qua latitudine latera hic esse hujus imaginarii corporis videbuntur. Restringitur deinde planities in Ticinensi agro ad Stratellam oppidum, ubi Apennini radices Pado appropinquant, & Alpium pariter brachia ex opposito in Mediolanensium fines magis inferuntur, comprimuntque hinc inde, quasi ad cinguli speciem, ipsius regionis latera, & quasi corporis umbilicum hoc loco effingunt. Secedunt postea utrinque montes, & latiorem situm edunt in Brixiensi agro ab uno latere, & in Rhegiensi ab altero, Mantuano agro Cremonensibus finitimo, ac Brixillo oppido intercedentibus: ampliaturque successive hæc latitudo per montium secessus in corporis figmentum, usque ad Adriatici maris sinum, ubi elegans, magnaque Venetia ab undis surgit, ac sese in altum ferens, nostro huic corpori rerum gestarum gloria, gentisque antiquitate ac dignitate caput exhibet, humerosque, & brachia in Forojulienses & Istros ab uno, & in Romandiolos, sive Flaminios, ab altero latere extendit, Adriatico mari inter brachiorum intervalla ex parte recepto. Hæc mea descriptio est ab ipsa natura, ut infra ostendam, sumpta, atque terra descripta, aerem quoque agnoscere optimum est.

CAP. X.

De ejusdem regionis aere, & proprietate.

DIVERSO cœli climate Italiam discretam esse omnes orbis descriptores probant. Liguriæ enim, & Hetruriæ partes maritimæ, Latium, Campania, & Neapolitana ora, Meridionali subsunt, Apulis & Calabris etiam in Orientem spectantibus sub eodem climate comprehensis: quarum quidem partium situs medium ferme tenent inter circulum Arcticum, & Tropicum Cancri. A qua cœli plaga, sive Zona, aliæ Italiæ partes secernuntur, & elongantur, ut Ligures inter Apenninum & Padum positi, & alii Circumpadani po-

A puli, collectis etiam Adriatici maris accolis plana colentibus: quæ quidem regiones, etsi per situs sui prospectum videntur in Meridiem versæ, utpote quia Transpadani colles in Meridiem vergant, & eorum similiter aquæ versus Meridiem descendant, proprie tamen Meridionales non sunt, sicut est Genua, Roma, & Neapolis, sed cœli, terræque ratione à Meridie manifeste distant, & cum distare à Meridie arguantur, pari etiam argumento magis appropinquare Septentrioni probantur, quam supradictæ. Nec Septentrionales propterea esse videntur, cum pari fere intervallo tanquam in medio positæ, tam à Septentrionalibus terris, quam à Meridianis distare agnoscantur. Ex qua quidem

B distantiæ proportione, utrinque habita, oritur illa mirabilis cœli aerisque clementia, quæ omnium scriptorum consensu vigere in Circumpadana Italia dicta est, ipso quidem aere à Meridiana regione caloris teporem, & à Septentrionali frigoris acumen sentiente, atque per utriusque communicationem, conjunctionemque, temperiem assumente, humilioribus locis exceptis, ubi à situs natura humiditas temperiem minuit: & quam etiam temperiem adjuvat, augetque, montium circuitio, ab omni parte præterquam ab Oriente planitiem claudens, amovensque, sive emolliens ventorum vehementiam, ne singuli juxta propriam naturam à Septentrione, Occidenteque, ac Meridie exeuntes in no-

C stros campos integris viribus irruant, ac nos ipsos, nostraque simul, nimia pernicitate lædant; repens enim aeris immutatio nulla ex causa fit potius quam ex ventorum incessu ac violentia: & qua demum aeris clementia minime æque potiuntur Piceni, & alii populi maris accolæ, montanique sub eodem climate siti, quoniam majore ventorum impetu agitari eorum regiones necesse est, tam ex maris vicinitate, ac vastitate, quam ex montium altitudine, ventorum furorem aperte recipiente.

Atque ab hac naturali temperie, quæ longe diversa à Romanæ & Neapolitanæ regionis caliditate est, diversa similiter inter nos & illos nascitur temporum & rerum proprietas & variatio. Hyems il-

D lis lenis, ac tepore immixta esse solet, qua durante pecora, perinde ac si ver inciperet, virentia pascua saltusque perquirunt, ut supra retuli; atque ea vagandi licentia efferantur, bubalique, & boves ferarum ritu insurgunt, & viros aggrediuntur. Nobis contra glaciale frigus plerunque advenit, uritque prata pruinis, densaque sæpe insequitur nix cuncta operiens; magnisque iccirco stabulis recepta armenta fœno aluntur, ac humano fere cultu curantur, eaque assuetudine benigna homini ac familiaria efficiuntur, & cornupeta bos pro monstro habetur ac cæditur. Et ex diverso æstas nobis suavis, atque opportuna laboribus, illis vero contra vehemens, atrox, omnibusque molesta

E esse solet: ex qua caloris vehementia corrumpi Romæ frumenta, vinaque exinaniri, & præter annum raro conservari patet: at nostra vina, frumentaque, non solum alterum annum, sed biennium quoque, & triennium, exspectant, & in naturali bonitate durant, Mantuano & finitimis vinis exceptis, quæ leviora habentur. Et quæ quidem conservatio, tam ab aeris temperie, quam à rerum bonitate provenit. Lina insuper apud nos, legumina, milium, panicum, aliaque trimestria grana, nobilisque oriza, eadem æstate sata atque collecta affluunt, peregrinisque ab immensa ubertate venum eunt. Apud Meridionales non æque,

F æstatis ardore ac siccitate obsistente, sed citrea illis mala, lauri, pinus, cupressi, aliæque hiberni caloris amicæ arbores in hortis virent, quæ apud nos rarissimæ habentur, vixque coalescere summa accedente cura in urbanis locis possunt; paucis tantum exceptis oris, in Solis apricitatem versis, minusque ventis obnoxiis, veluti in Benaci lacus an-

angulo, & in infima Adriatici sinus regione: nam in aliis partibus cognatum humorem caloremque minime habent ipsæ arbores ex terra, à qua juxta earum proprietatem in singula anni tempora, tam hiberna, quam æstiva alantur, ut docet Hippocrates libro IV. *de Morbis*, Romaque ipsa minus quam Cajeta harum arborum vegetationi apta probatur.

Quid ipsa humana specie variabilius? Nam plerique Meridionales, maris accolæ, colore sunt fusco, moribus severi, & graves, criticique, diserta in plerisque, & suaviloqua vox, & oratio viget; vafra ingenia, callidaque, & in omnem occasionem prona, omnia, quæ quis novit, quæque audivit, in promptu habet, ac composita voce effatur. Nostri autem ab eis diversi, aut albi, aut subrufsi, paucique fulvi visuntur, facie jucundi, sermone familiares ac simplices, nihil in verbis severitatis, nihil ambitionis habent, cute & corporis habitudine æque nitent, benefacere magis quam benedicere student, peregrinis, perinde ac notis, sociales se, & officiosos exhibent. Ipsa tibi hospitalitas, à rerum initio, nostris innata hominibus, ut Polybius antiquitatis testis, præsensque etiam consuetudo probat, satis indicant, quales sese nostrates in rerum commercio ubique locorum habeant. Interroga è converso eos, qui remotiora à nobis Italiæ loca sæpe adeunt, quam à nostris dissimiles, rarique, & immundi hospites, quam truces & inexorabiles reperiantur, ita ut inhospitales potius quam hospites suis moribus arguantur. Tametsi hæc morum diversitas ab institutis potius quam ab origine manare videtur: neminem enim natura ad actum compellit, neminemque etiam ab actu repellit, agere, & abstinere ejusdem arbitrii est. Diminuitur hæc temperies in Adriatici maris regionibus, ubi ex reciproco maris æstu fit aer infestior, ut infra aperiam.

CAP. XI.

De Venetia, & Aquilonari Vento.

EXORDIRI à Venetia in hujus partis descriptione compellor, Jurisconsultorum præcepta secutus, mandantium à dignioribus inchoandum: atque cum præcipua pars humani boni aer sit, ut naturæ interpres Hippocrates in libro *de Flatibus* clarissime docet; videamus qua aeris puritate impuritateve, tam Venetia regio, quam urbs ipsa in mari posita, perfruatur. Relatum enim supra capite tertio ex Plinii sententia à me fuit, æqualem in hac regione umbræ solisque mensuram sub æquinoctii meridiem esse, à qua æqualitate aeris temperiem gigni clarum est: regiones itaque istæ à maris turbatione remotæ aeris puritate potiuntur, ut Histria, Forojuliensis patria, Patavini campi à stagnis longinqui, & Flaminiæ pars inter Padum & Ariminum posita: quæ vero mari adjacent, minime omnes æque salubri aere potiuntur; aliæque aliis ex situs diversitate plus minusve à maritimo aere læduntur.

Sed quoniam in singulis immorari, ac propria quæque disquirere longum est, Venetiam urbem repeto, cui tria naturæ auxilia adversus maris impuritatem, ipsius naturæ auctor Deus tribuisse videtur: Aquilonis venti, *Ultramontani* vulgo appellati, vicinitatem, ac frequentationem, orientis solis prospectum, & occidui venti lenitatem: Aquilo enim à vicinis Alpium jugis descendens facili ac celeri meatu, parvaque aeris trajectione, in urbem pervolat, pellitque repente malitiam à mari exhalantem, & singulos urbis vicos ingressu explorat, nec in eis aeris malitiam diuturnam esse sinit. Illa enim ex maritimis rivulis per urbis vicos divisis surgit: ipse vero adveniens surgentem verrit, & quicquid aeris humoris elatum reperit,

A sicco flatu dissipat, sparsumque attenuat; atque eo modo urbem ab humiditate frequenter purgat, & ad aeris salubritatem retinendam parat. Hoc nobis ita evenire noster Virgilius ipsius venti natura descripta *Georgicorum* tertio eleganter innuit his versibus:

Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hyemes, atque arida differt
Nubila; tum segetes altæ, campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summæque sonorem
Dant sylvæ, longique urgent ad littora fluctus:
Ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens.

Frigidus enim, & siccus Aquilo tam in Circum-
B padanam planitiem, quam in Adriaticum illabitur, & cum sine Subsolani venti commercio perflat, serenitatem aperit, nullamque circa littora ab Alpium lateribus sita tempestatem (quam *fortunam* vocant) in mari excitat, sed in opposita littora Flaminiæ, Anconitanæque oræ, & aliorum vicinorum, fluctus impellit, turbatque omnia suo impetu, navigationem, piscationemque, & importuosam stationem in unoquoque portu ad Septentrionem spectante suo adventu parat. Idem etiam superato Apennino in Campaniæ, Latii, Hetruriæ, Liguriæque maritimis oris facit tranquillam navigationem ac piscationem, serenum tempus Italicis littoribus
C præstans, & opposita Africæ littora passim infestans, atque perturbans. Contrarium autem molitur Auster (diversa natura compositus) in eisdem Mediterranei & Adriatici maris littoribus, sed minus tamen ille caliditatis in Venetos aliosque populos fundit, ob Apennini transcensum, in quo caliditatem ex parte exuit, nivibus in ejus transitu montem operientibus, à quibus nonnihil frigiditatis attrahit, temperatque caliditatem, atque eo modo temperatiore plerunque flatu in Flaminiam & vicinas regiones descendit. Ventorum itaque vicissitudines natura cœlo, terræ, marique prospiciens in tempora statuit ad animantium commoda,
D ut hinc & illinc in suo quæque genere singula transmigrationi apta suo tempore, suoque ordine, atque opportunitate, transmigrarent, ventis opitulantibus, & prope vehentibus: rursusque temporis vicissitudine commutata, converso navigationis actu, volatuve, ipsa priora loca repeterent: ad quam quidem ventorum operationem diversa molientem in Africanis littoribus à Latii oris, allusit aptissime suo carmine idem Virgilius libro IV. *Æneidos:*

Littora littoribus contraria fluctibus undas.

CAP. XII.

E

De orientis Solis prospectu.

QUID oriens Sol Venetiæ urbi, ac universæ Circumpadanæ planitiei conferat, in quam ipse nullo interveniente objectu, æquinoctiali tempore terris apparens, radios statim immittit, singulaque perlustrat; nihil occultum in hujus terræ superficie à suo calore & lumine esse sinens, doctissime docet Hippocrates in libro *de aere & aquis*, in hæc verba scribens: *Quæ ad orientem solem sitæ sunt, salubriores iis esse constat, quæ ad Septentrionem vergunt,*
F *& iis quæ ad calidos ventos sitæ sunt, etiamsi stadium solum intersit. Primum enim moderatior est caliditas, ac frigiditas, deinde aquas, quæ ad Solis ortus sunt, omnes splendidas esse necesse est, mollesque, & odoratas, amabilesque oriri, quia emergens Sol eas illustrat, corrigitque: matutinum enim tempus ipse aer, ut plurimum, semper occupat. Item hominum formæ boni coloris sunt, & quasi adspectu floridæ, (nisi aliquis morbus subsit) claraque voce præditi sunt, & ad iram, & intelligentiam præstantiores Septentrionalibus, & fœminæ ipsæ valde fœcundæ sunt, & facile pariunt: verique simile tempus ei inest juxta caliditatis & frigiditatis moderationem,*

morbique pauciores, ac debiliores, &c. Varro quoque *de Re Rustica* libro I. à Catone dissentiens approbat Villarum situs ad æquinoctiales Solis exortus spectantes, potius quam ad meridiem. Quæ quidem omnia ad universam pene Circumpadanam planitiem montibus undique, præterquam ab Oriente, conclusam pertinere, nedum ad ipsam Venetiam urbem videntur, quæ præter cæteras urbes, & Orienti, & Meridiei in hac regione apertius patet, à terræ scilicet continuatione seposita, & inter marinos fluctus erecta. Oriens enim Sol ipsam quam primum lumine suo petit, insurgensque miratur, vicosque, & tecta ingreditur, & altius paulatim conscendens vias, rivulosque metitur, ambiens civitatis molem à meridie non minus, quam à matutina ora, plusque caloris suo ambitu in eam oram infert, etiam hiberno tempore, quam in Circumpadanas urbes: qua ex re siccitas aeris in ipsa augetur, maritimorum rivulorum humiditatem sua contrarietate temperans: & qui quidem rivuli per urbis vicos divisi, tum ob insitam aquis à natura salsedinem, incorruptibiliores sunt palustribus aquis, tum etiam ob reciprocum maris æstum, quo fluente mutantur aquæ, unda undam impellente, alteraque simul subeunte; adeo ut si qua etiam in aquis per immundiciarum projectionem colluvio excitetur, illa ipsa pariter ab eisdem refluentibus aquis abluatur, nisi ex inquilinorum ignavia, excrementa in unum congesta fluctuationem inhibeant, & aquarum incrementa, sub caniculares æstus subsidentia, vicorum rivulos minus pertingant: quo casu infestari aerem non natura, sed accidente, inquinatis aquis fœtorem emittentibus necesse est. Prudentissime iccirco Veneti specularibus fenestris utuntur, quibus lucem excipere suspecto aere excluso solent, eoque claro ac salubri elucente, illas pandunt, quas vulgari lingua *Vitreatas* appellant.

CAP. XIII.

De Occidentalis & Orientalis Venti flatu.

MIRABILI lenitate Occidentalis ventus in Gallia nimbosus, Alpes trajiciens purificatur, puraque qualitate Circumpadanos perflans in Venetos fertur, repellens nubes ab Subsolano vento contra effusas, pluviasque compescens, quæ interdum, Aquilone & Occidentali vento quiescentibus, adeo infestare Patavinorum regiones solent, ut pluviæ frequentiam pertæsus aliquis, rem in proverbium verterit, *Pluit ne adhuc Paduæ?* existimans in agro Patavino imbres à natura frequentiores fore. Sed differt annus ab anno, pluvia, ventis, annona, fructibus, salubritate, & statu, atque in pari temperie differt Patavium à Venetia urbe circa imbrium subjectionem. Rectius enim atque apertius verrit Venetiam Occiduus ventus, quam Patavium, Pado scilicet alvei sui latitudine aditum ad ipsam urbem apertius patefaciente, quam ad Patavii sedem, à maris apricitate, Padique ostio distantem. Qua ex re minus diuturna, minusque frequens fit pluvia circa Venetias, quam circa Patavium, Occiduo Subsolanum facilius arcente, & Aquilone etiam circa Venetias liberius perflante. Subsolanus etiam ex adverso nubifer in Italia ad Alpium juga, relictis nubibus, purus similiter in Galliam transvolat, Occidentaliaque nubila summovens, serenitatem ac jucunditatem parat, mutuisque vicissitudinibus Occidens Galliæ imbres, & nobis Solem reddit, & Oriens contra pluviam nobis, & serenitatem Galliæ tribuit. Retinacula itaque interdum nubium sunt Alpium cacumina Solis ibicibus pervia: nam super montium dorso, quo ab Italia in Sabaudiam, vel Allobroges, iter facimus, insident procul à nostro itinere, ad ahenei tormenti jactum, immanes & inaccessibiles rupes; ad quarum summitatem nunquam adscendere quadrupedes, minusque homines, ut ab accolis accepi, nivibusque æstate sæpe contectæ invisuntur. Nubila autem Occidentalia, & Orientalia, æstate ipsa citra, aut ultra montis juga, ubi semita frequentatur, plerunque firmantur. Vidique ego ipse Julio mense Alpes transcendens, flante Occidentali vento, nubes mihi à tergo in Gallia remanere, atque hærere Alpibus: postremo in planitiem evadens, quæ perexiguo intervallo monti insidet, ac Italiam viatori patefacit, cœli serenitatem reperi, quæ universæ Italiæ communis erat. Agnoscere ergo ex his naturæ occulta licet, quod eodem anno penuria in Gallia, & ubertas frugum in Italia fieri potest; & è contrario, juxta imbrium copiam, vel inopiam, aut in Italia, aut in Gallia ex Dei nutu contingentem. Interdum etiam in utraque provincia eodem tempore pluviæ fiunt Austro efflante.

CAP. XIV.

Quomodo Venetia Transpadanis conjungatur, & de ipsius Populi antiquitate.

SI quis meam descriptionem deridendam putaverit, quod caput Venetias finxerim, à terræ continuatione divisas, dixeritque me corpus formasse absciso capite, longeque transposito: Respondebo; Mare, ubi ipsa civitas eminet, Italicum esse; itaque quod in ejus tractu ædificatum est ab accolis, Italicum est, jureque gentium, ac ditione propinquioribus pertinet; & cum propinquiores Transpadani sint, jure gentium ipsa Venetia Transpadanis jungitur, sicut etiam ipsius Transpadani generis funiculus est. Et quamvis per terræ superficiem atque juncturam continenti non cohæreat, eidem tamen potioribus modis, nodisque, à natura editis conjuncta, atque communis est, gentis origine, lingua, ritibus, & aliis naturæ & generis indiciis. Quis enim nesciat inter Transpadanos populos, Venetos maris accolas antiquissimos fuisse, Romanoque collabente Imperio continentem deseruisse, finitimisque evocatis, præcipue Aquilejensibus, ad evitandum alienorum jugum atque sævitiam, in propinquas Insulas commigrasse, sedesque ibi suo jure locasse, prisca Venetiæ appellatione retenta ac propagata. Qua quidem in re si gentis originem, & antiquitatem in ipsa Provincia habitam, ac continuatam, spectare libet, ante Romam conditam, Venetam viguisse gentem suo jure & auspiciis, facile inveniemus: Livio aperte attestante, *libro* v. ab Urbe condita, ante Romanum Imperium Tuscos emissis coloniis Transpadana loca passim occupasse, Venetorum angulo excepto. Venetis ergo prius quam alteri genti in Transpadano agro circa sinum Adriaticum statio fuit: qua quidem statione, nuncupationeque, in alterum locum ejusdem regionis jurisque translata, eadem manent in gente antiquitatis jura ac monumenta, tamquam propagine transmissa. Nemini enim terræ summitatem contemplanti vitis palmes, terram hic subiens, alibique exsurgens à materno stipite traductus, postquam adoleverit, apparet, propaginis industriam vetustate abolente: sed diversum esse palmitem à stipite unusquisque rei ignarus, imprudensque, existimabit: at si propaginis summissionem, naturamque, resciverit, ejusdem generis esse antiquum stipitem, ac novum palmitem dixerit, agnoscetque prudens contemplator eadem esse in utroque ligno internodia, similes gemmas, frondes, pampinos, racemos, atque uvarum speciem, vel qualitatem, loco tantum in sua regione & genere mutato. Simili etiam ratione Veneti populi Italiæ antiquissimi, à Patavio & finitimis oris in Insulam sui juris tractusque delati, non novum, sed priscum genus gentis suæ propagatione repræ-

præsentant, loco tantum in suamet regione commutato; statumque præsentem suo jure ad priscam originem, potius quam ad Insulæ incolatum referre probantur: maris interpositione situm tantum, non jus eorum, possessionemque, dividente, quod juris argumento probatur: Jure enim diffinitum est, *dominum à prædio remotum per colonos suos possidere.* Si ergo jus mihi ipsi à re mea diviso possessionem servat, pari ratione in insula agenti populo per Reipublicæ administratores continentis possessio servatur. Qua quidem possessione servata maris interpositio pro nihilo putatur, Jure Civili, Naturalique, ad dominii & possessionis vim potius, quam ad loci interpositionem, spectante, & ad absentem dominum rerum dominia, durante possessione, referente. Minime ergo ridicula, sed juridica potius, mea descriptio censenda est; Venetorum origine cum continentis dominio & possessione conjuncta, & cui etiam origini ac possessioni alii postea adjecti atque supervenientes populi, tanquam accessoriæ partes, adhæsere, in unumque populum coaluere, principalis dominii substantia, ex adjectis partibus aucta, & non immutata; Jure enim diffinitum est, *accessoria principalis naturam sequi, & imitari*, non è contrario; dictaque accessoria, ex eo quod accedant alteri principaliori, digniorique, videntur; ex qua ratione, alia etiam vulgata Juris regula nascitur, *dignius ad se trahere, elicereve minus dignum:* digniores enim primi insulæ incolæ posterioribus omni jure censentur: in quam quidem dignitatem traxisse alios postea populos publico dominio constituto videntur, antiquitatis & dominationis communicatione per continuationem diversa in se tempora conjungente, & communicationis vinculo posteriora prioribus quasi alluvionis adjectione, incrementoque, in unam formam componente: & de quo quidem dominio, in Reipublicæ ordines magistratusque disposito, multa mihi scribenda superessent, quæ libenter referrem, ut illius clarissimæ Urbis instituta ritusque paterent, sed peritorum virorum censuram veritus, monentium ab ipsius Urbis patriciis luculentius quam à me peregrino homine patria jura enarrari posse, subsisto.

CAP. XV.


De Mantua.

ORDO naturæ ac rationis poscit, ut quæ prior regio ab hominibus coli & habitari cœpta sit, priorem etiam locum in historia habeat. Mantua itaque cum post Patavium citra Adduam prima condita fuerit, primum quoque locum post Patavium, aut Venetos, in mea Historia habebit. Quæ quidem civitas triplici ornamento sese suffultam inter Transpadanas urbes aperte probat, gentis origine, situ, & dominii proprietate. Origine gentis, quia ante urbis Romæ incrementa condita à Tuscis fuit, qua ex re & antiquitatem, & nobilitatem simul assumpsit. Sola enim hæc civitas ex Transpadanis oppidis, ab ea gente ædificatis, à Gallorum impetu inviolata remansit, Plinio attestante lib. III. cap. XIX. *Nat. Hist.* his verbis: *Mantua Tuscorum trans Padum sola reliqua;* innuens tacite, alia Tuscorum oppida à Gallis, Italiam ingressis sub Prisci Tarquinii regno, pulsis colonis occupata fuisse.

A Quod Livius summatim retulit *libro* V. ab Urbe condita, ita incipiens: *Tuscorum opes ante Romanum Imperium longe lateque patuere*, &c. Quo quidem in loco animadvertendum est, quod Livius de antiquissimis Italiæ oppidis, ante transitum Gallorum conditis in Transpadano agro, nullam prorsus ibi mentionem fecit, ut de Patavio, Mantua, & Ticino, sed de iis tantum scripsit, quæ tum à Gallis ædificata fuerunt, tanquam de novis ea ætate rebus, ab ipsis Gallis in Italia gestis post Romam conditam. Ante vero Romam conditam gesta, in Transpadano agro nusquam complexus est B Livius, minusque Trogus, Justinusve in historica auctoritate non magnifaciendus ob deprehensam in ejus scriptis plurium rerum varietatem. Si quis tamen à Livii omissione arguendum putaverit, Mantuam eo tempore non fuisse ædificatam, quia de Brixia & Verona scribens Livius, nihil de Mantua dixerit, in rerum antiquarum ignoratione versabitur, Livii narratione ac intentione male percepta, qui Gallorum sedes in Italia ab initio occupatas, conditasque, stricta oratione perstrinxit, & Transpadana oppida Gallicis urbibus antiquiora silentio prætermisit, tanquam ab ejus historiæ propositione, ac subjecto ordine, & tempore C aliena. Insuper Plinii sententia, quod Mantua sola ex Tuscorum oppidis trans Padum relicta fuerit, nullo modo aptari, concordarique Livianæ historiæ poterit, nisi fateamur Mantuam ante Gallorum adventum à Tuscis ædificatam, situsque opportunitate adversus eosdem Gallos defensam postea, atque retentam fuisse. Quo quidem situ nihil in Transpadana planitie probatur tutius Mincio amne, circa urbem lacum stagnumve formante, quo universæ civitatis ambitus cingitur, & ab oppugnationis aditu amovetur: tutissimaque fit statio, parva militum manu excubante: à qua re Mantua D rectissime dicta videtur, quasi *manu tuta*, manu, hoc est, gente. Idem Mincius Pado influens subvehendarum navium commodum præstat, ac piscandi simul voluptatem, & oculis & gutturi incolentium parat. Additæ quoque naturæ commodis fossæ ingentes sunt, operaria manu erectæ atque formatæ, quibus à Mantuano agro actuali lembo in Patavii valles per aquarum rivulos descenditur: rursusque eisdem in redeundo parvo labore adscenditur, pedite funem puppi annexum humeris trahente. Auget civitatis dignitatem dominii proprie- E tas, ipsi civitati jamdiu indita ac continuata: potiri enim dominio populus videtur, cum Patricii viri publico jure & nomine principatus administratione fungantur. Gonciaca enim familia, à populi Concione ab initio dicta, Patricio nomine ac jure Mantuæ præest, gens antiqua, bello & pace, domi, forisque conspicua, dominii amplitudinem etiam citra Padum Marchionali olim, nunc Ducali sceptro protendens, Cardineoque sæpius insignita atque illustrata galero, quam politiori nomine *Gonciacam*, potius quam *Gonzagam* appello, ne tam insignis civitas, unde Latinitatis lumen prodiit, sine Latinitatis ratione, clarissimam ejus familiam, vulgari F ruditate conscriptam, in mea Historia deprehendat. Atque cum inter Mantuæ terminos & Adduam incertum sit, apud probatos scriptores, quæ oppida ante Gallorum adventum sita essent, ubi nunc Cremona est, ad antiquiora transeo, mox ad Cremonæ initia suo tempore reversurus.

BERNARDI SACCI,
PATRITII PAPIENSIS,
HISTORIAE TICINENSIS
LIBER II.

CAP. I.
De Insubria, aliisque Circumpadanis partibus, & ipsarum habitatoribus.



PRIMA trans Adduam Regio Insubria est: in qua describenda posteriores scriptores ab antiquis dissentiunt. Prisci enim Insubriam appellant regionem trans Adduam, ejusque fines in superioribus oris trans Ticinum fluvium extendunt, ubi nunc exstat Novariensis ager, ut Polybius probat *libro* II. his verbis: *Consules igitur adveniente Vere copiis in Insubres ductis Acerram urbem, quæ est inter Padum & Alpes, obsedere.* Acerra enim trans Ticinum est, non longe ab ipso fluvio, opinorque Acerranum oppidum, quod Novariense est, fuisse Acerram. Livius etiam *libro* I. tertiæ *Decadis*, Polybium ad verbum in pluribus secutus, ita scribit: *Ponte perfecto, traductus Romanus exercitus in Agrum Insubrum fuit.* Agrum trans Ticinum situm in superioribus oris Insubrum fuisse affirmans. Posteriores vero scriptores, nulla temporum & gentium distinctione facta, confinia Insubrum inter Adduam & Ticinum fuisse tradiderunt, à quibus ego dissentio: sequi enim in antiquis antiquorum attestationes jure compellimur. In altero quoque errore posteriores deprehenduntur: Insubria ab Antiquis superior regio, juxta vocabuli sonum, appellata fuit, non autem inferior pars circa Ticinum amnem, Pado finitima, ubi flumina ipsa in unum coeunt. Quæ quidem inferior pars ab antiquis auctoribus, & præsertim à Livio, Lævis Liguribus adscripta fuit, *libro* V. ab Urbe condita, referens enim breviter ipse auctor Gallorum transitum in Italiam, ait: *Libuos Saluios Alpes transgressos consedisse prope Lævos Ligures (antiquam gentem) incolentes circa Ticinum amnem.* Primæva ergo Insubria fuit omnis regio à Gallis occupata in superioribus oris inter Adduam & Siccidam amnes sita; in inferiori autem ora, ab Addua usque ad Lambrum fluvium, Insubrum pariter ager fuit. A Lambro fluvio usque ad Siccidam prope Padum, Lævorum Ligurum antiqua sedes, atque possessio fuisse probatur. Nulla ibi Tuscis, Umbrisque, nulla Gallis statio patuit, quod pluribus argumentis paulo inferius clare apparebit. Atque hæc regionum gentiumque distinctio, ac nominatio, à primo Gallorum adventu usque ad Gnei Pompeji Strabonis tempora perduravit, ut suo loco referam, antiquis prius ex ordine propositis. A Siccida autem amne usque ad Duriam flumen Libui Sallii, quos memoravi, incoluere, (*Sallii* enim, & *Saluii* ab Antiquis scripti fuere) & à Duria flumine ad Alpium fauces, quas perlustravi oculis, Taurini populi, eodem Livio referente, tenuere, ut patet *libro* I. tertiæ *Decadis*, priscumque etiam gentis nomen in civitate Taurinorum Metropoli hac ætate viget. Tres itaque tantum Italici nominis populi in Transpadano agro sub Prisci Tarquinii regno, Gallis Italicam planiciem occupantibus,
B sedes suas retinuere, Lævi Ligures, Mantuani, & Veneti, inter quos Venetos, Patavini censentur, Livio attestante *libro* X. ab Urbe condita. Citra Padum vero Boji & Senones Galli, pulsis Umbris & Tuscis, à Trebia usque ad Apennini latera Tusciæ & Umbriæ finitima omnia occupavere. Ab ipsa autem Trebia usque ad Alpes Ligurum gens rerum dominio potita fuit, nec appropinquantia Gallorum arma perhorruit, stetitque suo robore, suaque confinia ab alienis gentibus ea ætate inviolata servavit, nomenque ipsi regioni suo jure dedit: Liguria enim omnis ea ora dicta fuit. Qua igitur antiquitatis dignitate hæ gentes inter Italos emineant, clarissime patet, cum
C eis exceptis reliqua Circumpadana loca Gallorum potestati, nuncupationique, concesserint, dictaque propterea tunc Gallia Cisalpina fuerit. Atque cum de Venetis & Mantuanis, quæ ad eorum antiquitatem ac dignitatem pertinent, retulerim, Ligurum similiter gentes ac dominia hoc loco colligere consequens est; præsertim cum ex Gallorum vicinitate propinquiores invasionis periculo fuerint, nec tamen eorum imperio, aut armis, quibus tot populi ea ætate cesserunt, ipsi succubuerunt.

CAP. II.
D *De Ligurum origine, & populis.*

QUAE Ligurum antiquitas fuerit, ignorata à priscis scriptoribus, gentis origo arguit, præsertim à Plinio vetustatis perquisitore. Dionysius quoque Halicarnasseus eorum vetustatem probans *libro* I. hæc de Liguribus retulit, quod longe antiquior gens ipsa fuerit populis Aboriginibus, de quibus M. Cato scripsit: addens, antea quam Italiæ nomen celebre esset, quæ prius Oenotria dicta fuit, Liguriam notam fuisse poetis, scripsisseque de ea Sophoclem in *Triptolemo*, qui, Plinii testimonio, floruit centum & quadraginta quinque annis ante Alexandrum Magnum, anno ab Urbe condita nonagesimo supra ducentesimum. Nota
E itaque priscis ac peregrinis scriptoribus suapte fama & nobilitate Liguria fuit. Sive ergo Ligures à leguminum satione, ut quidam ait, sive à linguæ vel sermonis asperitate, quasi linguæ durioris, sive à ligatis utribus, quibus invecti supernatasse aquis diluvii ad Alpium cacumina perhibentur, sive ab alia causa appellati fuerint, ipsa sane appellatio antiquissima est, nullo unquam immutata sæculo. Nunc ipsius circuitum referam.

Liguria à Meridie Mari Ligustico appellato, à Septentrione partim Pado, partim Apennini lateribus clauditur, ab Oriente partim Tuscis, quorum fines olim occupavit, partim Placentino agro, qui
F quondam Bojorum fuit, jungitur, ab occiduo in provinciam usque porrigitur: & est tripartita situ, aere, & populis: Situ, quoniam alia pars maritima, alia montana, alia clivosa ex parte, & ex parte plana est: Maritima à finibus Tuscorum Genuam usque in Meridiem vergit: à Genua autem versus Occasum littora spectant æquinoctialem Orientem, à qua flexione Genua dicta fuit,

fuit, quasi in genu curvato sita. Atque hæc pars circa littora declivia frequens est oppidis & vicis, montana horrida ferme est tota, altissimis discreta rupibus Apennini latera occupans, atque ejus juga, aut saltibus, aut silvis possidens. Tertia pars Circumpadana, vel Aquilonaris appellari potest, quoniam & Pado ab Aquilone alluitur, & suis collibus Aquilonem spectat, à Meridie juga Apennini habens: in quo hoc mirabile opus natura edidit, quod exteriora ipsius montis latera in Meridiem versa, glabra ubique sunt, & scopulosa, præcipitio quam itineri aptiora, sine vepribus, sine fruticibus, ac sine plantarum tegmine destituta: Contraria vero latera, in Padum conversa, opaca sunt, silvis ac arboribus referta: descendunt in hac parte, quasi ab Apennini utero, aprici ac distincti colles, rivulos per concavas valles in planitiem effundentes, qui demum in unum coeuntes, torrentes formant, ac citato lapsu in Padum ruunt; Padum fortasse inde dictum; quasi patentem aquarum aditum: Padus vero intumescens aquarum mole ambit Liguriæ oram, promptoque obsequio vicinis Liguribus navigationis opportunitatem offert, ferens quæcunque onera, nullo à Liguribus pro evectione exacto precio, adeo etiam elementa Ligusticæ regioni sunt propitia.

Hæc de situ diximus, & quemadmodum situ inter se Liguriæ partes differunt, ita etiam aeris temperie diversæ sunt. Maritima est calidior, & propterea, ubi sese valles pandunt, adsunt Oleta sive Oliveta, Myrtetaque semper virentia, Citrea in istis collibus: Poma maternos incurvant ramos, atque in humum deprimunt: flores bis in anno olent, odoremque in maris intima fundunt, fluctusque demulcent. Ficus quoque olitoris ora atque ingluviem implens ac tumefaciens raro domini mensam primo tempore occupat, nebulone famulo, ac Sycophanta, præcocia quæque poma furtim decerpente. Montana est gelida, hyeme rigens, æstate grata, quæ invalescente æstate, nobiliores viri ex oris maritimis discedentes, montana loca petunt, ut opacas umbras, ac montium refrigeria excipiant; rursusque abeunte æstu, ad maritima redeunt, hyememque sæpe tanquam autumnum in aeris temperie transigunt, iisque aeris ac locorum vicissitudinibus Ligures longævi fiunt; ac salubres vivunt, & qui in victu frugaliores sunt, senectutem quasi juventam sine morbo, sine tussi, sine excreatu degunt. Circumpadana pars in planitie æstuosa est, terraque ipsa sub caniculares dies finditur, & hiatus passim aperit; in collibus autem aer est temperatior, quoniam Aquilonares flatus oppida in alto posita facilius captant, ac refrigerantur, quam loca depressa. Vineæ in ipsis collibus sunt feracissimæ, albi ac rubri vini æque copiosæ, ita ut interdum utriusque anni vindemia exuberante, vasa vinaria dominorum usui sufficere nequeant: pruinaque mense Aprili plana loca urente, quod nostra ætas sæpius perpessa fuit, Ligustica vineta salva manent, frigore scilicet à ventis illato ocius ab Alpibus in planiciem descendente quam in eminentes à plano colles.

Sed jam de populis scribere opportunum est; quorum antiquissimi in maritimis sunt Genuenses, olim etiam *Genuates*, & non *Januenses*, dicti, ut quidam somniant, quorum inscitiam probati auctores Livius & Plinius detegunt: eorum autem antiquitatem indicat tabula ahenea venerandæ vetustatis, olim effossa ad radices Apennini, sive jugi, in valle Porcoberæ, vulgo *Porcifera* dictæ, anno millesimo quingentesimo septimo, quæ collocata inspicitur Genuæ, in Divi Laurentii templo, à me lecta & descripta: si quis vocabula & scriptionem spectaverit, facile agnoscet, linguæ ruditatem eo tempore adhuc in Latinis viguisse, cum tabula ipsa formata fuit, quæ continet Genuensium & aliorum populorum fines, ab arbitris discretos, anno centesimo post initium belli Punici: nominanturque in ea Langatii, Viturii, Odiates, Dectunines, Cavatunines, Mentovines, & alii. Celebres in maritimis fuere Intemelii, à quibus Intemelium, vulgo *Vintimillium*, & ab Occasu sedes habent: item Ingauni, sive Albingauni, Alpibus finitimi. Livius illam oram Alpinam putat *libro* VIII. secundi belli Punici. Savone similiter, sive Savona, civitate, ubi Sacca familia insignis est, inter Alpina oppida relata: trans Alpes etiam sedes habuerunt Ligures Salvii, sive Salii, quos celebrant Strabo & Plinius. Livius, prior utroque, Salvios populos maritimam oram incoluisse inter Savonam & Massiliam refert. Deridendique profecto sunt ii, qui omisso Savonæ nomine, ut scire aliquid videantur, Sabbatia vada scribunt; quasi vero necesse scribenti sit repetere prisca nomina, in desuetudine & oblivione posita & antiquata. Utere quæso notis nominibus, & in usum deductis, & obsoleta ac deserta desere; quæ enim antiquata sunt, perierunt, vivereque tantum illa videntur, quæ frequentantur.

Ab Oriente incoluere Ligusticam oram Apuani Etruriæ finitimi, & infesti, ut colligit Livius *libro* IX. belli Macedonici. Item Garuli, Hercates, & Apicini, fortasse à montium apicibus, in quibus pagos habuere, dicti: nam Suismontium & Balistam, præaltos montes, eos tenuisse, scribit eodem *libro* Livius, quod repetit in fragmentis quintæ *Decadis libro* V. Friniates quoque Ligures coluere Auginum montem, qui an sit is, qui *Angovius* hodie dicitur, discere potius vellem quam affirmare. Sunt & alii plures, quos prætereo, ut nostris Circumpadanis locum statuam; ex quibus memorantur Vagienni, sive Batienni, in quorum finibus Padum intumescere Plinius tradit, Eburiates, & Statielli, sive Statielienses, superiorem oram Tanaro finitimam incolentes, usque ad militarem viam; à via autem militari Padum usque circa Tanarum Marici populi coluere, à Plinio celebrati: juxta Maricos ad Orientalem plagam Iluates Ligures sedes habuere, de quibus Livius verba facit *libro* II. belli Macedonici, quæ male videtur percepisse quidam Topographus in Lombardia describenda. Sed dubium suboritur, an sit corrupta lectio Liviana, scribique *Lituates* potius conveniat, à Litubio oppido, quod hodie suum statum ac nomen retinet, L. in R. mutata; *Ritubium* viri periti, populares vero *Riturbium* vocitant: in cujus finibus tepidæ aquæ ebulliunt, variis languoribus aptæ. Illis etiam populis alia adscribuntur oppida, ut Clastidium & Cællela, quæ hodie dominii Papiensium sunt. Hæc de populis attigisse, quæ ab antiquis scriptoribus accepimus, satis est: de rebus gestis, & virtute eorum antiquiora referam.

Fide & hospitalitate Circumpadani insignes habiti sunt, eaque ratione, militaris via à Gallia, Hispania, & Anglia Romam tendens, quam vel militarem, vel Romanam, vel magistram vocant, in eorum finibus posita & frequentata conspicitur. Fide similiter maritimi enituere, peregrinos, nautas, & mercatores portu excipientes, foventesque, qua re gentium diversarum benevolentiam, amicitiamque inivere. Fide montani in socios stabiles, fortesque fuere, periculis etiam ob eam causam sponte susceptis. Primi enim Apuani, suis sociis à Tuscis violatis, arreptis armis Etruriam ingressi sunt, ejectisque colonis agrum occupaverunt inter Pisas & Romam, ipsosque Pisanos, eorum possessioni reluctantes, intra civitatis suæ muros compulerunt, obsederuntque, ut Livius passim enarrat, præcipue *libro* IV. & V. de bello Macedonico. Item cum Pisanis opem ferret Quintus Minutius Consul Romanus, sistere castra in loco, quo obviam

viam factus est Liguribus, Apuanorum urgente vi coactus est; comitiisque evocatus nusquam referre pedem, Ligurum arma pertimescens, ausus fuit. Bononia quoque suorum agrorum vastationem, & Mutina prædam & cædem fieri intra sua mœnia, à Liguribus perpessæ sunt. Placentia vero sua etiam tecta incendio conflagrari Ligustica manu sensit, desperatoque Romanorum auxilio, à suis colonis destituta fuit. Sed longe prudentius Cremona colonia agros suos impune vastari patiens, muris tuta Ligurum tela evitavit.

Nec terra solum, sed mari etiam Ligures enituere, Massiliensibus Romanorum sociis classe sæpius conculcatis, & in fugam versis. Unde non immerito Livius antiqua eorum in pugnandi discrimine spectata virtute, hæc scripsit *libro* VIII. belli Macedonici: *Is hostis, velut ad continendam in Romanis disciplinam, natus erat, nec ulla provincia magis militem ad virtutem acuebat.* Idem alibi: *Hostis levis, velox, & repentinus, qui nullum usquam tempus, nullum locum tutum esse sineret*, &c. Deficiet calamus, manusque simul, si Martium saltum memoravero, à Romanorum clade nuncupatum, solis Apuanis circumvenientibus, quid si universi Ligures in unum convenissent, unoque consilio ac Duce bella gessissent, nonne invicti in prœliis visi fuissent? Præclare igitur Strabo *libro* VII. scribit, solos Ligures in Italia diutissime Romanis obstitisse, tempora recensens, quibus eorum bella viguerunt. Ego vero Straboni hoc addo, Ligures Romano populo adhæsisse, non tam armis devictos, quam pellectos insigni Romanorum lenitate ac liberalitate, qua Romani usi sunt in Apuanos Ligures, quos in agrum Samnitum suo sumptu traduxerunt, diviseruntque in colonias, & quibus etiam dedisse centum quinquaginta millia argenti pondo Romanos ad reficiendas ædes, Livius notat, *libro* X. belli Macedonici. Hac enim tam immensa liberalitate in alios populos, in colonias deducendos, nusquam Romanos usos fuisse constat, præter quam in Ligures. Nec omnino eos fefellit fides habita Liguribus ipsis enim in agro Samnitico colonis constitutis, concidit inveterata illa Samnitum contumacia in populum Romanum, Apuanorum fide, ac vicinitate confracta. Quid memorem Genuæ refectionem, olim Romanæ Reipublicæ sumptibus procuratam, ut Ligurum gens, quæ armis subigi ægre poterat, beneficio devincta conquiesceret, Romanorumque amicitiam sua sponte susciperet? Nec ingrata illa Romanis fuit, multis in Jugurthino bello à Ligurum cohortibus præclare gestis, ex quibus quam maxime memorabilis expugnatio Castelli ad Mulucam fluvium fuit, quod desperatione fractus Marius erat deserturus: sed longe memorabilior Italica pugna fuit, in qua idem Marius contra Cimbros & Teutones dimicaturus Ligurum aciem in fronte collocavit, & Germanorum vim, antea Romanis formidolosam, Ligurum periculo atque virtute excepit, illamque gentium nubem fregit, fugavitque, ut Plutarchus in *Mario* refert.

Sed quid virorum miramur constantiam ac magnanimitatem, quando etiam in fœmineo sexu, & in Ligustica muliere virtus animi enituit. Nam in educandis & servandis in periculo filiis studium unius Liguris matris Cornelius Tacitus admiratur, libro II. *Hist.* cap. XIII. quæ in præsenti vitæ discrimine posita, nefarios militum cruciatus constanti animo pertulit, ne filium, quem occultaverat, illis proderet: rogataque ubi filius lateret, *in ventrem*, ait, *unde exierat, rediit*; perdereque se ipsam quam indicare filium improbis militibus maluit. Prodeant hoc loco in medium, suaque maledicta pandant isti, qui Ligures calumniati sunt, & fallaces appellant, ut M. Cato Porcius, cujus naturæ asperitas, ne dicatur rusticitas, non tam Porcia, quam Canina deprehensa fuit, atque impro-

A bata, quando etiam Scipionem Africanum civem optimum indigno latratu insecutus fuit: suis enim qui maledicere insueverit, multo magis alienis maledicturus erit, tandemque si alterum, cui maledicat, non habuerit, in sese, geniumque suum, maledicta vertat necesse erit. Noster quoque Virgilius, qui poetica licentia prorupit in ea verba, *vane Ligur*; mox dicacitatem suam retractans, alibi Ligurem, ut virum fortem, commendavit, illo carmine*, in quo Italiæ laudes celebravit, quasi sine Ligurum fortitudine, clara esse Italia nequierit:

Assuetumque malo Ligurem, Volscumque verutum.

Malo enim ferendo assuescere proprium est virorum, ut ipse Poeta alibi † hoc carmine docuit:

B *O socii (neque enim ignari sumus ante malorum)*
O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.

Malo quidem assuescere ignavi & imbecilles nequeunt, fortitudine ac patientia opus est, quæ animi firmitatem mobilitati contrariam probat. Si itaque Virgilius Ligurem virum fortem appellat, quem alibi vanum dixerat, nonne sibi ipsi contradictionem implicavit, & posteriore approbatione priorem opinionem, utpote erroneam, abolevit? Indigne ergo, atque adeo improbe facit, qui Ligurum genti volubilitatis notam, aut dicendo, aut scribendo impingit, arguiturque antiquorum virorum testimonio ex animi livore ac scurrilitate potius, quam veritatis studio, in maledicta ruere, cum

C nusquam apud probatos scriptores pateat, gentem ipsam à fide publica defecisse; quod si unus, aut alter aberrasse, aut casu, aut culpa, visus fuerit; publica semper causa à privatorum nota discernenda & segreganda est, non autem tota gens paucorum vitio fœdanda, ut præclare Rhodiorum Legati in Romanos elocuti feruntur Livio auctore: cujus hæc sunt verba: *Nulla nusquam gens tam modesta, tam morigerata reperta fuit, qua non aliquando improbos homines ediderit; Romaque ipsa non unum, aut alterum scelestum civem, sed nefariorum hominum catervas in unoquoque fere seculo à suis laribus emisit; nec tamen perditorum numerus bonorum cœtum iccirco fœdavit: culpa semper auctorem sequitur, & ignominia*

D *culpam, innoxius vero minime notatur.* Ergo si quis Ligur inconstantia lapsus, (ut est humana fragilitas in errando prona) & ex lapsu fallax deprehensus sit, non est propterea Liguria ex privati casu vaniloqua existimanda, publica constante fide, ac auctoritate, ut constat. Unde quæso crevere parentum nostrorum ætate Ligurum opes, honoresque, nisi ex eorum publica fide? quam populatim custodientes, res terra marique gessere historia dignas, non solum circa Italiam, sed etiam in Oriente multis subactis populis & ingenti præda in Italiam advecta: pacisque similiter temporibus, ubi quæso præclarius mercatorum fides spectata est, quam in Liguria: sed quid mercatorum negocia,

E permutationesque rerum, ac pecuniæ trajectionem, repræsentationemque, consector; quasi in his tantum popularibus actis eniteat Liguria.

Altius sese mea jam tollit oratio. Quot enim clari viri, à Liguria oriundi, ad summum Christiani orbis pontificatum evecti sunt, fidei & probitatis ergo? Quis Fliscæ gentis viros, virtutem, & amplitudinem nesciat? quis Cibuos ignotos habeat longa annorum serie, fidei præstantia pontificatu potitos? quis in Italia angulus exstat, quo Ruvereiæ familiæ fama non pervaserit, à Ruvere vel Quercu dictæ? quæ quidem arbor cum plantæ proceritate, firmitateque, & comæ amœnitate excellat, ita ipsa gens rerum gestarum præstantia, non solum Li-

F guriam obumbravit, sed urbem Romam Orbis caput, & alias Italiæ partes implevit gloria, firmavit fide, & structuris decoravit: innato scilicet Ligurum animis hoc studio, ut non solum suas regiones, sed alienas etiam ædificiorum magnificentia

* *Georgic.* II. v. 168. † *Æneid.* I. v. 202.

exor-

exornent; in qua quidem re unus nostra ætate Thomas Marinus mirabile opus exorsus fuit: ille enim Mediolani civis adscitus, cum domum non reperisset sibi ac suis satis aptam familiaribus, in urbis medio, disjectis domibus, ingentem molem erexit, Arci ac Palatio similiorem, quam domui. Sed dum insignes, antiquasque familias mente concipio, ut Spinulas, Adurnios, Frigosios, Aurias, Riarios, Cicadas, Salvios, Saulosve, & alios; illum virum silentio involvo, qui ignotas priore seculo orbis partes, Africæ à tergo sitas, primus universo extra priscos limites circumvoluto pelago adivit; primus sermone, ac fide, rerumque commercio conciliavit, primusque Christianis regnis aggregavit: & ne sibi ipsi gloriam tanti laboris & periculi arrogaret, sed Deo soli tribueret, Christophori Columbi nomine subtracto, opera tantum sua nota fecit.

Nec mihi hoc loco Genua omittenda est: Genua, inquam, olim à genu, nunc autem à virorum genere, quasi genitrix conspicui generis suorum merito appellanda, illo præcipue longævo atque insigni viro Andrea Auria ab ea genito, quem nostri seculi Reges, Imperatores, Pontificesque admirati in honore habere & consulere dignum putarunt. Tu illa civitas es, quæ CAROLI QUINTI Romani Imperatoris suffulta præsidio atque favore, per imminentes olim Italiæ procellas evadens, priscam libertatem consequuta es, alienoque à te summoto imperio, caput Liguriæ facta es, atque inter Italiæ sex principes urbes, minime tu postrema sedes. Rudem olim & effrenem gentem, novis legibus, novisque ritibus, in unum quasi corpus componens; nec tuæ solum genti, sed alienæ etiam vivendi legem tuo jure præscribens. At quæ me sententia, quæ ratio ab antiquis ad præsentia tempora traxit? lapsus sum (fateor) Ligurum studio, ad ea quæ mei instituti non sunt: corrigam itaque me me, ad antiquos Ligures scriptionem vertens.

CAP. III.

De Liguribus Ticini accolis.

CISPADANI tractus accolæ, inter Apenninum & Padum positi, primi omnium gentium, ut dixi, Ligures fuere; à quibus Pado cognomen adjectum scripsit Polybius *lib.* II. Plinio in ejus sententiam eunte, *libro* III. quod nomen Bodincum fuisse uterque tradit, id est, fluvium fundo carentem. Clarius autem Ligustica lingua *Vodinquum*, quasi *vadum iniquum* dicitur. Hi igitur antiqui populi vicinitate freti ac hominum copia, Pado è regione trajecto, infudere sese in Transpadanam oram, sedesque suas citra & ultra Ticinum amnem prope Padum posuerunt, tempore scriptoribus incognito: quod libet probare, ut excludantur à suis opinionibus illi, qui diversa prodiderunt. Primum itaque dico, quod antequam Gallis nota fieret Italia, jam ab antiquo Ticinensis ora à Lævis Liguribus habitata erat: quod clarissime refert Livius *libro* V. primæ *Decadis*: cujus hæc sunt verba: *De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus. Prisco Tarquinio Romæ regnante*, &c. Subdens inferius: *Libui considunt, post hos Saluii*: id est, post hos, quos retulit in Italiam descendisse, Gallos, Libui Saluii considunt in Italia, locum indicans Livius, in quo sedem posuerunt, per hæc verba: *Qui scilicet Saluii petiere Italiæ loca prope antiquam gentem Lævos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem*, &c. Colligendo Livii sententiam, verborum transpositione in constructionis ordinem redacta, probat Livius Gallorum transitum in Italiam diversis temporibus factum, regnante Tarquinio Prisco, qui triginta & octo annos imperavit: sed quæro, cur antiquam Gentem appellaverit Livius Lævos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem. Necesse est respondere juxta Georgii Merulæ viri periti interpretationem, positam *lib.* VI. *antiquitatis Vicecomitum*, ubi de Vercellis sic inquit: *Hieronymus in quadam Epistola Ligusticam urbem Vercellas scribit, qui nisi de Lævis Liguribus intellexit, Gente veteri atque potenti, ut Livius tradit, & à quibus conditum Ticinum fuit, non video, cur ad Ligures Vercellæ pertineant.* Superior ergo propositio, quod antiquior fuerit circa Ticinum amnem prope Padum incolatus Lævorum Ligurum, quam Gallorum adventus in Italiam, manet inconcussa, & per consequens cum à Gallis ædificatum fuerit Mediolanum, prior Mediolano, longeque antiquior, incolatus, & possessio Lævorum Ligurum fuit.

Sed videamus secundo loco quidnam significare censeatur illa appositio, *antiqua Gens*: non enim à tantæ eruditionis scriptore, temere dicta est Gens antiqua Ticini accola. Respondere oportet, quod cum Tarquinii Prisci ætate, Ligustica Gens Ticini accola antiqua habita fuerit ex historici Romani attestatione; certe illa antiquitas ad tria refertur, ad originem Gentis, ad tempus originis, & ad nobilitatem Gentis. Ad originem Gentis, quod non ab externis, sed ab Italicis parentibus, enata Gens illa fuerit, tempore videlicet, cujus initii memoria nulla exstet, antiquitate ipsius Gentis hominum scripta, memoriamque, superante, sicut de Aboriginibus Latii scripsit Cato, id est, de populis suapte vetustate ignotæ originis. Cui quidem antiquitati jure & merito à probatis auctoribus nobilitas adscribitur, ut à Virgilio nostro*:

Nos Troja antiqua (si vestras forte per aures
Trojæ nomen iit) &c.

Et alibi†:

Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,
Terra antiqua potens armis, &c.

Quibus quidem in locis uno ore Interpretes *antiquam*, & ad temporis vetustatem, & ad nobilitatem referunt: atque ita Virgilii, & aliorum scriptorum, suffragio, Livii attestatio suffulta permanet, quod & ad vetustatem Gentis, & ad nobilitatem, relata illa appositio fuerit. Videndum insuper est, num à Livio alii scriptores differant, præcipue Polybius Italicarum rerum diligens scriptor, & longe antiquior Livio. Ille enim de populis scribens, qui inter Padum & Alpes habitant prope Ticinum fluvium, sic inquit *libro* II. *Inter Padum & Alpes habitant Laji*: quos enim *Lævos* dixit Livius, Interpres Polybii *Lajos* in Latinum vertit, nominis proprietate minime percepta, atque observata, ut infra patebit: quod tamen nomen ad idem tendit. Nam exordiens Polybius à Lævorum habitatione, antiquiores eos Insubribus Italica possessione probat, juxta Livii attestationem. Strabo quoque Livio consentiens libro V. *Geographiæ* inquit: *Transpadanam oram circa Ticinum amnem tum à Liguribus, tum à Gallis habitatam*, &c. Ligurum possessione præmissa juxta temporis vetustatem, origine tamen habitationis Ligurum præ vetustate non prodita. Unde si quis curiosior scire cupit annorum numerum, quo diffinitur antiquitas, difficile scitu esse inveniet propter varietatem scriptorum; Juris enim scriptores antiquum tempus censent spacium unius seculi, quo longævi hominis vita finiri solet, id est, centum annos, vel centum viginti. Historici vero, qui Gentis, aut Regni, aut Reipublicæ, aut Principatus tempora colligunt, plures annos requirunt ad statuendam antiquitatem Gentis quam centum: ratio in promptu est, quoniam universitas Gentis antequam adolescat, atque accrescat ad populi speciem ac frequentiam, tria plerunque attingit secula, Judæaque natio quartum seculum in Ægypto peregit. Nam aut bello à finitimis moto, aut seditione, aut clade divinitus immissa populo, minuuntur cives, cum se putant civitatis formam assecuti, reciduntque rursus in plebis modicitatem, donec sequens generatio numerum virorum, ac præstantiam sup-

* *Æneid.* I. *v.* 379. † *Ibid. v.* 534.

ſuppleat. Noſtris igitur Lævis Liguribus ſive ducentorum, ſive plurium, annorum ſpacium quis tribuerit ante Priſci Tarquinii regnum, clarum eſt, quod eorum incolatus antiquior bello Punico quingentis annis fuit. Item quod Itali origine, quod plures populi, non unus populus. Item quod liberi, ac ſui juris, dominiique fuere, non autem coloni alterius gentis: quæ tria ſi ignoravit aliquis ſcriptor, ignoratio ignorantem ſequitur, veritas autem è tenebris eruitur, atque probatur: ſed tranſeamus ad alia.

CAP. IV.

De Lævorum nuncupatione, & Ticino condito.

CUR Lævi Ligures appellati Ticini accolæ fuerint, ſcire oportet, ne quis eos à Tribu Levi dictos putet: nam Lævi nuncupati fuere ad differentiam aliorum Ligurum, in Ciſpadana regione ſedes habentium: quoniam ipſi Lævi populi juxta Padum à læva manu relinquuntur, nobis ſecundo flumine navigantibus, aliis Liguribus Ciſpadani tractus ad dexteram dimiſſis. Lævique postremo dicti fuere, Ligurum mentione omiſſa, ut apud Livium *libro* III. belli Macedonici, quia diuturna eorum poſſeſſio, ſicut eoſdem ab antiquo paternæ originis ſolo, ita ab ejus originis nomine abdicavit, & in Lævorum nuncupationem tranſtulit. Hi ergo populi, occupatis citra & ultra Ticinum campis, proprium ſibi ipſis dominium ac regimen ſtatuerunt, pluribus ædificatis oppidis, à quorum pluritate Lævi generali, ſive regionali nomine dicti fuere: & inter quæ quidem oppida Ticinum fuit ipſius regionis caput, non procul à Pado conditum, ut Plinius ait, relatione habita ad antiquum Padi alveum, de quo infra dicetur: cujus quidem Ticini ædificatio ab initio magni ambitus non fuit, ut patet ex antiquo circuitu, ruinis pene deformato: quatuor enim ſpectantur priſcæ circuitionis latera, quorum primus angulus Orientem ſpectans, & etiam in Septentrionem vergens, ſitum habuit juxta ædes ſancti Olderici, quæ conjunctæ ſunt Collegio Mariliano. Alterius lateris angulus ab Occidente erat prope Monaſterium ſancti Fœlicis. Inter utrumque angulum porta exſtabat juxta turrim rotundi ambitus, Boetii nuncupata, ab ejus viri carcere: cujus portæ fragmenta ſuperioribus annis disjecta fuere, ut platea longior fieret ad exercendum equitum ſpectacula, ubi antiqui muri adhuc monumenta cernuntur. Alius angulus Occidentalis, flectens etiam proſpectum in Meridiem, erat ſuper clivo Monaſterii ſanctæ Agathæ, ſitu quidem inexpugnabili: inter quem angulum & ſuperiorem remanſit in ſua priſca ruditate porta Occidentalis, Marica appellata, de qua alibi dicam. Quartus angulus Meridionalis, Orientaliſve, exſtabat non longe à templo Divi Alexandri, inter quos duos angulos à Ticino fluvio diſtantes ad lapidis jactum, plura ſuperſunt vetuſtatis monumenta, tam circa Divi Theodori ædes, quam etiam circa domum publicam, Salariam dictam, à ſalis repoſitione.

Ab hujuſmodi angulo Divi Alexandri ad ſuperiorem angulum ſancti Olderici, duæ intercedebant portæ, quarum altera Quinquivia appellatur, cujus ſitus ex parte ſupereſt in Orientem, ſpectans juxta Monaſterium ſancti Chriſtophori, non longe à vico Quinquivio, à quinque viarum concurſu, ſive conjunctione, nuncupato. Altera porta eſt paulo inferius, marmorea mole conſtructa, olim Portoria, id eſt, porta Orientalis dicta: extra quam portam divi Laurentii templum ſitum eſt, (templa enim tanquam magis nota memoro) intra oppidi ambitum, duo ſummæ vetuſtatis monumenta in tanta temporum ac rerum evolutione cernuntur, cloacarum ordo, mirabiliſque ſtructura, ſub terris abdita, quibus civitatis excrementa

A excipiuntur; & aqua pluvia vicatim ingrediente, ad Ticini amnis fluenta depelluntur, ipſis cloacis paſſim ſine humano labore emundatis: pluvialis enim aquæ impetus, atque decurſus pro emundatore habetur, cloacarum ſitu in Ticinum fluvium prono atque pendente, & quod mihi mirabilius in eis videri ſolet, eſt ipſa laterum magnitudo, (univerſæ enim ex lateritio opere conſtant) quæ longitudinis eſt fere duorum cubitorum, latitudinis unius cubiti, altitudinis quatuor digitorum. Alterum nobilius monumentum eſt, turrium altitudo ad ſolam nobilitatis oſtentationem ædificata, Romanorum exemplo, qui in agris quiſque ſuis turres erexerunt, ut ſui juris poſſeſſioniſque in omne

B ævum atteſtationem facerent. Magna autem turrium frequentia in antiquo civitatis ambitu ab Orientali tantum latere comperta, indicat, non eodem, ſed diverſo tempore oppidi partes ædificatas fuiſſe, & Orientalem partem, Occidentali longe antiquiorem eſſe; cujus rei inquiſitionem hoc loco omitto, vertoque animum ad declarandum, cur Plinius ſcripſerit, Ticinum non procul à Pado conditum fuiſſe.

CAP. V.

De Pado, & Ticino fluminibus.

C TICINUS amnis è lacu Verbano effluens, per Inſubrum & Lævorum agros in Padum olim totus confluebat, ſine ulla aquarum diminutione, ac diverſione: de qua quidem diverſione, à Principibus poſtea facta, alio loco dicendum erit. Cum itaque in unum flueret Ticinus amnis, Pado conjungebatur non procul ab ipſo oppido, ubi nunc exſtat veteris alvei forma, *Rupta* populari lingua appellata, quam parva inundatione tumeſcens Padus, hac quoque ætate, ſuo jure repetit, turbatque undis: quæ quidem forma antiqui alvei ipſius Padi diſtat à civitate quatuor ſtadia, à Ticino flu-

D vio incipiens, tendenſque verſus Summium vicum: (dividitur enim Ticinus amnis ex parte alluens Ticinum urbem, & ex altera parte ſecedens ab urbe per quattuor ſtadia, ubi Padi erat cum Ticino antiqua copula: cujus rei ignari nonnulli mirantur illa Plinii verba, *Ticinum conditum non procul à Pado:* ad quorum admirationem tollendam, referre utriuſque fluminis diverſitatem, conjunctionemque, ac ſeceſſum inſtitui) Ticinus in primis clariſſimus fluvius raro ex noſtris imbribus tumeſcit, ſed aut liquefacta ab æſtu nive, aut aſſidua Alpibus ingruente pluvia augetur aquis, auctuſque minime cito detumeſcit Padi exemplo, ſed viginti & amplius dies tumidus vagatur, re-

E plet valles undis, valliumque lacunas, prata & paſcua ineunte æſtate gelidis aquis invadit, uritque herbas virore abſterſo, ac diuturna mora arva emacerat, arida arenula ſparſim in receſſu ſuo non dono, ſed damno, demiſſa. Padus è contrario ſingula excipiens, hinc atque illinc flumina, torrenteſque, ſive ab Apennini jugo quiſquis humor defluat, ſive ab Alpium cacumine undæ decidant, ſtatim turbatur, aſſurgitque elatus aquis, atque in vicinos agros præceps fertur, ſuoque murmure ac impetu, omnibus naufragium minatur: fugiunt jumenta illo inſequente, ſtrident nautæ un-

F da puppim vertente; agri, villæque merguntur. Ille autem ſuo more ſpumans ac fremens, tecta, templaque vicina fluctibus impune petit, atque undarum impulſu, interdum ab imo ſubruit, ac præcipitantia vorat, ſimulque dominos, domumque, & collabentia tabulata immani aquarum vortice quaſi hiatu excipit, cunctaque ingurgitat, ac ſubvehit, nunquam noſtro apparitura ſeculo. In tanto tamen rerum motu, gentiumque diſcrimine, ac pavore, unius diei effulgente luce, ac unius noctis ſpatio efflante Occidentali vento, quem noſtri accolæ *Alpinum* vocant, concidit repente ille, ſuoſque flu-



1. Eccl. S. Andreæ.
2. Eccl. S. Augustini.
3. Salla magn. Ludor. Ducal.
4. Eccl. S. Claræ.
5. Eccl. S. Francisci.
6. Eccl. S. Sebastiani major.
7. Colleg. Castilianor.
8. Hospitale Incurabilium.
9. Hospitale familiæ Decanibus.
10. Eccl. S. Epiphanii.
11. Eccl. S. Martini.
12. Eccl. S. Mar. de Caciys.
13. Palat. & Colleg. Pontific.
14. Platea Nigrorum.
15. Eccl. S. Guniforti.
16. Eccl. S. Romani.
17. Eccl. S. Mar. in Canepanova.
18. Monast. Nov. Monial.
19. Eccl. S. Eusebii.
20. Hospitale magn. S. Matthæi.
21. Gymnasium.
22. Eccl. S. Martini.
23. Eccl. S. Pantaleonis.
24. Colleg. Marianorum.
25. Eccl. S. Zeni.
26. Eccl. & Mon. Annuntiat.
27. Eccl. S. Mar. Consalonis.
28. Turris Boettii dirut. A°. 1586.
29. Eccl. S. Rochi.
30. Eccl. S. Mariæ Carmelitar.
31. Eccl. S. Joh. donar.
32. Monaster. S. Benedicti.
33. Colleg. Griforum.
34. Eccl. Spir. Sancti.
35. Eccl. S. Gervasii.
36. Eccl. Sanariæ omn. Sanctor.
37. Monaster. S. Mar. Magdal.
38. Monaster. S. Gregorii.
39. Eccl. SS.ma Trinitatis.
40. Eccl. S. Georgii in Monte.
41. Monaster. Monial. Pusterle.
42. Statua Regis Solis.
43. Eccl. S. Josephi.
44. Eccl. S. Marini.
45. Eccl. S. Mar. Peroni.
46. Eccl. S. Andreæ.
47. Eccl. S.S. Philippi & Jacobi.
48. Monaster. Dalmatii.
49. Monaster. S. Mustiole.
50. Monaster. S. X̄sori.
51. Orator. B. M. V. in Mont. S. Clar.
52. Eccl. S. Blasii.
53. Monaster. S. Claræ
54. Monaster. S. Franchæ.
55. Eccl. S.æ Trinit. S. Luc.
56. Eccl. & Hospit. S.S. Trinit.
57. Hospitale Eypexsitorum.
58. Monaster. S. Cather. de Senis.
59. Eccl. S. Anth. de Padua.
60. Eccl. S. Marci.
61. Eccl. S. Mar. de Curte Cremona.
62. Eccl. S. Simonis.
63. Eccl. S. Mar. de mille virtut.
64. Eccl. S. Michaelis majoris.
65. Eccl. S. Mar. Magdal.
66. Eccl. S. Bartholomæi de Ponte.
67. Eccl. S. Mariæ Capella.
68. Eccl. S. Theodori.
69. Monaster. S. Agathæ.

P. vander Aa, Exc: Lugd: Batav. cum Privil:

fluctus raptim colligit, ac evulsas passim arbores dimittit, atque intra riparum anfractus biduo desiliens, quasi alienus ab hesterno ambitu ac furore profluit, neque in recessu hospitam tellurem sine suæ moræ indicio relinquit, omnia quippe udo pinguique limo alluens quasi visco illinit; quo quidem humore ditantur pascua, herbis feracius inde prosilientibus, sicut ex adverso à Ticini aquis exuruntur prata, atque exiles herbæ prodeunt, gelida aquarum vi terram inficiente.

Alio quoque insigni discrimine hæc flumina inter se differunt, quod Ticinus nulla fere aliarum aquarum ope adjutus, suapte tantum violentia agitur, nec repente, sed paulatim, terra alluvione congesta alvei sedem mutat: Padus contra sæpe totus ab alveo prosiliens, alium sibi extemplo alveum sine fossoribus eruit. Ea enim hujus fluminis natura est, ut si ab Apennino tantum aquarum copia irruat, fluctus in adversam ripam torqueat, si vero ab Alpium latere tantum aquarum impetus fiat, in alteram ripam impellat undas, agrique sine modo, sine mensore, sine precio dominis, ubivis impetierit, adimuntur: quod si ab utroque latere concurrant sub idem tempus aquæ, effertur ab alveo vis fluminis, quo minus cogitas, infestior ruitura, ventisque interdum agitur, non minus quam undis. Mutare itaque sedes suas Pado, aliaque vada quærere ac retinere promptius est, quam Ticino. Quæ quidem promptitudo, atque facultas, minime illi perpetua est: hæc enim potentia inest ei ab ostio Tanari, ubi elegans Bassinania eminet, usque ad Mantuani agri limitem, ubi Burgifortium jacet, à vulgo *Burgiforte* dictum, distans à Bassinania centum millia passuum. In qua demum regione desinit Padus ripis infestus esse, leniorque manat, quam in superioribus oris, aggeribus utrinque vallatus; quibus tamen nonnunquam effractis, omnia in agris, villisque rapit: sed cessante inundatione illæso riparum limite elabitur, ac in Ferrariensem agrum bicipiti cornu invehitur. Cur autem à Burgifortio infra ripis, aggeribusque, facilius quam in superioribus oris coerceatur, cum major aquarum moles inferius colligatur, quam superius, duplex subest causa: Prima est montium ac collium longinquitas, è quibus dilabuntur amnes, torrentesque Padum efficientes: qua longinquitate ac distantia interveniente, minus præcipiti lapsu undæ defluunt: Altera est agri planicies longe æquabilior in inferioribus, quam superioribus oris, cui fit similis fundus alvei; in qua quidem planitie lenius manant à natura aquæ, quam in pendenti & clivoso solo.

Hac igitur fluminum potentia ac dissimilitudine prope Ticinum oppidum coeunte, Padoque suapte natura sæpius intumescente, eveniebat, ut quamvis Ticinus sine alieno aquarum auctu deflueret, Padi tamen tumore & undis sursum versus repelli videretur, ejus fluctibus à Pado redundantibus, sive retrocedentibus: ex qua quidem redundatione Ticinus intumescens per aquarum effusionem universam oram alluebat, quæ ex adverso oppidi ad Meridiem sita est, ab ipsius amnis effusione, vallis Ticini appellata; multo etiam latius inundatio invalescebat Ticino ipso simul sua vi intumescente. Obnoxia itaque tum Padi, tum Ticini aquis, ob nimiam vicinitatem fluminum, omni fere tempore ea regio erat, solisque navigiis ac piscationibus patebat. Jungi propterea ponte Ticini ripæ prope oppidum nullo modo poterant, fluminis divisione, & ambitu tripartito regionem interluente, ac lacunis stagnisque, ab ipso amne inundante factis, passim intercedentibus; quæ quidem aquarum spacia, sicut à Meridie Ticino oppido magno tum munimento erant, appropinquareque exercitum ab ea ora vetabant, ita ex adverso magnum etiam incommodum incolis afferebant, cum omnia hinc inde essent navium remigatione longo tractu trajicienda. Recedere exinde posterorum ætate à prisco alveo Padus cœpit, subjectam Apennino planitiem alluens, atque ad tria passuum millia à Ticino secedens: cujus secessu, ac longinquitate, Ticinus fluvius, qui antea prope urbem Pado conjungebatur, procul ab ipsa urbe conjunctionem transtulit, simulque destitit oram urbi proximam, quibus assueverat, aquarum effusionibus infestare. Subsidere itaque ea causa aquæ, purgarique lacunæ, & vallis Ticini pascuis, pratisque lætissimis, virere cœperunt, fluereque postea Ticinus eo loco bipartito alveo satis habuit, ut etiam hodie fluit Insula inter utrumque alveum interposita, ubi suburbanus vicus ædificatus est. Altera quoque regio omnium feracissima trans Ticinum amnem eodem Padi abscessu nostris Ticinensibus per alluvionem accessit, *Sicomaria* appellata, ea ratione, quod, sicut maria, olim aquarum latitudo ibi pateret. Iis igitur urbis Ticini patefactis initiis, inquirendum est, quo tempore fuerit ipsa urbs à Liguribus condita.

CAP. VI.

De tempore ædificationis Ticini.

TICINUM à Lævis Liguribus ædificatum fuisse M. Cato tradidit: cujus scripta non habentur, sed à variis scriptoribus membratim referuntur, præcipue à Plinio *libro* III. de Transpadana Italia, ubi de Catone, & Ticino mentio fit. Tempus autem ipsius ædificationis non exprimitur: attamen ante bellum Punicum conditum Ticinum plura argumenta probant, & in primis Varro *libro* II. de *Re Rustica* scribens, *Publium Ticinium Menam ex Sicilia Romam tonsores primum adduxisse, anno post Urbem conditam quadringentesimo quinquagesimo quarto*: cujus Varronis verba Plinius retulit *libro* VIII. Ego hoc loco Ticinii cognomen à Ticino oppido fluxisse puto, sive ille Publius Ticini ortus, sive inde oriundus fuerit. Si itaque cognomina virorum inde fluxerunt anno quadringentesimo quinquagesimo quarto ab Urbe condita, ergo Ticinum antea conditum erat. Si quis tamen à Ticio potius quam à Ticino Ticinium deductum putaverit, ut est humana mens contentionis avida, respondebo, à Ticio diminutive Ticilium & Ticilinum derivari, à Ticino vero Ticinium, sicut à Rhodo Rhodium, à Corintho Corinthium, & ab Ægypto Ægyptium; Varroque ille Latinitatis fons maluit Ticinium dicere virum oriundum à Ticino oppido, ipsius Latinæ linguæ concinnitatem secutus, quam Ticinensem: cujus auctoritatem secutus Donatus Actialeolus, vir peritus, in *Caroli Magni Vita* describenda, agrum Ticinium dicere quam Ticinensem maluit. At uno argumento in hac re inniti, & tanquam sublata anchora uno remige in altum evehi, ex patriæ meæ dignitate minime esse puto, quare alia suggeram ad ostendendum Ticinum conditum fuisse ante Prisci Tarquinii regnum.

Primum enim constat Lævos Ligures antiquos Ticini accolas fuisse ante adventum Gallorum, ut supra retuli tertio *Capite*. Item constat eosdem Lævos Ligures Italos fuisse, natione, lingua, moribus, ritu, & disciplina diversos ab ipsis Gallis, tum populatim in Italiam irruentibus, à quibus ejecti ab Insubria Tusci fuere. Si ergo diversi à Gallis Lævi, item si vicini fuerunt, quonam modo se, suaque, tueri sine munito oppido potuerunt à tam populosæ, validæque, ac vicinæ nationis impetu atque concursu; cui neque Tusci, Romanique simul, neque Græciæ atque Asiæ populi resistere aliquando armis valuerunt? Nam si longinquæ atque abditæ gentes vi subactæ Gallis cessere, multo sane magis ipsa Lævorum regio eorum armis cessisset, cum sit vicinior, nisi oppidis simul, ac virorum robore, eo tempore firmata fuisset. Nec mea argumenta quis dejiciet respondendo, Lævos populos Gallis fortasse amicos, fœderatosque fuisse, quia replicatur, de fœdere nusquam con-

constare, liquere vero claris experimentis diversarum gentium amicitiam diuturnam esse omnino non posse.

Sed ut pertinaciam, quæ propria imperitorum est, tandem retundamus, fingamus amicitiam intercessisse. Ego rursus ab amicitiæ capite argumentationem retorqueo. Si amici & fœderati fuerunt, quanam ratione inire amicitiam fœdusque sancire cum Gallis Lævi potuerunt sine urbe, aut oppido, gentis capite, ubi populares conventus fierent, statuerentque quid è re communi esse discernerent? sive igitur amicitia, sive inimicitia fuerint, oppidum habuisse Lævos eo tempore necesse est dicere: ex cujus quidem oppidi situ atque opportunitate digni amicitia, vel inimicitia, fuerint, aliter expugnati potius, Tuscorum exemplo, à Gallis quam amici adsciti fuissent. Bicipiti ergo ratione firmata conclusio est, oppidum omnino suæ regionis caput Lævos habuisse ante Gallorum transitum in Italiam, quod si oppidum habuerunt, necesse est pariter fateri illud ipsum fuisse, de quo mentio à scriptoribus facta fuerit, potius quam aliud, de quo scriptum non sit. Porro igitur cum à plerisque antiquis scriptoribus referatur ipsum Ticinum à Lævis conditum, ergo ab initio incolatus eorum conditum fuit. Et magnum profecto est antiquitatis ejus argumentum, quod Livius de Gallorum rebus, ac Insubria occupata, scribens *lib.* v. nullum de eo oppido verbum fecerit, sicut fecit de Mediolano, Brixia, & Verona, tum à Gallis ædificatis, tanquam de novis ea ætate rebus, quia cum Ticinensis ora, Pado vicina atque conjuncta, ab Italica gente jam diu habitata esset, nullamque scriptoribus novitatem ex possessorum mutatione attulisset, nihil etiam de ea disserendum ab Historico circa illud tempus fuit, sicut fuit de aliis scribendum; quibus rei novitas contigerat. Parique ratione idem Livius neque de Patavio, neque de Mantua, Mutinaque, eo loco verba fecit, quæ tamen jamdiu conditæ erant. Et quamvis Livius nominatim eo loco de Ticino oppido mentionem non fecerit, breviter tamen dixit, Lævos Ligures, antiquam gentem, Ticini accolas fuisse: ex quibus quidem verbis major nobis significatio ingeritur, quam si Ticinenses dixisset, quia si nominatim Ticinenses scripsisset, cives tantum ipsius oppidi demonstrasset, & ad unius oppidi limites, Lævos perstrinxisset: sed cum scripserit Lævos Ligures, universos regionis incolas, à Pado usque ad Insubriam collegit, sub qua universitate Ticinum oppidum, ac Læumellinus ager, aliaque, comprehenduntur, quæ juris Lævorum erant, & qua quidem universitate expressa partis adjectio nusquam fuit necessaria: quod non solum dialectica ratione, sed etiam ipsius Livii stylo docemur. Ille enim gentes enumerans, per quas ab Hispania ad Insubres Annibal iter fecit, omissis civitatum nominibus, provinciales pro ipsa provincia, & in ea contentis scripsit, ut Illergetes, Bargusios, Ausetanos, Aquitanos, Allobroges, Tricastinos, Vocuntios, Tricorios, Taurinosque, inter quos expugnatam à Pœnis civitatem memorat gentis caput, cujus nomen omittit. Nimis quidem ille vir Romanis rebus illustrandis addictus, & ab aliis populis alienus fuit, ideo strictim aliena attigit, quæ non erant rei gestæ ratione cum Romanis conjunctæ, ut ipsemet profitetur *libro* III. belli Macedonici iis verbis: *Non operæ est prosequi, ut quæque acta sunt in his locis*, &c. Et paulo post *lib.* v. ait: *Abstulerunt me velut de spacio Græciæ res immixtæ Romanis, non quia eas operæ precium esset perscribere*, &c. Nulla itaque mihi insuper aggreganda argumenta puto, cum non ex oppidi antiqua structura, sed à virorum virtute quærenda præstantia sit, ut infra referam.

A

CAP. VII.

Cur in Romanorum fuga à Ticino, de oppido mentio nulla fiat.

RESPONDERE me oportet iis, qui ut videantur scire antiqua, arguunt, opinione, non ratione, imbuti, atque inquirunt, cur de Ticino oppido mentio nusquam fiat in fuga P. Cornelii Scipionis, qui Ticino, Padoque, eadem (ut ajunt) nocte trajecto, ad Trebiam perrexit, hincque suo arbitratu, historia non inspecta, sumunt conjecturam Ticinum nondum fuisse conditum: quoniam, ut ajunt, aut uni, aut alteri Duci, atque exercitui

B

situs sui opportunitate commodo usuique fuisset; quæ quidem dubitatio à Francisco Philelpho excitata fuit, cujus exstat *Epistola* de ea re Catoni Sacco gravissimo Jurisconsulto inscripta, qui fuit frater Rosii Sacci atavi mei, floruitque in Ticinensi Gymnasio anno à partu Virgineo quadringentesimo quinquagesimo præter millesimum. Philelphum etiam secutus est Flavius Blondus, à quibus dissensere celebres viri, Sabellicus, Georgius Merula, & alii plures, qui de Italiæ situ Latina maternaque lingua conscripsere. Insecuti sunt deinde Cremonenses scriptores, qui omnem studiorum suorum vim in hanc quæstionem effuderunt: quibus ex adverso respondeo, cur fieri mentio de-

C

buit, si circa Ticinum oppidum nihil memorabile & relatu dignum à Romanis eo tempore actum fuit? cur quæso debuit historiæ scriptor infecta referre? atque ut hæc insana opinio tandem à vulgi auribus abigatur, particulatim singulas colligam ambiguitates, atque refellam.

Primum enim quod de ponte dicitur, nihil potuit ineptius proponi, cum nusquam constet sub Annibalis adventum Ticinum amnem prope oppidum ponte junctum fuisse, vel jungi potuisse, Padi & Ticini aquis late ex adverso oppidi regionem olim occupantibus, ut retuli quinto *Capite*: sileant itaque qui à pontis commodo argumenta sumpserunt; quia pons lapideus, qui hodie spectatur,

D

olim non erat, & à non ente, id est, ab eo quod tunc non fuit, inanis est argumentatio. Altera ambiguitas proponitur circa opportunitatem oppidi. Quocirca videamus, quanam in regione Romani trajecerint Ticinum amnem, castraque locaverint, quia Ticinus fluvius alvei longitudine à lacu Verbano ad Padum quinquaginta millia passuum excedit: cujus quidem longitudinis pars inferior Lævorum, superior autem Insubrum fuit. Polybius, Liviusque scripserunt eos trajecisse in agro Insubrum, non ergo Lævorum. Sed quonam in loco ipsius agri Insubris quæro. Polybius *libro* III. locum expressit iis verbis: *Postridie ejus diei uterque Dux per ripam fluminis Ticini ad partem Alpium cum*

E

exercitu procedit, &c. Notandum est verbum *ad partem Alpium*, id est, versus regionem Alpibus vicinam, quæ Novariensis est regio, ipsis Alpibus propinqua, & à Ticino urbe longe seposita, qua quidem Novariensi ora semper recta & militaris patuit via, à Taurinis ad Insubres proficiscentibus, ut Annibal ipse tum proficiscebatur, Polybio, Livioque testibus, & Cornelius Scipio ex adverso obviam prodibat. Quanam igitur ratione digredi Polybius, aut Livius, debuit ab Insubrum agro, ubi utraque castra erant, ad describendum Ticinum oppidum positum in Lævorum angulo, & in

F

inferiori Ticini ora procul à Romanorum castris viginti millia passuum? ad quod quidem Ticinum oppidum, neque pro Romanis, neque adversus eos quicquam tunc gestum, vel tentatum fuit.

Amovenda nunc tertia dubitatio est, quæ in hoc versatur, cur Romani in fuga ad ipsum potius oppidum sese non receperint, quam ad Trebiam amnem, una sane nocte eo itinere confecto. Hoc loco historiarum ratio, quæ ignota Philelpho Blondoque fuit, al-

altius eruenda est. Respondeo igitur, quonam gentium jure vertere ad Ticinum oppidum iter Romanus exercitus debuit, cum ejus oppidi dominus minime tum Populus Romanus fuerit: evolvite, si libet, Veterum volumina, nusquam probari vel scripto, vel conjectura potest, Lævos populos sub Romanorum ditione fuisse durante bello Punico, vel Macedonico; amici quidem fuerunt, ut suo loco referam, subjecti vero minime: vertere ergo iter ad oppidum, quod Lævorum ditionis erat, nulla ratione Romani debuere, potuereve. Nonne omnem belli molem in Lævorum fines convertissent, si tum instante Annibale Romani ad Ticinum oppidum substitissent? quod minime ex amicorum officio fieri potuisset, minusque Lævi ipsi perpessi fuissent. Lævorum igitur agris ac Ticino oppido ad dexteram dimissis, Romani itineris compendium legentes per Insubrum agros ad ostium Lambri amnis Padum trajecerunt; quod quidem iter brevius decem millibus passuum est, quam si Ticinum oppidum adiissent, vel in præsenti adeas. Summa autem ratione à Romanis matura traductio exercitus citra Padum fuit, ne Placentia eorum colonia, tum militari præsidio destituta, ob fugam triumvirorum occupari à Bojis posset, tum ad arma excitatis, ut Livius refert: qua quidem ex re interclusus aditus fuisset Sempronio Consuli, tum ab Arimino advenienti, ne suas legiones cum Scipionis exercitu conjunxisset, sicut conjunxit: Annibali quoque Ticinum oppidum usui non fuit, minusque esse potuit, duplici ratione; tum quia cum Lævi Romanis amici essent, minime hostem eorum intra oppidum admisissent, quod eis ipsis longe perniciosius, quam Romanis fuisset, tum quia ipsi Annibali magis è re militari fore videbatur, Romanum exercitum jam anteacta pugna perterritum ac diffidentem eodemmet itinere, quo fugam ceperat, insequi, ac lacessere (ut omnino ad Padum, nondum toto ponte à Romanis soluto, fecit) quam ad oppugnandum oppidum ab itinere suo sepositum subsistere, & moram spei suæ facere; quoniam fractis Romanorum viribus, omnia deinde victoris potentiæ, aut vi, aut metu accessura videbantur. Supervacuum autem puto singula Polybii & Livii verba ad hanc rem facientia scribere: *Hinc confestim Scipio jussis militibus silentio insequi*, &c. & apud Livium *libro* I. secundi belli Punici, ubi ita habetur: *Hoc primum cum Annibale prælium fuit, quo facile apparuit campos patentes*, &c. Et quod vera sint quæ retuli, ecce quod Pado trajecto Romanus Consul Scipio, Sempronio collega superveniente, minime intra Placentiæ mœnia delituit, sed positis ad Trebiam castris totis viribus dimicatum fuit. Egregium vero facinus edidisset, si, ut isti opinati sunt, sese cum exercitu intra Ticini oppidi angustias condidisset; cum intra Placentiam Ticino ampliorem subsistere erubuerit: quare iis, qui militaris rei, rationisque expertes sunt, arguereque ab ignotis audent, Annibalis responsum aptissime conveniret, quo Philosophi, de re militari temere disserentis, vaniloquentiam repressit. Neque enim satis esse studioso viro videtur agnoscere ab historia, quid, à quo, & quo tempore, ac loco gestum sit, nisi etiam causa, ratioque, cur illa ita geri contigerit, recte percipiatur, ut doctissime Polybius monet.

Superest ut respondeam eis, qui post bellum Punicum, conditum fuisse Ticinum opinati sunt, ita arguens. Quomodo post bellum Punicum ædificari oppidum potuisset prope Placentinorum & Cremonensium fines à Liguribus, sine Romanorum consensu, & decreto, nusquam habetur mentio, & quos etiam Romanos post bellum prædictum in Insubres Gallos arma movisse sæpissime constat. Rursus etiam arguo. Quomodo ædificari oppidum potuisset in finibus Insubrum post bellum Punicum, si Insubrum nationem ingentem tum fuisse Polybius inquit; quam quidem gentem verisimilius est occupaturam potius fuisse Ticinios campos, suis contiguos, si possessore vacassent, quam Liguribus permissuram: quoniam si ferre Romanorum coloniarum vicinitatem Insubres recusabant, atque ob eam causam in illarum agros, colonosque irruebant, Romanorum spreta potentia, multo quidem minus novum oppidum condi juxta vicos suos à Liguribus, Romanis longe inferioribus, perpessi fuissent, bellumque omnino in conditores excivissent, de quo nihil constat. Omnis ergo ratio, omnisque antiquorum scriptorum approbatio, huc refertur, conditum Ticinum fuisse ab initio incolatus Lævorum Ligurum, quos antiquos Ticini accolas fuisse Livius dixit, dum de Gallorum transitu in Italiam *libro* V. verba fecit.

CAP. VIII.

Antiquitatis dignitatem à gente statui potius, quam à structura oppidi.

NEMO mea scripta legens existimet me rerum temporumque argumenta colligere, ut Patriæ meæ nobilitatem à structuræ vetustate adstruam: sola enim veritas eruere me antiqua compulit; quibus nunc patefactis, recedere ab hac ipsa ædificationis vetustate libet, atque alia scriptorum ratione nobilitatis viam inire. Retexo igitur hoc loco omnia, quæ superiori pagina contexui. Abscedat quæso tua antiquitas Papia, Ticini oppidi vetustas sileat, lateant turres, & tanquam tuguria habeantur, portarum illa immobilis atque indelebilis antiquitas recondatur, fiantque nova omnia mœnia, clivus, & structura, sitque ipsa civitas post juniorem Africanum condita, Lævis tamen Liguribus, qui eam condiderunt, nusquam fraus fiat, illi ipsi surgentis oppidi auctores habeantur, quid tum mihi dictura erit Blondi & Philelphi secta, cui orationem verto, rogoque unde nobilitas petenda & statuenda videatur, ab oppidi ne structura ac lapidea materia, an vero ab ipsius materiæ auctoribus? Clarum enim est urbium ædificationes ab hominibus ipsorum hominum causa fieri, ideo ab hominibus pariter nobilitatem statui, non autem ab ipso oppido, ante Homerum (ut ajunt) condito, quod de Roma ipsa monet Cornelius Tacitus ex Othonis persona, *libro* XVII. his verbis: *Quid vos pulcherrimam hanc urbem domibus & tectis stare creditis, muta ista & inania intercidere, ac reparari promiscue possunt*, &c. Sacro etiam volumine, ubi Maccabæorum fratrum gesta memorantur, testatum est, locum propter gentem, non è converso, Deum elegisse: rerumque ipsarum experimento monemur, non à loco simpliciter in gentem, sed à gente in locum etiam humilem decus inferri.

Petamus ab antiquis hujus rei documenta: Romanorum alter sub vili tecto insidens, aurum suis oblatum pedibus renuit, decusque constantiæ subsellio, foculo, tectuloque communicavit, à persona igitur in locum ignobilem, non à loco ipso honor fluxit. Alter in agro agens rudis, atque immundus, nunquam optatam dictaturam inivit: inivit autem, immo vero assumptus ille potius ab agello ad dictaturam, ob virtutem fuit: ille ergo ager, non sua fœcunditate, aut specie, sed solius domini præstantia celeber fuit. Saulus primus Hebræorum Rex, ejusque gener, & æmulus, ac successor David, alter ab asinarum perquisitione, alter à caulis ovium, ad regnum evectus est. Moses quoque à saltu pene ignoto, & pecoribus, ad populi regimen, liberationemque, & ad leges sanciendas, Dei voce & imperio evocatus est. Quid Elisæus? nonne calvo capite, ab aratro similiter ad sacerdotium unius Eliæ nutu monitus prodiit? Ille ergo ager, ille saltus, illi colles, illa deserta, cre-

eremive, illaque etiam pecora honoris famam ab illis hominibus, non homines ab eis, deduxere, decusque ab ipsis summis viris, non ab eorum tuguriis, casulisque manavit. Eadem igitur ratione, nobilitas populi ab ipsa gente, non ab antiqua, vel nova oppidi ædificatione statuitur. Locorum enim opportunitas ad homines, non è contrario homines, rerum domini, ad muta loca referuntur.

Fuerit igitur Ticinum oppidum à Lævis Liguribus, post Africæ (ut dixi) subjectionem, conditum, non mihi à structuræ tempore, sed à Lævorum Ligurum origine in eadem regione constituta, antiquitatis argumenta sumo, qui cum sint ex antiquissimo Italicæ gentis genere, antiquitatis jus non mutant per novam oppidorum ædificationem, in sua regione factam, sed manet pristinum naturæ jus immutabile atque imminutum, sicuti ipsa etiam antiquissima Judæorum gens originis suæ vetustatem à priscis parentum natalibus, possessioneque, non à Hierosolymæ ædificatione deduxit. Tuscorum quoque nobilis atque antiqua natio, dicendi scribendique magistra, non à Fluentia eorum ornatissima Metropoli, hodie *Florentia* dicta, sed à suo antiquissimo genere Etruriæ innato, originis nomen ac dignitatem habet: simili ratione ac jure Lævi Ligures, non à Ticino oppido, ab eis condito, sed Ticinum ab eis, & ipsi à suo genere circa Padum ac Ticinum enato, originem deduxere, ac antiquitatis suæ jura sumpsere, nobisque eorum posteris Ticini innatis tribuere. Tolle igitur à nostra civitate antiquæ structuræ fucum, amove tuo arbitratu ædificationis annum, manet tamen nobis immota dignitas gentis, ab antiquissimo genere propagata, manet incorrupta possessio nostræ regionis ante Prisci Tarquinii regnum, à nostro genere inchoata, & per tot secula continuata: qua quidem antiquitate, atque continuatione, nulla altera in Circumpadano tractu gens nostris originariis incolis anterior probari potest; quod Divinæ providentiæ acceptum ferimus: terrarum enim amplitudo æterni Dei est: dante itaque illo, aramus, serimus, ædificamus, cunctaque molimur, eaque ipsa ad Dei nutum sub rerum ac temporum vicissitudine retinemus.

CAP. IX.

De Maricis Populis.

POSTREMA hujus libelli pars Maricorum erit; de quibus duo nobis inquirenda videntur, unde exierint, & quomodo Lævis sese conjunxerint: Marici à Plinio memorati libro III. regione undecima *Naturalis Historiæ*, à quibus & à Lævis conditum fuisse Ticinum inquit, Ligures fuerunt, Tanari amnis accolæ, quorum antiquum oppidum, ad Tanarum situm, non procul aberat à loco ubi nunc est Alexandria, inter Tanarum & Burmidam amnes, ut attestatur Merula libro sexto *Historiarum*, scribens eos posterorum ætate *Maringos* Ligustica voce dictos: cujus attestationem veram puto. Nec desunt alia probabilia circa Maricorum gentem, sedesque ad Tanarum habitas, & postera ætate in Alexandriam translatas, Marico oppido destituto: cujus adhuc exstant monumenta, quod etiam probat Blondus *libro quinto secundæ Decadis*. Sed præter Maricum oppidum destitutum, & vetustate collapsum, exstat etiam hodie Castellum prope Tanarum in collibus situm, distans à Pado & Bassinania quatuor millia passuum, vulgo appellatum *Petra de Maricis*, à peritioribus *Petra Maritia*. Quod quidem tam vetustate situs, quam nominis continuatione, probat veram esse eorum sententiam, qui Maricos fuisse Tanari accolas scripserunt: è contrario autem idem Blondus immemor (ut interdum evenit) scriptorum suorum in Lombardiæ descriptione, inquit Lævos & Maricos à Plinio memoratos fuisse, Transalpinos populos: ergo ex Blondi sententia, qui ad Tanari ripas citra Alpes prope Padum habitabant, distantes ab Alpibus quinquaginta millia passuum, Transalpini videntur, perbella sane annotatio fuit; sed danda est plura scribentibus venia: nam dum multa colligunt & disponunt, aliqua intercidere & elabi è manibus facile est. Blondus purgatis oculis non perspexit Livii verba à me exposita, Lævos Ligures circa Ticinum amnem incolentes, & cum *Lævos* scripserint Livius, Pliniusque, *Lævios* inepte Blondus dixit, suique erroris successores Cremonenses reliquit, merito quidem vel maximo, cum Joannem Balistarium Cremonensem præceptorem ipse habuerit, à quo haustum errorem gentis jure eis ipsis legavit.

Ligures igitur Germani, Itali, & Tanari accolæ, Marici fuere; nec minuitur fides historiæ ex varietate verborum Livii & Plinii; quorum alter Lævos Ligures, alter Lævos & Maricos scripsit, quia Liguribus à Livio generaliter expressis, Marici tanquam pars sub genere, vel natione, continentur. Itaque Maricorum adjectio à Plinio facta, & à Livio omissa, historiæ fidem non abrogat, quoniam tam Marici, quam cæteri Ligures, qui Padum trajecerunt, communi nuncupatione, *Lævi* appellati fuerunt. Quomodo autem Marici sese cum aliis Liguribus, qui primi Ticinum condiderunt, aut quo tempore conjunxerint, & in qua urbis parte consederint, rei vetustas, ac scriptorum inopia, vetuit me scire. Hoc tantum habeo, Maricos indidisse nomen occidentali portæ Ticini oppidi, ipsa porta *Marica* appellata, quæ populari lingua, regnantibus Longobardis, *Marenca* fuit appellata, ut notat Paulus Diaconus *libro* IV. *cap.* XVII. deinde *Maringa* dicta est, usque ad Galeacii Vicecomitis tempora, quod etiam ex statutis civitatis apparet; & quæ demum porta, civitate postea amplificata, priscum nomen, formamque retinuit. An vero ab iis Maricis oriunda fuerit Marica Nympha, Regis Latini mater, de qua Virgilius libro VII. *Æneid.* scripsit,

> *Majus opus moveo: Rex arva Latinus, & urbes*
> *Jam senior longa placidas in pace regebat:*
> *Hunc Fauno & Nympha genitum Laurente Marica*
> *Accipimus*, &c.

Ego minime asserendum puto.

BER-

BERNARDI SACCI,

PATRITII PAPIENSIS,

HISTORIAE TICINENSIS

LIBER III.

De Romæ Principatu Scriptorum variatio.



ATEFACTA Lævorum origine ac sede, de dominio eorum videndum est: qua quidem in re magno nobis adjumento forent Livii monumenta secundæ *Decadis*, si exstarent, quibus Romanorum bella Gallis, tum Senonibus, Bojisque, tum Insubribus illata, amicitiæque aliorum populorum continebantur: quæ quidem amissa ejus viri scripta, suo simul interitu plurimarum rerum notitiam peremerunt. Et quamvis vir peritissimus M. Antonius Sabellicus summo studio annixus sit, illorum temporum res gestas ordine referre atque subtexere, collectis undique Græcorum & Latinorum scriptis, ac per tempora divisis, longe tamen meo judicio differt, quod circa antiqua petimus ab ipsis antiquis, ab eo, quod à nostris scriptoribus accipimus. Ille enim quo propiores priscis fuerunt, eo certiores facti de antiquorum rebus scripserunt; sive memoria rerum ipsarum per auditionem ab uno ad alium translata, sive etiam plurimorum notulis, libellisque adjuti. Nostri vero temporis scriptores eo adjumento caruere, rerum præsertim antiquarum commentariis in Italiæ vastationibus ad nihilum fere redactis. Incedimus itaque per ambigua, dum antiqua ab aliis quam ab ipsis antiquis quærimus: cujus rei sumere clarum documentum ab ipso Sabellico possumus, qui libro ultimo quartæ *Enneadis* scripsit, Romanos Italiæ principes fuisse eo tempore, quo bellum in Siciliam adversus Carthaginenses translatum fuit, id est, anno quadringentesimo & nonagesimo ab Urbe condita. Ego autem Veteres secutus animadverto, minime quidem eo tempore Romanos totius Italiæ principes, hoc est, dominos fuisse, ut indicant verba Romani fœderis à Polybio relata *libro* III. ubi inita fœdera cum Carthaginensibus memorantur non Romanorum tantum nomine, sed etiam sociorum. Si ergo Romani ipsi socios populos se in Italia, atque adeo in Latio habuisse eo tempore professi sunt, constitutaque fœdera pro sociis etiam leguntur, profecto socios ipsos subjectos nuncupare atque existimare valde injurium est, & à veritate alienum. Principes quidem, id est, primos inter socios Romanos fuisse dicerem: Dominos vero sociorum minime affirmarem; nimis enim differt socius à domino. Sabellici igitur sententia de Romanorum principatu ab Antiquorum attestatione atque à veritate diversa est: quod etiam aliis rationibus patet; quia post prædictum tempus plura bella in Italia, præsertim in Liguria, viguere, pluresque amicitiæ à Romanis contractæ cum reliquis Italiæ populis fuere: ex quibus liquet, eos neque universæ Italiæ dominos, neque etiam principes tunc fuisse. Quod etiam *libro* v. affirmat Strabo, seriatim referens, quo tempore, & quo Imperatore singula bella suscepta & confecta fuerint; memorans inter cætera Liguriam, usque ad Cæsaris Augusti tempora, ex parte adversus Romanorum Imperium reluctatam fuisse: nosterque Virgilius,

B qui sub eodem Cæsare Romanos, rerum dominos, cecinit, ad sua potius, quam ad Punica tempora allusit: à quo tamen Poeta historia parce petenda est, ut de Didone conficta probant. Aut ergo ab Antiquis antiquitatis notitia quærenda est, aut rationibus & conjecturis insinuanda est veritas. Quare ut sine Italicarum civitatum injuria, Romanæ dignitatis ratio habeatur, divisionem subjiciam de Italicarum civitatum statu, in qua quidem divisione Lævorum libertatem, dominiumque, colligam.

CAP. I.

C *De Statu Urbium & Populorum.*

ANTE Romanum Imperium à C. Julio Cæsare constitutum, Italiæ civitates, aut sui publici juris, vel dominii erant, aut alieni, aut mixtim, partim sui, partim alieni. Sui juris erant liberi populi; qui quadrupliciter distinguuntur, aut enim erant liberi simpliciter oppidi, vel civitatis, & territorii sui, tantum dominium habentes; aut erant liberi & domini, non solum oppidi, & territorii sui, sed etiam aliorum dominium habentes: aut quasi liberi, & domini, aut quasi liberi simpliciter. Et primo liberi simpliciter fuerunt, Campani ante secundum bellum Punicum, Nolani, Tusculani, Pisani, Cænomani, Veneti, Lævi Ligures, D & alii, quos supervacuum est enumerare. Ii enim suorum oppidorum & agrorum dominium habuerunt, aliis autem civitatibus non imperarunt. Liberi & domini aliis etiam imperantes fuerunt interdum Brutii, qui plures Græcos populos ex Italiæ oppidis ejecerunt, aut suo jure subegerunt: item Ligures, qui Transalpinas oras & Etruriæ partes sæpe invaserunt, ac per sæcula retinuerunt: & præcipue regionem, ubi nunc Luca nobilis civitas exstat: quæ Livio referente *libro* I. quintæ *Decadis*, fuit Romanorum colonia, deducta in agro de Liguribus capto, qui ante Tuscorum fuerat; detinentque etiam hac ætate Ligures partem Etruriæ circa Macram suis finibus contiguam, ubi Sergiana civitas est. Romani autem non solum in Ita- E lia liberi & domini fuerunt plurium civitatum, sed etiam extra eam dominium suum porrexerunt, ut in Sicilia, Sardinia, Hispania, Gallia, Asia, & Græcia, sed num suo tantum nomine ac Imperio, an etiam sociorum id effecerint, remotior est quæstio. Quasi liberi & domini fuerunt populi ex civium Romanorum numero in colonias emissi, quibus jus Urbis & suffragii ferendi perpetuum cum Romanis fuit: ii enim tanquam Romani Populi membra & pars originis suæ jure participes erant libertatis, & universalis dominii ipsius Romani populi: domini tamen universales ipsi plane non remanebant, quia post coloniæ incolatum tanquam F emancipati & segregati ab Urbe, & Romano Populo, per incolatum videbantur. Quo quidem in Populo Romano universalis dominii, vel Imperii vis atque auctoritas tanquam in eorum capite & parente fixa erant.

Animadvertendum autem hoc loco est, non omnibus coloniis jus civitatis ferendique suffragia perpetuum fuisse; quædam enim defectionis crimine

mine ab eo jure exciderunt, ut apud historicos. Magnæ tamen auctoritatis hæ coloniæ erant ex Romanis civibus deductæ, quamvis proprio coloniæ jure liberæ & dominæ non essent, ut plerique scriptores probant; quia ab ipso Romano Populo exierant, illique ipsi sese referebant, ac participes universalis Imperii fiebant: quamvis per incolatum ab ipsa urbe emissæ, & quasi filiorum exemplo emancipatæ essent. Differt enim privatum jus à publico: privato enim jure emancipati sui juris fiunt, publico autem jure emissi in colonias dominium universale emittentis populi non minuunt, imo augent; quia ex uno populo principali plures fiunt, qui suo numero principali populo dignitatem addunt. Emissorum vero utilitas in eo versabatur, quod ipsi coloniæ suæ jurisdictionem, administrationemque, & agrorum dominium habebant, universali dominio, vel imperio ad Romanos tanquam eorum auctores relato. Quasi liberi populi simpliciter erant ii, qui ex gente Latina aliave in colonias ierant: isti enim universalis dominii Populi Romani regulariter participes non erant, quamvis socii essent, quia jus civitatis Romæ non habebant, ut probat Livius *libro* IV. belli Macedonici iis verbis: *Novum jus eo anno à Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, Cives Romani essent. Senatus judicavit non esse eos Cives Romanos.* Civitate igitur Roma Latinis coloniis specialiter non attributa per coloniæ incolatum nullo modo Populi Romani imperio communicabant, Romanorum civium exemplo, ut diximus: hinc falso asseruisse plures scriptores, & nominatim Cremonenses, constat, quod omnes coloniæ jus civitatis Romæ & ferendi suffragia similiter haberent: quod reprobari à superiore Livii sententia patet: distingui enim tempora ab aliis scriptoribus debuerant, ut quo referenda eorum sententia esset, clare pateret. Tempora enim rerum mutationem ac varietatem continent, afferuntque, unde humanis rebus inesse vicissitudinem dictum fuit. Differebant itaque Latinæ & aliæ coloniæ à Romanis, quamvis vulgata nuncupatione Romanorum Coloniæ appellarentur, quod Latinæ coloniæ jus civium Romanorum per incolatum non assequebantur, nisi eis expresse data civitas fuisset, sicut nonnullis data fuit; quo casu differre illæ à Romanis coloniis sola origine, non autem civitatis jure, & universalis dominii communicatione videbantur.

Alieni juris, vel dominii universalis, erant populi subjecti, quibus inesse dominium universale nulla ratione potuit: quod enim alteri subjectum habes, etsi tuum demonstrationis causa dicatur, quia in tua civitate hujusmodi dominium versatur, civitatis tamen, vel populi tui, proprium illud dominium esse non potest, durante subjectione: repugnat enim subjectio proprietati, ac naturæ universalis dominii, sicut servitus libertati, suntque inter se directo opposita, libertas & servitus, dominatio & subjectio: quam non immerito Ezechiel in sacro volumine *Jugum* appellat; ego quasi sarcinam esse censeo gradienti impositam, quæ quoquo modo incedas, sive lento, sive accelerato gradu, humerum premit, quo sublata est. Duplici autem modo plerunque fit subjectio, aut universaliter, aut conditionaliter; universaliter, cum nihil excipitur, ut in deditione, quæ à Collatino populo facta est populo Romano, referturque à Livio *libro* I. ab Urbe condita illis verbis: *Estis ne vos Legati, Oratoresque, missi à populo Collatino? ut vos populumque Collatinum dederetis?* Responde, *Sumus. Est ne populus Collatinus in sua potestate?* Responde, *Est. Deditis ne vos, populumque Collatinum, Urbem, Agros, Aquam, Terminos, Delubra, Utensilia, divina, humaque omnia in meam, Populique Romani ditionem?* Responde, *Dedimus. Et ego recipio.* Universalis enim

A hæc subjectio est, in qua nihil exceptum fuit; similisque etiam videtur ea Campanorum deditio, quæ Romanorum arbitrio facta fuit, ut Livius narrat *libro* VI. belli Punici: nam quod victoris arbitrio subjicitur, nostrum esse non videtur, nisi ex dominantis voluntate; cujus est dimittere, & demere, ac rapere: possetque hujusmodi subjectio etiam *arbitraria* appellari, eo quod dominantis arbitrio deditio fiat. Conditionalis subjectio est, in qua non deduntur omnia, sed propositis hinc inde conditionibus, publicaque pactione sancitis, fit deditio, quæ fœderis vim habet; ut Campanorum deditio Annibali facta, in qua plura excepta, pauca vero servata fuerunt.

B Causæ vero subjectionis plerunque tres esse videntur: Violenta, cum vis imminet: Libera, cum sine vi nos Regi, aut Reipublicæ, regendos aliqua ratione credimus, quod ad tollendas interdum populi sectas, factionesque, fieri solet: Impulsiva, cum in medio potentiorum constituta civitas prævidens vicinitatis periculum, alteri dedit sese, ut tutior ab alterius potentia fiat: nam qui potentiori hæret, inexpugnabilior est eo, qui in sua duntaxat infirmitate subsistit. Mixti juris partim sui, partim alieni populi, municipes erant, quia suis antiquis patriisque institutis ac legibus vivebant, liberius quidem (initio inspecto) quam Romanorum

C coloniæ; attamen ea, quæ ad imperii universalis statum pertinebant, soli ipsi decernere non poterant, sed Romanum Populum, in quo tanquam in capite imperium inerat, consulere necesse habebant, ut Paulus innuit libro V. *Digestorum*, ad municipales, iisdem verbis: *Ea quæ Imperii potius sunt, quam Jurisdictionis, magistratus municipalis facere non potest.* Hic ergo status, atque hujusmodi differentia Italicarum civitatum fuit ante secundum bellum Punicum: quo quidem tempore Romani plures populos in Italia socios & amicos, non autem subjectos habuere: atque ut Latinos omittam, socii Romanorum à Livio referuntur in fine *libri* II. tertiæ *Decadis* his verbis: *Quanto autem major hæc clades*, &c. Socii etiam Romanorum adversus Insubres

D Cænomani fuerunt Brixianorum progenitores, ut auctor est Polybius *libro* II. eorumque fidem & constantiam sub idem tempus probat Livius *libro* I. belli Punici. Ligures quoque Circumpadani è regione Ticini amnis Lævorum vicini adversus Insubres socii Romanorum probantur ab ipso Polybio, eodem *libro* II. iis verbis: *Dum Romani Acerram urbem Insubrum obsident, Insubres, ut eos ab obsidione averterent, copiarum parte trans Padum emissa, Clastidium oppidum sociorum populi Romani invadunt*, &c. Cujus quidem Polybii verba referens Sabellicus *libro* IX. quartæ *Enneadis* in fine, sociorum nomen omisit, ab historica veritate sine ratione excidens: differt enim quod dicas Populi Romani

E tum fuisse Clastidium, an sociorum. Acerra autem diversa est ab Acerris, Nolano agro finitimis, opinorque Acerram in Insubria esse hodie Aceranum oppidum in Novariensi agro, ut alibi retuli.

Romani igitur (ut diximus) ante secundum bellum Punicum Italiæ principes minime fuerunt, nec universæ (ut ille ait) Italiæ imperarunt, sed socios in Republica, bello ac pace administranda, plures Italiæ populos ac etiam peregrinos habuerunt, ut Massilienses in Gallia, & Saguntinos in Hispania. Secundo postea bello Punico in Italia invalescente, Romani adversis præliis fracti, non solum onerare socios, præcipue vicinos, coloniasque cœpere, sed longinquiores etiam deseruere, ut Petelli-

F nos, qui ex Brutiis fidissimi amici Romanorum erant, ut narrat Livius *lib.* III. belli Punici. Jubendo itaque sociis vicinioribus, coloniisque, & imperando, quæ bello necessaria videbantur, potius quam rogando, Romani rempublicam administrare

A cœperunt. Ex cujus quidem imperii ac jussionis usu formula edita fuit, quæ vim perpetui edicti habuit; in qua quid unaquæque socia civitas præstare ad bellum limitata esset, sigillatim continebatur, ut aperte scribit Livius *libro* II. tertiæ *Decadis* iis verbis: *Dictator ex auctoritate patrum dictus M. Junius*, &c. Addens: *Item ad socios, Latinumque nomen ad milites ex formula accipiendos, mittunt, arma, tela, alia parari jubent, & vetera hostium spolia detrahunt templis, porticibusque.* Jubere enim imperii est, non societatis, ut Jurisconsulti notant libro II. *Digestorum de Jurisdictione omnium Judicum*, lege quarta. Quæ deinde jussio, atque imperitatio, multorum sociorum animos, Cannensi maxi- B me clade insecuta, ad defectionem provocavit. Nimis enim gravati socii contemni prope se à Romanis opinati, ac publice etiam conquesti sunt, ut de Latinis apud Livium legitur *libro* septimo tertiæ *Decadis* iis verbis: *Cæterum transportati milites in Siciliam*, &c. Quodque spreti sæpius à Romanis socii Latini nominis fuerint, plura apud eundem Livium argumenta exstant *libro* tertio & septimo ejusdem tertiæ *Decadis*; ubi de non recipiendis in Senatorium Ordinem sociis, nec de consulendis circa Campanorum supplicia agitur: ex quibus probari clarissime videtur, quod cum Latini nominis socii publicis consiliis admissi non fuerint, minus etiam coloni ab eis oriundi ad- C hibiti fuerunt, ut supra retulimus, Cremonensium opinione rejecta; coloniis quoque tam Romanis, quam Latinis, non dissimili jussionis formula imperatum fuit, ut apud eundem Livium dicto *libro* septimo. Quarum quidem coloniarum pars renuit imperata facere, audacter respondendo, non esse quod daretur, & scriptum à pluribus ita ferme responsum fuisse legitur; *desinerent tandem imperare, discerentque rogare*, &c. Pars vero imperium pertulit, ut Cremona, inter colonias à Livio eo loco postrema posita. Imminuta igitur eo tempore, sive Romanorum Imperio, sive ipsorum populorum consensu, in multis Italiæ civitatibus originalis illa li- D bertas, de qua dixi, fuit: quod ne quis veritati reluctando ita esse neget, Livii verba, interpretationemque, subjiciam, ad ipsarum coloniarum subjectionem apertius demonstrandam, & Cremonensium retundendam opinionem, qui se Populo Romano communicasse in Imperio asseruerunt.

CAP. II.
De Coloniarum subjectione.

Livii verba hæc sunt: *Triginta tum Coloniæ Populi Romani erant, ex iis duodecim cum omnium legationes Romæ essent, negaverunt Consulibus esse, unde milites, pecuniamque, darent*, &c. Sequitur paulo in- E ferius idem auctor: *Consules pertentatis prius aliarum decem & octo coloniarum animis, citaverunt Legatos, quæsieruntque ab iis, Ecquid milites paratos ex formula haberent: pro duo de viginti coloniis, Fregellanus respondit, & milites ex formula paratos esse, & si pluribus opus esset, plures daturos; & quicquid aliud imperaret, velletque Populus Romanus, enixe facturos*, &c. Colligere hoc loco verborum vim ac sensum decet. *Citaverunt Legatos*, non enim accersiti, ut socii, ut amici, ut affines, sed citati, ut inferiores, atque subjecti sunt; *quæsierunt*, non rogaverunt: at quibus verbis? *Ecquid* (nihil potuit imperiosius dici) *habetis paratos milites ex formula*, idest, F ex jussione vobis indicta? Responsum fuit, *se imperata, imperandaque Populi Romani arbitrio facturos.* Imperium iis verbis in Romanis statui, coloniasque ei subdi, palam est. Nec ego propterea improbo, quod factum fuit, sed liberius fieri potuisset: requiri enim tanquam Urbis Romæ membra, vel socii ipsi coloni, non tanquam mancipia, urbanius poterant. Duo autem imperata fuerunt, milites, & pecunia; quorum alterum personale onus esse, alterum patrimoniale constat: addi itaque ad imperii vim nihil majus potuit, quam ut milites & pecuniam darent. Si numerum militum & genus quæras hoc loco, non invenies; Livius ipse alibi similem jussionem factam fuisse alio tempore declarat, libro IV. *Fragmentorum* quintæ Decadis, scribens, Cremonenses cohortem peditum dedisse, Placentinos turbam equitum exhibuisse: ergo ea etiam ætate ex militiæ genere discreti, prælatique Cremonensibus Placentini viri Romanorum judicio fuere, cum isti equis, illi pedibus militare jussi essent; quo quidem militiæ genere nihil esse ægrius, molestiusque, Ludovicus Ariostus celebri carmine suis rhythmis cecinit, quem omnes uno ore probant. Et adimere equum militi antiqui Romani pro supplicio, vel nota, consueverant, ut apud Livium *libro* VII. tertiæ *Decadis*.

Vide igitur nunquid major potuerit esse Cremonensium subjectio, cum etiam militandi facultas illis sine equorum commodo indicta fuerit. Minime quidem mirum est, si aliæ duodecim coloniæ imperium detrectarunt, malentes in sua libertate persistere, etiam Romanis exosæ, quam eorum arbitratui se suaque summittere. Pro quibus quidem coloniis hæc veritatis studio dicere jure compellor, cur sequi Romanorum jussa debuerunt, si à civitatis jure arcebantur: verbis sane à Romanis filii & membra, urgente re, appellabantur, sed transacto rei periculo à civitatis honoribus repellebantur, risu sæpius elusi, ut plerique scriptores testantur. Pristina itaque, ut dicebam, libertas in multis Italiæ populis, qui sese Romanis non subjecerunt, immutabilis remansit, duravitque usque ad C. Marii tempora, de quibus alio loco & ordine dicendum erit. Aliæ etiam postea coloniæ tum ex Romanis, tum ex Latinis constitutæ fuere, ut Mutina, Bononia, Pisaurum, Rhegium, Parma, Aquileja, & cæteræ, non minus quam prædictæ nobilitate insignes, de quibus in præsentia præscribere mei instituti non est, cum de gentis meæ libertate disserendum sit.

CAP. III.
De Lævorum Libertate, ac Dominio.

Maxime populi dignitati convenit, habere in se ipso oppidi sui regimen atque dominium; cui rei Itala gens semper à natura prona fuit, nec quidem immerito: quia pars humani boni & decoris est libertate frui, quando sine civitatis pernicie illa recipi & retineri potest. Quod divinum munus esse, plerique Sacrarum Literarum scriptores tradunt: Dei enim providentia alieno imperio gentes subigi, Deique providentia erui à subjectionis jugo, sæpius testatum ac probatum est. Lævi igitur à rerum suarum initio liberi fuerunt: quod ipsa natura probat; quia subjectos eos alteri populo fuisse, Romana stante Republica, nusquam patet: Libertas enim sicut naturalis facultas hominis est, ita etiam à natura hominibus inesse præsumitur, ut Jurisconsulti ajunt, libro primo *Digestorum de statu hominum*; servitus vero ac subjectio non sunt à natura, sed à Jure gentium, contra naturam introductæ: ideo non præsumuntur inesse, ut dicitur in *Lege* quarta & quinta ejusdem tituli, quia servitus & subjectio est quid facti, à natura alieni, quod factum jure non præsumitur, nisi probetur. Lævorum igitur subjectione non probata, liberi fuisse censentur; censere enim Latine, & præsumere Legislatorie dicitur. Cum itaque liberi fuerint, annexum etiam libertati universale dominium civitatis ac regionis suæ eadem ratione habuerunt: quod quidem Lævorum dominium in Transpadana tantum regione fuisse Livius docet *libro* III. belli Macedonici, ita scribens: *In*

Ligures deinde traductus Romanus exercitus fuit. Boji autem negligentius coactum Romanorum agmen, quia ipsi procul abesse viderentur, improviso aggressuros rati, per occultos saltus secuti sunt: quibus non compertis, Pado repente navibus trajecto, Lævos, Libuosque vastarunt, redeuntes deinde Ligurum extremo fine cum agresti præda in Romanum agmen incidunt, &c. Ex his Livii verbis colligo, Lævorum fines in Transpadano agro fuisse è regione Cispadanæ Liguriæ, cum ex sola Padi trajectione referat Livius, Bojos in eorum agros transisse, & inde etiam rediisse, ac in Ligurum extremo fine Romanos obviam habuisse. Fines ergo tam Cispadanorum Ligurum, quam Lævorum, Pado interluente dividebantur: Dominium igitur ipsorum Lævorum longitudine regionis B eo tempore patuisse videtur circiter quadraginta millia passuum; incipiendo à finibus Læumellini agri trans Ticinum positi, usque ad agros Lambro amni finitimos: latitudo autem minor citra Ticinum, quam trans Ticinum fuit; nam citra Ticinum duodecim millia passuum à Pado exstat amplitudo, trans Ticinum duplo major, ut ingens adhuc vallum probat, *Fossa Ticinensis* dicta, quæ Novariensium oram (olim Insubribus adscriptam) ab agro Ticinensi disterminat: universa autem regio ambitu circiter centum millia passuum circumagitur. Iis scriptis scio adversari sententiam Georgii Merulæ Alexandrini historici, qui *libro* VI. affirmavit Lævorum ditionem longe ampliorem fuisse, quam à me perscriptum sit: C sed ego malo vetusta colligendo modestiæ redargui, quam commentitius censeri: recenseo itaque confinia, quæ ab initio Lævorum erant, non quæ postea ampliata fuerunt, ut temporis ordo cum ipsa scriptione conveniat. Nunc ad eadem Livii verba rediens, demonstrare necesse habeo, quæ Lævorum amicitia, fidesque, erga Populum Romanum fuerit.

CAP. IV.

De Lævorum amicitia cum Romano Populo, & Cremonensium captivitate.

QUÆRERE hoc loco ex Livii verbis, Academicorum doctorum exemplo, institui causam, cur Boji, Romanos non adepti, Padum trajecerunt in D Lævorum perniciem; & locum ubi trajecerint? In primis trajectionis causa nulla alia fuit, nisi Romanorum amicitia jam diu cum Lævis contracta ante adventum Annibalis; cujus amicitiæ odio perciti Boji, Romanis infensi, eis non repertis è vestigio Lævos, Libuosque, Romanorum amicos, infestis armis petiere: & cujus quidem Romanæ amicitiæ, vel societatis, initium me nescire fateor, sed rescire videor, Lævos populi Romani amicos repertos fuisse sub Annibalis adventum, ut hæc verba Livii indicant *libro* I. belli Punici: *Pœnus opere occupatis hostibus Maharbalem cum ala Numidarum ad depopulandos sociorum populi Romani agros mittit, Gallis parci quam maxime jubet, Principumque animos ad de-* E *fectionem sollicitare*, &c. Hinc arguo, quisnam ager tum trans Ticinum erat, vicinus Carthaginensium castris, qui apte vexari à Pœnis posset, nisi ager Lævorum, Læumellinus nunc appellatus, maxime cum Gallis parcendum esset: soli quippe Lævi Italici generis in eo tractu exstabant, reliqui vero trans Ticinum agri, aut Gallorum, aut Libuorum populorum erant. Amici ergo Romanorum fuisse Lævi Ligures ex Livii demonstratione probantur: nihilque referre videtur, quod nominatim expressi non fuerint in dicto primo *libro* tertiæ *Decadis*, quia certa loci designatio ad gentem indicandam parem expressionem, ac si nominatio fieret, habet. F

Subnectere hoc loco biceps argumentum libet, ad repellendam multorum scriptorum inscitiam, super Ticini oppidi & Ticinensium antiquitate ac dignitate mussitantium, de qua *libro* secundo, & *capite* sexto late scripsimus. Si Lævi populi Roma-

A norum amici sub belli Punici ac Macedonici tempora reperti sunt, ergo ante ipsorum bellorum initia oportuit amicitiam contractam fuisse; consequens igitur est, ut ea gens, & oppidorum præsidio, & populi frequentia, opibusque, in ejusmodi statu fuerit ante amicitiam constitutam, ex quo statu digna Romanorum amicitia visa fuerit: aliter non fuisset in amicitiam recepta, sed potius armis subacta: amicitiæ enim civitatum ex populorum qualitate ac dignitate, potius quam ex ignobilitate constituuntur. Si itaque digni Romanorum amicitia visi fuerunt, ergo civitatem, & oppida, & opes, libertatem, & dominia pro gentis nobilitate habuerunt, quæ non repentino actu congeri in unum potuerunt, cum ab Annibalis adventu, ad istorum Bojorum trajectionem, vix viginti anni intercesserint. Verte nunc quæso tuo arbitratu argumentum; Nega Lævos populos amicos Romanorum fuisse; ego vero respondebo; Si Romanorum amici non fuerunt, majore honore digni sunt, quia Insubribus, Bojisque subactis, ipsi soli à Romanorum amicitia & imperio immunes, solutique vixere, atque ita utroque casu dominium & libertatem sine aliorum ope obtinuere: nusquam enim constat, quod eo tempore, aut Romanis, aut aliis subjecti fuerint.

Superest declarare locum, quo Boji Padum trajecerunt: quia dubitari ratione posset, an infra Ticini amnis oram Padum trajecerint; sed transisse eos supra Ticini ostium, & in agrum Læumellinum irrupisse patet, Ticino amne ad dexteram dimisso, ut Livii sententia per ea verba indicat: *Lævos, Libuosque pervastarunt.* Libui enim trans Ticinum amnem agrum tenuerunt Læumellinæ regioni finitimum: una itaque trajectione Boji, unoque depopulandi ordine ac successu, Lævorum primo, mox Libuorum agros conterminos devastarunt, quod facillime effecerunt: Ager enim Læumellinus eo tempore apertis plerisque pagis, vicisque, colebatur, satisque tutus videbatur fluviorum ambitu, quo tribus ex partibus cingitur. Non solum igitur ex prædictis probata Lævorum amicitia cum Populo Romano fuit, sed fides etiam rei experimento explorata est, cum amicitiæ causa agrorum direptionem à Romanorum hostibus perpessi sint. Nam qui amicitiæ gratia rerum detrimento affecti in fide perstant, nullaque animorum alienatione ab amicitia labefactantur, digni amicitiæ nomine atque honore censentur. Hæc autem direptio agrestis prædæ, ut Livius scribit, facta à Bojis Gallis fuit in Lævorum & Libuorum agris, L. Furio Purpurione, & M. Claudio Marcello Consulibus, anno ab Urbe condita, juxta Livii supputationem, quingentesimo & quadragesimo quinto, præcedente tum Consulatu Cornelii Cethegi, & Q. Minutii Ruffi. Quo quidem tempore, Cremonenses, Romanorum coloni, anno ab eorum incolatu vigesimo primo, non solum agrorum depopulationibus affecti fuerant, sed oppressi etiam obsidione, ac plurimorum captivitate, à Gallis erant. Denique fusis Romanorum viribus Gallis ipsis, captivorum Cremonensium turba, una cum reliqua præda in Romanorum potestatem venit, perductaque Romam fuit, ubi Cornelio Consule triumphum pro more agente, Cremonenses illi pileati, post currum traducti in spectaculum per Urbem fuere, ut cunctis pateret, eos non sua ope, sed Romanorum virtute, è Gallorum vinculis ereptos & liberatos fuisse: cujus rei causa actæ etiam gratiæ ab ipsis Cremonensibus Consuli fuere, ut idem refert Livius dicto *libro* III. belli Macedonici, iis verbis: *Gn. Cornelio omnium consensu decretus triumphus*, &c. Et paulo post scribit: *Ceterum magis in se convertit oculos Cremonensium colonorum turba, qui pileati secuti sunt currum*, &c. Cur autem *turbam* potius quam *multitudinem* Livius scripserit, ambigo;

go: qua tamen inquisitione rejecta, illud potius expendere dignum puto, cum in idem fere tempus, dempto anno, utriusque gentis historia incidat, direptione scilicet in Lævorum & Cremonensium agris à Gallis pariter facta: quo antiquitatis discrimine, rerum inspecto initio, alter populus ab altero differat. Nam Cremonenses scriptores, nullo adscito auctoris nomine, temereque improbata Taciti Cornelii auctoritate, ac detorta pariter Polybii sententia, adstruere sibi civitatis antiquitatem ante bellum Punicum exorsi sunt; conversisque rerum subinde argumentis, vicinos populos, tanquam à Gallis & Liguribus (ut ipsi ajunt) oriundos, ac contemptibiles, risu fere scriptis inserto, subsannarunt; quod jure an injuria factum sit, ex historiæ lege decernere necesse est. Magno enimvero labore me levassent, si sua tantum primordia culta oratione illustrando, ut decet, in aliena non irrupissent, nec deprimere maledictis conati essent: nam ego similiter, quæ mea sunt, retulissem, Cremonensium rebus omissis, quibus semper ab ineunte ætate studui. Sed quid historiæ ratio poscat, videamus.

CAP. V.

De Cremonensium colonorum origine.

OMNES, qui gentis, aut populi dignitatem explicare student, exponere in primis ejus originem ac principia debent, ut quo tempore clari, aut obscuri nominis fuerit, sine fraude pateat. Nam etsi nostra proprie non videntur illa, quæ à nostris majoribus gesta sunt, publico tamen jure ac successionis ratione ad nos pertinent, cum de publica gentis dignitate agitur: quia populus, vel civitas (ut peritiores sentiunt) est hominum universitas, in unum quasi corpus, collegiumve, coacta; cui penitus refertur quicquid tam à nobis, quam etiam à nostris majoribus publico nomine gestum dicitur: quæ vero privatim aguntur, minime semper ad publicam causam porriguntur. Non inepte igitur hoc loco quæritur, quo antiquitatis gradu differre visi fuerint primi Cremonæ coloni à Lævis populis, à quibus nos ipsi regionem, genusque nostrum, Deo propitio, per naturæ propagationem, successionemque, recepimus. Qua quidem in re quatuor præcipua tanquam historiæ capita spectanda sunt: Primum, qua ex gente exierint, ad quam regionem transmigraverint, quo tempore, & quo titulo, aut jure; hæc enim videntur esse principia in civitate constituenda. Lævi igitur, ut docuimus, à Cispadano tractu oriundi, in Transpadanum commigrarunt; proprio ipsius gentis nomine, tempore scriptoribus ignoto, sed ante Gallorum transitum in Italiam, ut secundo *libro* docuimus *cap.* tertio, vel sexto. Coloni vero, qui Cremonam primum deducti fuerunt, unde egressi sint, dubitatur. Polybius *libro* III. ait, oppidanos undique coactos loco non expresso, iis verbis: *Oppidanis ut intra triginta dierum spacium adessent mandatum.* Livius *libro* I. belli Punici, vel tertiæ *Decadis* scribit, immissam fuisse agrestium turbam, cujus verba sequuntur: *Itaque Boji armis repente arreptis, in eum ipsum agrum impetu facto, tantum terroris ac tumultus fecerunt, ut non modo agrestis multitudo, sed ipsi Triumviri, qui ad agrum assignandum venerant, diffisi Placentiæ mœnibus, Mutinam confugerint.* Colligi enim ex hac sententia necesse est agrestem multitudinem tum convenisse ad agrorum divisionem, quam Triumviri facturi erant. Cum ergo Polybius *oppidanos*, Liviusque *agrestes* scripserit, neuter Romanos cives in Cremonam coloniam emissos fuisse probat. Mos enim Livii præcipuus fuit, Romanos nominare, cum ex Romanis coloniæ constituebantur, ut apud eundem *libro* IX. quartæ *Decadis*: *Patres illud agitabant, uti colonia Aquileja deduceretur, nec satis constabat, utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret; postremo Latinam potius deducendam censuerunt.* Idem ait: *Eodem anno Mutina, & Parma, coloniæ Romanorum civium deductæ sunt.* Idem alibi: *Saturnia colonia civium Romanorum in agrum Calethranum deducta est.* Cum itaque ex civibus Romanis deductam Cremonam coloniam nusquam à probatis auctoribus relatum sit, nec etiam à quibus oppidis exierint ipsi coloni, nominatim scriptum fuerit: jus civitatis Romæ primi illi coloni non habuerunt, ut supra ex Livii sententia de Ferentinatibus retuli: quæ scripta est *libro* IV. belli Macedonici, vel quartæ *Decadis*, per ea verba: *Novum jus eo anno*, &c. Nulla ergo Cremonæ conjunctio, nulla necessitudo, nulla affinitatis species per illos oppidanos cum Romanis esse potuit. Romanorum sane colonia, id est, à Romanis ædificata & constituta, atque in eorum dominio & ditione posita: minime tamen ab eis tum habitata civitas fuit, nullumque jus in urbe Roma illi primi coloni habuere, sive à Sabinis, sive ab Umbris, sive aliunde illi ipsi prodierint.

Nunc de eorum ingressu in Transpadanam regionem videamus; inquirendo prius, quæ gens eum locum tenuerit, ubi condita à Romanis Cremona fuit. Primi quidem Galli post Tuscos, Umbrosque, fugatos à Circumpadana provincia, tenuere agrum, ubi postea Cremona condita fuit; ager, inquam, ille erat, non vicus, aut pagus, ut scriptor ille Cremonensis opinatus est, fuitque Gallis ademptus à Romano exercitu anno ab Urbe condita ferme quingentesimo & trigesimo: quo quidem anno apud Livium notat L. Florus libro XX. *Epitomatum*, tum primum Romanas acies Padum trajecisse, captumque de Gallis agrum citra & ultra Padum fuisse, in quo Placentia & Cremona coloniæ deductæ fuere: & ne curiosi viri Livii verbis careant, adscribo ejus auctoris sententiam, sumptam ex *libro* I. tertiæ *Decadis*: *Interim in Italiam nihil ultra quam Iberum transisse Annibalem à Massiliensium Legatis Romam perlatum erat, cum perinde ac si Alpes transisset, Boji sollicitatis Insubribus defecerunt, non tam ob veteres in Populum Romanum iras, quam quod nuper circa Padum Placentiam & Cremonam colonias in agrum Gallicum deductas ægre patiebantur.* Collige, quæso, hæc verba, *Colonias nuper in agrum Gallicum deductas.* Idem fere scripserat Polybius *libro* III. *Dum Romæ milites scribuntur*, &c. *Romani omni studio ad perficiendas colonias incumbunt, quas circa Padum in Gallia nuper inchoaverunt, jam ædificata erant oppida*, &c. Declara hoc modo oppida nuper inchoata, jam erant ædificata, id est, ad finem ædificationis perducta, cum coloni ire in colonias jussi sunt. Novum ergo oppidum, novaque colonia, in agro Gallico, sive Gallis adempto, Cremona fuit, initio secundi belli Punici, in quam deducti auspicio Romanorum oppidani illi, collocatique in oppido ac tectis fuere, quæ nuper Romani populi nomine ac sumptu ædificata fuerant. Esse itaque hoc tempore Cremonæ nomen ac populus primum cœpit, agro & oppido in Transpadana provincia à Romanis accepto. Cujus quidem Cremonæ probatis initiis refelluntur honestissime singula, quæ per longas ambages contra probatos auctores à nonnullis Cremonensibus conficta fuere, pertendentibus, se Romanorum genus ac sobolem esse, habereque agnationem, gradus, familias, cognomina, linguamque, & alia Romanis propria; cum omnia sint diversa, & penitus dissona, ac dissimilia. Videamus nunc quo dignitatis discrimine Transpadani populi ab ipsis tum Cremonensibus colonis fuerint distinguendi.

CAP. VI.

De antiquioribus Populis Transpadanæ Provinciæ.

TRANSPADANI populi, Romanæ Reipublicæ initio, alii genere Itali fuere, ut Rhæti Alpium accolæ, Lævi Ligures, Mantuani, & Veneti, inter quos Livius suos Patavinos colligit *libro* x. primæ *Decadis*; alii Galli, partim Taurini, Insubresque, partim Cænomani: qui cum jam diu Italiam coluissent, ædificatis civitatibus, sobolequè suscepta, Italici omnino juris effecti fuere, per gentis generationem in ipsa provincia continuatam. Libui autem ab Alpinis orti, qui Vercellas condidere, Ligures quidem lingua fuere, quamvis in Galliæ finibus, id est, in monte Saluio, ubi hodie Nicæa est, majorum suorum sedes fuerit. Hoc itaque modo differre inter se Transpadani probantur: quod antiquiores populi, ut Patavini, Mantuani, Lævi Ligures, & Rhæti, sua & majorum suorum origine Transpadani erant, Galli vero Cisalpini origine sua duntaxat erant Transpadani, sed ex majorum suorum personis oriundi è Gallia, unde majores ipsi exierant, videbantur: omnes tamen uno nomine Transpadani genere, quia geniti in Transpadano tractu fuerant, dicebantur. Qua distinctione admissa, quæritur, An Romanorum coloni, Cremonenses nuncupati, & in Transpadanum agrum deducti, ex sola deductione ac inhabitatione Transpadani effecti fuerint: Respondeo, deductio, & habitatio, novum incolatum facit ex sui actus novitate: novi itaque & adventitii incolæ in agro Transpadano illi coloni erant, non autem originales, ut priores populi: si itaque novi & adventitii erant, ergo sine dubio indigniores inter Transpadanos fuerunt, ipsorum tantum Transpadanorum statu diligenter inspecto; quia priores populi, sua & patrum suorum origine ac possessione antiquissima, Transpadani erant, Cremonenses autem minime, quia & ex Transpadanis oriundi non fuerant, & incolatus sui possessione juris, factique antiquitate carebant, vixque eo tempore jus provinciale inchoabant; quod quidem jus jam in illis prioribus populis perfectum erat: tantum ergo differre provinciæ dignitate Cremonenses à dictis populis visi sunt, quantum imperfectum differt à perfecto. Perfectum enim est, quod omnes partes absolutas habet, cui nihil addendum est; imperfectum vero videtur, quod inchoatum fuit, cuique ad perfectionem consequendam substantiæ pars desit. Perfectio igitur juris & tituli (ut ita dicam) provincialis jamdiu in antiquis Transpadanis erat, cum in Cremonensibus initium habere cœpit: quo initio habito, perfectio tamen statim non subsequitur, ad quam assequendam longum & continuatum tempus cum origine & incolatu requiritur. Cum itaque perfectionis pars in illis colonis defuerit, dicimus partem postea acquisitam nullo modo tollere posse prioritatem, dignitatemque, antiquioris perfectionis juris & tituli reliquorum Transpadanorum. Minus ergo digni, minusque præferendi inter Transpadanos Cremonenses videntur, cum de dignitate provincialium quæritur, quam Lævi Ligures, aliique antiquiores: quod Juris etiam definitione probatur libro ultimo *Digestorum*, tit. *de Albo scribendo*; ubi antiquissimum quemque præferri in gerendis honoribus, tam in municipio, quam in provincia dicitur. Sed quid leges scriptas inquiro? spectare potius naturam decet legibus antiquiorem, firmioremque: quæ enim prior civitas, aut populi constitutio in rerum natura esse cœpit, prior etiam in civitatis, aut populi nomine effecta, prior in celebratione, priorque in natura rerum in ea ora fuit, ubi esse cœpit: quæ naturæ prioritas arceri à loco suo ab altero postea populo, in eandem oram commigrante, non potest: quoniam à natura exorta jura, naturæ perpetuitatem imitantur, & tam diu durant, quam diu populus durat in statu suo: neminique dubium est, quod civitas, vel populus ex sua prioritate honorabilior à natura factus, in eodem honoris statu suos cives continet, quamdiu populus est, tanquam ab eodem gentium genere, & in ejusdem provinciæ gremio conceptos.

Insurgant hoc loco docti aliqui, arguantque, si possunt, à nobilitate loci, unde primi Cremonenses educti fuere, sive illi Sabini, sive Latini fuerint, quos in suis regionibus antiquitate enituisse scio; attamen respondebo: Antiquitas gentis, vel patriæ, à tractu Transpadano longe sepositæ & diversæ, nihil Cremonensibus conferre potuit ad insinuandum in jus antiquitatis alterius provinciæ, quia omnis dignitas, ab origine & incolatu sumpta, tempore & loco, in quo concepta est, circumscribitur, transferrique extra limites, intra quos constituta fuit, non permittitur: quoniam quod tibi à tuo genere antiquum in Sabinis fuit, in Sabinis viget ac celebre est, ubi genus tuum in lucem venit, & ab antiquo versatum fuit. Sed cum à Sabinis in Transpadanum agrum Romanorum ductu commigraveris, statuenda tibi in Transpadano per incolatum, generationemque, antiquitas erit, ad hoc ut posteri tui origine Transpadani efficiantur; alioquin novi incolæ in Transpadanis, & non antiqui erunt. Populus itaque Cremonensis (ut initia repetamus) fieri per incolatum tunc Transpadanus cœpit, cum collectis undique oppidanis, ut Polybius notat, & in Transpadanam regionem deductis, colonia Romanorum Cremona constituta fuit: non autem ante, quando oppidani illi, agrestesque homines, ut Livius refert, in Sabinis, vel Latio sparsi, nondum in futuri populi cœtum congregati fuerant, & qua congregatione populi in Transpadanos deducta ac constituta, Transpadanus factus est ipse populus, nomine ab incolatu sumpto, & non ab origine. Et quod quidem jus provinciæ nostræ cum in eodem Cremonensi populo fuerit postremum tempore, postremum etiam esse ipsum populum ordine, gradibus, & juris accessionibus clarum est: atque hac quæstione soluta, ad quartam propositionem me verto.

CAP. VII.

De Ticinensium & Cremonensium antiquo Dominio, & Statu.

QUO jure, vel titulo, Cremonenses coloni in Transpadano agro positi ab initio fuerint, explicare oportet, sicut à me superiore *Capite* propositum est: Romanos quidem constat jure gentium Transpadanum agrum Gallis ademisse, Cremonamque ibi condidisse, & in possessionem colonis postea Cremonensibus nuncupatis tradidisse. Jure gentium igitur Cremonenses coloni per alterius populi acquisitionem, & traditionem, sedes & agros assecuti fuere: sed quo dominio id assecuti fuerint, scire cupio; Jure ne dominii universalis, liberique, an vero dominii suppostitii: differt enim suppositium à libero. Clare mihi constare videtur, Cremonensium dominium non tam liberum, quam suppositium fuisse, (de universali quidem sentio, in quo consistit jus dominandi) quia ad Populum Romanum, tanquam ejus civitatis auctorem & principem, referebatur: quod enim ad alterum teipso majorem refertur, illius juris directi dominium esse probatur. Dominium enim universale civitatis, alteri non obnoxium, est proprie principatus populo insitus, qui Imperii speciem repræsentat: Dominium vero obnoxium, Jurisdictionem potius, quam Imperii speciem in se habet, indigniusque probatur. Quo quidem obnoxio dominio præditi Cremonenses, longe meo judicio absfuisse à Lævorum, vel Ticinensium, digni-

gnitate, inspectis utriusque populi initiis, aperte videntur; quod sigillatim refero.

Prima Cremonensium virtus, vel fortuna, fuit, quod in alienum agrum, oppidumque, sine eorum negocio partum atque paratum, Romanorum ductu, sumptu, & auspicio, imperioque deducti & collocati fuere: quo quidem in negocio nulla inesse dignitas potuit, ut aperte visus est sentire Alexander Macedo, cognomento Magnus, qui Philippi patris audita victoria multis circumlætantibus solus ingemuit, atque in eam vocem erupit: *Minime me ex patris victoria exsultare decet, cum nihil fere mihi mea virtute expugnandum à patre relinquatur.* Ægre ferebat magnanimus adolescens, indecorumque censebat, adire & recipere regna, patris periculo, & non ejus ipsius virtute, subacta. Quanto ergo præclarius ex illius magni regis sententia nostra sese habuere Lævorum exordia, qui sua quidem ope atque virtute, non autem alieno auspicio, primi nostram regionem adierunt, suisque viculis occuparunt: primi nomina regioni, cui vestigia impresserunt, terrisque dedere, primique Italicæ linguæ sonum in ea infudere, atque ad nos ipsos transmisere. Læumellina enim regio dicta ab initio, quasi *Lævomellina*, à Lævorum nostrorum incolatu & nomine, fuit. Læumellum quoque antiquum atque insigne oppidum, prope Agoniam amnem conditum, non à Romanis, aut Gallis, sed à nostris majoribus formam, nomenque recepit: sive eum à Læumellina, sive Læumellinam ab eo nomen traxisse, quis dixerit, utrunque enim à Lævis pariter fluxit, quasi Lævomellum dictum. Viclævanum similiter à nostris majoribus nomen susceptum, præsenti etiam fide inviolatum servat, nobisque repræsentat. Viclævum enim primo, quasi *vicus Lævorum* appellabatur, postea Viclævanum vulgo nuncupatum fuit, quod celeberrimum oppidum Læumellinæ, & Ticinensis agri est, atque ob ejus dignitatem assentientibus Ticinensibus, civitas constituta fuit: quæ res honorem nostris civibus addidit, cum ejus membra civica constitutione publico judicio digna censeantur. Finitimum Viclævano Campolævum est, antiquum, & urbanum, elegansque oppidum, ita appellatum, quasi *Campus Lævorum*, quod hodie corrupta, ut vulgo evenit, antiquitate, pro campo, *Gambolævum* populariter dicitur. Aulævanum etiam Castellum prope Agoniam fluvium est, ubi sedes gentis nostræ fuit, nobilisque Aulævana familia inde prodiit. Aulævum ab initio à Priscis dictum, quasi *Aula*, id est, locus, *Lævorum*; Aula enim idem apud nostros antiquos significabat, quod locus, vel insignis statio, scriptumque etiam in nostris Annalibus legitur, Guidonem Languscium electum fuisse Episcopum ex nobili Aula Comitum Læumelli. Ticinum denique oppidum illi ipsi Lævi majores nostri sua stipe, suoque opere, condidere, & incoluere, atque posteriorum ætate Lævorum nuncupatione omissa, Ticinenses suo jure atque arbitrio appellati fuere. Nostri itaque progenitores gentis nostræ ductores, auspicesque, in nostris regionibus exstitere, nomina ipsi suis Oppidis, Castellis, Vicisque indidere, nihil nobis Latini, Sabinique, aut Trojani, à suis turpiter fugati sedibus contulere: dedecus illi amissæ Patriæ habeant, nostri non amissæ dignitate gaudeant.

Age vero, quantum alter populus ab altero dominii dignitate discrepare videatur, in medium adducamus. Cremonenses, sub Romani Populi mandatis, jussionibusque, constituti, quasi jugo pressi imperium, ut supra retulimus, tanquam subjecti pertulere; militavere pedibus, aurum & argentum in annos singulos pro vectigali eorum agro & oppido pensitavere. Nostris vero alia honoris ratio, alia vivendi institutio ab origine affuit: dominio illi universali, liberoque potiti, nulli censum, nulli tributum, nulli vectigal persolverunt; suis ipsi legibus, atque dominio, institutisque vixerunt. A qua quidem libertate & dominio statui proprie ingenuitatem in gente plures existimant: hac maxime freti ratione; quia sicut naturalis libertas hominem à natura ingenuum facit, & servitus servum, simili etiam ratione, publica & originalis populi libertas ac dominatio ingenuum, nobilemque, populum ab origine efficit, & subjectio subjectum & humilem. Qua quidem subjectione populum invadente, inesse illa decora & clara ingenuitas, nobilitasque, in eo non potest, quæ libero populo inest: quia originis & dominii universalis qualitas dissimilis ac diversa in utroque est, cum publica alter libertate & dominio potiatur, alter vero ipsam publicam libertatem una cum dominio subjectam habeat. Nobiliores ergo majores nostri Cremonensibus colonis tam publici dominii dignitate, libertateque, quam originis ac possessionis antiquitate, in Transpadana provincia probati sunt.

CAP. VIII.

De utriusque Populi Fide.

NULLA unquam præclarior virtus vigere atque eminere in gente potuit, quam fides: quæ non solum eo modo accipitur, quo fides à me alteri per pollicitationem obligatur, & quam obligationem colligens Cicero in *Officiis* scripsit, *Fidem exinde dictam, quod fiat quod dicitur.* Sed latiore spacio fides à nobis illa intelligitur, quæ solius etiam naturæ ratione implenda est. Fides sane dicta, quod fiat, quod fieri debet, decetve, nedum quod dictum est: paria enim existimo facere quod decet, & facere quod dictum est, decusque dicto, ac promissioni sæpe anteferendum est. Fides igitur non solum versatur circa officia agnoscenda, implendaque, ad quæ per pollicitationes, aut alio juris nexu, tenemur, & de quibus Juris compositores late scripserunt, sed ad alia multa porrigitur; quibus sine verborum enunciatione naturæ ratione obstricti sumus, veluti ad Dei religionem & cultum, ad patriæ & parentum observationem ac tutelam, ad connubia sobolis causa contrahenda, ad liberorum ac puerorum curam, & institutionem tam nostrorum, quam alienorum, necessitudinis ratione ad nos attinentium, & ad alia plura, quæ nobis Juris volumina patefaciunt, & partim à Jure gentium, partim à civili prodeunt, ut in *Digestorum* libris, *de Justitia & jure*, *& de sponsalibus*, *de ritu nuptiarum*, *de liberis agnoscendis*, *& de Tutelis.* In quibus quidem muneribus agnoscendis, implendisque, non tam pollicitatio, quam naturæ ratio valet: & quæ quidem officia à natura manantia Juris conditores justitiæ adscripserunt, antiquarum legum rationem secuti, quam Christianæ veritati convenire puto: nam agnoscere, quæ tibi à natura incumbunt, officia, eaque meditari, initium fidei est; facere autem quod agnoveris, est finis; in quo individuo actu inest justitia, quæ videtur fidei perfectio. Inseparabiles itaque inter se sunt fides & justitia, intellectu tantum, notioneve, distinctæ, opere autem conjunctæ, ita ut altera sine altera esse nequeat: nam fides sine justitia desinet esse fides, atque evanescet, quia nuda officii meditatio, ab actu vacans atque refugiens, abesse potius ab homine fidem, quam inesse probat, ut prudenter in *Epistola* Jacobus Apostolus enarrat, docens, actione, nedum cogitatione, fidem exhibendam esse, quia utraque virtus eundem ortum & finem per individuam operationem respicit, colligitque. Quod Paulus etiam Apostolus aperte probat in *Epistola ad Hebræos* illis verbis repetitis: *Justus autem meus ex fide vivit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Subtrahit enim se ille, qui agnita fidei officia non perficit actu voluntario,

qui agnita fidei officia non perficit actu voluntario, qui actus justitiæ est ipsius fidei consummatio. Si quis igitur ex legum coertione potius quam ex voluntatis sinceritate operatus justitiam fuerit, veluti tutela, aut cura, judicis jussione suscepta, torpuisse eum in fide potius quam viguisse censebo, actu ipso ad jurisdictionis auctoritatem relato: fecit enim quod debuit ex necessitate, non ex fidei actione, in qua à nobis ipsis ad alium porrigendam esse justitiam docet Aristoteles libro v. *Ethicorum*, perfectam ejusmodi virtutem censens. Et Paulus Apostolus similiter Euangelicum dogma explanans, quod ad proximi nostri dilectionem pertinet, per charitatem, id est, voluntario actu, nos operari oportere, in *Epistola ad Galatas* monet. Idemque Joannes Apostolus in prima *Epistola* docet.

Ad historiam igitur sermonem stylumque vertens, fidem in populo eo tempore fuisse circa tria quam maxime animadverti. Primo, circa divinæ religionis cultum; de quo nihil mihi hoc loco scribendum est, quoniam prisca illa ætas rectum fidei lumen nondum acceperat, ut suo loco explicabo. Secundo, circa civitatis, quæ nobis patria est, decus, statumque tuendum. Tertio, circa aliorum populorum amicitiam, societatemque, servandam. Quibus quidem in rebus inviolato studio majores nostros præstitisse constat. Fide illi in patriam prompti, constantesque fuere, tum ejus possessione a rerum Italicarum initio probe retenta, atque administrata, tum etiam ipsa patria nunquam prorsus destituta, quamvis ea bellis attrita sæpius atque exhausta esset: neque in patriam solum, sed in Italiæ etiam decus eorum fides clarissime enituit, dum inter efferas & Transalpinas gentes, in Italiam irruentes, soli ipsi Itali generis in eo tractu sedes suas Italico nomine linguaque tenuere, reliquis Italis à Ticini fluminis oris Gallorum impetu ejectis, nullo illi Romanorum, aut Latinorum auxilio, nulla aliena ope, sed suis gentibus, suis se viribus intra viculos ac oppidula sua continuere; eaque ipsa, interdum hostium irruptione incensa atque consumpta, sua industria ac facultate refecere: nunquam illi hostili pavore ac tædio affecti regiones suas deseruere. Fide etiam perpetua, constantique, Populi Romani amicitiam, ejus vigente Republica, coluere, vexatique assiduis Bojorum & Insubrum procellis, nunquam ab amicitiæ fide defecere. Quid dicam amplius? proprium gentis nostræ est, fuitque, etiam in extrema rerum attritione atque inopia, fidem colere, fidem præstare, fidemque saluti anteferre, pro fide dura pati, ac in fidei decorem, vitam cum morte commutare. Nulla nobis historicorum attestatione, nullis Poetarum salibus fidei defectio, aut nota inuri, minusque objici potest.

Nunc quo sese honore ac gloria ex majorum suorum fide Cremona claram probet, disserere opus est; cui certe operi minime par est mea scribendi industria, sed historiam scribenti quoquomodo veritatem explicare Veterum auctoritate permissum est. Primi itaque Cremonæ coloni oppido à Romanis pro patria in fidem accepto, decennioque possesso, magnum fidei indicium præbuere, Romanis auxilium, ut jam diximus, promittentes. Sed ecce tibi, Cremona, quam levi rerum momento populus tuus fidei studia invertat, distrahatque in diversa animos, atque priora merita posterioribus demeritis palam obruat. Illi, qui Romano Imperio salutem suis viribus promiserunt, patria postea eorum intra triennium in discrimine posita, patriam, inquam, turpi fuga deseruerunt, Gallorum incursantium pavore; quibus quidem Gallis incursantibus agro cedere, & in oppidum se recipere, minime Cremonensibus vitio datum fuisset: oppida enim ea ratione condita esse constat, ut ad illa ipsa

A opis causa nobis receptus in quocunque casu pateat; sed deserere oppidum hoste non adveniente, neque oppugnare incipiente, summæ imbecillitatis ac ignominiæ fuisse videtur: cujus quidem desertionis reos, tanquam proditionis culpa pollutos, Romani illa ætate infamia notabant, & majoris ignominiæ causa equis privabant, ut in L. Cæcilio Metello, aliisque, Livius notat *lib.* VII. tertiæ *Decadis*. Atque in *libro* VIII. fugam ipsorum Cremonensium enarrat iis verbis: *Moverant autem hujusce rei mentionem Placentinorum & Cremonensium colonorum legati, querentes agrum suum ab accolis Gallis incursari ac vastari, magnamque partem colonorum suorum dilapsam esse, & infrequentes se urbes, agrum vastum ac desertum habere.* B *Manlio Prætori mandatum, ut colonias ab hoste tueretur: Consules L. Veturius, & Q. Cæcilius ex Senatusconsf. edixerunt, ut qui cives Cremonenses & Placentini essent, ante certam diem in colonias redirent.* Hæc Livius. Quartusdecimus ferme annus agebatur incolatus Cremonensium, cum illud memorabile Senatusconsultum super eorum fuga & reductione promulgatum fuit: ex qua quidem promulgatione tum Romæ, tum in provincia, celebrata obstupuere omnes, inquirentes, nonne ii sunt illi Cremonenses, quos Senatus Romanus populo produci ac laudari pro concione, una cum aliis colonis, voce Consulis paulo ante jusserat? respondebatur, sunt illi ipsi, qui obices hostium, C atque Imperii Romani propugnacula fore sperabantur. Augebatur admiratio, quoniam eo anno nullus hostium instructus exercitus in Transpadano agro exstitisse ferebatur; Placentinos vero excusabiles faciebat, tum Cispadanus situs, Liguribus & Bojis ex tribus partibus obnoxius, patensque ad eos recta, plana, & militaris via: tum etiam præcedens Hasdrubalis Carthaginensis transitus; qui priore anno Placentia oppugnata in agros, villasque, conversus, omnia incendiis, ruinisque, contriverat. Iis igitur, aliisque rationibus, purgatis Placentinis, una omnium voce, unaque sententia prædicatum per Italiæ civitates fuit, ad quas fama edicti devenerat, Cremonenses illos ex fugæ, D desertionisque, ignominia coloniæ possessione indignos, immeritosque effectos esse, atque à fidei constantia & honore, in qua sese antea jactaverant, excidisse: exprobratum insuper illis (ut fertur) redeuntibus clara voce fuit, cum non sponte sua, sed per Manlii provinciæ Prætoris inquisitionem, coertionemque, reducerentur. Ecquid pudet ne vos vestræ coloniæ, non civium ritu, sed potius fugitivorum servorum more, militari manu deducendos & restituendos esse? Omnis denique desertionis ignominia in Cremonenses solos, qui non exspectata vi aufugerant, rejecta fuit, illisque ipsis inhæsit, abigique ab eis nulla ratione potuit. Quo enim rerum eventus, eodem etiam populi E sententia suo jure vertitur. Hanc tam infamem patriæ desertionem, reductionemque incolarum nemo ea, aut postera ætate conspectum in Lævis, sive Ticinensibus, fuisse scripsit: vastatos quidem Gallorum direptionibus Lævorum & Liburorum agros, ut dixi, Livius retulit, sed deserta oppida, effugatosque prorsus à sua provincia viros, nusquam dixit.

Si quis igitur hæc Cremonæ primordia cum Ticinensium, vel Lævorum, initiis conferenda putaverit, à rationis tramite aberraverit: nemo enim sanæ mentis inter se prorsus dissimilia comparat, ut hæc ipsa, non solum dissimilia, sed omnino contraria, apertissime probantur; fides & fuga; F constantia & imbecillitas; item libertas & captivitas; dominatio populo insita, & subjectio perpetuata; frequentia virorum in agro, atque in oppido, & in tectis; & solitudo interna, externaque, una cum vastitate, ac rerum omnium inopia. Quæ quidem tum Cremonæ mala si nostrorum majorum bonis

bonis conferas, infernorum luem, horroremque, ac tenebras supernæ luci ac jocunditati comparabis. Quocirca, nescio, qua animi alienatione nonnulli, qui sese historiarum gnaros putant, prolapsi in hanc opinionem sint, ut præsentem Cremonensem populum existiment ab illis primis colonis traxisse originem. Quod verum ne, an falsum sit, nihil mea refert. Sed si eorum opinio recipienda est; ergo à fugitiva & pene infami colonorum turba magnifica civitas originem habuisse videbitur; A & ut fictitiam antiquitatem assequatur, in illius priscæ gentis indignitatem collabetur. Petenda igitur aliunde vestra origo, viri Cremonenses, est, quam à vestrorum scriptorum nebulis atque commentis, quæ ego, vestra, & veritatis causa, Deo favente, aperiam, longeque abesse à vero alio loco ostendam: redire enim me ad institutum opus hoc loco necesse est, & de Insubriæ statu quod superest referendum.

BERNARDI SACCI,

PATRITII PAPIENSIS,

HISTORIAE TICINENSIS

LIBER IV.

Cap. I.

De Insubria in Provinciam redacta.



Insubres populi, teste Polybio, nobilitate & hominum frequentia insignes fuere, compositisque post gravia & diuturna bella rebus cum Populo Romano, in unam Provinciam cum finitimis suis coivere, Gneo Pompejo Strabone Proconsule in Transpadanis imperium exercente: cujus Provinciæ termini à fronte Padus, à lateribus Addua & Durias amnes erant, à tergo Alpes. Qua regione in Provinciam constituta, appellati postea Insubres omnes populi, inter prædictos limites contenti, communi nomine fuere: quamvis origine singuli non essent Insubres, ut Lævi Ligures, Ticinensesve, & Laudis Pompejæ coloni, Libuique. Nec ab re Insubriæ appellatio indita Provinciæ fuit, situ ejus inspecto, qui latior est agris finitimorum. Et ipsa Laus Pompeja Latina colonia in Insubrum antiquo agro condita est. Insubriæ autem caput sub Romanis Consulibus Mediolanum fuit, ubi & Magistratuum sedes posita, & forum Provinciale constitutum est: cujus quidem Provinciæ habita deinde quam maxime ratio à Populo Romano memoratur: nam jus Latinarum coloniarum veteribus provincialibus in primis tributum fuit, ut Asconius Pædianus apud Ciceronem notat in *Oratione pro Pisone*: ex quo quidem jure pares in urbis Romæ muneribus assequendis, obeundisque, Insubres Latinis efficiebantur, antequam jus civitatis Romæ Italicis populis indultum foret. Alterum, in quo honestati Insubres à Romanis sunt, hoc est, quod sumpti ex Insubribus clari viri sæpe fuere ad supplendum numerum Ordinis Senatorii: ut meminit Cornelius Tacitus *libro* xi. Desiit postmodum esse Provincia jure civitatis Romæ à populis sumpto: quoniam unaquæque civitas jure suo, quod *Italicum* vocabatur, ad urbis Romæ Imperium, omnibus commune, referebatur. Corruente deinde Romana Republica, provincialis administratio rursus in usum rediit, mutatique provinciæ fines ac nuncupatio fuere. Nam Valentiniano imperante, Ambrosius Liguriam habuisse provinciam fertur, in qua Mediolanum erat. Idem etiam sub Theodosio fuit. Qua quidem varietate non perspecta, aliqui de Insubria scribentes in errores inciderunt. Ego igitur de Transpadana tantum, ac nostra Insubria, sive regione, hoc loco scripturus, à naturæ bonis, quæ ei à Deo æterno orbis conditore collata sunt, exordiar, ut illius patefactis donis, ad illius solius gratiam scripta mea contexuisse videar.

Cap. II.

De Insubriæ Situ, & Partibus.

Omnia, quæ humano generi propagando, tuendoque, apta sunt, huic regioni à natura insunt, quæ inter Siccidam & Adduam amnes continetur, quæque à Meridie Pado, & à Septentrione Alpium jugis clauditur: à quibus quidem Alpibus exordiendo, spectare Italiæ claustra atque repagula licet. Illæ enim in cœlum elatæ nobis supereminent, & ab Aquilone circumstant; ut nonnisi per arctas ac pene invias semitas evadere quis à nobis, aut nos invadere, quoquo modo queat. Natura enim ipsa, sive potius naturæ artifex Deus, tam nostræ, quam Germanæ nationis quieti prospiciens, edita locorum præsidia in alto ac sublimi posuit, quæ unius egregii viri virtute & robore parva peditum manu contracta occludi adversus magni exercitus vim facile possunt. Flumina quoque ipsa circumlabentia nusquam tuto vado omni tempore peti ac trajici possunt: confluunt plerumque aquarum mole & impetu turgidæ undæ, eruuntque ab imo humum, ac profundos & immanes vortices passim fodiunt, quibus sese inferens audax miles è vestigio labitur, lapsusque in obliquum vehitur, & fluctibus frustra reluctando in profundum rapitur. Naturæ itaque propugnaculis tuta ipsa provincia esset, nisi incolarum pullulante discordia, externarum gentium vires nostris nominibus in mutuas nostri generis clades excitarentur, atque ad nostram perniciem traducerentur. Concordia enim nobis subsistente, pax & humana fœlicitas nobis adest; illa vero à nostris pectoribus exultante*, nostri incolæ sibi ipsis hostes sunt, & alienos ad suorum internecionem accersunt, pereuntque humana bona, virorum amore, ac unanimitate sublata; quæ, heu, heu! nimium ab Italicis oris abscessit, nostrisque acciti atque admissi littoribus Christianæ religionis hostes, intima Europæ regna deturbarunt, Christianis Principibus illorum successibus ad alterius consternationem conniventibus.

Intersecat ferme medium hujus regionis Ticinus fluvius, Novarienses à Mediolanensibus dividens, & Ticinensium agros in duas partes scindens; quarum

* Legendum videtur, *exulante.*

rum altera, quæ trans Ticinum est, Læumellina vocatur, altera cis Ticinum posita, Campania dicitur. Novariensem vero agrum interluit Agonia amnis, claris vorticibus fluens, in Læumellinum tractum, ubi captioso ac sabuloso vado incautum viatorem nonnunquam fallit, dum ille aquarum claritate inspecta pedem arenæ temere figit, ruitque in profundum sabulo ipso hominis vestigium non ferente, passimque pedum impressioni cedente. Disce ergo prius vada tentare, quam te ipsum ignoto fundo, aquisque, committere. Oritur Agonia in Novariensi ora ad radicem montis Sancti Francisci, è regione occidentali, inter lacum Hortæ, vulgo *Sancti Julii* appellatum, & lacum Verbanum, non longe à lacu Hortæ ad Vemæniam pagum: fluitque inter Siccidam amnem & Novariam procul à civitate mille passus, descenditque in Ticinensium fines ad Nicorvum vicum, atque in plures deducta & divisa rivos, æstatis tempore, accolarum usibus ab ejus alveo septorum repagulo extrahitur, exili undarum fluctu Padum petente: hyeme vero fractis repagulis furibunda ruit, Padoque non sine vicinorum detrimento, arborumque fragore, & ruina tota immergitur, procul à Sancto Nazario pago, mille passus. Ab altero autem latere ejusdem montis Sancti Francisci, ab Orientali plaga exiguus fons ebullit, Deturbio amni, torrentique initium præbens, juxta oppidulum Verallis Plumbulæ, descendensque à collibus humor Deturbium format, impellitque in Novariæ planitiem procul à civitate mille passus in Orientali latere. In medio itaque Deturbii, & Agoniæ, sita in clivo Novaria patet, situ quidem amœna, at longe amœnior, clariorque, virorum nobilitate, qui ex Torniella, Caciaque, & Casalia, Portea, Cataneaque gente, aliisque effloruerunt, hodieque etiam in honore sunt.

Plures proprietates inesse huic regioni clarum est, inter quas hæ sunt præcipuæ: Nucum & castanearum ubertas ac excellentia, sive magnitudinem, sive bonitatem quæras; nam annona nunquam plebis exspectationem in messe eludente, cibum ex his pauperculi petunt, ac castaneis saturi vina tuto hauriunt: vineta apertissima, humili ac denso ordine in collibus consita, optimum vinum emittentia. Piscosi ac clari lacus trottis crassioribus refertissimi, ex quibus lacus Hortæ fit celeber, egregia insula, & arce centrum ejus tenente. Cannabis copia immensa, optimaque, ex qua telæ, funes, laqueique formantur, ac in finitimos distribuuntur. Prata & pascua, quibus immissæ pecudes casei formellas sapidissimas edunt; quarum gloriam Villanova in superiore tractu, & Rodobium oppidum in inferiori regione obtinet; dictæque propterea materna lingua *Robiolæ* fuere. Ingreditur Ticinensem seu Læumellinum agrum Deturbius fluvius prope Cælaveniam, sinuosoque ambitu labens per humiliora loca, colligit fontes Campolævi, & ad Tromellum flectitur, irrigans urgente æstu vicinorum suorum prata, & hyeme tantum Padum petens, ab undarum turbiditate Deturbius nuncupatus: congerit enim fluctuum vi arenæ tumulos, eosque mox rapit, dissipatque per alveum, raroque alvei legem servat, aut tuto vado trajici, dum tumescit, ab equite potest: denique etiam cum tuto vado trajici posse videatur, si moram feceris, sensim descendere equum in profundum sabulo cedente agnosces. Cingitur vero Novariensis regio, ab Oriente lacu Verbano, Ticinoque; ab Occidente Siccida amne, cujus etiam dominium Novarienses in suo tractu habent; à Septentrione Alpibus, ad quarum radices egregios colles & amœna loca habent, citris etiam & olivis consita; à Meridie vero Læumellina, de qua scribere particulatim aggredior.

CAP. III.

De Læumellinæ situ, & populis.

LAEVMELLINA regio Ticinensium ditionis est, à Lævis olim populis & melio dicta, quod caninum collare est contra luporum morsus, à priscis *millum*, postea à Varrone *melium* appellatum: quasi enim cingulo, ita fluminum ambitu ipsa regio à tribus lateribus circuitur: Lævorum igitur circuitionem proprie Læumellina significat, ut *libro* III. *cap.* VII. retuli. Et quæ quidem regio, ab Oriente Ticinum, à Meridie Padum, ab Occidente partim eundem Padum, partim Siccidam habens, agris Novariensibus à Septentrione jungitur, ingenti fossa Papiensi appellata confinia indicante. Oppida prope Siccidam & Padum ad Occasum posita, hæc sunt quam maxime populosa, Rodobium, Confluentia, Rosascum, Castronovum, Cocium, Candida, Validum, Bremium, Sartirana, oppidum situ & amplo interlabente rivo amœnum, ex quo peritissimi viri prodierunt, Joanne Maria Simonetta instituente, qui nunc Præpositura fungitur. In inferiore regione Burgofrancum Pado adjacet, ac suorum oppidanorum nobilitate cum Sartirana certat, Antonio Papiensi cognominato urbis Romæ protophysico gentem suam illustrante. Omitto pagos, veluti Sparovariam, Campobeatum, Castellarium, & alios, minime tamen omisso Friscarcolo, tribus castellis insignito, ubi noster Jacobus Bireta prædia cultu conspicua, sed domini fama celebriora habet, illo viro in Ticinensi gymnasio Legum & Juris semina late spargente.

Infra Burgofrancum ad Padi regionem nulla exstant oppida, sed egregii ac populosi pagi castellis etiam muniti, ut Camporanea, vulgo *Gambarana* dicta, ex qua clara familia prodiit, quæ ab ejus castelli, pagique, dominio, Comitis nomen ac insignia habet. Huic vicinum est Carium, ubi populi divisio facta est: alii enim nobiles, alii homines, qui humiliores sunt, appellantur; Domini vero pagi, castellique, Issimbardi Ticinenses patricii sunt. Plebs Carii rivulo interlabente proxima est, ita vulgo appellata à vicinitate Carii. Pagus is est fere urbanus, magno castello atque conspicuo ornatus, celeberque Leonis Medicis Decimi Pontificis liberatione; de qua alibi. Distat ab Agonia Plebs Carii (quæ Beccariæ familiæ dominio subest) duo millia passuum; cui est vicinum Turturellum Curtiæ familiæ, & Grumellum. Surgit deinde urbi similis hominum frequentia Meda, quasi in medio Insulariæ (ut ajunt) regionis posita, agro fœcunda, & à Meda juxta Agoniam vertens iter videre Læumellum licet, olim multorum oppidorum caput, nihil ferme à civitate differens, cui Langusca antiqua gens diu imperavit, Comesque Lumelli nuncupata ab ejus ditione fuit. Nunc autem Cribella familia nobilitate conspicua ejus dominio potitur, Durno etiam adjecto. Non longe à Læumello Salviana olim, nunc Saminiana, patet, situ, pratisque, & rivulis jocunda, à Salliis, ut ajunt, condita, cui vicinum est Castellum sancti Angeli; atque paulo ante prope Agoniam tendens, Cerretum adire ac mirari necesse est, in ipsius amnis ripa altius locatum, ubi Georgiæ familiæ sedes est, in militari disciplina clarissimæ: prope Cerretum citra Agoniam, Mortarium invenies, amplum, patens, & insigne oppidum, cui propinquum est Castrum Agoniæ, deinde Aulævanum, de quo supra *libro* III. *capite* septimo. A quo Aulævano quinque millia passuum abest Castellum sancti Georgii, & Cernachus pagus.

Adest à Meridie Vicobianum nobilissimæ gentis Biragæ oppidum, eleganter conditum, viridariisque ac hortulis circumseptum, & Alboneæ aquis, commodoque amœnum, à qua primo nomen habuit, dictumque à Priscis Alboneæ Vicus, &

& postea Vicobianum fuit : cui vicina est infausta Feraria, villa magni nominis & nullius rei, agris ipsis ad dominos, & non ad colonos, spectantibus, & Albonea rivulo naufragium interdum campis minitante, quo quidem secuto naufragio, rapere vicinorum segetes Ferariæ villicos nocturno aditu ac labore necesse est; dictaque exinde Feraria, per simplex *R*, à ferendo fuit: Ferariaque à tergo relicta patet ad Meridiem pagus nobilissimus, portis, valloque, & aggeribus circumseptus, sancti Nazarii nomine, festoque, celeberrimus, in quo quadringentæ & amplius familiæ degunt. Gens urbana, jocunda, atque hospitalis, vici ampli, recti, mundi, frequentesque, forum patens, campi latissimi, apertissimique, ac uberrimi, ornatæ vineæ filis ad longum prospectum distentis, sylvæ opportunæ volucribus, ferisque gratissimæ, à quibus phasianorum cantus facile audiuntur, lacus, stagnaque innocua, Persici piscis, & anguillarum vivaria. Occupat is pagus supercilium vallis Padi mille fere passus ab eo distans: hinc oriunda fuit nobilis Sanazaria familia, olim Vicecomitum æmula, quæ per orbem dispersa propemodum evanuit, paucaque hoc in loco nobilitatis monumenta retinuit tanquam testimonia primæ originis, sedisque, ut castellum, molendina, piscationes, rivum Alboneæ, templique patronatum in plures divisum. Hic etiam Antonius Fregosius dominium loci habens senectutis suæ amores materno carmine celebravit, quod deinde dominium in clarissimos Malaspinas fratres, Franciscum & Octavianum, transtulit.

A sancto Nazario ad Orientem pergenti præsto est egregia villa Plebs Alboneola, distans à Deturbio torrente mille passus: cujus quidem alvei ambages adverso flumine sequens Caldisolum Castellum à sinistra manu spectas, quod olim nobilissimæ gentis Picæ Mirandulæ sedes fuit, posteaque doti, sive successioni, Tadeæ Picæ, Jacobo Malaspinæ nuptæ, cessit, recidens successionis jure in eosdem Franciscum & Octavianum fratres, ex quibus, me hæc scribente, Octavianus superest prole conspicuus, Padi etiam trajectionem dominii jure habens. Paulo ante Turris eminet, egregium tibi oppidum sua mole, altitudineque promittens; ubi vero appropinquaveris infamis Alagnia apparet, à languore appellata: languent quippe incolæ ex vinearum defectu, puteumque potus causa frequentius adeunt, quam torcular, aut vasa vinaria: oritur enim in Alagniæ finibus ineunte æstate à tellure edax eruca, volitansque vites invadit, depascitque folia, quibus ablatis arescunt jam exiles & immaturi racemi, sine umbra relicti. Desinente postea æstate eruca rursus tellurem ingressa fœtus edit, & recondit, deinde vertitur in vermiculum annulari digito minorem, quem aratrum agentes bubulci sæpe detegunt, ac perimunt; at minime tamen fœtus disquirere ac perimere possunt: nam æstate adveniente renascuntur iterum erucæ, alatæque in turmas edito stridore prodeunt, infestantque Alagniæ fines, ac etiam in Valigii ditionem ruunt, coguntque incolas sine vinearum ornatu ac commodo vitam ducere. Compertum autem mea ætate experimento fuit, quod omissa telluris cultura eruca simul periit, quia omissa cultura, durescit terra in superficie, qua durante duritie erucæ generatio vetatur: sed ipsa deinde terra ad culturam reducta, resurgit à natura soli hæc vinearum pestis. Cur autem in hac regione potius quam alibi eruca vigeat, dicam: viget sane alibi, sed non tam perpetuo ordine, ac copia: telluris superficies hoc loco urgente gelu parum premitur, quia humiditatem non habet, subest enim arenula, quæ humiditatem fugit: qua humiditate consumpta, crustula tantum terræ modicæ crassitudinis gelu corripitur; inter quam crustulam & arenam condit suos fœtus eruca in elaborato solo, atque ab hyemis rigore salvos facit. In pinguioribus vero agris major inest humor, majorque insequitur, crassiorque à gelu glebarum correptio, & per consequens statio erucarum in superficie minime tuta est, quia quicquid in ea est, gelu durescit una cum solo, & constipatur. Perditio autem erucarum est sturnorum copia: illi enim uvarum cupidi, gulosique, turmam erucarum uvis perniciosam agnoscentes, coacto agmine, in eas convolant, rostrisque exenterant, sibique, & dominis vites ab earum injuria vendicant. Est autem eruca in Læumellino agro similis cantharidi, rutilantibus alis, & corpusculo crassiore, à vulgo materna lingua *Garuva*, sive *Garivola*, à garritu, quem volitando edit, dicta, quæ cantharidum fere species existimatur: ad quas à vitibus arcendas Plinii remedia vana probantur.

Ad Alagniæ latus patet Valigium turrium ambitu circumseptum, quod à Sanazaria gente ædificatum in Albonesios, postremo in Arcimboldos clarissimos viros translatum, mirificeque ornatum fuit; & in quo etiam Picus Mirandula olim sua studia exercuit. Ambiunt Valigium jocunda nemora modico intercedente spacio, ubi ferarum sedes, atque deambulatio inspicitur. Hinc abest ad tria millia passuum *Trumellum* vulgo, Latine vero Trimellium, appellatum, ex eo quod tria recta itinera intra oppidi circuitum coeant, sive Mediolanum, sive Vercellas, sive Papiam pergas: cujus oppidani à natura sapiunt, & ideo ad opus rurale plerique litteras edocti prodeunt atramentario, libelloque secum allato, & si quid scribendum contigerit, in agro scriptitant, in agro alter alteri causam narrat, arguunt ad partes, sciscitantur sententiam, ac tanquam judices silentio bubulcis indicto, per sententiosa verba sensa sua explicant: à qua re *Trumellini judices* nuncupantur. Sursum versus prope Novariensium fines Vasta Turratia patet, domino quam agro nobilior; Julius enim Salerna vir peritissimus hanc possidet. Inter Deturbium & Ticinum amnem Novariensi agro finitima Parona apparet, deinde pulchra nobis Cœlavenia arridet, quasi à cœlo veniens, adspectu grata, sed incolarum moribus & urbanitate gratior. Ab ea recedentes Viclævanum petimus; cujus situs varietatem mirari licet: nam suo ambitu clivum & planiciem occupat; patens forum in medio habet, ornatum porticibus; Ædes regiæ in clivo eminent: Arx munitissima in promptu est; populus pacis studiosus mercaturam passim exercet, lanificio celeber, & ædificiorum apparatu longe celebrior; viridarium in Episcopali domo elegantissimum habet, fonte seu piscina in centro ejus per aquæductum manante, fructibusque insigni ordine consitis, Galeatii Petræ Ticinensis patricii studio, qui primus illius Ecclesiæ Episcopus præfectus fuit, & vitæ diuturnitate ac salubritate omnibus æqualibus antecessit. Rivuli vero aquarum à Ticino deducti oppidum ambiunt, ac jocunditate & commodo Viclævanenses exornant.

A Viclævano versus Meridiem, ut cœpi, pergens, regio ipsa in cunei formam, diametrumque, protenditur; nam hoc loco parum distat Deturbius à Ticini valle: in Meridiem vero pergenti latior exstat regio. Ecce tibi ad dexteram Campolævum patet, à quo Campolævini oppidani vafri, arguti, ingenio ac viribus præditi, militiæ, agriculturæ, mercaturæ, venationis, piscationis, aucupii, fraudisque periti, decipi ab eis, quam eos decipere, ni caveas, facilius est; à qua re proverbium manavit; *Campolævinus non erit, qui de alieno suum non fecerit.* Si tamen cum eis liberaliter egeris, liberaliores eos dixeris: vinci in bono, aut

aut malo, nullo modo volunt. Ad sinistram in supercilio vallis Ticini Sfortiaca adest, latissima prata rivulis aquarum irrigabilia pandens. Vicinus Sfortiacæ est Burgus sancti Syri, vini optimi fama notus, cujus bonitas in septimum durat annum, magisque perficitur. Ad dexteram rursus prospiciens, Carilassium oppidum habes, ubi mirabilis mulierum sollicitudo viget: exeuntes enim ad opus campestre, catervatim incedunt, unaquæque colum defert, pergensque fuso deducit fila, & deducta colligit, nodoque cuspidi circumnexo alia vicissim deducit, nullum sine opera, dum iter facit, tempus omittens. Catervam puella insequitur, operaria instrumenta deferens, ut ligones, rastros, cistulas, peram, panes, cantharum, & alia eis necessaria. Relicto Carilassio, Durnum ad eandem dexteram spectas, asparagi serendi ac colligendi promptitudine notum; ubi ilignea septa Deturbium excipiens spectanda est, miro fabrefacta opere Albonesiæ familiæ sumptibus. Septa hæc transversum alveum claudit, pluribus instructa portis: quæ omnes panduntur hyeme, aquis libere dimissis, æstate vero clauduntur, divertunturque aquæ ab alveo, & in prædia immittuntur.

A Durno distat Grupelium tria millia passuum, quod in crepidine vallis Ticini situm est. Rupelium potius à rupe dictum, clarissimorum Vicecomitum Castellum, rubri vini præstantia notum, à quo vallis Ticini villæ prospiciuntur, ut Casellæ, Sancta Sophia, Limes, & Parasaccus vicus, Carbonaria, & alia loca. Ab eodem etiam Durno oppido, ad Padi vallem tendens, ante oculos habes Zinascum vicum, longo tectorum ordine ædificatum, Seranumque, & Summium à Summitate dictum, ubi finem Læumellina habet. Qui quidem pagi alto prospectu Padum mirantur, mirantur autem, imo vero verentur, ne volubili undarum raptu Montisvelleris exemplo petantur ac subruantur: is enim nobilis pagus trecentis & quinquaginta quinque transactis annis Jordanæ gentis patrimonialis erat; Padoque irruente collisus funditus ab undis fuit: est autem Jordana gens, familia hodie Eustachia dicta, ab Eustachio Petri filio viro clarissimo, unde mihi genus maternum est: minimeque familiæ suæ decori Blanca mater mea defuit, vitæ honestate ac rerum familiarium cura, quæ me Romæ agente, defunctis longa ætate corporis viribus (nam nonagenaria erat) è nobili pectore nobiliorem emisit animam, meque ipsum sæpius in humanis casibus, rerumque discrimine, versantem, valere jussit. His igitur Læumellinæ oppidis, pagisque descriptis, superest referre fructuum præstantiam, ab ipsa Campania provenientem.

CAP. IV.
DE LAEVMELLINAE FRVCTIBVS.
De Asparago.

INCIPIT ab asparago hujus Campaniæ fructus ineunte Vere; cujus quidem asparagi culturam prisci Romani diligenter exercuere, ut Cato docet in libro *de Re Rustica*; posteri vero, Ravennatibus exceptis, despexere, ut fatetur Varro *de Lingua Latina* libro IV. ita scribens: *Asparagique ex asperis virgultis leguntur*, &c. Nostri ergo Læumellinates asparagi sationem à silvis & saltibus ad hortulorum formam & elegantiam summo studio transtulere, undique conquisitis post autumnum ejus radicibus, tenuique sulco dispositis, ac fimo equino terræ summitate conspersa, eademque tellure, desinente hyeme, rastris leviter attrita & emundata, ne alienæ herbæ, ac præsertim gramina, simul cum asparago terræ coalescant: compertumque experimento fuit Læumellinum fundum inter Ticinum & Agoniam asparago aptissimum esse, uliginosa arena multo promptius solis tepores Veris initio percipiente, quam fœcundum ac densum solum: promptius itaque etiam, ac maturius, prosilire à Læumellinæ humo asparagi hac ratione solent, quam à Cispadanis hortis: celebresque in hac re sunt in primis Cælavenii, Campolævini, Tromellii, Durnini, aliique Deturbio vicini, ubi tempestivi asparagi succisio præcipua viget. Nec solum horti, sed vineæ, & campi referti asparagis iis in locis circumspiciuntur, qui adscendente aurora sub Veris initium è terra prodeunt, ac per myriades mane succrescunt, crassique ac sublimes in horas fiunt, & nisi eadem die succidantur in semen desiliunt, atque obdurescunt. Quare non solum nobis, nostrisque, vesci hoc olere, sed finitimis etiam transmittere compositos in cistulis fasciculos amicitiæ gratia necesse est, nimia exuberante copia. Surgit vero apud nos biennali industria virens fere totus, tumensque etiam ex succi copia, & superbe nitens, mollis tactu, gustuque suavis, ut interdum crudus edatur, levique coctione conficitur: probi autem nutrimenti est, tum quia naturæ vires temperata caliditate fovet, tum etiam quoniam meatus aperit, somnumque conciliat, & ciendæ urinæ aptus est, maxime si ante cibum edatur: atque si generationis studio subministrare rei Venereæ materiam libet, copiose ede, & in tempore age.

CAP. V.
De Fungis.

TRVDITVR eodem tempore à terra in Læumellinæ tractu saluberrimus fungus, à spongiæ similitudine *spongiolus*, sive *spongiculus*, vulgo appellatus; qui in pascuis ac saltibus minime palustribus nascitur, & ad pugilli magnitudinem nocte crescit, maneque tollitur, & modica coctione purgatus, farinaque respersus, frixorio assatur, ac sine noxa editur. Dissimiles ab iis spongiculis sunt fungi æstivi, autumnalesque, sive boleti, sive pratenses sint, & quorum copiam vel maximam Læumellina habet, atque autumnales probans, eos solos legit, nec statim coquit, ut Plinius docet *libro* XXII. sed ebullitione defæcatos atque emollitos tactu secernit: & purgato humore sale in vasibus condit, servatque ad alia tempora: fungos vero æstivos tanquam perniciosos odit. Cur autem æstivi mali, & autumnales innocui habeantur, referam. Minus plerunque excrementicii humoris terra autumni initio habet, quia ex præcedente æstu omnis fere superfluitas in terræ superficie consumpta est, qua consumpta minus etiam ex terrea malitia attrahere in ortu suo fungum necesse est, & per consequens minus lædere vescentes solet. Contra vero æstate apparentes fungi, plerique ab opacis locis, nondum æstus diuturnitate purgatis atque exsiccatis, prodeunt, insitamque propterea terræ malitiæ superfluitatem habent, quæ stomacho recepta obruit naturæ vires, ac nisi ocius evomatur, hominem suffocat, intercepto meatu, quo spiritus emittitur. Hac ipsa etiam ratione æstivi fungi, boletive, in montibus, collibusque nati, sæpe innocui esse probantur, quia minus humoris lubricitas collis, minusque excrementiciæ malitiæ, à natura propter declivitatem recipit, quam ipsa planicies. Ex fungis autem autumnalibus minus superfluitatis habere Læumellinates in sylvis ac saltibus perceptos clarum est, quia sylvæ, saltusque, in ipsa regione in locis aridioribus sunt, minus culturæ aptis, & cum ab arido solo gignantur, minus excrementiciæ materiæ contrahunt, quam ii, qui in fœcundis campis concipiuntur.

CAP. VI.
De Moris, & Bombycibus.

INCALESCENTE tempore alius sese nobis offert fructus ab esu alienus, sed natura conspicuus; quem tibi patula morus affert, distinctis ordinibus in Læumellina consita. Alba enim apud nos arbor, quam Romani Celsum vocant, in usu est, quia citius adolescit: hanc adscendens villicus adolescens rapida manu defrondat, virentia folia sacco ingerens, ac festino gradu domum properans, ut reptantibus per tabulas bombycibus, sive bombylibus, caputque fame attollentibus, pabulum suggerat, quo pleniore alvo albescens quisque vermiculus sericeum globulum præstantius componat, seseque in eo texat ac recondat; mox operis sui precio interiturus, globulis ipsis ad Solis ardorem expositis, paucis tantum sobolis causa in umbra dimissis: ex quibus contracto corpusculo bombyces papilionis forma exeunt, alatique coeunt, strepuntque, denique emissis ovis, atomis similibus evanescunt. Collecta ovicula mulier involvit lineo panno, servatque procul à calore ad insequentis Veris initium: quo appropinquante, visaque simul morus arboris pullulatione, ova sinu excipit, fovetque calore, quo biduo animata repunt, auctisque paulatim esca corpusculis somnum capiunt, atque à nigro colore, quo ab initio præditi erant, in bombyceum transeunt, ac nobis operantur. Mirabilis quidem naturæ vis, solo Dei nutu instituta: semen est quasi pulvis, à quo serpit ab initio pene invisibile animal, & Regum ac Principum indumenta tantillo tempore ac labore molitur. Pascunt bombyces, sive bombycas, in Latio & Orientali Italia frondibus nigræ morus, ut etiam in Hispania, quia hæc in calidioribus locis tempestive adolescunt. Nostra vero regio, cum algore magis vigeat, quam æstu, nigras morus tantum in hortis & viridariis, fructus & deliciarum causa, habet, utpote sero crescentes, & sero etiam mora emittentes. Probatæ autem maxime ad sericeum vellus plantæ Læumellinates sunt ex locorum apricitate & siccitate: superat enim Læumellinæ planicies, situs sui altitudine, omnes fere Circumpadanos tractus, patensque est tam ad Solis tepores, quam ad ventorum flatus recipiendos. Item, quod est ejus præcipuum, si terram infra ulnam effoderis, sabulum passim invenies, à quo humor inferior naturali ariditate desiccatur: hinc est quod plantæ ad arenosum fundum radices promittentes, minus humiditatis contrahunt, foliaque propterea tum duriora, tum etiam angustiora, & ideo præstantiora, faciunt: reprobant enim serifices lata & mollia folia, ajuntque ab eorum esu vermiculos tumescere ac perlucere, & ex nimia humectatione putrescere: & è contrario à siccis & durioribus foliis bene nutriri, ac operosiores formari; quod verum esse patet.

Plura me de iis scribere duo clari Viri vetant, Jacobus Sannazarius, & Hieronymus Vidius; quorum alter candidam Morum lepidissimo Carmine celebravit, alter pleniore tuba Morum & Bombycem, Sericumque cecinit. Monere autem Lectores libet; Bombyces ab initio dictos fuisse vermiculos à Bombycis inventione, quod refert Plinius *libro* XI. de Bombycibus, Bombycinam vestem ex hujusmodi vellere contextam asserens. Nostra vero ac majorum ætate clarum est, Bombycem, vel Bombacem prodire ex minuto semine, quod sub autumnum terræ mandatur, & vere colligitur, cotonusque à Calabris appellatur, apud quos hujus seminis satio, & perceptio in usu est, præcipue in territorio Bissiniani & Castrivelluri; oriturque ex hoc semine frutex ad cubitalem altitudinem, baccam, vel coccum, in summitate ferens, ad avellanæ nucis magnitudinem, intra quam baccam bombax ac grana seminis enascuntur, & maturitate adveniente panduntur. Idem etiam in Hispaniæ regione, quæ Bætica olim, & hodie Granata dicitur, nasci patet. Quo autem modo apud Antiquos sericum in usum & artem deductum fuerit, vermiculisne operantibus, an arboribus vellera à se ferentibus, disceptant Neoterici apud Virgilium, libro II. *Georgicorum* ita scribentem:

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?

Quæ verba nullam indicant vermiculorum operationem, sed arborum tantum lanificium, ut etiam Plinius memorat *libro* VI. ubi de Scytharum gente scribit; inter quos eosdem Seres populos sylvarum lanificio celebres refert: idemque Plinius postea *libro* XI. de Bombyce Coa scribens, apud Græcos vermiculorum curam & lanificium in usu fuisse testatur. Incerta itaque inquisitio videtur.

CAP. VII.
De Fragis, & Serpillo.

DUM curant bombyces, foliaque legunt pueri, fraga illis juxta sepes, & in campestribus, incultisque locis, sub foliculis rubent, quibus conspectis accurrunt ad ea illi promptius quam ad morus folia, pronique alter alterum dejiciens in terram ruunt, socioque rejecto, fraga manipulatim præripiunt: quibus demum absumptis, serpillum legunt, quod passim in agris, ubi intermissa cultura est, à natura serpit, terræque summitatem sparsis radicibus continet, nec ad inferiora tendit, ac sole viret, soleque languet, & virore amisso sole rursus recreatur ac nitet. Lectum serpillum spargunt per tabulas, ut odore bombyces excitentur, atque abigatur fœtor ex incluso aere, & eorum stercore proveniens. Si vero etiam ægre acescenti vino addere acrimoniam tibi curæ est, contusum serpillum vasi immittito, atque obturato, & septima die acetum habeto.

CAP. VIII.
De Fœni diversitate.

NUSQUAM majore studio quam in Læumellina fœnisicia fiunt, tripartito semper fœni genere, usuque: quod enim mense Majo in pratis eminentibus resecatur, bobus labori assuetis reponitur, & *Majale* vocatur: quod vero ab humilioribus locis colligitur, ubi asperior tactu herba insurgit, equis viatoribus destinatur; quibus innocuum esse dignoscitur: (nam militares equi paleis potius quam fœno aluntur) bobus autem noxium tale fœnum est, quia ventres eorum lubriciores facit, qua ex re lassati viribus ægre ac perniciose labori subjiciuntur. *Augustanum* deinde, sive *Augustale*, fœnum dictum ab Augusto mense, in quo secari solet, juvencis, vaccisque, servatur: & quod equino generi, ut dixi, ex Augustano aptum est, equitio reponitur. Nullas ipsa regio pecudes, nullasque capras alere solet, sed armentis tantum, quibus maxime excellunt, incolæ delectantur. Bobus quoque alia pabula suo quæque tempore præbent, ut viciam adhuc virentem, dum tenera grana thecis insunt, ut avenas; & Septembrio adventante cum seminandi labor prope est, panicum ab imo succisum fasciculatim exhibent. Asellos autem vix centum in universa ora reperies; abstinent enim ab alendis asinis ob luporum, quibus abundant, insidias: exsurgunt illi catervatim ex sylvis aselli ruditu audito, & bipartito agmine incautos excipiunt, ac indefensum animal, fugæque ineptum, in diversa lace-

lacerant, ſæpeque occurrenti puero diſtrictis dentibus obviam infenſi eunt, prædamque horrido viſu ac ore tuentur.

CAP. IX.

De Meſſis varietate & copia.

SUBIIT jam me ſcribentem operoſa meſſis, cujus mirari varietatem ac ubertatem æquum eſt. Hordea ſeſe primo meſſoribus parant, quæ niſi cito metas, jacturam poſtea in metendo facies, quia maturitate nimia ſpicæ levi motu franguntur, paſſimque grana decidunt, tibique non avibus pereunt. Siligo inſequitur alba, altaque ariſta eminens, tutoque maturitatem ferens, nec falcis ictu lenta grana dimittens. Inſtant tertio loco frumenta alba & ruffa, ſine lolio coaleſcentia, quæ immatura potius quam præmatura ſecanda ſunt; ne invaleſcente ſimul vento, æſtuque, grana è ſpicis ſæpe agitatis decidant. Alba granis numeroſiora & ſpecioſiora ſunt: ruffa turgent ſpicis hiſpidioribus: qua ex re nebulæ, ſive caligini æſtate inſurgenti, minus ſunt obnoxia, ſed granis non ſunt æque præſtantia; nam ſingulæ ruffæ ſpicæ pauciora grana, quam albæ reddunt. Item ſingula quæque grana, ruffa mola ſubacta, minus farinæ, & plus furfuris quam alba edunt. Cura tamen utriſque pariter eſt adhibenda: quoniam non ſemper utriſque, ſed ſæpius alterutri tantum, anni ratio favere, & alteri infeſta eſſe ſolet. Succedunt farra nomine ſpicæ, & proprietate diverſa, alia in ſiccioribus arvis, alia in humidioribus ad frugem provenientia: quæ ex ſiccioribus metunt, farra dicuntur, molaque confracta potius quam piſtillo liquidis eduliis deſtinantur, quibus etiam veſci febricitantibus Phyſicorum conſenſu permiſſum eſt: quæ vero ex humidioribus campis colliguntur equorum cibo aptiora ſunt. Tertium far Antiqui candidum, noſtri *candilium*, & corrupto vocabulo *Scandelea*, Reatini vero *Arga* appellavere, quod quidem far latiore ſpica coaleſcit. Quarta farris ſpecies trimeſtris à Collumella ſcripta, noſtris eſt ignota colonis, quibus tria tantum uſui ſunt trimeſtria, imo verius quadrimeſtria, ſemina, Hordeum, quod à Martio menſe, quo ſeminatur, *Martiolum* dicitur: Siligo ſimiliter *Martiola*, ac etiam avenæ; omitto viciam, & reliqua, quæ paleis non coaleſcunt.

Iis igitur meſſis generibus in unum coactis, ac in prælongam pyram compoſitis, incipit trituræ labor: ibi nullus jumentis, nullus equis, aut bobus tritandi locus eſt, agendum hominum ac mulierum validitate & cura eſt: omnia hic humana ſunt terenda atque verſanda manu. Priſcis olim colonis, ſcriptoribuſque, ut Catoni, Varroni, Virgilio, & Collumellæ, ac Palladio, & Plinio ignota hæc ratio fuit, quam noſtræ exercent gentes ad induſtriæ apicem ſuo ingenio evectæ. Accinguntur ii noſtrates operi rejectis indumentis, & explicatis ariſtarum manipulis, ſoleque luſtratis, arreptiſque fuſtibus in aream facto agmine prodeunt, ineuntque laborem, & tanquam adverſa acie diſpoſiti ſenſim in latus incedunt terendo atque verſando. Terunt autem ſublatis in altum fuſtibus, ictuque demiſſis ſtrident tum in deſcenſu virgæ humano robore actæ, reſonant ordine ac tempore geminati ictus: ſequuntur ictus rurales voces ſeſe alternatim ad opus incitantes: franguntur paſſim ariſtæ, granaque proſiliunt, tandemque exinanitæ ſpicæ, feſſiſque labore & calore areatoribus tritura perficitur. Areatores enim ab arearum induſtria ii viri, llulieresque, ſive viragines, appellantur: eſt autem virga, inſtrumentum ex binis fuſtibus compactum, & volubili nodo conjunctum, quod ad incutiendum ictus utraque manu adhibita aptiſſime circumagitur, atque demittitur: ex quibus quidem fuſtibus, alter manibus continendus eſt longiorque, alter vero, quo triticum cæditur, eſt gravior & brevior. Nullaque gens in Europa uti longioribus virgis viſa eſt, quam Circumpadana. An autem Tribula, & Virga idem ſit, non contendo, quamvis à terendo quaſi *teribula* dicta à Virgilio videatur, Servio aliter ſentiente, cui cedo.

Excuſſis probe ſpicis amoventur ab areis paleæ, longoque ordine in pinnam componuntur, ne corrumpantur ab imbribus: occupant autem hujuſmodi palearia extremas partes curtis, à veteribus chortis dictæ, ut incendii periculis minus pateant: ſurguntque in medio arearum immenſi frumentorum acervi, atque ab areis in horrea referuntur, ab horreis quippe ſemina exierant, redire itaque eorum germina ad horrea decet: relata in horreum longe lateque panduntur, ne coacervata caleant, ac corrumpantur. Abigendæ inſuper frequenti amotione papiliolæ ſunt, ne ſuper eis coeant, germinentque; hæ enim inſectæ aviculæ coeuntes ſuper granis ova minuta araneo filo hærentia pariunt, è quibus tinea calore percepto naſcitur tritico perniciosa. A loco igitur frumentis ſæpe mutatis, papilionica generatio inhibetur. At ſi pluvioſa æſtas ariſtarum manipulos frequentius madefecerit, coloni diligentia æque non proderit: gigni enim intra granum corruptionem farinæ, & ab ejus humore & calore vermiculum enaſci etiam in paleis clarum eſt. Orandum itaque eſt, ut Deus omnipotens tempora nobis opportuna tribuat, ne ſimul cum labore res ipſa pereat, atque ut oratio Deo placeat, vitæ integritas præſtanda eſt.

Ex hujuſmodi igitur tritici, frugumque ubertate, ac diverſitate, copia fere ſemper in noſtris agris adeſt: fallenti enim Siligini, aut Hordeo, aut Avenæ, Frumenta, Farraque plerunque ſupplent, & è converſo, raroque utraque meſſis colonum fraudat, & alterutra ſive etiam utraque parte reddente, Milio, & Panico largius in ſeminaemiſſo, agricolæ ſeſe adjuvant, pelluntque penuriam. Qua demum induſtria, ac cœli ſolique largitate, non ſolum ipſis agricolis, dominiſque, ac cæteris incolis, ſed finitimis etiam noſtra regio alimenta ſuppeditat, ut Helvetiis, ac Liguribus, quibus antiquæ ſocietatis jure noſtræ areæ noſtraque horrea in ubertate patent. Cujus autem præſtantiæ frumenta Læumellinæ ſint, accipe: Mediolanenſis populus in foro triticario, viros publica auctoritate præficere ſolet, qui Læumellinea frumenta venum importata, oblato precio ad Priſtinum panis albi deducant, nec cuipiam privatim vendi ſinant: eſt autem Priſtinum furnus publicus in medio urbis conſtitutus, ubi optimus panis ſemper in magna copia populo venalis patet: & quia ex Læumellinati frumento panis candidior, ac etiam venuſtior, conficitur, præferri in comparandi optione ipſius Priſtini conductorem publica auctoritate placuit. Itaque ex Mediolanenſium judicio, illa frumenta cæteris anteferenda eſſe probantur, quod autem frumenta inter ſe differant, clarum eſt, ut peritiſſimus vir in libro *de Affectionibus*, Hippocrati adſcripto, docet iis verbis: *Frumentum & vinum differunt inter ſe ipſa ex natura*, &c.

CAP. X.

De Lini præſtantia.

LINA ejus regionis optima eſſe in primis Ligures probant, qui ea in comparatione cæteris præferunt, majore etiam adjecto precio, & Ligurum judicium probans Plinius *libro* XIX. de Lino, hæc ipſa lina inter præſtantiora refert, minime quidem nominatim Læumellinum ſcribens, ſed deſcriptione hoc ipſum colligens per hæc verba: *Inter Padum, Ticinumque amnes*, &c. Plinium deinde ſecutus Blon-

Blondus in *Descriptione Italiæ* hæc lina celebrat, pro A
Læumellina *Laumellinam*, vitio impressorum potius quam proprio errore, scribens: quorum virorum sententia vera est. Sunt enim hæc lina subtilissimo ac firmissimo filo, telæque ex eo contextæ durabiliores sunt cæteris, quamvis sint tenuissimæ: sed quemadmodum lini præstantia ager Læumellinus celebratur, ita etiam lini copia ager Brixianus, Cremonensis, Laudensisque omnibus Italicis regionibus antefertur, quorum lina telæque non solum jumentis, sed curribus, ac navibus abducuntur. Egregium autem est utriusque lini differentiam agnoscere, quam explicabo. Postrema fere Martii mensis hebdomada Læumellinates lini semina terræ mandant; Sartirana & ejus finitimis exceptis, B
qui exeunte Februario seminant. Crescit itaque linum æstivo calore ac imbre, & iccirco tam à soli natura, quam à cœli temporisque proprietate fit linum, planta folioque gracile & firmum, & deficiente imbre deficit linum, semine tantum superstite: nam nisi ad ulnæ, seu pedis altitudinem adoleverit, inutile habetur. Brixiani vero, & eorum finitimi, tempestivius semen lini serunt, quia eorum regio ab occiduis Alpibus & à pruinarum invasionibus longe est remotior, quam ager Læumellinus. Crescit itaque maturius linum in Brixiano agro tum Veris imbribus, tum etiam aeris tepore. Insuper etiam siccitate urgente addunt fluviales aquas, omniaque undis rigant, quibus ex rebus C
mollis planta, crassaque, adolescit, utpote terræ cœlique temperie, & aquarum fluvialium pinguedine, educata antequam æstus adveniat.

Qua quidem naturæ varietate evenit, ut ipsa quoque Brixianorum & finitimorum lina molliora sint, ac per consequens laboratu faciliora quam Læumellinea, & ideo ab eorum fœminis, alta voce canentibus, ac labore & amore lætantibus, elaborantur. At Læumellinea lina, cum duriora sint, filoque licciore à natura producta, à validis tantum viris (ut etiam scripsit Plinius) die noctuque laborantibus, ac magna vi tum lignea, tum ferrea scutula, vulgo *spatula*, lina concutientibus, versantibusque, ægre fiunt, à quo labore nomen habent: linarii enim operatores, à nostris incolis ex- D
cussores, & populariter *scussoreoli*, ab excussionis industria & arte appellantur: & inter Italiæ operatores Læumellinates palmam obtinent; Plinio etiam annuente, qui lini artem diligenter expressit, hac tantum parte omissa, quam addo, non ut doctissimi viri scriptis serta appendam, sed ut nostratium artem, laboremque, in hac re aperiam. Semine à lino excusso immergitur linum in fasciculos dispartitum aquis tepentibus, triduoque sub aquis pondere imposito continetur, à quibus extractum statim in acervum componitur, ut coacervatione ocius calefiat: madidum itaque calet, saltem biduo, quæ calefactio appellatur macera- E
tio, vel populari verbo *massatio*: conficit enim ea res plantæ duritiem, ac separabiliora ipsa fila ab alterutris facit, quam si omiseris, majus tibi opus frustra paraveris. Soli postea exsiccandum tertia ferme die, solutis fasciculis manipulatim explicatur, exsiccatum fasciculatim religatur, ac reponitur: contusio deinde sub æquinoctium ligneo malleo perficitur, atque interjectis diebus sequitur utriusque spatulæ ligneæ, ferreæque, concussio, quæ duo sunt inter se diversa re, opere, & tempore: postremo additur expectinatio, quæ fit lino ipso ferreo pectine, ultro citroque deducto, probeque depexo: sed cum lini præstantiam perceperis, agnoscenda est etiam, si placet, ipsius se- F
minis vis.

CAP. XI.

De Lini Semine, & ejus Oleo.

LINI semen à Læumellinatibus ad tripartitum usum destinatur, aut semini, aut oleo faciendo, aut Draconis herbæ generationi. Semini, cum ad linum germinandum sive autumno, ut in Flaminia, & Cispadanis agris, sive vere seritur. Draconis herbæ generationi cum raphano inclusum terræ plantatur; sed hujus oleris copia adeo inolevit, ut ex propagine tantum plantæ fiant, & interdum etiam ejus frustula terræ commissa sponte coalescant. Est autem Draco herba à peritis viris Pyrethrum dicta, esu gratissima, caliditate stomacho vim addens & appetitivam virtutem excitans, habens folicula, lino similia, & nullum semen ferens: quæ æstate tantum usque ad solstitium viget, postea obdurescit, hyeme vero virorem amittit, radice supervivente, verisque tempore germinante. A lini autem semine fit oleum, ejus primo granulis mola subactis, deinde torcularis machinæ suppressioni suppositis; fluit enim ex prælo purum prius oleum, postremo impurum, lucernæ potius quam cibo aptum. Puri sive primarii olei virtus mirabilis est ad vermes, sive lumbricos, perimendos: concisum enim in partes panem, & leviter assatum, matres poculo imponunt, superinfuso hoc oleo, & cum panis oleum ebiberit, vinum album pueris spectantibus addunt, blandisque verbis ac materno lenocinio ad panem jejuno stomacho edendum infantes eliciunt, vino etiam exhibito; hoc enim cibo lumbrici à ventre pueri ad secessum repelluntur: atrox enim lumbricis tam genitis, quam ex corruptione gignendis, hoc oleum præ omnibus est, quod ex manifesto ac populari experimento patet: ungunt enim casearii hoc oleo ingentes casei formas ad corruptionem evitandam, vetaturque ejus contactu à carnibus corruptio, parsque etiam incuria tabefacta eodem oleo illinitur, probeque curatur. Pueris autem lumbrici sunt infesti, ac nonnunquam interneciosi usque ad septennium, quo exacto, remotiores à corruptionibus, & firmiores fiunt, ut docet Hippocrates in libro *de Carnibus*, ubi magnam naturæ vim insitam esse septennio innuit, & septimo figurarum numero contingi notitiam hominibus à natura probat, libro primo *de Diæta*. Idemque libro IV. *de Morbis*, nasci etiam in utero pueruli, dum materno alvo includitur, lumbricos docet: Avicenna autem notat, etiam ex dentium emissione corripi dolore infantulos, ac vermibus subinde infestari. Ego vero etiam ex diversi aeris mutatione idipsum accidere animadverti. Denique sive illi nimis dulcia edant, sive horarios fructus, quos cupide & furtim rapiunt, immoderate comedant, sive etiam tristitia, aut improviso pavore, perculsi, in languores incidant, facillime à lumbricis, nisi prævideas, torquentur.

Ad olei autem virtutes rediens, impetiginem à capite frequenti unctione prohibet: hastas quoque, & tabulas, opportune illinitas, à vetustate servat. Utinam similiter posset ab hominibus vetustatem avertere; plures enim ungi se ab imo ad summum circunquaque paterentur. Expresso oleo remanent in torculari reliquiæ oleosæ materiæ, quas nostri *Paneolos* vocant, sive quod quasi panes oleosi videantur, sive quod à pannis, quibus obvoluti erant in olei expressione, extrahantur. Hos igitur *Paneolos*, sive *Panillos*, tollunt, servantque, donec exsiccentur, siccos autem autumno exacto frangunt, & tritant, ac pinguefaciendis jumentis furfuri commixto pro bestiarum edulio proponunt. Tumescit pinguedine bos ejusmodi esca saginatus, carnisque mole excrescente, pene immobilis efficitur. Invalescente gelu, Decembrio exeunte, in publicum educitur: dominorum hæc gloria est, præcipue macellariorum; nam qui pinguiores bo-

ves pro macelli uſu ad publicum decorem mactaverit, honorificentior eſt cæteris. Bobus in publicum deductis, inclamant admiratione juvenes ſingulorum magnitudine conſpecta. Illi pinguedine onuſti, artubuſque trementes, ægre attollunt pedes, ac teſtudineo inceſſu lenti, graveſque, pergunt, hedera ornatis cornibus, ac famulis hinc inde circumſiſtentibus, ne gelu lubricitate prolabantur, ac corruant. A quo ſpectaculo boves Papienſes per Italiæ urbes tanquam mirabiles fama celebrati ſunt, uno præcipue ex his, & eo quidem ſpectatiſſimo, à noſtris oris Ferrariam navi advecto, cujus rei cauſa *Bos Papiæ* Ferrarienſibus, tanquam aliquid viſu mirabile, hodie etiam in proverbio eſt. Et Atteſtii inſuper Duces, viri illuſtriſſimi, locatis ſæpe Comacli lacubus, ſtagniſve, Papienſibus, bovem etiam Papienſem ſaginatum menſe Decembrio importari Ferrariam præter locationis precium pacti ſunt.

CAP. XII.

De Vitibus, & Labruſca, Vinoque.

AD vites converſus, dubito quid magis probem, vites ne quadrato ordine ac ſpacio in agminis ſpeciem diſpoſitas, paliſque ſubnixas? aut opulis, ut Varro ait, conjugatas? an viles, & in ſylvis abditas, neglectaſque labruſcas? Vites enim ſicut fructu longe excellunt, ita etiam magni impendii, & in Læumellina fallaces ſunt, triplici vexatæ malo, aut pruina, aut uredine, aut grandine: & à pruina incipiens, illa alienis menſibus, ſcilicet æſtatis initio, Læumellinæ faciem operit; Apennino maxime nivibus onuſto, ac cœli ſerenitate inſecuta, ventoque noctis initio increbreſcente: qua quidem effuſa pruina infœlices pampini gelu torridi è palmitibus pendent, ſoleque invaleſcente arent, evaneſcitque ſpes vindemiæ. Pruinæ etiam tranſacto periculo, uredo à nivoſis montibus æſtate timetur, quæ vento ſpirante frigore acinos perſtringit, inficitque, nec ſinit ad maturitatem verti: itaque cum uvas cernas, fruſtra vindemiam exſpectas. An vero ita etiam gignatur uredo, ut Plinius notat *libro* XVIII. *cap.* XXVIII. dubito, vario temporis caſu acinos afficiente: nam & à maritimis oris interdum uredinem efflaſſe Læumellinates obſervarunt. Quid horribilius grandine? oritur ab Aquilone ſæpius cœli obtenebratio, fragor inſequitur, corruſcant fulgura, increbreſcunt tonitrua, adſunt jam jam, capiti imminent, malumque minantur, tandem ruit ſine imbribus ingens grando, ac præcipiti caſu vites petens, fructum excutit, antequam in fructu ſit, ſternitque in vineis omnia, racemos, frondes, pampinoſque, ac palmites etiam ictibus comminuit. Raro tamen univerſam regionem conterit ſicut pruina, quæ interdum quicquid vitium in Læumellinæ dorſo patet, totum verrit, perimitque futuros fructus.

His igitur cœli caſibus ſubjectæ Læumellinæ vites incertum fructum dominis promittunt: contra vero labruſca ſine ullius cura, aut labore, tuta in ſylvis latet, expers pruinæ à terræ humilitate arborum adminiculo ac porceritate elata, ſpernit tonitrua, ac grandinis ictus eludit, arborum frondibus, ramiſque contecta, uredinem non ſentit munita ſitu: quoniam vel ab Aquilone, vel ab Occaſu Aquiloni proximo, frequentius uredo Læumellinam aggreditur: quo quidem in latere raro labruſca adoleſcit, ſed aut ab Oriente, aut à Meridie in altum ſurgit, ſylvaſque complexa demittit palmites, uvarum pondere depreſſos, quos oppidani vinearum fructu amiſſo populatim ſpoliant, lectoſque botros pedibus calcant, & premunt prælo, ſolique labruſcæ vindemiæ nomen honorem, laudeſque canunt. Oh ingrati viri! cur non eidem culturam, putationes, aliaque opera impenditis, ut gratior ac uberior fructus vobis à natura fiat? Minime ergo deſpicienda labruſca eſt, cum fructus ab ea certior quam à vite prodeat. Attamen ſi vini præſtantiam ſpectas, non eſt quod Læumellinæ vites, etiam tot caſibus obnoxias, cum labruſcæ ruditate conferas: excellunt quippe Læumellinæ vina, alba, rubraque, claritate, odore, ſapore, ac ſtatu, omnibus finitimis, & Circumpadanis vinis: Mediolanenſe ſemper excipio, approbante Varrone, quod alio loco à me fortaſſe commodius referetur. Ipſius autem vini præcipue gloriam habent vineæ in Læumellinæ ſummitate ſitæ juxta vallem Ticini, inter Grupelium & Burgum ſancti Syri, ubi levis ac ſabuloſa tellus in ſuperficie patet, ſub qua exſtat jocunda, udaque arena, tactu mollis ac uliginoſa, vitibus alendis ac probo vino ferendo apta. Hic neque aſſiduæ pluviæ obeſſe vitibus poſſunt, arenæ ſiccitate ſuperfluum humorem ſenſim adimente; neque urgente æſtu tellus ipſa dureſcit, cum ſit ſuapte natura reſoluta ac levis: prodeuntque ex hujuſmodi ſolo vites ligno ſubruſſo, gemmis denſis, brevibuſque internodiis, ac foliis pene anguſtis. Uvæ autem ipſæ graciles ſunt, ac duriuſculæ, quibus nihil fere aquei humoris, ſed vinolentus liquor ineſt, tactu ipſo quaſi applicabilis: vinumque ab hoc liquore confluit, præſtantia ac diuturnitate præcipuum, de quo ſcribere mihi nota operæ præcium puto.

Quod album eſt, *Vernaculum* appellatur, & in ſeptennium aucta potius quam diminuta bonitate durat: ſeptimi enim anni vinum Vernaculum, mirabilis potentiæ delibavi, mihi allatum ex cella vinaria Xenodochii Divi Matthæi, quod vulgo *Hoſpitale infirmorum* Papienſes vocant: rogatuſque à me Præfectus Hoſpitalis, cujum eſſet vinum à Burgo ſancti Syri, reſpondit, ſervari pro infirmis nimio morbo languentibus, ad nares & pulſus madefaciendos, & ſenſus excitandos, irruente ſyncope, id eſt, defectu animi; *Vernaculumque* opinor appellari hac ratione, quod verno tantum tempore bibere eo liceat: nam ſi æſtate biberetur, aqua non infuſa, præcordia ſane nimio calore incenderet. Rubrum autem vinum ejuſdem loci ad triennium tantum ſervari accepi. Poſt Burgum Divi Syri, Grupeliumque, non modicam vini rubri laudem, Plebs Alboneola, & Caldiſolium, ac Vicobianum habent, quorum coloni ſumma diligentia curant ſuorum dominorum vineta, in mobili ac lato ſolo elegantiſſime conſita. Hæc ea potiſſimum cauſa retuli, ut multorum inſcitiam detegerem, qui Læumellinam regionem deſpiciendam ex ſoli (ut ajunt) ariditate putant. Ego vero è converſo nullam terræ partem parvi faciendam cenſeo, ubi enim frumenta, farraque ad frugem pervenire non poterunt, ibi avenas & milia ſerere aptum erit: vineæ etiam plantari, moruſque poterunt, atque inter vitium ordines addi aſparagos utile erit. Poſtremo, ſi neque tibi rei ruſticæ peritia, neque facultas ſuppetit, ſine quæſo jejunum agrum in ſaltum, ſylvamque converti, omiſſa cultura: quercu enim ſeſe ſponte veſtit, ac paſſim ornat Læumellinus ager, feriſque & avibus nidos & latebras brevi ævo parat: à qua re, venationis & aucupii oblectatio, regio viro digna, in eo exercetur, de qua mihi ſcribendum eſt.

CAP. XIII.

De Venatione, & Aucupio.

NULLA in Europa regio aptior eſt aucupiis ac venationibus, quam Læumellinæ tractus, inter Ticinum & Agoniam poſitus: ſylvæ enim hic ſpacioſæ atque antiquæ ſunt, apricis campis finitimæ, quas etiam ſub hyemem, pluvia ingruente, ſicco veſtigio adire licet, æſtate vero umbris opacæ & gratæ, tam viatori, quam villico, eſſe ſolent. Quercus hic ingentes intactis à ferro ramis bra-

brachia tendunt, simulque implicantur, ac solis radios frondibus excipiunt; lustraque ferarum hic adsunt, quæ temere interdum quærens imprudens venator intima sylvæ petit, & amissa semita, errabundus per obliquos calles huc & illuc se trudit, ratusque interdum se viam inire, alio pergit, longiusque aberrat, & frustra tandem errore cognito, cornu ora lacessit, ut dispersos canes revocet, & in cœtum cogat, comitesque conversi itineris habeat. Alter vero peritior capturæ satagens, circumspicit in primis sylvarum aditus, ferarumque vestigia, dum terra adhuc rore madet, catulis, oculisque perlustrans indagat: ubi autem earum latebras perscrutatus fuerit, abdita quæque & suspecta loca pertentat, ac infestis catulis latentes feras ab occultis sedibus depellit: illæ in apertum campum actæ fugam tentant, insequitur venator, celeresque canes, quos *leviores* appellant, dimittit, dimissi cursu certant, fera lacessitur circumcursans huc atque illuc, ac refugium quærens; instant ardentius canes, dominique circumstant, cursu, clamore, minisque proripitur, tandem illa morsibus sternitur, dilanienda catulis: superveniens autem cursu lassus, & vix anhelans puer feram semilaceram tollit, canes voce magistra increpans, eamque exenterat, viscera canibus pro prædæ lenocinio dividens.

Cautior iis omnibus villicus operator insidias molitur feris, fraudeque agere, non virtute, cogitat; prona enim ad fraudem plerumque est rusticitas: sollicitus ergo sylvam petit, aditus explorat, ubi plagas funibus intextas, laqueosque suspendat, suspensos observat, fingens opus facere, paululumque à tendiculis secedens noctem exspectat, præstolaturque feræ casum, quæ ubi sese doli ignara præcipitem in funes dederit, rapitur extemplo villici manu, ac premitur, ne vocem edat, atque dolum detegat, frustraque reluctans, ac pedes jactitans, retibus obvolvitur, & furtivo gradu illius boni viri humeris, quasi vehiculo, nocte exportatur. (nox quidem ipsa villici facinoris hora est, tenebras illi adesse suis rapinis cupiunt, votisque precantur) Atque hoc fraudis genere non solum innocui Cervuli, ac Damæ, Capreoli, Herinacei, Lepores, ac Cuniculi, quorum copiam Læumellina vel magnam habet, sed etiam Vulpes, decipere assuetæ, decipiuntur ac pereunt, nihilque eis calliditas à natura tributa prodesse ad evitandas vafri villici artes prodest: superat ille ingenio vulpes, & earum pellibus sibi pro gloria indumentum suit, defertque hyeme, & suis gloriatur artibus.

Alio etiam deceptionis genere ferociora animantia, ut Lupum & Aprum, sine periculo captare Læumellinates solent: funibus enim hi nostri retia texunt in sacculi formam ac longitudinem, orique vincula circumponunt, *bursamque* à facilitate claudendi atque aperiendi hoc rete vocant: aptatur hujusmodi bursa funicularis in sylvarum egressibus, lupis, aprisque perviis, aptataque tegitur frondibus, ne à fera discernatur; procul deinde invigilat insidiator, attenditque feræ ingressum: ubi enim illa priores pedes intulerit, levi motu vincula contrahuntur, ipsaque fera irretita manet; casum agnoscens nititur evadere, & dum retia tentat à dorso excutere, vincula arctius comprimuntur ac tenent, tum ferro agendum est, promtaque manu necandum inclusum animal, ne mora interveniente, dente aut agitatione funes conterat, atque evadat. Scrobem etiam altiorem alii fodiunt, angusti oris & latioris fundi, atque egestam terram longius exportant, ne lupus dolum rescifcat: os scrobis leviter tegunt stramentis, aut frondibus; cui ignobilem catulum, aut anserem, constrictis nodo pedibus superimponunt, querulam ille vocem emittens excitat ad prædam lupos, vulpesque. Lupus quidem, natura avidior, voracitate

A percitus, invadit ocius catulum, ruitque in profundum una cum stramentis & catulo; tum catulo omisso periculum agnoscit, & circumagitur suspiciens an pateat refugium. Accurrit è vestigio strenuus venator, atque ab alto immanem voratorem cavea deprehensum ludens, venabulo interimit: raro hujusmodi arte vulpes fallitur, cavet illa sibi ab exposito de industria cibo, fraudemque subesse suspicatur: videt, ut ille ait, & abstinet, vertitque prædandi studium ad animantia, quæ sua sponte vagari, non autem nostra arte compererit, cuniculosque temere à fovea egressos, longiusque aberrantes ac colludentes, ipsa vepribus latens observat, exspectans locum, tempusque, insultandi, & ubi eos abesse à suis latibulis perspicit, prodit ex insidiis statim, ac intercepto fovearum aditu imbecilliores rapit. Lepusculos quoque, aut cubantes herbarum cespitibus, aut Solis radios excipientes, simili dolo circumvenit. Phasianos etiam ac Perdices ad se spectare sua calliditate probat: dum enim ova pariunt, dum incubant, & dum implumes pullos, semipennatosque, per prata, saltusque, clocitando deducunt, vulpium dolis ac rapinis patent. Quid, quod etiam ipsos parentes phasianos interdum dolo rapit: illi quidem rore madidi è sylvis sæpe in apertum locum prodeunt, & ad Solis radios humi jacentes alas extendunt, & sensim calorem percipientes pennas desiccant, pulveremque unguibus ac rostro è terra excitant, ac sese volutando pennis converso ordine erectis quatiunt. Vulpes autem à tergo jocum spectans gradus gradatim movet, ventre terræ tenus inclinato, & sæpe etiam gradum sistit, & insidiosa latet, tandemque vicinitatem adepta incautum opprimit, prædam ferens catulis, quos è latebris agnita voce evocat, & alitem expennare docet, suisque gnatos imbuit dolis. At si præda onusta vulpes lupum fortasse obviam exire adspexerit, dimittit illico helluoni prædam, ac volucri gressu fugam parat: ille vero jejuni ventris causa per fas & nefas dimissam rapit, escamque, quam non meruerat, improbe deglutit, atque vulpem interdum imitatus per sepes & saltus cubantes cervulos perquirit, ut morsu tantum, non autem cursu, opus perficiat; dumque vasto corpore ac gravi incessu stationes explorat, strepitu catulos à somno excitat, & in fugam vertit: atque irrita captura incassum errat, caudaque lassitudine demissa turpi inedia actus fœtida morticinia ad amnis ripas petit, voratque.

Quid innumera volucrum genera referam, in quibus aucupia diversis studiis exercentur. Ille Bubonem volatu colludere docet, ejusque spectaculo, retibus in altum explicatis, garrulas Corniculas, Gracculosque, decipit. Falco etiam, Accipiterque, eadem deceptione irretitur, & uterque hominis consuetudine ac blandimento postea familiaris factus, à nobis evolare, rursusque revolare ad nos instituitur: neque nobis tantum, sed etiam nostris catulis obsequitur, à quibus excitatæ è terra aves in prædam Accipitri, dominoque feruntur. Falco autem alia magnanimitate fretus domini manu in altum commissus, alarum remigio ad cœlum tendit, atque ab alto despiciens in emergentem ab aquis alitem extemplo ruit, contractis in umbonem ad percutiendum alis, præcipitemque anserem, sive anatem, ictu alarum in imum dejicit, quæ terram moribunda versans apertis alis, edocti catuli ore excipitur. Quid mirabilius, jocundiusque, Gruum captura? petunt illæ agmine facto medios campos, atque à viarum frequentia & à sylvis procul insident; quibus appropinquare sagittarius studens, instructo ad fallendum equo in campum exit, latensque ab equi latere, equum obiter per circuitum ad Grues impellit: quæ equum sine incessore spectantes nihil suspicatæ perstant, pascuntque per agrum:

agrum: ubi vero is satis se vicinum agnoscit, sistit equum, ac emissis è balista jaculis incautas sternit; similique dolo & arte anseres & olores excipit. I nunc tu, & disquire, an possint pennata animantia ab hominis astu usquam tuta fore.

Iis aliisque majores nostri capti oblectationibus Præfectum aucupiis ac venationibus in Læumellina constituerunt, qui venatui locum, tempus, legemque præscribit, vetatque pedicas ac laqueos in mitiores feras tendi. Vulpes autem, & Lupos, utpote dolo agentes, pariter decipi fraude ac dolis sinit. Is itaque Præfectus, vulgo *Capitaneus* appellatus, custodes passim disponit, & prohibitoria edicta oppidis affigit, curamque agit, ne venatoriæ legi fraus fiat, deprehensusque transgressor jamdudum pœnas subit. Qua quidem ex re crevit in immensum apud nostrates aucupii & venationis gloria, ejusque oblectationis studio majorum nostrorum memoria Reges maximi Læumellinam invisere, suaque manu venari, atque aucupium exercere, Cyri exemplo, Regium putarunt. Franciscus Galliarum Rex, Insubria armis recepta, in Læumellinæ agris admirabilem venatorem sese præbuit. Carolus Quintus Imperator Mediolano solvens, curis oppressus Læumellinam petiit, ibique captus falconum volatu, atque aerea cum gruibus pugna, seclusit à mente curas, atque hilaritate, quæ rarissima ei inest, perfudit animum, jussitque fines præscribi, intra quos venatio Regum ac Principum voluptati servaretur. Huc si tu sine catulorum caterva tardo gressu concesseris, spectabis in sylvarum limine cuniculorum agmina solem demissis auriculis captantia: qui ubi tete adventare sentient, insurgent confestim, atque alternis pedibus supplodent, periculum adesse gregi suo indicantes. Longe vero securius quiescunt sub sylvarum umbra cervorum armenta, teque venientem ad teli jactum exspectant, mirantur, nec timent: atque si juxta eos tendens iter aliorsum perrexeris, te abeunte cervuli post terga gement, & humano adspectu sese oblectare muta voce cient. Candida hic cerva Antonio Fregosio apparuit, Sertorii cerva non inferior: at longe quidem felicior cerva Marcelli Cervini, quæ, me hæc scribente, heu jam inanes depascit aristas, ejus domino tertia exacta hebdomada in Pontificia sede exspirante, mense Aprili, anno à partu virgineo quinquagesimo quinto, supra millesimum & quingentesimum. Age nunc tu futurorum scrutator, & Marcelli exemplo prædictionibus, quibus ille mentem imbuerat, crede. Ego vero sylvas repetens præsentia sequar.

Non solum voluptatem nobis sylvæ afferunt, sed etiam fructus nostris villicis multiplices publico fere jure tribuunt. Arida inprimis ligna è sylva cedere, glandes legere, fungosque ac labruscas

A populatim licet, nihil sibi ex his sylvarum domini arrogant: Romanosque derident, qui tanti glandem fecerint, ut edictum de glande legenda proposuerint, ac antiquis legibus inseruerint. Nimis sane rerum curiosa illa ætas fuit, quæ ad glandis perquisitionem oculos adjecit. Nostri autem liberalius agentes, hujusmodi omnia sinunt esse communia, glandem, spicilegia, racemationes, nuces deciduas, arida ligna, stipulam, & alia plura, quibus ali pauperiores æquum est.

CAP. XIV.

De fatali aquarum illuvie.

B OCCULTUM naturæ opus referre hoc loco necesse est. Surgit in Læumellinæ dorso (mirabile visu) ingens interdum aquarum illuvies, non solum ab imbrium assiduitate, sed etiam ab aquarum scaturigine, quæ præcipue fit in locis sabulosis, veluti circa Tromellum, & alibi: fit, inquam, certis tantum annis, tempore à Deo naturæ domino constituto, ut septimo quoque anno, interdum nono, interdum alio: & quæ quidem scaturigo aquarum ob ejus vehementiam in plurali numero prolata à nostris majoribus fuit: Voragines enim prius dictæ, postea *Vargine*, vel *Bargine*, à popularibus nuncupatæ hæ aquarum ebullitiones fuere: videre enim tum licet flumina quæque, ac rivulos, & fontes aquarum copiam evomere, suosque alveos passim evadere, & per viarum longitudinem defluere, vallesque inundare, & sublimes sæpe occupare agros. Item, quod est mirabilius, cessante pluvia, terra tamen madet, ceditque jumentorum vestigiis, voratque incautum equitem, ipso equo usque ad alvum, terræ ac latenti aquæ simul immerso: item in sabuloso loco, ubi nulla exstat in superficie aqua, madetque tantum terra humore, si eodem loco infixeris hastam, vix fundi duritiem attinges, aqua statim prosiliente ex foramine terræ, ubi hastam fixeris. Merito igitur *voragines* dictæ sunt à vorando, quia devorantur aquarum hiatu jumenta in locis, in quibus illo transacto anno, quamvis altius terram effodias, nulla tamen ibi aderit aquæ gutta: nec solum campis, aut vallibus infesta hæc moles aquarum est, sed etiam domibus: nam me puero Castellum, quod Mariciorum erat, situm in extrema parte pagi sancti Nazarii, irruente hujusmodi aquarum illuvie, familia vix effugiente, disjectum à clivo fuit, lapidea materia nusquam reperta, pauloque post Maricia familia, quæ antiquissima erat, deficiente sobole, finem habuit: finemque ego similiter meo libello faciens, ad pinguiora arva describenda, relicta à tergo Læumellina, descendo.

BERNARDI SACCI,

PATRITII PAPIENSIS,

HISTORIAE TICINENSIS

LIBER V.

CAP. I.

De Sicomario tractu.

INTER Læumellinæ rupem & Ticini oppidi clivum humilis jacet planicies, Sicomaria appellata, ut retuli *libro* secundo *capite* quinto. Quæ quidem planicies sicut Padi secessu amplificata

F fuit, ita eo etiam retrocedente, & priora, ut solet, interdum repetente, coarctatur, & languet, abducique vi fluminis tecta ac viridaria videt. Allabitur huic regioni Padus à Meridie, sed cum flexuoso ac vasto ambitu ruat, sede sæpe mutata cœli regionem sua mobilitate non servat: hodieque tuo prædio ab Oriente vicinus erit, & uno, aut altero intercedente anno à Meridie tibi aderit. Ticinus

cinus vero à Septentrione Sicomarium pertingens, Pado hoc loco conjungitur, discretis ab initio mirabiliter alterutrius aquis. In hoc itaque tractu frequentes adsunt viculi, pluraque suburbana rura, regio fere ornatu condita, de quibus nihil scribendum puto, ad ea, quæ naturæ propria & potiora sunt, orationem vertens. Est enim ipsa regio situ humili inter Læumellinæ & Ticinensis agri altitudinem abdita, atque depressa, neque Aquilonari, neque Occidentali vento prorsus exposita: nam ipsum Aquilonem Ticinensis campania, & Occidentem Læumellina excipit, Sicomaria valle innoxia plerunque servata: qua ex re pomis ferendis aptissima videtur; venti enim florentes arbores sæpe in apricis Læumellinæ locis, aut flatus violentia, aut pruinis infestant, fructuumque genituram vetant: quo periculo ac detrimento Sicomarium abest, dicique *Pomarium* à pomorum ubertate ac varietate potius quam *Sicomarium* deberet.

Tellus etiam ejus insulana (ut incolarum utar vocabulo) prorsus est, ex argilla & limo constans per antiquum Padi recessum: cujus quidem terræ pinguedine brevi ævo adolescunt arbores, ac mira & incredibili copia fructificant. Cingitur aggeribus ex parte, ubi situs est paulo humilior, ad Padi inundationes coercendas: consitaque est passim aut vitibus, aut pomiferis arboribus: de vitibus pauciferum vinum elicitur, Mantuano, ac Ferrariensi, & Ravennati simillimum. Si quis igitur valetudinarius Galeno annuens vinum pauciferum appetat, ex Sicomario bibat, nec ebrietatis periculum pertimescat, sed tempestive potius à bibendo minctum eat: insitus enim huic terræ succus plus humiditatis vitibus infert quam oportet: ex qua superfluitate fit mollis & crassa uva, & ab ea aquosum vinum, cui evanescere sub caniculares æstus, nisi provideatur, facile est. Ipsa autem humiditas Sicomario solo inest à natura tribus ex causis, primo à situs humilitate; item à planicie; tertio à circumlabentibus fluminibus. Fatali igitur siccitate ab anno contingente vinum ipsum minus aquosum percipitur, ac probe servatur. Vitium itaque, & vini hujus regionis mentione omissa, referam quæ soli ubertas in aliis fructibus ferendis videatur: incipiamque ab iis, quæ à semine in herbas, deinde in fructus prodeunt.

Primum hic tibi adest æstatis initio gratum sua immaturitate Ervilium, à nostratibus *Herbilium* nuncupatum, à Varrone autem *Ervilia* fœminini generis; cujus non solum grana edere, sed thecas etiam sugere libet. Comes Erviliæ succedit, ac præferri vellet Faba, quæ dum tenella est, coctione non eget, & cujus mira videtur proprietas: floret enim uno & altero mense, sed non omnes flores fructus ferunt; flores enim tantum fructus fiunt, qui sub una & eadem luna concurrunt, id est, florent & fructificant: flores vero sub una luna emissi, veluti circa finem ejus, sub altera subsequenti luna non vertuntur in fructus, quamvis tenues thecas assumant, sed evanescunt: nisi itaque sub eadem luna floruerit, fructificaveritque faba, spes ejus annonæ irrita est: quod ab anni temperie, quæ sub divina providentia posita est, evenire necesse est. Qua ratione vel observatione recepta, apparet fabam sub una & altera luna florere, ac alios fructus ferre posse, si sub uniuscujusque lunæ evolutione florum & fructuum generatio simul contingat & conjungatur, nec ad insequentis lunæ tempus ipsa generatio rejiciatur.

Subsequitur triplici colore cicer, album, rufum, nigrumque, quod dulce est dum viret, gratum adolescentibus, sed scabiosis gratius ex rore salso, in quo nuda volutari corpora ad ulcera

A emundanda ridiculum est visu, sed dictu mirabile. Ajunt enim post æstivi solstitii noctem ex cicerei roris madefactione scabiem depelli, quam quidem noctem Beatissimi Joannis Baptistæ natali adscribunt, quod sive divini illius viri numine, majora emeriti, sive naturali operatione eveniat, quia ros ciceribus eo tempore salsior per occultam solstitii vim inesse soleat, atque ipsa salsedo matutino algore acrius impellente, morbum excutaneum penitus comprimat, perimatque, doctioribus judicandum relinquo. Clare quidem constat ab ea fœditate plures emundari: fœditatem enim potius quam morbum scabiem appellari doctissimo viro placuit, qui *de Affectionibus* librum conscri-
B psit, inter Hippocratis opera relatum: & recte sane sensit, nam scabies plerumque immundo & pigro corpori hæret, suoque pruritu domino exercitationem præbet, & dum ille putat scabendo & scalpendo pruriginem tollere, materiam auget, ac majus sibi ipsi negocium unguibus facescit. Rufum vero cicer calori ac salubritati pennatorum animantium aptissimum est; qua ex causa pascere ciceribus gallinas ova foventes villicæ solent: idem etiam cicer equo vescendum datur ad tollendam oris inflammationem in superiori parte natam, quam à palato *palatinam* vocant. Æquari ciceribus vellet impudens Cicercula, quam Sicomarii cultores è suis prædiis ejecerunt, quia ci-
C ceris nomine assumpto ab eodem abhorret, & dum viret, nullam edulii jocunditatem habet: at lentibus contra duplicem honorem tribuunt: rufam hic, albam illi seminant, & utramque nascentem mulierculæ manibus, levibusque sarculis, sive ligonibus, terra admota, curant. Ridiculus sese in medium effert Fasellus, de quo scribere non audeo, ne me Cremonenses præripuisse eis sui leguminis præconium putent, à quo inter Transpadanos uno ore celebrantur, quod fasellos cum pipere edere abunde soleant: habeant itaque ipsi ejus describendi curam, qui & voluptatem, & satietatem ab illius esu quærunt.

D Adest nobis post solstitium ingens Melo humo incumbens, latisque opertus foliis, adspectu gratus, sed bonitate sæpe fallax: hunc enim nisi in tempore tollas, actum est, aut immature sublatus cucumerino subolebit odore, aut mora maturitati facta, aquosus & insipidus fiet: agendum ergo non solum in tempore, sed etiam in temporis momento, interdum est, ne præter temporis detrimentum, operam simul, fructumque perdas: terræ novitatem ipse melo, ac subvernationem, quam maxime appetit, est autem nova tellus, quæ vel ex saltu, aut prato, vel ex sylva, vel ex Padi adjectione in campum vertitur. Subvernatio vero fit, cum terra ante hyemale
E tempus aratro scinditur, aut dolabra eruitur, subigiturque: impinguari enim solum hujusmodi eversione hyeme subeunte constat. Suavis est autem ante cibum melo, corporique æstu oppresso refrigerium inducit, ac succulento humore sitim sedat, & leve nutrimentum præbet, urinam ciens: si vero post cibum edatur, natat in stomacho, & vomitum excitat. Duo sunt melonum genera, album, & rubrum interius. Albi melones formæ rotundioris sunt, & *muscati*, sive *muscatuli*, à nostris appellantur. Rubri vero sunt oblongiores ac crassiores, & sæpe finduntur, tum maturescunt, & in cibo solidiores & gratiores sunt, si à planta ad prandium transferantur. Prosper Columna, Vir
F belli peritia clarissimus, dum in Insubria ageret, melonum maturitate adveniente, Ticinum adire consueverat, ut hujus fructus bonitate opportune frueretur, laudemque rubro statuebat. Jason etiam Maynus Jureconsultus, rubro melone optimi saporis delibato, quem Sicomarius detulerat, dixit, *Si in*

Terrestri Paradiso essem, ac vesci melone prohiberer, in discrimen fortasse transgressionis, Adæ exemplo, deducerer.

Habet etiam in Sicomario suas partes Cucurbita; cujus similiter duo sunt genera, Æstiva, & Autumnalis: Æstiva duas species fert, alteram longam, & alteram orbicularem, utraque unius est alimenti, frigefacit, & humectat, atque præcedere in cibo debet, somnum conciliat, & ventrem exonerat per secessum: ex orbiculari autem cucurbita transactæ maturitatis, ventris siliquas extrahunt, & ventre interius purgato ac exsiccato cantharum formant, quo vinum operatores deferunt: ipsa itaque Sicomaria Cucurbita ligni duritiem maturitatis diuturnitate suapte natura assequitur, quod proprium esse cucumeris tantum Plinius existimavit *libro* XIX. *cap.* IV. de hortorum cura. Autumnalis Cucurbitæ tres sunt species, Alba, Crocea, & Viridula in nigrum tendens: quæ omnes frigore maturescere, ac etiam sub frigoris diuturnitates servari solent. Legenda postremo est terrulenta rapa tenui subnixa radice, quam elegantissimæ villicæ molli manu evellunt, atque emundant, servantque à gelu illæsam: à quibus sane rapis, illudentes Romani, Plinio assentiente, nos Transpadanos *Rapiphagos* vocant. At tu Roma neque in tuo agro ejusmodi rapas, finitimis exceptis, neque rapilegas mulieres habes. Horrent enim urgente æstu agri tui, sulphureoque putore ab Oriente infestantur, qua ex molestia cultores afflicti sæpe tabescunt; & nisi à planicie ad montium umbracula confugiant, æstu & siti conficiuntur, ac languent. Nostra ergo non est spernenda, sed probanda Rapa, nostra præsertim coctione adhibita, quæ adjectis salsamentorum frustulis fieri debet, & ut rapæ nobilitatem teneas, accipe quæ Physici de ea scribunt. Aperit illa probe cocta meatus corporis ex insita penetrandi vi, & urinam provocat, ac somno virtutem addit, & præcordia calefacit simul, & humectat, ac melancholiæ adversatur, conaturque eam ab intimis sedibus evellere. Ideo quartanariis propinatur: generationi etiam non est inepta: quid tibi plura referam? fama apud populares est, Evam cum à Paradiso pelleretur, humo inclinatam, rapam raptim rapuisse, rapamque dictam exinde, potius quam à ruapa, ut Varro scribit, fuisse.

Est præterea ipsa Sicomaria Regio divisa in prædia: singula autem prædia suas domos, sua vineta, suaque pomaria discreta habent. Pomaria vero duplicia sunt, vivaria quæ vocant alia, & alia consita. Vivarium appellant locum, in quo novellæ plantæ & præsertim sylvestres denso ordine positæ curantur, & grandiusculæ factæ secus terram seruntur, deinde biennio saltem exacto alio transferuntur: arsque summa istic viget circa hujusmodi plantaria constituenda, ut venales plantæ in singulos annos adeuntibus Vere, vel Autumno, pateant. Consitum pomarium est, ubi pomiferæ arbores spacioso ordine dispositæ, generatimque discretæ ad rei perpetuitatem continentur. Quod capaci intervallo fieri solet, ne planta plantæ alimentum rapiat, neve alterutri umbra officiat. Et nusquam isthic arbores, quæ alterius generis sunt, in aliarum filo ordineve collocantur, veluti inter Prunos Persicæ, vel inter Cerasos Pirus, sed singula genera singulis ordinibus disposita conspiciuntur: de quorum arborum fructibus alio loco & tempore scribendum erit, satis enim trans Ticini oram versatus sum; opportunumque videtur me citra Ticinum quæ scribenda sunt, colligere, capitulatimque referre.

CAP. II.

De planicie inter Ticinum & Adduam sita.

ELEGANS sese hoc loco aperit atque aprica planicies, intra Ticinum & Adduam sita, quæ quadrata ferme positione patet; à Ticino enim ad Adduam, & à collibus Insubriæ ad Padum, quadraginta fere millia passuum intercedunt; quæ universo ambitu centum sexaginta millia passuum colligunt: à collium vero prædictorum initio ad Alpium juga, & terminos, olim Insubriæ proprios, Helvetiis finitimos, triginta ad summum millia passuum intersunt; quæ omnia in unum collecta, ducenta & viginti millia passuum, aut paulo amplius, suo circuitu perficiunt. In superioribus itaque oris lacus amplissimi pelago simillimi in alto à natura locati, ab utroque latere regionis supercilium tenent, pluribus quidem minoribus lacubus, & rivis, inter utrumque lacum interjacentibus: ex quibus quidem duobus lacubus is, qui ab Orientali ora patet, Larius olim, unc Comensis, dictus est, à Como insigni urbe civium & incolarum nobilitate clara, quæ illi ipsi insidet, ac antiquo patrioque jure dominatur. Exiens à montibus Addua hunc lacum invadit ac præterlabitur, celeri ac levi meatu alveum sibi formans, & inferiora petens, alluitque aquarum copia Laudis Pompejæ fines, ejus amœnitatem augens: deinde in Cremonensium agros imperiosa fluit, tumetque irata aquarum hospitio, ac inferiora loca, viasque, sæpe infesta occupat, Padumque tandem petit, Placentinorum agris simul contactis. Alter Lacus ab Occasu eminens Verbanus olim, nunc Major, appellatus est, ex quo elabens quoquomodo Ticinus aquarum ubertate furit, ac citatis fluctibus Mediolanensium fines ingreditur, Novariensibus ab altero latere relictis. Mediolanensemque ingressus agrum Ticinus non suapte natura, sed humana arte, dividitur, antiquo à Turrianis olim Mediolani principibus effosso atque formato alveo, quo tertia fere aquarum pars à vetusto Ticini utero extrahitur, ac per aggeres & repagula egregie communita, campisque supereminentia, miro ordine Mediolanum perducitur. Quam quidem Ticini derivationem, *Navigium* à navigandi usu incolæ vocant, scriptores vero *Emissarium* appellant. Circuit hoc navigium ex parte Mediolani ambitum, onerarias naves à superioribus oris in civitatem ferens: effunditurque postea ab urbis fossa in partes, quarum altera gradatim descendens per portarum obices, passim in aquæductus locatos, Ticini rursus restituitur, ut subvehendis ab ipso amne navibus ab inferioribus oris, ac Mediolanum traducendis, deserviat. Altera pars per rivulos accolarum usibus distribuitur, hortos suburbanos reticenda pinguedine irrigans. Deinde per prata agrosque dilabens, omnia finitima urgente æstu humectat. Altera vero major Ticini pars, antiquo continuato alveo, à Mediolanensium & Novariensium finibus in Ticinenses properat, Padoque illapsa claritatem turbiditati sociat, & passim etiam à Padi aquis suos fluctus segregat, datque clarum potum nautis Pado invito.

Inter hæc nobilissima flumina, egregii amnes à lacubus & fontibus formantur, atque è collibus (divisis à natura spaciis) in planum elabuntur, speciosamque suo statu regionem, speciosiorem faciunt: ex quibus quidem amnibus, ii celebriores sunt, Olona, Lambrus, & Martisamnis; Olona ex Mediolanensibus collibus, vallibusque, dilapsa, Circiatum ac Castaneatum petens, ipsis primum Mediolanensibus usui est, quibus potu exhibito, Ticinensem oram magnis circuitibus ambit, rigatque undis, tandemque Padum petit inter vicum Spis-

Spiffiæ & Divi Zenonis, longe à Ticino urbe decem millia passuum: cui quidem Olonæ publico jure Præfectus est jus dicens, qui curare amnis aquas habet, ut suo quisque tempore, ac loco, modoque, sine alterius injuria ac damno, aquarum quotam in suum traducat. Major Olona est Lamber, sive Lambrus amnis, ortum habens ex fonte ab antro manante, quod ad Pedeplumbei montis radices patet, & sub Plebis Alcini collibus præterfluit, Bubea aqua recepta, à qua paulo post dividitur. Ipsa quidem Bubea in Eupilim Lacum descendente, quem hodie *Monguti*, sive *montis acuti*, Lacum vocant, & Lambro amne ad Modœtiam oppidum elabente, quam *Montiam* vulgus
B appellat; quæ fortasse *Montia*, quasi montium initia attingens, dicta fuit. Illabitur deinde Lambrus Mediolanum versus, aquarum parte civitati transmissa ad naves ferendas, referendasque, aptissima; & reliquis undis Laudenses & Ticinenses alluit, Pado se immergens prope Cuneolum pagum, ubi nobiles Cusani insignem arcem ac ditionem habent. Scio hæc scribendo me dissentire à nonnullis scriptoribus, qui Lambrum, Umbronem inaudito nomine appellavere, ortu ei aliter attributo: sed qui situs norunt, minime à me dissentient. Martisamnis quoque descendens ex Mediolanensium, Comensiumve, collibus, Laudensis agri totus efficitur, tenuique & exili rivo in
C Padum æstate illabitur, universo pene humore in terrarum irrigatione absumpto, hyeme vero collectis in unum aquis tumide ac superbe confluit, viatoribus nonnunquam infestus: distatque Martisamnis ab Addua circiter decem millia passuum, vulgoque *Martisana* dicitur, cui fluvio, sicut Olonæ, præfectus judex publica lege fuit, ut nostris constitutionibus patet.

CAP. III.

De Irrigationis commodo.

HIS igitur fluminibus distincta Insubria, humiliora quæque loca subjecit aquis, deductis per prædia rivulis, ex quibus saliunt per villici
D curam aquæ, demissis passim stato loco ac tempore per incilia portis, quibus inhibentur undæ, lætoque spectaculo in arva traducuntur. Virentia hic patent sub æstivum solstitium prata, pascuaque, per quæ effusæ versicolores juvencæ late vagantur: rubent illæ igneo colore, aliæ fulvæ apparent, coruscant sparso candore aliæ, variasque ostentant in vasto corpore maculas, replentur omnes virenti pabulo post Solis ortum; saturæque demum tardiore gressu in turmas coeunt, mugiuntque vicissim, ac Sole in meridiem vergente rivulos & umbras petunt, procumbuntque per herbas, & ut noster cecinit Virgilius, opaca frigora captant, aut lætis undis immergunt ventres,
E æstusque depellunt. Vitulorum ex iis copia nobis superfluit, quorum carnibus, tam ignobiles, quam nobiles parva stipe saturi fiunt. Quod si alantur ad opus vituli, ingentes validique boves post triennium fiunt, binisque jugis trahunt immensa plaustra, binique etiam instructa aratra volvunt, telluremque ab imo altius versant. Lac tibi hæ nostrates boves non solum ad mensuram, sed præter mensuram effundunt, redundantque spumantia vasa. Lacte leni mulctra ab ubere exsiliente, moraque noctis secuta, insurgunt sedulæ villicæ, ac panacem lenta manu ex lactis summitate legunt, formantque butyrum, quod olei vicem in pluribus obtinet, longeque substantialius est, ac educan-
F dis infantibus aptissimum. Post butyrum vero caseo formando accinguntur, componuntque ingentes formas, à quibus *Formacei* nomen proprie noster caseus sumpsit, tanquam formæ magnitudine aliis potior atque præstantior: cujus bonitatem admi-

A rantes Romani idem in suis pascuis facere conati, nostris abductis armentis, sæpius à natura elusi sunt. Natura enim hoc proprium nostris Circumpadanis tribuit, ex quibus Insubres palmam obtinent, & ex Insubribus Laudenses, quibus majorem lactis, quam vini copiam, suppeditare probatum, ac in proverbium versum est. Brixiani secundum locum haberent, nisi à formis ad formulas declinarent: Parmenses copia, Placentini cura gloriantur, quæ nisi assidua adhibeatur, male cum caseo etiam rite formato agitur. Tumescunt enim intimis vescis formæ, atque in insuavem saporem ac male olentem recidunt, suæque improbitatis causa à casearia sede rejectæ conficiendo glutino relegantur.

B Atque omissis pratis, pascuisque, pullulat hic similiter ab aquis campo diffusis, virenti calamo oriza, pedali aggere circumsepta, quæ uno sane tempore natat aquis, terrisque coalescit: & post maturitatem ad areas delata, occupat aristarum cumulis terram, & trituratur autumno: attritaque ab areis ad pistrinum transvecta rursus pistillo aquarum casu sublato, demissoque, contunditur, donec rudi excussa thecula, granis niteat. Tum demum subacta pilo, atque contusa, mundatur cribro, eduliisque servatur. Principium itaque, & medium, finemque, hujus olim peregrini grani habetur ab aquis, quas si interdum libeat à
C fossa divertere, nudoque pede fundum premere, & pisciculos disquirere, aderit tibi in limo latens, ac sese torquens, retorquensque, lampetra forma exigua, sed chymi bonitate magna, quæ longe probabilior in cibo est Romanis lampetris, anguillisque, suapte viscositate ac superfluitate stomacho infestis. Multa simul aderunt pisciculorum genera in aquarum reliquiis destituta, quæ manu capere tuo arbitrio sine nassa & excipulo poteris. Aderit etiam in tempore, aut rubeus, aut nigrescens cancer, rubet sane priore exsuto tergore, ac Veris initio renovato, mox nigrescit, vastusque nunc in nostrorum rivorum secessibus latet, nunc obliquis gressibus apparet, natatque sub aquis,
D quarum diversione agnita obstupet, & festinus regreditur, quæritque riparum foramina, quibus sese obstruat atque recondat. Illisque non compertis hæret virgultis, & fugam parat, apprehensusque manu reluctatur, & conversis in viri manu chelis quasi forcipibus certat, & fugæ ineptus effugium tentat. Coax quoque, ut ille ait, Rana, sive Ranarum chorus, hic infestis vocibus aderit, quæ subductis aquis, è fossa prosilient, herbisque latentes ignaro pede prementur, nimia earum in pratis exuberante copia: quarum magnitudine pellectus Camillus Borromæus Mediolanensis patricius, ut admirationem rei adderet, in Ticinensi agro vivaria ranis ingenti vallo, tanquam Ranipi-
E scinam munivit, ac pullorum more aluit, veruque assari & condi tanquam aviculas, atque in ciborum elegantiam referri voluit: easque Alphonso Avalo Viro splendidissimo in cœna apponi jussit, ut ex re antea ingloria, communique, primus ipse sibi in epulis gloriam exciret, ut omnino excivit. Sed in tanta fontium, amniumque, varietate & frequentia, nulla palus, nulla infesta stagna patent, aut aerem inficiunt, sed fluunt suis rivis aquæ jucundæ, tenues, claræ, ac temperatæ, quæ neque facile gelu rigent, neque fervent æstu: temperies in aquis non minus quam in terris, & aere passim inest, cujus quidem temperiei causam aperio.

F

CAP. IV.

De salubritate Regionis.

TENET ferme medium hæc planicies inter Adriaticum mare & Alpium fauces, Galliæ finiti-

mas. Itaque sive ab Oriente & mari exeant venti, quos nubiferos esse *libro* I. retuli, sive ab Occidente & nivosis Alpibus descendant, leviore impetu nostram regionem perflant, quam vicinos maris Adriatici tractus, aut subjectos Alpibus Taurinos populos: ex qua re fieri in ipsa regione aerem temperatiorem, docet Hippocrates libro II. *De victus ratione*, vel *diæta*. Quoniam spirantes è mari vel montibus venti nequeant è vestigio in ipsam oram infracto impetu irruere, sicut in viciniores solent: cujus sententia vera est. Quemadmodum enim ferreæ pilæ ictum ab aheneo tormento, sive bombarda, emissæ, loci distantia infirmiorem facit: ita ingruentem à quocunque loco ventorum turbinem, ipsa longinquitas suo intervallo emollit & invalidiorem facit, quod *libro* I. attigimus. Exemplum utrinque manifestum habes: exsurgens ab Adriatico subsolanus ventus imbribus ac procellis inferiores agros Adriatico vicinos infestat: at minime eadem imbrium continuatio nostram regionem occupat. Item flantes ab Occiduis Alpibus venti Pedemontanos sæpe gelu & pruinis perstringunt; at minime eadem vis frigoris agros cis Ticinum sitos corripit, rariusque nostra vineta morosque decoquit: distans enim medium ab extremis, temperamentum juxta intervalli proportionem consequitur; quod quidem temperamentum paulo minus abest ab æstu quam à frigore: plura tibi possem exempla referre, sed uno, aut altero proposito ad alia convertar.

Quercus arbor septem diebus ante frondet cis Ticinum amnem, quam in Læumellinæ dorso. Item flavescunt aristæ maturius inter Lambrum & Olonam amnes in campis superioribus, quam alibi. Unde quæso hæc varietas? ab aere, & situ; quoniam ii campi in pari situs altitudine positi, propinquiores Orienti sunt, & mitius ab Occidentali vento attinguntur, quam Læumellinates, & ideo plus caloris ab Oriente, & minus frigoris ab Occiduo sentiunt, citiusque propterea siccantur, arantur, seminantur, & maturitatem naturæ & culturæ suo ordine assequuntur. Minime tamen eadem maturitate ac promptitudine Placentini, Parmensesque, sua frumenta metunt, minusque Mantuani & Ferrarienses Orienti viciniores, quia scilicet eorum campi situ sunt inferiores, & per consequens longe etiam humidiores; ad quam humiditatem exsiccandam major ac diuturnior Solis decoctio requiritur, quam ad altiores agros: & ideo eorum frumenta tardius quam nostratia Solis potentiam ad maturitatem assequendam exspectant, situs humilitate ob nimium humorem segnius orientem Solem percipiente. Hinc etiam evenit, ut urgente siccitate, ipsi inferiores campi lætiores remaneant quam superiores, eorum humore sata uberius nutriente, & in superioribus campis humore ipso, ob minorem quantitatem, minus etiam æstui resistente.

Clarius quoque discernitur aeris differentia inter Læumellinum, & cis Ticinum agrum, ex Ficu & Mali granati planta, ut alia omittantur: utraque enim arbor probe cis Ticinum fructificat, in Læumellina vero ægre, tardeque adolescit, & male fructificat, fructusque exiles & insuaves parit, frigore scilicet majore vi Læumellinam corripiente: sed quo frigidior Læumellina est cis Ticinensi ora, eo calidior probatur nobilis regio citra Adduam in superioribus oris sita, Glarea Adduæ appellata, ubi Crema oppidum munitissimum, & insigne Charovagium, claris refertum viris, superbe eminent, ac suo tantum honore fulgent, pluribus civitatibus eorum dignitati ac famæ frustra invidentibus: hacque ipsa ratione vigent oleæ uberrimæ in Brixiensi colle, præcipue circa lacum Benacum; quæ in nostris collibus, Mediolano finitimis, pari fælicitate coalescere nequeunt, majore videlicet æstu

A circa Benacum montibus occlusum, quam in Insubribus vigente. Spectare tibi in hac planitie elegans naturæ opus licet: surgit enim prope Lambrum amnem, in Laudensium & Ticinensium finibus, egregius tumulus vitium, & ficuum ubertate, & præstantia amœnus, longitudinis quinque millia passuum, & latitudinis trium milliarium, cui ab Oriente Sancti Columbani insigne oppidum adjacet, & ab Occidente Miradolium cohæret: ita porro appellatum à mira doliorum, quibus vina infunduntur, magnitudine. Vina etenim præcipua vetustatis expertia, *Moscatula* vulgo dicta, ex eo colle percipiuntur, quæ ob magnam copiam, magnis pariter vasibus, ferreis circis communitis, recon-
B duntur: quo quidem excepto tumulo, reliqua omnia fluviorum, alveis omissis, plana videntur. Flumina enim interlabentia aquarum latitudine magna spacia occupant, quæ quidem spacia valles appellantur.

In medio istorum fluviorum Mediolanum situm est, planitiei centrum, quasi corporis umbilicum, occupans, parique ferme intervallo viginti milliarium à Ticino, & Addua, Padoque distans, à qua re nomen accepisse arguitur: nam à medio amnium ad Mediolanum translatum nomen dicitur: quam quidem magnificentissimam urbem nonnulli Astrorum contemplatores Meridionalem esse scribunt; à quibus dissentio, existimans potius eam
C Orientalem videri, cum ex situs aptitudine hyberno, æstivoque Solis exortui apertissime pateat, portaque ipsius urbis Orientalis appellata nullum objectum habeat ad Solis ortum excipiendum. Item quia plures aquarum rivuli, à civitatis regione in Laudensium oram defluentes in Orientem pergunt, & Clarævallis prata deinde Vicoboldoni convalles suis undis alluunt. Laus quoque Pompeja in vallis Adduæ crepidine sita, Orientalis videtur, quæ distat à Mediolano viginti millia passuum, & in Orientem elegantissime vergit. Dissimilis à Mediolano & Laude est Ticini situs, qui nunc amplificata civitate cernitur, de quo quidem situ capitulatim scribam. Sed dum à Mediolani amplitudine
D ad Ticinum vertor, abstrahit me ab itinere non longe à civitate, nova rerum moles, cogitque admirari Carthusina tecta in cœlum usque porrigenda: quorum altitudinem atque structuræ elegantiam suspiciens, rogito, cujus hæc mirifica statio erit? Principis ne, an summi alicujus Antistitis? Responsum fuit, solius Dei, cujus honori, quicquid hic cernis, dicatum est, & cujus summi Dei majestas, atque potentia, sicut æterna est, ita hæc ampla sedes ejus perpetuo est instauranda ac renovanda decore, ne unquam vetustatem sentiat, nunquamque similiter finem habeat. Viri autem religiosi in ea degentes sacris incumbunt studiis, ac parentum opibus honoribusque rejectis, in solitu-
E dine vitam agunt, uno cuncta moderante Præfecto, sive Priore, Damiani illius olim magni Viri, qui postea Generalis fuit, successore. Perge nunc, quo cœperas itinere, ac Ticinum tuo arbitrio pete.

CAP. V.

De Ticini urbis situ, & amœnitate.

PORRIGITUR ad Ticinum amnem non longe à Pado mollis ac ferme semirotundus clivus extra planitiem in Meridiem procurrens, super quo urbs Ticinum ab antiquo condita fuit: qui quidem clivus ex parte in Orientem spectat & pen-
F det, veluti à sancti Olderici ædibus, usque ad hortos inferiores sub Divi Epiphanii monasterio in valle positos. Idem vero clivus à Foro Linario, ubi Hieronymi Sacci, olim viri clarissimi, antiquior domus exstat, Ticinum fluvium versus in Meridiem declivis est, nihil fere Aquilonares flatus

A tus sentiens, qua ex re ficus & malus Punica mirabiliter in iis hortulis adolescunt, fructificantque. Item à templo sancti Georgii in monte Falcone Occidentem versus, paululum etiam in Occiduum civitas vergit. Ab eodem autem Foro Linario (quod *Mercatum* vocant) Septentrionem versus, ubi Arx, vel Castellum, eminet, plana est civitas, & Aquilonari vento apertissime patet. Ex qua quidem situs varietate in omnem oram versa, tenuitatem aeris urbs ipsa à natura assequitur longe præstantiorem quam si tota plana esset: perflantur enim facilius vici & domus à circumambiente aere ob situs acclivitatem atque apricitatem, quam si universa urbs æqualis esset: quia pars plana altior est
B situ, quam partes declives, ex qua altitudine liberius ab aere exploratur. Quos itaque sanos recipit nostra urbs, sanos plerunque servat, nisi ipsi sese, aut fatali casu, aut suo arbitrio ventri indulgentes, ante naturæ diem atterant, atque conficiant, aut summus Deus nostra non ferens crimina, temporum rationem convertat atque confundat. Quos vero minus bene habentes suscipit, solo aeris intuitu, halituque, sæpe recreat, infirmaque ac prostrata natura, si ullo aeris commodo usquam erigenda est in Italia, nostro juvatur aere, nostrisque attollitur oris. Raro hic obesa nostrorum hominum corpora conspicimus, raroque, podagrosi simus: inest enim aeri puritas, à qua ex-
C citari etiam ad prudentiam ingenia ipsa, puritate ad cerebrum permeante, docet Hippocrates in libro *de Flatibus*. Hinc animi promptitudinem vigere ait, faciliusque adjecto studio homines sapientiam consequi, quam in diverso aere ac situ. Senectus quoque non ingrata, neque morbosa, sed sine dolore subire, ac finem afferre per annorum seriem solet; adjuvatque quam maxime puritatem aeris ipsa tellus, quæ non solum in civitate, sed etiam foris, præcipue ab Oriente usque ad quintum lapidem, sabulosa est, vineis potius quam novalibus à natura apta, ob innatam siccitatem, quam notat Plinius *libro* XVII. *cap.* IV. de qualitate regionum scribens, sabulum album in Ticinensi agro esse infœcundum: cujus sententiæ applaudens,
D dico hujus partis infœcunditatem aeris salubritati aptissimam esse, quia assidua ingruente pluvia, ventisque ab hac ora afflantibus, neque nubila nobis valde officere, neque caliginosæ tenebræ diu increbrescere possunt, arida humo confestim pluviam sugente, nullumque humorem à se emittente; quod si fœcunda tellus esset, modica humiditate suscepta, lutulenta atque cœnosa fieret, limoque putrescente emitteret oriente Sole nubeculas, quarum adscensu matutinus aer caliginosus fieret, turbaretque suapte impuritate, aeris sinceritatem, & morbiferam vim accolis inferret. Prospexit igitur natura nobis longe accuratius per soli ariditatem,
E quam prospexisset, si fœcundum campum civitati propius adjecisset.

Nec propterea nobis suburbana prata æstate irrigua, atque elegantes & spaciosi horti deficiunt, quibus undique cingimur, præterquam à Meridie, ubi Ticinus labitur. Vicit nostrorum virorum ingenium, sollicitudoque, terræ infœcunditatem, atque ipsius terræ naturam cura & cultura perdomuit, vertitque in solum lætum, singulis fere glebis equino fimo impinguatis, gravique ligone sæpius eversis atque subactis. Qua ex re sapidissima olera passim succrescunt, onerantque dominorum mensas novis atque inemptis dapibus. Primum hic tibi lactuca foliis conferta adest, quæ renovato in men-
F ses semine perpetua æstate durat, atque deliciosa sapit, non solum Galeni scriptis, sed Gordiani quoque Imperatoris celebrata præconio; & quæ quidem lactuca præstantior cæteris in Ticinensi solo finitimorum testimonio probatur. Alia quoque semina hic primum in herbas pullulant, promptiusque maturant, oleraque non solum nostratibus, sed etiam alienis, in dies ac in horas suppeditant, & bonitatis famam inter vicinos populos publico consensu captant: quos demum si spectaveris hortos, Maronis tibi & Columellæ musa præ rerum varietate, atque admiratione, posthabenda videbitur: nam etiam frigore urgente, ac nivium appropinquante casu, spectare licet eximiam olitorum curam; ramis enim terræ faciem, ubi olera vigent, operiunt, superstrata palea, duraque frigora arcent, foliculis ea industria sub nivis tegmine virentibus, qua rejecta nive, apparet tibi Ver adesse in hortis, cum longe absit, aerque jamdudum gelu horreat. Quid, quod etiam in pratis ningente cœlo villici nives prohibent; immittunt illi altius in prata aquarum rivulos, clauduntque meatus, ne aliorsum aquæ defluant; cadens autem nix in aquis liquescit: ubi vero ningere desiit, demittuntur subinde à pratis aquæ, rivulique in suos alveos avertuntur, patent tum miro prospectu nuda prata, cæteris omnibus circum nive ac gelu albicantibus.

Trudit sese huc sereno meridie læta juventus, cursisque soluta suos ludos ciet, movetque risu ac voluptate plena rerum certamina. Æstate etiam in eis subeunte sole, jucunda nobis deambulatio patet, sessioque gratissima est, molli te recipiente herba. Somnia in istis pratis sæpe lassus viator capit, stertitque sub umbra, mox refectis sopore artubus resurgit ocius, ac iter suum repetit, promptiusque graditur. Nulla tibi in his locis infesta animantia quietem impediunt, aut interturbant, sive noctu, sive interdiu æstate recumbas, soporque etiam sub aere, urgente æstu, videtur innocuus: absunt ab his locis exosæ Cincidulæ, à nostris *Cincisulæ* dictæ. Tarantula nusquam in his terris visa fuit. Silet infœlix Cicada, timetque sibi, ne stridulo clangore prodita, rostratis avibus præda fiat. Musca etiam infrequens est, Alpinis sæpe ejecta flatibus, insurgunt passim modulatæ avium voces, passimque compositi à natura concentus audiuntur, strepunt aera cantu, volatuque. Age vero, si libet, secede aliquando ab urbe, & suburbanis prædiis, nostraque flumina pete.

CAP. VI.

De Fluminibus.

Hic tibi aquarum puritas alto gurgite patet, editque levia murmura, & ad moram invitat, allicitque morantem, atque allectum oblectat, & plura naturæ commoda uno in loco ostentat. Triplici hic sese meatu nostra flumina pandunt, trivioque aditu, tam peregrinis, quam nostratibus, navigationem aperiunt: nam sive Adriatico mari solvens adverso Pado Insubriam, aut Liguriam, petas, sive à Taurinis oris recedens secundo Pado delatus Insubres adeas, sive Ticino evectus ad Helvetios pergas, aut ab eorum angustiis exiens in Padum descendas, Ticinensis tibi omnino attingenda regio est. Trivium tibi iter sua ditione claudit, aperitque, Ticinum, aquis ipsis ex diversis effluentibus oris, & in Ticinensi regione tanquam pelago corrivantibus, & in Orientem postea decurrentibus. Cujus rei causa, scribens de Insubrum dominio, & rebus, Georgius Merula libro I. *Historiarum* in fine, Ticinum urbem interlabentium fluviorum dominam appellat, ut omnino suo jure domina est, ac antiqui dominii jure navigationis præfecturam & tribunal obtinet, de quo alio loco scribendum erit.

Primus itaque Ticinus fluvius magnis potitur naturæ bonis. Claritate in primis eximia, qua colludentes pisces, etiam in imo fundo, cernimus, hamoque captamus: quos quidem pisces ea ratione saluberrimos esse, ac nulla humiditate noxia superfluitare constat, præcipue Temulum, Lucium, &

& Strigulos, Occellosque fama notissimos, temperie anni vicissitudini aptissima: hyeme enim nunquam ad rigorem alget; nunquam etiam gelu corripitur, ut Padus, sed fontium passim manantium natura adjutus fumantibus plerunque undis profluit; æstate vero gratissima frigiditate viget. Qua quidem frigiditate pellecti equi, bovesque immissi fluvio diu subsistunt, jucundumque frigus post potum ab aquis hauriunt. Item purgatione & curatione: solvuntur enim tumores, circa ventrem & juncturas enati, assidua aquarum lotione ac mora. Item legumina natura duriore iisdem aquis imposita emolliuntur, ac coctibiliora fiunt. Telæ etiam, ac linea stamina, eadem aqua purgata, adeo albescunt, ut nihil videatur candidius: unde *candidatrix* mulier hujusmodi curæ assiduo vacans dicta fuit; quæ quidem mulier, etsi candida raro conspicitur, Sole faciem exurente, nitore tamen, ac munditia, ita fulget, ut amore digna habeatur. Petrarum quoque genere celeber est Ticinus: nam convulsa à montibus speciosa saxa, solus evolvit undis, nulloque alio operante in Ticinensem oram deducit, sistitque ripis. Quæ quidem saxa vitrearii artifices colligunt, navibusque excepta Venetias important, vasaque ex eorum materia igne soluta celeberrima conflant, auro circumlinita, & variis respersa coloribus, quæ ob eorum elegantiam Regibus usui ac in delitiis sunt: merito quidem, ut humani regni infirmitatem vitreo, aut crystallino calici similem esse ob rerum vicissitudinem, mobilitatemque, agnoscant: quod plerique minime cogitant; deinde urgente fato animis æstuant. Longe etiam celebrior est aurifera arena, quam seminudus operator sub Solis fervore perquirit, confertque in acervos, ac viminea crate secernit, rejectis ab arena lapillis, & qua demum arena rudi panno leniter injecta collucent, panno hærentia aurea minutula, visu quidem vix conspicabilia. Vide quo se obruat studio hominum cupiditas, quæ interdum auro inhians, auram pro auro captat, & in cassum laborat.

Padus autem ipse limosus, turbidusque fluens per Ligurum & Taurinorum oras, in Septentrionalem plagam Orienti proximam fluctus suos vertit: ubi vero Ticinenses campos inivit, tum sinuoso anfractu fluctus in Orientem torquet Ticino recepto, indignum ferme sese Orientali prospectu sua turbulentia attestans, sine Ticini amnis claritate & copula. Adeo etiam flumina edere aliquid memoratu dignum in nostra regione à natura coguntur, ut à naturæ actu ipsa etiam illustrior fiat. Sylvis quoque, & arboribus circumseptus est Ticinus amnis, surgunt enim sua sponte hinc inde densissimæ sylvæ, quercusque ingentes alto cacumine in cœlum tendunt, ex quibus lignorum strues nostris atque alienis suppetit: sive quis fornacibus flammas subdere, sive materiam fabro lignario, aut architecto parare velit, succisio hic facilis est, facilisque similiter extractio, Ticino navigationem apte ferente. Ferraria insignis civitas testis est: quæ cum Padi ripas eminente ponte, me puero, jungere vellet, ex Ticinensi sylva trabes evexit, elegantissimumque pontem construxit. Atque ex eadem materia currus & alveos aheneis tormentis subjecit, quibus ipsa civitas Principum suorum cura munitissima est. Omissisque sylvis, ubi ferarum ac venatorum statio & exercitatio est, adest tibi ad Ticini ripas flexibilis buxus foliis hyeme virentibus, viridariorum magistro suapte flexibilitate gratior quam villicis. Adest Tamarix grata apibus, & æquinoctium suis floribus indicans, exornansque, Myrices etiam dicta, cujus raritas in Italia nota est, notiorque virtus, præsertim spleneticis, qui poculis ex eo ligno fabrefactis bibunt, compescuntque tumorem. Surgit paulo altius ad Ticini fluenta

A spinosa potius quam frondosa juniperus, hyeme quam æstate gratior, præbens cibum turdis, qui ejus semine saturi fontes circumvolant, & in aciem dispositi simul colludunt, colludendoque in occultos laqueos incidunt. Hoc lignum majores nostri Deo optimo sacrum esse voluerunt, tum quoniam neque cariem, vel vetustatem sentiat, tum quod gratum odorem ejus incendio emittat. Appropinquanteque solemni die Nativitatis Domini nostri JESV CHRISTI, ædium postes buxo hederaque exornantur; penetralia vero Majoris honoris gratia junipero operiuntur. Nullum enim apud nos lignum aptius explicat Divina mysteria, quam juniperus: nam virore perpetuo æter-
B nitatem indicat Domini nostri JESV CHRISTI: spinarum autem acumine, quæ idem Deus & Homo passus fuerit, repræsentat, præcipue cum spinea corona elusus pro Rege fuerit ab iis, à quibus pro Deo coli debuerat: odoris emissione admirabilem resurrectionem ejus testatur; sicut enim ex ignito ligno odor manat, ipso paulatim conflagrante ligno, ita per interitum Domini nostri secuta est gloria resurrectionis ejus, quæ cœlum, terramque, & tartara Divinitatis Majestate ejus Humanitati sociata implevit atque concussit.

Sed ad Ticinum redeo. Augent ipsius fluminis undas duo vicini amnes, ab Oriente & Occidente civitatem ad teli jactum ambientes; à
C Navigio Mediolanensi rivo defluentes: aquæ, aliis conjunctæ rivis, fontibusque, *Navigii*, sive *Navilii*, nuncupationem retinent, & ab Occidente suburbana prædia alluunt, magnæque septæ repagulo atque munimine Caronam insignem rivum in civitatem transmittunt. Carona autem, quam ab auctore aliqui *Cadroniam* vocant, urbis fossam per fistulam transgressa, manat per vicos, plura parans, præstansque, civibus commoda: nam rotarum machinas suis undis impellens, molendina passim exercet. Fullo quoque & Coriarius, aliique opifices eisdem aquis intra tecta derivatis singuli operi suo incumbunt, laborem-
D que labori addunt. Contra garrulæ ancillæ ripas circumstant, & pro rerum ablutione, nugas serunt, ac dominas supplantant, amatoribusque locum & tempus voluptati aptum condicunt. Reliquæ vero Navilii partes, præcipiti lapsu ac fragore ab alta & præcipiti septa ruentes, antiquum alveum replent, aliisque exceptæ septis atque obicibus alia opera movent. Ingentes hic mallei rotarum furore in altum elati, demissique, duris ictibus strident, teruntque ferrum, atque contundunt. Alibi autem dispari sonitu ac pene tremore fremunt iligneæ clavæ, unius trabis circumvolutione summotæ, pinsuntque liquorem, ex quo molli addito glutino papyrus componitur: decidunt deinde ab alto aquæ, & sinuoso anfra-
E ctu prata Sancti Salvatoris adeunt, ubi in orbem derivatæ duo jucunda spectacula parant; egregiam piscinam, ex qua per vertebri ora captare pisces sine negotio licet; quod quidem vertebrum rete longiusculum est, à quo egredi pisces semel ingressi nequeunt, funiculis converso ordine exitum impedientibus: piscina autem insulam suo circuitu format, in qua tuta statione cuniculorum greges degunt aquis circumvallati, ita ut neque subterraneo meatu evadere, neque à feris sicco vestigio invadi possint. Subdolus hic sæpe catus circumstat torquens oculorum aciem ad cuniculorum gressus, atque aquarum fluctus fallere saltu tentat, ac frustra tandem insidiatus jejuno ore præ-
F dam inhiat.

Minore aquarum impetu Vernaflua amnis ab Oriente labitur, speciosam vallem ambiens, in qua molendina passim firmata strepunt: quo vigente strepitu, molendinarii surreptioni student, nullaque lege arceri à fraudibus possunt. Imminent huic

huic valli humiles tumuli, vineis undique amicti, ex quibus clarissima vina, mireque fragrantia, rubra atque cœrulea percipi solent, quæ hausta ex vasibus splendent in poculis, saliuntque, teque invitum ad potum alliciunt; epotaque hærent stomacho, & leniter permeant, foventque naturæ vires, & pituitam extenuant: nullos illa capiti vapores, aut ori ructus, nullum ventri tumorem, aut vesicæ impressionem faciunt, sed cibo sese commiscentia facile conquiescunt, abstergunt que mordaces curas humanis mentibus infestas, ac mollia inducunt somnia ægris aptissima. Hoc gustato vino Boethium Severinum, Romanum Patricium, carceri inclusum, ac seminecem, resipuisse ajunt, succlamasseque, *Oh fœlicia hujus regionis vina, quæ labantem mœrore animum, curisque depressum modico haustu erigunt, firmantque nutantem!* Atque his dictis ad scribendum *de Consolatione* librum viribus instauratis conversus est: cujus rei fama multi ea vina mirantur. Sed ad aquas rediens, quæ in suburbanis prædiis circa Ticinum defluunt; proditum à majoribus nostris memoriæ fuit, easdem aquas frequenti ablutione impetiginem in pecudum corporibus compescere, eaque mundare, & rutilantes pilos jumentis circumenatis plerunque inducere.

CAP. VII.
De Fontibus.

ABSIMILIS à rivulis, amnibusque, comperta est fontium & puteorum aqua, tam urbana quam suburbana. Alio enim loco oritur aqua potu saluberrima à natura coctionem nacta, præcipue illa, quæ ex fonte celeberrimo manat, qui intra hortos Monasterii Divæ MARIÆ scatet, ubi Longobardorum Regum olim venatio esse consueverat, cujus adhuc nuncupatio durat. Contra autem alibi adest aqua ab ea diversa, nimioque algore jumentis perniciosa; qua quidem epota, jumenta confestim horrescunt, villis ac rigore torpent, ideoque ab ea arcentur, proprieque ad indurandum vis & natura ejus prona esse discernitur, præsertim in duobus, videlicet in ferri acie perstringenda, & in sale obdurando, dealbandoque: can-

A dens enim sive ignitum ferrum his aquis immersum fit durius, & acie pene irrefragabili, quod agnoscentes fabri ferrarii apud nos magno studio cultellos excudunt, quos hujusmodi aqua, aliis commixta liquoribus, ferventes iterato imbuunt, eaque (ut ajunt) temperatione acutiores ac durabiliores reddunt. Sua quoque industria nostri Salinarii salem nigerrimum ac turpem liquefaciunt, purgantque aquis, liquefactum deinde lento igni desiccant, formantque ex eo pyras, seu pinnas, quas vulgo *Panes* vocant: quibus edoctus pictor nobiliorum insignia levi manu imprimere, donoque eos Principibus transmittere egregium putat, illoque munere

B suam ostentans artem compositi salis gloriam, albedinemque, Ticinensibus aquis tribuit.

Disquire nunc tuo arbitratu, prudens Lector, num altera in Circumpadanis civitas suo situ tot elementorum commoda tam facili ac copioso aditu incolis præbeat, aeris (ut dixi) clementiam, terræ benignitatem à noxiis rebus alienam, aurum etiam perquisitoribus offerentem, aquas cibum in piscibus, fructus in irrigatione, commodum in navigationibus, industriam in decursu, ac voluptatem solo intuitu exhibentes? Quid memorem opaca frigora urgente æstu sub caniculares dies ab iis aquis manantia? instaurantur animi & corporis vires te

C lento gradu Ticini ripas adeunte. Ignis quoque materia ad manum est posita cæduis sylvis hic passim sua loca occupantibus, succisaque ligna triennio, aut quadriennio, reponentibus. Deus has majoribus nostris sedes, hæc naturæ bona, atque ejusmodi opportunitatis commoda summa benignitate contulit, prævidens (ut existimo) hanc urbem religionis stationem aliquando futuram. Nec Divinam mentem fefellit rei eventus: prima enim ex Circumpadanis Christianam religionem stabili fide suscepit; prima sibi Episcopum suo jure adscivit; prima Ecclesiam, id est, populi conventum, Christiano nomine adunavit; prima delubra ac templa

D eo jure statuit; prima denique regiones, sive tribus, sive Diœceses, in unum quasi Collegium composuit, sibique conjunxit: quod infra aperiam. Atque hoc modo à situ scribendo, ad incolarum dignitatem, atque ad Divina Sacramenta explicanda adscendam.

BERNARDI SACCI,
PATRITII PAPIENSIS,
HISTORIAE TICINENSIS
LIBER VI.

CAP. I.
De Syri adventu & concione.



ADVERSANTE ubique gentium Christiano nomini Romano Imperio, inibenteque, ne Divina Fides, jam promulgata, latius serperet, incessit Dei religio Ticinensium animos, uno apud eos sermocinante Syro Aquilejensi, qui Ticinum ingressus anno ab ortu D. Jesu Christi ferme quinquagesimo, Petro Apostolo Romæ agente, spectansque populum idolorum cultum prisco more sectantem, palam illico concionari, cum ignotus & peregrinus esset, noluit: civium deinde aliquorum notitiam

E assecutus, de fide Christiana disserere cœpit. Nulla tum civitas in eo tractu Christianam Religionem noverat. Primus igitur Syrus in ipsam oram, gentemque, delatus, Euangelicam institutionem aperuit, posuitque apud nos fundamenta fidei, nullo unquam interitura seculo. Familiarum ille conventu habito, hæc dixit:

Quo quæso amici vos traducit is error, ut simulacra pro Diis colatis, quæ sine sensu & potestate sunt? Qua demum ratione signa ista manu facta Deos vobis repræsentare existimatis? Erratis certe, & DEI cognitionem non habetis, quam nuper nobis aliqui præclari viri ab Oriente Romam devecti aperuere. Unus est Deus, unaque summa, invisibilisque, Majestas, Cœlo, Mundo,

F *& Inferno imperans, cui omnia parent. Luminaria Cœli ac Stellæ stato ab illa ordine moventur, stantve: nubes evocatæ ad illius nutum prodeunt, terramque obumbrant. Excita tonitrua illa jubente insurgunt, fragoreque*

que edito terrestria tremefaciunt : eademque permittente conquiescunt, ac sua receptacula repetunt. Illa vero ipsa Divinitas, quæ suo nutu cuncta commovere potest, immota & sempiterna est, cœloque, & non istis vestris iligneis, fictilibusque, statuis insidet: omnia sub oculis, sive præsentia, sive futura sint, habet, omnes rerum eventus prævidet. Regna, ubi regni nomen spesve non erat, constituit, auget, dividit, atque cum vult, dissipat, aera mutat, vetat imbres, terræ faciem ignea vi exurit, arefacit plantas, & animantia perimit. Illius ergo Dei quærenda nobis, & expetenda notitia: atque Religio esset, quæ non auro & argento, sed fidei virtute quæritur, ac propagatur. Ille quidem summus Deus fidem habenti atque habituro fit obvius, credentemque spiritu occupat ipse prior, atque illustrat. Non credituros autem præcipites ruere in perditionem sinit, sui arbitrii potestate unicuique permissa: ad quem Deum agnoscendum, si vobis mentes erigere atque excitare libet, omnis mihi subeundus est labor, ut voti compotes vos efficiam. Annuere Syri dictis Ticinenses, dieque, ac loco statuto, aliis accitis civibus, concionantem eum audivere, cujus hæc ferme oratio fuit.

CAP. II.

Syri Aquilejensis oratio De Deitate.

QVI visibilem rerum magnitudinem, varietatemque, mirantur, unum esse Deum tot mirabilium auctorem, compositoremque testantur, una maxime nos ratione monente. Quis enim tam excors est? quis tam judicii expers, ut cum cœlum, ejusque luminaria, videat, simul etiam non intelligat supernam omnino unam exstare ac regnare potentiam, quæ sidera suo imperio & ordine regat, disponat, & in tempore lucem emittere, ac tempore etiam abdere & occultare, rursusque resurgere faciat? Quis porro, Ticinenses viri, Solis & Lunæ ambitus, adscensus, descensus, terminos, solstitia, æquinoctia, defectusque in supernis illis constituisset, nisi una summa potestas (ut dixi) Cœlo superesset, ipsisque cœlestibus signis ordinem atque successum præfixisset? Si ergo majorem exstare potestatem in Solis ac Lunæ motore & domino, quam in ipsis & aliis sideribus agnoscitis, cur non potius illam supernam potestatem, quam istas inferiores cœli virtutes ipsius Divinitatis famulas excolitis? Servo enim honorem impendens multo impensius cognito domino tribuere dignitatem debet: sic etiam cœlestia contemplantes, multo accuratius super cœlestia mirari & perscrutari debent, quæ majora istis, quæ cernuntur, existimanda videntur. Cum itaque agnoscenda nobis superna potestas sit, scire nos oportet unum esse Deum tantæ potestatis auctorem, dominum, ac possessorem, qui Deus ab æterno est, neque principium habens, neque finem habiturus, quique principium iis, quæ principio constant, ipse dedisse probatur: cujus quidem Dei celsitudo tam eximia, tam præpotens est, ut elementorum omnium atque cœlestium naturam superet, propriamque sibi naturam statuat, hoc quo referam ordine. Deus ab æterno ex se Verbum suum gignens, idem Verbum sibiipsi consubstantiale atque æquale facit. Deum de Deo genitum, quod Verbum proprie censetur esse Dei conceptus, distans significatu ab eo Dei verbo, quod pro eloquio ac sermocinatione ad priscos Hebræos facta per vocem dicitur, ut innuere videtur ipsorum Hebræorum Psalmus CXVIII. per illa verba: In æternum Domine verbum tuum permanet, &c. Permanet videlicet, ut ens, & substantia ipsi Deo coæterna & inseparabilis: à qua quidem una substantia Dei genitoris, & Dei à Deo geniti, procedit ab æterno unus Spiritus Sanctus, genitori, & genito Deo consubstantialis, coæqualis, & coæternus Deus: nominatione tantum & significatione discretus, sed Divinitate unitus & inseparabilis. Deus igitur est genitor, Deus est Verbum genitum, Deus est Spiritus Sanctus, in una & eadem Deitatis substantia & æqualitate consistentes. Cujus unitatis ratione Deum appellare unum, & trinum possumus, unum quidem ratione unius, & ejusdem substantiæ, in qua Deitas à sese consistit, trinum autem ratio-

A ne trium nominum, ac personarum, quibus eandem Deitatem significamus: quod David, Hebræorum Rex, doctissime fecit Psalmo XXXII. his verbis trinitatem in unitate consistere clare ostendens:

Verbo Domini Cœli firmati sunt,
Et spiritu oris ejus omnis virtus illorum.
Congregans sicut in utre aquas maris, &c.

Tribus enim veluti personis, nominibusve, Deo adscriptis, videlicet Domino, Verbo, & Spiritu, singularem numerum eis adjecit, dicendo, Congregans, ut per singularitatem numeri unitatem substantiæ in trinitate demonstraret. Quod & in formatis à natura rebus fere similiter cernimus. Trifolium herba notissima, suapte natura tria folicula inter se pediculis conjuncta ex tenui cau-
B le emittit, eaque tria folicula, non Trifolia, sed Trifolium, ut unum ens, usus appellavit. Linum quoque unicam plantam è terra divulsam, plures in se habentem fibras, vel filula, usus hominum singulari numero ab unius substantiæ causa dixit, fibrarum pluritate non attenta. Si ergo in minimis discernimus unam substantiam discretas res in se à natura habere, quanto amplius in Deo naturæ opifice trinitatem personarum esse probabimus, æternitatis maxime etymologiam spectantes: quæ æternitas cum soli Deo jure tribuatur, solutis ab alterutra unaquaque vocali, ac syllaba, trinam unitatem Deum esse attestabitur: hoc modo, A & E diphthongo diviso, per A, Alpha dicitur, id est, principium, quod est Deus, per E, Est, per Ter, terna, per nitas, uni-
C tas, quæ colligendo dicimus, Deus est terna, vel trina unitas, indeque fluxit æternitas. Plura me de Deitatis unitate in trinitate personarum distincta disserere tempus non patitur. Referam nunc à quibus gentibus habita Dei notitia, & celebrata, & nobis etiam tradita fuerit.

Divinam Majestatem primi omnium coluere antiqui Hebræi, cujus rei gratia aliquis eorum Deum suis oculis cernere, eloquium audire, leges vivendi ab eo capere, alii cibum & potum indies sine labore sumere, multaque mirabilia facere, Divina eis opitulante potentia digni fuere. Promissaque iccirco eis fuit Divini regis generatio ex stirpe David, minimeque vana illa promissio fuit; (ut quanti faciat Deus gentis religionem Ticinenses agnoscatis, discatisque hoc exemplo huic uni Deo
D honorem impendere) pluribus post dictam promissionem evolutis seculis, orta est Virgo Hebræa Maria nomine patre Joachimo, & matre Anna, Augusto Cæsare imperante: quæ quidem puella illa ipsa est, quæ illius Divini regis mater fieri meruit. Descendit quippe in illius virgineum uterum ordine naturæ ignoto, Verbum Dei, ut dixi, ex Deo genitum, ipsa Virgine humili assensu tanti conceptus annunciationem per Angelum suscipiente, conceptumque sine virili semine Dei Verbum, Virgo permanens in tempore peperit: qua pariente, Cœli Regis sui ortum reverentes, novam ac mirabilem stellam edidere, annuntiavereque extremis mundi nationibus, sidera observantibus, unum enatum hominem, qui in Cœlo imperium haberet, novaque natura, omnium
E naturarum dignitatem transcenderet, natusque sub postrema Cæsaris Augusti tempora est. Iste igitur Mariæ Virginis Filius Deus, & Homo natus est, duas substantias in se habens, Divinam, & Humanam: Divinam, quam Deo Patri consubstantialem ante secula habet; Humanam, quam à matre humanitus assumpsit: quæ quidem naturarum, substantiarumque, diversitas, uniri in uno corpore à nullo præterquam à Deo potuisset, nascique ab ea Virgine & educari voluit; quam non solum Judæorum parentes, sed Italicæ etiam Sibyllæ parituram Regem Orbis terrarum prædicavere: nosterque Virgilius, sive eas secutus, sive vaticinio præter hominis captum scribendo infusus, prope esse hoc carmine est attestatus:

Jam nova progenies Cœlo demittitur alto.

F Demitti enim è Cœlo in terras nova progenies, si humana tantum esset, nullo modo potuisset: Divinam igitur naturam è Cœlo descensuram, ac humanitatem assumpturam, novamque progeniem ex illa unitate affuturam Virgilius prædixit, spiritu quidem, qui à Deo agitur, post se futura complectens. Atque hoc tanto Rege enato Judæa scep-

sceptri dejectionem inaniter suspicata expavit, molitaque insidias in puerulum fuit, quas prudens Joseph eo in Ægyptum delato evitavit: Judæa vero furens omnes illius ætatis infantes perdidit. Jesus igitur vocatus nomine, ac gentilitio ritu circumcisus, crevit mirabiliter, & in Judæam reversus plura edidit miracula à natura aliena, quibus sese Dei filium in humana specie constitutum probavit: cæcis visum, mutis sermocinationem, claudis rectitudinem, vesanis emundationem, sui verbi potestate contulit, defunctos etiam fœtente carne ad pristinæ vitæ statum revocavit. Idem in elementa conversus imperium in eis exercuit, aqua in vinum commutata, ingressusque mare sicco pede aquarum vertices pertransivit, & fluctuantes undas suis discipulis infestas increpavit, ventosque silere jussit: illi vero siluere, procellaque in auram commutata læti ejus jussioni acquievere. Neque sibi soli maris fremitum, vastitatemque subegit, sed uni etiam Petro, olim rudi & ignaro viro, dum sideret, stabile iter super aquas præbuit, & idem Petro mox dubitanti stabilitatem ademit, & dubitationem tanquam fidei labem increpavit. Idem postremo (ne singula enarrem) ad Divinam sui ipsius figuram Petro, aliisque amicioribus, patefaciendam, secessit in montem, ubi magno fragore intonante cœlo facie humana transfigurata Divinus illuxit, rursusque ad suam humanitatis speciem rediit.

Hoc ergo Domino JESU *Deo per multa argumenta, & hominum peritorum testimonia comprobato, ac vobis ipsis, Ticinenses, per me denunciato, evigilandum, & animadvertendum est, ne iste vester error colendi pro Diis signa, quæ Deitate carent, fiat inexcusabilis, ac tanti Dei ira in vos tanquam Divinitatis contumaces excitetur. Ante enim quam ego vobis veritatem aperirem, subesse excusatio vestræ ignorationi videbatur, quod colebatis ea, quæ parentes vestri coluere; nunc vero parentum nube à vestris depulsa oculis excusatio cessat: qua cessante, quæro à vobis, quis honore ac cultu dignior est, Sol ne, aut Luna, Venusve supernæ Majestatis famula, an Deus ipse, à quo terra firmamentum, aquæ motum, ignis vim, aer puritatem, cœli virtutes, tempora vicissitudines receperunt? à quo homines formam, corporisque lineamenta, ingenii aciem, mentis vim, animæque immortalitatem susceperunt? At quid dixi immortalitatem? corrigendum est verbum, immortalis sane anima constituta fuit, ut Deum hunc ipsius auctorem agnosceret, suamque immortalitatem ejus Divinitati applicaret, eoque actu compos Divini boni fieret. Sed si in contrarium anima perrexerit, & Dei agnitionem aversata tenebras pro luce speculari maluerit, nihil ei immortalitas proderit, imo oberit, quoniam æternæ damnationis rea facta anima, in tartara ruet, & pro immortalitatis dono immortales cruciatus recipiet. Agnoscere ergo nos Deum, illique honorem impendere, aut ab immortalitatis bono nobis oblato excidere, & in malum decidere, si illum non agnoverimus, necesse est.*

Stetere immotis oculis Ticinenses, Syro conticente, miratique hominis gravitatem, novitatem religionis, ac ejus sermonis vim, hæsitavere, quid illi responderent: seniorum tandem consilio magnas gratias agere Syro, lautiore hospitio suscepto, rogareque ut altera die grave non censeret, referre quo ritu, quo initio hæc nova religio accipienda esset, quod condicto tempore Syrus, ut exponam, effecit.

CAP. III.

De Christianæ religionis primordiis
Syri Oratio.

DIVINAE *Majestatis gratiam, agnitionemque, habituros, prius fidem ac reverentiam erga Deum habere mundo corde oportet, quoniam arcana Dei iis, qui ab illo alieni sunt, grata & intelligibilia esse nequeunt, Deo ipso malos, ac pertinaces, incorrigibilesque, homines aversante. Fides autem nostra, est virtus credendi ea, quæ Dominus* JESUS *docuit, ac suis discipulis edocenda mandavit, quæque suis scriptis unusquisque* A *Apostolorum ac sociorum collegit: quorum omnium principium est Baptismus, qui Latine* intinctio, *sive* ablutio *appellatur, & ab unoquoque Christiano futuro Trinitatis nomine suscipitur. In quo suscipiendo duo actus eodem momento efficiuntur. In primis homo Deum se agnoscere, & Dominum suum eum esse confitetur: ex quo actu fides, & confessio nostra, in Dei honorem extollitur, alterque hoc cernens nostro exemplo ad eundem Deum honorificandum commovetur. Item homo eo actu offerre Deo sui ipsius sponsionem videtur, qui actus justitiæ pars vel maxima est, implens mandatum Domini* JESU, *edicentis:* Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: *quasi dixerit, honorificantes me honorificabo, quod* B *per Baptismi Sacramentum fieri decet: nam si olim Romanæ militiæ adscribendis nomen edere, & militare Sacramentum subire mos erat, ut Catonem scripsisse Cicero monet, quanto præstantius Deo militaturos decet Baptismo se insignire, simulque Deo nomen suum edere ac vovere, Deo ipso hoc deposcente:* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, *inquit*, non adscendet in regnum DEI. *Denique sicut priscis Judæis circumcisio mandata fuit, ut scirent se tali ritu discretos ab aliis gentibus esse, ac propterea* DEO *gratiores; ita Dominus* JESUS *ad suos populos secernendos ab alienis, sibique fœderandos pro circumcisione Baptismum sancivit, seque illo insigniri voluit, ut tanto excellentior Baptismus ejus approbatione fieret, quanto ipse major Abraham pri-* C *mo circumcisore erat. Circumcisio enim, ut Paulus Apostolus suis* Epistolis *notat, perfectione carebat, & Judæorum maribus tantum adhibita, fœminas eorum relinquebat intactas. At noster Baptismus Divina æquitate constitutus, utrique sexui adhibendus est, ad utrunque similiter sexum Spiritus Sancti virtute purificandum, Deoque acceptabilem faciendum, à cujus gratia uterque simul deciderat. Exciderat enim, ut sciatis, humanum genus ab æterni Dei gratia suapte lubricitate & fallacia, suoque lapsu sese infecit, posterosque similiter carnis suæ contagione ex carnis copula concipiendos labefecit, originalis delicti macula, prægnantis matris, aliquidque concupiscentis, more in nos transmissa: à qua labe emundatur homo, fœminaque, Baptismi virtute, divina scilicet gratia in humana* D *anima operante, & corpore tantum ipso sub vetusti ponderis gravitate versante, à qua levari, eximique, non potest, nisi valida, constantique, virtute carne subacta. Hoc ferme modo anima nostra corporis consors, post receptam Baptismi gratiam, fit habilis & idonea ad erigendum & juvandum corpus contra carnis suæ depressionem, & ad recuperandam originalem innocentiam, quæ ante Adæ lapsum generi nostro inhæserat. Divina providentia ita nobis prospiciente, ut quod primi parentes resupino actu in corpore amiserunt, nos contrariis successibus, id est, virtute non solum animæ, sed etiam corporis, recuperemus: corpusque ipsum quasi spirituale, ut Paulus innuit, efficiamus, ac reformemus. Quo quidem innocentiæ bono corpore nostro recuperante, fit homo in vi-* E *ta tanquam beatus, ac pene Angelicus, carne sua subacta, & ab omnibus vitiis seclusa. Aditus igitur ad innocentiam, introitusque, & ab innocentia ad excellentiam humanitatis nostræ ex Dei indulgentia consequendam Baptismus est, fidei virtute in eo spiritualiter operante, à quo initiari unumquemque Christianum futurum oportet. Et quamvis Cornelius Centurio, Italus genere, & alii ejus amici in Cæsarea Palæstinæ Spiritu Sancto afflati ante Baptismum fuerint, minime tamen alii tanti se facere debent, ut sua opinione elati Baptismum respuant, quando eundem Cornelium, amicosque suos, constet de Petri Apostoli manu postmodum Baptismum sumpsisse, & in omni virtutis actione arrogatio, sive arrogantia, vitanda sit.*

F *Atque ut ad Baptismi virtutem majorem gratiam & dignitatem Dominus* JESUS *adjiceret, per sacerdotes suos Baptismum conferri voluit. Primusque Joannes Baptista nuncupatus istius Sacramenti annunciator à Deo emissus, & postea minister fuit, qui Dominum* JESUM, *ad se Baptismi gratia venientem, a longe adspiciens ex-*

clamavit, Ecce Agnus Dei; *aliaque mirabilia dixit, tam Divinitatis, quam Humanitatis ejus amplum testimonium perhibens. Post quem Joannem Dominus* JESUS *Baptismi potestatem multo ampliorem, gratioremque, discipulis tribuit, misitque eos in regionem gentium, ad gratiam suam credituris impartiendam, & à* JESU CHRISTI *discipulis successive plures viri sacris initiati, emissi sunt ad Baptismum prædicandum, & prædicatum conferendum. Ego etiam indignus minister ad hujusmodi opus obeundum institutus ab Hermagora, Marci Evangelistæ socio, fui. Nemo itaque Baptismum tribuere cuiquam potest, (necessitatis caussa excepta) nisi sit Christianus sacerdos. Sed videte, quæso, quanta sit Domini* JESU *clementia in nos ipsos; agnoscite que nos, non tam nostris meritis, quam ejus gratia & miseratione salvandos fore: prævidens enim ipse, quod homo licet Baptismi fide purificatus, facilis tamen suapte imbecillitate ad relabendum in desideria carnis futurus esset, adhibere etiam nostris erroribus veniæ remedium, atque solamen, per sacerdotum manus dignatus est. Oh nimis pie, nimisque nostri generis curiose Pater, & Domine, qui ut nos salvos faceres, nobis ignota sacramenta aperuisti! Quisquis igitur post Baptismum in errorem humana fragilitate inciderit, resurgere ab erroris macula, atque emundari poterit, pœnitentia in primis animum subeunte, cui bene vivendi in posterum conjuncta voluntas adsit. Ab hac enim mentis excitatione humanæ vitæ correctio atque emendatio initium sumit, cui Dominus* JESUS *adjumentum addidit, non solum ipsam emendationem perficiens, sed etiam restituens eundem hominem pœnitentem ad priorem innocentiam, gratiamque, Baptismi. Quod quidem adjumentum est spontanea confessio sacerdoti facta, erroris que deprecatio ad Dei majestatem, clementiamque, relata. Quo humili actu præmisso, sacerdos Divina potestate, in ejus verbis operante, pœnitentem à confessi erroris noxa solvit, pœnitentiæ nomine adjecto onere toties supplicandi, vel alterius operis in Dei gloriam efficiendi: qua absolutione secuta, ac pœnitentiæ peracto negotio, in Divinæ gratiæ statum, à quo aberraverat, homo restituitur.*

Christianæ itaque religionis primordia, quæ exquiritis, Ticinenses, hæc sunt quæ dixi, quæque summatim colligo: Fidem DEO *æterno in unitate ac trinitate consistenti ex corde habere, ejusque trinitatis nomine Baptismi signaculum, strenui militis more, suscipere, ac innocenter vivere, quod ex fidei lege præstandum est: si vero nostra infirmitate prolapsi ab innocentia exciderimus, ad eandem innocentiam, pœnitentia duce, redire, ac per confessionis sacramentum receptum habere, debemus. Ad quæ quidem Religionis sacramenta tria vos evocant, tria vos hortantur, ac monent, ratio, necessitas, & gloria, sive dignitas. Ratio enim humanæ menti insita est, quæ vera sunt quærere, quæsita sectari, consecuta servare. Dei ergo omnipotentiam jam patefactam, religionemque, & quærere vos, & sectari, & consequi, & observare, ac revereri jus est. Necessitas quoque, ut ita faciatis, urget, quoniam cum unam omnino supernam ac supercœlestem potestatem adorare nos oporteat, nec sine unius Deitatis numine stare genus humanum, & orbis regimen, queat, quemnam Deum esse existimabimus, si illum excelsum Deum omnium constitutorem, rectoremque, non adoraverimus? Aut quem demum alium in nostris angustiis, ac perturbationibus, quæ huic seculo imminent, implorabimus, si illum, quem Deum esse cœlestia, terrestriaque, contestantur, non invocaverimus? Dignitas præterea vestra movere animos, atque impellere ad hoc videtur, quæ nullo alio actu acquiri, retineri, aut augeri potest, quam Christiana religione, sive gloriam quærere, sive beatitudinem aliquis maluerit. Gloria enim homini est, Christianum se, id est, Domini* JESU CHRISTI *Dei, & hominis sectatorem, ac militem profiteri, cujus imperium æternum erit, & ista, quæ cernitis, imperia, illi adversantia, sua potestate delebit, ignotis pene gentibus ab extremis mundi partibus excitis, ac in Italiam (quod prædicere tædet) traductis. Beatitudo autem, quam aliqui fœlicitatem appellant, summa est, statuere sibi ipsi gratiam apud Deum æternum. Cujus merito soluta à corpore anima, divini boni compos fiat, quod hujus Religionis susceptione ac observatione fieri demonstratur, quæ sola virtutibus adspirans, vitia respuit, fugat odia, pietatem colit, servat concordiam, concupiscentiam frænat, fovet modestiam, & in omni actione, ac ritu, humanæ societatis jus custodit, & auget. Quare si rationem sequi, si suæ saluti providere, si dignitatem quærere, si gloriam sibi adjicere, si denique æternæ beatitudinis fruitionem assequi hominis proprium esse existimatis, huc animum intendite, ad hanc Religionem properate, in qua inesse hæc omnia aperte cernitis: mihique, antequam ad alia Sacramenta edocenda convertar, voluntates vestras patefacite.*

CAP. IV.

De Ticinensium conversione.

DISSIDENT hoc loco scriptores: aliquis enim affirmat, populum post Syri Orationem in universo ad Christianam religionem fuisse conversum. Alter vero magis probatus scriptor, qui, sine nominis editione, *antiquorum Patrum Vitas* collegit, ait, partem populi Syro assensisse, ac fidem habuisse. Ille igitur in credentes conversus: *O felices*, inquit, *animas, quas non mea Oratio, sed divina ad se pellexit gratia. Plebs eris tu singularis, ac præcipua, in qua fidei candor elucescet. Cujus quidem fidei documenta, quæ scire in præsentia vos oportet summatim attingam.* Disseruit subinde Syrus perstricto, summissoque sermone, quomodo Dominus noster JESUS CHRISTUS, per Judæorum sectam reprobatus, traditusque morti fuerit, Cœna prius cum suis celebrata, in qua corpus suum & sanguinem eisdem sub cibi & potus figura communicavit, & qua ratione ille ipse sese Judæis deridendum & crucifigendum permiserit, cum posset sola voluntate supplicium evitare, & omnia illorum consilia, viresque subvertere. Quomodo deinde ad eorum impietatem contestandam & eludendam irritis naturæ legibus suapte potentia resurrexerit, corporaliter apparens, & vescens cum discipulis suis, mandansque præcepta servari, ne quis per passionis ejus mysterium solutam esse vivendi rationem legibus præscriptam existimaret. Quomodo etiam eisdem discipulis resurrectionis gloriam ad sui ipsius imitationem, omnibusque fidelibus suis promiserit, cæteris vero à fide aversis perhorrescendum judicium interminatus sit. Quomodo demum firmatis in mutua benevolentia & fidei unitate amicis suis, illis videntibus Cœlum conscenderit, & decimo postea die Spiritus Sancti gratiam & vim in eos effuderit. Unde repens illa atque mirabilis tot linguarum peritia, ac varietas momentaneo dogmate discipulorum pectora imbuit: qua freti, egressi è Judæorum finibus universum orbem perlustrarunt, Deique notitiam singulis nationibus, ad quas patere aditus videbatur, annunciarunt, ut ab Idolorum errore cavere gentes possent, veramque Deitatem ex Apostolorum verbis atque miraculis agnoscerent. Et quomodo inter Apostolos, unus Petrus ex verbo Dei sedem Romæ fixerit, ac primatum in ea statuerit, firmataque apostolica potestas in terris fuerit, ad quam sese humana divinis immixta verterent, atque referrent, Petrusque pro Deo in terris esset, clavesque in signum cœlestis, nedum terrenæ, auctoritatis in manu haberet: declaravitque quid sit claves in manu habere, hoc est, se ipsum in primis, deinde alios sibi creditos ad clavium rectitudinem & regulam componere, nihilque decernere, quod ab earum ordine & circumferentia aberret: quoniam divina lege illæ ipsæ claves demissæ Petro fuerunt. Quibus omnibus explicatis, Baptismo singulis nominatim accedentibus collato, fidei Christianæ lucem Ticini erexit, constitutusque à fidelibus locus in civitate fuit, in quo familiæ convenirent, & concionantem Syrum de

de fidei præceptis ac sacramentis audirent: quem locum *Atrium Divi Syri* post ejus obitum cives appellarunt. Cives autem, qui ab initio Christianæ religioni non acquieverunt, visis aliorum operibus prorsus in virtutem declinantibus, ac miraculis à Syro editis, multorum languoribus solo Dei verbo, nomineque, curatis, tandem veritati adhæserunt, Syroque Episcopo constituto paruerunt.

Decipitur hoc loco quidam scriptor, narrans Syrum post Ticinensium conversionem Genuam profectum fuisse; cujus errorem corrigo. Genuenses ab alio Syro, non autem ab hoc nostro Pontifice, multis post annis, Christianam doctrinam audierunt, ut in *antiquorum Patrum Vitis* distincte scriptum legimus, quem librum mihi sæpe Divi Michaelis Canonici, honorabiles viri, exhibuerunt. Compositis igitur Ticinensibus in Christiana religione Syrus, domum tamen ipse in civitate non habuit, sed in suburbio extra Maricam portam, quæ Occidentalis est: sacra autem fecit eo in loco, ubi templum vetustate collapsum hodie cernitur, quod domum vocant, cui postea crescente religione, & populo, ac persequutione sublata, adjecta pars templi longe major apparet, quæ turri conjungitur: excitataque in Syrum à Magistratibus, qui Romani Imperii nomine Mediolani præsidebant, inquisitio fuit, quanam ratione atque auctoritate religionem introduxisset à Romano cultu, rituque diversam? ille respondit, veritatis causa, multaque luculenter dixit ac scripsit, quibus Domini nostri Jesu Christi divinitatem, humanitatemque, probavit: dimissus itaque fuit, publice tantum concionandi ac sacra faciendi potestate sublata. Ille ergo (ut poterat) in privatis, abditisque sacellis, sacris incumbens, populum continebat, erudiebatque: firmatosque cernens in religione cives, secessit in Ligures, quibus ea qua potuit cura per sermocinationes Christi religionem aperuit, ut enarrabo.

CAP. V.

Contra Suetonii in Christianos dicacitatem.

NERONE Imperatore, Christianorum carnifice, Romæ exstincto, minor in Christianos sævitia viguit, non tam Romanorum Principum ac magistratuum pietate, quam necessitate: tribus videlicet Imperatoribus post Neronem citra biennium mutatis, Galba, Othone, & Vitellio; cui successit Vespasianus. Dum enim Principes imperio acquirendo vires intendebant, & dum provinciales magistratus mutationes pertimescerent, Christiani minus periculi ab illis circa alia occupatis sentiebant, suæque religioni liberius incumbebant. Nec veneficia exercebant, ut notat Suetonius Tranquillus in *Neronis Vita* cap. XVII. his verbis: *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ.* Cui respondetur; scribenti historiam genus maleficii, in quo versari Christianos audivit, enarrandum fuit: quo omisso calumniantis ac mentientis est opus, & non historici. Nec omnino ipse fœdus homo, ob adulterii suspicionem ab Adriani Imperatoris aula summotus, bene sentire de nostra Religione poterat. Si enim moribus corruptus Sabinæ Imperatoris uxoris inire thorum (ut modeste scribam) fas putavit, quod merito facinus leges detestantur, ille legum observatores Christianos maleficos scripsit, maleficum existimans, suum adulterium Christianorum continentia improbatum iri: mali quippe viri contrarios mores, sibique dissimiles, improbant; sic etiam Suetonius suo ingenio malus bonos improbavit. Quod vero *novæ superstitionis homines* dixit, indoctius fuit: novam sane religionem non profitemur, cum Deum æternum, quo nihil est prius, confiteamur: cujus Unigeniti incarnatio, si cuiquam nova res visa est, minime tamen novum est, Unigenitum à Deo esse genitum ante omnia secula. Neque similiter novum erat, Sibyllas Italicas illius Unigeniti conceptionem, nativitatemque, verbo, scriptisque prænunciasse. Quibus quidem Sibyllis, si in minimo quoque rerum tumultu ac discrimine fidem habuerunt, multo equidem æquius in tanta re credere, ac veritatem incarnationis perscrutari, magistratus debuerunt, ut certiores fierent, superstitio-ne, an veritas, tot hominum millia ad Christianum nomen convertisset: quod cum omiserint imprudenter illi, prudentissimeque Christiani veram religionem insecuti sunt, illi maledicendo, nostri colendo. *Genus* præterea *hominum* Christianos appellat Suetonius, quasi gentem ab aliis gentibus diversam: recte sane; genus quidem hominum Christiani sunt, sed boni & humiles, non autem turpes: à quorum moribus, ac virtutibus, dignitateque, ipse longe absuit. Sed ne videar cum mortuo larvarum more luctari, ejus rejecto judicio, ad Syrum redeo.

CAP. VI.

De Ligusticorum Oppidorum conversione.

ANNO igitur ab ortu Domini Jesu Christi ferme septuagesimo tertio, Neronis, ut dixi, prostrata tyrannide, Syrus in Ligures profectus, Tanari amnis accolas primum adivit, ratus gentem ipsam antiqua consuetudine Ticinensibus conjunctam, facile ad Ticinensium imitationem fidem suscepturam: initiumque prædicandi in oppido Basignana fuit. Est autem Basignana (ut vulgato verbo utar) antiqua nobilisque colonia, quam Georgius Merula libro VI. *Historiarum* inquit Augustam Batiennorum olim nuncupatam: sed si Plinii lectio vera est *libro* III. *cap.* V. *Vagiennorum*, & non *Batiennorum*, legendum est. Quomodo autem ab Augusta ad Basignanam translata nuncupatio fuerit, neque ipse Merula aperte narrat, neque Blondus in Italiæ descriptione regione septima satis memorat. Passinavia quidem olim appellata fuit à passu navis eo in loco perpetuo ordine destinatæ, ad Padum trajiciendum, ubi commodissime trajicitur, ita ut interdum etiam urgente diuturno æstu, tuto vado transiri equitando possit: quod tamen raro contingit. Ponte deinde iligneo Pado super ædificato, de quo & Blondus, & Merula, & Acta Episcopi Papiensis mentionem faciunt, navis opus cessavit, & Passinaviæ nominatio in Bassinaviam pertransivit, cui vulgus g interposito *Bassignanæ* nomen tribuit: mihi tamen *Bassinaniam* scribere Latine placuit.

Isthuc ergo delatus Syrus non se oppidum, sed civitatem, intueri dixit: aderant viri ætate, adspectu, moribusque conspicui, juventus frequens ac permodesta, matronæ ornatæ, artifices seduli ac curiosi: qui ubi adesse Syrum Ticinensium Episcopum conspexerunt, populatim accurrunt, hominem hospitio recepturi; nam si hospitalitas in ullo viget loco, isthic viget, famamque munificentiæ Bassinanitæ habent. Ille hospitio laute receptus, adventus sui causam enarrat; auditur semel atque iterum, tandemque pro parente ac institutore suscipitur. Opportuna autem maxime ea profectio Syro fuit, Vespasiano mitissimo Principe imperium ineunte, minusque ad Christianorum perniciem studente: ususque temporis commodo diu circa Padi accolas Tanaro amni finitimos ad fidem vertendos moratus est, nulloque se opponente magistratu perfecit opus, & triangularem regionem, quam Padus à Septentrione alluit, ab Oriente Tanarus, à Meridie vero Statielenses campi attingunt, ad Christianam reli-

religionem traduxit, & sub istius sanctæ fidei vinculo cum Ticino conjunxit: omniaque illa oppida & pagi usque in præsens tempus Syri religionem ac nomen celebrant, & Ticinensis Diœcesis se esse asseverant, ut Valentia olim Valentium insigne oppidum, Pizetum, Ticinetum, Pomarium, Mugaronium, Monscastellius, Riparonium, Petra Mafitia, Pavonium, & alia. Fama autem illius viri latius diffusa, impulit Ligusticos populos citra Tanarum positos ad eum audiendum, & ut commodius audirent accersendum, primosque Pioperanos ferunt, fortasse à pio opere tunc effecto postea nuncupatos, (ante enim Maricorum pagus erat) Syrum accersitum studiose audivisse, coluisseque, & fidei dogmata tenuisse. Quid memorem Saleum nobile oppidum, cujus viri mulieresque accedenti Syro obviam prodiere, reveritique illum sunt, solo hominis adspectu ac gravitate commoti? ubi vero eum audierunt, dicto confestim omnes assenserunt. Est autem Saleum frequens oppidum situ suo munitum inter Padum & Frascheiam positum: Frascheia autem, sive Fraschelia, dicta ex eo est, quod humiles arbusculæ è terra, quæ arida & sabusa est, insurgunt, foliis tantum ferendis aptæ, quæ folia Ligustice *fraschæ* dicuntur; & quoniam cubitales, aut paulo longiores, arbusculæ manent, soli ariditate idoneum humorem non habente ad proceritatem formandam: ideo *Frascheia* appellata est campania recondendis lepusculis grata, sed venatoribus hyeme gratissima. Durum enim est solum, minutis lapillis obductum, solidum iter sine luto præbens. Excurrere itaque per eam sicco vestigio, & venatores, & catuli hyeme solent; nec lepores similiter ad fugam ineundam signum exspectant: lento primum cursu densiora virgulta petunt, cursitant paululum, mox flectentes gradus in latera divertunt, & evadunt. Videre tum licet insanum venatorem ob lepusculum salvum factum socios, canes, arbustaque increpantem. Quid si ille imprudens lepusculum cepisset, quasi de leonis, aut ursi captura gloriatus esset: cum igitur ex captura periculo vacante gloria quæratur, nimirum ejusmodi venatio aptissima ociosis videtur.

Habet autem ipsa campania sub æquinoctium pastionem pecudineo gregi saluberrimam, salsedine quadam herbis innata, qua & humoris superfluitatem in herbis corrigi, & gratiorem pastum pecudibus fieri dicitur. Et quoniam Saleum illius campaniæ partem suo territorio colligit, à salsedine pascui nomen inditum regioni, deinde oppido plures arguunt: inter quam regionem & Padum humiliores agri, sed longe fertiliores jacent, glasto ferendo apti: est autem herba, vulgo *Gualdum* à nostratibus, ab Etruscis *Guà* appellata, orta ex tenui grano in subacto solo, pinguique, Veris initio sato: quæ herba quinquies æstate decerpitur, decerpta in acervum congeritur, congesta calescit, calescens putrefit, putrefacta mola subigitur, subacta colligitur, Solique exponitur, & in pilas ad manuum rotunditatem componitur, molestum passim emittens fœtorem. Pilæ super viminea crate collocatæ ad solis adspectum desiccantur, desiccatæ in pulverem solvuntur. Soluta igitur hoc ordine herba in pulverem, tinctorio operi, fullonicove in precio est: de quo glasto parce veteres rei rusticæ scriptores verba fecerunt, cum tamen Flaminia, sive Romandiola, Piceni, & Etrusci, aliique Italici in eo grano ferendo studium habuerint, quod fortasse apud Veteres minus viguit.

Sed ad Syrum redeo, qui ratus illius temporis tranquillitatem Christianis diuturnam non fore, regressus ad pagos & oppida, in quibus fidei nostræ disciplinam seminaverat, populos in religione firmavit, diuque Bassinaniæ sedens circumvicinos populos in religione continuit. Quorum tamen omnium religionem Bassinania superavit, non

A solum in ipso Syro, dum in humanis fuit, liberaliter recipiendo ac observando, sed illo etiam mortuo in bonis suis ejus Ecclesiæ conferendis, eademque bona Ticinensi Ecclesiæ supponendo, ac censualia constituendo: cujus religionis causa Deus Omnipotens ipsius Ecclesiæ princeps, quamdiu religio in populo viguit, tandiu ei rerum suarum successum ac quietem tribuit, floruitque Bassinania viris, quos neque Roma in suis Magistratibus, neque Apostolica sedes dedignata fuit: quos quidem si recensuero viros, scientia ac religione conspicuos, præsens historia Bassinanita fiet, ipsorum numero volumen occupante. Tu tamen Ge-
B rardia familia scriptorum meorum tarditatem non aufugies; Gerardia plane dicta quasi *gerens ardua*, & quæ nobis, potiusquam tibi ipsi præstantes ingenio & eruditione viros sæpe effudisti: ex quibus adhuc eminet in civium oculis atque observatur Joannes Michael Gerardius, qui toga assumpta inter Ticinenses patricios atque Juris peritos sedem obtinet. Dum itaque Syrus rerum eventu usus Christianam religionem prædicat, repetit, ac firmat, exacta sunt Vespasiani & Titi tempora, Imperiumque Romanum ad Domitianum transiit, sub quo quid evenerit, referam.

CAP. VII.

C *De Christianorum persecutione, sub Domitiano facta, & Syri Episcopi obitu.*

COMPOSITIS in Ligustico tractu rebus, ac Sacerdotibus pro oppidorum opportunitate in locis dispositis, dum Syrus longius ire, & Euangelica præcepta patefacere in mente haberet, continere se in sua Diœcesi, ac Ticinum regredi necesse habuit. Invaluerat enim atrox Christianorum inquisitio ex Domitiani Imperatoris jussu anno ejus Imperii tertio, & Natalis Domini octogesimo sexto, majorque in annos singulos illo nefario viven-
D te futura videbatur: quare tueri quod quæsierat noster Episcopus sua præsentia, suisque monitis, atque constantia, statuit potius, quam latius ea durante procella evagari: quam persecutionem perpetuo ferme durasse omnes scriptores tradunt usque ad ipsius Imperatoris interitum, cubicularii sui insidiis interemptum, anno fere salutis nostræ nonagesimo octavo, & Imperii sui quintodecimo: in quo temporis intervallo Syrus gravis annis, curisque gravior, excessit ab humanis, Cleto Pontifice (ut plerique scribunt) Romæ vivente. Flevit Syri obitum Ticinensis populus, flevere Campaniæ incolæ, Læumellinatesque, & ipsa Circumpadana Liguria patrem suum ingemuit. *Divina* (ajebant omnes) *bona amisimus, hoc uno viro summi Dei nuncio ac deprecatore amisso.*

E Compescuit populi luctum Jubentius, sive Juventius, Syri sacerdos & comes, apta oratione, demonstrans tria præcipue homini præstituta esse: Primum est, patienter ferre ea quæ nostræ infirmitatis & subjectionis sunt, de quibus sentiens Dominus noster dixit, *Abnega temetipsum*, id est, affectus tuos comprime, *& tolle crucem tuam*, id est, onus vitæ tuæ, *& sequere me*, id est, mea vestigia, mea præcepta atque instituta. Alterum est mori, quæ mors finis & solutio corporeæ compaginis est, nullum in ipsa anima imperium habens, sed ea tantum solvens, quæ à natura sunt separabilia. Morti subsequitur judicium, ut Paulus in *Epistola ad Hebræos* affirmat iis verbis: *Et quemadmodum hominibus statutum est semel mori,*
F *& post hoc judicium*, &c. Nisi enim morti judicium appositum fuisset, nobisque immineret, à recto tramite plerique deviarent, ac naturæ illecebras secuti animum à bonis moribus & virtutibus averterent. Retinacula itaque humani ingenii, humanæque ambitionis, sunt mors & judicium; quibus dem-

demptis natura inficeretur, ac in sese perniciosa rueret. Perstare insuper in hoc seculo omnes homines impossibile esset, si nasci, & non mori à natura contingeret; quia incapax esset orbis terræ tot gentium ac populorum multitudine, quæ jam diu infinita & innumerabilis effecta esset: ideoque sicut in diversorio abeuntes illi, istis advenientibus locum cedunt, ita nos ipsos in hoc orbis hospitio commoratos has sedes, olim ab aliis per nos acceptas, aliis demittere æquum est, ut æqua remaneat priorum, posteriorumque, conditio. Atque eo ordine & tempore, quo in naturam venimus, ac adolevimus, similiter ordine & tempore, à natura præscripto, minui nos viribus, sensimque deficere, necesse est, corpusque hoc nostrum, quod elementorum virtute & temperamento compactum constat, iisdem elementis à compagine secedentibus, & in suam naturam abeuntibus, dissolvi naturale est: & quicquid denique ex rerum accessu natum ex corruptione apparet, in corruptionem redire ex earundem rerum decessu oportet, quæ corruptio mors ipsa est. Nemo igitur vestrum Syri patris præsentiam appetat, nemo affectus suos Divinæ naturalique legi præferat, sed necessitati acquiescat. Discedendum patri nostro à corpore jam diu infirmo & languenti fuit, ut languori finem faceret, & corporea mole solutus ipse deinde spiritu in æternum viveret, nobisque faveret, nostrasque supplicationes Deo offerret: cujus rei gratia si vobis consultum iri vultis, omittite confestim lachrymas, ac virili prudentia luctum cohibete, Deoque æterno mecum simul gratias agite, quod nullo antehac vobis cognito viro in cœli fastigia recepto, hodie Syrus noster illuc evectus sit, nobis semper pater, patronusque futurus, nostrasque aliquando peccatorum sordes suis precibus diluturus, atque ante Dei thronum pro nobis adstiturus.

Dixit longe ornatius ille sacerdos quam à me scriptum sit, populosque verborum vi ac ratione à luctu avertit, & in fide, constantiaque, firmavit. Curare tum Syri funus magno honoris ambitu civitas aggressa est, justitio per triduum indicto, atque ut tanti viri memoria à posteris pro vitæ ejus dignitate celebraretur, tria publico consensu edita fuere. Primo, ut nona dies Decembris, in qua ipse obiit, sancta ac festa in perpetuum esset, quæ hodie etiam colitur. Secundo, ut ahenea statua Episcopali habitu paludata in templo cathedrali erigeretur, quæ elegantissime conflata, & in eodem templo postea statuta fuit. Tertium, ut singuli civitatis ordines cereum hominis statura longiorem conficerent, & pro Syri memoria Deo offerrent catervatim omnes divisis ordinibus incedentes, & cereum suum in sede erectum in templum deferentes octava die ejusdem mensis: ut altera die festa singuli cerei in alto collocati, incensique lumen ederent, sacrisque faciendis honorem adderent: quam Cereorum delationem, non solum summo studio Ticinenses hodie faciunt, sed nisi prohibeantur, addunt pugnorum certamen. Nobilioribus enim ordinibus præcedentibus, subsequuntur artifices. Qui dum properato gradu præcedere alii aliis conantur, per mutuas impulsiones in concursantium agmina ruunt, atque è loco alii alios trudunt, tandemque pugnis pugnam ineunt, ceduntque infirmiores, & victores in pugna cereum victis pro præmio auferunt, suoque cereo in templum prius delato cereum devicti ordinis cuipiam ignominiæ causa pignori tradunt, deluduntque devictos. Augetur spectaculum, si lutum in viis inesse ex diuturnis imbribus contingat: nam sine discrimine in luto figentes vestigia pugnant, decidensque aliquis luto obvolvitur ac fœdatur, assurgensque respersus limo, turbam ad risum excitat: nemo tamen cadentem cædit, cædere enim cadentem nefas putant, quia ludicra pugna est, in qua ad perditionem non certatur: sed satis est pugili dejecisse pugilem, nullumque ex hac pugna odium oboritur.

Obiit autem Syrus in suburbanis ædibus prope civitatem sitis, ubi sacellum Divis fratribus Prothasio & Gervasio occultò dicaverat, ad quos quidem fratres sibiipsi amicos antequam Mediolani paterentur, dum in vinculis essent, in memorata Domitiani persecutione Juventium suum destinaverat, ut ejus historia probat. Sedata deinde post multos annos Christianorum procella, translatum Syri funus ab eo sacello intra civitatem fuit, & in Cathedrali templo egregie collocatum, sacellumque illud in ampliorem formam instauratum, receptum est intra civitatis ambitum in postrema ejus amplificatione, Gervasii & Prothasii nuncupatione perdurante. Syrique imago in fornice templi portæ superfixa, ob ejus rei monumentum, etiam in præsenti cernitur, & translationis dies à Papiensibus pro festo habetur.

CAP. VIII.

De Ticinensibus Episcopis post Syrum constitutis.

PROCURATO Syri funere Ticinenses abstinendum tantisper ab Episcopi electione censuere, donec Domitiani Imperatoris furor deferbuisset, dimissisque ea ratione Læumellinatibus ac Liguribus, civitas sine Episcopo quievit usque ad Domitiani interitum, cui succedens in Imperio Nerva anno (ut dixi) nonagesimo octavo, nullo odio Christianos insectatus est. Securitate igitur sub hujus imperio Christianis oblata, creatus à Ticinensibus Episcopus Pompejus fuit, cui non opes, aut genus, sed probati mores, populi suffragium conciliaverant. Is anno salutis humanæ centesimo & quarto sacerdotibus assumptis, universam Diœcesim peragravit, adjecitque Ticinensi Ecclesiæ alia Liguriæ castella, quæ post Astam civitatem conditam in ejus finibus comprehensa fuere, sed Ticinensis interim Diœcesis, jurisque remansere, ut Costileola, in qua hodie Asinaria familia antiqua nobilitate dominatur, Cortasonium, ubi Pelletæ gentis splendor viguit, Tegulæ etiam ejusdem juris, sed amplioris dignitatis, sunt, ut suo loco patebit; in quibus insignis claraque Montaphia familia magnificam sedem habet. Omitto alia, in quibus ditionem tantum (ut ajunt) spiritualem Ticinensis Ecclesia exercet: crevitque in immensum ea ætate Christiana religio. Quod quidem incrementum nonnullum postea Christianis detrimentum attulit, suspicione sub Trajano, Nervæ successore, oborta, ne quid ipsi per sectæ conspirationem adversus Romani Imperii majestatem molirentur. Qua invalescente suspicione, tertia edita fuit Trajani jussu Christianorum clades, in qua Anacletus Romanus Pontifex supplicio affectus interiit. Compescuit deinde Christianorum cædem Trajanus lege lata, ne Christiani ex solius Judicis imperio inquirerentur, sed ab accusatore delati, aut Diis sacrificare Christi religione rejecta, aut capitis pœnam subire cogerentur.

Moderatior adversus Christianos Adrianus Imperator Trajano successit, permisitque ut accusati Christiani, convictique, duntaxat capitis rei essent, nullo alio adhibito supplicii genere, quo antea interdum vivi ad impietatem cruciabantur. Nec destitere propterea mali viri Romanos Pontifices religionis crimine reos facere, quasi religio ipsa crimen esset, traditique morti sunt sub Adriano Evaristus & Alexander Romani Pontifices. Diversa apud Ticinenses ratio fuit, nemine Christianum dogma impugnante, nemineque etiam religionis cultores deferente: quod quidem delatoris nomen, ac munus in quacunque causa, infame apud Ticinen-

cinenses habetur. Curata igitur sua Diœcesi Pompejus, ab humanis excessit anno à partu Virginis centesimo & decimo septimo; cui successit in Ecclesia moderanda Juventius, (de quo diximus) doctrina conspicuus; eoque sacra curante inferior Liguriæ pars, Placentino agro finitima, ab Arena oppido usque Ruviscallam in Apennini latere sitam, una cum pluribus vicis, castellisque, Christi fidem suscepit, ac Ticinensi Ecclesiæ & ditioni se conjunxit. Est autem Arena oppidum juxta Padum infra Ticini ostium, ubi Padi trajiciendi opportunitas summa adest, feruntque adversus Juventium, in Ticinensibus oppidis erudiendis occupatum, Porphyrium Ducem cum militum manu prodiisse, ut Episcopum è medio tolleret, ne ipsa religio latius serperet. Exivit Juventius obviam advenienti Duci, mollique oratione allocutus hominem, animi ferociam primo congressu delinivit, mox dixit, se non sua, sed Dei, præcepta edocere. Porphyrius autem, viri modestia ac innocentia longo sermone perspecta, Episcopum sine injuria dimisit, interdixitque tantum ne in posterum ad populos (ut jam cœperat) concionabundus prodiret. Veritus igitur Episcopus, ne per ejus prædicationem persecutio & cædes in populos excitaretur, abstinuit concionibus, & familiari tantum sermone in abditis locis bonos in fide continuit. Secutique ejus vestigia sunt alii Ticinenses Episcopi, successive creati post annum centesimum & quinquagesimum quartum, quo decessisse Juventius scribitur, nullo alio confecto negocio, nisi populis in suscepta fide & religione firmatis: quibus quidem temporibus sæpe Imperatorum jussu Romæ, & alibi in Christianos sævitum est, præcipue Severo imperante: circa cujus imperium Crispus Niger Ticinensis Episcopus constitutus fuit; qui aperte concionari vetitus, alio labore ac studio Ticinenses fovit: nam rerum publicarum administrationem complexus, populum ad civitatis ornamentum excitavit, suasitque in primis oportunum fore vias civitatis lapide sternere, fluminis ripas infixis altius palis munire, ne facili incremento, ac raptu evadere ab alveo effractis ripis posset, docuitque juxta fluminis latera in locis humilioribus aggeres formari, tellure in altum congesta, ut intra aggeres conclusa, prædia tuta essent fluvio inundante, ac pretiosiora fierent. Ponte insuper Ticinum omnino jungendum esse ad civitatis decus & commodum dixit: ejusque dicto populus audiens fuit, & opus perfecit, ut sequenti Capite referam.

CAP. IX.

De Ponte Ticino imposito.

CRISPO Episcopo, hujus nominis primo, hortante, populus Ticinensis lapideum pontem in Ticino fluvio ædificavit, circa annum ducentesimum à Natali Domini. Distabant eo tempore muri civitatis à ponte & à fluminis ripa ad jactum lapidis, exstantque ipsius antiqui muri monumenta in domo Salaria, & apud ædes Divi Theodori, & Divæ Agathæ, distantiam, quam scribo, attestantia. Addere etiam ad rei confirmationem libet, quod Gothis Ticinum occupantibus Bellisarii milites Ticini fluminis pontem ab urbe separatum transierunt, Felice Mediolanensi equite eorum ductore à tergo relicto: quem postea subsecutum Gothi, ab urbe egressi citra pontem, id est, inter fluvium & urbem, interfecerunt: quod omnes *Gothicæ Historiæ* Scriptores referunt. Quæsitum hoc loco à peritis historiarum fuit circa pontis structuram, derivatæ ne Ticini aquæ in alterum alveum, quem vulgus *Gravalonum* vocat, prius fuerint, ad majorem operis facilitatem, an vero in ipsis aquis locata pontis fundamenta sint. Respondeo ex iis,

A quæ mea ætate vidi; Derivari, avertique, Ticini aquæ ab antiquo & urbano alveo in suburbanum alveum, *Gravalonum* dictum, prorsus nequeunt, quod tentatum magnificentissimo apparatu à Francisco Gallorum Rege, anno millesimo quingentesimo & vigesimo quinto fuit, hyeme Ticini aquas eo tempore quam maxime cogente, serena enim hyeme Ticinus à natura angustior fluit. Ille igitur summus Rex desperata civitatis expugnatione, urbem obsidione cinxit, naviculari ponte fluvio supra urbis situm prope Sanctum Salvatorem composito, ut commeare hinc inde milites possent, binisque deinde exactis mensibus, civitateque obsidionem constanter ferente, aggressus est B Rex fluminis diversionem, ratus averso flumine facilius sibi ab eo latere expugnationem patere, ubi muri in plano siti, nullius fossæ munimine præcinguntur: ita ut muris prostratis, armati equites invadere urbem per ruinas posse viderentur. Innumero itaque columnarum numero triplici ordine defixo atque firmato, urbanum fluminis alveum obstruxit telis lineis, cannabeisque, liquefacta cera imbutis, in singulis columnarum ordinibus, mirabili arte dispositis, atque conjunctis. Aversus quidem illo opere cursus fluminis in alterum alveum fuit; verumtamen non sunt exinanitæ aquæ ab urbano alveo; redierunt scilicet aquæ ab inferiori parte, ubi uterque alveus ante ci- C vitatem in unum coit, redierunt, inquam, & redundarunt in urbanum alveum, & durante civitatis longitudine, & amplius alvei fundum operuerunt, ita ut ad civitatem expugnandam ab eo latere minime Regi, ut opinatus fuerat, patuerit aditus, aquarum altitudine aggressuram impediente.

Aquarum igitur exinanitio in ponte construendo fieri ab Antiquis non potuit, alvei fundo suapte æqualitate ab inferiori ora aquas resumente. Alia itaque ratione, alioque opere, quam per desiccationem alvei, pilarum fundamenta locata fuere, quam quidem rationem, artemque, à peritis scriptoribus perquisitam, & non agnitam, aperio. D Acuuntur in cuspidem ab uno capite altæ rectæque columnæ, & ab eodem capite torrentur igni, ut durior cuspis fiat, singulis deinde columnis in duobus lateribus per longitudinem insecatur scalpro rectissima incisura ad tabulas, sive asseres recipiendos apta. Figuntur postea hæ columnæ suo ordine tabularum mensura quam maxime observata, ita ut inter singulas duas columnas tabulæ committi in laterali columnarum insectione possint, figunturque columnæ navali machina adhibita, in qua ingens malleus *Hircus* vocatus, fune deductus, demissusque figendi opus perficit. Inter fixas columnas committuntur tabulæ suo quæque ordine, & loco in lateribus, ubi incisuræ fa- E brefactæ sunt, tabulæque à summitate columnarum per incisuras demissæ infra impelluntur: quibus tabulis, sub aquas descendentibus, aliæ superimponuntur, quæ malleo aut clava adactæ inferiores tabulas seriatim inferius detrudunt & ad fluminis fundum comprimunt atque distringunt, uno videlicet & eodem ictu superiori tabulæ admoto singulas tabulas per compaginem concutiente. Atque hoc modo à quatuor lateribus periti fabri castellum ex trabibus & tabulis in flumine componunt, eo in loco, ubi pilæ pro pontis fundamento locandæ sunt. Quo castello composito terram postea intro conjiciunt juxta tabulatum ad obstruendum intervallum, si quod exstaret inter fundum fluminis, F & infimas tabulas, quod evenire posset ex fundi inæqualitate. Hoc opere perfecto plures tubas sive fistulas ad extrahendum aquas in castello collocant; quæ tuba est instrumentum ex quatuor tabulis quadrato conjunctis compactum, cui immittitur tabella hastæ confixa, quæ per impulsionem &

& deductionem prompta manu factam educit aquas ex castello per tubæ meatum ab imo sursum, perinde ac si quis aquam ex vase per sufflatorium extraheret: sufflatorium, vel conflatorium, appello instrumentum longiusculum in cuspidem desinens ex electro fabrefactum, ductile lignum continens: cujus quidem ligni deductione aqua per cuspidis foramen sive fistulam ab imo sursum trahitur per spiritus obstructionem. Hæ enim tubæ, sive fistulæ, aquæ immissæ ex parte, & ex parte super aquam inclinatæ per immissilis tabellæ traductionem evomunt exceptam interius aquam, aliamque recipiunt statim evomendam, usque ad castelli exinanitionem. Intra quod castellum adstare viros oportet brevi cymba insidentes, qui aquis exeuntibus explorent juncturas tabularum, & ubi penetrare aquam per rimas deprehenderint, stupa, aliave materia rimis immissa obturare meatus necesse habent, ut aquarum exinanitio intra castellum fiat: sed Angelus Taliata Mirandulæus mihi in eo oppido agenti formas parvularum tubarum ostendit, quibus putabat fieri posse, ut spiritu tantum attraherentur aquæ atque defluerent, hominis manu semel tantum operante: quod an perfecerit, ignoro, nota enim visaque scribo.

Exinanito castello si humus altius egerenda fuerit, erit architecti judicium: sed nostrates palos præacutos, igneque ambustos, in fundo figunt, & solo æquant; postremo superædificant quadrato marmore, aut saxo superlocato: opereque castelli summitatem superante, intervallum implent humo, intervallum videlicet, quod est inter castellum & pilam, ne excrescente flumine, aquisque, castellum superantibus, muri juncturæ detrimentum ante obductionis tempus sentiant: quo enim diutius castellum circa pilam duraverit, & pertingi ab undis pilas prohibuerit, eo durabilior muri compago erit. Hæc est ratio ædificandi in flumine, in qua Antonius Gallus Ticinensis, me puero, quam maxime excelluit. Minime tamen pons Ticini, quem hodie videmus, ille ipse est, qui ædificatus sub Crispino Episcopo fuit, sed diversus ab eo tempore & auctoribus. Nunc redeo ad ea, quæ fidei firmamenta sunt.

CAP. X.

De invicta Christianorum fide.

MAJOR semper Christianorum fides atque constantia, quam clades & perturbatio, in unoquoque seculo probata est, præcipue in hoc, de quo scribimus, tempore, quod à Severi Imperio ad Flavium Claudium fluxit, quem constat Imperatorem factum anno ab ortu Domini ducentesimo & septuagesimo primo, Maximo Episcopo, viro innocentissimo & eximio, Ticinensibus præsidente. In hoc enim septuaginta annorum intervallo, à tribus Imperatoribus Christiana Ecclesia, sive congregatio, acerrime exagitata fuit, aliis Imperatoribus Alexandro, Gordiano, & utroque Philippo minus acerbe in Christianos sævientibus. Primum enim post nefarias Severi & filiorum leges in Christianos latas, tetrum illud exivit Decii Imperatoris edictum, mandans Christianos ubique gentium sine Judicis decreto impune tolli, atque aboleri. Valeriani deinde impietas in Christianos excitata multa virorum millia funeri dedit, ceciditque postremo ipse in Persarum manus ex divina ultione, ut ab Imperii majestate & fastigio corruens, captivitatis probrum, dedecusque subiret. Galieno quoque, Valeriani filio, improbe imperante, nusquam circa Romam, Mediolanumque, & alias Metropoles urbes, tuta sedes Christianis patuit: rapti passim ad supplicia miseri & innocentes fuere, uno proposito liberationis remedio, ut Deum abnegarent, fide ac religione rejecta: illi contra

A in tot constituti angustiis, per mortis aditum, atque contemptum, fidem ac religionem observare, & in fidei confessione occumbere maluere: quorum constantiam admirata posteritas didicit in fide stare, tormentisque resistere; non quidem corporis viribus reluctando, sed patientia, animique magnitudine, quam Paulus merito *longanimitatem* appellat, supplicia perferendo.

Claudio deinde Imperium administrante, minui atrocitas in Christianos cœpit, crevitque major credentium numerus quam antea in persecutione decreverat, sive quod morte præventus Claudius sævire in Christianos nequierit, sive ex alia causa Christianorum perturbatio cessaverit: constat enim

B Dionysium summum Pontificem sub Claudio Romæ diem suum obiisse, nec antecessorum suorum exemplo neci affectum fuisse. Duravit autem tantisper credentium incrementum, etiam sub Aureliano, Claudii successore, quoad ille bellis occupatus ab Urbe abfuit. Ex quibus quidem bellis, quod in Italia tantum circa Padum gessit, referam. Aureliano in Germania adversus Suevos & Sarmatas bello occupato, Marcomanni, qui non longe à Danubio sedes habuere, quique Marco Antonino imperante excitis finitimis Pannoniam infestaverant, repulsique ab eo intra suos limites conquieverant, coacto in unum agmine per Helvetiorum fines Insubriam petiere, & usque in Flaminiam evagati,

C Aurelianum à Germania in Italiam evocavere: qui triplici congressu eos fregit, fugavitque: Primo ad Metaurum fluvium; altero ad Placentiam; tertio in Ticinensi agro: belloque in Germanos confecto Aurelianus, & capta in Asia Palmyra urbe, Zenobiaque, ejus regina, in triumphum deducta, ex prospero rerum successu elatus, ad ocium, & ad Christianorum cædem conversus est, Felicemque Romanum Pontificem, Dionysii successorem, & alios interimi jussit.

Minor deinde impietas in Aureliani successoribus fuit usque ad Diocletiani imperium, qui omnem animi atrocitatem in Christianos fudit; nam Imperator factus circa annum octogesimum septimum

D supra ducentesimum coli pro Deo voluit: à qua re cum Christiani refugerent, per viginti ferme annos eos cladibus affecit, templa solo æquavit, libros cremari & incendiis perimi jussit, fideique monumenta labefactare atque abolere conatus fuit: obstitit tamen ejus furori atque nequitiæ bonorum virtus, qui ab illa clade evadentes ab hominum cœtu exsularunt, dispersique per solitudines & horrida loca huc atque illuc intrusi, reconditique, vitam morti simillimam traduxerunt. Quo quidem in discrimine recensendo, meditandoque, dissentio prorsus ab iis, qui scripserunt ex divina ultione eam cladem Christianis illatam ob tyrannidis ambitum, qua sacerdotes eo tempore labora-

E bant. Ego vero contra respondeo; Quisnam ambitus, quænam tyrannis fingi in sacerdotio potuit, in quo appetendo & exercendo apertum vitæ discrimen plurimorum exemplo versabatur? Item quid peccarunt delubra, quid libri, quid sacerdotii expertes homines, quid denique imbecilles fœminæ ad supplicia abstractæ? Sed heu nimis à pietate aberrarunt Platina, & alii, qui hæc temere scripta retulerunt! Dissimilitudo morum, non autem Christianorum ambitio, in causa fuit; viguit scilicet in illius temporis Principibus impietas, ambitioque, divini nominis sibi ipsis arrogandi: nam adorari, & pro divis vocari, etiam viventes voluere, eaque de causa divinos honores Christo Deo

F & Homini deferri vetuere, Christianosque iccirco nefaria jussa abnuentes necavere. Qui enim Dei cultum & religionem odit, odisse etiam bonos tanquam sui dissimiles suapte immanitate solet, præcipitique arbitrio bonorum perditioni studet: talis Diocletianus, unusque & alter ejus successor fuit:

fuit: sed ne singulorum improbitatem efferam, ad alia tempora properabo.

Persecutionis licentiam, impunitatemque, compescuit lex lata à Maximino Imperatore, Christianorum carnifice, qui morbo correptus, corruptusque, desperata salute statuit Christianis licere in posterum suis ritibus, suisque institutis, impune vivere. Contulit securitatem legi, Christianisque, Constantinus, Helenæ filius, Imperio potitus anno (ut quidam ajunt) trecentesimo & trigesimo nono, potiores scriptores notant, trecentesimo & quartodecimo, Sylvestro in Petri sede, inopiaque versante: quo quidem anno quievere à suppliciis Christiani viri, ac fidei confessionem in sua quisque provincia extulere. Fluctuavit igitur Christiana classis, non pelagi procellis, aut fluctibus, sed humano, id est, suo sæpe fœdata ac demersa cruore, annis ducentis ferme & octoginta à Domini nostri JESU CHRISTI obitu, usque ad Constantini Imperium: ex quibus quidem annis postremi Christianis super humanas vires exitiales fuere, omnibus pene hujus nominis viris ac mulieribus ab oppidis & urbibus procul exsulantibus. Latuere tum etiam Ticinenses Episcopi, Sacerdotesque, ac populares, deterritique suppliciorum genere, atque atrocitate, pars Alpium juga Comensibus finitima petiit, pars in Apennini lateribus è regione ubi Staflua amnis, *Staphora* vulgo dicta, fluit, abditas mansiunculas posuit: exstatque hodie ingens lucus montis supercilium, ab Oriente, & ab Occidente tegens, sub quo est specus vastæ amplitudinis, mira diverticula ac latebras continens, ubi latitasse Ticinenses Sacerdotes, aliosque, montani perhibent, qui *Cacimani* vocantur.

Vicit ergo tandem Romanorum Imperatorum sævitiam ac potestatem Christiana virtus, atque per patientiæ diuturnitatem fidei suæ vexillum in alto statuit, Deoque æterno religionis trophæum confractis idolis erexit. Templa tum maxime sublimia, Dei imperium ac gloriam attestantia, Romæ, & in universa Europa & Asia ædificata fuere, in quibus crux olim probro habita, converso dedecore divini honoris gratia locata fuit, ut memoria Domini nostri, qui in ea pependit, in sacris ædibus conspectior haberetur. Illis insuper summis viris, qui per diversa supplicia antea vitam duxerant, egregium honorem rependere posteritas non destitit, eorum patientiam, atque constantiam, tum picturis, tum etiam literarum monumentis recensendo ac repræsentando: firmataque tandem tam longa temporum serie, totque virorum angustiis ac cladibus, Dei optimi religio in orbe fuit, Italia ipsa, Romaque præcipue persecutionum acerbitatem quam maxime subeunte. Lætare igitur Europa, quoniam æterni Dei sedes, atrium, atque delubrum tuorum virorum præstantia effecta es. Luge, tu Judæa, atque Ægypte, quæ Divinitate non agnita ejecisti Regem apud te natum atque versatum, Regique ipsi insignem latronem prætulisti. Lugeant, fremantque, tartara, quoniam nostra fide atque constantia conculcata jam diu sunt idola, & summi Dei majestas mortalibus patefacta. Qua quidem in re animadvertendum tibi ipsi Europa est, ne temere aliquando amittas, quod tanto nostrorum majorum studio & labore, ac etiam sanguine, paratum habes.

CAP. XI.

De Ecclesiæ ūctuatione post Constantinum.

QUIEVIT Christianum genus, crevitque in immensum annis triginta, quibus Constantinus imperavit, quo quidem tempore extulit sese extra bonorum cœtum Arius sacerdos Alexandrinus, turbatoque Ecclesiæ statu post Constantinum in Romanum Pontificem, aliosque cum eo bene sentientes irrupit: negans Dominum JESUM CHRISTUM Deo Patri consubstantialem in Divinitate esse: eoque errore imbutis, commotisque pene universis Orientalibus, dissensionem inter Christianos fecit Ariana secta in Græcia & Asia constituta: quo quidem Ario miserabiliter defuncto, secta tamen suscitata invaluit, eoque progressa est, ut super triginta annos partim sub Constantio, partim sub Juliano Imperatore, Christianos variis cladibus affecerit, Felice secundo Romano Pontifice in exsilium misso, mox interfecto. Divisa itaque illo errore Christiana Ecclesia fuit, aliique Ariani dicti sunt, alii Orthodoxi, id est, *Rectiscii.* (longe enim præstantius appellari *Rectiscius* quis recte sentiens potest, quam *Orthodoxus: doxa* enim opinio est, quæ differt à scientia, ut notat Hippocrates *de Arte*, iis verbis: *Duo sunt, scientia, & opinio, quarum altera scire facit, altera ignorare)* Duravit hæc miserrima temporum ac religionis calamitas usque ad Valentinianum Imperatorem, qui Rectiscius fuit, & undecim annis imperavit. Valente deinde fratre solo imperante Ariana opinione infecto repullulavit ejus favore excita eadem hæresis, diffusaque per Græciam & Asiæ partem, & Italiam, Mediolanum etiam tabefecit: qua demum latius serpente hæresi, nullo tum Principe tantam erroris labem compescente, aliæ quoque hæreticorum sectæ insurrexere, bonisque rejectis ac in exsilium depulsis, Christianum gregem deterritis pastoribus, id est, Episcopis, invasere, Gothis etiam in eum errorem traductis, Athanarico eorum Rege bonis adversante, mortemque ex ea causa suis inferente. Illa igitur tempestate afflicti plures egregii ac clari viri atque perempti fuere: alii dilapsi ab urbibus solitudines petiere, solis Hæreticis in Ecclesia dominantibus, & sacra profanis suo arbitrio commiscentibus. Modum huic Hæreticorum licentiæ atque furori attulit ejusdem Valentis Imperatoris pœnitentia, pavore potius quam religione inducta, qui Gothis in Thraciam tum irruentibus occursurus Orthodoxæ fidei viros ab exsilio revocavit: eoque deinde Valente in eadem Thracia Gothica pugna occiso, fugatoque exercitu, & Græcia à Gothis direpta, simul etiam Hæreticorum favor una cum Græcorum opibus desiit, restitutaque recte sentiendi ac dicendi libertas religiosis fuit, (Hæreticis tamen in suis sedibus, moribusque, manentibus) anno à partu Virginis octogesimo primo supra trecentesimum, Gratiano in Occidente Imperium administrante, cujus mater Justina Græca fovere pro viribus suis Arianos non destitit: vide quo adigatur Orientalis dominatio, quando Græca fœmina Ecclesiam Dei infestat, atque deturbat.

Arianis igitur & religiosis hominibus sub Christiano nomine diversa sentientibus, & in eisdem urbibus confuse versantibus, exorta est nobis tandem Valentiniano imperante humana lux tenebras repellens, ac ignorationis caliginem à credentium mentibus, oculisque, detergens, Ambrosius Mediolanensis Antistes, à quo depulsa primum in Occidente Ariana doctrina, atque contrita fuit, illeque tanti operis ergo, aliisque meritis clarus, non solum inter Divos, sed etiam inter quatuor Catholicæ, id est, universæ, Ecclesiæ Doctores relatus est. In Oriente quoque plura lumina ea ætate enituerunt, ut Gregorius Nazianzenus, & Epiphanius Cyprius Salamine Episcopus, aliique, qui Hæreticorum nebulas, & dicendo, & scribendo pluribus in locis dissipavere quidem, minime tamen Ambrosii exemplo funditus eradicavere, Orientalibus multis in fidei rectitudine titubantibus. Ad unitatem itaque Christiana Ecclesia redacta in Italia tantum ea ætate fuit magnorum virorum laboribus atque periculis, anno ferme nonagesimo su-

supra trecentesimum Theodosio imperante, ac Christianam fidem optime colente, cum antea circiter quinquaginta annos in fluctuatione, dissensioneque, jactata fuisset. Meminerint, qui hæc norunt, Antistites, antiquorum Patrum exemplo, religionis nomini, vitæ integritatem & literarum peritiam addere: nihil enim efficacius adhiberi ad errantium correctionem, conversionemque, potest, quam magni viri perspecta probitas cum doctrina conjuncta, inepteque ad alterum emundandum composito sermone accedit, quisquis moribus immundus fuerit.

C A P. XII.

De Mediolanensis Ecclesiæ dignitate.

NEMO Mediolanensibus majorem dignitatem attulit, quam Ambrosius ex Proconsule Antistes constitutus. Quamvis enim urbs ipsa populi nobilitate, ac frequentia, & rerum fere omnium copia & varietate, insignis esset, sedesque Proconsulis, & interdum Imperatoris, fuisset; ea tamen omnia sæpe humanis casibus comminuta, & funditus etiam eversa fuere, ipsa semper Ecclesia tam in maximo quam in minimo civium suorum cœtu, ad nominis sui amplitudinem repullulante, ac aliis finitimarum civitatum Ecclesiis præsidente, una tantum excepta Ticinensi Ecclesia, in qua Mediolanensis Antistes nullam auctoritatem habet. Cæteræ itaque finitimæ Ecclesiæ, cum Mediolanensem superiorem haberent, juraque plurima, & præcipue appellationes, ad eam referrent, certoque limite Apostolica lege præscripto, ejus Antistitem quam maxime observarent; polluto tamen Ariano errore Mediolanensi Antistite, una cum plerisque nobilioribus, valde ab antiqua existimatione Ecclesia ipsa prolapsa est, jacuitque infirma languente capite usque ad Ambrosii electionem: quo demum viro in Arianos (ut retuli) insurgente, erroremque à civium mentibus discutiente, restituta in pristinum illius virtute ac doctrina dignitas Ecclesiæ fuit, ac etiam in majus crevit. Ille enim summus vir horas canonicas ad æterni Dei gloriam indies recensendam hymnis & canticis interpositis, ac sacrosanctum matutinum sacrificium, quod *Missam* vulgus nuncupat, tam religioso ritu ac ordine instituit, ut nullus Romanus Pontifex ejus instituta abrogare, aut commutare, tentaverit, cum omnes aliæ Cathedrales & Metropolitanæ Ecclesiæ celebrandi morem postea à Romana Ecclesia traditum passim susceperint, solo Mediolanensi Clero in Ambrosiano ritu permanente.

Ab Ambrosio igitur in Mediolanenses hæc gloria ac dignitas Ecclesiæ emanavit, quæ mille & centum quinquaginta annos usque ad præsentem diem in usu fuit. Quibus quidem seculis clarissimi viri antiqui generis atque splendoris ipsi Ecclesiæ præfuerunt, præcipue ex Turriana ac Vicecomite familia: quarum altera, videlicet Turriana, triginta ferme annos Mediolani dominio ex populi assensu potita fuit; eoque deinde per aliquorum proditionem amisso, à Patria profuga in Venetos & Forojulienses domicilium transtulit, ubi nunc etiam prisca nobilitate pollet. Vicecomes autem quomodo ab Archiepiscopatu per Othonem administrato circa annum millesimum ducentesimum & octogesimum ad urbis dominationem irrepserit, & quibus initiis atque artibus conjunctum tunc cum Ecclesia dominatum ab ea separaverit, atque in Ducatus nuncupationem transtulerit, repetito Romani Imperii nomine atque suffragio, ea ætate apud plurimos Italiæ populos in oblivionem verso, & ipsa Ecclesia à dominatu civitatis dejecta, longa est historia, in aliud tempus, locumque, rejicienda. Sed omnium priorum Pontificum tempora una Attestia gens, vulgo *Estensis* dicta, Ferrariæ domina, transgressa fuit, Archiepiscopali dignitate supra septuaginta annos ab utroque Hippolyto perpetuata. Iis igitur amplitudinibus illustrata Mediolanensis Ecclesia, tanquam Principum sedes effecta est, recenserique inter clarissimos Principes Mediolanensis Præsul suapte honorificentia solet. Cur vero ejusmodi dignitate præditus ipse Præsul in Ticinensibus jus non habeat, quemadmodum in plerisque aliis finitimis Ecclesiis, explicabo.

C A P. XIII.

De Mediolanenfis & Ticinensis Ecclesiæ, sive Præsulis, contentione.

ELATI Ambrosii dignitate nonnulli Mediolanenses Antistites ab Ambrosii moribus longe dissimiles, subjicere sibi Ticinensem Præsulem, gregemque, constituere, existimantes, ea ratione, qua aliæ finitimæ Ecclesiæ Mediolano suberant, similiter etiam nostram Ecclesiam gregario jure subigendam esse: quorum conatibus restitit Ticinensis Episcopus, reque in litem traducta coram summo Pontifice, Mediolanensi Archiepiscopo in hanc ferme sententiam responsum fuit, quod mihi Jacobus pater, civilium rerum curiosus, lectitasse se in antiquis patriæ libris ante Gallicam depopulationem retulit, repetensque senili more sæpius, quæ mihi adolescenti jam edixerat, omnia ferme ea verba memoriæ meæ impressit: si Mediolani dignitas, atque amplitudo, rerumque opulentia, spectanda est, non solum Ticinensis populus, Ecclesiave, sed quicquid inter Apennini & Alpium juga cœlo subest, Mediolanensium nobilitati adjiciendum est. Verum enimvero cum Ticinensium religio in Dei gloriam & R. Ecclesiæ decus prior enituerit, priorque suis oppidis lucem dederit, ac per omnes fortunæ casus, rerumque angustias, fidei constantiam exhibuerit; nulla unquam polluta hæresi, fallaciisque seducta, dejici à loco & sede sua Ticinensis Ecclesia non debet, ob immensam postea Mediolano superadditam dignitatem: cui temporis ordo ac natura legem præscripsit, ut ad futura, & non ad præterita, porrigi & extendi dignitas, ejus Ecclesiæ postea attributa, possit. Porro igitur, cum Ticinenses R. Ecclesiam ab origine religionis suæ pro capite & principe habuerint, solo civitatis suæ Episcopo intermediato, cur nunc, quæso, Mediolanensem Antistitem interponi sibi, seseque ab Ecclesia Romana suo gradu amoveri sine causa patiantur? quod minime quidem passuri sunt; quia quod ejus Ecclesiæ per antiquissimi temporis continuationem publico jure adhæsit, evelli ab ea repentino motu ad alterius dignitatem amplificandam, nulla ratione decet, & quod fieri non decet, à Pontificio actu quam maxime abesse oportet. Quare aut Ticinensibus jus Ecclesiæ servandum in suo statu est, sola Romana Ecclesia ei præsidente, aut retexere ab institutis suis populum, atque à religione & fide revocare necesse est, quam ergo sacrosanctam Petri Sedem hactenus habuit, ut uni tantum Mediolanensi Præsuli mos geratur; qui si forte antecessorum suorum exemplo in hæresim relaberetur, polluere omnino Ticinenses, utpote viciniores, eadem ambitione conaretur. Quod quam indignum dictu, audituque, futurum videatur, ipsa Romana Ecclesia judicare dignetur. Commotus iis rationibus Constantinus, Romanus Pontifex, Cardinalium annuente Collegio, Mediolanensem Antistitem curare, quæ sui juris erant, censuit; Ticinenses porro subesse tantum suo Episcopo ac Sedi Apostolicæ jure suo permisit. Quo quidem jure Sedis Romanæ adeundæ absque alicujus Metropolitani interpositione hodie etiam Ticinenses utuntur, tam in suo quam in Ligustico tractu eis conjuncto, aliis finitimis civitatibus una cum Cremonensi Ecclesia Metropolitano subjacentibus. Atque hac sane in re si civitatis dignitas, cujus est Ecclesia, ad Rom. Sedem relata, spectanda est, dignior omnino ipsa civitas probatur, quæ sui tantum Episcopi interventu Romano Pontifici jungitur, quam illa quæ præter proprium Episcopum etiam Metropolitanum superiorem patitur, distans à summo Pontifice per alterius interpositionem. Finis hic nostræ contentionis fuit, de qua alibi. Nunc quæ quinto seculo secuta sunt, id est, post annum cccc. quo R. Imperium in Italia corruit, referenda sunt.

BERNARDI SACCI,

PATRITII PAPIENSIS,

HISTORIAE TICINENSIS
LIBER VII.

Cap. I.
De Italiæ Excidio.



LUGUERIS mihi oratio ineunda esset, flebilique stylo repetendum Italiæ excidium, quod non tam humano consilio, aut casu, quam divina providentia hoc seculo patratum fuit, Italicis jamdiu animis, moribusque, ocio luxuque corruptis, nimisque iccirco, nimis in religione & virtute labantibus. Sed cum divina à nobis pro dignitate ornari nequeant, meaque scribendi facultas, humilitati assueta, humi tantum serpat, commodius existimavi nudo, patrioque sermone rem aggredi, tria ab aliis Scriptoribus parum scite explorata inquirendo. Primum, qua ex causa, quove majorum nostrorum tanto scelere, ira Dei in Italiæ exitium adeo exarserit, ut universa ferme, inviis exceptis locis, tradita hostili ferro, aut furori, fuerit? Alterum, quibusnam modis Italia ipsa, olim potentissima, eo tempore viribus hebetata & denudata, ad ea mala patienda ita suo statu parata fuerit, ut ignobilis uniuscujusque gentis injuriis, direptionibusque, patuerit? Tertium, cur ignoti pene populi, ab extremis oris commoti ad eam invadendam sese effuderint potius quam illustres Reges, ac nationes, antiquarum rerum gloria longe celebriores?

A primo itaque exordiendo, animadverto, unum præcipuum præceptum humano generi à natura adscriptum esse, quod est, UTERE tibi ipsi insita ratione: ratio autem est mentis rectitudo, bonum, malumque discernens, quo quidem bono agnito, aut hærere illi, aut ab eo declinare, nostri arbitrii & potestatis est. Suadet quidem ipsa natura bonum rationem proponens: dissuadet contra nostra mortalitas, sive infirmitas, carnis onere depressa, ipsum bonum, vel laborem pertæsa, vel concupiscentiæ illecebris ac voluptatibus seducta. In hujusmodi igitur naturæ & carnis colluctatione ac dissensione positus homo, propriæ voluntatis arbiter & moderator, si ratione usus fuerit, bono adhærens, humanæ naturæ munus fasque implevit, consummavitque fidei & justitiæ actum. Quæ quidem justitia fidei conjuncta, dicta à Juris scriptoribus fuit *constans, perpetuaque hominis voluntas tribuendi unicuique quod suum est.* In quam sententiam Paulus etiam Romanis scribens, idem præcipit iis verbis: *Reddite ergo omnibus debitum, cui tributum, tributum, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Quisquis igitur alteri jus suum tribuerit, usus ratione erit. Porro autem cum humana natura à divina formam, statum, atque elementorum communicationem sumpserit, ergo Divinitati referre honorem & gratiam status sui debet. Recte sane debet, sed quis, quæso, honor? quæ demum digna gratia haberi, reddique à mortali viro, Deo æterno universorum Domino poterit? unus scilicet supremus adorationis honos, unaque Divinæ majestatis reverentia atque confessio: quam antiqui Juris scriptores *Religionem* vocant & Juris Gentium, id est, ipsorum hominum, pro-

B priam esse, probant in libro primo *Digestorum, De Justitia & Jure*, lege secunda.

Cum itaque Deo religionis honos ac reverentia humanæ naturæ jure, vinculoque, debeatur, videamus an hæc religio ab Italicis populis præstita DEO fuerit. Respondeo, quam minima quidem in eis fuit, quod ex temporum ratione probabo: quadringenti exacti erant anni ab ortu Domini nostri JESU CHRISTI, cum imperare Arcadius & Honorius, defuncto Theodosio, cœperant: qui quidem anni à Petri, Paulique, & Joannis adventu in Italiam, trecenti & quinquaginta erant, quibus patefactum palam Dei verbum, atque Apostolica tuba populis annunciatum fuerat, ut omnes homines

C prisca ignoratione omissa scirent unum esse Deum, tam Christianorum attestatione quam etiam suis miraculis clarum. In his igitur trecentis & quinquaginta annis, si tempora recensueris, quibus habitus in Italia publico cultu Deo honor fuit, vix sexaginta annis viguisse religionem diversis collectis temporibus invenies: reliquis seculorum partibus publico contemptu in Dei dedecus ac detestationem versis, bonisque omnibus, qui adspirare religioni deprehensi fuerant, in exsilium, aut in vincula conjectis. Non solum itaque boni, malique, mensura impar erat, prægravante malo, sed longe etiam dispar, triploque major populorum iniquitas, in tanto annorum spacio succreve-

D rat. Atque, quod est detestabilius, adorationis honor, qui soli Deo impendendus erat, nefario Principum ac populorum assensu, ipsis Principibus attributus fuit, Divique illi non solum post fata, sed etiam dum in scelerum fœditate viverent, appellati sunt, Deo ipso palam posthabito. Quam quidem transgressionem nequaquam excusabilem facit ipsa olim Imperatorum potestas ac dominatio in terris habita; quoniam cum populis, militibusve, collibuit, vel levi ex causa plures Imperatores, aut veneno, aut ferro, perempti sunt; veluti Nero, Domitianus, Ælius Verus, Commodus, Ælius Pertinax, uterque Antoninus, Severi filius, Alexander, Maximus, Gordianus, uterque Philippus, Galie-

E nus improbitate notus, & alii: qui fere omnes pari astu, aut casu, excipi & mactari tuendæ religionis causa jure & merito potuissent, si religio populis cordi fuisset. Ingrata igitur Deo illa tempora, ingratique populi, ingrati Duces & milites, ac religionem pertæsi claris rationibus probantur. Quibus plura adjicere argumenta possem, eandem impietatem ac irreligionem attestantia: sed ne in re clara superflua conferam, duo tantum attingo exempla ab aliis Scriptoribus relata.

Cum sub Honorio ludi gladiatorii Romæ fierent, Thelematius Monachus, rei feritatem à Christiana pietate abhorrere cernens, admonere populum spectaculo intentiorem cœpit, increpatione

F etiam religionis causa adjecta: quam ægre ferens populus uno impetu hominem contrivit, nemine quidem in tanta turba ab integræ vitæ viro periculum arcente. Contra Symmachus insignis Rhetor in Christianam fidem temere insurgens, publice concionari in populo ausus fuit, nostram omnino religionem tollendam, & idololatriam repetendam, pluribus etiam editis Epistolis; cujus vesania à Romanis magistratibus impune perlata fuit. Addo etiam

etiam aliud à Scriptoribus relatum, præsertim à Paulo Diacono libro III. *rerum Romanarum*: audita Romæ Gothorum in Italiam irruptione infremuisse in Deum turbas, horribili voce ipsum exsecrantes, & à CHRISTI cultu ad inania simulacra abeuntes: quem quidem à religione in idololatriam relapsum longe graviorem Beatus Petrus existimat, quam si quis prorsus ab initio Deum non agnovisset, iis verbis in secunda *Epistola* scribens: *Si enim refugientes mundi inquinamenta per cognitionem Domini nostri, iis rursus implicati succumbunt, facta sunt in eis posteriora deteriora prioribus. Melius sane erat illis non agnoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti.* Paulus quoque *ad Romanos* scribens, inexcusabiles probat esse Gentes circa Dei agnitionem, dicens: *Quod cum cognovissent Deum, non sicut Deum eum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Hac ergo à Deo prævisa in Italia publica religionis rejectione, jure ille quidem ac merito succensuit nostris majoribus, triaque eis bona, in quibus excelluerant, lenta manu ac potestate adimit, atque hæc ipsa tria externis gentibus in nostrum improperium contulit: Virilis prolis multiplicationem atque præstantiam, Imperii sedem ac potestatem, & Principum prudentiam ac magnanimitatem: quibus quidem tribus subtractis bonis, simul etiam gentis decus concidere necesse est. Et in primis virilis prolis defectus sub Marco Imperatore visus fuit, dum Marcomannis tumultuantibus militum delectus in Italia habitus esset, frustraque Imperator Italos milites conquisivisset: cujus defectus causa servitia & gladiatores armare, & extra Italiam milites conscribere necesse habuit: transferrique paulatim ex virorum inopia belli gerendi ratio & exercitatio in peregrinos Duces & milites cœpit: denudataque eo modo suis auxiliis, suoque antiquo robore, ac militari disciplina, Italia fuit. Et sicut olim ante patefactum mortalibus Christianæ fidei lumen, Italicum genus innumerabiliter crevit, pluresque colonias & urbes condidit atque replevit, Deo ipso antiquorum simplicitati, ignorationique, non adversante, sed potius errantium infantium more paterna ratione miserante, (nisi enim nostri erroris misertus fuisset, quomodo à nobis ipsius erroris caliginem abstulisset?) ita ex adverso postea fidei sinceritate agnita, eademque rejecta, illa virorum multiplicatio atque præstantia destitit, Italiaque ab incremento in declinationem versa, divino numine irritato, procubuit, magni fluminis exemplo; quod arefacta cœlesti indignatione terræ facie, fontibusque aquarum ubertate exinanitis, in exiguum cogitur, ripisque relictis per medium alveum exili unda elabitur, nomenque tantum sine aquarum copia habet. Et quod olim jumenta à vado & transitu fluctuum violentia arcere assueverat, nunc durante ariditate pecudibus etiam tutum ingressum atque egressum pacatis fluctibus præstat, ac sine murmure silet; similiter fere Italia cervice deflexa ab antiquo honore ex virorum inopia cecidit.

Alteram deinde plagam ab Imperii sede mutata accepit: dum enim Imperatorum statio Roma fuit, magistratus, præfecturæ exercituum, aliique honores, aut Italicis viris, aut iis, qui omnino Italici juris erant, deferebantur: hinc rerum publicarum peritia, hinc potestas, dignitasque, hinc imperii majestas, ac firmamentum in ipsa Italia erat, tuerique sese Imperator in Imperio nulla ratione poterat, nisi Italia simul ejus armis in tuto posita. Quo quidem postea Imperatore in Orientem sedem transferente, exsuta illis honoribus, illisque præsidiis, infelix Roma fuit: illaque olim Senatoria amplitudo, multiplexque virorum numero Equestris Ordo, item Tribunitia potestas, insignisque Jurisprudentium præfectura, & omnis denique fori auctoritas, atque frequentia, quasi exauctorata jacuit, atque elanguit, & pro negotio & exercitatione, turpe ocium atque desidia forum, urbem, maritimaque, ac mediterranea passim occupavit. Nullus tum in Italia militiæ locus, nullum fortitudini relictum præmium, nullum virtutis incitamentum patuit, creditaque sæpe Roma uni, aut alteri Duci, sive Præfecto, tanquam provincialis urbs, quæ provinciarum domina erat, temere ab Imperatoribus fuit. Quam quidem translationem minime ille inconstans animi, vitæque, Constantinus fecisset, si suos Roma Fabios, Metellos, Cornelios, Scipiones, Marcellos, Gracchos, Catones, Claudios, Brutos, Cassios, aliosque similes in vita, statuque, habuisset. Sed divino hæc numine (ut dixi) Imperii administratio, sedesque Italiæ adempta fuit. Atque ut ipsa translatio nobis etiam infelicior foret, nec omnino Assyrii Regis somnium in somnum recideret, secuta post translationem ejusdem Imperii divisio fuit: quam olim Julia prudens mater Bassiano & Getæ filiis lachrymis elocuta interturbavit; Occidentalisque Italica pars appellata fuit, sola nuncupatione finem Italico dominio minitans atque portendens, quasi ad Occasum verti atque detrudi indicaret, quicquid Italiæ conjunctum esset; & ex qua demum divisione contigit, ut utraque pars infirmior ex alterius detractione ac separatione remanserit; eoque modo infirmior facta, concuti etiam facilius, labefactarique potuerit, quam si utraque pars in antiqua rerum suarum mole ac unitate constitisset, ut antea invicta constiterat. Caruitque nihilominus Roma post eam divisionem plerunque sui Imperatoris præsentia, & cum Occidentalis Imperii caput esset, ipsius Imperatoris sessione raro potita est.

Supremum tertio loco bonum in malum commutatum ad Italiæ profligationem refero, Principum solertiam in imprudentiam ac socordiam versam: quam quidem imprudentiam si explicavero, longe fortasse imprudentior ero, cum plura pateant de ea re volumina: sed colligam tantummodo rei eventum. Residebant post Theodosium in Imperio Arcadius & Honorius, uterque impubes, uterque rerum expers, atque ætatis lubrico suis Ducibus atque Præfectis contemptibilis, longe ab Italia atque à provinciis, in quibus rebellandi periculum versabatur, agentes. Octavo igitur anno eorum imperii, Gothi, olim Visigothi nuncupati, Romani Imperii stipendiarii, stipendio eis temere subtracto, necessitate acti in Thracia rebellarunt, & nonnullis Imperatorum Ducibus è medio sublatis Alaricum sibi Regem constituerunt; Pannoniamque ingressi, nullo Duce, nulloque exercitu obviam facto, Danubium flumen trajiciunt, & per Noricum iter ac prædam facientes, Illyricum petunt. Jamque Italiam sine sanguine & pulvere manu tenent, atque hospitio premunt, Padoque trajecto circa Ravennam consistunt. Quid referam hoc loco immissum postea in Italiam Stiliconem, infido exercitu longe perfidiorem: qui fraudibus studens remorando potius quam præliando in triennium bellum distulit, ut Italiæ exitio potius quam auxilio esset: una sententia singula perstringam, nihil in tempore, nihil mature ab Imperatore actum fuit. At opportune quidem Gothi sibi ipsis, & importune nobis profligato Imperatoris exercitu, Italiaque potiti, Romam semel atque iterum diripuerunt, anno ab ortu Domini JESU CHRISTI quadringentesimo & duodecimo. Romanorum ergo potentia mille centum & septuaginta annorum diuturnitate in tanta rerum amplitudine constituta, unius anni spacio Gothis succubuit: magno quidem æterni Dei consilio, ut nostri illi majores divini numinis contemptores, contemptibilibus olim gentibus, suisque stipendiariis, subjicerentur: & qui divinæ fidei ac justitiæ legem à natura sancitam detrectaverant,

mercenariorum hominum jussa, & direptiones, jugumque subirent. Mirabiliorque illa Italiæ subactio, Gothico tumultu perpetrata, visa fuit, quam si præclari atque antiqui nominis Reges Romani Imperii sceptrum dejecissent: quoniam humana fortasse potentia, & arte, prosperoque belli eventu devictam Italiam ab eximiis Regibus unusquisque censuisset: quæ quidem opinio in Gothorum gente, victoriaque, cessavit, illius inopia atque novitate perspecta. Ignoti quippe illi, innominatique, extra suas regiones, circa Caji Julii Cæsaris Imperium fuere: ignotaque similiter antiquis Scriptoribus causa fuit, cur, aut quo tempore Gothi ipsi, sive Daci, sive Getæ, fuerint, appellati sint, quod quidem verbum Germanice bonos significat: primaque eorum celebritas fuit post Christianam fidem promulgatam; quam ii maxime, qui Visigothi nuncupati sunt, ab initio egregie tenuere, rerumque tandem successibus, & virorum numero ac robore freti, suis egressi finibus, variis casibus, & stipendia (ut dixi) & alimenta ab Imperatoribus recepere. Electi igitur illi viri, immissique fatali numine ad Romanorum consternationem fuere, ut unde minus ab initio pertimescendum fuerat, inde postea exorta vis, divinæ providentiæ nutu, concisas Romanas vires ab infirmioribus præter naturæ ordinem comprobaret, & devicti Imperii gloria DEO ipsi potius quam Gothorum inopiæ cederet, ut omnino cessit: & nisi aliquando Romanorum imperitatio concidisset, sceptri quidem æternitatem sibi soli Roma, & non divinæ potestati, arrogasset. Duravit autem in Italia Gothorum evagatio, atque licentia, circa triennium, deinde pactione cum Constantio Honorii Duce facta, Italica præda onusti in Galliam abjere.

CAP. II.

De Hunnorum, aliorumque in Italiam eruptione, & Venetiæ urbis initiis.

STUDEANT, qui provinciis præsunt, externos arma circumferentes à suis finibus procul arcere, ne intra terminos admissi incolis detrimentum ferant: neve etiam exauctorata provincia abeuntes, aliis finitimis audendi suo exemplo, ac diripiendi facultatem præbeant: quo quidem exemplo incitari quam maxime prædæ inhiantes constat, quod nobis Gothorum recessus ab Italia probat: quorum depopulationibus fama pervulgatis erexere sese in diripiendi studium eorum exemplo Hunni, qui circa ea tempora numeroso diversarum gentium exercitu in unum coacto Galliam invaserant, Aetiique Imperatorii Ducis virtute repulsi in Pannonia fractis viribus constiterant. Anno itaque trigesimo quinto, postquam Gothi Italia excesserant, Attila, sive Attilius, Rex Hunnorum, contractis undique Ostrogothorum, Herulorum, Gepidarum, & aliarum Septentrionalium gentium auxiliis, Italiam, Duce ac milite destitutam, invasit, Valentiniano Imperatore tunc Romæ trepidante: primoque impetu Forojulienses populos dissipat, Aquileja longa obsidione capta atque prostrata, & omni Circumpadana regione direptionibus exhausta. Quæ quidem secunda Italiæ plaga contigit circiter annum quadringentesimum & quinquagesimum, duravitque supra triennium, gentibus illis etiam in Etruriam impetum vertentibus. Sed compescuit Attilæ feritatem Leo Pontifex, humili oratione ac prece elatum Regis animum demulcens, ac religioni summittens: relicta igitur in vastitate & luctu Circumpadana Italia, illi gentium nimbi incruenta victoria, prædaque, potiti in Pannoniam, ab eorum incolatu Ungariam dictam, rediere.

Sub idem tempus, quo Hunni, aliique Septentrionales, in Italiam sese effuderunt, Venetiæ urbis initia Blondus Foroliviensis reponit, in libro singulari *de origine ipsius urbis*, à quo dissentit Sabellicus *libro* primo octavæ *Enneadis*, scribens ejus urbis initia fuisse sub annum quadringentesimum & vigesimum primum: quæ quidem quæstio levissima est; cum urbis structura ad gentem, gens vero ad originem in ipsa regione habitam apertissime referatur, ut secundo *libro* explicavi. Nec Veneti solum, aliique finitimi Adriatico, eam urbem amplificarunt, sed etiam Vicentini, Veronenses, Mantuani, Brixiani, Mediolanenses, & Ticinenses, ut idem Blondus enarrat, nulla Cremonensium mentione facta; cujus viri fidem secutus hoc tantum attingo; magno honori illis omnibus civitatibus adscribendum esse, quod eorum cives tantæ urbis ac Reipublicæ incrementa una cum Venetis populis erexerint: Italiæ enim libertatem, quantum in eis fuit, decusque, & amplitudinem antiqua virtute atque auctoritate Deo propitio firmasse, non solum in terra, sed in ipsius maris supercilio mirabiliter videntur. Indicium quoque ea res & idem Scriptor facit, eos populos inter Circumpadanos nobilitate & virtute quam maxime fuisse conspicuos, cum recepti à Venetis eo tempore in ipsius urbis communionem fuerint: cujus quidem honoris nulla Cremonæ pars competit, quæ subdita diu Venetis, dominii autem particeps nunquam fuit.

Atque ad historiam rediens, Leo Pontifex Romam reversus haud diuturna urbis tranquillitate potitus est: nam hæreses in primis plures in Clero, deinde nobilium dissensiones in populis Romæ & Ravennæ, quæ se Romanæ Ecclesiæ æquandam existimabat, pullulavere: quibus invalescentibus Valentinianus Ravennæ, ubi stationem firmaverat, occisus fuit, Maximo ejus cædis impulsore subinde Romanam ditionem occupante: & quod inhumanum fere fuit, violentis nuptiis Eudoxiam Valentiniani uxorem sibi conjungente: quo quidem homine fœde imperante, longe fœdior à Vandalis consecuta plaga fuit.

CAP. III.

De Vandalorum rapinis.

VANDALI, Germanici generis viri, innumerabili multitudine Galliam ingressi, in Hispaniam etiam penetravere. Deinde magno rerum successu sub Genserico Rege, Ariano dogmate infecto, in Africam trajecere, Romanique Imperii provincias tum ferro & obsidione, tum etiam dolo & fraude, atque perfidia subegere: acceptisque sub hoc tempus nunciis de Maximi tyrannide, in Italia occupanda, & de violentis Eudoxiæ Regiæ matronæ nuptiis, ac Italorum inter se Principum æmulatione, magna rerum celeritate Vandali classe delati in Italiam ruunt, Leone Pontifice nequicquam illis, Gensericoque illorum Regi, obviam eunte: sprevit impius Rex Summi Pontificis congressum, atque imparatam urbem aggrediens omnia diripuit, sacra profanis miscens, involvensque, & captivos cives non solum ex urbe, sed ex Latio & Campania, excisa Capua, populatim abducens, ipso in primis Maximo in Tyberim dejecto, quem Ursejus Romanus in eo tumultu occiderat, adeo sine Italorum consilio, aut manu raro Italia excidium patitur. Tanta igitur ac tam insigni præda onusti Vandali, Roma desolata, in Africam redeunt. Tertia autem hæc Italiæ illata plaga fuit circa annum CCCCLVI. à partu Virginis: qua quidem in re mirari licet, quibus rerum vicissitudinibus Italiæ opes consumptæ fuerint: Attila enim Circumpadanos depopulatus, Romanis, aliisque eorum finitimis, pepercit, unius Leonis oratione commotus; Gensericus contra, Leone rejecto, Romanos, finitimosque, laceravit, & Circumpadanos, quos Attila spoliaverat, intactos reliquit: &

& ita alternis depopulationibus atque excidiis infelix Italia fatali ordine per partes lacerata & deformata fuit: tantæ adeo ejus opes erant, ut à pluribus nationibus diripi eas semel atque iterum eodem seculo oporteret.

CAP. IV.

De Alanis ab Italia depulsis, & Richimeris facinore.

AMISSIS sub idem ferme tempus plerisque Occidentalibus provinciis, Romani Imperii pars Occidentalis dicta, à rerum amplitudine & frequentia ad angustiam & solitudinem redacta fuit: minimeque tot attrita malis Italia requievit: sed Vandalis abeuntibus in Alanorum manus, qui Biorgum Regem secuti per Athesis fluminis anfractus & vallium fauces in Italiam evaserant, recidit; adeo uni inflictæ plagæ altera confestim adjecta fuit. Hæ autem gentes in Transpadanis regionibus inter Adduam & Histriæ fines agros depopulantes, sedis diuturnitate caruere, Richimere Duce cum Severiani Imperatoris exercitu obviam facto, ac prælio circa Benacum lacum commisso: in quo, Rege amisso, Alani una cum auxiliaribus copiis dissipati effugere circa annum Domini nostri sexagesimum supra quadringentesimum. Quiescenteque tum Italia ab externorum insultibus, tumultuari suorum Principum ac Ducum dissidiis in Romano Imperio cœptum est, Richimere Circumpadanorum Præfecto in Anthemium, Romanum Imperatorem, ejus socerum, arma movente: quorum Principum motus Epiphanius, Ticinensis Episcopus, morum præstantia insignis, utrique gratus, paci studens, in pacis fœdera conciliavit. Nec tamen ea pax diuturna fuit, Richimere regnandi ambitione pellecto, affinitate posthabita: bellum exinde adversus eundem moliente, in quo victor socerum, jam abdicato Imperio privatam vitam Romæ agentem, neci dedit; ac deinde ipse morbo correptus, parricidii pœnas divina ultione pertulit. Perpende hoc loco rerum successus, brevique sententia singula in unum collige. Repulit Alanos Richimer, ut Romam liberam ab externis gentibus, ipse deinde soceri sui sanguine fœdaret, ac postrema ejus impietas fraternæ neci, urbis initio patratæ, sceleris immanitate responderet, aliquisque etiam in eum illud satyricum aptissime verteret:

Paterno extremi maduerunt sanguine muri,
Cum patris loco socer habendus erat.

CAP. V.

De Italico tumultu ab Epiphanio Episcopo sedato.

PRAECIPITI hoc tempore lapsu Romana res ad interitum declinavit, divisione in Italia circa Imperatorem eligendum inter populos exorta. Ravenna enim, Exarchatus titulo magnificata, pluribus finitimis excitis in Romæ dignitatem cornua impulit, invitisque Romanis Lucerium, sive Glycerium, olim Senatorem suum Imperatorem edixit, Gundibare, sive Cunthibaro, Italici exercitus Duce, eis favente. Quod indigne ferens Leo Constantinopolis Imperator per Nepotem Patricium, Romanos tuentem, Glycerium ab Imperio dejectum, ad sacerdotium detrusit: qua ex re commotus Cunthibarus pro Ravennatibus adversus Romanos copias eduxit: stetit ex adverso Nepos Romanis fretus. Succensi ira utrinque Itali arma parant, atque ad sua excidia satagunt: quod audiens Epiphanius Ticini agens iis verbis ingemuit: *O nimium tui oblita, & futuri nescia, Itala natio, quæ de Imperio brevi tempore abolendo contendis, & in arma ruis.* Exsurgensque extemplo navi delatus Ariminum petit, deinde ad locum in Flaminiæ finibus, ubi castra erant, adveniens, ab utroque Duce precibus impetravit, ut statuto loco ac tempore pacifici ad eum audiendum pro communi re & dignitate adesse vellent. Quibus condicto die, una cum proceribus suis convenientibus, Epiphanius omnibus prius salutatis ita effatus dicitur.

Epiphanii Oratio.

Nunquam magis alieno tempore, aut casu oriri in Italia contentio, ac belli provocatio potuit, quam in præsenti, Principes clarissimi, Italia ipsa recenti adhuc strage languente, ac hominum & rerum inopia laborante. Quo quidem in malo curando atque leniendo, cum magna recreationis spes in vestra virtute ac prudentia sita esset, nunc vobis Principibus dissidentibus, vestrisque exercitibus ad mutuam perniciem irruentibus, omnis nostra spes evanuit, recedereque à nostris urbibus illa optata recreatio visa fuit: contraque pro spe, desperatio; pro hominum salute, perditio; & pro rerum nostrarum instauratione, suprema attritio atque calamitas pertimescitur: quoniam tam ex vestra utriusque Ducis, gentisque præstantia, quam ex incerto belli eventu exploratum est, neutrum adversus alterum sine suorum cæde confligere, & neutrum omnino incruenta victoria potiri posse. Quod quidem malum à vobis, vestrisque gentibus, amoliri DEO propitio cupiens, supplex ego utrique amicus ad vos veni, supplexque utrunque oro, per Italiæ salutem, quæ vestro consilio, & non dissidio, credita fuit, per vestrorum parentum, conjugum, & natorum lachrymas, qui in vos solos spectant, elatisque ad cœlum palmis pacem implorant, & suis fletibus desolationem ex futura pugna reformidant: denique per summi atque æterni Dei jussionem, pacem mandantis, vos compello, simul obsecroque, ut vestra corpora & bona à ferro & vi servetis intacta, viribusque, & armis omissis, quicquid inter vos statuendum est, ex jure & æquo statuatis. Communis enim hæc causa est, ex qua contentio circa Imperatorem eligendum oritur: in qua quidem communi causa communem pariter & æquam esse oportet populorum conditionem, quibus ferendi suffragii jus est. Neque ergo Romanis in Imperatore eligendo aliarum civitatum suffragia per earum Oratores delata repellere, neque etiam Ravennatibus sibi ipsis Romanorum jura arrogare permissum est. Quæ quidem Romanorum jura sunt, ut Romæ, & non Ravennæ, electio fiat. Jus enim, & æquitas suadet, ut communia populorum jura eo in loco in communione habeantur, in quo à partium quota vel discrimine in unum coaluerunt. Qui locus Roma est. Nulla itaque ratione, nullo gentium jure evelli ab urbe Roma Imperatoris electio, & Ravennam transferri solo Ravennatum arbitrio debet, si jam probatæ atque antiquæ consuetudinis lex servanda est; quoniam Roma, & non Ravenna, communis omnium patria constituta est. Quam quidem patriæ communionem si dissolveritis, aut ab aliis Italicis populis separaveritis, hei mihi, dimidiati antea per priorum Imperatorum divisionem, Romani Imperii partem in alias rursus particulas dissecabitis, Romæque Romani, & Ravennæ Ravennates electionem facere, Italiamque dividere contendent, fietque Italicæ partis sectio. Quæ quidem sectio, & bipartitio, quam perniciosa omnibus populis futura sit, præterita tempora ac bella probant. Nam si universi Imperii amplitudo in duas tantum partes divisa, magna ex parte comminuta externorum insultibus, & in angustum coacta cernitur, quanto facilius si ad minutiores partes redacta fuerit, ab alienis labefactabitur? Qui quidem alieni, si libere affari licet, nimis avide, nimisque impie nos circumspectant, lynceoque intuitu nostros tumultus observant atque exspectant, & reliquiarum nostrarum direptioni leonina feritate inhiant, ut oblata occasione repente nos invadant, obruantque. Et quorum denique externorum insidiis una vobis Italiæ Proceres via obstruenda est, unusque præcludendus aditus, videlicet, ut seditio à vobis absit, & unio, atque consilium subsit. Hac ergo tam clara ac manifesta salutis vestræ ratione in pace atque unione consistente, & multorum malorum cumu-

cumulo ex vestra dissensione orituro, flectere vos animos ab odio ad amicitiam, à contentione ad concordiam, & à virium vestrarum separatione ad unionem, opportunum est, ne contraria sectando, tot oblata bona communi culpa amittatis, & simul etiam in vitæ, salutisque, discrimen incidatis. Quod si neque salus vestra, Italiaque, neque mea oratio, atque deprecatio avertere vos à ferri violentia, manibusque conserendis, potest, ferrumque distringere, ac vires experiri in humana corpora decretum est: unum saltem corpus offerri vobis pro omnibus sinite. Ecce me ipsum, vertite in me tela, Itali, meme, inquam, ferro petite, atque perimite, vosque omnes salvos facite, ut unius amici vestri funere, una tantum familia lugeat, & non tota Italia vestro sanguine funesta fiat. Dixit postrema verba Epiphanius lachrymas ferme emittens, & in utrumque Ducem honoris gratia caput summittens: quo conticente stetere immoti omnes, silentiumque tenuere.

Tandem Cunthibarus in Epiphanium versus, sicut prior arma moverat, prior etiam Epiphanio assensit, pacemque cum Nepote & Romanis inivit. Actæ subinde gratiæ à Ducibus & militibus Epiphanio fuere, unoque ore celebrare ejus pietatem atque eloquentiam, una voce laudare officium, ac ejus præsentiam revereri, admirarique, quod duobus exercitibus ad mutuam cædem paratis, & in conspectu positis, ille solo sermone arma è manibus utrisque excusserit. Divina, ajebant, potius quam humana vis in ejus verbis fuit, ita nos à belli sententia ad pacem repente deduxit. Hæc de Epiphanio exili ac perfracto stylo scripsit Paulus Diaconus *libro* VI. *cap.* I. & II. quæ seriosius retulit Flavius Blondus *libro* II. primæ *Decadis*; Sabellicus quoque, ne suas *Enneades* inanes hujus viri celebritate esse sineret, eadem probat *libro* II. octavæ *Enneadis.* Sed nulla tam præclara unquam virtutis actio in homine enituit, quæ invidiæ, odiique, aculeos evitare potuerit, ita malum bono humana malitia suo sæpe consilio infundit; pro pace enim odium Epiphanius in patriam retulit, ut infra aperiam.

Cap. VI.

De Ravennatum simultate in Epiphanium.

Cum omnes Italiæ civitates circa Adriaticum & Padum sitæ pace recepta Epiphanium commendarent, sola Ravenna pacis causam ægre ferre visa fuit, aliquorum suasionibus imbuta, quod si Epiphanii officium non intercessisset, eligendi Imperatoris jus ab urbe Roma omnino abstulisset. Hoc igitur sermone ab uno ad alterum perlato, vulgus sibi opinionem formavit, inclinasse Epiphanium in Romanos potius quam in Ravennates, pacemque sollicitasse: quoniam superiores in bello Ravennates futuri videbantur. Addebant sermoni alii in foro ociosi: quid mirum si Romanis amicior quam nobis in pace suadenda fuit? Ticinensis genere est, cujus patria neque nostro principatui unquam adhæsit, neque Archiepiscopo Mediolani, cui finitima est, conjungi potuit: sed sola esse, solaque videri sui juris, semper studuit. Increbuit rumor iste inter Ravennates ab ætate in ætatem, tandemque non solum Epiphanium odisse, sed omnes Ticinenses ejus causa cœpere, odio etiam in posteros transmisso. Itaque pro pace Ravennatibus parta, Epiphanius eorum simultatem in Ticinenses detulit, meritoque in hanc sententiam arguens aliquis scripsit: *In vanum plerumque laborat, qui alienæ civitati obsequium præstat.*

Cap. VII.

De Odoacris adventu, & Romano Imperio sublato.

Post conciliatos ab Epiphanio Italiæ populos pax triennium ferme duravit, Cunthibaroque

A ab Italiæ recedente, Nepos, audita Leonis Imperatoris morte, & Zenonis cum Basilisco circa Orientis Imperium contentione, Romanis faventibus Imperator factus est: studensque illis Galliæ provinciis prospicere, quarum partes in Romani Imperii fide perstiterant, Orestem exercitui, ad eam expeditionem comparato, præfecit, instructumque dimisit. Orestes Ravennam ingressus, pertentatis civium animis, ab Exarchatu ad Imperium adspirantibus, copias sistit: Augustuloque filio Ravennatum tumultu Imperatore declarato, Nepotem inermem, improvidumque, repentina defectione invadit, fugatque ab Italia, & Imperii sedem Ravennæ figit, Vandalis, à quibus metuebat, fœdere

B conjunctis. Quæ quidem sedis mutatio novitatis perturbatione, tanquam ignis scintilla, in incendium crevit; & Italici imperii perdendi origo ex parte fuit: Romani enim ab Imperatoris electione ac sede ab Oreste & Ravennatibus elusi, occulto consilio nuncios ad Nepotem in Dalmatiam mittunt, renunciantes se indigne ferre, Ravennates sibi ab Oreste prælatos, & seipsos contemptui habitos esse. Rogare igitur, ut quoquomodo suam & eorum injuriam simul ulcisci studeat; ei rei se minime defuturos. Nepos nihil spei in Orientalibus Principibus inter se diffidentibus esse cernens, ad Septentrionalium vires in Italiam pronas, promptasque,

C animum vertit, atque eosdem nuncios cives Romanos, ut Blondus innuit, in Pannoniam ad Odoacrem, Herulorum Ducem, fama conspicuum, ire jubet, eademque illi renunciare suo nomine mandat, quæ sibiipsi retulerant: addens etiam literas ac preces, ne Romanorum postulata abnuat, neve potiundi Imperii occasionem intentatam relinquat: cum puero Imperatore, Duceque proditore, Italis inviso, non tam bello quam itineris atque adventus celeritate dimicandum esse. Odoacer, cui in adolescentia apud Athilam militanti nota Italia fuerat, nunciis benigne receptis, auditisque, in Imperii spem erectus est: sollicitatisque Herulis ac Tulingis, apud quos auctoritate pollebat, in Pannoniæ finibus magnas

D copias parat, ac sese Ducem ad invadendum Italiam illis gentibus præstat. Itur in Germaniam nemine obsistente, deinde in Italiam per Aquilejæ fines irruitur: Panduntur Transpadanarum urbium portæ Herulis, ab Aquilejæ, jamdiu destitutæ, muris usque ad Adduam amnem, omniaque eorum rapinis sine contradictione, aut incolarum murmure, patent. Illi longo agmine Adduam in Laudensi agro trajiciunt, auditoque Orestis adventu, prope Lambrum amnem castra ponunt. Imprudens Orestes, qui aut Herulis ad Adduæ ripas obviam ire, aut subsistere citra Padum, hostemque in transitu prohibere, debuit, temere sese Odoacri

E in Ticinensium finibus cum novo exercitu obtulit, non longe à collibus Divi Columbani hodie nuncupatis: Odoacer ex adverso Lambrum amnem in superiori regione vado trajiciens, copiam dimicandi explicato exercitu Oresti fecit, & immisso equitatu ad pugnam provocavit. Ille militum numero & exercitatione inferior, suosque pavere hostium multitudinem & equitatum sentiens, castris se continuit; quibus insecuta nocte relictis, intra Ticinum oppidum tumultuoso incessu sese recepit, magna copiarum parte in diversa dilapsa: sub lucem Heruli vacua Italorum castra invadunt atque evertunt, à qua re nomen incolæ indiderunt, *Campum Ruinatum* agresti sermone regionem, ubi castra fuerant, appellantes; deinde circa Ticinum urbem excurrentes Heruli,

F oppidum, quod à flumine tunc ad teli jactum distabat, corona cingunt, atque quadraginta dierum labore ac certamine oppugnant. Itali, contra sumptis missilibus telis, muros tueri non destitere. Tum Odoacer incendio crematis portis, scalis muros conscendere pedites jubet, equitesque portas in-

invadere, singulis turmis phaleratis equitibus præmissis: hoc igitur ordine atque impetu pugnam ineunt, repelluntur à muris Heruli, sed in portis pugnant atrocius equites, ingeminatque prælium Odoacer multitudine fretus, ac militum vicissitudine suos recreat, pediteque equitatui immixto civitatis portas in Septentrionem versas, quæ latiores erant, ingredi tentat, pugnaque usque ad noctem perdurante rejectis ab equitatu ex portarum limine Italis, Ticinum capitur, diripitur, atque incenditur, anno septuagesimo supra quadringentesimum, Oreste simul capto, atque ad necem abstracto. Hæc Blondus, & Platina, & Sabellicus, aliique probant, ab Aretino Procopii traductore dissentientes.

Cujus autem momenti Ticini expugnatio, atque excidium, fuerit, accipe: Omnes Italiæ urbes, Venetia excepta, terrore concussæ, Odoacris adventu non exspectato Legatos ad eum & munera ultro deditione facta emiserunt: & Augustulus infamis Imperator abjecta tunica delituit, Ravennatibus ejus Imperii fautoribus non exspectato nuncio Odoacri se submittentibus. Roma vero ultionis, quam sollicitaverat, compos facta, gratulabunda venientem Odoacrem excepit, Regemque Italiæ corona in Capitolio ornatum appellavit, Romani Imperii nomine eo actu abrogato atque sublato. Populus itaque Romanus, qui pullulante olim Patriciorum virtute regium nomen in suis civibus invisum habuit atque abolevit, ut populare sibi regimen constitueret, nunc mutato studio, eademque virtute torpente, idem nomen in Herulo Duce instauravit: atque hoc modo Roma ipsa Italici Imperii erigendi, ac etiam perimendi, origo fuit, Ravennatum irritata injuriis. Tuque infelix Italia, tuarum civitatum ambitione divisa, antiquo honore amisso, alienum jugum subis, ac tu te perdendam ac devorandam externis gentibus sciens, vidensque, tradis. Quanto autem satius fuisset, aut Romam, aut Ravennam sorte, vel aliorum populorum suffragio, Imperium retinuisse potius quam utramque simul libertatem ac dominium amisisse: quæ quidem Imperii amissio, atque abolitio, Odoacris adventu patrata, multorum malorum seriem in posterum Italiæ advexit: nam neque Heruli postea sine Gothorum armis, neque Gothi sine Longobardorum viribus, evelli ab Italia, depellique, potuere; adeo pede semel illato Septentrionalis vigor sedem sibi in nostris urbibus communierat. Disce ergo, Italia, præteritis edocta casibus, futura mala prævidere, &, si potes, evitare.

CAP. VIII.

De Italico tributo, & Ticinensium restitutione.

SUBACTIS plerisque Italiæ populis Odoacer Regio jure imperavit, ut tertiam partem fructuum in annos singulos Herulis pro alimentis penderent, Romanis exceptis. Quo promulgato edicto, Ticinenses, qui urbis suæ excidio superfuerant, convocato nobiliorum concilio, Epiphanio suadente, de mittendis ad Odoacrem Legatis una cum ipso Epiphanio statuerunt, ut scirent, an ille, quem in expugnationis ardore inexorabilem senserant, nunc ne restinctis iræ incendiis placabilior post victoriæ gloriam effectus esset. Adeunt itaque Odoacrem Regem tunc Ravennæ agentem Ticinenses, atque Epiphanio verba faciente, hoc ferme modo alloquuntur: *Illa infelix civitas, olim Ticinum dicta, quæ definit esse civitas, eximie Rex, ut per ejus excidium tu ipse Italiæ Rex fieres, has ad te populi sui reliquias, atque hos suos mœrore attonitos viros, misit, ut te Regem salutaret, supplexque oraret, quod cum tibi fata tua virtutis merito victoriam, Regnum, pacemque contulerint, tu quoque victoriæ meminisse velis: cujus* A *lex est, capta servare, minimeque eos perdere, quibus belli fortuna pepercit: jacet adhuc nostra urbs (ut scias) in eadem tectorum ruina, quæ te spectante facta fuit, nemo refectionem aggredi, nemo sua curare usque in præsentem diem, tuam veritus indignationem, tentavit. Nunc vero cum Italiæ Rex sis, nostraque omnia cum nobis ipsis tuæ ditioni subsint, præclarius tibi futurum est unius urbis instauratæ quam eversæ dominium habere. Quod enim militaris manus demolita fuit, nostræ calamitati & tuorum fortitudini adscribetur: quod autem in posterum te permittente instaurabitur, tuum dicetur, tuæque gloriæ atque animi magnitudini attribuetur, quod in Regni solio constitutus instaurare urbem, quam deleveras, tuapte pietate jusseris. Oramus itaque, ut placeat* B *clementiæ tuæ, nos nostra excisa tecta sarcire, domusque, in quibus nati sumus, repetere, atque civitati nostræ formam, nomenque, restituere. Ad quod opus faciendum altera etiam à munificentia tua nobis indulgenda est gratia, ut ab Italico tributo tantisper immunes simus, quoad nostræ urbis refectionem ad statum perduxerimus.* Dixit Epiphanius, cæteris civibus eodem actu in Regem, honoris causa, terræ tenus genua inclinantibus. Surgere jussis Odoacer respondit: *Permittitur vobis vestræ civitatis refectio una cum publicarum ac privitarum rerum cura, immunitas quoque in quinquennium tribuitur, ut civitatis instaurationi commodius impendatur. Ite læti, & res vestras bono auspicio curate.*

C Habuit gratiam Odoacri Epiphanius civium suorum nomine, solvensque Ravenna, Ravennatibus invisus, prope Ticinum rediit, congregatisque Ticinensium reliquiis, in diversa dispersis, publica supplicatione peracta sacrificium celebravit, ac diem condixit, quo populatim omnes convenirent, ac patriæ suæ ruinas reviderent. Dies fuit vigesimus quartus mensis Aprilis anni septuagesimi secundi supra quadringentesimum, post Christum natum, quando Epiphanius exili populo comite in Patriam suam ruinis ac situ deformem rediit, templumque pollutum in primis purgare ac reconciliare sacris rite peractis aggressus est, Deo holocaustum offerens in testimonium majestatis ejus ac infirmitatis D nostræ: sua deinde singulos tecta ruderibus mundare & reficere, vicinosque juvare, edixit. Opere inchoato fama in finitimos evolavit, Ticinum refici, civesque immunitate potiri: tum Padi accolæ, in Ticinensium finibus prædia habentes, magno concursu affuere, ultro operas suas subvectis navibus præstare, succisam in silvis materiam importare, oppidique instaurationi incumbere non destitere, plures etiam ex populi consensu destituta loca, & sine domino, aut hærede relicta, occupavere, refectaque tertio anno pars civitatis, atque habitata fuit: sed sub Odoacris Regno instaurari tota civitas non potuit, Epiphanio finitimos ad E incolatum evocante, quod alio loco aptius demonstrabitur.

CAP. IX.

De Ticini nomine in Papiam commutato.

FERVENTE instaurandæ urbis opere, rumor increbuit civitatis nomen ob ipsius instaurationis memoriam mutari debere: satis diu (quis dixit) Ticini nomen nostra urbs mille jam diu exactis annis habuit, in quo meditando nimis rudes, ignarique, majores nostri fuisse arguuntur; qui à prælabente amne nomen mutuati sunt, quasi illis rerum vocabula defuerint: me si audieritis, nomen inveniemus; quod nostræ pietatis officia in Patriam re- F stituendam paucis syllabis, posteritati attestabitur, & Ticini nomen aquis restituetur. Dic, sodes, nomen, alter respondit, Papia, piorum virorum patria, sive pia ipsa, id est, religionis studiosa, patria elegantiorem demonstrationem refert, quam Ticinum: atque hoc nomen antiquo honore refertum

tum est: fuit enim olim (ut audivi) à Romanis condita lex Papia. Renuntiat alter alteri inventum nomen aptissimum, quo civitas in posterum nuncupari debeat: referunt significatum Epiphanio, patribusque advenientibus: illi, rei novitate attoniti, nec assensere prorsus junioribus, quibus labore oppressis morem gerere in re communi æquum putabant, nec etiam aperte dissensere. Juniores autem rati partes tacite eis acquiescere, cum aperte non contradicerent, uno tempore voce sublata, *Papia* civitas nostra est vocanda, exclamant: subdidit Epiphanius: *Cum vestro labore civitas ruinis vindicata formam assumat, vestro etiam arbitrio hoc nomen, Deo propitio, in futurum habeat;* appellataque exinde *Papia* à civibus, ab externis vero, finitimisque, dicta promiscue & *Ticinum*, & *Papia* fuit: difficile enim est in populis vetus nomen, longo usu menti impressum, repente abolere.

Dubitat hoc loco Cremonensis Scriptor, idem ne sit Papia, & Ticinum, addens nullum exstare hujus rei probatum Scriptorem: sed ne istius dubitatio lucem veritati adimat, Scriptores addo, perlege Flavium Blondum in tertio *libro Decadis* primæ scribentem, Symmachum & Boetium Papiam relegatos fuisse circa Gothorum tempus, ac Regnum civitatis nostræ nuncupationem commutatam ostendens: & Leonardus Aretinus, Blondo longe antiquior, *libro* II. idem sensit per hæc verba: *Hi ut amici Gothorum Ticinum amnem apud Papiam*, &c. Inepte igitur ille Scriptor, ne dicam inscite, Ticini commutationem à Longobardis factam innuit. Sabellicus similiter *libro* II. quintæ *Enneadis* inquit: *Est Ticinus maximus omnium fluviorum, qui Padum influunt, deditque olim vicinæ urbi nomen, quam nunc mutata voce Papiam nominant.* Idem *libro* VII. *Enneadis* septimæ ait: *Quidam ad Placentiam postremo dimicatum ferunt; alii ad Ticinum, quæ nunc Papia est.* Tertia autem hæc civitas fuit, quæ in plana Italia nomen commutavit. Bononia olim Felsina dicta; deinde Padua olim Patavium; tertia Papia, quæ quidem nominis mutatio in civitate liberi juris est, ut innuunt Juris interpretes libro ultimo *Codicis, de mutatione nominis.*

CAP. X.

De Theodorici adventu, & Regno, & Papiæ amplificatione.

PERTULIT Italia Odoacris Regis jugum annos quatuordecim, in quibus militaris disciplina longa desuetudine in Italis exolevit: quod etiam ipsi Odoacri postea detrimentum attulit. Perlata enim ejus Regni fama in Orientis oras circa fines Pannoniæ, ubi Gothi, ab Ostrogothia oriundi, sedes habebant, sollicitatus Theodoricus, eorum Rex, Theodimeri filius, spectatæ virtutis vir, Gothorum vocibus de invadenda Italia consilium inivit, accedensque ad Zenonem, tum Orientis Imperatorem, magnis precibus impetravit, Italiam sibi, suisque Gothis, in Regnum designari. Declaratus igitur Italiæ Rex Theodoricus, fractis Gepidarum & aliorum populorum iter impedientium obstaculis, in Italiam magnis instructus copiis evasit, Odoacremque uno atque altero prælio ex Transpadano agro fugavit. Datur hoc loco à plerisque Scriptoribus vitio Italis militibus, qui à Circumpadano tractu Ostiliæ finitimo sub Odoacre militabant, quod in secundi prælii ardore in Veronensi agro Herulos deseruerint: quorum desertionem nequaquam probans, addo, Odoacrem nota dignum fuisse, qui tyronem militem, ex vicina domo repente eductum, nulla præmissa militari exercitatione, in aciem statuerit adversus Gothorum copias, diuturna militia ac itineris longinquitate, recentique victoria, animatas: si itaque ipse Dux, imprudentia lapsus, sine belli ratione decertandum importune putavit, Ducis errorem tyronem fuga auxisse consentaneum ejus imprudentiæ fuit.

Odoacre Cispadanam regionem suis præsidiis circa Padum tuente, Theodoricus Transpadanis urbibus receptis in Insubria cum exercitu hyemavit: spectatoque Ticini urbis situ, ad propugnaculum constituendum aptissimo, ac civium animo in Herulos ob urbis suæ excidium infenso, & propterea sibi ipsi tanquam Herulorum hosti propitio, urbem novis munitionibus firmavit, matre & sorore una cum Gothorum familiis ac rebus in ea collocatis: quæ res amplificandæ à duobus lateribus ac instaurandæ civitatis subsidium fuit, Ticinensibusque insuper perpetuam agri sui immunitatem tribuit, Epiphanio Episcopo in Regis amicitiam, familiaritatemque, recepto, omnia procurante, ut omnes Scriptores probant. Ecce autem, quod Theodorico in Transpadanis circa Ticinum, & Odoacre in Cispadanis circa Flaminiam se continente, Condibaldus Burgundiæ Rex, à plerisque Scriptoribus *Gundobaldus* dictus, cum exercitu per Helvetiorum confinia Italiæ finitima in Insubriam descendit, ratus inter duorum Regum, gentiumque, contentiones se opportune prædam facturum, quod impune fecit: nam Theodorico inferiora oppida suis præsidiis muniente, caventeque ne ab Odoacre eo tempore motus fieret, Condibaldus superiora Insubriæ loca præsidiis vacua, ab Addua amne usque ad Taurinos, sine discrimine diripiens, hominum, pecorum, ac rerum prædam tuto gressu in Burgundiam abegit.

Liber igitur à Condibaldi suspicione Theodoricus, sciensque Romanos ab Odoacre jam abalienatos esse, solosque Ravennates una cum finitimis in ejus fide stare, in Odoacrem arma vertere ac belli eventum experiri statuit: Transpadanis itaque populis in fide firmatis, instructo exercitu Padum trajecit, omnibusque urbibus à Placentia usque ad Bononiam per deditionem receptis, circa Ravennam, ubi Odoacer aderat, castra posuit. Quo demum Odoacre, & dimicationibus, & triennali obsidione fracto, ac Ravennam sub pactionibus dominii dividundi dedente, Theodoricus rerum potitus est anno ferme octogesimo octavo post Christum natum præter quadringentesimum, Odoacremque, Regni æmulum, ne quid moliri in futurum posset, irritis pactionibus, una cum suis proceribus è medio abstulit, Herulorum turba servata, ac supra Taurinorum fines circa Alpium fauces relegata. A quibus, post attritas Gothorum vires, conditum in planicie oppidum Herulencum, hodie *Verulenghum* fertur.

Collige, quæso, Lector, rerum eventus: Orestes, qui Nepotem exercitu ab eo in fide accepto prodiderat, in Odoacris manus incidit: Odoacer vero, qui Orestem captivum præter jus gentium Placentiæ occiderat, pari fere impietate præter fidei legem à Gothis occisus est: adeo mali attributio, simili interdum fato, in suum auctorem regredi, aliena etiam manu, solet, facinorisque evengus, & vicissitudo, aptissime in ipsos malos plectus, runque reflectitur. Illud quoque hoc loco memorabile est, Italiam Gothis, ex Visigothia Occidentali parte oriundis, anno duodecimo post quadringentesimum succubuisse; eandemque Italiam anno duodecimo ante quingentesimum, Gothorum jugo, ab Ostrogothia, Orientali parte, translato, colla subdidisse, suoque fato in exitiale nomen genus, tempusque, recidisse, ut suis omnino stipendiariis Romana majestas subjaceret, ac subjectionis dedecore spretæ religionis pœnas rependeret.

CAP. XI.

De Italiæ statu sub Theodorico, & divina Urbis Romæ electione.

QUAE bene gesta sub Theodorici Regno fuerunt, rerum Scriptores late & diserte retulerunt,

runt, atque orationis gratia illius Regis acta exæquarunt: quæ vero minus perbelle perpetrata sunt, nudis, paucisque, verbis perstringunt, rati longe præclarius esse commendanda commendare, quam abhorrenda in memoriam revocare. At mea diversa est sententia: bonum enim & malum æqua lance in historia perpendo, plurimique facio, ut mala ipsa nostris majoribus illata patefiant, simulque etiam eorum causæ appareant, ne illiusmodi erroris deceptione capta posteritas præceps ruat. Nam malorum causas scire, & earum quasi antecessiones mente colligere, summæ prudentiæ est: monemur enim aliorum periculo illa nobis præcavenda fore, quæ præteritorum malorum initia & fomenta fuerunt, quæque antecessores nostros in rerum detrimenta pepulerunt. Potitus igitur Regno Italico Theodoricus, Roma quam maxime applaudente, Ravennam sedem Regni elegit, ipsa Roma minime quidem spreta, imo exornata: quod latissime Aretinus & Blondus explicant, quos secutus Sabellicus mutatis verbis volumen confecit.

Quærunt hoc loco Scriptores, cur Ravenna Romæ in Regia statuenda à Theodorico prælata fuerit? quorum sententiis adscribens, meam quoque addere historiæ aptum puto: Fato potius quam humana ratione Theodoricum impellente Ravenna electa fuit, ut Italicum Regnum jam ad externos translatum à Roma secederet; ejusque secessu Roma ipsa liberior, ut ita dicam, aptiorque paulatim fieret ad divinum, humanumque, imperium in Petri Apostoli Sede ac Pontificatu conjungendum, stabiliendumque: quod quidem Pontificale Imperium nunquam in eam auctoritatis magnitudinem sese extulisset, si Italici Reges Romæ consedissent: Divina enim tantum, & non humana, potestas Pontifici permissa fuisset, ut præteritorum temporum & Principum historia probat. Dominus igitur JESUS Deus omnipotens, qui olim fugientem Petrum ab Urbe Roma suis verbis Romam redire compulit, indicans illis verbis, illoque actu, Romam suo Vicario sedem futuram Italiæ Reges Spiritus sui virtute à Roma abalienavit, ut ipsa tandem Urbs, quæ dignitate alias antecesserat, sacerdotalis Imperii tribunal aliquando fieret, ut facta est.

Regia Ravennæ collocata, Theodoricus agrorum divisionem, quam Odoacer in multis Italiæ regionibus fecerat, & suis Herulis pro tertia parte fructuum in possessionem tradiderat, Gothis veteranis viritim distribuit: cujus rei auctor est Procopius *libro* I. quem Aretinus sequitur. Quibus autem in regionibus hujusmodi agrorum ademptio Italicis populis ab Odoacre facta fuerit, aut quo servato ordine, minime patet. Unum tantum monumentum in Cispadano agro juxta Ticinensium fines superest, Castronovum oppidum à Gothis conditum in iis agris, qui Gothis post Herulos designati fuerant, ut eorum culturæ commodius vacarent: qui quidem Castronovenses agri inter Cispadanos optimi sunt, & Ticinensium fines à Dertonensibus dividunt. Non solum itaque universali dominio, quod Regno continetur, sed etiam particulari, quod in proprietate consistit, Italiæ populi ex parte privati sunt. Militum quoque hospitio atque onere planam Liguriam idem Rex exhausit, cui deinde pro damni restitutione immunitatem indulsit. Armorum insuper usui Italis omnibus summo studio interdixit, telis è domibus ablatis; quod post Blondum notat Sabellicus, ut militiæ desuetudine Itali prorsus imbelles fierent, ac imbecillitate torpentes Gothicum jugum patientius ferrent, minimeque ad Imperium adspirarent. Nullus itaque sub eo Italus miles, nullus armiger militavit, &, bellica re cogente Gepidarum copiis Gothorum phalanges adjuvit, Hilba Duce usus. Item Italiæ fines, Alpibus viciniores, suis proceribus in possessionem dedit, clausitque Italiæ aditus, oppidis etiam communitis, præcipue Tridento, ita ut neque vicinitas Italis cum externis gentibus, neque familiaritas constitui posset. Quos præterea viros, aut ingenio, aut potentia suspectos habuit, aut ex suis civitatibus in remotiora loca relegavit, aut carceribus indicta causa, aut etiam morti destinavit, Symmacho & Boethio Severino, Romanis Patriciis ac Consularibus, è medio sublatis: de quo Boethio alibi scribam. Nunc, quæ bona ab eodem emanaverint, referam.

CAP. XII.

De Italarum Civitatum instauratione.

STUDUIT civitatum instaurationi Theodoricus variis artibus. Primum armato milite Italiam in pace continens, sine quo milite tuta esse Regio rarissime potest. Item finitimos Reges & Principes, à quibus moveri bellum facile potuisset, suarum matronarum nuptiis sibi conjungens, & præcipue Claudium Francorum Regem, quem posteriores Scriptores, Gallicam vocem secuti, *Clodoveum* vocant, Galli enim *Clodo* Claudium materna lingua appellant. Franci autem nobilissimi Galliæ populi sunt à Germania oriundi, tenentes mediam Galliæ partem, in qua Parisium, Regia urbs, amplissima ac populosissima, eminet, nulli hac ætate civitati opibus, atque hominum, & rerum copia inferior. Refectione quoque collapsorum ædificiorum non solum Romam, Spoletum, Ravennam & alias nobiles urbes ornavit, sed nova structura plura condidit, & præcipue arcem munitissimam in urbe Papia prope Ticini ripam in eo loco, ubi nunc domus publica est, *Salaria* dicta, à salis repositione: exstant enim ibi adhuc vestigia ac monumenta ipsius arcis, à qua flumen, & pons flumini impositus, facile prospiciebatur, arce ipsa clivo mediocri, qui versus flumen porrigitur, insidente: ita ut & ad securitatem, & ad navigationis commodum, & ad amœnitatem statio ipsa opportuna esset. Civium quoque, & oppidanorum perquisitione ac reductione, Insubriam ac Taurinos populos quam maxime juvit, non solum iis, qui in villis & pagis vitam suo arbitrio agebant, à ruribus in urbes evocatis, & hyemare jussis, ne civitates prorsus desererentur; sed alio quoque ordine longe munificentiore regiones replens, quod uno ore ab omnibus Scriptoribus relatum est. Rogavit enim Epiphanium Papiæ Episcopum, sanctitatis fama conspicuum, ut nomine suo Condibaldum Burgundiæ Regem pro captivorum, quos ab Italia abduxerat, redemptione adiret, auro eidem ad legationem perficiendam pro captivorum numero, quorum notitiam habuerat, tradito; quod quidem legationis munus quam prudenter, ac potius admirabiliter, obierit, sequens caput indicabit.

CAP. XIII.

De Epiphanii legatione ad Regem Burgundiæ.

PROFECTUS in Galliam Epiphanius, ætate ac viæ longitudine lassus, triduum Lugduni quievit: quæ civitas distat à Papia quadringenta Italica milliaria, atque à porta Occidentali uno aditu plura itinera aperit, quorum medium in Franciam tendit, proximum à dextera in Burgundiam, alterum in Germaniam: arrepto igitur suo itinere Epiphanius in Burgundiam perrexit: quæ fœcundissima atque amplissima pars Galliæ est, ut Cæsar in *Commentariis* docet, à Gallis Hæduis & Sequanis habitata: deinde à

Burgundionibus ex Germania oriundis, qui bellica virtute eam provinciam Gallis ademerunt, & incolatus diuturnitate se ad Gallicos ritus ac sermones conformarunt, Gallique effecti sunt. Natura enim hoc effecit, ut unaquæque regio proprium sermonem effingat, ad quem omnino declinare peregrinos viros, eam incolentes, temporis tractu necesse est. Quod in Rhætis populis evenisse Livius præclare notat, scribens *libro* v. eos Alpium incolatu Tuscum sermonem efferasse. Constitit autem ad Condibaldi Regis conspectum Epiphanius in Divione oppido, Gallice* *Digione* dicto, expositaque summatim Regi adventus sui causa, mandatum negotium Regio Quæstori fuit, ut accepta pecunia, quam viritim captivi Itali pro libertate pepigerant, singuli dimitterentur. Captivorum itaque numero & pactionibus in summam relatis, pecuniaque ab Epiphanio Thesaurario numerata, compertum est, alios exstare in captivitate Italos, plerosque Insubres, quorum notitiam Theodoricus nullam habuerat: liberatis igitur iis, pro quibus pecuniam attulerat, de aliis etiam liberandis cogitare cœpit: impium fere facinus censens Italorum parte redempta, aliam partem in captivitate relinquere: conversusque ad Quæstorem precibus obtinuit iterum à Rege audiri: ad quem in atrio cum suis Primoribus sedentem, statuto tempore, Latine in hanc sententiam locutus est.

Epiphanii Oratio ad Regem pro captivis Italis gratis dimittendis.

Magno Dei æterni consilio evenisse puto, Rex amplissime, quod longe major captivorum numerus repertus apud te sit, quam pecunia à me delata, ad eos redimendos satis fuerit: ut deficiente in me redimendi facultate, una tantum spes captivis superesset, quæ in tua sola animi magnitudine posita esset: quam quidem animi tui magnitudinem si ad eos liberandos convertes, major tibi gloria futura est, quam fuerit, aut esse possit eorum captivitas, atque detentio: capti enim isti dicuntur fuisse fortunæ casibus, ac militum tuorum manibus: quæ gloria, etsi magna videtur, minime tamen solius Regis est, sed Regis & militum, atque ipsius fati communis censetur; quæ tria in bello gerendo ita conjuncta sunt, ut dividi nequeant: liberare vero eos, quos sub tua manu habes, neque fati, neque exercitus tui, sed virtutis tantum tuæ opus est. Quod quidem opus si nunc effeceris, gloriam præclarissimi facinoris solus obtinebis: eos etenim viros liberabis, à quorum atavis, sive majoribus, olim hæc nobilis provincia, & libertatem, & honorem assecuta fuit. Florentibus enim Italicis rebus, ac Romano Imperio Galliæ dominante, Burgundia jus Italicum, ac etiam immunitatem agri sui, ab Italis impetravit, ut in Digestorum *legibus, titulo* de censibus, *pro rei attestatione scriptum fuit, quæ Italorum in vestram gentem beneficentia nullo casu, aut merito aptius rependi, quam istorum dimissione potest. Divulgabitur scilicet in omnes Galliæ, Italiæque, regiones, tuam majestatem uno actu, unoque verbo, exæquasse universa Italiæ merita, in tuam gentem antiquitus collata. Et quo antiquior Italorum beneficentia fuit, & quasi oblivioni tradita, eo potior ac gloriosior tua remuneratio, vel rememoratio, existimabitur; cum vetusta etiam officia, perinde ac si recentia essent, præsenti animo ac liberalitate excipias atque rependas. Nullaque unquam ætas, aut rerum mutatio, hanc tibi immensam benignitatis gloriam adimere, aut à Burgundiæ nomine dividere poterit: sed quemadmodum Pyrrhus Rex captivos Romanis gratis remisisse Enni Poetæ & Marci Tullii scriptis celebratur, tu quoque populorum præconio ac vocibus Insubres patriis laribus restituisse tuapte liberalitate diceris, atque hujusmodi pietate super omnes nostræ ætatis Reges animi magnitudine excelluisse videberis. Egoque indignus Sacerdos non desinam pro mea humana infirmi-*

A *tate tuum hoc munus inter Italiæ Principes & Gothorum Duces magnificare, & ut par est meis verbis, scriptisque, extollere: futurumque tandem reor, ut pro tuo beneficio Insubribus indulto Deus Omnipotens Burgundio generi longe majores honores in Italia post nostra secula aliquando tribuat. Exstare enim Sanctorum hominum vaticinia audio, dominaturum in Italia per annorum diuturnitatem Regium genus, nomenque, quod à Burgundia oriundum erit, Imperiumque non solius Italiæ limite, sed Oceano etiam mari, aliisque finibus terminabit, ac linguarum varietates sub unius sceptri regimine, non vi & armis, sed æquitatis moderamine continebit. Quare ne tanto tibi, Regnoque, aut generi tuo futuro honori impedimentum fata interponant, flecte, obsecro, Rex*
B *eximie, fata ipsa pietatis opere, nostrosque Italos gratis Deo dimitte, ut Deus ipse supremus Rex pro Insubrum liberatione majus tibi, aut posteris tuis, dominium tribuat, tuamque gratiam suæ divinitatis potentia in tuum genus cumulatius referat atque reflectat.* Grata fuit Regi Epiphanii Oratio, & quamvis ferus à natura Rex esset, acquievit tamen Epiphanii votis, omnibus captivis eidem dono traditis: & quibus demum liberatis, Epiphanium familiariter rogavit, ut aliquid memorabile pro sui nominis recordatione eo in loco ederet, se scire eum Deo acceptum esse. Respondit Epiphanius, una tantum mihi superest facultas, in qua Deo, & non mihi, memoriale statuam, quod per Sacrificii oblationem te
C adstante crastina die faciam.

CAP. XIV.
De Sacrosancta Eucharistia in Divionis templo ab Epiphanio collocata.

ALTERA die celebravit Epiphanius in Divionis templo Sacrificium, quod *Missam* vocant, Rege & populo spectante, ac iis captivis, qui gratis dimissi fuerant, nudis pedibus incedentibus, consecravitque duas Eucharistias, una in communicatione sumpta, & altera servata. Finito Sacrificio, Sacrosanctam Eucharistiam dextera manu sustulit, conversusque ad Regem & populum hæc dixit: *Hanc immaculatam Hostiam, sub qua divina*
D *potentia latet corpus Domini nostri* JESU CHRISTI, *ego vobis, Rex optime, ac Principes Illustrissimi, & Divionenses viri, relinquo ob memoriam pietatis Regiæ, qua in Italos gratis dimittendos Rex hic præsens uti sua benignitate dignatus est. Et sicut pietatis opus ad Deum pietatis fontem referri debet, ita ego in divino Sacramento Deo ipsi hujus rei memoriam statuo: quod sacramentum perpetuum erit, amoverique à Burgundiæ finibus nunquam impune poterit.* Atque iis dictis Eucharistiam in tabernaculum super altari collocatum reposuit atque dimisit: quam Eucharistiam hodie etiam in Divione oppido intra templum, *Sancta Capella* nuncupatum, Divionenses habent, & in-
E corruptam ostendunt in die Natalitio Domini nostri JESU CHRISTI. Post repositam Eucharistiam, Rege ac Proceribus salutatis, Epiphanius collecta captivorum turba, quæ quindecim millia capitum fuit, Lugdunum rediit: vigesimoque exinde die omnes suis regionibus restituit, anno nostræ Salutis octogesimo nono supra quadringentesimum. Quæ quidem de Epiphanio scripta à pluribus auctoribus approbata leguntur, & in primis à Paulo Diacono *libro* VI. & à Blondo *libro* III. brevius à Platina in *Vita Gelasii Pontificis*, latius à Sabellico *libro* secundo octavæ *Enneadis*, religiosius à Burgundiis, apud quos versatus in Gallia di-
F dici, quæ retuli.

CAP. XV.
De Epiphanii Episcopi obitu.

SUPREMUS ille labor nostro Epiphanio fuit, qui Ravennam profectus, ac legationis successu Theodo-

* Vel potius *Dijon*.

dorico relato, utrumque Regem in amicitiam conciliavit, reversusque in patriam Epiphanius consumpta ætate exspiravit. Tum vexata civitas tanti viri jactura, publico mœrore & luctu funus extulit: in quo efferendo increbuere ex tectis matronarum voces lachrymis immixtæ: *Oh tetra nimis, nimisque infesta dies, quæ te à nobis abstrahit, optime Pater ac Domine! cui, quæso, nos infelices in tanta rerum novitate relinquis? cui committis hanc turbam, per teipsum intra hæc semi-collapsa mœnia traductam? Oh vere luctuosam patriam tam præclaro atque amabili amisso Patricio, parenteque! Siccine demum uno Epiphanio auctore instaurata fuisti, ut eo nunc decedente tu simul concideres? Siccine tibi priscum nomen illo annuente mutatum fuit, non ut omnino insignior fores, sed ut tandem tanto Patricio, patreque, sublato, tu quoque simul decus, specimenque, tui nominis exsueres? Luge igitur nobiscum antiqua tellus, tuo à te avulso colono: lugete turres, tectaque refecta, vestro nunc instauratore defuncto: lugete nobiscum Padi & Ticini accolæ, quoniam qui vestræ quieti ac saluti studuit atque prospexit, nunc vos sine Duce & protectore relinquit.* Finem luctui funeris depositio vix attulit, civium corda publico mœrore altius premente. Conditum autem sepulcrum Epiphanio fuit in Divi Vincentii templo, quod ab inde citra à Papiensibus sub Epiphanii nuncupatione celebratum fuit, Gelasio Romano Pontifice eo tempore sedente.

Nullas Epiphanius opes, nulla alia prædia, nisi quæ à Mario patre acceperat, sororibus reliquit: ex quibus quidem sororibus Honorata religione & moribus celeberrima fuit: cujus ossa in sacello Monasterii veteris, vulgo *Historiarum* appellatum, collocata sunt: cumque ab eo loco exportari tentatum esset, ut in eminentiore delubro conderentur, amoveri nulla humana industria exinde potuere. Scio scriptis meis in hac parte adversari Blondi opinionem, existimantis, Epiphanium Aquilejensem fuisse, quod minime verum esse omnes alii Scriptores & Episcoporum annales probant, decipique facillime Blondus potuit Syri primi Episcopi origine, qui Aquilejensis fuit: post cujus Syri tempora ante Epiphanium Aquilejæ destructio insequuta est, ita ut esse Aquilejensis Epiphanius nullo modo potuerit, ipsa civitate jam antea solo æquata, & nondum sub Epiphanii ortum instaurata.

CAP. XVI.

De Burgundiæ Regis amicitia cum Theodorico.

POST Epiphanii obitum viguit summa benevolentia inter Condibaldum, Regem Burgundiæ, & Theodoricum, quæ etiam affinitate firmata fuit, ornatissimis inter eosdem muneribus transmissis: ex quibus spectatissima fuere duo horologia mirabili artificio Romæ fabricata, Boethio Severino auctore, ad quem exstat ipsius Theodorici Regis *Epistola* à Cassiodoro relata, cujus verba in parte refero.

Boethio illustri Patricio Theodoricus Rex.

Burgundiorum Dominus à nobis magnopere postulavit, ut horologium, quod aquis sub modulo defluentibus, & quod Solis comprehensa illuminatione distinguitur, cum magistris rerum ei transmitteremus: quasi ei miraculum esse videatur, quod quotidianum apud nos esse ex Legatorum suorum relationibus intellexit. Hoc te multa eruditione præditum ita noscere didicimus, ut artes, quas vulgo literarum ignari exercent, tu in ipso disciplinarum fonte potaveris. Quare cum vos ornet mirabilium rerum notitia, horologia nobis publicis expensis sine vestro dispendio destinate. Primum sit, ubi stylus diei index per umbram exiguam horas distinguat. Secundum sit, ubi præter Solis radios hora dignoscatur, noctes in partes dividens. Prædicta horologia nobis quanto ocius transmittere maturabis, ut exteræ gentes tales nos habere nobiles auctores, quales leguntur, agnoscant: minimeque audeant se nobis æquales esse existimare, cum tales sapientes apud nos esse, taliaque mirabilia scire excogitare cognoverint.

Subsequitur altera Epistola, ex qua patet Boethium opus egregie curasse, ac ipsa horologia gratissima Theodorico fuisse, moxque ab eodem Theodorico ad Burgundiæ Regem destinata fuisse.

Condibaldo Regi Burgundiorum Theodoricus Rex.

Amplectenda videntur munera, quæ expetita fuisse probantur, ut per preciosa opera cupientis animus expleatur. Quapropter salutantes vos gratia consueta per harum latores præsentiæ vestræ duo delectabilia horologia cum suis dispositionibus destinamus. Unum, in quo humana solertia, arteque, colligitur, quicquid totius cœli spaciis noscitur pervagari: alterum, ubi Solis meatus sine ipso Sole cognoscitur, & aquarum guttis horarum spacia terminantur. Habeatis itaque in vestra patria quod aliquando vidistis in urbe Roma: dignum est enim, ut his bonis vestra gratia perfruatur, quæ nobis etiam affinitate conjungitur.

CAP. XVII.

De Horologiis.

NON ab re erit, referre hoc loco, Horologia, quibus hodie utimur, ignota fuisse antiquioribus, ut indicant scripta à Plinio libro II. cap. LXXVI. & libro VII. cap. ultimo, *Naturalis Historiæ*, ubi de Horologio fit mentio. Dignusque propterea celebritate Boethius fuit, qui primus illa memoranda Horologia Romæ componi curavit: post cujus viri interitum diu Italia ejusmodi opificio caruit. Dominante deinde in Transpadanis Joanne Galeatio Vicecomite fabricatum fertur ejusmodi Horologium, non solum horarum, sed etiam siderum expressis notis, atque temporibus, ac Solis, Lunæque, meatibus; cujus operis auctor ignoratur, collocatumque illud Horologium in arce, vel Castello, Papiæ fuit: ubi defuncto Principe tam mirabile opus despectum jacuit circulis etiam à suo loco sublatis. Exacto postea sæculo anni millesimi & quingentesimi circa annum vigesimum nonum, quo CAROLUS QUINTUS Bononiæ Imperialem Coronam suscepit, allatum eidem Imperatori illud Horologium incompositum, (ut erat) situ ac rubigine fœdatum fuit, quo conspecto, machinam admiratus, curari tanti operis instaurationem fabris undique evocatis jussit: quibus circa opificii restitutionem frustra laborantibus, unus accessit Joannes Cremonensis, cognomento Janellus, adspectu informis, sed ingenio clarus, qui tantum opus speculatus refici posse machinam dixit, sed nequicquam profuturam ferris rubigine attritis, exesisque, nisi novum instrumentum ad illius vetusti similitudinem ac symmetriam componatur: aggressusque opus, sive priorem artificem imitando atque æmulando, sive exæquando, diuturno labore opificium absolvit, quod deferri in Hispaniam Imperator voluit, magistro Janello simul deducto. Mirari igitur nostra ætas non minus quam antiqua suos artifices potest, profiterique Hispaniæ licet, quod sicut olim Burgundiæ Regi, ita etiam suo Regi, à Burgundia avia genus trahenti, affuere artifices Italici, cœlum ferme intra Horologii metam effingentes.

Nec omittendus hoc loco est vir bove capitosior Bernardinus Carovagius, oculis emissitiis, ore exporrecto, linguaque blæsus, qui Horologicam artem Papiæ discens, mirabilia fecit: inter quæ illud memorabile fuit, quod ut Andreæ Alciato eximio Jurisconsulto morem gereret, Horologium composuit; in quo per æris sonitum, quam quisque statuis-

tuisset horam exaudiebat, atque eodem ictu ignis scintilla ab inserto silice in subjectum sulphur excussa in flammam ibat; quæ repente ardentis sulphuris ministerio ac continuatione accendebat appositæ lucernæ fila, lucemque reddebat: ita ut composito Horologio, ad quam dominus destinasset noctis horam, & à somno excitari, & lumine juvari solius Horologii ope, unusquisque accubans posset: quæ similiter Horologii compactio, per æris crepitum pulsans ac notans horas, Plinii temporibus in usu non fuit.

Cap. XVIII.

De Boethio Severino.

PRAETERMITTENDVS minime à me est tanti viri casus: qui cum summæ auctoritatis & existimationis apud Teodoricum esset, ut plures ejus *Epistolæ* ab Aurelio Cassiodoro relatæ declarant, mox ab ejusdem Regis gratia decidens in præceps ruit, ex sola suspicione, quod patriæ libertatem affectaret. Relegatus itaque Papiam turri inclusus diu retentus est, quæ turris sita est prope Monasterium Beatæ Annunciationi dicatum; nomenque à Boethio sumptum hoc tempore servat, vulgo *Turris Boethii* nuncupata. Quo denique viro Theodorici jussu interempto, conditum ejus corpus honestissime à Papiensibus fuit in templo Sancti Petri in Cœlo aureo, quod nunc Divi Au- A gustini dicitur, ejusque sepulchrum ornatis versibus inscriptum adspicitur, qui & defuncti viri præstantiam, casumque, & Theodorici injustitiam attestantur. Caveant igitur, qui magnorum Principum aura elati honoribus funguntur, ne levi rerum motu aura in procellam versa, à sedibus dejiciantur, quod mea ætate Romæ, & Parisiis, pluribus contigisse memini, qui utrique Curiæ aliquando imperantes, tandem in curialis calamitatis casus demersi sunt.

De Burgundiæ Regno digressio.

MAGNI interesse puto Burgundiæ Dominos, qui nunc Archiducis titulis funguntur, olim B Regum stemmate fuisse celebriores: quoniam Regno etiam exciso, Regiam fuisse provinciam honorabile est. Cur autem titulus fuerit immutatus, non satis teneo: sed in conjecturam eo, quod quandiu Burgundia uno dominio continebatur, nec alterum superiorem agnoscebat, tandiu Regio nomine insignis fuit. Dominio deinde ipsius provinciæ in partes diviso, quod post Condibaldi tempora primum contigit, Claudii Francorum Regis filiis materno jure ac jussu Burgundiam invadentibus, ac pro parte ad Crothochildis matris nutum sibi ipsis adjicientibus, imminuta provinciæ potestas, simulque Majestas fuit, ac temporis tractu Regia nominatio in alium titulum transmissa.

BERNARDI SACCI,

PATRITII PAPIENSIS,

HISTORIAE TICINENSIS

LIBER VIII.

Cap. I.

De Ænnodio, Episcopo Ticinensi, ad hæreticum Imperatorem misso.



ALTERA lux post Epiphanium in Italiæ decus, ac Romanæ Ecclesiæ propugnaculum, à Papiensibus tumulis emersit, Ænnodius Juvenalis, genere inter Ticinenses claro atque antiquo, sed rerum peritia ac dicendi acumine ipse præclarior. Is patriæ Episcopus constitutus tanquam biceps gladius, aut quasi coluber in Orientales Principes hæresi pollutos insurrexit: destinatusque Legatus ab Hormisda Romano Pontifice ad Anastasium Constantinopolitanum Imperatorem in hæresim collapsum, una cum Fortunato, Venantio, & Vitali, audacter, constanterque, Pontificis jussa Imperatorem increpando exsecutus est, ut refert Paulus Diaconus *libro* VII. & Platina in *Vita Hormisdæ*. Iratus itaque Imperator eos viros puppi, naufragio faciendo aptissima, collocari, ac sine veli, clavique, regimine maris periculo committi jussit; adjecto interdicto, ne Græciæ littora attingerent. Sed major Dei virtus, ac bonorum virorum fortuna, quam Anastasii impietas fuit: navicula enim miraculo servata in portum omnes evasere: cujus viri merita studens Romanus Pontifex omnibus testata facere, Ticinensi Pontifici plura indulsit privilegia, D quibus nihil fere ab Archiepiscopo dignitate differret. Insuper etiam primum sessionis locum illi ipsi, à sinistra Romani Pontificis, certis casibus inter alios Episcopos tribuit. Vixit in Episcopatu Ænnodius annos circiter viginti sex, ab anno quadringentesimo & nonagesimo, usque ad annum quingentesimum & sextum decimum: in quo tempore colligendo accuratus fuit Paulus Diaconus: contra autem quidam meus civis, temporibus minus rite collectis, apertos errores scriptis inseruit.

Notant hoc loco Scriptores, primam hanc animadversionem fuisse, quam Romanus Pontifex in aberrantem Imperatorem exercuerit, cum lenitate verborum potius quam anathematis potestate anteacti Pontifices usi in Principes fuissent: in qua E potestate exercenda cum Ænnodius, ejusque collegæ inermes, Imperatorem furore ac telis armatum adierint, & Romanæ Ecclesiæ nomine corripuerint, præclarum facinus, longeque memorabilius, ediderunt, quam si armata manu in hostili acie conflixissent: quoniam ad certum pene vitæ discrimen sola animi virtute freti in alienas vires sese conjecerunt, nullis ipsi viribus dimicaturi, sed ratione tantum Christianam religionem adversus Imperatoris furorem asserturi; quæ quidem animi virtus major quam humana, riteque divina, F visa fuit. Prohibet me plura de Ænnodio scribere ejus sepulchri inscriptio, quæ in Divi Michaelis templo Papiæ inspicitur, literarum figuris ferme vetustate exesis: quod templum ante Gothorum incolatum ædificatum fuisse constat: ipsius autem sepulchri carmina subscripsi;

Æn-

Ænnodius vates lucis rediturus in ortum,
Hoc posuit tumulo corporis exuvias.
Clarus prole quidem, generosior ipse propinquis,
Quos functus laudum jussit habere diem.
Reddidit hos cœlo vivacibus ille figuris;
Cum fecit famæ vivere colloquiis.
Quid mirum, si morte caret post busta superstes,
Qui consanguineos restituit superis?
Quantis ille foret mundi celebratus in oris,
Nec silet occidui cardinis oceanus.
Schismata conjunxit dudum discordia legi,
Atque fidem Petri reddidit Ecclesiis.
Pollens eloquio, doctrinæ nobilis arte,
Restituit CHRISTO innumeros populos.
Largus, vel sapiens, dispensatorque benignus,
*Divitias credens, quas dedit ipse * suas.*
Templa Deo faciens, hymnis decoravit & auro,
Et paries functi dogmata nunc loquitur.

DEPOSITVS SVB D. XVI. KAL. AVGVSTAS, VALERIO V. C. CONSVLE, Anno 516.

Monere Lectorem libet me scripsisse verba, omissa priscæ sculpturæ ruditate, in qua *b* pro *v*, veluti *exubias* pro *exuvias* scriptum est, & *i* pro *e*, ut *vatis*, & *superstis*, pro *vates*, & *superstes*, & alia, quæ indicant viguisse in nostris regionibus ea ætate ruditatem priscorum populorum. Familia autem Juvenalis ipsa fuit, à qua fuit ædificatus pagus non longe à Carthusio Monasterio Papiensi celeberrimo, *Juventianus* appellatus: quæ quidem nobilis familia centum ferme ab hinc annis desiit esse in humanis, Juventiano pago, vulgo *Giovenzano*, in diversos distracto. An autem Juvenalis familia à Latio, Sabinisque, & finitimis oriunda, conjuncta nostris Ticinensibus agnatione fuerit, divinare potius quam scire possem: agnovi enim Romæ Latinum Juvenalem virum præstantem: quare illis omissis ad meum opus redeo.

CAP. II.

De Pontificia Imperatoris coronatione, & unione.

MAGNA hoc tempore accessio Christianæ Religioni in ipso rerum humanarum turbine facta est, Anastasio in primis Orientali Imperatore, pessimo homine, fulgure interempto: cujus loco succedens Justinus modestus Princeps in hæreticos insurrexit. In Occidente quoque Claudius Francorum Rex, qui Crothochilidis genere Burgundiæ nuptiis & religione ad Christi fidem devenerat, in hæreticos ea ætate Gothos, Galliæ partem Pyrenæis finitimam incolentes, arma exercuit, atque intra Vasconiæ terminos magnis cladibus compulit. In Meridie pariter Hildericus à Vandalis oriundus, & in Africa natus, omnes Christianos ex anteacta parentum suorum persecutione ab Africa profugos in sua restituit, & hæreticos confestim à suis finibus fugavit. At non similis tibi successus, infelix Italia, fuit: Theodoricus enim Rex à recto tramite fidei torquens oculos, fovere hæreticos contra Justini Imperatoris institutum aggressus est: itaque Joannem Romanum Pontificem, aliosque claros viros, ad se evocatos, minisque terrefactos Constantinopolim pergere jussit, ut Justinum Imperatorem, qui hæreticos ab Ecclesiis ejicere cœperat, ab incepto revocarent. Perrexit mitissimus Pontifex, ac sua dignitate posthabita Italicæ salutis causa Legatus Constantinopolim ivit, ne hæreticorum gratia in iram percitus Theodoricus, adversus Italos (quod jam minabatur) insæviret. Sed fregit ipsius Regis rabiem fatorum series, atque potentia, & quo major Pontificis summissio fuit, eo dignior effecta est legatio atque profectio. Justinus enim, Pontifice & Comitibus honorificentissime receptis, ejus monita secutus, hæreticos ad tempus

* Alii legunt *esse*.

A ferre minus malum censuit, quam Italiam Theodorico subjectam ejus furori prodere, ac furentem magis irritare: recte quidem, veluti si quis invadente incendio tecta, partem, in qua furit ignis, demoliatur ac separet, ut quod corrumpi cœptum est, tantum pereat, reliqua parte servata; sic tolerare eo tempore malos, bonosque eodem actu à pernicie servare, prudentius fuit, quam hæreticos expellendo, Italos simul perditioni dedere.

Sed aliud longe majus decus, aliudque excelsius honoris culmen in ea profectione, Romanæ Ecclesiæ, Deoque æterno nostro Principi, adjectum fuit. Pronus in Pontificis majestatem Imperator Imperii Coronam solemni pompa & reverentia de
B manu ejus sumere ac gestare dignum putavit. O felix, faustumque, regnum, quod non impia, aut inquinata manus, sed Divina Majestas in terris sanxit, suique Vicarii auctoritate firmavit! ut alter ab altero Princeps firmamentum sumeret, ac religionis dignitatem socia potestate custodiret. Joannes enim Pontifex tanquam summus Dei Sacerdos Imperatoris consensu, ipsi Imperatori eo actu prælatus est: Justinus vero Imperator, tanquam ejusdem sacerdotis, sacerdotiique miles, & Christiani gregis custos ac propugnator Apostolico stemmate insignitus & approbatus est. Conjuncta itaque divinitus, ac connexa inter se, hæc munera sunt: quæ si quis diviserit, aut Christiano ovili periculum,
C aut sibi ipsi labem contraxerit. Verumenimvero illa tanta dignitas non sine ipsius Pontificis molestia acquiri Romanæ Ecclesiæ potuit: adeo honoris magnitudini apposita plerunque hominum invidia, & obtrectatio est. Audita enim hujusmodi coronatione Theodoricus, expavit, & mutatis, sive præcipitatis moribus in sacrilegium ruit, Joanne Pontifice una cum sociis, à legatione reversis, carceribus inclusis: ubi diu male habiti (impium dictu) defecerunt, tertioque exacto mense Theodoricus, divina ultione ex pavore in languorem versus, illorum virorum funus secutus est.

CAP. III.

D
De Gothici Regni variatione.

DECLINARE mortuo Theodorico Gothicum genus in Italia, & Regnum cœpit, quod ab ejus adventu circiter septem & triginta annos duraverat. Primaque Gothis plaga illata à Gallis fuit, Provincia, quæ juris Italici erat, Athalarico Regi puero ab ipsis Gallis adempta. Quo puero mortuo Amalasuntha matre, prudenti Regina, superstite, & Theodato in Regni administrationem adscito, recuperata postea eadem Provincia à Gothis fuit, Italis militibus eo primum tempore adversus Theodebertum Metensium Regem conscriptis, ipsisque Gothis in bello gerendo conjunctis: stetit-
E que tantisper in Principum existimatione hoc Regnum, quoad ipsa Amalasuntha Theodorici filia illud rexit; qua sublata Theodati consilio atque facinore, labare simul Regni auctoritas ejus detectis flagitiis cœpit, inter quæ Arianam perfidiam, ingratitudinem, avaritiam, & ebrietatem, sive violentiam, ei præcipua fuisse omnes Scriptores tradunt. Contemptibilis itaque morum suorum vitio Theodatus effectus, contemptibile similiter Regnum suum Principibus fecit: irritavitque valde Justiniani Imperatoris animum, qui Justino avunculo in Orientali Imperio successerat, hoc maxime facinore, quod Agapeto Romano Pontifice defun-
F cto, Theodatus spreto antiquo ritu, Silverium Summum Pontificem eligi sine Imperatoris approbatione jussit: excanduit tum in Gothos Justinianus, bellumque dissimulato apparatu, quasi in Africam classem transmissurus, Gothis in Sicilia intulit, qua subacta Sicilia, Belisarius Justiniani Dux in Italiam copias trajecit, ac Neapolim & Campaniam

niam simul subegit. Sed dum facile putat eodem militum apparatu Theodatum imbellem hominem, ac suis odibilem, è Regno pellere, eoque consilio Belisarius in Latium tenderet, Gothi è contrario Vitigio Rege constituto, & Theodato occiso, omnem belli rationem mutant, atque in quinquennium sub ipso Vitigio adversus Belisarium vario rerum eventu bellum gerunt. Quo quidem in quinquennio plura Italis populis, quam Gothis, illata detrimenta fuere, præcipue Neapoli, Romæ, & Mediolano, dum nobiles civitates, aut uni, aut alteri parti adhærere student, ac sub ejusdem partis præsidio se tutiores futuras opinantur, mox destitutæ ab eo, cui sese dederant, sub alterius sibi infensæ gentis potestatem recidunt, ac direptionibus lacerantur: quod omnino malum, sive nimia Belisarii audacia, cuncta præter vires suas aggredientis, sive affectata populorum credulitate, sive fato evenerit, satis superquè constat, plures populos tam à Justiniani Ducibus, quam à Gothis consumptos fuisse. Quinto anno Belisarius sæpe, & virtute, & dolis præcipue sub induciarum tempus usus, Vitigium Regem intra Ravennam obsessum, variis promissionibus ad deditionem traduxit: quo Rege recepto, classeque cum thesauro imposito tanquam victoriæ compos Constantinopolim ad Justinianum navigavit, Italia suis Ducibus, militibusque, commendata. Illi autem Græca ac militari rapina imbuti, post Belisarii recessum ad perniciem Italorum populorum intenti solis exactionibus ac tributis animum adjecerunt: quod Justiniani etiam jussu, jam ad avaritiam declinantis, factum fuisse omnes Scriptores ajunt, & in primis Procopius in principio tertii *libri*; Leonardo Aretino tertio similiter *libro* idem scribente. Blondus quoque *libro* quinto primæ *Decadis* idem ait, Sabellico, & Merula, aliisque assentientibus. Bellum itaque, quod ad delendum in Italia Gothicum Regnum à Justiniano susceptum initio fuerat, versum postremo ad Italiæ expilationem ejus jussu manifesto apparuit. Gothi itaque in hac Orientalium Præfectorum ac militum avaritia & segnitie excitati, resumptis animis, viribusque, plures Italiæ populos, præsertim Transpadanos, à Græcis aversos, sibi conjunxerunt, creatoque Ildovaldo Rege, & exercitu contracto Orientales Duces à Circumpadana Italia ejecere. Atque eo modo Gothicum Regnum, quod pene interierat, ante biennium, gentis virtute & Orientalium incuria & avaritia, instauratum fuit, circa annum Salutis nostræ quadragesimum secundum præter quingentesimum.

CAP. IV.

De Regia sede Papiæ constituta.

INSTAVRATO in Italia Transpadanorum ope Gothico Regno, Justinianique militibus in inferiores oras circa Flaminiam depulsis, sedes ipsius Regni Papia omnium assensu constituta fuit. Cur autem in ea potius quam in alia civitate locata Regia fuerit, varia est Scriptorum sententia, alio aliam causam recensente. Blondus, in *Italiæ descriptione* regione septima, situs amœnitati & aeris salubritati hoc tribuit. Merula lib. I. *Historiarum* alias plures causas refert: in primis quod civitas sit fluviorum præterlabentium domina: item, quod illis intersecta fluminibus regio ipsa sit munitior, & per consequens urbs ipsa, & ad expugnandum, & ad obsidendum difficilior, fluviorum scilicet tripartitione castrametationis divisionem necessario exigente; cujus rei impendio omnes Principes æque non sufficiunt, urbe ipsa, si ab una tantum parte oppugnata, vel obsessa sit, ab altera sine discrimine auxilium recipiente, hostemque remorante: item, quod fructuosis (ut ait) campis, & præcipue frumentariis, circummunita sit, quorum annona & populi, & exercitus copiose ali possunt, ipsis fluminibus commodiorem ac promptiorem importationem facientibus, maxime cum tripliciter, ut superius retuli, in unum flumina coeant ab Occidente, ac Oriente, & Septentrione: Siccida etiam & Tanaro carinas à Liguriæ & Læumellinæ finibus in Padum deferentibus: clarumque Papiensis annonæ ac ubertatis documentum ad hujus rei approbationem sumere ex eodem Blondo licet, *libro* III. primæ *Decadis*, ubi notat, sub Theodati regimine tributa fuisse Liguribus & Æmiliensibus populis alimenta ex Papiensi & Derthonensi horreo, Italia tum in summa penuria constituta.

Magna igitur Deo naturæ Domino habenda à vobis, Ticinenses, gratia est, quod ejusmodi facultatem vestris agris, colonisque tribuerit, ut aliorum sublevare egestatem in publica Italiæ inopia vestra annona licuerit; quod & aliis temporibus contigisse Scriptores memorant, & mea ætate evenisse anno illo insuetæ penuriæ millesimi quingentesimi & quadragesimi, memorabile fuit, in quo mille & amplius colonorum familiæ, collectis sarcinulis, famem fugientes à Bononiensi, Mutinensi, & finitimis agris in Papiense solum, frugibus refertum, commigrarunt, exemptaque apud nos fame, & rerum penuria fugata, nostrates effecti sunt, ac soluti inopiæ curis nostris imperant arvis, & frumenti acervos suo labore in nostra rura conferunt, aliensque, nedum nostris, incolis victum tribuunt, quasi in nostri territorii copia, vel inopia, fatalis aliorum etiam Populorum saturitas, vel indigentia, sita sit. Quod autem ad Regiæ sedis constitutionem pertinet, sive aeris puritas & clementia, sive situs munimen atque aptitudo, sive annonæ varietas, ubertasque, sive perspecta ex præteritis rerum periculis, & casibus, civium fides ac integritas, sive potius, ut ego arbitror, Dei providentia, Papiensium religioni tunc maxime vigenti favens, in causa fuerit, satis mihi est dicere, Urbem, ac Populum dignum illa ætate existimatum fuisse, apud quem Sedem suam locarent illi ipsi Principes, qui Italiæ imperitabant. Qua quidem ex re, etsi Regii nominis honor in Papiensibus tunc constitutus non fuit, Regiæ tamen familiaritatis, sessionisque, compos ac digna effecta civitas ipsa eo actu fuit: & qui demum honor quanti faciendus sit, Regno etiam abolito, alibi patebit. Nunc ad Gothos redeo.

CAP. V.

De supremo Gothorum bello, & Longobardorum dimissione.

GOTHICI Regni sede Papiæ locata, ac Totila viro pugnacissimo Rege constituto, crevere mirum in modum Gothorum vires. Ille enim ex Duce Rex effectus, redeuntem è Thracia Belisarium militari virtute deterruit, Roma ipsa in ejus prope conspectu, & in Justiniani Imperatoris contemptum excidio tradita. Quo demum Gothorum invalescente robore, & Græcorum sive Orientalium flaccescente vigore, ac Belisario intra quinquennium nihil in Italia præclare gerente, Justinianus sive rebus suis timens, sive verecundia motus, Italico bello conficiendo animum adjecit. Revocato itaque Belisario, Narseum Ducem, ab aliis *Narsetem* appellatum, cum magnis, variisque copiis gentium, apertis illi Græciæ thesauris ad exercitum traducendum in Italiam destinavit. Quo quidem Narseo impigre ac prudenter res gerente Gothicum Regnum quatuor ferme certaminibus egregie com-

commiſſis deletum fuit. Primum certamen navale fuit apud Anconam urbem in Adriatico mari, Narſeo nondum Italiam ingreſſo, ubi triginta ſeptem naves ex Gothica claſſe periere. Alterum terreſtre fuit ad Brixillum oppidum Pado finitimum, quo in loco Totila Rex prælio incumbens à Longobardis equitibus, qui in Juſtiniani auxilium ad quinque millia è Pannonia venerant, interfectus fuit, Narſeo tum in Flaminia agente: quod quidem prælium ſubobſcure Aretinus *libro* IV. Procopium minime hac in re ſecutus enarrat, Blondus autem late explicat *libro* VII. in cujus ſententiam conceſſere reliqui Scriptores, præſertim Platina in *Vita Pelagii*, & Sabellicus *libro* IV. *Enneadis* octavæ: ita ut Procopii hiſtoria in *libro* III. à nullo videatur approbata. Addendo ex Pauli Diaconi & aliorum atteſtationibus, Longobardos equites poſt Brixillianam victoriam magnis muneribus ornatos à Narſeo confeſtim dimiſſos fuiſſe: cujus repentinæ dimiſſionis cauſam, Gothico adhuc vigente bello, Sabellicus paulo infra ex Tejæ Gothici Regis oratione aperit his verbis: Enimvero Longobardi poſt Brixillianam pugnam, quia ſuſpecta erat illorum fides, tanquam ſibi potius vellent vincere quam Græcis, continuo ex Italia dimiſſi ſunt, docens veritum fuiſſe Narſeum, ne Longobardorum manus nimis in eo bello invaleſceret, quandoquidem in primo campeſtri certamine tam feliciter Totilam virum acerrimum cum ſuo exercitu ſuperaſſet: cujus Narſei ſuſpicionem ſubſecutus poſtea Longobardorum in Italiam adventus apertiſſime comprobavit. Totila igitur Rege cum exercitu à Longobardis cæſo nono Regni ſui anno, fractæ Gothorum vires ſecundo loco fuere. Inſurgens tamen Tejas, vir genere Gothus, in Italia natus, Regno ſuſcepto, Gallos ſibi fœdere junxit, ac inſtaurato in Tranſpadanis urbibus exercitu bellum renovavit, & Narſei victoriam vario rerum eventu præter biennium remoratus fuit. Denique in Nucerinis montibus Brunduſina proditione amiſſa claſſe, quæ ejus exercitui victum ſuppeditabat, Narſeo congreſſus ipſe Tejas fortiſſime dimicando occubuit, pugna ſcilicet inter utrumque exercitum uſque ad noctem protracta: quæ quidem pugna tertio loco commiſſa memorabilis fuit Gothis Rege amiſſo, & commeatu deficiente, nuſquam pedem referentibus. Luce inſecuta ſupremum ſine Rege Gothi certamen renovant, aut mortem, aut pacem ferro aſſecuturi. Pugnatur utrinque acerrime, ſtant invicti animi, corporibus inedia, prælioque, defeſſis: denique Gothorum conſtantiam admiratus Narſeus, pacis potius conditiones admittere, quam ſuos in incerto prælii eventu, atque diſcrimine periclitari ſtatuit, ſignoque edito pacis ineundæ ſuos à cruento certamine retraxit; paxque inita fuit, Gothici Regni mentione ab Italia ſublata, & Gothis ipſis ſine Romani Imperii ſubjectione, priſtina libertate retenta, cum ſuis rebus ab Italia recedere permiſſis.

Pace confecta anno ſeptuageſimo ſecundo, quo Gothi in Italia regnare cœperant, & anno quinquageſimo quarto ſupra quingenteſimum à partu virgineo, Narſeus Romam rediens religionis cauſa, ut bene inſtitutum virum decuit, ſupplicationes publico ordine ac conventu Deo ſolvit ob Gothicam victoriam, ut memorat idem Platina in *Pelagii Vita*: quod poſt Theodoſium Imperatorem raro factum obſervavimus; adeo divini numinis honor illis Ducibus ac Regibus parum cordi fuit. Recedentibus autem ab Italia iis Gothis, qui, ut dixi, apud Nuceriam pacem pepigerant, minime quievere ab armis aliæ Gothorum reliquiæ per Italiam diſperſæ: ſed conjunctis cum Gallorum copiis ſuis turmis varios tumultus excitavere, quos partim Narſeus, partim Dagiſthæus compeſcuere, Italia ipſa ab externorum dominatu liberata, & Orientali Imperio reſtituta. Finis is Gothici regni, bellique, in Italia fuit. In quo deſcribendo omnes Auctores uno conſenſu Gothorum gentem in bello gerendo, & viribus, & diſciplina enituiſſe tradunt. Præcipue Aretinus in fine *operis* ſui, & Blondus *libro* VII. Sabellicuſque, cujus hæc ſunt verba: *Nec deleri poterant Gothi, cum animum morti deſpondiſſent, ſine inſigni cæde eorum, qui victores futuri eſſent.* In qua quidem gentis commendatione, tot clarorum Scriptorum teſtimonio approbata, unus poſt mille annos Rhetor repertus fuit, qui in Gothorum oſſa & cineres convitia ſuſcitavit, latrones eos ac prædones inſcribens, & Papiam urbem non Principum Regiam & ſedem, ſed illarum belluarum infame luſtrum, ac latrocinii haram, & receptaculum fuiſſe, minimeque Gothis Regem habere licuiſſe, ac ſubſequenter etiam nullam civitati, quæ illius gentis Regia fuerit, dignitatis memoriam impendi oportere: cum ſerva potius alienorum, quam Regia ſtatio viſa fuerit. Addens idem Scriptor Oſtrogothorum gentem, Longobardorumve, irrupiſſe in Italiam anno à partu Virginis quingenteſimo ſexageſimo octavo, Juſtino ſecundo imperante: cujus viri ſcripta cum Oſtrogothorum adventum Longobardis immiſceant, ſatis ſuperque indicant, parum ſcite eum ſcripſiſſe, qui eas nugas effudit, cum diverſi inter ſe Gothi, ſive Oſtrogothi, & Longobardi fuerint gente, lingua, regno, atque adventus tempore: octogintaque & ſex anni interceſſerint inter utriuſque Regni initia in Italia habita. Ne igitur tam impudens ſucclamatio notæ inſignia impingat atque inurat illis ipſis, qui notæ expertes & à calumnia mundi ſunt, hujus declamatoris ſcripta abeſſe à veritate oſtendam.

Cap. VI.

Abolitio notæ in regiam Papiæ ſedem confictæ.

Omnes ſui juris gentes Regem ſibi conſtituere poſſe Jure Naturæ, quod etiam Gentium dicitur, receptum eſſe patet, in lege quinta libro primo *Digeſtorum*, *de Juſtitia & Jure*, his verbis: *Ex hoc Jure Gentium fuerunt diſcretæ gentes, regna condita, dominia diſtincta, bellaque introducta*, &c. Quæ conſtituendi Regis poteſtas permiſſa in primis à Deo eſt, ut Samuelis *Hiſtoria* probat libro primo *Regum*, octavo capite, ubi ad populi poſtulationem invitus Samuel regium jus ſancire ac conteſtari Dei monitu juſſus eſt. Idemque aliis gentibus tributum Divina permiſſione Iſaias Propheta in Cyri Regis perſona notat *capite* quadrageſimo quinto. Paulus inſuper Gentium Doctor paſſim in ſuis *Epiſt.* Regium jus prædicat atque obſervat. Cum itaque unaquæque gens alteri non ſubjecta Regem ſibi adſciſcere queat; ergo etiam Gothi, ſui juris effecti, Orientalis Imperatoris dominio, ſtipendioque, rejecto, Regem ſibi ſtatuere Gentium Jure potuere. Item cum habere Regem ſuo jure potuerint, eodem ſimul Gentium Jure bellum indicere atque inferre aliarum nationum ritu & exemplo potuere. Etenim ſi Aſſyrii, Perſæ, Medi, Scythæ, Parthi, Galli, Macedones, Afri, Romani, & alii, ſuis egreſſi finibus aliena regna evertere, bellaque de imperii dignitate gerere, præclarum exiſtimarunt, laudemque in ea re aſſecuti ſunt, quis plane dubitet, hoc itidem aliis nationibus, ſive Gothis, ſive Longobardis, adverſus illos populos, quibus cum imperii contentio exſtiterit, licuiſſe? quis, inquam, bellum gentibus ex cauſa inferre, referreve, viceſque fato rependere, ac victorem olim populum ſibi virtute ſubigere, lege naturæ inhiberi dixerit? cum in privatorum etiam contentionibus idem ferme Romano jure conſtitutum ſit, ut quod quiſque juris in alium ſtatuerit, ipſe eodem jure utatur: legeque

que etiam divina caveatur, eadem mensura remetiendum unicuique fore, qua ipse aliquando mensus fuerit?

Naturæ igitur ratione probatum est, ut quod unaquæque natio sibi licuisse in alteram censuerit, illi alteri similiter idem in seipsam licere casu eveniente consentiat. Si itaque dominari atque imperare Gothis Romanis Imperatoribus interdum licuit, pari ratione Gothis Italiam suo dominio adjicere fato permissum fuit: fatoque omnino, ac divino ordine hujusmodi humanarum rerum & regnorum volubilitas ac vicissitudo constituta videtur, ne à nobis ipsis stare ac perdurare in sceptri semper dignitate existimaremur, sed ut standi & cadendi, resurgendique, causam ad summi Dei providentiam referre cogeremur: nullaque meo judicio facilior, aut aptior causa ad mortalium mentes, moresque, in religionis officio continendos introducta fuit, quam regnorum diversitas atque æmulatio, ut unaquæque gens in imperio constituta perspiceret, ab alterius gentis Rege, vel regno, periculum sibi oriri à vicinitate & æmulatione posse, eoque periculo edocta sciret, unum esse Deum, omnium regnorum compositorem, eundemque destructorem, à quo potestas uni adimi, & alteri accresci, unus erigi, & alter è solio dejici ad ipsius Dei votum, nutumque, posset. Clarumque nobis hujus rei experimentum Hebræa gens per Prophetarum suorum historias præbet; & præcipue per Zachariam *cap.* II. ita differentem: *Ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ iis, qui serviebant eis.* Apertius etiam *cap.* VII. ait: *Et dispersi eos per Regna, quæ nescierunt*, &c. Quæ demum Hebræa gens, quamvis à Deo electa fuisset, attamen in Regni dignitate posita post Salomonem sæpe Regum suorum errores secuta, à Dei cultu aversa est, Regnoque dejecta, interdum resipuit. Inflant heu nimis humanas mentes perpetui honores, & à religionis tramite seducunt, nisi manus Dei continuo nobis adsit, abigatque ambitionis nubem, aut per dejectionis, depressionisque, pudorem nos cohibeat, & ad officii legem ac rectitudinem redigat. Quisquis ergo uni tantum genti jus Regni constituendi ex Imperatorum scitis ac constitutionibus suis scriptis asseruit, nimis sane ab humani & divini Juris agnitione recessit: quoniam quod Jure Gentium constitutum fuit, multo firmius est, quam quod Imperatorum promulgationibus edicitur, quæ mutari una cum Imperatoribus, usuque abrogari, sæpe contigit. Jus vero Gentium minime eo modo mutabile est, sed omnium gentium consensu perpetuatur ac durat.

Ex quibus quidem gentibus cum Gothi & Longobardi fuerint, Jure etiam Gentium potitos illos fuisse: eodemque Jure, & Regem, & Regiam habuisse suo arbitrio, suaque potestate, clarum est. Ridiculus iccirco magis quam argutus ille Scriptor probatur, qui transacta seculis, silentioque sepulta, Gothorum jura, in Regibus olim constituendis hac ætate retexere, vertereque retrorsum aggressus est: longeque ridiculosior ejus convitiatio in mortuos jactata videtur, qui dum *latrones* Gothos appellat, latrones Patriæ suæ in primis imperasse affirmat: cujus ego honori vicinitatis causa impensius studens, Reges fuisse in Italia Gothos legitimis titulis præter id, quod dixi, Gentium Jus, ostendo. Primum, Imperiali concessione à Zenone Theodorico facta, quam Procopius, Paulus Diaconus, Aretinus, Blondus, & alii referunt. Secundo, Jure possessionis: neque enim Gothi Italiæ Regnum per Italorum injuriam, aut privationem, adepti sunt, sed per Odoacris Heruli Regis dejectionem, à quo Italia occupata fuerat. Tertio, populorum admissione & consensu; constat enim Odoacrem ab Urbe Roma exclusum fuisse, Theodorico subinde sponte recepto, & Italiæ Rege salutato. Si itaque Roma & Italia Gothicum Regnum sibi constituit, minime igitur latrones Gothi, sed Italiæ Reges, Ducesque, fuere: neque Papia *latronum*, ut ille mentitur, *hara*, sed Regia sedes, fidaque Regum Italiæ statio fuit.

Verumenimvero ut hac etiam in re, in qua ille disertus Scriptor sese jactitat, suasque sine causa & ratione ostentat maledicendi vires, ut in hoc ipso pateat, quam procul ille ipse à ratione secesserit, ac in sese, suosque majores, ignominiæ labem verterit, fingamus, quæso, veritate semper excepta, Gothos sicarios ac immanes viros, Neronesque, fuisse: quid tum turpius, quid ignominiosius objici universæ Italiæ ab hoc Scriptore potuit, quam quod hæc nobilissima Regio per annorum spacia latronibus subjecerit? Nonne potius cogente fato honestis clarisque viris subjecisse, quam per nostrum dedecus & ignominiam ignobilibus servitutem præstitisse dicendum esset? Nonne nos ipsi subjectionem nostram eo turpiorem facimus ac confitemur, quo improbiores atque indigniores fuisse nostros Principes attestamur? Latronibus porro Gothis nuncupatis, in Italos, qui eos pro Regibus receperunt, convitium transmittitur: in primisque illa Italiæ pars convitio afficitur, quæ prior ipsos Gothos advenientes excepit: quæ quidem pars illa ipsa fuit, quæ inter Adduam amnem & Aquilejenses campos sita est, ubi fugatis Herulis primum consedisse Gothos palam est; & qua Italiæ parte subacta, Adduam postea trajecisse Gothos relatum est, Ticino urbe, Papiave, eo tempore ab Heruliano excidio, quod perpessa fuerat, caput vix attollente, & in suis adhuc ruinis ægre versante. Si itaque inuri culpa, notaque ulla, Italicis populis ob Gothicum jugum (ut ille ait indigne perlatum) potest, ipsa certe Papia ab ea nota quam maxime abest, quoniam excusabilem languentis urbis deditionem recens populi clades atque calamitas fecit; quam quidem excusationem minime in Cisadduanis civitatibus temporis & belli ratio æque admittit; quas antea à depopulationibus & ruinis intactas fuisse constat, & integras repugnandi opes sub Gothorum adventum verisimiliter habuisse patet. Aut igitur Gothos Dominos, Principesque, in Italia fuisse nostris progenitoribus turpe fuit; quo quidem casu omnis turpitudinis labes in eos recidit, qui Gothorum dominio prius quam Papienses assensere. (quos quidem Papienses postremo tempore & loco Gothis adhæsisse itineris ratio, omnisque historia, probat, cum omnia jamdudum Transpadana, quæ inter Adduam amnem & Liburniam jacent, eorum armis cessissent) Aut Gothos Italico Regno potitos fuisse, Italis turpe non fuit; cum fato potius quam casu, hujusmodi rerum commutatio eveniat: quo quidem casu nimis sane inepta, nimisque insolens, illius Rhetoris convitiatio fuit, qui rabidi canis ritu in Regum sepulchra infremuit, fœdaque simul oratione proavos & majores suos, olim Gothorum receptores & subditos, eodem impetu momordit; quos tueri potius, quam prodere, rebus jam oblivioni traditis, rationis officio omnino debuerat.

Indignius quoque est, quod objicitur, servam alienorum ex Regiæ sedis constitutione Papiam fuisse: cui respondeo; quænam civitas Italiæ, una excepta maritima, Gothis ea ætate non subjacuit? imo vero si supposita Gothis Papia fuit, subjectissima prior eisdem hujus Scriptoris gens & patria fuit: longeque illi ipsi civitati inhonestius fuit Gothorum ministris, servisque, subesse, quam Papiensibus, ipsorum Gothorum Reges & Duces hospitio recipere; cum nobiliorum familiaritas ac præsentia honori, ignobiliorum vero contubernium oneri & molestiæ, esse soleat. Item, quæ porro civitas regia intra Italiæ fines sita est, quæ semper gentis suæ Reges, aut Principes, in solio habuerit,

A rit, ipsa nobis Roma rerum olim domina testis sit. Quoties enim illa Afros, Graecos, Hispanos, aliosque externos sibi imperantes etiam invita sensit? quoties nefarios & infames homines, ne dicam turpia passos, in Imperio pertulit? quoties immites, sacrilegosque, viros pro Dictatoribus, Imperatoribusque, salutavit, atque in Italiae exitium recepit? qui non solum Italiae partes & membra, sed urbem ipsam proscriptionibus, incendiis, caedibusque foedarunt. Si igitur alieni generis virum Principem recipere, si immite imperium perferre indignum fuit, nostram indignitatem suo exemplo Roma honestiorem facit: quae non solum alienos pro Imperatoribus, sed suos etiam longe B turpiores diu sustinuit, & quam demum Romam iste Scriptor pro suae gentis genitrice observat, simul notatque, ac sibi ipsi contradictionem parat.

Ut ergo nostra digressio finem habeat, una sententia singula perstringam. Si Italia, ejectis (ut dixi) Herulis, Gothos pro Regibus recepit, habuitque, ergo urbes ipsae regiae constitutae sub Gothorum dominio, Italico jure regiae fuere, cum Italicum jus Gothis Regibus tributum fuisse manifestum sit: & quamvis postea humanarum rerum more Regnum illud evanuerit, ipsas tamen civitates regali sede potitas fuisse, honorabile est: Consulis atque Praetoris exemplo, qui finito Magistratu, Consularis, vel Praetorius dicitur, & à C praeteritae dignitatis functione honoris elogium in civitate, vel provincia, ubi magistratum gessit, perpetuum habet, quamvis sine magistratu postea vitam ducat. A qua similitudine sequitur, quod si quis civitatem, vel provinciam, regali sede olim ornatam, nullo honore dignam duxerit, quoniam regnum ejus finierit, perinde versari in honoris distinguendi ignoratione videbitur, ac si Consularem, vel Praetorium virum, gestae dignitatis nomen retinere nullo modo arbitretur, quod retineri palam est. Consularis enim à Consulatu praeterito, & Praetorius à Praetura dimissa dicitur; sicque etiam Regalis civitas à regia sede habita appellatur: & quemadmodum unusquisque civis Consulari, vel D Praetorio viro, aequari honoris ratione non potest, nisi pari dignitate functus sit; ita unaquaeque civitas aequari Regali civitati in dignitatis existimatione non debet, nisi in aequali honoris gradu aliquando fuerit, vel libertatem assecuta sit, quo casu anteferenda etiam erit. Differuntque inter se haec ipsa, civitatem regiam olim fuisse, & aliam civitatem hodie Regiam fieri posse, sicut differt actus à potentia, & constitutus à constituendo. Actus enim est, quicquid fuit, aut est, potentia vero in spe, aut in exspectatione, actus futuri est; ad quem sane actum semper non deducitur, sed interdum impeditur. Dici itaque Regia urbs ex solo statu, quod apta Regno videatur, quaelibet civitas nulla ratione potest, regia sede nondum in E ea locata: & cum existimari Regia, antequam fiat, nequeat, Regali pariter civitati aequari nequit, quamvis ipsa Regalis urbs functa regio honore jamdudum arguatur: quoniam regni subsistentia finita, minime tamen videtur finita memoria dignitatis habitae, quam vigere, & honorem post functionem exhibere demonstravimus.

Nec convenit hoc loco objecta similitudo de Rege sumpta, qui regno ejectus in alieno solo sine dignitate versatur, ut suo etiam argumento Cremonensis Scriptor refellatur: nam cum Rex diademate amisso profugus vagatur, peregrinus & hospes est in alieno solo. Itaque cum peregrinus sit, F nullum jus civitatis, aut provinciae ubi moratur, habet, quia externus est. Quare neque Patriciis, aut Decurionibus, neque aliis provinciae, aut civitatis, magistratibus praeferri ea ratione, quod Rex olim in Libya, aut Scythia fuerit, potest: quoniam nullum jus patrium in eo loco habet, nullaque dignitatis insignia possidet, ex quibus honorem sibi ipsi aequalem provincialibus eo in loco suo jure assumat. Sed diversa ratio est in civitate olim regia exsistente, nunc vero regia esse desinente, quia stat suo loco civium universitas, quamvis regali solio careat, priscaeque dignitatis memoriam in eodem loco quoquomodo suo statu repraesentat. Stant Arces, Praetoria, Atria, Sepulchra, Insignia, & alia plura monumenta, & scripta, regni sedem attestantia, quae nusquam in altera civitate, ubi regni statio nunquam fuerit, visuntur: & quae quidem omnia arguunt, quicquid honoris civium universitati contigerit, in ejusdem semper universitatis decus, nomenque, referri, quia perpetua universitas est, suoque loco perstat, nec mortis casum unius Regis more subire potest, cum prole sua civitas sese muniat, atque decedenti alteri alterum in universitate repraesentanda sufficiat: quod clare Juris Scriptor Modestinus explicat, dicens, tam diu civitatis jus durare, quamdiu ipsa permaneat, *Dig. quib. mod. ususfr. amittatur. l. si ususfr. civitati*, &c.

CAP. VII.

De Justiniano Imperatore, & Romanae Ecclesiae jure.

INDIGNE facere viderer, si Justiniani acta memoratu digna, mihi ante oculos posita, praetermitterem. De quo illud praecipue commemorare decet: quod ab initio Imperii sui Romanae Ecclesiae, atque ejus Pontificis, quam maxime studiosus fuit, promulgata constitutione, in qua ipse Imperator declarat, Romanam Ecclesiam esse Matrem, & Principem, caputque omnium aliarum Ecclesiarum, tam Orientalium, quam Occidentalium, & Romanum iccirco Pontificem omnibus praeesse. Summittens idem Imperator Romano Pontifici dictae constitutionis suae decretum: qui Pontifex, Joannes nomine, recepta Justiniani Epistola, auditisque Hippatio & Demetrio ejus Legatis, respondit ut infra:

Gloriosissimo & clementissimo filio,

JUSTINIANO

JOANNES EPISCOPUS URBIS ROMAE

Sal. dicit.

INTER *claras sapientiae & mansuetudinis vestrae laudes, Christianissime Principum, puriore luce tanquam sydus irradiat, quod amore fidei & charitatis studio edocti, Ecclesiasticis disciplinis Romanae Sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subjicitis.* Caetera collige ex ipsa Epistola relata quarto loco, libro primo *Codicis, De summa Trinitate, & fide Catholica.* In qua Epistola inserta est Justiniani constitutio in haec verba: *Nos reddentes honorem Apostolicae Sedi, & vestrae Sanctitati*, &c. Cui deinde adjecta est approbatio Romani Pontificis per hujusmodi verba: *Liquet igitur, gloriosissime Imperator, ut lectionis tenor, & Legatorum vestrorum relatio patefacit, vos Apostolicis conditionibus studere*, & reliqua. Quae quidem omnia in unum collecta probant, Justinianum pluris fecisse Romanam Ecclesiam, quam sui ipsius Imperium: quandoquidem non sit ausus edere legem à se conditam, circa fidei nostrae praedicamenta, nisi impetrato prius Romani Pontificis, quem *patrem* appellat, decreto: aperte consentiens, Romanum Pontificem Petri vices, Petrum vero Domini JESU CHRISTI potestatem in terris repraesentasse, ut etiam hoc tempore repraesentat. Is autem Joannes Pontifex secundus hujus nominis fuit, Romanus genere, de quo Platina & alii breviuscule scripsere, praedicta historia omissa: quae mihi pluris facienda visa est, quam declaratio multis post annis à Phoca Imperatore edita, in Romanae Eccle-

siæ honorem, quoniam dum Justinianus Pontificis decretum per suos Legatos circa legem suam firmandam petit, superiorem Imperio in ea re Sedem Apostolicam facit, qua superiore exstante, Phocæ declaratio parum necessaria fuit, cum divina, & non Imperatoria, potestate Sedes ipsa statuta in terris sit, à qua qui aberraverit, Deum illius auctorem & Dominum vindicem habebit.

Duravit autem hæc Justiniani religio usque ad Agapeti Pontificis tempora: deinde refrigere cœpit ipso Imperatore in fidei rectitudine sæpe titubante: lege Platinam, & alios: qua quidem animi inconstantia etiam in ferendis legibus, latisque abrogandis, usus est, ut à plerisque notatur. Nec illa juris compositio, quam aliqui mirantur & celebrant, digna commendatione est: ordo enim rerum omissus in componendis legibus fuit. Realia passim cum Personalibus, Civilia Jura cum iis, quæ Juris Gentium sunt, Prætoria cum aliis, & è contrario, immiscentur. *De acquirendo rerum Dominio, & possessione*, quæ sunt prima hominum Jura, in extremis ferme *Digestorum* partibus translata leguntur. *De rerum divisione* titulo præposito, longeque collocato. Item quod uni titulo, sive inscriptioni, subjiciendum erat, procul ab eo alibi refertur. Pacta, quæ contractibus interponuntur, ante contractuum notitiam ac traditionem collocantur. Publica Jura, veluti *de Jure Fisci*, *de re Militari*, *de Decurionibus*, & alia, privatorum obligationibus postponuntur, quæ multo aptius conjungenda videbantur cum juribus ad publicas personas referendis, ubi tractatur *de Senatoribus*, *de Officio Consulis*, *Præfecti Urbis*, *Quæstorum*, *Prætoris*, & aliorum Magistratuum. Denique ut agnoscas inconditum atque inordinatum opus in ipso *Digestorum* limine, inspicere licet Titulum primum *de Origine Juris*, §. *Juris Civilis scientiam*: ubi cum proponuntur enumerandi Juris Scriptores, quinquaginta viri omittuntur, à quibus major *Digestorum* pars confecta fuit. Quos quidem hic recenseo:

Aristo,	*Octavenus*,
Arianus,	*Priscus Jabolenus*,
Archadius,	*Priscus Neratius*,
Africanus,	*Priscus Marcellus*,
Aurelius Maximus,	*Priscus Fulcinius*,
Celsus Julius,	*Papinianus Æmilius*,
Celsus Jubentius,	*Puteolanus*,
Celsus Marcellus,	*Paternus Valerius*,
Claudius Hermonianus,	*Paternus Terentius*,
Coccejus Campanus,	*Rutilius*,
Cajus Flaccus,	*Ruffinus*,
Callistratus,	*Sextus Pedius*,
Flavius Mella,	*Sextus Pomponius*,
Florentius,	*Scævola*,
Furius,	*Saturninus Claudius*,
Haburnius Valens,	*Saturninus Mutius*,
Hermogenes,	*Saturninus Venulejus*,
Herennius Modestinus,	*Triphonius*,
Julianus,	*Tertullius*,
Junius Gratianus,	*Terentianus*,
Justus Papirius,	*Valerius Severus*,
Julius Paulus,	*Vindius*,
Julius Tertullianus,	*Volusius Mætianus*,
Mauritianus,	*Ursejus*,
Martianus,	*Ulpianus*,
Marcus Blandua,	*Valentinianus*,
Macer,	Et alii.

Istorum enim virorum mentio habenda in illa enarratione fuerat, ut eorum industriæ ac disciplinæ ratio exigebat.

Plura alia referre possem ad indicandum operis Justinianici incompositionem: à qua demum effectum est, ut fuerit necessaria posterorum cura, atque sedulitas in conjungendis *Codicis* & *Authenticorum* innovationibus cum *Digestorum* Juribus, in multis abrogatis, & in distinguendo casus, sive

A propositiones, aut similitudine pares, aut ex parte dissimiles: & in iis conciliandis, in quibus vis contradictionis inesse apparuit. Quo quidem in negocio Actius Bononiensis, vulgo *Azo* dictus, diligens Scriptor fuit, & sese Triboniano, & aliis collegis ejus, doctiorem in eo munere obeundo probavit. Sed heu infelix nimis seculorum status Juris Scriptoribus fuit! Mille enim, vel paulo minus, anni intercesserunt à Justiniani Imperio ad Carolum Quintum Imperatorem, in quibus vix quisquam ex Imperatoribus in Juris communis volumina detergenda oculos vertit, sed suo quisque arbitrio in subjectis provinciis leges tulit Juri communi adversantes. Hinc Scriptorum copia crevit,
B crevitque simul dissensio, casuum etiam varietas ac multitudo excrevit. Rerum deinde, & personarum, Principatuum, ac Regnorum immutatio subsecuta, multa ademit, vertitque in diversum. Pontificum quoque Romanorum scita, canones, interdictaque plura subverterunt, aliaque immensa introduxere volumina. Populorum denique Jura, quæ municipalia vocant, suam similiter copiam ac variationem effuderunt. Quæ quidem omnia Juris peritiam in opinionum certamina deduxerunt. Unde communis opinio dicta illa est, quæ numero, non quæ sensu, præstantior apparet. Hinc etiam consilia peti, scribi, edique necesse fuit. Tandemque Juris facultas atque peritia
C ab artis similitudine in dissimilitudinem ac difficultatem traducta est. Dolere itaque vicem istius confusæ artis non solum Justiniani causa, sed etiam successorum possumus, qui expurgandis desuetis, antiquatisque juribus, peritos Viros sua quisque ætate non adhibuerunt. Sed Imperatorum culpam leviorem facit Pontificum incuria, qui suum Jus Pontificium in simili fere rerum commixtione passi sunt versari.

Nemo tamen hæc legens, deterreatur à Juris facultate agnoscenda, quoniam ingenio præditis, studiumque adhibentibus scientiæ, etiam confusæ, in lucem vertuntur, & quamvis plurima circumferantur Jura Regnorum & Populorum, Juri
D communi adversantia, attamen ad istius Juris fontes peritiæ causa descendere oportet. Ab eo enim rerum, & personarum, obligationum, actionum, exceptionumque capita, sive argumenta, elicimus. Ab eo petimus regulas contractuum, successionum, substitutionum, legatorum, dotium, alimentorum, & cætera ad impuberes spectantia. Ab eo divisiones bonorum facere, servitutes constituere, & communionem inter socios nectere discimus. Quisquis igitur istius facultatis penetralia adire optat, minime difficultates à me enarratas pertimescat, subeat laborem virtute duce: labor enim virorum est, quem sequitur oblectatio cognitæ disciplinæ; disciplinæ autem cognitionem sequitur
E præstantia animi, qua quis honorificentia dignus efficitur: cum unus peritus plura scire videatur, quam universa civitas, illum unum omnes adeunt, consulunt, audiuntque

Ludovicus olim me puero Gallorum Rex, & Mediolani Dux, Jasonis Maini fama commotus Papiæ moram fecit, ut tantum virum Jura legentem audiret: ingressusque auditorium manu silentium indixit, vetuitque scholasticos juvenes loco cedere. Sedit itaque Rex quasi unus ex illis, centum illic adstantibus nobilissimis Proceribus. Auditum deinde Jasonem commendavit, sociumque sibi adesse à latere operto capite in egressu honoris causa coegit: Togæque auratæ, id est, aureo filo con-
F textæ, munere ipsum honestavit. Vide igitur quid unius viri præstantia in orbe possit, quando Regi Francorum in Italia Jurisperitum audire jocundum sit. Commode quoque Juris facultas adhibito ordine percipi poterit, scribendi cura adjecta, de qua alibi fortasse aptius.

Re-

Revocat nunc me ad historiam prosequendam Longobardorum genus; cujus originem Paulus Diaconus, qui Longobardus fuit, & Sigibertus ad Uvinulos refert: quod ridiculum & fabulosum puto, præsertim quod de Gambara muliere fertur. Longe quidem antiquior Longobarda gens est, quam censeant Neoterici, sive posteriores Scriptores: quod apertissime probat Cornelius Tacitus *Langobardos* eos appellans, cujus Cornelii auctoritatem sequens, referam sequenti Capite quæ ad eosdem attinent, Cornelii verbis similiter recitatis.

CAP. VIII.

De Longobardis, & eorum reditu in Hungariam.

REVERSI in Hungariam Longobardi, qui Brixilliensi victoria insignes, à Narseo dimissi fuerant, Regi, & Proceribus, ac suis quisque familiaribus referre, quæ regio Italia sit, quæ planities, quæ flumina, quæ oppida, urbes, opesque illius sint, qui victus, qui mores, quæ hominum ingenia, aliaque explicare, & in populi cœtum sæpe enarrare rogati sunt. Vicit tamen omnium relationes unius Landulphi Ducis oratio, Alboino Regi, & Proceribus, Italiæ situm in Circumpadano tractu describentis. Ampla, ait, planities est illa pars Italiæ, quam perlustravimus, montium corona ab omni latere præterquam ab Oriente circumclusa, à quo Oriente Adriatici Maris sinu regio circumvolvitur. Medium ferme planitiei latissimus fluvius intersecat, ab aliis fluminibus aquarum incrementa sumens, & ab ipso montium Occidentalium limite in Adriaticum Mare divisis partibus fluens: Padus is dicitur, quasi omnia sibi finitima aliquando pandens, undisque subjiciens. Utraque regio Cispadana & Transpadana fluminibus & rivulis aptissime discreta ac referta est, quibus facili aquarum meatu humiliora loca irrigantur, passimque etiam molendina evolvuntur. Patent ibi ad prospectum dispositæ suo ordine arbores, aquarumque ductus circumstant, & virentia prata in medio excipiunt: hæc autem prata durante æstate alternis mensibus secantur, & ipsa denique abeunte æstate pascuntur. Longa nimis oratio erit, si referam campos, vineta, pascua, saltus, colles, nemora, venationes, aucupia hyberna, æstivaque, lacus, piscationes, navigationes, & alia commoda: quid dicam majus? Aurum & vitrum flumina, olei materiam innumeræ arbores, fruticesque, ferunt. Salem quoque, & ferrum, montes, incolis inquirentibus, pluribus in locis evomunt. Adeo omnia in rerum opulentiam à natura veniunt. Incolæ ipsi benigni & hospitales sunt, & agrorum culturæ quam maxime incumbunt, gregesque & armenta per catervas sine numero alunt: sed equitio parum delectantur; cujus rei causam inquirens à senioribus accepi, ex herbarum luxuria, à plano solo cœlique clementia proveniente, equorum artus molles & enerves fieri, parvoque labore & æstu plerosque lassari, quamvis quam diu pulli sint, probe adolescant, & corporis habitudine conspicui evadant: ideoque Circumpadani ipsi, aut ex propinquis montibus, aut ex aridis & lapidosis saltibus equos petunt. Celebrari igitur eo tempore, & Longobardis in desiderio esse, tum primum Italia cœpit. Annunciatur deinde, bellum Gothicum in Italia finitum esse, parte eorum ab Italia dimissa, & parte in Italicum nomen, moresque, recepta: fertur eodem ferme tempore Justinianus Imperator vita functus, Justino Secundo Imperii successore relicto: cujus ingratitudo in Narseum Ducem insignis fuit, Sophia maxime insolentissima fœmina convitia suggerente, & quem demum Narseum, ab Italica præfectura amotum, per epistolas & internuncios temere insectata fœmina fuit. Ille igitur injuriarum impatiens, audito Longini Italiæ præfecti adventu, Roma secedens Neapoli se continuit, fatalique indignatione percitus, Longobardos ad Italiam invadendam excitavit, literis ac nunciis ad Alboinum Regem sibi amicissimum emissis, quibus adesse tempus ajebat, quo sedem sibi aptissimam ac ornatissimam suis viribus comparare possent, nullo tum idoneo Duce, nulloque valido exercitu Italiam custodiente. Auderent itaque in tempore facinus memorabile, aggrederenturque regionis dominium ultro eis quasi fato oblatum. Animati igitur Longobardi ad Italiam occupandam profectionem parant. Nunc, quæ gens ea fuerit, aperiam.

CAP. IX.

De Longobardorum origine.

OMNES, qui de Longobardorum origine hactenus scripsere, à Scandinavia, ut ajunt, insula oriundos, in Pannoniam commigrasse tradidere: nihilque aliud de Scandinavia, quam Plinii verba referunt, posita in *libro* IV. *cap.* XII. *de insulis Ponti*. Ego vero ab eis dissentiens puto Longobardos habuisse originem à peninsula, quæ inter Saxoniam & Scandinaviam sita, utrique proxima est, hodie *Langland* nuncupata, cujus peninsulæ sinus à Plinio *Lagnus* dicitur, & in Orientem vergens mare pertingit, Cimbrorum promontorium ab altero latere habens: in illo itaque Lagno sinu, continenti ferme applicato, istius Gentis origo fuit. Primumque *Lagnoandri*, id est, viri à Lagno, postea composito vocabulo *Langobardi*, quam diu patrias tenuere sedes, Romana voce appellati sunt, ut peritissimus vir Cornelius Tacitus memorat *libro* XI. *cap.* XVIII. referens Italum Flavium à Romano Imperatore Regem datum Cheruscis Germaniæ populis, eorum deinceps factionibus Regno pulsum, Langobardorumque postea opibus refectum, res Cheruscas bello afflixisse. Quæ quidem Cornelii verba apertissime probant antiquam Gentem eam fuisse, & opibus instructam, cum Regem Regno, à quo pulsus erat, restituerint. Arguuntur autem ineptiæ illi, qui à *barbis* longiusculis, vel à *Bardis*, denominatam Gentem scriptitarunt, quasi ipsi soli barbati fuerint: quid, quæso, *Lango*, cum *longo*, quid *Bardi* cum *Barbis* similitudinis habent? Esto etiam quod Longobarda inventa ab eis, & usui habita sit: attamen illud teli genus rationabilius à suis auctoribus nomen sumpsisse videtur, quam ipsi ab illo; cum inventor nomen rei imponat potius quam inventa res ipsi inventori. Sed danda est prioribus Historicis venia, qui Cornelii libros postremos, nuper tantum repertos, & in lucem emissos, videre non potuerunt, Mediolani enim me puero reperti sunt.

Excedentes itaque suis finibus Langobardi post Rugilandiæ vastitates, diu ab eis possessas, Pannoniam occupavere, sive à Justiniano Imperatore adsciti, fœdereque conjuncti, ut Procopius innuit *libro* III. sive alio modo; Gepidasque populos, in ipsa Pannonia Regni nomen ac potestatem habentes, funditus delevere, ut Blondus narrat *libro* IV. Gepidarum exciso Regno, Gens Langobarda in Italiam spectare, in Italiam pedes inferre, in Italia postremas figere sedes optabat. Tandemque proficiscuntur, Saxonum adscitis copiis, quibus cum & prisca vicinitate & societate conjuncti erant, viri, mulieres, nati, armenta, gregesque longo itinere Italiam petunt, anno à partu Virginis quingentesimo & sexagesimo octavo. Sed, quis tum fuerit Italiæ status, aperiam.

CAP. X.

De Italiæ statu sub Justino Secundo.

NULLO fere anteacto Romani Imperii tempore versata magis in regiminis discrimine Italia fuit, quam sub postremos Justini Secundi Imperatoris annos: in quibus, ejectis Narseo & Dagisthæo Ducibus, Longinum infausti nominis virum Italiæ præfecit, ipse in primis Imperator à recto religionis calle ad hæresim mentem vertens: avaritia etiam atque inscitia animum imbuerat, sine idoneo Duce & exercitu Italia relicta. Item ne singulis Italiæ regionibus provinciarum more suos magistratus constituere necesse haberet, ad evitandum impendia, unum tantum Longinum Exarchum Italiæ, id est, Summum Magistratum, fecit, à quo Exarcho singulæ civitates Prætores acciperent, Roma excepta, cui Præsidem dedit. Nullus itaque Longino administrante Senatorius ordo, nullaque provincialis præfectura, aut in Umbria, Hetruriave, aut in Liguria, Neapolive, aut alibi in Italia, ut assueverat, fuit: ad quam majorum rerum pondus, quod à Jusdicentibus explicari nequit, referri posset: ipse deinceps Longinus Italici regiminis expers, neque ubi de Magistratu providendum, neque unde amovenda potestas esset, satis noverat: neque si novisset, solus omnino, ut homo erat, tanto oneri suffecisset: ex qua quidem fatali Imperatoris ac Præfecti imprudentia, rerumque novitate, evenit, ut recedente ab Italia Dagisthæo, qui Transpadanis præfuerat, plures civitates Exarchatus insolentiam exosæ, magistratus à Longino petere neglexerint, suosque sibi Rectores ac Judices populi auctoritate constituerint: præcipue Mediolanum, Papia, Brixia, Verona, Vicentia, & Tarvisium, quod etiam Blondus retulit *libro* VIII. primæ *Decadis*.

In hac igitur gubernaculorum novitate, collabante Italia, appropinquant Aquilejensibus campis Longobardorum agmina, sedemque in planitie figere statuunt: præmissoque equitatu conjuges suas, familiasque, & armenta, longo & diuturno itinere à Pannonia traducta in Italia explicant, & instaurant, Deoque pro adventu vota suo ritu solvunt. Et explorato demum ab accolis civitatum statu, per superiora loca deducunt copias, Tarvisio, Vicentia, Verona, Brixiaque receptis, in quibus magna familiarum parte locata, cum reliqua turba instructo exercitu Mediolanum petunt, subductoque commeatu populum fame laborantem ad deditionem compellunt, ac diripiunt, implentque sua gente urbem, regionemque, veteribus incolis Longobardo furori manus dedentibus. Hoc successu auctis brevi tempore Longobardorum rebus, Longinus Ravennæ pavens, militum præsidia in civitates inferius juxta flumina sitas immisit, Papiamque, Cremonam, Mantuam, & Patavium, in Transpadanis quam maxime munivit. Divisa itaque Transpadana Regio erat, pleraque superiora loca, Como & Vulturnia exceptis, tenentibus Barbaris, & inferiores urbes tuentibus Italis: nullo tamen campestri exercitu in tanti temporis spatio, quo Longobardorum profectio duraverat, in Italia comparato; quam quidem profectionem triennium durasse Scriptores affirmant. Longobardi, refectis militibus, omnem regionem inter Adduam & Ticinum sitam quam primum sibi subjicere parant, & Papiæ urbis oportunitatem speculati in ipsam civitatem belli molem vertunt, rati, è Mediolani casu perterritos Papienses statim deditionem facturos. Contra Papienses prævisio jam antea Longobardorum adventu, impetuque, præter præsidiarios Longini milites, duo millia hominum ex Ligustico tractu cum ingenti commeatu in urbem deducunt, & propugnacula muniunt. Adeunt Longobardi infestis signis & vocibus urbem, insul-

A tant mœnibus, ac subire tentant: minantur incendia, ac repetita sæpius oppugnatione, clamore, & ululatu, civium & militum animos, viresque, pertentant. Illi vero telis ab alto conjectis tuentur urbem, arcentque à portis & mœnibus hostes, atque ignitas faces, sulphure, piceque illinitas, in acies torquent. Exarsit tum iracundia Alboinus Longobardorum Rex, ac civitati alta voce excidium ac eversionem est comminatus; cernensque frustra oppugnatum iri oppidum situ, ac virorum robore, fideque, firmatum, obsidere urbem aggressus est.

B

CAP. XI.

De Papiæ obsidione, & deditione.

TRIENNALEM fuisse Papiæ obsidionem apud omnes Scriptores constat, Platina etiam hoc attestante in *Vita Joannis tertii*, Alboino Rege cum exercitus parte urbem acerrime premente, ac die noctuque infestante; & ne de civitate liberanda cogitare Longinus, aut Imperator posset, alteram exercitus partem Alboinus Padum trajicere, & in Æmilienses & Tuscos populos arma vertere jussit: uno itaque tempore, unaque gente, exagitata tribus in regionibus Italia fuit, nullo Duce atque exercitu Longobardico furori castra opponente.
C Papienses igitur longa obsidione exhausti, nullaque futuri auxilii spe freti, de deditione facienda regios nuncios audire compelluntur. Erat in civitate Dalmatius Sigæus insignis sacerdos, qui civium nomine ad Regem ire ac redire pro deditione curavit, ac deditionis pactiones sub hujusmodi legibus composuit: *Primum, quod omnibus tam civibus quam peregrinis, militibusque, corpora & bona tuta & libera essent, sive in urbe consistere, sive abire maluissent. Item, quod Papiensibus suis institutis & ritibus vivere sub Regis dominatu impune liceret, sicut olim sub Romano Imperio ac Gothico Regno vixerant, fide tantum Regi circa Regni potestatem servata. Tertium, quod Ligustica oppida à Placentino agro usque ad Tanari colles*
D *sita, olimque à Gothis Regibus Papiensibus adscripta, Papiensia censerentur, & forent. Postremum erat, quod Regi tantum, ejusque consilio, vel Ducibus, & non alterius civitatis magistratui, subjecta Papia esset.*

Delatis in urbem pactionum tabulis à Rege subsignatis, Dalmatius altera die cum senioribus populi Regem recepturus, ut condixerat, constitit in porta Orientali, supplexque advenienti Regi omnes seniores obvios pia oratione obtulit: ille truculenta facie cives miratus, hostilem animum patefecit, simulatasque perfidia pactiones ad urbis perditionem detexit, torvo scilicet vultu immitem animum aperte prodente: concidit tum repente in
E ipsius portæ limine Alboini equus Rege insidente, quem erigere conati adstantes fato dejectum utrumque, immotumque, sensere, casumque admirati Regem monuere, ut iram, quam in Papienses delendos occulto fovebat, ab animo dimitteret, urbemque servare constitueret. Invasit illico perpetrandi sceleris pœnitentia Regis animum, mutataque sententia sensit simul fata commutari, hujusmodique emissa voce, *Salva sint civitatis jura, & quæ spopondi fiant;* eodem actu, quo vocem emisit Rex, surrexit sine impulsore equus. Rex igitur læta fronte civitatem ingressus, quæ pepigerat, præstitit, divinitusque profecto editum in Rege miraculum fuit, ne Dalmatii viri optimi fides in ludibrium cederet, ut omnino cessisset, si in irritum pactiones ab eo cum Rege compositæ ivissent: quod
F quidem miraculum à claris Scriptoribus celebratum legimus, & in primis à Paulo Diacono *libro* II. de Longobardorum gestis, & à Blondo *libro* VIII. primæ *Decadis:* quem sequitur Sabellicus *libro* V. octavæ *Enneadis.*

Hac tam nobilium Scriptorum auctoritate suffulta

fultus, vertere in Cremonensem oratorem sermonem cogor, cujus verba excipio, & refero: *Ticinenses post paucorum dierum obsidionem facile se hostibus dedidere, Italiæ libertate prodita, pro qua oportebat non solum muros, sed etiam corpora opponere*, &c. Quasi vero sola murorum immobilitas arcere subeuntes hostes potuerit sine virorum tutela, civitate maxime in planicie posita. Item quasi etiam Ticinenses non subiverint salutis suæ periculum. Disce igitur rectius belli jura, quæ fortasse olim claustro assuetus non percepisti: quisquis advenienti exercitui oppidi postes objecerit, sive populus, sive Rex, Jure militari hoste ingrediente salutis discrimen, vel saltem libertatis, subit. Non solum itaque Ticinenses portarum prohibitione, sed obsidionis exspectatione in periculum salutis inciderant, nullo postea eis transmisso subsidio, nisi optimi Dei nutu salvi facti fuissent, ut enarravi. Cur ergo, quæso, tam petulanter in mortuos insiluisti, dicens, *oportuisse eos subire pericula*, &c. si subiisse eosdem proprium pene exitium omnes historiæ luculenter probant? Sed videre exacte oportet, quam probe omnis hujus hominis sententia a veritate dissentiat, vertique ad veritatem ejus os nullo modo queat. Primo, trium annorum obsidionem paucorum dierum appellat: cujus opinioni plura adversantur: nam decem dies in publicis judiciis, sub modici temporis limitatione, enumerantur. Triennium vero cum mille & amplius dies colligat, quantum à modico differat etiam pueris patet. Triennium insuper tanquam longum tempus Jus Civile mobilium usucapioni præscripsit. Triennium idem Jus Civile Judiciis finiendis, tanquam magnum intervallum, præfixit: à quo triennalis instantia dicta fuit. Triennium Romana Ecclesia prædiis suis locandis, tanquam diuturnum tempus, limitavit. Triennium denique infantulo ablactando, & ad incessum firmando, ac equino pullo domando, natura constituit. Iste vero homo, tanquam à natura & ab Ecclesia profugus, modicum tempus esse scripsit, triennii obsidionem, quam nunquam fortasse per mensem publici honoris causa passus fuit: cujus sententia non solum corruit, sed in ejus ingenii labem recidit, cum temporis discrimina (etiam imperitis nota) ipse magnus Scriptor non noverit.

Excutio alterum quod scripsit, *Ticinenses facile se dedidere:* facile fieri id videtur, quod sine labore, aut mora, aut molestia fit; sed obsidionem diu, ac duriter, atque periculose perpeti, nunquid sine labore ac indigentia? nunquid sine maxima molestia ferri potuit? Sicut igitur primo loco modicum esse triennium censuit, similiter secundo loco facile fieri, quod facilitati contrarium est, putavit: viatoris more, qui devians ab itinere, quanto promptius graditur, tanto longinquius à viæ rectitudine fertur. Tertium addit sophisma *de Italiæ libertate prodita*. Væ Ticinensibus, si iste Judex eorum aliquando adscitus fuisset: urget sane hujusmodi accusatio, quam uno verbo elido: nego Italiam libertatem tunc habuisse. Tu, qui Italiæ libertatem sub illud infelix tempus collocas ac prædicas, proba quod dicis, Auctoresque deprome. Videamus insuper quid sit proditionem facere: nam qui nulla vi, vel necessitate urgente, creditam sibi civitatem hosti tradit, proditionem committit: à cujus nota abest, qui per diuturnitatem obsessus, auxilii expers, deditionem facit, ut eo casu Ticinenses fecere, nequicquam jam in tertium annum à sociis, vicinisque, civitatibus, & præcipue à Cremona exspectato subsidio: dedidereque Ticinenses suam civitatem, & non alienam, ut iste insulsus Scriptor commentitia oratione ait: cujus suppositio si vera fuisset, videlicet quod in Ticinensium subsistentia constituta tunc Italiæ libertas esset, redarguendæ omnes Italiæ civitates fuissent, quæ Longobardorum non premebantur Imperio, quod in tam diuturno spatio pro Italiæ salute Ticinensibus nullam opem tulissent, minusque ferre tentassent: inter quas longe culpabilior ex vicinitate Cremona esset: commendandaque ex adverso Papia est; quod suo pene, ut dixi, excidio tam constanter pro universa Italia obsidionem patiens, Regis potentissimi victoriam remorata fuisset. Cujus quidem obsidionis impedimentum, si non intercessisset, Alboinus Rex integro exercitu in Flaminiam, Umbriam, Etruriam, Romamque irruisset, profligataque Italia, eo tempore milite denudata, Longobardorum armis facilius fuisset, Longino Exarcho in Ravennæ stagnis, latebrisque, delitescente, qui non solum Longini infaustum nomen, sed detrimentum ac perniciem, Italiæ intulit. Vide ergo, & agnosce, Lector, quo ingenio, quo judicio, qua mente iste Cremonensis Scriptor imbutus sit: quando in iis, in quibus Ticinensium virtus omnium virorum approbatione quam maxime enituit, in iis ipsis labem meditari & componere non erubuerit, atque dum aliis probra, infamiamque, adstruit, ipse sese mendacem, falsumque, prodit, ac in se, suosque, eadem probra retrudit.

CAP. XII.

De Papiensium jure sub Longobardis.

PAPIA à Longobardis in potestatem redacta, nulla vi affecti cives fuere, publicumque regimen à Rege constitutum fuit, quo & Papiensibus juxta Romanas leges, & eorum instituta, & Longobardis secundum ipsorum ritus jus diceretur. A quo quidem juris dicendi discrimine introducta distinctio fuit, ut in obligationibus, vel contractibus à Tabellione scribendis, unusquisque profiteretur, cujus gentis, cujusque Legis, aut Juris esset, hoc modo: *Julius Ritius, qui profitetur se vivere lege Romana, & Clotharius Astulphus, qui profitetur se vivere lege Longobarda, fecerunt inter se infrascriptas obligationes*, &c. Has enim obligationum formulas in membranis descriptas legere licet in Archivo Episcopatus Papiæ, à quo civitate bello flagrante pleraque monumenta exportata fuerant, paceque secuta anno millesimo quingentesimo & trigesimo, omnia, quæ à me conquiri & recuperari potuerunt, suo loco restituta fuerunt, sub Hieronymo Rubeo insigni viro, ipsius civitatis Episcopo. Ex qua quidem formula obligationum plane discernitur, Romanas leges Papiensibus sub Longobardo Rege usui permissas fuisse, non solum cum inter Papienses ex utraque parte contrahebatur, sed etiam cum inter Papiensem & Longobardum obligatio constituebatur. Cur vero illæ obligationum formulæ à Notario, vel Tabellione Episcopi conscriberentur potius quam ab altero, ratio patet, quoniam omnia monumenta, quæ in Archivo Episcopatus relata comperiuntur, edi ab Episcopi Tabellione, vel Scriba, in publicam formam ob Archivi auctoritatem & dignitatem possunt, editaque fidem habent: quod perpetuo usu ac jure observatum fuit. Et qua demum auctoritate cæteri Notarii & Scriptores in ipsa civitate æque non potiuntur, civitatis, sive Decurionum Scriba excepto, à quo publica acta describuntur, fideque digna habentur.

CAP. XIII.

De juramento Papiensium, & Longobardorum successu.

CONVENISSE Papienses coram Alboino Rege in Palatio olim à Theodorico Rege constructo, deditionemque juramento firmasse, apud Scriptores constat. Quo autem in loco situm illud Palatium esset, minus patet. Ego veriores puto Scriptores affirmantes hujusmodi Palatium fuisse Do-

Domum ; ex qua poſtea novum Monaſterium conſtructum eſt; ubi Divi Boniforti ſacellum adeſt, à quo Palatio *Palatina* primum, deinde vulgari verbo *Palacenſis* fuerat appellata civitatis porta, in Laudenſem oram verſa: ſuperſuntque adhuc in ipſo Monaſterio duæ Turres antiqui Palatii monumenta, quarum alteram ingens hedera ab imo ad ſummum veſtit, à Septentrionali parte, ſuo ferme virore loci nobilitatem atteſtans, exornanſque, cum ex regia domo religioſarum Virginum ſtatio ibi effecta ſit. Prope ipſum Palatium, ut obiter antiqua attingamus, aderat ab Orientis ora forum magnum, nobilium olim Gothorum conventui patens, cujus adhuc mentio in ſcripturis reperitur: nam ſancti Jacobini in foro magno hodie etiam Parochia nuncupatur. Alterum præterea exſtabat ea ætate Palatium inter viam prædictam & forum Linarium, vulgo appellatum communis Papiæ, eo quod civium Papienſium negotia in ipſo gererentur: in quo quidem Palatio à Carolo Magno Imperatore Scholæ publicæ conſtitutæ fuere, quæ deinde ſub Sfortianis in locum, ubi nunc ſunt, tranſlatæ cernuntur. Veruntamen illa Palatia tam ſpecioſa non erant, ut celebrari ſcriptis à me debeant.

Turres quoque frequentiores, quæ eandem civitatis partem occupant, aperte arguunt, nobiliores viros ipſam partem incoluiſſe, ubi aer puriſſimus eſt, & ſolum eminens ac declive; in qua declivitate paſſim exſurgunt fontes conſpicui, gratique, præcipue in ædibus infra quinquivium ſitis, ac etiam in avita & antiqua domo Rogerii Sacci avi mei. Alboinus igitur urbis ſitu atque opportunitate circumſpecta, tam ad belli caſus quam ad pacis ocia ac negocia aptiſſima, dimittere Procerum ſuorum partem in ea ſtatuit, ut propugnaculum in Circumpadanis haberet: quæ quidem Procerum ſuorum dimiſſio ac collocatio initium ac firmamentum fuit Regni poſtea in ipſa civitate conſtituendi, ut alibi patebit. Reverſus deinde Veronam, ubi Roſimundam conjugem natione Gepidam reliquerat, Alboinus, triennium regnavit Etruriæ, & Flaminiæ, ac Æmiliæ regionibus magna ex parte ſuorum armis, direptionibuſque, ſubactis. Quo exacto triennio per conjugis inſidias impudice patratas à duobus familiaribus occiſus eſt, conjuge ipſa & interfectoribus Ravennam profugientibus, ubi finem vitæ per veneni poculum tam adultera quam adulter uno momento receperunt: quæ omnia ſerioſe in unum collecta elegantius quam cæteri retulit Sabellicus *libro* v. octavæ *Enneadis*; ita ut addere ejus ſcriptis hoc loco ſuperfluum videatur.

Non deſtitere Longobardi ex Alboini interitu in reliquas Italiæ partes, præſidio minus firmatas, arma vertere, Clephium Regem ſecuti; quem Papiæ conventu habito Regem ſibi conſtituerant, eoque Rege viro ſæviſſimo intra biennium à ſuis occiſo ſub Ducibus Longobardicum regimen per decennium fuit, in quo tempore atrocius quam antea ſævitum in Italiam eſt, Roma ipſa poſt Neapolis direptionem ad pactiones compulſa. Quarum ſumma fuit, ut quicquid eorum armis ceſſiſſet, ipſorum Longobardorum dominii eſſet, & quicquid eo tempore illis non ceſſiſſet, in futurum etiam liberum, tutumque, ab ipſorum armis foret. Diſſidet hoc loco Platina ab aliis Scriptoribus, Ducum regimen viginti annos duraſſe affirmans, in *Pelagii ſecundi Vita*, cujus ſententia minus probatur. Compoſitis igitur Italicis rebus Longobardi Duces confeſtim in Gallos, Italiam ingreſſos ad Hipporediam, quam hodie *Juream* vocant, impetum faciunt, propelluntque eos ab Italia, & direptionibus etiam ſemel atque iterum infeſtata Gallia in ſua reverſi quievere. Nunc, quo imperio, quove regimine, uſi ſint, referam.

CAP. XIV.

De Longobardorum regimine.

QUOD plerique Scriptores circa Longobardorum regimen membratim referunt, ego in unum colligo, ut appareat fortuna ne, vel caſu, (ut vulgus ait) an cura & regimine, introductum in Italia regnum illius gentis fuerit. Primum omnium ſocietas inter eos pene inviolabilis fuit ab initio, ut iis verbis atteſtatur P. Diaconus *l.* III. *c.* VII. *Erat ſane hoc mirabile in regno eorum, quod nullæ fiebant violentiæ, nullæ ſtruebantur inſidiæ, non audiebantur furta, aut latrocinia, tuta quæque unicuique erant, ſive in ſuo ſtare, ſive alio proficiſci volebat.* Cujus Viri ſententia ad Longobardos tantum, & ad eos, quibus cum pacifice degebant, referenda eſt: nam in alios immites eos fuiſſe, atroceſque, idem Auctor teſtatur, præcipue in Romanos & eorum finitimos; quos ſibi tributarios ac pene colonos effeciſſe refert, tertia parte frugum ſingulis annis ab eis exacta. Aſſentirique Pauli Diaconi verbis videtur Pelagii Secundi Pontificis *Epiſtola* Gregorio ſcripta, quam Blondus ad verbum retulit *libro* VIII. primæ *Decadis*, Longobardorum in ſe, Romanoſque, atrocitatem ac perfidiam enarrans. Hac ergo feritate in alienos, & fide ac ſocietate in ſuos, uſi Longobardi, antiquorum Hebræorum exemplo, regnum ſibi conſtituerunt, ex communi concordia Regem eligendo, electumque etiam, ſi minus juſte imperaſſet, reprobando ac occidendo, ut Clephium, de quo ſupra, & ad XXX. poſtea Ducum regimen ipſius Regni formam convertendo, rurſuſque ad Regis electionem, Ducum regimen pertæſi, redeundo; quæ variatio gentis libertatem, feritatemque, ac concordiam indicat: ſtareque omnino in Italia illi diu nequiviſſent, ipſa Italia reluctante, & Gallis ex alio latere infeſtantibus, ac Imperatore Tiberio, Mauritioque ſucceſſore, bellum apparantibus, niſi concordia, ac ſocietatis vinculum, illos in rerum periculis unanimes eo tempore, ſtabileſque, feciſſet: à qua demum concordia & ſocietate oriri conſilium, à conſilio regiminis actus & obedientia ſolent, quæ tria firmamenta videntur regni erigendi, tuendique: quoniam concordia à mutuo amore initium ſumens, cogitare quæ ad mutuum commodum ſpectant, unumquemque impellit; quæ cogitationis vis eruit intima uniuſcujuſque negocii à nobis gerendi, vel rejiciendi: concordia itaque gentis, recti regiminis, regnique conſtituendi pars potiſſima eſt, divina ſemper poteſtate prælata.

Alterum, in quo cura illorum viguit, fuit in alendo equitatu: greges enim præſtantiſſimarum equarum habuiſſe eos, atque ab Hungaria in Italiam traduxiſſe præter boum armenta conſtat, ut ſcribunt Blondus *libro* VII. primæ *Decadis*, & Paulus Diaconus *libro* II. *cap.* VII. in fine. Cujus quidem equitatus copia, atque præſtantia, celeritateque, plura confeciſſe eos unius anni ſpatio bellica negocia in Italia quam credibile ſit, Sabellicus notat *libro* V. octavæ *Enneadis*. Equitatu itaque illis ſuppeditante equitum copiam atque exercitationem, ſimulque equeſtris diſciplinæ peritiam in eis fuiſſe neceſſe eſt, quæ maxime Regno tuendo aptiſſima probantur: quemadmodum è contrario cum aliunde petendi equi elegantes ſunt, precia eorum ac traductionis impendia nobis plurimum obſtant, coguntque plerumque militem à voto deſiſtere, aut equo minus idoneo ad bellandum ſeſe committere, animo fortaſſe ad prædandum quam ad præliandum promptiore, quod hac ætate frequentiſſime eveniſſe perſpeximus. Loca autem præcipua, in quibus equarum armenta collocata primum à Longobardis perhibentur, Aquilejenſes, ſive Forojulienſes ſaltus fuiſſe accepimus: equique illius tractus, ac etiam Hipporedienſis, in-

inter Transpadanos hodie etiam valde probantur, tanquam agiliores, durabilioresque.

Tertium, in quo belli gerendi impendia consistebant, fuit tributorum quota, æqua lance ab omnibus Ducibus Regi persoluta; dimidium enim æris sui unusquisque Regi pependit. Quartum est, quod nusquam in Italia post dimissos Saxones, quos malo eventu dissipatos fuisse constat, alio milite quam Longobardo initio rerum suarum usi sunt, habuisseque equitatum viginti millia virorum, & septuaginta millia peditum, sæpe referuntur. Primosque eos composuisse ferreas series ex orbiculis consertas, quas maculas, & materna lingua *malias*, vocant, aliquis putat, ex quibus tegi pectus ac brachia nostrates hodie tutissimum & ornatissimum putant. De Longobarda etiam immani telo, postea in *Alabardam* redacto, auctores feruntur Longobardi. Sed jam ad Regni continuationem mea sese vertit oratio.

CAP. XV.

De Authari & Agilulphi Regno.

ANNO ab humani generis Redemptore octogesimo septimo supra quingentesimum, & ab adventu Longobardorum XIX. Gens Longobarda sentiens in Gallia exercitum parari, & à Constantinopoli Smaragdum Ducem à Mauritio Imperatore in Italiam cum copiis destinari, Papiæ conventu habito, Autharum, Clephii olim Regis filium, Regem elegit, quo arma movente, Smaragdi vis Ravennæ compressa est, pactæque inter eos induciæ, Brixillo prius oppido ab Autharo recepto, & excisis mœnibus destituto. Galli autem tunc per legationes ab Italia aversi, paucis post annis repetita semel & iterum Italia, vario eventu cum Longobardis bella gessere, præda tantum abacta, & nulla Italiæ parte subacta atque retenta. Continuit enim se Rex Autharus intra Ticinum in postrema Gallorum irruptione, subductis ab agris, villisque, omnibus ad victum pertinentibus, & intra oppida, ubi præsidia firmaverat, collocatis. Galli itaque inanem provinciam perquirentes, & fame, & æstu afflicti, captivos villicos abducentes, Italiam deserere coacti sunt, imminente etiam metu, quod Longobardi milites, qui in maritimis Neapolis, & Calabriæ, Campaniæque atque Umbriæ oris erant, maturare reditum ad Regem ferebantur.

Theodelindam Rex ipse uxorem duxit ex prole regia, sed moribus longe regioribus, religiosioribusve: quæ ipso Autharo septimo anno Regni sui vita functo, ex procerum auctoritate nupsit Agilulpho Duci strenuissimo, in Læumello Ticinensi oppido nuptiis celebratis: de qua Theodelinda natione Bavara, ejusque patre Garibaldo, à Gallis è Bavariæ Regno pulso, deinde restituto, nihil hoc loco mihi scribendum superest, Blondo curiose singula recensente *libro* VIII. primæ *Decadis*, & Pauli Diaconi scripta repetente. Crevit sub Agilulpho Rege Longobardorum Ducum numerus, tumultusque eorum, qui jam antea vivente Autharo ab ejus Regno diffidere cœperant: crevere simul Italiæ mala, detrimentaque, non solum ab hominibus, sed etiam ab elementis, divina ultione in nostrum genus concitata.

Primum Romana Ecclesia à Constantinopolitano Antistite, quem *Patriarcham* vocant, vexata est, illo scilicet sibi ipsi Oecumenici nomen arrogare conante, & Mauritio Imperatore ejus conatui adversus Romanum Pontificem aperte opitulante: quibus tamen restitit Gregorius primus, R. Ecclesiæ prælatione servata; à qua re Mauritii Imperatoris indignatio adversus Romam, Romanumque Pontificem, succensa est: cernens enim suos conatus in irritum cessisse, copias militum, quas in urbis præsidium adversus Longobardorum insultus con-

A tinuerat, subduxit, Roma prorsus destituta, ac in Longobardorum excursiones, quas ab Etruria in Romanorum agrum exercebant, dimissa. Quam quidem partem historiæ à Paulo Diacono prætermissam, exacte collegit Blondus *libro* VIII. primæ *Decadis*, subdens hujusmodi verba: *At Mauritius Imperator non solum rei Romanæ, aut Italiæ, nullam curam suscepit, sed Gregorio Pontifici supra vires providenti adversabatur*, &c. Concors Blondo est Platina in *Gregorii Vita* his verbis scribens: *Nequaquam vero iis malis contentus Mauritius*, &c. Utrumque Scriptorem sequitur Sabellicus dictæ octavæ *Enneadis libro* quinto, ubi hæc adsunt verba: *Novi enim belli causa inde orta est,*
B *quod Joannes Constantinopolitanus Antistes*, &c. Roma igitur una cum finitimis, & aliis Italiæ partibus, à Mauritio Imperatore derelictis, ac in externarum gentium direptionem conjectis; quæ Romani Imperii majestas, quæ regiminis ratio in eo fuerit, quodque Imperii jus sibi in iis, quæ à sese abjecit, urbibus retinuerit, agnoscendum est: quod alio loco commodius exquiretur. Ravennæ similiter & Aquilejæ Antistites ea ætate in Romanam Ecclesiam cornua vertere ausi sunt, pluribus suscitatis Episcopis à Paulo Diacono nominatim relatis *libro* III. *cap.* XII. Qui demum omnes Romanæ Ecclesiæ oppugnatores una cum eorum sectis evanuerunt, Petri navicula per pelagi profun-
C da super undarum vertices enatante. Ducum quoque Longobardorum seditiones atque defectiones ab Agilulpho partim conciliatione, partim ferro, suppressæ sunt. Invaluit etiam eo tempore semel & iterum fames in Italia ex frugum penuria, invaluere atri imbres, atque aquarum profluvia, terras urbesque inundantia. Invaluit denique lues mortalium sævissima, pestilentia suborta. De cœlo quoque signa Italiæ mala comminantia visa sunt, nec fulgura solum viros necantia, ædesque subruentia, sed stella crinita sæpius, & ignitæ in cœli fastigio hastæ, nocte vibrari à divina ultione prospectæ sunt: quæ longa serie per diversa capita retulit idem Paulus Diaconus *libro* III. & IV. ab
D omnibus approbatus.

Inter hæc autem mala, nonnulla etiam bona emersisse Scriptores ajunt. Gens Longobarda hoc primum tempore in rectam religionem, fidemque, prospexit, Agilulphi Regis conversionem secuta, quem à Theodelinda uxore retractum ab impietate ad mitiorem vitam scribunt. Theodelindam vero à Gregorio Pontifice fidei firmitatem edoctam ferunt, ad quam exstant ejusdem Gregorii scripta; atque ab hujusmodi conversionis tempore restitutos fuisse multos Episcopos in sua loca, bonaque eisdem permissa fuisse omnes Scriptores tradunt: quod mecum cogitans exclamare compellor: O incomprehensibilis Dei sublimitas! ô excelsum judicium!
E quando Constantinopolitanus Patriarcha, atque Imperator, in Dei Ecclesiam, servumque ejus Gregorium, conspiravere, quando Ravennates, Aquilejensesque, ab eadem Ecclesia defecere, quando cœlum, terra, aer, aqua, fulguraque omnem vim in miserrimam Italiam effudere, Deus mortalium inscitiam, fragilitatemque, misertus, Barbarorum feritatem demulcens, aberrantem gregem in viam salutis vertit, alterique gregi suo unius matronæ opera, monitisque, copulavit, infirmiorem videlicet sexum eligens ad firmandam fidem infirmioribus. Nec tamen propterea destitere Longobardi post receptam fidem ab incursionibus, Roma cum exercitu repetita, ac per annum ferme obsessa,
F Gregorio, Romanisque, suis se viribus ægre tuentibus. Bello enim assueti viri, etsi religionem teneant, quicquid tamen ex usu belli esse spectant, licere etiam sibi jure naturæ judicant, eaque imbuti opinione, debellandi facultatem tentant, & divinitus fere sibi permissam rerum eversionem sæpe

pe autumant, à qua re perpetranda cum ſponte abſtinere debeant, vim tamen ſuam repelli exſpectant. Ita Longobardi Romæ obſidionem, imbrium aſſiduitate rejecti, ſolvere coacti ſunt. Mauritius ſimiliter Imperator occiſus à Phocæ militibus finem perſecutionum ſuarum recepit anno à Chriſti ortu ſexcenteſimo & tertio, quem Platina opinatus eſt, fuiſſe ſexcenteſimum & trigeſimum tertium, à quo alii diſſentiunt. Roma itaque dimiſſa, Longobardi in Tranſpadanos Orientali Imperio ſuppoſitos acies vertunt.

Cap. XVI.

De Patavii & Cremonæ excidio.

Agilulphus Rex cernens tres munitas civitates in Tranſpadanis Ravennæ Exarcho conjunctas eſſe, unamquamque in ſuam poteſtatem redigere conatus eſt. Exercitu itaque Patavii muris appropinquante ſub dimicationis ſpecie ignitas faces conjici in civitatis tecta & tabulata juſſit: nobiliſſimaque tandem urbe conflagrata, pene in Ravennatum & Exarchi oculis, adjecto ſibi Slavorum agmine, recto itinere Cremonam petit, ac repentino adventu imparatos Cremonæ præſidiarios occupat. Fama enim erat Mantuam prius, utpote Patavio viciniorem, expugnandam fore, quam Cremonam: quæ opinio incautiores Cremonenſes atque Exarchi milites in periculo prævidendo effecit. Cingitur ergo ab Oriente hoſtium caſtris Cremona, fruſtra emiſſis ad Exarchum nunciis pro auxilio impetrando: oppugnatur civitas, Slavis etiam ab aliis lateribus mœnia circumeuntibus: ſtat illa in fide tam ſuis ſua tuentibus, quam etiam Græcis militibus ab initio egregie pugnantibus: ubi vero viginti dierum ſpatium exactum fuit, nulla auxilii ſpe ſubſecuta, & infeſto ac truculento hoſte aſſiduo urgente, concidit ex parte defenſorum animus, atque ægrius tueri mœnia invadente hoſte cœptum eſt. Trigeſimo tandem adveniente die Agilulphus evocatis circumquaque ab urbibus Longobardis militibus, aucto exercitu, & inſtructis ante ſolis ortum copiis, Cremonenſibus, niſi deditionem faciant, minatur excidium, nullaque intercedente mora à tribus lateribus urbem aggreditur. Pugnatur acerrime, Græcis tamen in certaminis periculo nonnihil labantibus. Tum alio loco Longobardi equites, ab equis deſilientes, urbem ſubeunt paucis obſiſtentibus, atque admotis ſcalis conſcendunt muros, terroreque civitatem replent, una voce paſſim effuſa, hoſtes ingreſſos: turbantur milites, Cremonenſeſque ſuorum fuga ac trepidatione cedunt loco, hoſtibus ex adverſo ferocius inſultantibus. Tum clamor inſurgit barbaris conflatus vocibus, capta eſt civitas. Irruunt itaque in urbem hoſtili feritate Slavi ſuapte natura immites, Longobardique, diripiunt ſine diſcrimine bona omnia, obvios cives inermes compertos capiunt, armatos vero occidunt, nec tamen per cædis & captivitatis ultionem deponunt iras, ſed ſummiſſo etiam incendio urbem abſumunt, urbem, inquam, qua ea ætate nulla erat in Padanis oris elegantior.

Exciſa miſerabiliter Cremona, Longobardi ſumma celeritate in Mantuanos tela vertunt. Illi vero vicinorum caſibus deterriti, per urbis ſuæ deditionem, Agilulphum Regem intra mœnia receperunt, parueruntque Longobardis Ducibus. Anno igitur quinto ſuper ſexcenteſimum Tranſpadana planicies Longobardorum poſſeſſioni ac dominatui ceſſit, Longino infauſti nominis Exarcho longe à periculo agente, nihilque adverſus Agilulphi motus in Tranſpadanis moliente, imo turpiter oppida, quæ in fide ſteterant, per deſtitutionem prodente.

Digreſſionis Excuſatio.

Vexare me hoc loco rurſus Cremonenſis Scriptor non deſinit, dicens, Ticinenſes ad Cremonæ expugnationem tela & alia bellica inſtrumenta Longobardis ſubminiſtraſſe: cui reſpondere neceſſe eſt. Tu, cum Cremonenſis ſis, in cauſa tuæ civitatis pro re, tempore, & actu à te minime viſo, audito, vel lecto, teſtimonium dicere nulla ratione potes, omniſque tua aſſertio, relata ad tempus, in quo nondum in rerum natura eras, vera exiſtimari non poteſt, niſi probati Auctoris ſententia firmata ſit: quæ hac in re prorſus deficit, Platina præcipue, qui Cremonenſior teipſo, ac prior fuit, de hujuſmodi ſubminiſtratione nullum verbum faciente. Sed fingamus ſubminiſtraſſe, ne tua oratio inanis fiat: apte quidem & opportune nobiſcum agitur. Tu enim in omni orationis tuæ angulo iſtud tentas ac conaris, ut Ticinenſes pauperes, egenos, miſerabiles, pannoſos, ac mendicos à ſeculo effingas. Si ergo tales fuerunt, quomodo tela & arma idonea ad exercitum inſtruendum comparare, aut ſervare, gens inops & mendica potuit, præſertim ad expugnandam urbem in Padi ripa ſitam, cui fluminis altitudo tutiſſimum eſt propugnaculum, ſaltem à Meridie? Nonne potius ad egeſtatem ſuam (quam repetis) ſublevandam Papienſes triticum emiſſent, quam arma bellica? Emiſſent profecto, ſi laboraſſent inopia. Si itaque Longobardorum copias equeſtres, pedeſtreſque, ut fateris, armarunt Papienſes, ergo inopes non fuerunt, ut tuis ſcriptis declamaſti. Si vero egentiſſimi, ſine re, ſine ſpe, ut ais, fuerunt, arma habere apta exercitui inſtruendo non potuerunt, atque hoc modo dum labem aliis vis impingere, te ipſum contradictionis labe inficis, ac fallacem prodis. Quantum autem dedeceat peritum hominem in contrarietatem labi, tu magis ſcire potes, præcipue cum te ſolum dignum cenſeas ad ſcribendum res noſtra ætate geſtas, tam à CAROLO QVINTO Romanorum Imperatore domino noſtro adverſus Turcas, quam alibi: in qua quidem re minus fortaſſe fidei ſcriptio tua habitura eſſet, iis, de quibus verba feci, fallaciis detectis, quam ſi vera de Papienſibus aliorum Auctorum exemplo retuliſſes. Nihil enim hiſtoriæ aptius eſt quam veritas, nihilque è contrario alienius quam exquiſita ac commentitia dicacitas, quæ in tuis ſcriptis paſſim comperta & reprobata fuit.

Sed neque illud longe abeſſe à dicacitate hoc loco probandum eſt. Gloriaris enim plures habuiſſe Cremonam milites, quam habuerit Papia cives. Ego vero animadverto, veſtram militum multitudinem multo minus commodi atque honoris civitati veſtræ attuliſſe in Longobardorum obſidione, quam Papiæ intulerit ſuorum civium paucitas: triginta enim dies Cremona oppugnationem & obſidionem ſuſtinuit, ſuccubuitque miſerrimum excidium perpeſſa: triginta & ſex menſes, nedum dies, aut hebdomadas, Papia oppugnationem & obſidionem pertulit, & ſuorum civium virtute, cui Deus Optimus quam maxime favit, ſalva fuit. Non ergo in militum, civiumque, turba ſalus civitatis, ſed in virorum præſtantia poſita eſt: gloriarique propterea in militia veſtra, quæ nunquam ſaluti hactenus, ſed perditioni patriæ ſuæ fuit, inanis potius jactantia eſt, quam militaris virtus: nam ad regni, vel civitatum, tutelam comparata militia eſt, atque honori habita: qua quidem non ſuſcepta poſtea, præſtitaque tutela, dedecus & detrimentum ſequi illos milites neceſſe eſt. Nemini itaque in ſolo militum nomine ac numero gloriari licet, niſi etiam rerum bene geſtarum fides atque atteſtatio ſimul adſit, in qua quidem re ſine Dei nutu gloria omnino diuturna eſſe nequit. Sed ad rem redeo, Cremonæ caſum miſertus, de cujus inſtauratione ſuo loco ſcribam.

BER-

BERNARDI SACCI,

PATRITII PAPIENSIS,

HISTORIAE TICINENSIS LIBER IX.

CAP. I.

De Romana Ecclesia sui juris effecta.



OMA, Romanaque similiter Ecclesia, Imperatore, ut retuli, utramque deserente, ac ferme prodente, libera effecta fuit. Deserens enim regionem, vel oppidum, Jure Gentium in re destituta dominium habere facto suo desinit; quoniam desertio pro expropriatione habetur: quod verius etiam probatur, quando ea deseruntur, quæ minime sunt propria eorum, à quibus derelinquuntur, sed in fidem, vel protectionem, recepta. Qualitas quoque desertionis, in qua sit perfidia, & non necessitas, multo magis indignum dominio rei desertorem facit, quoniam æquari proditioni hujusmodi facinus rectissime potest. Mauritius ergo Imperator, cujus proprium erat Romam tueri, cum eam deseruerit, atque præsidio denudatam Longobardis propemodum in prædam objecerit, illis simul ad eam invadendam suis literis incitatis, proditionem, desertionemque, perpetrasse, Romæque Imperium amisisse, Jure Gentium convictus est. Quo quidem amisso Imperio, suo juri, suæque libertati restituta Roma eodem Gentium Jure fuit. (nam liberam fuisse Romam per annorum centurias ante L. Syllæ dictaturam constat, oppressaque demum Imperatorum armis ac dominatu, sicut libertate caruit, ita dominatu amoto ad antiquam libertatem rediit) Libera itaque effecta Roma suo jure applicari ac conjungi suæ Ecclesiæ atque Pontifici potuit: nam Deum ipsum imploras-se, sibique Principem adscivisse, existimanda est, cum Gregorium Domini nostri JESU CHRISTI Vicarium pro Principe suo elegit: quo electo dividi à Dei Ecclesia, quod ei conjunctum, copulatumque, fuit, nulla ratione potest: quoniam ipsius Ecclesiæ caput Deus est, irruereque in ejus honores, juraque, videretur, qui violare hujusmodi connexionem quoquomodo auderet. Si igitur Romana Ecclesia nullum prorsus jus ac ditionem in Roma, Latio, & aliis finitimis antea habuisset, certe hoc, quod ex R. Populi consensu Mauritio deserente assecuta videtur, magni momenti existimandum fuisset.

Verumtamen cum tantæ auctoritatis Gregorius esset, ut arrogare sibi Romæ Imperium posset, prospicere quidem Romæ, perinde ac si Imperium habuisset, curavit; retinere vero dominatum Mauritio exstincto recusavit. Phocæ itaque Imperatori humanissimas literas dedit, quibus illum ad Italiæ protectionem, liberationemque, invitavit; quam tamen ille ipse Imperator minime suscepit, hocque solo actu memorabilis erga Romanam Ecclesiam fuit, quod eam Oecumenicam, matremque (ut ita dicam) omnium Ecclesiarum promulgata constitutione declaravit, quod Romæ similiter in fronte porticus Lateranensis Templi sculptum legitur: longe tamen probabilior fuit Justiniani declaratio, relata à me octavo *libro*, *capitulo* octavo; quoniam declarasse co loco Imperator videtur statum Ecclesiæ juxta ipsius Dei constitutionem, quæ potior est Imperatoria promulgatione: quid enim Dei potestati in terris positæ addat Imperator, qui & Deo, & ejus Vicario, inferior est? Dignior enim à minus

B digno auctoritatem non recipit, sed consensum: cujus rei claram attestationem habes, quod primus Justinus Imperator, ut suo loco enarravi, coronari à Romano Pontifice tanquam à digniore maluit. Concessisse etiam Phocas memoratur Bonifacio Pontifici, hujus nominis quarto, Pantheon, quod hodie *Templum rotundum* Romæ nuncupatur: à qua re apertissime conjicitur, nihil sibi ea ætate adscribere voluisse Pontifices in dominio Urbis, quamvis semoti ab Italia, & fere exauctorati Italico dominatu Imperatores essent. Nec tam adspirasse illi ad Constantini donationem, quam ad Christianam institutionem visi sunt: felix quidem ac præclara modestia, Petri successore digna, quod enim Jure

C Gentium sumere potuit, impetrare maluit, ut impetrandi humilitas ambitionis notam ab actione depelleret; oh digni contemplatione mores à nostra ætate dissimiles! Pantheon ille Populo Romano sacravit, aperuitque, & in eo ipse Pontifex sacra peregit: contra, me Romæ agente, Pantheon despectum ac prope destitutum visum fuit.

Sed parva fortasse hæc censentur inspectis aliis longe horridioribus, quæ nollem heu, nollem, inquam, spectasse oculis, ea quæ miserrima vidi. Staret quidem Beatæ Virginis Mariæ templum ad portam Populi, suis ornatum atque instructum ædibus, starent in via lata recti vici, suis referti familiis, starent in propinquis collibus alta & ele-

D gantissima tecta, quæ omnia unius, aut alterius diei spatio erui à culmine, impioque fragore perimi vidimus, anno salutiferi partus millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, Paulo Quarto Pontifice sedente. Nec discedendum tamen à Romanæ Ecclesiæ institutione hujusmodi ex causa est; prædixit enim nobis Dominus JESUS futura scandala, eorumque auctoribus comminatus, nos crucem tollere monuit. Cujus sequentes præcepta, sequi similiter rectos ipsius Ecclesiæ calles, tramitesve, necesse est, eundemque Dominum exorare, ut Pastorem nobis tribuat, qui nos, ovibus similes, spirituali esca pascat, & non ex nostro adipe, vel vellere, se, suosque, depascat, refarciatve. Patent

E quippe Majestati tuæ, Optime Deus, nostra ulcera, patet nostra infirmitas, atque ignoratio, dum sapientes nobis ipsis esse videmur, insipientes efficimur, & nostra ambitione seducimur atque confundimur: nostraque imbecillitate ab utero aberravimus, hoc est, à tua institutione, in qua enati sumus, omnisque ferme lingua perperam in te auctorem & Dominum fremuit. Sed pœnitet nos male peracti & consumpti ocii, negocii, studii, errorisque; redire in viam cupimus: iccircoque Ducem, sive Pastorem, quærimus, humanoque destituti auxilio ad te confugimus, tuamque celsitudinem imploramus, ut respicias Europæ populos, olim tuæ fidei firmamenta & scopulos, tuoque adhuc nomine insignitos: Pastoremque eis tribuas, Gregorio similem, qui morum integritate fulgeat; qui Gregi tuo prævius lupos, vulpesque, procul arceat atque dispergat; qui bonos ac-

F cersat, & ad tuas aras admoveat; qui tua illa ampla Urbis templa diuturno situ & solitudine squallentia, ac fere sordida, tandem circumspiciat, nec diutius tectorum excidio ac ingruentibus imbribus labefactari sinat: qui versari inter sacra, sacrisque incumbentes viros studeat; quique etiam morum coertioni ac rectitudini animum intendat:

quibus quidem moribus in religionem versis obmutescere insanos, scriptaque multorum evanescere necesse est; ejusmodique aliquando nobis constituto Pastore, aut nos ejus exemplo atque auctoritate resipiscere, aut à Divinitatis tuæ indulgentia nostris demeritis ac pervicacia excidere oportebit, quamquam si nostra spectas merita, si denique humani generis nunc vigentis opera vis perpendere, nihil agis. Perimus scilicet, votisque excludimur, nullo nobis subsistente actu, nulloque à nobis tentato opere, quod tibi pro tua in nos gratia rependi possit, aut æstimatione dignum sit, tua nos semper obruente, nimisque excedente, natura. Quare aut ea, qua tu majores nostros evocasti à gentilitio, gratia respicere nos ac misereri decet: aut si non misereberis, heu infelix genus! perdis, Domine, humanum opus, perdis, inquam, nos, tuis ab initio manibus tanta arte compositos, tuoque Spiritu in tanta gentium varietate ac multitudine constitutos. Destrues denique tuipse speciem humani generis, quod ne aboleatur, tuæ solius Divinitatis & gloriæ interest. At quo me insulsum, impurumque, hominem provexit oratio, quo me impulit ipsa cogitatio: vertere in Deum mea scripta audeo, perito quidem indigna viro, Deo autem indignissima. Erravi miser, pœnitensque audaciæ veniam imploro ac conticesco.

CAP. II.

De Heraclii Imperatoris præstantia & mutatione.

PHOCA Imperatore occiso, Heraclius Imperium assecutus mirabilis Princeps fuit: conversus enim in Persas, eos fudit, fregitque, religiose semper bello confecto, in quo Crucem Domini receptam, Hierosolymamque delatam, ipse nudis pedibus in Calvarium montem pertulit; Imperatorium proprie munus existimans tam insigne onus subire ac bajulare. Qui quidem vir fœlix profecto fuisset, si se in eo religionis statu continuisset, nec ab initiis mentem avertisset. Ecce autem quomodo è converso mutato studio, sese turpi ocio, lenocinio, avaritiaque corruperit; omissoque militiæ decore ac rerum gerendarum cura, in socordia & dedecore contabuerit. Ecce quomodo Isacio in Italia Exarcho constituto, per illius profanas manus Lateranensis templi penetralia reseraverit, aureaque, & argentea vasa, cruces, calices, candelabra, & alia Deo dicata, vi publica arripuerit, verteritque in profanos usus. Ecce quomodo ille obcæcata mente in neptis suæ incestum turpissime exarserit, atque à malo in malum delatus, in hæresim quoque prolapsus sit. Itaque sicut antea Deum colens in magno rerum eventu atque amplitudine versatus est; ita postea à Deo aversus, adverso similiter rerum successu consenuit & interiit: sed quo mortis genere, pudet referre, quamvis circa morbum dissentiant Scriptores. Pomponius Lætus, & Egnatius, obscœno morbo; Sabellicus, intercutaneo defunctum tradunt; Platina, ut dispar esset contentio, in *Theodati Vita*, quem, *Deus dedit*, inscripsit, à Saracenis oppressum ait, trigesimo & altero imperii sui anno. Sed qui sint Saraceni, nonnulla contradictio est.

CAP. III.

De Saracenis.

RECENTIORES, quos memoravi, Scriptores Saracenorum tumultum, Maumethique artes & sectam, sub postrema Heraclii tempora collocant post Scenitarum equitum seditionem; qui ab Heraclio secedentes ob stipendia non soluta, Orientales provincias excitato aliorum tumultu invaserunt: & illi ipsi nostri Scriptores sub Saracenorum nuncupatione tria nomina colligunt, Scenitas, de quibus Plinius, Agarenos, & Ismaelitas, tanquam iidem populi esse videantur. Sed, an ita sit, dubito propter priorum Historicorum auctoritatem. Nam Flavius Vopiscus in *Aureliani*, & Trebellius

A Pollio in *Zenobiæ Vita*, & Ammianus Marcellinus *libro* XIV. ubi plura etiam ridicula de Saracenis recensuit, nusquam eos vel *Scenitas*, vel *Agarenos* appellatos fuisse ajunt, ut Pomponius Lætus, & Sabellicus, Egnatiusque scripserunt; quos etiam viros redarguunt posteriores Topographi, sive regionum descriptores, dividentes in Arabiæ circuitu Saracenos à Scenitis, & utramque gentem in Arabia ponentes citra sinum Persicum, qui sinus Persicus postea Saracenis cessit, Persarum nomine in Saracenos abeunte. Improbat præterea opinionem eorum, qui Agarenos dici posse Saracenos putant, liber *Paralipomenôn*, (de Agarenis à suis sedibus in-
B terdum pulsis Judæa gente urgente mentionem faciens) & *Psalmus* etiam octogesimus secundus, *Deus quis similis erit tibi*, &c. in quo de Moabitis & Agarenis mentio incidit. Si itaque antiquissimi Agareni fuere, Saraceni vero à Marci Antonini Imperatoris principatu citra celebrati tantum sunt, quomodo iidem Populi esse videri possunt, præsertim cum Divo Hieronymo in Palæstina agente Agareni nomen suum retinerent, Saracenis tum etiam satis superque notis? Attamen ne temere illorum peritissimorum scripta videar redarguere, posthabitis iis, mihi ipsi nihil arrogans, eruditiores consulendos censeo.

CAP. IV.

De Maumethi secta.

C ADMIRARI periti aliqui Scriptores videntur, quod Maumethi secta, à Saracenis aucta, tantum invaluerit. Ego vero minime hoc mirum esse censeo. Si enim Constantinopolitani Imperatores, Antistites, Duces, Milites, Præfecti Urbium, Populique, ut jam legimus, plerique Deum, & ejus mandata, gentiumque jura, ac humanam societatem, exosi, uno & altero seculo ruere in hæresim, in sacrilegia, violatis Pontificibus, sacrisque delubris, pulcrum putarunt; si uno consensu in hujusmodi & alia scelera conspirarunt; si perpetrandi facinoris ansam priores posterioribus tradiderunt; si sibi subjectas gentes per nefarias administra-
D tiones, per avaritiæ opera exhaurire, expilare, deglubere non destiterunt; si leges venales, venaliaque judicia, ac etiam ipsa sacerdotia habuerunt; item si tum Christiani Principes, qui insurgere in eos debuerant, eorum abominationibus & iniquitatibus acquieverunt: nonne oportuit Deum totius Orbis Dominum hæc ulcisci? Saracenosque, & Turcas olim seculo ignotos, à terræ visceribus eruere, erigere, & ad abolenda istorum Dominia, Regna, Imperiaque excitare; meritoque illi pseudo-Christiani Principes, Antistitesque dejecti à suis sedibus, Cathedrisque, fuere, Maumethanorum vi & armis, ut omnes intelligerent, odibiliores eos Deo fore, qui Deum norunt, & non colunt, quam
E illos, qui Deum non colunt, quia ignorant.

CAP. V.

De Theodelindæ Regno.

PUDEAT Græcos viros male administrati Imperii, neglectæque religionis, ac susceptæ hæresis, quando una inter Longobardos mulier in regno suo, pace & religione firmando, præstantior orientalibus Imperatoribus comperta fuit. Nemoque miretur, si prostratis Imperii Romani fascibus externa gens evecta ad Italicum Regnum aliquando fuit, illis olim nostratibus Principibus regno ipso indignis. Hæc autem clarissima mulier Theodelinda fuit, primum Divi Gregorii monitis, scriptisque, imbuta, deinde usu & exercitatione in Christiana institutione firmata; quæ sui nominis signi-
F ficatione *Deum* & *delinire* indicat, quasi Dei delinita spiritu. Hæc igitur ipsa, Agilulpho marito defuncto, post vigesimum quintum regni sui annum confirmata in regno fuit, Aldovaldo filio adhuc impubere, & regni curis inepto. Pace itaque cum finitimis firmata, ad Dei religionem augendam animum

mum adjecit, magnificaque templa passim ædificavit, & instruxit opibus, præcipuumque honorem Divo Joanni Baptistæ impendit, his ferme verbis muneribus inscriptis: *Sancto Joanni patrono suo offert Theodelinda Regina cum Aldovaldo Rege filio suo pro se, & cunctis Longobardis Italiensibus.* *Italienses* scripsit suorum idioma secuta: *Italiens* enim materna lingua Germani & Galli Italum appellant, dixitque Italienses eos, pro quibus templa voverat, quoniam nati in Italia erant: quinquaginta enim & amplius anni exacti erant ab Alboini adventu ad Theodelindæ regnum postremo susceptum.

Furit hoc loco quidam Scriptor ægre ac moleste ferens, Longobardos Reges, Italicos, Papiensesque, appellari: sed cur insaniat in re jamdiu transacta & irrevocabili, non video: Jure enim Gentium, scriptisque legibus, patet, quod sola origo civem facit, etiamsi quis in Gallico, vel Germanico, utero conceptus fuisset. Si itaque post Agilulphum plerique Reges Longobardi nati in Italia sunt, nonne ab origine Italicam naturam assumpserunt, aliique Papienses, & aliqui etiam Mediolanenses fuerunt. Agnoscenda igitur illi Scriptori prius erant Jura naturæ, antequam inania verba eo modo effunderet, dicendo, *si Longobardi Reges, nunquid Papienses Reges?* Cui respondetur, Reges Papiæ natos, Papienses, & origine, & natura fuisse, quamvis Longobardi à gentis suæ stirpe & cognomine nuncuparentur; Papiamque patriam plurimorum Longobardorum Regum hac ratione fuisse, regiumque honorem suorum civium origine obtinuisse: superfluo itaque labore iste consumitur, qui hodie revocare se posse putat, quod jam diu Jure naturæ quasi in judicatum transmissum & approbatum fuit. Differt enim originarius ab oriundo, ut periti Grammatici notant: quos sequentes dicere possumus, Reges prædictos oriundos quidem à Longobardo genere, originarios autem Italos fuisse, quam differentiam etiam pueri norunt. Sed ad Historiam redeo.

Theodelinda igitur ædificatis pro civitatum & oppidorum commodo, instructisque, templis, idoneos, probatosque moribus & peritia, viros sacris faciendis adhibuit; Nobilibus etiam præfectis, qui curam haberent, ne quid divino cultui deesset; summumque ipsa studium semper in divinis posuit, rata, & regia instituta populos facilius imitaturos, & ex imitatione gratiores Deo futuros, atque ex ea gratia majorem amplitudinem ac tranquillitatem in Regno habituros: in qua quidem sententia Cyrus, olim Persarum Rex, apud Xenophontem libro octavo *Pædiæ*, fuit, constituisseque Magos ejus lingua sacra facientes in divinum honorem hoc ordine dicitur, ut simul atque dies illucesceret, divinæ confestim laudes concinerentur; perpetuatoque ordine diei initium pariter, & finis, mediumque divinos semper honores referrent; diemque transactum insequens etiam nox humanis canticis similiter exciperet: quod nulla alia ratione ille gentilitius Rex instituisse scribitur, nisi quod feliciores populos fore perspexerit, qui ad divinos honores propensiores essent: quod & priscos Hebræos observasse, & nostros etiam sacerdotes observare oportere constat. Nec Theodelindæ spem, fidemque Deo habitam, fefellit casus: stetit enim tamdiu gentis regnum atque libertas, quamvis molesti sæpe finitimis Longobardi essent, quamdiu religio ac sacrorum celebratio eisdem curæ fuit. Ubi vero post longa tempora flaccescere in illis divini cultus honorificentia cœpit: ubi denique in templis, sanctisque delubris, pro frequentia populorum, solitudo, & pro sacrorum cura, negligentia introducta fuit, simul etiam desolatio eos afflixit; quam Dominus JESUS CHRISTUS discipulis suis olim iis verbis prædixit: *Cum videritis abominationem stantem* (hoc est, durantem) *in loco sancto*, (id est, Deo dicato) &c. *Tunc qui legit, intelligat prope esse manum Dei.* Testimoniumque perhibet Paulus Diaconus, labare cœpisse Longobardorum regnum, eorumque libertatem subactam sua ætate fuisse, quo tempore neglecta religio à populis, creditaque improbis ac scelestis sacrorum cura fuit. Væ igitur illis populis, ubi hujusmodi negligentia jam diu constituta, usuque firmata sit, nisi aliquis bonorum grex, & aliquis bene precantium numerus deprecari divinam iracundiam ab illis studeat ac mereatur.

CAP. VI.

De Cremonæ instauratione atque incremento.

FLORENTIBUS igitur pace ac religione Longobardorum rebus, Theodelinda, Cremonensium casus miserata, quos mariti jussu atque imperio urbis exitio mulctatos noverat, conquiri eos, accersirique, curavit, iisque verbis allocuta fuit: *Si mihi Agilulpho Rege marito meo vivente licuisset, calamitatem vestram libenter sublevassem; sed cum mihi sexus ratio, & mariti voluntas, & imperium (quæ semper maximi feci) impedimento essent, distuli in hunc diem facere, quod à principio factura fuissem. Nunc ergo quod gentis nostræ arma vobis olim luctuoso casu abstulerunt, ego simulque gens nostra vobis restituere meliore fato aggrediemur: Ite igitur, curate vestra tecta, urbem emundate, colite vestra rura, lares repetite, & ego publicos sumptus ad civitatis vestræ refectionem suppeditare studebo.* Civibus itaque, qui urbis excidio superfuerant, in sua jura restitutis, confluere ad Cremonæ vastitatem curandam certatim populus cœpit, Longobardis simul vacuas sedes eorum, quos belli casus aboleverat, jure suo occupantibus: invitabat etiam vicinos populos ad civitatem incolendam opportunitas situs, qui Pado aptissime imminet, ac ferme insidet. Et quod denique flumen coactis in unum diversorum amnium aquis, civitatem à Meridie circumambit, & aquarum amplitudine ac profunditate pene immensa onustissimas, maximasque, naves ab Adriatico sinu recipit commode, commodiusque remittit: cujus importationis facilitate mercium externarum copia civitas affluit; à qua fortasse priscum nomen deduxit; Crema enim materna lingua Sabini *copiam* indicant.

Nec agri Cremonensis proprietas inferior urbis situ existimari potest: nam latitudine sua ab Ollio amne ad Padum, & à Pado ad prædia Appiæ Viæ (quam *Romanam* vocant) finitima porrigitur: cujus rei causa pagi & oppida illustrium Palavicinorum hodie etiam Cremonensis Diœcesis nuncupantur, ut Buxetum, Lilibellum, vulgo *Zibellum*, Vitalentium, & alia Cremonensibus posterorum ætate adempta. Longitudine etiam erat insignis ager, ab Addua amne usque ad Mantuæ territorium tendens in Transpadano tractu, ubi est terra ferax, felixque: nam sive æstu laborante solo, sive influente pluvia, tellus Cremonensis parvo negotio arari, serique, unius noctis serenitate solet, terrarum glebis levi tactu aratro, rastrove, cedentibus, & sese in lutum, vel pulverem, solventibus: hacque sibi innata qualitate lætus ager Cremonensis quanto frequentius subigitur, tanto uberior videtur, receptoque semine sulcos autumno segete operit, & appetente solstitio jam jam flavet aristis, comamque demittit, ac pollicetur copiam avaris, qui horreis includere frumenta inhiant, ut plusquam humana necessitas posset, urgente re, mutuum in duplum credant, unoque aut altero (quod meminerim) tantum anno Cremonenses exili percepta à suis prædiis annona, triticum aliunde expetiverunt, præcipue anno quinquagesimo nono supra millesimum & quingentesimum, quo Paulus Carapha Pontifex Quartus, à luce subtractus, inanem sedem dimisit; quo quidem anno valida vigente penuria Læumellina tritici copiam Cremonensibus, divina largiente manu,

 nu,

A nu, impartita fuit. Vinearum quoque ordine conspicua regio ipsa est, amplo intercedente spatio culturæ aptissimo, & vini copia dominum, colonumque, obruente: ita ut interdum recondi vasibus mustum nequeat, nisi veteris vini pars quoquomodo effundatur, & cum pruinis uri Insubriæ vineta æstatis initio interdum contingat, Cremonenses vineæ, tanquam sub tepidiore cœli parte positæ, & à Galliæ Alpibus magis remotæ, minus infestantur. Adde vero quod nulla, meo judicio, civitas Pado adjacet, quæ facilior instauratu quam Cremona sit, creta, sive argilla, circa civitatem sita, quæ tam ad lateritium comparandum, formandumque, quam ad murorum compaginem aptissima est.

B Quibus quidem instructa atque firmata bonis civitas, plures finitimos nobilitate conspicuos ad se incolendam, ornandamque, pellexit, magnoque postea rerum incremento ac virorum præstantia sub Longobardis enituit. Si quis autem hæsitaverit hoc loco, unde oriunda censeatur Cremonensium nobilitas, nostra ætate insignis atque conspicua, à Longobardisne, qui post veteris urbis excidium eam incoluerint instauratis ædibus, an vero ab antiquorum civium reliquiis, civitatis exitio superstitibus: ego hujus rei inquisitionem curiosis puto relinquendam: victos enim in victoris transire potestatem atque coloniam Jure Gentium constitutum est: qui vero ex victis originem posteritati præbuerint, & an major vel minor copia Longobardorum, C vel antiquorum Cremonensium, fuerit in populo propagando, aliis definiendum remitto: hac una sententia tantum probata; quod Cremona instaurata, habitata, & ad incrementa virorum & opum perducta à Longobardis fuit, Romani Imperii viribus in Italia hebetatis, & ad contemptum redactis. Si quis potiora novit, referat, & relata probet Scriptorum auctoritate deprompta.

CAP. VII.

De Theodelindæ successoribus, & Legibus Longobardorum.

DECENNIO in Regno transacto Theodelinda annosa obiit, Aldovaldo ignavo filio è regno D ejecto: cui Ariovaldus successit, qui duodecim annos in pace regnavit: suscepit deinde regnum Rotharus, à suis Rotharis dictus, à quo primum leges gentis suæ, quæ memoria tantum tenebantur, in scriptis redactæ sunt, anno, ut ipse notavit, LXXVII. ex quo in Italiam venerant; compositio autem ipsarum legum partim Latinis verbis, partim maternis, ut *camera*, & *casa*, & partim Longobardicis, partim etiam mixtis facta, vel potius consarcinata fuit: exstatque liber nuper editus legum Longobardorum; in quo illud passim servatum animadverto, *Langobardos* nusquam sese in Italia, sed *Longobardos* conscripsisse: licet ab initio, teste Cornelio Tacito, *Langobardi* appellati fuissent: quos E ego similiter secutus Longobardos in Italia positos vocavi. Gentis autem ipsius feritas in causa fuit, ut posthabitis omnium nationum legibus, propria sibi Jura ipsi per consuetudinem sanciverint, atque à consuetudine ad Regum, Ducum, & Judicum memoriam transtulerint: inter quas quidem leges, consuetudine ac memoria celebratas, Monomachiæ usus continebatur, de qua capitulatim verba facere æquum est.

CAP. VIII.

De Monomachia, vel Duello.

CUR Monomachiæ usus introductus inter Longo- F bardos per consuetudinem fuerit, triplex mihi videtur causa. Primum, ex legum suarum defectu, quibus omnes ambigui & contentiosi casus non colligebantur, & cum neque ad Romanas, neque etiam à principio ad divinas leges se referre vellent, in pendenti controversia consistebat: ad quam tollendam, illud, quod hodie etiam vulgo dicitur, eveniebat, *Si non sufficiunt jura, veniamus ad arma.* Secunda causa fuit militaris conversatio atque licentia: impossibile quasi erat, armatam gentem, quæ quinquaginta circiter annos evagata ab originali solo in Rutilandiam, Pannoniamque, fuerat, ferroque in Italiam postea viam fecerat, adeo compescere, ut interdum alter in alterum re, vel causa aliqua, non excandesceret, iraque concepta insurgeret, ac manum conserere vellet: quo casu turpe ac perniciosum alteri videbatur, aut insultum perpeti, aut gradum referre; decorumque potius ex adverso, ac militare censebatur, insurgentem armis repellere, & quod natura cuncta animantia docet, insultantem retundere ac summovere. Ad frænandam itaque aliquo modo digladiandi promptitudinem ac licentiam, & ex parte etiam ad evomendum, exhalandumque, utriusque affectum hostiliter conceptum, quem evellere à militari animo durum est, nisi manus conserant, decertatio certa consuetudine ac norma admissa fuit. Tertia causa à secunda aperte provenit: irritati enim ad controversiam, odiumque, viri, agnatorum & amicorum catervas ciebant in sui favorem, & adversarii consternationem: ex qua re contentiones virorum numero in mutuam perniciem augebantur, & pro duobus hominibus decem & plures agitabantur. Quapropter ad comprimendum & extenuandum plurium periculum, permissa Monomachia fuit, cunctis existimantibus, minus periculi fore in duorum quam in plurium decertatione ac discrimine. Constituta igitur in certis casibus per consuetudinem Monomachia, Rotharus Rex, vel Rotharius, gentis suæ consuetudines scriptis colligens, hanc etiam Monomachiæ pestem legibus inserere necesse habuit, quod etiam invitum se fecisse inquit. Monomachiæ itaque introductione enarrata, videndum est quibus in casibus admissa ex lege fuerit.

CAP. IX.

De Monomachiæ casibus.

TRIBUS in casibus permissa à lege olim decertatio singulorum fuit, aut pro salute & fama; aut pro re; aut pro fama tantum sua, vel alterius obtinenda, vel evincenda. Pro salute & fama: veluti si quis reus factus fuisset, quod contra Regem molitus esset, solo accusatore hoc attestante, ad sese liberandum reus singulari pugna decertare adversus delatorem ex lege poterat; in titulo *de scandalo commisso*. Insignior est is, qui sequitur, casus à Paulo Diacono relatus *libro* IV. *capite* XVI. Gondiberga Regina uxor Rodoaldi Regis, qui Rothari filius fuit, & Theodelindæ filia, adulterii rea facta, quod cum Charello familiari Regis se commiscuisset, carceri mancipata fuit: quod ægre ferens, Beato Joanni Baptistæ innocentiam suam supplex commendavit; Charellus autem in vinculis positus Regem exoravit, ut quod lege permissum aliis erat, sibi quoque Regia clementia permitteretur, videlicet singulari pugna salutem suam, famamque, & Reginæ decus ac dignitatem tueri: exstat enim lex titulo *de crimine adulterii*. Annuit Rex Charelli supplicationi, pugnaque Papiæ, Rege ac populo spectante, admittitur, in qua accusator occiditur, Charello securitatem recipiente. Regina vero voti compos, Regique conciliata, ob rei monimentum templum ædificavit, instruxitque opibus, quod *Sancti Joannis Donnarum* in sexus sui honorem nuncupavit, ubi corpusculum ejusdem Reginæ loculo conditum cernitur. Quod quidem templum Platina Terracinæ fuisse ædificatum in *Joannis quarti Vita* scripsit, quem sequitur Sabellicus, & ut in proverbio est, *Cæcus cæcum*

cæcum ducens, uterque simul errat: quid enim cum Terracina commune habuit Regina ipsa in Transpadanis vivens à Terracina remotissima, & quæ demum Terracina Romanis tunc conjuncta Principibus erat. Sed redeo ad historiam.

Lex erat, ut si quis puellam fornicatam, aut mulierem in adulterio deprehensam proposuisset, pugnandi pro ea, aut criminis complex, aut pater, aut frater mulieris contra accusatorem posset; in titulo *de injuriis mulierum*. Simili etiam modo si mulier de mariti interitu accusata fuisset, patri, vel fratri, permissum erat, per singulare certamen filiam, vel sororem, à judicii pœna liberare accusatore prostrato; in titulo *de muliere maritum occidente*. Quod si pugnans pro muliere succubuisset, ipsa criminis rea remanebat, perinde ac si judicio damnata fuisset. Pro rebus quoque vel bonis permissa decertatio erat, veluti pro Principatu: exemplumque impietatis fraternæ ponit Paulus Diaconus *libro* IV. *capite* V. ubi duo Faroaldi Ducis filii certamine inter se decreto, quis dignior principatu esset, Theodelapius fratrem superavit. Nostra quoque ætate inter fratres ex leviori causa quam Principatus inferri lethalia vulnera audivimus. Item si de ambigua duorum possessione incertitudo in judicio resultasset, posterior possessor possessionem suam tueri singulari certamine proposito ex lege poterat; in titulo *de emptionibus & præscriptionibus*. Filius etiam post mortem patris si pro paterno debito conventus in judicio fuisset, ambiguitate super debiti veritate exorta, solutione fortasse sine ullo teste à patre facta, pugnæ discrimen probationis loco offerre creditori, vel actori, ex lege poterat; in titulo *de debitis patris mortui*. Pro fama tantum hoc casu & ordine pugnam permitti legimus: Si quis alterum *Arga* appellasset, id est, *ignavum*, aut mentiri in judicio per juramentum cogebatur, his verbis: *Juro me per furorem ita dixisse, & talem eum non cognovisse*; solutis statim pœnæ nomine solidis duodecim. Quod si revocare, quod dixerat, nolebat, turpe fortasse ducens sibi ipsi contradicere, singulari decertationi sese committere ex lege cogebatur. Possem alios annumerare casus à prædictis parum dissimiles, ut de astu ad pugnam compellato, in quibus pugna probationis loco actori permissa erat, sed satis puto retulisse prædictos.

Cæterum si quis ad pugnandum idoneus non fuisset, quærere pugilem jubebatur, quem *Campionem* à campo appellare consueverant, qui se pro altero in discrimen committebat. Quibus quidem à me relatis constat, quod ad duellum committendum quatuor principalia requirebantur, Causa contentione digna, Judicialis necessitas & auctoritas, probationis, vel reprobationis, impossibilitas, ultimo consuetudinis, vel Legis, permissio, extra quas leges nemini licebat imperioso actu, atque citra judicii auctoritatem (ut nunc fit) alterum ad certamen provocare: quod doctissime improbat Antonius Massa Galesius, plura congerens scitu præclara; quæ si sequi vellent ii, qui certamina ad alterutrius viri internecionem, perditionemque, proponunt, laudabile opus facerent: sed cum invitis legibus, Regibusque, plures sua opinione inflati, ruant in fata, impediri istorum fata peritorum argumentis nequeunt. Itaque cum Duelli causas, quæ frequentiores erant, exposuerim, ordinem etiam pugnæ referre consequens est.

CAP. X.

De ordine pugnæ.

CERTAMINE à Judice decreto, Rex statuere tempus & locum pugnandi utrique consueverat; qui locus *Campus* vocabatur, undique tabulis circumseptus, quibus aditus tantum, & non prospectus adstantium impediebatur, Campoque custodiendo milites præficiebantur. Arma pugnaturi paria afferebant, videlicet gladium & scutum in ea forma, qua uti in bello mos erat, & si quæ alia ferre utrique tela collibuisset, ferebantur. Prodeuntibus ad pugnæ locum socii aderant, qui certandi periti monita suo quisque pugili repetebant, quo actu se tueri, quo ictu inimicum lædere, se salvo posset; qui socius *Parentis* nomen ab officio obtinebat, hodieque etiam *Patrinus* dicitur; aderat etiam alter socius, vel comes, arma ferens, qui *Collibertus* appellabatur. Pervenientibus ad locum certaminis, si suspicio contigisset alterutrum maleficis artibus instructum esse, inquisitio ad judicem Campi spectabat; in titulo *de Campionibus*, cujus verba refero: *Nullus Campio adversus alterum pugnaturus audeat super se habere herbas, nec res ad maleficia pertinentes, nisi tantum arma sua, quæ conveniunt; & si suspicio fuerit, quod eas occulte habeat, inquiratur per judicem, & si inventæ fuerint, projiciantur. Post quam inquisitionem extendat manum suam ipse in manu parentis, aut Colliberti sui, ante judicem, dicens, se nullam rem talem super se habere, deinde ad certamen prodeat.* Cujus quidem certaminis finis frequenter erat vulnus alterius, sine mortis casu, arbitrio Judicis, ut Lythprandi posteriores leges indicant in titulo *de Monomachiis*.

Hæc à me relata sunt, ut pateat quam immaniter nostra ætate decertandi cupidi in sese sæviant, cum alter ad interitum alterius tendat, illaque etiam inventa novitate, videlicet, quod pugil veritate fortasse agnita, qui manum dedat, alterius pugilis captivus fiat: quod neque Longobardi in usu habuere, neque ulla ratione statui inter privatos posse video: manum enim dedere, est victorem alterum esse, & se ipsum victum declarare: quæ declaratio proprie pertinet ad confirmandam intentionem, vel sententiam, vincentis in confusionem ipsius victi, non autem ad mutandum ejusdem statum, ut per illam declarationem ex libero servus fiat; cum super libertate non sit commissa pugna, nec quæstio proposita. Sed transeamus ad potiora.

CAP. XI.

De Monomachiæ desuetudine.

CUM Rotharius gentis suæ consuetudinem scriptis legibus collegisset, Monomachia similiter comprehensa, ad ipsam Monomachiam abolendam, vel saltem restringendam, animum adjecit, titulo legibus inserto, *Quibus de causis pugna vitatur*. In quo titulo expositis casibus, in quibus pugnæ propositio fieri ab Actore, vel Reo, potuisset, dirimi per juramentum controversias jubet, censens apertissime injuste Monomachiam in privatis judiciis admitti, usus his verbis: *Injustum videtur, ut qualibet causa sub uno scuto committatur*, &c. Apertius autem Monomachiam improbavit Lythprandus Rex, qui secundus à Rothario post Grimoaldum leges edidit, titulo nonagesimo primo *de Monomachiis*: *Incerti sumus de judicio Dei, & multos audivimus per pugnam sine justa causa perdere causam suam: attamen propter consuetudinem gentis nostræ impiam legem vitare non possumus.* Si itaque Reges ipsi hujusmodi digladiandi actum tam clare improbarunt, cum eorum leges in usu essent, nemo sanæ mentis hoc tempore, in quo antiquatæ illæ leges sunt, probare actum, ab ejus Auctoribus improbatum, & à nobis detestandum, nova ratione poterit, ut quidem est aggressus facere: & quamvis multi ferino ritu in pugnam ruant, minime tamen illi suis nefariis ausibus legem statuere adversus Divina & humana jura possunt, sed seipsos tantum suis legibus, quas *Duellares* vocant, inficiunt ac perdunt.

CAP. XII.
De Rotharii Regno.

ERANT tunc sub Longobardis plures Provinciæ, & in primis Transpadana planicies, Ligures quoque maritimi, qui à monte Salvio usque ad Lunæ portum subacti à Rege Rothario memorantur, Viæ Æmiliæ oppida, pars Flaminiæ, & Etruriæ, item plerique Umbri, Piceni, & Samnites sub Beneventi Ducatu comprehensi, ac etiam Campani, & Sipontini. Legibus itaque à Rege promulgatis, omnes illi populi iisdem legibus vivere jussi sunt, eis tantum exceptis, quibus Romano jure uti antea indultum fuerat, ut Papiensibus. Illa igitur promulgatio magnam cladem attulit Juris scientiæ, quæ quasi contemptui habita fuit, plerisque ex necessitate illa Jura sectantibus, quæ tum in promptu magis, & in usu erant, ægreque studium Romanis legibus impendentibus, Romano Imperio jamdiu à Majestate Italica declinante, sine qua legum observatio esse nequit. Altera etiam deterior labes populos infecit: nam Rege ipso Arianæ sectæ adhærente, dissensio in unaquaque civitate & Ecclesia exorta est, Catholicis suis institutis, Arianis vero suis ritibus, à nobis alienis, viventibus: qua dissensione infestati, jactatique, Ticinenses, Anastasio eorum Episcopo Ariano effecto, conventu habito resipuere, & converso Episcopo sanctæ Romanæ Ecclesiæ acquievere. Mortuo tandem Rothario anno sui regni sexto decimo, Ariana hæresis Regis fomento destituta evanuit: à quo tamen Rege constructum fuisse constat Templum Divi Joannis Baptistæ in Ticini suburbio, quod postea in civitatis amplificatione unitum ei fuit, ubi Rex ipse conditus dicitur, ita ut penitus Arianus fide censeri ex vitæ ratione non potuerit, miraculo etiam quodam in ejus commendationem à pluribus relato, quod omitto.

Monere Lectorem cogor, Platinam, in *Joannis quarti Vita*, Rotharii regnum & obitum conscripsisse; deinde ejusdem Regis bella in Romanos, Ravennates, & Theodorum Exarchum gesta retulisse sub Martini Pontificatum; qui Martinus sexto anno à Joanne prædicto sedit. Quonam, quæso, ordine geri bellum sub posteriore Pontifice potuit à Rege præmortuo? corrigenda ergo lectio est, ne in errorem lapsum Platinam temere existimemus. Mortuo Rothario successit Rodoaldus ejus filius, & Gondibergæ, de qua scripsi, maritus: qui inter suos male & impudice versatus, occisus fuit quinto regni sui anno, Gondiberga uxore in vitæ sanctitate mirabiliter degente: de qua plura exstant scripta, quæ tanquam trita & popularia prætermitto. Rodoaldi, sive Rodovaldi, regnum subsequitur Aripertus, qui religione clarior quam armis fuit, ut sequens caput declarabit, tributumque divinitus videtur, ut hujus nominis familia, Mediolano oriunda, clara adhuc habeatur, *Ariperta* dicta, sive illa à Rege, sive à regio nomine, cognomen sumpserit.

CAP. XIII.
De Ariperti Regis Religione.

ARIPERTUS insignis vir Regnum suum probitate rexit, sive Theodelindæ nepos, ex Condivaldo fratre, qui uxorem Longobardam acceperat, sive alius fuerit. Pacis autem & justitiæ cultor factus ædificavit Divi Salvatoris templum, procul à Papia quingentos ferme passus extra portam Maricam, quam Paulus Diaconus Longobardicam vocem scribendo reddens, populari nomine *Marencam* scriptitat, *libro* IV. *cap.* XVII. clivus enim conspicuus isthic eminet, & extra civitatem angulum faciens, duplicem prospectum exhibet: unum à Meridie, qua Ticinus amnis allabitur, alterum ab Occidente, ubi amœna vallis patet, pratis operta, quam intersecat amnis, cui Navilium, sive Navigium, nomen est: constructum in isto est sublime & decorum templum, vineta ac viridaria regio ornatu consita, ab Oriente versus civitatem habens; inter quod templum & vallem ipsam exstant ædes eleganter compositæ, & opportunis porticibus circumseptæ, in quibus degunt religiosi viri Ordinis beati Benedicti.

Moram me hoc loco facere in scribendo necesse est, & ad Lectorem orationem vertere; sive quis templum isthic, templique cultores & ornamenta, sive mores, institutionesque, conspicatus fuerit, mirabitur loci, hominumque, dignitatem; mirabitur cœnacula, cellulas, & alia suo quæque ordine distincta; mirabitur lautitiam rerum sacrarum, quæ sese spectanti lætissime exhibent, ac divinum honorem conspectæ augent, spectantemque in spectaculo detinent, prohibentque discessum. Si quis etiam ingenio politior, aut sermocinationes inire, aut lectionibus lactare animum concupiverit, aderunt isthic graves & periti viri, qui minime te inanem, otiosumque, relinquent; inter quos viros Honoratus Exerniensis olim primam sedem, primumque nomen eruditionis, habuit; deinde Romam petens insulanæ Ecclesiæ Antistes factus fuit. Adest etiam luculenta Bibliotheca, præclaris & antiquis referta codicibus, quibus & legendo oblectare mentem, & meditando sapientiam haurire, & curas interdum excludere, pectusque exhilarare, poteris. Quid referam errantium egenorum, peregrinorumque, solamen; qui statutis diebus catervatim isthuc se conferunt languidi, claudi, cœci, seminudi, tremulique, ac moribundi, postibusque contactis funiculo æra concitant, sonituique flebilem ejulatum addunt, & panem implorant. Mox intra exterioris curiæ clathros, septave, recepti, pane, & vino, edulioque saturi fiunt, & lurida fugata oris macie Deo benedicentes exinde abeunt.

Hæc tam præclara opera, ab Ariperto Rege instituta anno à partu Virginis sexcentesimo & sexagesimo, in præsenti etiam perstant, Rege similiter ipso isthic ossa sua habente, ut cui honorem vivus impenderat, mortuus etiam fidem per ossa ipsa repræsentaret; mortuusque fertur post nonum regni sui annum: de quo Rege scribens Sabellicus *libro* VI. octavæ *Enneadis*, in manifestum errorem lapsus est his verbis: *Fuit Aripertus Romanæ Ecclesiæ observantissimus, cui etiam Coccias Alpes & Ligusticæ oræ tractum attribuit; justitiæque adeo studiosus fuit, ut ignoto interdum habitu per Regni sui oppida vagaretur, sciscitando, explorandoque, ecquid de sese, suisque judicibus, populi sentirent.* Hæc enim non de isto primo, sed de altero Ariperto, Aribertove, scribenda fuerunt, de quo Paulus Diaconus *libro* VI. *capp.* X. & XII.

Sed quanto laudabilior Ariperti religio in Deum fuit, quantoque præclarior liberalitas, tanto criminosior atque iniquior Cremonensis invectiva in Longobardorum memoriam agnoscitur, qui tribus criminibus omnes eorum Reges, Principes, Ducesque notat. Primo, quod Romano Pontifici semper infesti fuerunt; Secundo, quod Arianæ hæresi adhæserunt; Tertio, quod Romano Imperio contemptui habito Italicas urbes olim Imperio conjunctas occuparunt. Ad quæ tria uno verbo tollenda, quæro; Quis es tu, qui Ecclesiæ & Imperii nomine, in quibus jus non habes, controversiam in defunctos excitas? quam si fortasse ut delator proponis, nihil stultius dici aut excogitari potuit; quia de statu defunctorum quinquennio exacto quæri non licet: quæ Juris sententia hanc vim habet, ut qui Rex, vel Princeps, in suo Principatu decesserit, Regis, vel Principis, dignitate functus censeatur, retractarique ejus status nequeat;

queat; quod si exacto quinquennio retractari alterius dignitas non debet, multo quidem minus post octingentos annos Regum Longobardorum titulos, diademata, sceptraque in controversiam revocare iste Orator suo arbitratu potest: eoque actu se juris humani expertem, imprudentemque, probat: sed longe imprudentius est, eum, qui de Imperio atque de Pontificatu illorum temporum verba facit, ea, quæ illius temporis fuerunt, ignorare. Nonne ea ætate Martinus Romanus Pontifex injectis vinculis detentus Romæ fuit, atque in Græciam latronis more abstractus jussu Constantii hæretici Imperatoris, quem *Constantem* Egnatius nominat? ubi ipse infelix Pontifex vitam miserrime finivit, ut omnes Scriptores attestantur. Tune igitur hæretici Imperatoris, ac Pontificis parricidæ, Romanæque Ecclesiæ, & Urbis spoliatoris hoc tempore causam tueri, illique honorem Italici Regni, quod in Longobardis erat, decernere atque adscribere conaris? Sed minime quidem mirum: probare enim Imperium in hæretico, & Pastoris parricida, Romæque sicario, quid est aliud quam à Jure naturæ atque ab Ecclesia Romana recedere, & hæretico facinori ac parricidio assentiri, teque ipsum consensus, applaususque, tui reum prodere? Quod vero Italicas civitates sub dominio suo ducentis & amplius annis, invitis Orientalibus Imperatoribus, Longobardi possederint, Longobardorum id decus & virtus Deo favente fuit, Orientalium vero dedecus & improbitas, qui Imperii Romani majestate indigniores successive facti, tandem Turcarum feritate ejecti à sede sunt, Deo ipso istorum barbariem æquius ferente, quam illorum flagitia. Vides-ne igitur, ut tua oratio ad deteriora fluat, quoniam dum Imperatores Orientales Italicis Longobardis anteferre studes, Pontificum Romanorum carnifices, & Italiæ ac Siciliæ expilatores à seculo infames, in memoriam revocas, nobisque repræsentas; in quibus quidem scelestissimis Orientalibus Imperatoribus seriatim recensendis doctissimus Egnatius in hæc verba prorupit: *Nunquam major impietas Principum, majorve socordia*, &c. Idem alibi, *Obscuritatem generis cum aliis sceleribus, tum vero impietate in Deum*, &c. Potuitne quid deterius de Imperatore scribi? Adde aliud: *Impio patri scelestissima proles successit*, &c. Item alibi: *Non Imperii solum, sed paterni sceleris hæres successit Leo*, &c. Alibi quoque: *Piget plane, ac pariter me pudet, tot portentis verius quam Principibus referendis immorari*, &c. Hi sunt illi impuri & flagitiosi homines, quos Italiæ maluisset dominari Cremonensis Scriptor, quam Pontificum, aut Longobardorum, ordines, in quos quidem scelestissimos Principes omnino Italia incidisset, nisi Longobarda virtus illos nefarios, jam Romam exuentes, ejecisset, ut tibi subsequens historia Grimoaldi Regis enarrabit, quam *Salvatoris* capiti subjiciam.

CAP. XIV.

De Salvatoris nomine.

CONTENDUNT plerique linguæ Latinæ Scriptores *Servatorem* dici potius quam *Salvatorem* oportere; à quorum sententia summa ratione abhorreo, *Salvatoremque* scribi Latine, id est, salutis auctorem, puto, ipsius nominis vi altius excussa; differt enim Servator à Salvatore; servator videtur esse cujusvis rei diligens custos, vel repositor; quod nomen minime convenire amplitudini summi Dei potest; quoniam hoc nomen servator repræsentans suapte significatione hæc, quæ inferiora sunt, nulla proportione referre nobis superna & divina potest, propter diversitatem rerum, quod explicare libet: servamus quidem ea, quæ jam suum esse habent, veluti mulier anulum, vel speculum, miles captivum, à quo actu servum nuncupatum Jurisconsulti putant; qui quidem servationis actus non est formator essentiæ illius speculi, vel servi: jam enim erat utrumque corpus in sua forma constitutum, in qua servatum est. At longe dissimilior est actus nostri Salvatoris in salute nobis tribuenda, quoniam omnium hominum animæ ante agnitionem Dei æternæ salutis expertes sunt, salutisque aditum & principium per Baptismi gratiam & fidem assequuntur. Salutis ergo formam animæ, & non servationem, à Deo accipiunt, quoniam ante agnitionem ejus nullam, ut dixi, salutis formam, aut essentiam, habuerant, sicut servus & anulus habebant. Itaque qui Deum Servatorem dixerit (veritate inspecta) inferiorem à Salvatore, id est, salutis auctore eundem fecerit.

Absurdum præterea est, ut mediator Dei & hominum JESUS CHRISTUS communi ac populari Servatoris nomine nuncupetur, qui suapte natura omnem significationem humanæ conditionis excessit, & ad vocabuli novitatem formandam ex dignitatis suæ majestate per necessitatem nos traxit. Prudenter igitur Cicero in humanis agens ante Virginis conceptum, componere Salvatoris nomen erubuit, nondum scilicet tanto enato homine, cui nomen ipsum suo jure adscribi posset: CHRISTO vero post Ciceronem ex Virgine orto, natura & usus, fractis merito Grammaticorum compedibus, Salvatorem dixit, quemadmodum antea audax Græcia, teste Cicerone, *sotera* scripsit: in qua quidem sententia non solum Augustinus, sed etiam Hieronymus, Ambrosius, & Leo exactus Scriptor, aliique fuere; Sabellicus quoque Ariperti historiam referens Salvatorem scribere, quam Servatorem doctius putavit, fidei proprietatem sequi, quam Grammaticorum opinionem malens. Quorum ego virorum auctoritatem recipiens, Salvatorem similiter à nostræ salutis formatione ac constitutione scribere æquum & Latinum censui, sive quasi salutis auctorem, sive quod nos salvos faciat. His meis scriptis addidit Beltramus Culeus, Vir Græce, Latineque, peritus, suavius sonare, magisque aures implere, Salvator, quam Servator: dulciusque etiam & longe jucundius in animo sentiri, cum Servator nescio quid asperius & inclementius præ se ferat, quod verum est, imo illud *serv.* reboat duritiem verbi, *sal.* autem jucunditatem. Nemoque etiam in amicorum salvatione dicturus est loquendo, vel scribendo, servationem pro salute, ut Cicero Curioni servationem dicit, quod esset ridiculum, sed in salutatione salutis nomine utimur tanquam aptiore, ac majorem significationem habente. Unde elici argumentum decet ampliora, dignioraque, nomina ad Deum potius esse transferenda, quam indigniora, angustioraque: ut ipsius nominis proprietas aptitudinem & proportionem habeat ad nominati essentiam atque naturam, popularia vocabula suapte magnitudine respuentem. Acquiescant igitur periti viri Sacrarum Literarum studiosis, discantque novis uti vocabulis, exempla majorum sequentes in his, quæ minime prisca ætas novit.

CAP. XV.

De Grimoaldi Regno.

ARIPERTO patri successerunt Condibertus & Partharitus, discordes in Regno administrando fratres; quibus sese obtulit ad odium fovendum Garibaldus Taurinorum Dux, ad proditionis artes à natura imbutus, excitatoque à Benevento Grimoaldo Duce, belli perito, cum suis & amicorum copiis in Parthariti exitium, eundem Grimoaldum, Ticinum ingressum, in Condiberti necem per utriusque fallaciam suis artibus impulit: quo Condiberto Ticini occiso, regnoque à Grimoaldo

moaldo occupato, Partharitus Mediolano diffisus in exsilium abiit. Garibaldus vero Taurini occubuit, alieni servi ferro in domini ultionem percussus: quæ quidem à me breviuscule relata, seriose narrat Paulus Diaconus *libro* v. primo, secundo, & aliis *capitibus*, Sabellico ei subscribente *libro* v. octavæ *Enneadis*: ab isto famoso Garibaldi nomine fluxisse vocabulum puto, obliquo ferro impositum, ex cujus versione reserari adulterino actu clausuræ solent, quod ferrum vulgo *Gariboldellum* dicitur, Aribaldusque etiam populariter nuncupatur aliquis scelestus; sive hæc nomina ab illius sceleribus, sive aliter usus nostratium formaverit.

Rex itaque constitutus Grimoaldus bello aptior quam religioni, pacique fuit: nam Gallos in primis à Claudio secundo Francorum Rege in Italiam missos ad Rivulum oppidum inter Taurinum & Alpes fregit, delevitque; quo quidem in loco quasi tumulis circumsepta elegans patet planities. Alterum longe præclarius bellum confecit adversus Constantium, vel Constantem, Imperatorem, qui Italiam direptionibus ac latrociniis vexans, Beneventum obsidere aggressus erat. Ubi Romoaldus, Grimoaldi filius, Dux cum præsidio aderat, qui patre adventante solventes obsidionem Græcos valido exercitu insequutus contrivit, Roma & Italia ab eorum deprædationibus liberata, quas enarrare non est operæ pretium, Blondo *libro* IX. primæ *Decadis*, & Sabellico *libro* VI. octavæ *Enneadis*, eas recensentibus, & Imperatorem ipsum nefarium ac sordidissimum appellantibus. Platina quoque in *Vitaliani Pontificis Vita*, inter istius Constantii detestanda facinora, illud dictu horrendum refert, filios ex materno gremio abstractos pignoris nomine fuisse ad exsolvendum tributum, Italicis civitatibus, quæ sub Imperio erant, impositum. Surge, tu, hoc loco, surge, Cremonensis Scriptor, & dissere, quis tibi Italiæ aptior, quis dominio dignior visus sit, Orientalisne iste Imperator hæreticus, parricida, sacrilegusque, an Longobardus, quem tu Regulum vocas! At si Transpadanus Regulus Orientalem Imperatorem in fugam vertere, & ab Italia pellere à Scriptoribus probatus est, probatior ergo ille noster Regulus tuo Imperatore fuit, præstantiorque, qui fugat alterum, quam qui fugatur, omnino est. Reliqua Grimoaldi gesta in Forojulienses, Romandiolosque, collige à Paulo, Sabellico, Blondo, cæterisque. Mortuus est nono Regni sui anno, sepultusque Papiæ in templo Divi Ambrosii ab eo antea ædificato.

CAP. XVI.

De Parthariti Regis restitutione.

MAJOR ne in isto Rege virtus, an rerum eventus, fuerit, dubitari potest; profugus enim semel & iterum à patria, primo Germaniam petiit, deinde in fidem à Grimoaldo receptus, cognita ejus perfidia, ne deciperetur, fugit in Galliam, mox in Britanniam, sive Angliam, pergens, ignota voce ad patriam, Regnumque, revocatur: quod Regnum post Grimoaldi obitum, non armis, sed populorum benevolentia, consensuque, recepit: memorque periculi, quod evitaverat, cum Grimoaldi infestas manus elusit, monasterium Divæ Agathæ in civitatis clivo, ubi Ticini mœnia antiquissima exstant, ædificavit, quod scilicet ab eo loco per funem demissus, in die festo illius beatæ virginis, subeunte nocte discrimen evasisset, ut in posterum Deo æterno beneficii monumentum constitueret: vixitque in Regno decem & octo annos sanctior quam regalior, pace semper cum finitimis servata, populisque subjectis benignitate præstita, quod late explicant Paulus Diaconus *libro* v. Blondus *libro* IX. Sabellicus VI. (ut jam dixi) octavæ *Enneadis*, & Platina in *Donni Pontificis Vita*, Partharim eundem Regem appellans; quos quidem Auctores referre libet, ut pateat, me veritatem potius quam assentationem sequi: & eos, qui diversa scriptitarunt, impudenter mentitos esse, nulla eisdem opitulante historia.

Concors etiam mariti votis Rodelinda Regina fuit, honorabili templo ædificato, quod Beatissimæ Virgini MARIÆ dicavit; quod quidem templum ea ætate extra Ticini mœnia adjectum lapidis situm erat, hodie vero in civitatis ambitu Septentrionem versus continetur, Perticæ nuncupatione retenta; ubi pia posteritas collectis circumquaque defunctorum ossibus, quibus perticæ affixæ aderant, inscriptos titulos ipsorum defunctorum habentes, struem congessit, amplo loco ad contegenda ossa superædificato. Decedens ab humanis Partharis, vel Partharitus, Gunipertum filium in regno reliquit, cujus vitam enarrat Paulus Diaconus *libro* v. *cap*. XIV. & sequentibus, regnavitque annis duodecim, habitans in Palatio olim Theodorici Regis, juxta templum Divi Romani, ubi hodie exstat monasterium, de quo alibi verba feci: à quo Palatio Palacensem portam potius dictam illam puto, quæ Orientem spectat, quam eam, quæ olim in Septentrionem vergebat, ubi eminet Turris Boetii.

CAP. XVII.

De Damiano Ticinensi Episcopo.

INTERCIDENDA mihi Regum continuatio est, ut Damiano Ticinensi Episcopo, cui aliquando cessere Reges, locum statuam. Floruit isto seculo vir ille pari religione atque eruditione insignis, sub Parthariti Regnum Episcopus constitutus, cui Partharito, filioque Guniperto, superstes fuit, duoque secula attigit, annum videlicet sexcentesimum & nonagesimum, & subsecutum seculum anni septingentesimi; in quibus quidem supputandis nonnulli Scriptores decepti sunt, Blondo & Platina ab eis dissentientibus, in *Agathonis Pontificis Vita*, quos sequitur Sabellicus, singula quæque in suum volumen conferens. Invaluerat autem Damiani ætate inter Orientales Monothelitarum hæresis; ad quam sedandam sæpe accincti R. Pontifices, nequicquam operati fuerant, sive ipsis Imperatoribus eadem labe contactis, sive Constantinopolitano Antistite, vel Patriarcha, nimium præpollente, sive gente illa suo ingenio ad ea prona, quæ Romanæ Ecclesiæ, sive Occidentali, directo adversantur, & quæ demum Occidentalis Ecclesia, divino semper numine erecta, fidei veritatem usque in præsens tempus secuta est.

In illa igitur Orientalium fluctuatione Agatho Romanus Pontifex religiosus Concilium indixit; quod Constantinopoli celebratum fuit, Constantino Constantii, sive Constantis, filio imperante, ac ipsi Concilio assistente: ad quod quidem Concilium cum omnes Occidentales Antistites pergere non possent, aliis ætate, aliis morbo, itinerisque difficultate, deterritis. Mansuetus Mediolanensis Archiepiscopus, pluribus convenientibus finitimarum civitatum Episcopis, scribere ad Concilium excusationis causas, simulque etiam quid ipsi Insubres sentirent de articulo proponendo, æquum censuit, uno tantum Episcopo Constantinopolim epistolam perferente. Curam itaque componendæ epistolæ Archiepiscopi & ipsius conventus nomine Damianus Ticinensis vir peritissimus suscepit, præstititque. Qua quidem lecta epistola Concilium ejus sententiæ acquiescens damnavit Monothelitarum sectam: adeo ille argute docuit, quod in Domino JESU CHRISTO, sicut duæ exstant naturæ, Divina à Deo Patre ab æterno genita,

genita, & Humana à Beata Virgine in seculo sumpta, similiter etiam duæ exstant Voluntates. Verba Epistolæ ad articulum facientia retulit Paulus Diaconus *libro* VI. *cap.* II. latius Platina in *Vita Agathonis* scribens: *Plurimum valuere literæ Damiani Ticinensis*, &c. quem sequitur Sabellicus more suo paucis mutatis *lib.* VI. octavæ *Enneadis*: exemplum, quo manifeste patet in Domino id ita fuisse eodem tempore, demonstro Sanctorum Doctorum scripta secutus: in Domino enim JESU CHRISTO duæ voluntates uno tempore extitere, cum dixit, *Pater transfer à me calicem*, &c. Hæc enim verba humanæ voluntatis mortem perhorrescentis fuere; subsequuntur verba Divinæ voluntatis ipsi humanitati imperantis hoc modo: *Attamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Divina enim natura divinam voluntatem extollens, humanam voluntatem suppressit: subdiditque divinæ voluntati; dedens sese passioni, quam humanitas ejus perhorrescebat, quod uno factum est momento. Commodius tamen mea sententia Christiani sibi, aliisque, prospicerent, si iis omissis perscrutationibus in Dei honorem & mandata servanda sese verterent, scire Dei essentiam, naturam, & operationem volunt, facere autem illius voluntatem, quam noverunt, minime eo modo volunt. Insuper disceptare super Ecclesiæ institutis non desistunt, operari vero quod rectum sit, subsistunt. Sed ad Damianum redeo, qui vixit in Episcopatu annos triginta, multaque doctissime conscripsit, quæ ab Historicis, vel ignorata, vel prætermissa, fuerunt. Dabit ergo mihi veniam Longobarda nobilitas, si ejus intermissis Regibus, sceptrisque, aliquid hoc loco de Damiano scribam.

CAP. XVIII.

De Morte, & Resurrectione Domini JESU CHRISTI, *Damiani Sententia.*

ARGUENTI cuidam fortasse Hebræo, non fuisse ex Dei dignitate mortem subire Dominum JESUM CHRISTUM, Damianus audaciam hominis admiratus in hujusmodi sententiam respondisse dicitur: *Potior ad fidem in suis Discipulis probandam atque firmandam Domini mors & resurrectio quam vita fuit. Item potior ad contestandam Judaicam impietatem, irreligionemque, Domini permissio, Crucisque patientia, fuit, quam tanti probri evitatio esse potuisset, quoniam vivere & mori singulorum hominum est, reviviscere autem post mortem suapte potentia superhumanum esse necesse est, id est, solius Dei in humana natura se nobis offerentis, tantum enim* A *opus solus Deus & homo operari potuit, quod ipse prius fuerat de se ipso attestatus his verbis: Potestatem habeo ponendi animam meam, & resumendi. Consequens igitur & dictis, & naturæ suæ, & gentis ejus impietati convincendæ fuit, quod Dominus* JESUS *corporis sui excruciandi potestatem illis faceret, mortemque subiret, ut subinde post mortem reviviscendo eosdem eluderet, & eo modo gloriam suam in divina potestate exercenda omnibus patefaceret, suos quidem firmando, alienos autem à fide miraculi magnitudine convertendo, aut, si reprobi esse maluissent, refellendo & confundendo; quæ quidem operationes sine mortis permissione esse nullo modo potuissent, quia reviviscere nemo potest nisi moriatur. Item committendum morti corpus suum Domino nostro fuit,* B *potius quam per fugæ, aut disparitionis, refugium, tam modico dierum intervallo vivendum; duplici ratione, tum quia omnino noverat ipse se esse resurrecturum, tum etiam ut irreprobabili argumento nobis contestaretur, suos mores, institutiones, ac disciplinam, mortis ipsius atrocitate neglecta à fide dignis recipienda esse, moriensque ille apertissime in doctrinæ suæ confirmationem posteris omnibus immobilitatem mandatorum suorum suo sanguine, suaque nece sancivit; quoniam si ipse legis auctor pro lege sua sustinenda, quam Judæa improbabat, mortem oppetere non perhorruit, certe legis observationem ipse primus præstitisse, & suo exemplo à cæteris esse præstandum, manifeste probavit. Decora igitur, & salutifera patientia, & mors Domini nostri fuit, cum pro sua & suo-* C *rum fide, & religione fundanda, suscepta fuerit, modico temporis spatio abolenda: ut omnino abolevit per resurrectionis actum; cujus dignitas & amplitudo æterna est, suaque gloria momentaneæ mortis probrum obumbravit, elusitque. Quod si mortis declinationem Dominus noster per fugam, aut disparitionem quæsiisset; primo humanam imbecillitatem tantum, & non divinam constantiam præ se tulisset; item legis suæ dignitatem ac existimationem turpitudine fugæ exinanisset: tertio, resurrectionis admirationem non excitasset; quæ potissima probatio divinitatis ejus fuit humanitati conjunctæ.* Plura alia Damianus & voce, & scriptis, documenta Ticinensibus suis præbuit, præsertim vitæ suæ innocentia, sed ejus scripta temporum & hominum D incuria è medio abstulit, viri tantum virtute ac memoria superstite; ad quam celebrandam si parem Damiani dignitati scriptionem non adhibeo, nec adhibere queo, parata mihi optima justificatio est, tanti viri præstantia, & amplitudine, meæ scriptionis tenuitatem obruente: solis enim fulgori objecta lucerna quamvis eluceat, luce carere clariore circumfusa lumine facile videtur.

BERNARDI SACCI,

PATRITII PAPIENSIS,

HISTORIAE TICINENSIS

LIBER X.

PRAEFATIO.



VARIA *atque mirabilis rerum mutatio circa finem seculi sexcentesimi anni fuit: Pontifex in primis Romanus, Domini* JESU CHRISTI *in terris Vicarius, olim à Græco Imperatore, vel ejus Exarcho, confirmari solitus, mutata lege solutus ab Orientalium suppositione fuit; non solum sanctione à Constantino Imperatore lata, quod Pontifex Romanus à Clero, Populoque Romano, eligendus esset, sine ulla Constantinopolitani Principis approbatione, sed* F *ipsius etiam Imperatoris auctoritate ab Italia postea rejecta. Prima itaque Pontificis electio post illam sanctionem fuit Benedicti secundi Romani Pontificis. Respexit enim Deus humilitatem gregis sui, amotaque potestate alienorum, Pastores suos sui juris, suique moderaminis, esse voluit. Gratia ergo divinæ clementiæ ab occiduis nationibus habenda est, ac vocis præconio extollenda, quod Dominus noster* JESUS CHRISTUS *in Oriente natus, patriam, provinciamque, humanitatis suæ propriam posthabuerit, ut nostras regiones Vicario suo sedes constitueret. O eximia nimis Dei dignatio! ô præstans, excelsaque, benignitas! gentis tuæ loca deseruisti, in quibus ossa jacent eorum, unde caro tua, genitricisque tuæ, oriunda est, ut nostra tecta ac latebras Petro ac successoribus præligeres, atque firmares? At quid ego impru-*

dens dixi nostra, (mentior nostra esse aliqua) cum tui, tuaque sint viri, tecta, & elementa, singulaque ex eis composita. Hæc ita esse circa Romanum Pontificem eligendum narrat Blondus libro IX. Decadum *suarum; affirmat Platina in* Benedicti secundi Vita, *quem Sabellicus sequitur, & laudat* libro VI. *octavæ* Enneadis.

Altera mutatio est, quod collabente sensim atque ruente Orientali Imperio, perfidia atque impietate polluto, contra in Occidente prodiit ab Austria generosa proles Pipinia, religione atque armis clara, quæ à Francorum Regis & Regni rebus administrandis, virtute ac jure ad Regni dignitatem evecta fuit: denique Romanum assecuta Imperium Aquileas alas longe lateque tetendit. De qua gente, gentisque virtutibus ac gestis, alta patent volumina Antonini Archiepiscopi Florentini, Blondi libro X. *Platinæ, atque Sabellici* libro VII. *à quibus tertia quoque rerum fluctuatio relata est: quod Saraceni Græciam, Africam, & Hispaniam invadentes, adeo populos afflixerunt gentis suæ copia ac præliis, ut in aliquibus provinciis Christianum genus ferro prorsus conciderit. Longobardi etiam Duces in suos Reges conversi, & è contrario Reges in rebelles insurgentes, mutuis detrimentis sese, provinciasque suas, confecerunt, Slavis quoque è Dalmatia in Italiam irruentibus prælio concisis. Sustulitque tandem caput inter Longobardos Aripertus hujus nominis secundus, de quo Paulus Diaconus* libro VI. *scribit* cap. VI. VII. & X. b. *pro* p. *posito: & quem Aripertum, Regni gubernacula sedulo moderantem, dejecit è Regno Asprandius; cui intra trimestre morienti successit Lytprandus filius ante annum septingentesimum, literarum quidem adeo ignarus, ut suum nomen scribens, ita scriberet* Lytprand, *Germanam ruditatem priscæ linguæ suæ sequens. Qui minime tamen in ea ruditate Regni sui amplitudini ac decori defuit: de quo tam exacte Paulus Diaconus scripsit in postrema parte* VI. libri, *ut magnam suis successoribus, historiam colligentibus, facultatem præripuerit, Blondo præcipue eadem clarius distinguente* libro X. *Post Lytprandum secuta Regni declinatio, ac demum perditio est. Meus ergo labor erit in iis explicandis, quæ minus aperta videbuntur, ne ab aliis relata transcribens, frustra versatus esse in historia censear, atque temporis ordinem (quod ad fieri poterit) sequar.*

CAP. I.

De Ticinensis & Mediolanensis Antistitis contentione sublata.

ANTEQUAM ad Regum acta progrediar, meminisse me contentionis oportet, quæ inter Mediolanensem Archiepiscopum & Ticinensem Præsulem diu viguit; de qua verba feci *libro* VI. *capite* ultimo hujus voluminis. Illa igitur contentio ante Lytprandi Regnum finem habuit, Constantino Summo Pontifice sedente, ut Platina in *ejus Vita* colligit, causam judicati omittens, quam refert Paulus Diaconus *libro* VI. *capite* X. *Quoniam*, inquit, *Ticinenses Episcopi à priscis usque temporibus à Romana tantum Ecclesia fuerunt consecrati, æquum ergo non est visum Pontifici, quod Papiensis Ecclesia, quæ septem secula transegerat in antiquitatis suæ jure ac possessione, tum dejicienda esset ob Archiepiscopi dignitatem augendam.* Quis autem eo tempore Papiensis esset Episcopus quæro & ambigo, & nisi Animentanus fuerit, hæsito quis esset. Quisquis tamen ille fuerit, & Ecclesiæ suæ, in qua populus est, & Dei æterni honorem quæsivit, quoniam nostro exiguo populo olim è gentilitio evocato, prius quam Mediolanenses nostram religionem agnoscerent, humilitatem nostrûm majorum prælegisse Deum, atque in evocationis tempore ac ordine prætulisse Mediolanensium multitudini constat; qui quidem omnis honor in Deum evocantem redundat, & non in nos evocatos, qui gratis & nihil emeriti evocati fuimus. Humanæ igitur gloriæ fuco à tergo relicto, dignitatis nostræ honorem Deo impendamus; caveamusque, ne gratiam, quam gratis consecuti sumus, ingrati amittamus, à recto scilicet itinere aversi atque abalienati; quoniam sicut olim parentes nostri in humilitate viventes evocati fuerunt, ita nos ipsi fortasse ab eorum statu revocabimur, dejiciemurque, si ab ipsorum humilitate defecerimus.

CAP. II.

De Lytprandi Regno, & Divi Augustini translatione.

LYTPRANDI Regnum quam maxime conspicuum ac memorabile facit Divi Augustini corporis translatio à Sardinia Papiam: nam omissa Augustini, quod Episcopus fuerit, honorificentia, quisnam post Apostolorum & Martyrum tempora fuit, cui æque debeat nostra gens, ætasque: ille enim ab Africa ad nos delatus nostram linguam suæ prætulit, seseque nostris literis exercens, CHRISTI Domini nostri doctrinam suis vigiliis propagavit; ille quasi succrescens fermentum ab Italia, in qua profecit, egressus, in Orientem ac Meridiem suæ eruditionis vela expandit, purgavitque utramque oram, hæreticorum labe infectam. Ille denique quasi Aquilo in Austrum perflans errorum nubes depulit, suique ingenii vires ab Africa in Europam fudit: rursus ab Europa in Africam refudit. Admirata est prisca vetustas Alexandrum Philippi filium, orbis latitudinem animi sui magnitudini angustam visam: nostri quoque mirentur homines unius Augustini peritiam Africam, Europam, Asiamque occupasse; nec terram solum, sed maria, cœlum, ac cœli firmamenta, ad Limbique claustra, pervasisse. Tanti igitur viri corpus, Italia, habes, claudisque nostræ civitatis ambitu, illius Lytprandi Regis munificentia, cujus memoriæ hæc mea scripta, etsi inania sunt, impendo.

Sed quo major nostri Longobardi, Italicique, Regis devotio in divini hominis ossa fuit, eo immanior Leonis Imperatoris truculentia in Græcia efferbuit: qui tolli, qui aboleri, qui disperdi Sanctorum figuras, simulacra, atque etiam ossa nefario jussu conatus fuit, cujus imperium Italia non pertulit; sed ejus jussa rejiciens, antiqua instituta secuta fuit, ratione & religione freta. Tollere enim Sanctorum imagines, nihil aliud est, quam abolere memoriam illorum, qui de religione nostra benemeriti sunt: & quorum denique Sanctorum patientiam, virtutemque, facilius ac promptius unicuique etiam imperito pictura repræsentat, quam series Scriptorum; quoniam picturam quilibet visu colligit, miratur, movetur exemplo, atque si rei peractæ ordinem nescit, peritiores rogat, audit, mentem imbuit, aliorum suspiciens virtutes: quæ omnia tam facile ex historia perspici nequeunt, cum plures sint literarum expertes quam periti. Vesana ergo & profana figurarum abolitio est, tacitoque actu ac subdolo ad deturbandam Dei religionem finem suum dirigit: & sub velamine adorationis corrigendæ ipsius adorationis initia atque incitamenta perimit. Quoniam Divi (exempli gratia) Augustini simulachro inspecto, cogito qui vir fuerit, quibus moribus, qua vitæ continentia, moveorque ad ejus sectanda vestigia, atque hoc modo ad religionem incendor, qui omnino segnior forem alterius præeuntis non comperto vestigio: omnes enim in quacunque re gerenda exemplis præcedentium fidentiores simus, qui fortasse, si exempla non exstarent, diffidentiores essemus, & quorum exemplorum speciem ipsa viri sancti imago repræsentat. Sed dicere de iis plura desino, de quibus alibi.

CAP.

CAP. III.

De Divi Auguſtini Tumulo.

CONSEQVENS Auguſtini tranſlationi eſt ſcribere, quo in loco conditum corpus ejus fuerit. Ædificaverat Lytprandus Rex inſigne templum, quod Divo Petro dicaverat, monaſterio adjecto, ut Paulus Diaconus narrat *lib.* VI. *cap.* XVII. quem locum ab aeris ſalubritate appellavit *ſanctum Petrum in Cœlo aureo*, non autem *in Cellula aurea*, ut ſcribit Blondus: quod monaſterium ea ætate ſitum extra Papiæ mœnia erat; hodie autem intra civitatem receptum. Is enim locus eminet ſitu, in Aquilonarem oram vergens ex parte, atque ex parte æſtivos ſolis ortus excipiens. Itaque urgente æſtu Septentrionis auras captat, ſumitque aeris temperiem; hyeme autem porticibus circumfultus imbres arcet, ac ſpecularibus feneſtris ventorum vi rejecta à cœnaculis & cubiculis frigora excludit. Adſunt præterea æſtate aquarum rivuli per fiſtulas in urbem ac monaſterium traducti, viridaria hortoſque irrigantes, ac terræ ſata plantaſque lætificantes, ita ut ſolo virore atque plantarum ordine regium tibi opus repræſentetur, ſacra ſtatutis horis hodie duplici ſacerdotum agmine in templo fiunt. Hic Canonici Regulares ordine, temporeque, priores; ibi Eremitani fratres lata corrigia præcincti ſedes habent; diverſi habitu, facie, & opibus, concordes vero canticis, ac cæremoniis. Duo itaque hodie monaſteria uno ambitu continentur. Pro alendis autem Regularibus Canonicis & ſacerdotibus latos agros Rex legavit, procul à civitate quinque millia paſſuum juxta Olonam amnem ab Orientali plaga, ubi regia Domus, ſive Palatium, exſtat, *Lardiragum* vulgo nuncupatum, quod Antiqui *Latiagrum* ab agrorum latitudine olim appellarunt: quæ quidem regia domus me puero ruinis ac ſitu deformis diu jacuit; poſtea vero ab Hectore Rubeo, viro inſigni, ipſius Monaſterii ſive Abbatiæ Commendatario, priſtino ornatui atque decori reſtituta fuit; cui ſucceſſit Federicus ex fratre nepos, nobilitate ac eruditione conſpicuus. In templo itaque Divi Petri à Lytprando ædificato conditum Auguſtini corpus fuit, & ne facile reſciri poſſet, quo loco corpus eſſet, ferunt Lytprandum tribus locis effoſſis, ſtructiſque, ſepulcris, alibi deinde nocte paucis operi adhibitis juſſiſſe corpus condi, omnibus ſimul ſepulchris eadem nocte occluſis, ut certa corporis ſede ignorata difficilior in ævum fieret occaſio ejus perquirendi, rapiendique. Conſtructum deinde alio ſeculo ſacellum Divo Auguſtino fuit juxta templum Divi Petri, in quo ſacello arca illa marmorea ac celebris compoſita eſt, Auguſtini ſepulcrum repræſentans.

CAP. IV.

De Petro Ticinenſi Epiſcopo.

AB Auguſtino Epiſcopo, noſtræque religionis Doctore, vertere ſcriptionem ad Petrum Ticinenſem Epiſcopum regii ſanguinis virum, qui tranſlationem Auguſtini ſummo ſtudio curavit, æquum eſt. Is olim Ariperto ſecundo Regi ob nobilitatem, Aſprandique affinitatem, ſuſpectus, relegatus in Etruriam fuit, ubi patientia ac fide inſignis cælibem juventutem agens, in Aretino agro quam maxime verſatus eſt, ſtudenſque ſolitudini, quæ ſocia religionis eſt, Divi Sabini ædem in monticulo ſitam frequentavit; quo in loco hodie oppidulum exſtat fama conſpicuum, *Mons Sancti Sabini* vulgo nuncupatus, à quo Antonius Monteus Cardinalis, deinde Jo. Maria ſimiliter Cardinalis, poſtremo etiam Pontifex Julius tertius prodiere, una cum pluribus aliis peritis viris: inter quos meus
A Franciſcus Contrinus, à Tranſpadanis oriundus, locum obtinet. Ab exſilio igitur, vel relegatione, liber Petrus, Lytprando regnante Ticinenſis Epiſcopus conſtituitur: regiæ enim civitati regii ſanguinis Epiſcopum decerni aptiſſimum fuit. Memor itaque Epiſcopus religionis in Etruria habitæ, Divo Sabino in Orientali civitatis ſuburbio fanum conſtruxit, quod mea deinde ætate (ô infelices dies) bello Gallico invaleſcente disjectum & ſolo æquatum fuit, una cum propinquo Sancti Apollinaris Monaſterio. Sed an Sanctus Sabinus ille ipſe fuerit, cui Romæ juxta montem Aventinum ad portam Viæ Oſtienſis, San-
B cti Pauli nuncupatam, ædificatum templum ac monaſterium fuit ſub Divi Sabæ nomine, ut quidam opinatur, ego non affirmo, ſed diverſum exiſtimo.

Petri igitur Epiſcopi noſtri humilitatem, ac vitæ ſpecimen, plurimum commendant civitatis annales, traduntque ejus monitu atque exemplo Lytprandum Regem commotum fuiſſe ad Summi Pontificis obſervantiam: accedente maxime eo tempore ipſius Romani Pontificis religione cunctis perſpecta; nam ſi minimus quiſque ſacerdos, probatis moribus, fit ex vitæ integritate inter nos conſpicuus, amabiliſque, quanto eſſe honorabiliorem Summum Pontificem decet, vitæ integritatem ſuis
C moribus præ ſe ferentem: bonis enim moribus adjecta dignitas tanti viri reverentiam augeat neceſſe eſt. Quemadmodum à contrario mali hominis actiones, ne ipſam dignitatem polluant, ac pene contemptibilem faciant, verendum eſt; cujus rei periculum ſæpe legimus atque agnovimus: Julius enim ſecundus, dum bello in Venetos movendo, atque amovendo, & in alios retorquendo, plus quam religioni animum intenderet, Gallica in ſeſe arma excitavit, olim Romanæ Eccleſiæ propitia, aliquotque etiam Cardinales adverſari juſſionibus ſuis ſenſit; Leo Medicæus epulis, cantionibus, ac voluptatibus immerſus, plura ſuſcitavit murmura,
D quæ in ſcandalum progreſſa Romani Pontificis honorificentiam & decorem comminuerunt. Sed iſta ab inſtituto meo aliena ſunt. Illud ego affirmare nullo modo deſinam, magnorum Antiſtitum vitam, ſine labe traductam, maximo adjumento eſſe Regum Conſiliariis atque Aulicis ad Regem impellendum, ut ipſos Antiſtites in honore habeat, ſtudeatque eorum religioni ac bonis inſtitutis & ritibus obtemperare; & è contrario improbata vita improbatos etiam eos faciet, qui in ſolio ſedent, tam apud Reges quam apud populos; quoniam veritas ipſa omnia in tempore aperit, & altaria nudat, ut in proverbio eſt; & bonis benedicere, maliſque maledicere, uſus obtinet, qui uſus famam
E auget, fama opinionem, opinio cogitationem hominis, cogitatio decretum animi, ſive deliberationem, à qua actio oritur, vel contemnendi, vel exiſtimandi, & in honore habendi Epiſcopum juxta famam ejus bonam, aut malam; & ita mala Antiſtitis fama ſerpit tanquam virus inficiens Regum & populorum mentes, & ab ipſius Antiſtitis obſervantia procul avertens. Atque hoc modo illi, qui corrigi & reformari bonis exemplis deberent, abalienantur mala ipſius Antiſtitis vita, ac fama hominum affectus perimente. Quis autem eo tempore Romæ Summus Pontifex eſſet, ambigitur, Scriptoribus inter ſe nimium diſſentientibus, alii Stephanum ſecundum, alii Gregorium ſimiliter ſecundum perhibent: de qua diſſenſione alibi
F verba faciam, uterque tamen Gregorius ac Stephanus moribus & religione enituiſſe pariter celebrantur.

CAP. V.

De Lytprandi humilitate in legibus promulgandis.

NON videtur alienum ab opere nostro referre, qua animi modestia, qua in Deum reverentia, Rex iste leges suas tulerit, cujus hæc præfatio est: *Leges, quas Christianus & Catholicus Princeps instituere disponit, non sua prudentia, sed Dei nutu & inspiratione animo concipit, mente pertractat, & salubriter opere complet, quia cor Regis in manu Dei est, attestante sapientissimo Salomone, qui ait*, &c. Idem in fine præfationis sic scribit: *Ob hoc in Dei omnipotentis nomine, Ego Lytprand Christianus & Catholicus Rex dilectæ gentis Longobardorum, anno Regni mei primo, Deo protegente, die Calend. Martii, indictione* XI. *una cum judicibus tam de Austriæ & Neustriæ partibus, quam de Tusciæ finibus, & cum reliquis fidelibus meis Longobardis, & cuncto populo assistente, hæc communi consilio juxta Dei timorem atque amorem adscribenda censui.* Deinde sequitur edictum: *In Nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri, incipit edictum gentis Longobardorum, quod adjunxit Dominus Lytprand Rex tempore suo*, &c. Possem alias etiam addere præfationes, quibus ipse Rex humili semper sermone Deo invocato scriptiones legum suarum instituit: diversus penitus à Justiniani jactatione, cujus dicendi vanitatem imperiti admirantur eo loco, *Imperatoriam Majestatem*, &c. & se *Gothicum*, *Alanicum*, & cætera, inscribens in sui ipsius glorificatione evanuit. Hujusmodi igitur religione imbutus Lytprandus tam in ferendis legibus, ac suorum Procerum, Ducumque, cohibendis excessibus, quam etiam in Romano Pontifice observando, eique monenti obtemperando, Regni sui fines auxit, quod Blondus accurate colligit *libro* X. *Decadis* primæ.

CAP. VI.

De Exarcho fugato, & Ravenna capta, & Equestri Statua.

A QVO capta Ravenna fuerit, fugatusque ab Italia Exarchus, varia est Scriptorum sententia. Blondus primo Astulphi Regis anno captum narrat *libro* X. Platina in *Gregorii Secundi Vita* refert à Lytprando Rege obsessam, captamque, civitatem; deinde in *Stephani Secundi Vita* ait fuisse expugnatam ab Astulpho Rege. Sabellicus longas ambages serens de Venetorum gestis circa Ravennam *libro* VII. in fine, & *libro* VIII. *Enneadis* octavæ, tandem à Ducibus Longobardis vi captam & direptam urbem refert, & Exarchum ab Italia exterminatum. Imperii ergo Romani potestas Longobardorum armis ejecta ab Italia fuit, & Ravenna subacta. Quod cum ita esse pateat, ergo Ravennates, & eorum finitimi, ac etiam Orientales Duces impares virtute & militari præstantia Longobardis fuerunt; victus enim victori palmam cedat necesse est. Hac igitur præcipua gloria insignes Longobardi effecti sunt, quod Ravenna olim Romæ æmula, Exarchi sedes, summissa eorum jugo fuit, depulsique ab Italia Orientales Duces. Hincque arguere aptissime licet, impudenter nonnullos ex Romandiolis facere, qui Longobardis obtrectare non desinunt; suum enim dedecus repetunt ac produnt, dum Longobardorum nomini ac gloriæ detrahunt, quibus majores eorum suppositi fuerunt, quoniam in subjectionis casibus minus improbabilis videtur subjectio eorum, qui claris Regibus, aut Ducibus, succubuerunt, quam illorum, qui obscuris gentibus manus dederunt. Itaque dum Longobardorum honorem suis maledictis extenuant, præteritæ subjectionis notam turpiorem faciunt, sibique ipsis ignominiæ successionem impingunt, quoniam ex eorum genere sunt, qui Longobardis servierunt; & à qua quidem servitute licet postea liberati fuerint, nulla tamen eos gloria liberationis sequitur, quoniam non sua virtute, sed Francorum armis Romandiola erepta à servitute Longobardorum in servitutem Romanæ Ecclesiæ conjecta fuit, quo casu Carolo Magno Francorum Regi, & non ipsis subjectis, liberationis honor & meritum cessit.

Quod vero de Regisolio olim ab Urbe Roma Ravennam translato Regis Theodorici jussu scripsit Platina, non dissentio ab eo; facilis enim fuit translatio, quoniam equestris statua composita est per partes, quæ solvi ab alterutris possunt, reseratis claviculis, qui vermiculato opere volubiles sunt, & forcipe circumaguntur, ipsisque claviculis singuli artus equi in unum corpus coaptati firmantur elegantissime, ita ut compactum totum corpus uno opere videatur. Sed quod ipsa statua cum insessore exportata à Ravenna Papiam fuerit in dicta expugnatione Longobardica, non assentior Platinæ, nec aliis referentibus, Caroli Magni jussu, cui statua mirabilis visa fuit, ablatam fuisse: nam omnes decipiuntur; quoniam post Caroli Magni tempora contentione exorta inter Papienses & Ravennates, exportata à Papiensibus Ravennam ingressis statua fuit, & è converso à Ravennatibus sublata fuerunt clathra ærea Portæ Palacensis Papiæ, quæ olim Partharis Rex fabrefieri miro opere curaverat: neutra tamen civitate in ea contentione civium bona invadente, sed publici honoris causa publica tantum arripiente, de qua quidem re leguntur adhuc Papiæ insculpta carmina infra-scripta:

Milite cum quondam terrestri freta Ravenna
Ticinum irrueret, populus Papiensis in hostem,
Classe armatus adit, belloque illabitur undis;
Adventare hostes (sic sors tulit) inscius alter
Alterius fidens animis inimica petebat
Mœnia: Regalem valvis insignibus Urbem
Ille hanc expoliat, mirandus Regisol inde
Hus aufertur Eques: sic victor victus abivit.

Statua autem fuit Antonini Pii, ut peritiores sentiunt, quam Ravennates *Mirasolem* nonnulli, alii vero *Regisolem* appellabant; quoniam Orientem versus faciem conversam habebat: contra Papienses faciem Equitis vertentes in Septentrionem, & terga in Meridiem, Statuam *Regisolium*, id est, solium, vel sedem Regis appellarunt, dixeruntque Regium potius esse cavere à Septentrione, unde Hunni, Gothi, Heruli, Alani, aliique erupere in Italiam, quam in Meridiem, vel Orientem respicere, ubi Italia mari cingitur, & nisi magno classis apparatu petatur, suo situ tutissima est. Sed ad Historiam redeamus.

CAP. VII.

De Lytprandi obitu.

QVO anno Lytprandus humanis decesserit, vix scribere audeo ob Auctorum varietatem; Blondus, qui Romæ mortuus est sub Pii secundi Pontificatu, post annum MCCCCLX. scribit *libro* X. Lytprandum Zacharia Pontifice sedente obiisse, Zachariæ Pontificatum ponens ante Gregorium tertium: quod si ita fuisset, Lytprandus mortuus esset anno quinquagesimo post septingentesimum, vel circiter. Platina vero, qui eodem Pio sedente Romæ versatus est, potuitque & Blondum, & ejus scripta videre, si eum cura tetigit, collocat Gregorium tertium ante Zachariam, Blondi historia tacite rejecta, si tamen eam vidit: quod si ita esset, Lytprandus vixisset præter sexagesimum annum supra septingentesimum ab ortu Domini JESU CHRISTI, quod supputatis temporibus probabile non videtur. Sabellicus autem existimat Blondum deceptum, & Platinam sequitur, à quo tamen sæpe variatum fuit: nam Lytprandi profectionem ad Urbem Romam, & Vaticanum, & alia etiam Lytprandi gesta collocat sub Gregorio secundo: quæ similiter repetit sub Zacharia Pontifice, duplicans acta, semel tantum facta,

cta. Ex ipsius autem Regis sepulchro probatur defunctus Anno DCCXXII. Mortuo itaque Lytprando, qui triginta & altero regnaverat anno, successit Inglorius nepos vix semestri Regno potitus, cui successit Rachis, sive Rachisius, Dux prius eximiæ fortitudinis nomine celebratus, præcipue à Paulo, Blondo, & Sabellico. Quo Rachisio ad religionem transeunte Regno fratri relicto, anno septimo pluribus ante piis operibus præstitis, præsertim in Ecclesiis, Monasteriisque, ædificandis, quorum maxime memorabile est monasterium Sanctæ Mariæ ad Cacias, Astulphus frater Regnum tenuit, de quo infra.

CAP. VIII.

De Astulphi Regno.

LABARE sub Astulpho Rege res ac gens Longobarda cœpit: nam à priorum Regum fide & religione declinans, initio Regni sui Astulphus fregit fœdera, bella intulit finitimis, Pontificem ac populum Romanum injuste lacessivit, diripuit agros & oppida Romani juris, sacra loca spoliavit, unoque verbo Romanum Pontificem ad rerum desperationem adactum eo compulit, ut Francorum implorato auxilio ab Italia excesserit, ac Pipino Francorum Regi sese & Ecclesiæ Romanæ res supplex commendaverit. Recepit summa usus humilitate Pipinus Pontificem, sive ille Gregorius tertius, ut Blondus scripsit, sive Stephanus secundus fuerit, ut plerique sentiunt, & Romana etiam notat historia: susceptum fovit opibus, atque exercitu contracto in Italiam descendens fregit Longobardorum vires, (longa est historia à pluribus repetita) denique Astulphum Regem ad restitutionem provinciarum compulit, quæ juris populi Romani & ejus Ecclesiæ antea fuerant. In qua quidem restitutione Ravenna, olim tumens Imperatorum favore ac sede, sub Romanam ditionem atque Ecclesiam, in quam calcitraverat, rediit. Instabat magnopere Romanus Pontifex, ut simul etiam restituerentur Sanctorum corpora atque reliquiæ, ab oppidis Populi Romani Longobardorum manu exportata; cujus petitioni finem fecit ornatus ipsis Sanctorum corporibus & reliquiis Papiæ adhibitus cum magna populi veneratione, templo etiam Divi Marini una cum Monasterio à Rege ipso ad majorem aliquarum reliquiarum honorificentiam in urbis medio eleganter constructo. Qua re perspecta Pontifex Ticinensium religionem restitutioni prætulit. Pie posthac & sancte Astulphus vixit, Theodoro Papiensi Episcopo viro summæ religionis quam maxime addictus, (vide Platinam in *Pauli* I. *Pontificis Vita*, ejus Regni finem ac moderationem approbantem) regnavitque annis septem.

CAP. IX.

De Dominii libertate Romanis restituta.

MULTA sciens cogor omittere, ne singula quæque colligens rerum serie impediar referre ea, quæ potiora videntur. Deus, humani generis auctor & rector, ex bellorum turbine ac rapinis, à Longobardis in Italia editis, duo summa bona nobis elicere ac parare visus est. Primum fuit, quod Exarchus Ravennæ, & Ducatus Romæ, qui duo Magistratus Orientalis Imperatoris fuerant, annis centum septuaginta quinque: item, qui sæpius in Pontificum Romanorum ac sacrarum ædium violationes ac prophanationes ad Imperatoris nutum conversi fuerant, uterque ab Italia Longobarda vi ac manu disterminatus est; quoniam Ravenna capta, ejusque Exarcho fugato, sive occiso, ut aliquis notat, Dux ille simul, qui ab Exarcho Romæ præficiebatur, evanuit, Romaque juri suo restituta fuit. Quo itaque juris ordine, vel actu, Græci Imperatores Romani Imperii dignitatem ar-

A ripuerunt, eodem juris vinculo soluto, atque ab Italia summoto, Imperii jus amiserunt; jure ipso ad Italicos populos suapte natura redeunte: & quæ demum Imperii amissio non solum manu militari, sed jure optimo etiam perpetrata adversus Orientales fuit, Summi Pontificis ac universæ Romanæ Ecclesiæ anathemate in ipsos Orientales Imperatores sæpe prolato, ob spretam nimis aperte Christianam religionem, & hæresis labem illis insitam. Addo etiam ipsorum segnitiem in tuendis provinciis Italicis ab alienorum vi. Et quibus quidem provinciis destitutis, aut reverti dominium ad provinciæ populos necesse est, natura quod suum fuit

B resumente; aut transire ad eos, quibus sese populi suo consensu dedunt. Peropportune igitur Italicum jus & dominium, quod primus Constantinus Byzantium transtulit anno ab ortu Domini trecentesimo & quadragesimo sexto, vel nono, ejusdem nominis altero imperante, amissum fuit post annum septingentesimum, Longobardorum virtute Orientalium vires superante.

Alterum bonum est, quod Longobardis plura oppida, quæ olim Orientalis Imperii fuerant, suis armis capta, detinentibus, atque Pipino Rege suis similiter armis eadem Jure Gentium vendicante, restitutio à Longobardis facta est Pontifici, Populoque Romano, Orientalis Imperatoris postulatione rejecta, qui nimis impudenter petierat,

C sibi à Pipino restitui Italicas provincias, quas jampridem sua indignitate, suaque incuria, amiserat: cui sapientissime ab eodem Pipino responsum dicitur: *Arma ego semel atque iterum pro Summo Pontifice, Ecclesiaque, & Populo Romano cepi, ut meo, meorumque labore, atque periculo hoc obsequium Deo æterno Domino nostro impenderem. Quonam igitur jure conferre in Constantinum Imperatorem debeo, quod Dei & Pontificis nomine gero? Desistamne ego ab incepto Imperatoris verbis, ac desinam Deo & ejus Ecclesiæ dicare, quod meum est, videlicet belli apparatum, eventumque, mihi in manu positum? minime quidem faciam; valeat potius Imperator, & quod sub manu habet, rectius custodiat.* Dimissis itaque Græ-

D cis Legatis, restitutio facta est Pontifici, Populoque Romano; in qua restitutione non solum capta ab Astulpho, sed etiam ab ejus antecessoribus, dimissa fuerunt: quæ omnia Blondus *lib.* I. secundæ *Decadis* descripsit, Petrum, ut ipse ait, Lateranensem Bibliothecarium secutus, & cui Blondo concors est Sabellicus *libro* VIII. *Enneadis* octavæ. In quo, inquam, Blondo corrupta passim lectio est, præcipue ubi scribitur *Castellum Sancti Martini*, legendum est *Marini*, & non *Martini*: quod quidem Castellum hodie etiam suam libertatem servat in arduo situm; finitimi ejus Pinnas Sancti Marini apicem montis, ubi ædificatum est, ab altitudine appellant. Nec defuerunt Itali milites,

E qui sub Paulo tertio insidias incolis tendere ac inhiare oppidanorum rebus conati sunt, frustra semper eorum rapiditate cedente: nam à Septentrione planitiem Arimino finitimam spectat; ab aliis lateribus valles profundas in circuitu habet, jungiturque Apennino, montis pinna utrumque copulante. A quacunque igitur petatur, sive adeatur, parte, prævideatur viator à longe necesse est; ubi vero appropinquaverit, locum non habet, in quo lateat, jacereque quietis gratia queat, angusta tantum eum recipiente via.

CAP. X.

De Dominio Romanæ Ecclesiæ.

F DELETO in Italia Exarcho, rejectoque simul jugo Orientalis Imperatoris in scelera ruentis, Longobardi Pipino compellente provincias Romani Imperii, quas annis prioribus ceperant, Pontifici Populoque Romano restituerunt. Ex quo quidem restitutionis actu, non solum antiqua Populi Ro-

Romani jura resurgunt, sed longe majora fiunt quam antea ex Pontificis interventu: qui cum Petri successor sit, & Domini JESU CHRISTI in terris Vicarius, sumens restitutionem de Longobardorum manu Ecclesiæ R. nomine, & ipsius populi, cujus est caput, sine dubio dominium & possessionem Ecclesiæ acquisivit, in qua Ecclesia populus Romanus continetur. Nemo enim dicturus est Deo acquiri jus provinciarum, cum sit dominus omnium, cui nihil addi potest: sed dicimus Ecclesiæ acquiri, quam congregatio fidelium repræsentat; & quæ ad Dei cultum & sacerdotum alimenta ex rerum necessitate temporanea bona dispensat. Hac ergo acquisitione dominii & possessionis ab Ecclesia conjunctim facta, una cum populo Romano, per Pontificis interventum dominium provinciarum, quod olim humani juris erat, sive juris gentium, ex Ecclesiæ adjectione, sive interpositione, factum esse videtur juris divini, inspecto nexu, quo sancta mater Ecclesia Domino JESU CHRISTO per sacrosancta mysteria copulata est. Conjunctio enim facti, juris conjunctionem parit, ita ut dominium, quod simpliciter antiquo jure ad populum Romanum reversurum videbatur, si soli populo restitutio facta fuisset, ad eundem populum rediens, Romana Ecclesia ipsius dominii consorte facta, dignius per Ecclesiæ conjunctionem omnino factum sit, divinique juris esse videatur. Crevit insuper istius dominii amplitudo ex multitudine gentium, sanctam Ecclesiam Catholicam constituentium, quæ non solum ex populo Romano, qui est principalis in ipsa Ecclesia, sed ex omnibus gentibus Ecclesiæ credentibus fit, Deoque conjungitur. Quæcunque enim natio, Christianam fidem tenens, Romanæ Ecclesiæ pars est, indeque Catholica, id est, universalis, Ecclesia, sive congregatio, dicta est. Prudentissime igitur Pipinus restitutionem in Pontificem, Populumque Romanum, conjunctim contulit, ut Ecclesia una cum Populo Romano domina constituta, ipse similiter Rex Francorum & posteri ejus, tanquam Ecclesiæ filii, illius dominii participes essent, cujus constituendi auctores exstitissent. Plura fortasse dicenda essent pro dignitate Ecclesiæ, illorum præcipue repetita memoria, qui eam suo sanguine dedicarunt: sed mea me aliorsum vela, puppisque, ferunt.

CAP. XI.

De Bononia, & Ferraria.

ROMANA Ecclesia per Exarchi dejectionem, & Longobardorum coertionem, ad Imperium evecta, Ravennatum quam maxime res diminutæ sunt, tum ob acceptam paulo ante à Longobardis cladem hominum, opumque, tum ob jugum Romanæ ditionis suis cervicibus repositum, quibus etiam aliud accessit detrimentum, aquarum secessus; ex quo licet tellus acquisita sit, majus tamen detrimentum populo navigatio ab urbe summota attulit, quam tellus fructum. Contra autem Bononia insignis civitas inter Æmiliam & Flaminiam sive Romandiolam posita, ac Etruriæ finitima, florere cœpit, tribus præcipue subnixa commodis. Primo, fertilissimorum collium propinquitate, quos urbe egressus à Meridie in promptu habes, ubi pinguis, crassaque, oliva adest, antiquo ignota seculo, nostrisque tantum celebris facta temporibus, Bononiensem enim oleam apud Veteres nusquam legimus. Carabilia quoque Pyra rubigineo conspersa colore adsunt, quæ sive à saporis gratitudine chara sint habita, sive à pretio, in quo habentur, fuerint *cara* dicta, suavissima sunt. Nux etiam ipsa atque castanea tantæ magnitudinis hic exstant, ut præ magnitudine utraque nomen mutaverit: à Nuce enim *Nucones*, & à Castanea *Marones*, qui grandiusculi fructus sunt, vulgo appellantur. U-

A varum proceritas & copia; palmites pondere suo premens, terram passim libat, sustinerique, nisi furcillas supponas, onus à palo nequit. Quid irriguos hortos referam, piscinas, prædiola, prata, lacunas, molendina, ac fullonica & alia plura suburbana commoda? Spectanda magis atque magis civitas est artificum instructa serie, flumineque per septa & aggeres intra urbem deducto, cujus ope lanificia exercentur, quotidiano quæstu plebem replentia. Tertium istius urbis commodum est viarum coitio, sive concursus, in civitatis fere medio conveniens à diversis oris, viasque ipsas similiter in diversa dispartiens; cujus rei causa fessus sæpe viator Bononiam petere lasso etiam equo festinat, B urbis pellectus hospitio, atque lautitia. Crescente igitur indies Romanæ Ecclesiæ nomine, ex optimorum Pontificum virtute ac majestate, crevit simul multitudine virorum religionis gratia Romam euntium, indeque redeuntium, præcipue ex Gallia, Germaniaque, Galliæ finitima, quibus iter facientibus Bononia semper patuit, atque hospita fuit. Iis itaque aucta Bononia bonis, *bona* Bononia appellari meruit, tanquam suis, alienisque, bona sua pandens, præbensque.

Ferraria quoque, non à ferro dicta, crevit sub idem tempus, quo à Ravennatum subjectione ad Romanæ Ecclesiæ moderationem trajecta formam habere civitatis, mores, & regimen cœpit: unde C fere aurea ab ornatu appellata Ferraria fuit: auctaque ipsa similiter viris & opibus, Pado imperare suo jure ausa est, ponte constructo, quo utraque Padi ripa circumplexa, jugum ferre flumen coegit. Ille igitur Padus potens, voraxque fluvius, qui onera sæpe navium, ac jumenta, viros, domos, & villas suis fluctibus excutere atque dejicere consuevit, ille ipse unius ilignei pontis opificio pati currus, equosque, ac pecudes, & catulos, pullosque super se ambulantes hoc loco cogitur; & quamvis interdum fremat, spumans minarum plenus, atque intumescat, pontemque elidere undarum impulsu tentet ac tremefaciat, solers tamen Ferraria perstat, trabesque supponit, ut adeptum D sua industria fluminis imperium, eadem industria sustineat. Hac itaque rerum ac temporum vicissitudine, decrescente Ravennatum auctoritate, excrevere contra viciniæ civitates, Romana præcipue Ecclesia ditionem mitioribus legibus exercente.

CAP. XII.

De Bedæ sanctitate.

FLORVIT hoc seculo sanctorum virorum copia; ex quibus Beda, natione Anglus, multis nominibus celeber est: nam vitæ modestia ac gravitate studio literarum, & scribendi peritia, denique vivendi diuturnitate super omnes illius seculi homines insignis fuit; à gravitate enim morum & mo- E destia *Venerabilis* nuncupationem, à peritia scriptorum suorum approbationem consecutus fuit. Ætatis longitudinem à Deo vitæ auctore obtinuit. Venit in Italiam ille vir, cujus contemplatus misertusque fluctuationes, ac bellorum turbines, preces Deo pro Italiæ pace die noctuque fudit: Deus autem optimus nostra perspiciens opera, & vota pace indigna, & à mutua charitate, pietateque aliena, Bedæ, ut ajunt, soporoso, somniantique, vocem cordi infudit, hæc verba referentem, *O Beda tace, tace, Italia diu non erit in pace;* minimeque mentitam eam vocem fuisse, insecuta Longobardorum Regum perditio, aliaque rerum eversio, comprobavit.

CAP. XIII.

De Desiderii Regno, & exitu.

F TVRBAVIT Italiæ quietem Astulphi obitus, Desiderio Etruriæ Duce, qui copiis præerat, Regnum invadente, & Rachisio olim Rege ad fratris

tris successionem, posthabito religionis habitu, contractisque militibus, ex adverso adspirante: sustulit belli ulterius gerendi causam Romanus Pontifex, Rachisio ab armis evocato, religionique restituto. Atque ita Desiderius, favente Romano Pontifice, qui ejus fidem ac jusjurandum erga Romanam Ecclesiam receperat, regnum est assecutus; in quo tamdiu quievit, quamdiu Pipinus Rex Francorum, quem Romanæ Ecclesiæ studiosum atque devotum noverat, in humanis fuit: Pipino autem defuncto, quem sub Pontificatu Pauli primi Auctores obiisse senio confectum scribunt, Desiderius inhiare regno augendo jurisjurandi religione neglecta cœpit: secutaque Pauli Pontificis morte, quo tempore Sedes Pontificia vacabat, (nam vacavit præter annum) illico invasit oppida & civitates, quæ annis superioribus ab Astulpho Romanæ Ecclesiæ, populoque, restitutæ fuerant, plura capiens, prædamque hostiliter agens, quasi Ecclesia sine Pontifice futura.

Creatur in hoc rerum tumultu Stephanus III. qui per Legatos à Desiderio restitutionem captorum locorum poposcens, verbis in spe positus, re autem delusus est, bello interea tantum omisso. Iis etiam aliud addere facinus Desiderius cogitabat: perhorrescens enim Caroli Regis Francorum potentiam ac fidem, qui Pipino patri, non solum in Regia majestate, sed multo magis in virtute ac integritate, successerat, variis artibus referre in Italiam Constantini Orientalis Imperatoris vires, dominatumque, tentavit, factiosis passim hominibus præcipue in urbe suscitatis; ratus, Constantini viribus sibi conjunctis, ac in Italiam restitutis, tutiora omnia regno suo futura, quam si suis tantum opibus & copiis substitisset, Francorum Rege Romanæ Ecclesiæ apertissime favente: quo quidem facinoroso commercio atque consilio imbutus Desiderius, ruere indies à malo in pejus cœpit, adeo à religione abalienatus, ut nulla ejus exstent monumenta, ex quibus suorum antecessorum exemplo se Christianum fuisse atque vixisse indicaverit.

Stephano igitur tertio Pontifice defuncto, creatur Adrianus, divino numine in Desiderii exitium tandem prospiciente: quid moror rei eventum? Pontifex Desiderii perfidiam ac rapinam perspectam habens, nihil ejus verbis credere, sed sibi & Ecclesiæ rebus cavere cupiens, Carolum Regem precibus & legatione exorat, ut in Italiam oculos vertat. Ille magnanimus, piusque, Rex, præmissis semel atque iterum precatoribus, qui Desiderium à proposito vexandæ Romanæ Ecclesiæ averterent, auro etiam oblato, re tandem ad belli necessitatem redacta, Italiam instructo exercitu petit, fregitque Desiderii apparatus, homine ipso intra Ticini munimenta circumsepto. Vide igitur quibus se ulciscatur modis divina potestas, quibusque plectantur angustiis transgressores fidei: Longobardorum Reges, qui Orientalis Imperii Duces atque exercitus ab Italia ejecerunt, floruerunt in Regno; iste vero Desiderius, sive potius Desinerius, contraria operatus, neque omnino, quod conabatur, effecit, neque Regno diu potitus fuit. Accingitur Papiæ oppugnationi Carolus, subeunt fortissimi viri civitatis muros, tentant conscendere, postes impellunt, trabibus, vocibusque intonant, quasi cœlum suo impetu capturi. Attamen illa tanta Francorum vis, ille Gallicus impetus, illa omnis terribilitas in irritum cessit, una victorem ac Regem remorante Papia, virosque & vires à muris summovente: cujus quidem civitatis expugnatione desperata, Carolus in obsidionis remedia oppugnationem vertit. Nemo igitur tam amplo præconio commendare Francorum vires poterit, quin etiam Papiæ, quod suum fuit, tribuat: quæ sola ea ætate sustinere ingentem Caroli exercitum, & à muris repellere, & longa exspectatione frustrari tam diu valuit, quam diu cibariorum copiam intus habuit. Deus in mediocri civitate hoc operatus fuit, ut loci angustia commemorata, peractæ rei famam auctori adjiceret.

CAP. XIV.

De Romanæ ditionis incremento ex Longobardorum fide & deditione.

Desiderio Rege Papiam se recipiente Longobardi Duces, qui ex suis quisque provinciis evocati in auxilium Regis iverant, copiis collectis ad suas regiones reversi sunt, & Concilio indicto consulunt quid facto opus sit, bellone an paci hæreant? Duces, qui ex anteacta Lytprandi & Rachisii disciplina Romanum Pontificem revereri assueverant, improbare Desiderii irreligionem, qui spreto jurejurando Romanæ Ecclesiæ infestus fuisset, & pacem turbasset, in Concilio coguntur: conveniuntque in hanc sententiam, eundum omnino communi nomine ad Pontificem, supplicique oratione agendum, ut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremio recipiantur. Itur ergo ad Pontificem, supplicatur, impetraturque, ut omnes à Longobardis oriundi, Piceni, Umbri, sive Spoletini, Beneventani, Samnitesve, & Reatini, Tuscique, Romanæ Ecclesiæ in posterum filii, dedititiique sint, & in suis oppidis, regionibusque, & possessionis juribus permaneant, suprema ditione, sive Imperio soli Romanæ Ecclesiæ competente, cui sese Longobardi sua sponte dedidere. Non est operæ pretium singula quæque referre à Blondo, Platina, cæterisque repetita, de Vaticani regione Longobardis pro incolatu adscripta, & de Aldiprando, Duce Longobardorum nobilissimo, Spoleti & alibi constituto, quem *Hildebrandum* aliquis scripsit; hoc ego tantum repeto, Romanæ ditionis incrementum ab ea Longobardorum deditione emanasse, antequam Carolus ad Pontificem iter faceret. Illi ergo rerum ignari, qui viginti librorum revolutione inflati latrant in Longobardos, Barbaros eos, feros, impiosque scriptitantes, sua sese ignoratione produnt, dum ignorasse illa probantur, quæ retulit serioso ordine Blondus *lib.* I. secundæ *Decadis* iis verbis: *Eam deditionem in hanc formam invenio factam*, &c. Platina similiter in *Adriani Vita* sic notat: *At Spoletini, Reatini, ac Longobardi omnes*, &c. Sabellicus quoque *libro* VIII. *Enneadis* octavæ hæc refert: *Spoletini primi omnium*, *Reatinique*, &c. Unde ergo barbaries in illis argui, qui in Italia nati erant, potuit? unde, quæso, feritas dici potuit illorum virorum, qui ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ pedes, vel limina, supplices iverunt, ac sese ei dediderunt. Unde tandem impietas fingi in illis, atque impingi potuit, qui Italicarum provinciarum dominia, Ducatusque, ducentos annos possessa, sponte in Romanam Ecclesiam contulerunt? Garrula ergo atque inanis istorum scriniariorum latratio atque obtrectatio est, cani ad Lunæ cornua ululanti ferme assimilanda: ululant quidem illi ipsi, ut audiantur potius quam ut dixisse, scripsisseve, aliquid ratione intelligantur. Aldebrandi etiam Longobardi Ducis constitutio ab Adriano facta, tam amplo, latoque, Ducatu eidem attributo, quid aliud indicat, quam gentis fidem ac probitatem Pontifici notam? Vaticani item regio genti designata, nunquid indignitatem Longobardorum arguit? an vero dignos eos fuisse Urbis incolatu probat? Inepte igitur quidam Scriptor Caco latroni Regnum Longobardorum, imo Italicum, comparat, sola garrulitate contendens: sed multo aptius ipse Cerbero assimilandus est, Stygio ore rictus & latratus fundens in umbras defunctorum, à quibus oriundus est, uno actu simul & ingratum animum, & à veritate prorsus aversum suopte ingenio, moribusque, pandens.

CAP.

CAP. XV.

De Caroli Regis profectione ad Pontificem, & reditu.

CAROLUS Rex, dispositis circa Papiam obsidendam gentibus, Veronam cum copiarum parte profectus in deditionem recepit, nepotibus ex fratre sese eidem credentibus: receptaque fere omni Transpadana regione, Romam petit, atque ad Pontificis pedes procumbens, Christiano ritu Sedem Apostolicam in honorem Dei quam maxime veneratus fuit: jurejurando etiam sese sponte sua adigens, quod Romanæ Ecclesiæ defensor Regni sui nomine futurus esset: quod mirabili virtute ac constantia præstitit; unde & *Magni* cognomentum nomini suo adjicere solus ipse inter Christianos meruit, & successoribus suis Francorum Regibus *Christianissimi* epithetum coronæ affixit. Quod *Christianissimi* vocabulum effingere voce sua materna Franci nesciunt, nequeuntve, sed pro eo *Transchristianum*, sive *Très-Chrestien*, dicunt: *Trans* enim præpositio positivo nomini adjecta superlativum Gallice elegantissime ac brevissime format: sic etiam *Très-bien*, sive *Transbene*, pro *optime*, Francia loquitur. Omitto hoc loco ea repetere, quæ cæteris Scriptoribus ter quaterque relata sunt; peracta scilicet inter Adrianum Pontificem & Carolum Regem de Ecclesiæ dominio.

Reversus ad Ticini Castra Carolus Desiderio per internuntium significat, non esse unde sibi auxilium ferri ulterius exspectet; Veronam ab Aldigisio filio suo destitutam, una cum plerisque Transpadanis urbibus in sua potestate esse; Forojulianos aversos jam pridem ab eo ad Pontificem respicere; cæteros Italicos Longobardos res suas composuisse, eo intra Papiæ angustias derelicto; prospiceret itaque sibi, & quandoquidem de Regno actum esse cerneret, saluti saltem suæ & civitatis consuleret: hoc etiam adjecto, si in septimum usque diem deditionem distulisset, omnem se licentiam ac feritatem exercitui suo in obsessos permissurum. Jussit subinde una cum internuntio Veronensem civem genere Longobardum subire muros, coramque referre rerum ipsarum seriem, ut certo nuntio commotus Desiderius promptior ad deditionem fieret. Nuntio igitur accepto Desiderius præstolari responsum nuntium jubet, abstractumque ab ejus adspectu Veronensem rogat, *quis sit rerum publicarum status? quæ suorum fortuna? quæ spes subesse possit?* Ubi vero disjectas opes, amicitiasque solutas, & filium profugum ab Italia accepit, vehementer ingemuit: *Heu quo me mea depulit concupiscentia! Dux eram in Etruria, Regnum volui, & habui: vivebam in pace ac majestate, solus in Italia Rex eram, solusque regnassem, nisi ego ipse ambitione elatus fractis legibus Dei Ecclesiam lacessissem: rogabar olim & dedignabar, nunc vero circumseptus hostium globis, regnum, quod augere putaveram, cogor dimittere; mea simul libertate, una cum regno, hostili arbitrio summittenda. Oh saltem mihi vilis servi conditio hoc tempore adesset, qua fugam tentare, ac filii mei exsilium subsequi liceret! Quid agam? immo eo redactus sum, ut nihil agam, mea jam potestate subacta: dedam igitur me, dedam hoc infelix atque infaustum Regnum, quod in me Regnum esse desinet: dedam hanc urbem, quam nec ferro, aut igne, hostis capere, nec jam sexto exacto mense obsessam frangere sua mora potest: dedam certe omnia omnibus mihi hoc tempore adversantibus, & pene à Regia dejicientibus.* Evocato deinde nuntio, ait: *Renuntiate Carolo Regi crastina die me rectores civitatis ad eum emissurum, qui meo nomine transigenda component, velit propterea, dum hujusmodi tractanda erunt, ab injuria & vi milites suos continere, quod ego similiter faciam.* Dimissoque utroque nuncio edici jussit, ne à muris missilia in hostes torquerentur, Carolo similiter à civitatis accessu & læsione suos prohibente.

CAP. XVI.

De Desiderii Regis deditione.

SI ulla unquam nox infesta Desiderio in vita fuit, hæc ipsa omnino molesta ei visa est, quam inops consilii Rex insomnis exegit, ortaque luce adeuntibus civitatis rectoribus, qui pridie moniti fuerant, affuit, atque hoc sermone eos allocutus est: *Ego satis cerno, me in rerum nostrarum desperatione ad Carolum Regem vos emittere, ut ab eo potius conditio accipiatur, quam transigatur. Attamen si nos rerum desperatio ac pestilentia, quæ ut videtis jam serpit vehementius, urgent, Carolum quoque Regem torquent mora obsidendi, sumptus, belli incommoditas, & periculum regni sui à finitimis invadendi: itaque in dispari rerum eventu nos & ille constituti, singuli tamen tædio & incommodo affecti sumus. Ite igitur fidentes animis, & nobis vobisque consulite, dissimulate mala, in quibus versamur: sed nihil tamen statuite; nisi meipso præmonito: unus vestrûm redeat, aliis interim in Castris præstolantibus.* Itur ad Carolum Regem, in Salvatoris Monasterio, sine Monachorum molestia, hospitium habentem: recipiuntur humaniter, audiuntur, impetrantur petita, una tantum propositione rejecta: dimitti enim se Desiderius postulaverat; contra Carolus ajebat, regium jus esse personale, & ideo, qui Regem in manu habet, & dimittit, Regnum periculo subjicit: quod ipse Carolus evitare cupiens, Regem penes se habere, non in vinculis, sed in honore ac commodo omnino velle. Accipit conditionem, conditione cogente, Desiderius, deditione facta mense septimo inchoato ab obsidionis die, & pestilentia tunc obsessos infestante, ut notat Sigebertus in *Caroli gestis* anni DCCLXXV.

Is igitur finis Italici belli & Longobardi Regni in ipsa gente fuit, anno, ut plerique notant, septingentesimo & septuagesimo quinto ab ortu Domini, & ab adventu Longobardorum ducentesimo & quinto: qua tamen in re variatur à Scriptoribus, quibusdam Papiæ deditionem factam affirmantibus post annum octogesimum supra septingentesimum. Qua deditione secuta, Papiaque sub Caroli Regis potestate constituta, Longobardæ leges rejectæ fuerunt: Regni enim potestate amissa, transferri legum potestatem ad victoris arbitrium necesse fuit; illisque ex desuetudine abrogatis, rediere Italici populi, alii ad Romana jura, iis tantum non receptis, quæ Justiniani inconstantia male condiderat; alii Pontificum decreta pro legibus susceperunt, quæ in volumine congesta *Decretales* postea appellarunt; alii sua sibi jura componentes, statuta ediderunt, juri communi publica auctoritate derogantia: quibus quidem statutis Italicæ civitates in Circumpadanis utuntur, illis nonnunquam suo jure reformatis. Nec tamen propterea omnes Longobardos Italicos Carolus subegit, nam Forojulienses & alios finitimos in statu suo intactos dimisit: in Galliamque profecturus, peditum & equitum Longobardorum agmina exercitui suo adjecit; quorum opera in Hispanico bello & Saxonico strenue usus fuit, ut Blondus & Sabellicus referunt. Prudenter autem Carolus Rex, rei bellicæ peritissimus, robur Longobardorum militum ab Italia deduxit, ne ipso discedente bellaces viri in Italia dimissi, & gentis suæ imperio assueti, tumultus cierent, & ad amissum Regni decus respicerent. Atque hoc ordine & tempore bello confecto, pacataque Italia, præfectisque provinciis Italicis, quæ sub Desiderio erant, suis Ducibus, Carolus in Galliam est reversus.

CAP. XVII.

De Scriptorum ambiguitatibus.

MULTA circa Papiæ deditionem, & finem Longobardi Regni, congerunt Scriptores, quæ ambigua videntur. Sabellicus inprimis, Veneti honoris

noris studiosus, viginti naves Venetas affuisse Caroli præsidio notat; secutus, ut ait, quendam Justinianum: cui respondeo, onerarias naves cibaria invexisse Caroli exercitui clarum est, sed navibus oppugnatam fuisse civitatem à vero abest, mœnibus ipsis à flumine ea ætate procul sitis; ita ut navali pugna peti muri nequicquam possent, civitate procul à Ticino ad teli, vel lapidis, jactum in alto sita, & alveo fluminis in imo posito. Fingant ergo decus Venetis aliunde Scriptores quam ex Longobardi Regni exitu, qui solius Caroli virtuti cessit.

Alter popularis Scriptor Desiderium religiosum fuisse asserit, templaque construxisse, ac pro Christiana Republica multa confecisse bella; quæ omnia sine probato auctore referens, inania facit, & se circulatori similiorem esse quam Scriptori demonstrat. Probabilior autem videtur Pauli Diaconi Longobardi Historici attestatio, scripta ab eodem libro V. *de gestis Longobardorum* capite IV. ubi narrat prædictionem religiosi viri comminantis excidium Regni tempore, quo Dei honorificentia despectui genti esset, subdens hæc verba: *Quod nos ita esse probavimus, qui ante Longobardorum perditionem, eandem Beati Joannis Baptistæ Basilicam per viles personas gubernari conspeximus, ita ut indignis & adulteris, non pro vitæ merito, sed pro datione præmiorum idem venerabilis locus tribueretur.* Et quem Paulum Desiderii familiarem fuisse, & in Galliam una profectum, Platina refert in *Vita Adriani*, viri probitatem ac literaturam probans his verbis: *Paulum quoque Longobardum*, &c. Spreta ergo Dei reverentia, non solum à Rege Desiderio, sed etiam à gente fuit, cum Caroli Regis potentia in ipsam gentem conversa est. Hacque fortasse causa Paulus Diaconus gentis suæ historiam texens usque ad Lytprandi tempus perveniens, omisit subsecuta tempora Astulphi, & Desiderii, ne utriusque Regis facinora, à Christianæ fidei institutis declinantia, in gentis suæ dedecus referret; stricte tantum de Astulpho scribens libro XXII. *de gestis Romanorum*, quod non destiterit Pontificem Romanum vi opprimere per hæc verba: *Inter hæc autem Stephanus Papa Romanus multa mala ab Astulpho Rege perpessus ad Francos confugit sub Pipino*, &c. Et paulo infra ait: *Prædictus namque Papa Stephanus vi pressus, & crudelitate coactus Astulphi, in Franciam ivit*, &c. Sileant ergo popularium virorum scripta, quæ religionem viguisse in Desiderio narrant, & alia pro fabulis habenda: stetque hæc sententia immutabilis, spreta Dei majestas tandem in contemptorem vertitur.

Tertia sequitur ambiguitas de filiis Desiderii, quos duos fuisse idem Scriptor commentitius retulit. Ego unum tantum Aldigisium natum à Desiderio accepi, non autem duos, qui Verona relicta ad Constantinopolitanum Imperatorem confugit, ut notant Paulus Diaconus libro XXIII. in fine *de gestis Romanorum*, & Sigebertus, quos Blondus & Platina secuti sunt. Idemque Aldigisius in Siciliam trajiciens cum Græcis Ducibus Longobardiæ majoris Regem sese inscribens, bellum infeliciter movit, & occisus est, ut ipse Paulus scribit *libro* XXIII. his verbis: *Anno nono Imperii sui Irenen*, &c. Et paulo infra: *Interea Irene misit Joannem*, &c. Exstinctaque hoc modo Desiderii proles masculina fuit, à qua originem Vicecomitum fluxisse nonnulli temere ac inepte arguunt, nullo prorsus argumento ab aliquo probato Auctore deducto, ut in tanta re decuit.

Quarta dubitatio versatur circa Divi Theodori Papiensis Episcopi tempus, quem virum nonnulli cives mei scribunt vixisse sub Desiderio, & à Leone tertio Pontifice sacra suscepisse: quod non probo hac ratione: nam Petrus Episcopus Longobardus Lytprandi consanguineus vixit in Episcopatu

A annos quatuordecim, decessitque ab humanis superstite Lytprando; cui Petro succedens Theodorus, qui vixit annos quatuordecim, nullo modo pervenisse ad Desiderii tempora potuit, in quibus obsessa Papia fuit: quoniam post Lytprandum regnavit Rachis, sive Rachisius, annos septem, deinde Astulphus frater alios septem, quibus si addas annos duos, vel unum, quo creatus Episcopus Theodorus sub Lytprando fuit, necesse est fateri ipsum sanctum virum à vita emigrasse ante Desiderii obsidionem factam anno decimo septimo regni ejus. Et quod nostri narrant, sanctum virum precibus suis hostium acies avertisse à portis civitatis, Deo illi favente, probo quidem evenisse sub
B Astulphi Regno, quando civitas Pipini Regis agmina propinquari sensit. Item, quod de Leone Pontifice dicitur, vixisse Theodorum sub ejus Pontificatu, non abnuo, sed electum prius Episcopum puto. Verumtamen meam sententiam tanti non facio, ut niti hac in re contentione velim: scribens enim antiqua, minime à me visa, tam decipi possum ego, quam priores, qui similiter non visa prodiderunt. Scribuntur alia plura à veritate semota, quæ omitti à me decet, ne reprobando potius quam scribendo studium adhibuisse censear.

CAP. XVIII.

De Regni Italici mutatione, & Longobardorum
C *gloria, Pontificalique dominio.*

Qui Italicarum rerum eventus à prima Gothorum irruptione usque ad Caroli Magni adventum contemplatus fuerit, mirari multorum exemplo & dubitare poterit, cur in trecentorum & sexaginta quinque annorum intervallo, exterarum fere semper gentium regna, vel imperia, Italicis provinciis dominata fuerint, nemoque ex nostra gente in lucem venerit, qui dominia ab alienis eripere, sibique vendicare ausus sit, cum prioribus, ut accepimus, seculis floruerint in Italia viri, non solum suæ, sed aliarum etiam nationum
D libertatis vindices & assertores? Dixerit hoc loco aliquis, divina voluntas fuit, cujus sunt regna & imperia. Respondeo, sunt omnino Dei regnorum potestates; sed ego quæro, cur dominia olim in Italiæ potestate constituta, ablataque postea, nunquam Italiæ restituta fuerint ab anno quadringentesimo & decimo ab ortu Domini, usque ad annum (ut dixi) septingentesimum & septuagesimum quintum? Illa enim superna voluntas, cui justitia ab æterno inest, nullo modo abolere regna, sine Regum, vel Populorum, demerito atque excessu solet. Cujus quidem Justitiæ causam quærito: dicere ergo ingenue ac humaniter necesse est, indignam dominio ac libertate, quibus olim potita fuit, Italiam tunc Deo æterno visam: causam
E autem indignitatis inquirere hoc tempore difficile est, tot jam transactis seculis in magno Scriptorum silentio, qui referre rerum successus potius quam causas studuerunt. Duplicem tamen esse causam regni mutandi plerunque reperio, unam humanam, alteram divinam. Humana causa Regna mutantur, à gente in gentem propter unius gentis injustitias, longo tempore sine impunitate ac sine pœnitentia perpetratas, quæ, ut dicitur, fœtent in conspectu Dei, ejusque iram excitant in transgressores, alterius gentis manu à Regno dejiciendos; quæ quidem humana causa pendet à divina. Divina vero causa multiplex est & incomprehensibilis propter altitudinem divinæ mentis ac sapientiæ,
F divinique judicii, quod nostræ infirmitati inscrutabile est: nam si terrena, quæ miramur, vix tenemus, quomodo divina, à nobis remota, immo abscondita, percipiemus? Verumtamen visum interdum est divinæ potestati, per servos suos causas eventuum ac mutationum populis indicare, ante-

tequam fiant, ut corrigantur, aut postquam facta sunt, ut cæteri intelligentes absterreantur.

Causam ergo Italici dominii ad exteros transferendi modeste agendo, dicemus fuisse divinæ mentis arbitrium, ut uno actu duos effectus operaretur: primum, quod Italia, quæ olim in Imperii tantum glorificatione exsultaverat, per illius amissionem desineret in sese gloriari, ac aliis simili modo populis (ut ipsa imperaverat) obtemperaret, & pro antiqua ambitione novam humilitatem susciperet, atque per humiliationem Deum imperii dominum, & non seipsam, esse agnosceret: alterum, quod aliæ nationes ex eo actu intelligerent, uno tam sublimi Romano Imperio dejecto, quo nullum majus unquam in terris fuit, sua similiter Regna, eodem jubente Deo, alterius gentis manu fore dissolvenda; erigerentque iccirco animos in Deum, tanquam Regnorum Principem agnoscendum, colendum, & solum Dominum existimandum. Quo quidem Deo à quavis gente pro Domino habito & glorificato, gentem simul ipsam gloriam à Deo recipere, sive per Regnum, sive alio decore necesse est, ita nobis antiquo Propheta ejus nomine attestante libro I. *Regum* capite II. *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et alibi idem fere à Samuele dictum fuit, capite XVIII. ejusdem *libri*: *Si timueritis Deum*, &c. Et ne humanæ mentes, quæ nodum sæpe in scirpo quærunt, & à veritatis luce recedunt, existimarent Romanum Imperium casu, aut natura collapsum, annunciatorem & vatem mille & amplius annis ante præmisit Deus, nostræ perditionis indicem, qui prospiciens ab alto Judæorum turmas & castrametationem, coactus spiritu in hæc verba prorupit: *Heu heu quis victurus eo usque erit, quando ista faciet Deus? venient in triremibus de Italia, qui superabunt* Assyrios, *vastabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.* Quæ verba habentur in libro *Numeri*, capite XXI. in fine; & quæ demum prædictio facta est quingentis & amplius annis ante Romam conditam, quo tempore nondum Itala militia in honore & fama apud externas gentes esse poterat. Adimpletaque tandem fuit Romanis, sub Vespasiano & Tito, Judæam una cum finitimis subigentibus, & Herulis deinde, Gothisque, & Longobardis Italos & Græcos superantibus. Dixitque ille longævus vates, Deum illa omnia esse facturum, ut ostenderet regnorum potestates in manu Dei esse, quamvis humanis viribus constituantur, pariterque evertantur, quæ hominum operatio Dei voluntati famulatur. Nam quemadmodum faber in officina fabrilia suo arbitratu collocat, amovetque, & malleo ac cote gladium format, acuitque, deinde acutum retundit ac infirmat; multo quidem majore potestate ac sapientia Deus hominum opera pro sui arbitrii instrumento utitur adversus alios homines sibi infestos, Regna hic figens ubi non erant, & illinc refigens, ubi olim conspicua erant.

Hinc gentes olim ignobiles in tempore à Deo constituto multiplicari legimus, nascique ex eis viros animis, viribusque, conspicuos, & ad bella gerenda suapte natura pronos, qui divino infusi impulsive, judicio irruerunt in alios populos, Regnaque everterunt, ac suis nominibus dominia constituerunt, ut Gothi, Hunni, Alani, Vandalique fecere; quorum initia vix memoratu digna videntur. Hinc etiam eodem jubente Deo, defecisse postea in illis gentibus multiplicationem virorum & præstantiam, ac ferme in nihilum recidisse accepimus, alia insurgente gente, & quasi malleo Dei priorem contundente, ut hoc loco etiam omnis patefacit historia. Nam Longobardi Italia potiti, ab ea sæpe Gallos repulerunt, Græcos ejecerunt, & Orientalis Imperii dominium, immo Romanum, (ut vocabatur) in Italia exstinxerunt, Avares, sive Bavaros, Sclavos, sive Dalmatas, item Saracenos Italiam ingressos, telis confecerunt: nullusque in Europa gladius intra ducentos annos præstantior atque validior, quam Longobardus fuit. Ecce autem Deo ab eis faciem avertente, languere ac deficere ipsorum fortitudo, contraque invalescere Francorum robur ac præstantia visa sunt, Longobardo Regno incruenta victoria confracto, sibique subjecto. Quibus quidem mutationibus circumspectis, nihil aliud esse Regnum, vel Imperium, existimare possumus, quam humanam potestatem, hominum opera à Deo in terris positam, & ad ejus pariter nutum deponendam; & qua demum potestate à Longobardis in Francos delata, quicquid honoris, decorisque, Francis accessit, ex Dei providentia illis operantibus accessit, (operari enim homines, ac labores & pericula adire in rebus eximiis necesse est, etiam Deo eis favente) & quicquid ex adverso dedecoris ac indignitatis Longobardis accessit, illis similiter adversante Deo contigit. Tuque, infelix Italia, particeps illius indignitatis effecta es, quoniam Italicum illud Regnum erat, tum quia in Italia, tum quia in gente Italica positum erat, quamvis antiqua agnatione Longobarda esset. Quo quidem Italico Regno à te in Galliam, Franciamve, translato, indignam Regno Italiam, dignam vero Franciam Deus illa translatione fecit, nec per Italorum manus, ne ulla honoris pars eis contingeret, sed per alienigenas ipsam mutationem fecit, ut ipsis tantum Francis devicti Regni famam tribueret, Italiamque penitus Regia honorificentia exueret. Ademit itaque Carolus Italiæ Regni honorem, eundemque tanquam eximium, clarissimumque, sibi adscripsit, iis postea usus titulis, *Carolus Francorum & Longobardorum Rex*, &c. Quæ inscriptio in ejus legibus præposita legitur. Nec propterea gentem Longobardam Carolus victoriam consequutus despectui, sed honori habuit: nam Longobardiam contracto nomine, tam ipse, quam Romanus Pontifex, & Populus appellavit omnem Circumpadanam oram inter Alpes & Apenninum sitam: quam appellationem secuta est posteritas, Romandiola tantum Romanæ Ecclesiæ aggregata. Vicum etiam in Vaticano pro Longobardorum incolatu Roma cessit, quem vicum posteri commutarunt, sedibus intra Urbem prope viam latam sibi statutis, Lombardiæ nomine vico imposito in antiquæ gentis honorem; exstatque etiam Bononiæ vetus agnatio Lombarda appellata. Nullum denique discrimen viguisse inter Italos & Longobardos ea ætate omnes Scriptores tradunt, origine scilicet ab utrisque pariter ab Italia deducta, quamvis aliqua cognomina suapte enunciatione Longobardos referrent, veluti Eolpertos, Landulphos, Grimoaldos, (hodie Grimaldos) Oldovinos, Caripertos, Chisserios, similesque vocis sono ab Itala lingua dissonos. Nec in Italia solum dignos honorificentia Longobardos Carolus existimavit, publico omnium scientiarum Gymnasio Papiæ constituto, ut Sabellicus notat, quod hodie etiam celebre est, & à provincialibus frequentatur, nostratibus in eo Doctoribus primas sedes obtinentibus: sed in Francia etiam eidem genti magnum honorem & commodum impendere Regia majestas curavit, insigni & amplo collegio Parisiis constructo & Longobardorum nuncupato, quod hodie etiam tanquam celeberrimum visum à me in Gallia versante fuit. Petrus quoque Lombardus, vir peritissimus, in gentis suæ decus à Francorum Rege olim Parisiorum Antistes electus, à Sede similiter Apostolica approbatus est, peritiæque causa *Magister Sententiarum* appellari meruit, ejus scriptis à Catholica, sanctaque Romana Ecclesia publice receptis, & in Academiis palam lectis ac recitatis.

His ergo honoribus decorata gens Longobarda post

post amissum Regnum, Pontificum, Regum, ac illustrium nationum judicio, semper in existimatione fuit: ex qua quidem re vaniloqui atque dicaces arguuntur singuli, qui eis obtrectare insano sermone ausi sunt; Regno eorum tam ex diuturnitate approbato, quam ex Caroli susceptione, qui si latronum Regnum esse illud perspexisset, ut quidam falso atque insulse scripsit, ac etiam Senatus Consulto reprobatus fuit, aboleviset potius Regni nomen Carolus, quam erexisset ejus titulo assumpto. Nec omnino cujusquam dicacitas tollere à Longobardis honorem exstincti Orientalis Imperii, & erectæ Romanæ Ecclesiæ ditionis in ipsa Urbe, Latio, Campania, Etruriaque poterit, quam constat, non à Constantini primi donatione, quæ in irritum cessit, sed ab Exarchi ejectione Longobarda manu facta initium habuisse: antea enim Romanus Pontifex nullam ditionem in Urbe, minusque in Italia exercuit, iis exceptis regionibus, quas Platina & Sabellicus donasse Aripertum, & alios Reges Longobardos, Romanæ Ecclesiæ scribunt: nec etiam ipse Pontifex satis liber sub illis scelestis Orientalibus Romæ imperantibus esse potuit. Piget ad hoc demonstrandum transacta repetere. Quoties Romanis Pontificibus Imperatorum jussu vincula injecta fuisse legimus? Quoties violenta manu interitum illatum accepimus, aut exsilium indictum? Quoties retractata, revocataque, electio Pontificum fuit, ac divina jura nefario ausu temerata? Hæccine igitur Ecclesiæ libertas; aut donationis auctoritas ad actum possessionis perducta fuit? Hæccine ditio Romanæ Ecclesiæ, an subjectio, famulatioque censenda erat? Omnis ergo origo Romani dominii in Ecclesia constituti, ab Exarchi ejectione initium habuit: Exarchi autem ejectio à Longobardis; ergo Longobarda manus viam, aditumque ad dominium consequendum Romanæ Ecclesiæ aperuit, potius quam Constantini largitio: quem quidem aditum Pipinus Rex perfecit, Carolusque filius amplificavit. At si Orientalis potestas ejecta ab Italia Longobarda manu non fuisset, nullo modo Francorum Rex in Italiam descendisset, subjectaque Exarcho Romana jurisdictio, & minime in Pontifices collata fuisset. Is ergo aditus Romanæ ditionis à Longobardis patefactus, paratusque, necessario Longobardorum virtuti ac viribus referendus est, Dei semper prælata honorificentia; istudque Romani Pontificis Imperium in Italia constitutum, quod miramur, constitutum nunquam fuisset, si Orientale venenum expugnatum ac fugatum à nostris aris non esset. Gratiam igitur habeamus divino numini, quod amisso Longobardo Regno, ac in Carolum translato, aliud nobis Regnum Pontificale contulit, quod Romano Imperio eo præstantius est, quo animi dignitas corporeæ moli magis præstat. Romanum enim Imperium provincialibus jus dicere atque imperare tamdiu potuit, quamdiu in eos potestatem habuit, qua amissa potestate Imperium simul evanuit. Pontificalis autem auctoritas tamdiu in honore atque observantia erit, quamdiu Christianæ religionis fides, & Pontificum sanctitas, in orbe duraverit: quæ duo summa bona faxit Omnipotens Deus, ut in perpetuum vigeant, conjunctaque maneant, ne uno labante, aut titubante, alterum comminuatur, comminutumque temnatur.

CAP. XIX.

De rerum discrimine.

SI mei instituti fuisset ad Caroli Magni tempora scriptionem extendere, de Francia, & ejus Provinciis, & Regno aliqua memoratu digna, à

A me cognita retulissem, quæ cogor omittere: quoniam ea tantum hoc volumine colligenda censui, quæ Italicis rebus conjuncta erant, ac probare poterant Romani Imperii potestatem in Occidente prorsus eo tempore Longobarda manu fuisse dejectam, vigintique & amplius annis ejus nomen inter Occidentales conticuisse, uno tantum Adriano Romano Pontifice, ac Leone tertio post Adrianum ditionem moderante. Cujus quidem Imperii interitus in Occidente, quid operatus fuerit, in posteriore Imperii potestate à Pontifice erecta, alio loco excutiendum esset: cum dissimile posterius à priore Imperio in pluribus discernatur, præcipue in electione, constitutione, ac imperitatione:

B qua diversitate attenta, diversum esse istud nostri temporis Imperium, diversique juris à priore Romano Imperio dubitari ratione potest: qua tamen omissa dubitatione, consummare Opusculum meum hoc loco statui, imitatusque eos, qui longum iter emensi respiciunt montes, oppida, & flumina à tergo relicta, ita ego respectans Regna olim dejecta, prostrata Imperia, perditas civitates, provinciarum mutata nomina, gentesque funditus deletas, in meme versus cogito; ô insensati, qui tot ac tanta ad Dei nutum eversa, confracta, atque exstincta legimus, ac etiam vidimus, quid miramur nostra? quid cupimus? quid expetimus? si ea, quæ habere videmur, vix habemus, alienis in nostra bona sæpe irruentibus.

C Quicquid congeritur, quicquid in terris acquiritur, quicquid nostris viribus firmatur, amissionis discrimini subjicitur, atque à nobis aliquando avellitur, conferturque in barbarum (ut ille notat) militem, immo potius accipitrem, sive raptorem: nullo ergo modo fidere humano consilio, humanisque rebus, tutum est, singula suo nutu versante Deo; periit Romanum Imperium olim in Italia, periit etiam patrum nostrorum memoria in Græcia; periit similiter in Francia, alibique, ubi quondam in admiratione atque amplitudine visum fuit. Nec tamen in tanti dominii interitu satis digne, matureque, expergiscimur, ac meditamur, quo nostra consilia, actusque dirigamus.

D Ille CAROLUM QUINTUM composito ad gratiam verborum plausu rebusque male gestis silentio involutis, vivens viventem celebrat. Alter in faciem Romanum Pontificem beatissimum appellat: à quo tandem nihil consecutus, secedens à nostris oris ruit in dicteria, eundemque virum, quem suis scriptis probaverat, mox lacerat maledictis, atque ingratum appellat: quidam alius Regem Francorum suis carminibus in cœlo collocat, divisque comparat: mox ab eo semotus contraria fatur, hostique blanditur, versipellisque in moribus, in habitu, ac in dicendo efficitur. At quanto præclarius esset Deum Regum Dominum celebrare, à quo quicquid ad nos manat, longe stabilius est, quam quod manat à Principe, humanis casibus obnoxio?

E Nostra ergo consilia, nostræque actiones in hujusmodi rerum humanarum turbine ad Dei æterni venerationem essent dirigendæ, quod minime facimus. Sicut itaque nos à terrestri potestate potius quam à Deo nostra acta auspicamur, ita nostra acta una cum mortali Principe collapsa sæpe miramur ac deploramus, ipso nos eludente Deo, nostraque vota contrario eventu sæpissime fluctuante. A quo quidem errore si mihi abesse mea imbecillitate licuerit, nescio (sum enim homo sicut cæteri, altiusque fortasse cæteris infixus limo) si tamen ab eo errore

F me procul esse contigerit, quod cupio, gaudebo audacter Deum me potius invocasse, quam Reges terræ, atque ita ad ipsius Dei glorificationem labores meos referens finem *Ticinensi Historiæ* impono.

Ego Hippolytus Rubeus, Episcopus Papiensis, visa D. Inquisitoris subscriptione, subscripsi.

Ego Frater Dominicus Pusterla, Inquisitor Papiæ, subscripsi, & merito comprobavi.

INDEX
LIBRORUM & CAPITUM.

LIBER I.

CAPUT I. *De Italiæ situ, & diversitate.*
II. *De Insulis.*
III. *De Cisapenninica Italiæ parte.*
IV. *De Apennino monte, & ejus objectu.*
V. *De Orientali Italiæ parte, in qua præstantes Equi gignuntur.*
VI. *Communia utriusque Regionis & Romæ propria.*
VII. *De Agri Tusculani differentia à Romano.*
VIII. *De Apenninica Italiæ parte.*
IX. *De Circumpadana Italiæ parte.*
X. *De ejusdem regionis aere, & proprietate.*
XI. *De Venetia, & Aquilonari Vento.*
XII. *De orientis Solis prospectu.*
XIII. *De Occidentalis & Orientalis Venti flatu.*
XIV. *Quomodo Venetia Transpadanis conjungatur, & de ipsius Populi antiquitate.*
XV. *De Mantua.*

LIBER II.

I. *De Insubria, aliisque Circumpadanis partibus, & ipsarum habitatoribus.*
II. *De Ligurum origine, & populis.*
III. *De Liguribus Ticini accolis.*
IV. *De Lævorum nuncupatione, & Ticino condito.*
V. *De Pado, & Ticino fluminibus.*
VI. *De tempore ædificationis Ticini.*
VII. *Cur in Romanorum fuga à Ticino, de oppido mentio nulla fiat.*
VIII. *Antiquitatis dignitatem à gente statui potius quam à structura oppidi.*
IX. *De Maricis Populis.*

LIBER III.

I. *De Statu Urbium & Populorum.*
II. *De Coloniarum subjectione.*
III. *De Lævorum Libertate, ac Dominio.*
IV. *De Lævorum amicitia cum Romano Populo, & Cremonensium captivitate.*
V. *De Cremonensium colonorum origine.*
VI. *De antiquioribus Populis Transpadanæ Provinciæ.*
VII. *De Ticinensium & Cremonensium antiquo Dominio, & Statu.*
VIII. *De utriusque Populi Fide.*

LIBER IV.

I. *De Insubria in Provinciam redacta.*
II. *De Insubriæ Situ, & Partibus.*
III. *De Læumellinæ situ, & populis.*
IV. *De Asparago.*
V. *De Fungis.*
VI. *De Moris, & Bombycibus.*
VII. *De Fragis, & Serpillo.*
VIII. *De Fœni diversitate.*
IX. *De Messis varietate & copia.*
X. *De Lini præstantia.*
XI. *De Lini Semine, & ejus Oleo.*
XII. *De Vitibus, & Labrusca, Vinoque.*
XIII. *De Venatione, & Aucupio.*
XIV. *De fatali aquarum illuvie.*

LIBER V.

I. *De Sicomario tractu.*
II. *De planicie inter Ticinum & Adduam sita.*
III. *De Irrigationis commodo.*
IV. *De salubritate Regionis.*
V. *De Ticini urbis situ, & amœnitate.*
VI. *De Fluminibus.*
VII. *De Fontibus.*

LIBER VI.

I. *De Syri adventu & concione.*
II. *Syri Aquilejensis oratio* de Deitate.
III. *De Christianæ religionis primordiis* Syri Oratio.
IV. *De Ticinensium conversione.*
V. *Contra Suetonii in Christianos dicacitatem.*
VI. *De Ligusticorum Oppidorum conversione.*
VII. *De Christianorum persecutione, sub Domitiano facta, & Syri Episcopi obitu.*
VIII. *De Ticinensibus Episcopis post Syrum constitutis.*
IX. *De Ponte Ticino imposito.*
X. *De invicta Christianorum fide.*
XI. *De Ecclesiæ fluctuatione post Constantinum.*
XII. *De Mediolanensis Ecclesiæ dignitate.*
XIII. *De Mediolanensis & Ticinensis Ecclesiæ, sive Præsulis, contentione.*

LIBER VII.

I. *De Italiæ Excidio.*
II. *De Hunnorum, aliorumque in Italiam eruptione, & Venetiæ urbis initiis.*
III. *De Vandalorum rapinis.*
IV. *De Alanis ab Italia depulsis, & Richimeri facinore.*
V. *De Italico tumultu ab Epiphanio Episcopo sedato.*
VI. *De Ravennatum simultate in Epiphanium.*
VII. *De Odoacris adventu, & Romano Imperio sublato.*
VIII. *De Italico tributo, & Ticinensium restitutione.*
IX. *De Ticini nomine in Papiam commutato.*
X. *De Theodorici adventu, & Regno, & Papiæ amplificatione.*
XI. *De Italiæ statu sub Theodorico, & divina Urbis Romæ electione.*
XII. *De Italarum Civitatum instauratione.*
XIII. *De Epiphanii legatione ad Regem Burgundiæ.*
XIV. *De Sacrosancta Eucharistia in Divionis templo ab Epiphanio collocata.*
XV. *De Epiphanii Episcopi obitu.*
XVI. *De Burgundiæ Regis amicitia cum Theodorico.*
XVII. *De Horologiis.*
XVIII. *De Boetio Severino.*

LIBER VIII.

I. *De Ænnodio, Episcopo Ticinensi, ad hæreticum Imperatorem misso.*
II. *De Pontificia Imperatoris coronatione, & unione.*
III. *De Gothici Regni variatione.*
IV. *De regia sede Papiæ constituta.*
V. *De supremo Gothorum bello, & Longobardorum dimissione.*
VI. *Abolitio notæ in regiam Papiæ sedem confictæ.*
VII. *De Justiniano Imperatore, & Romanæ Ecclesiæ jure.*
VIII. *De Longobardis, & eorum reditu in Hungariam.*
IX. *De Longobardorum origine.*
X. *De Italiæ statu sub Justino Secundo.*
XI. *De Papiæ obsidione, & deditione.*
XII. *De Papiensium jure sub Longobardis.*
XIII. *De Juramento Papiensium, & Longobardorum successu.*
XIV. *De Longobardorum regimine.*
XV. *De Authari & Agilulphi Regno.*
XVI. *De Patavii & Cremonæ excidio.*

LIBER IX.

I. *De Romana Ecclesia sui juris effecta.*
II. *De Heraclii Imperatoris præstantia & mutatione.*
III. *De Saracenis.*
IV. *De Maumethi secta.*
V. *De Theodelindæ Regno.*
VI. *De Cremonæ instauratione atque incremento.*
VII. *De Theodelindæ successoribus, & Legibus Longobardorum.*
VIII. *De Monomachia, vel Duello.*
IX. *De Monomachiæ casibus.*
X. *De ordine pugnæ.*
XI. *De Monomachiæ desuetudine.*
XII. *De Rotharii Regno.*
XIII. *De Ariperti Regis Religione.*
XIV. *De Salvatoris nomine.*
XV. *De Grimoaldi Regno.*
XVI. *De Parthariti Regis restitutione.*
XVII. *De Damiano Ticinensi Episcopo.*
XVIII. *De Morte, & Resurrectione Domini* JESU CHRISTI, *Damiani Sententia.*

LIBER X.

I. *De Ticinensis & Mediolanensis Antistitis contentione sublata.*
II. *De Lytprandi Regno, & Divi Augustini translatione.*
III. *De Divi Augustini Tumulo.*
IV. *De Petro Ticinensi Episcopo.*
V. *De Lytprandi humilitate in legibus promulgandis.*
VI. *De Exarcho fugato, & Ravenna capta, & Equestri Statua.*
VII. *De Lytprandi Obitu.*
VIII. *De Astulphi Regno.*
IX. *De Dominii libertate Romanis restituta.*
X. *De Dominio Romanæ Ecclesiæ.*
XI. *De Bononia, & Ferraria.*
XII. *De Bedæ sanctitate.*
XIII. *De Desiderii Regno, & exitu.*
XIV. *De Romanæ ditionis incremento ex Longobardorum fide & deditione.*
XV. *De Caroli Regis profectione ad Pontificem, & reditu.*
XVI. *De Desiderii Regis deditione.*
XVII. *De Scriptorum ambiguitatibus.*
XVIII. *De Regni Italici mutatione, & Longobardorum gloria, Pontificalique dominio.*
XIX. *De rerum discrimine.*

FINIS.

JO. CHRYSOSTOMI ZANCHI,

BERGOMATIS, CANONICI ORD. D. AVGVSTINI,

DE

OROBIORVM,

SIVE

CENOMANORVM,

ORIGINE,

AD PETRVM BEMBVM,

LIBRI TRES.

JOANNIS CHRYSOSTOMI ZANCHI,

BERGOMATIS, CANONICI ORD. D. AVGVSTINI,

DE

OROBIORVM,

SIVE

CENOMANORVM, ORIGINE

LIBER I.



QVAM magna sit rerum omnium, quæ cœli terræque ambitu continentur, atque imprimis quidem hominum, Petre Bembe, diversitas, licet aliis quoque rationibus haud difficile C colligas, tamen hinc quam facillime cognosci posse judicarim: quod quemadmodum è terra tam variæ herbarum, fruticum, atque arborum species, tamque disparia bestiarum, vel cicurum, vel ferarum, cæterorumque animantium omnium genera prodeunt: sic diversæ etiam animorum propensiones, applicationesque, aliis atque aliis cum artibus, tum studiis exercendis, pro varia principiorum qualitate ac mixtura proveniunt. Nam sicut apud Aristophanem [1] senex ille loquitur Chremylus:

Ὁ μὲν γὰρ αὐτῶν σκυτοτομεῖ καθήμενος·
Ἕτερος δὲ χαλκεύει τις· ὁ δὲ τεκταίνεται·
Ὁ δὲ χρυσοχοεῖ γε [2], χρυσίον παρὰ σοῦ λαβών· D
Ὁ δὲ λωποδυτεῖ γε· νὴ Δί'· ὁ δὲ τοιχωρυχεῖ·
Ὁ δὲ κναφεύει [3]· ὁ δὲ πλύνει κώδια·
Ὁ δὲ βυρσοδεψεῖ γε· ὁ δέ γε πωλεῖ κρώμυα [4].

Quibus è rebus genus hominum (ut paulo ante posui) ita variatur, ut ex ea ipsa varietate, rectissime profecto à primis illis naturæ rerum indagatoribus dictum fuisse ac creditum existimem; hominem ipsum minorem quendam mundum esse, quem Græci μικρόκοσμον dicant: quippe qui totius universi perspicuam quandam imaginem referre videatur. Quod quidem ita esse, docent tot arbores, tot herbæ, tot animantia, tot denique diversæ res, quas terra gignit, tot item contra ingeniorum propensiones, tot studia, tot artes, atque inventa, quæ nobis sunt à natura Dei dono, munereque, concessa: ut non minus fortasse innumerabiles ingeniorum sint, quam arborum, quam frugum, quam animalium, cæterarumque rerum varietates. E

Quocirca sæpe ego mecum, Petre Bembe, nonnullos tam nostri temporis, quam à remotissimis etiam seculis non indisertos plane viros admirari soleo, qui speciosa, sed plane falsa, quadam hallucinati ratione, totam hanc & artium, & studiorum dissimilitudinem tam constanter reprehendant & damnent, ut quicquid operæ ac studii cuivis alii ab ea, quam ipsi profiteantur, disciplinæ impertiatur, omnino supervacaneum ac minus utile esse F contendant, vulgatumque illud quasi oraculum quoddam subinde ingerant: proinde miserandi sunt, qui tanquam abjecti, demissique animi, aut certi loci naturam, aut unius urbis situm, aut fluminis magnitudinem, aut montis amœnitatem, accurate nobis describunt: quod nonnullos fecisse constat, memoriæ prodentes tum Ossam, tum Nysam, tum specum Corycæum, & quamvis aliam rem nominatim: quum rerum levissimarum admiratione obstupefacti videantur, & nomine explicationis rei parvæ sibi plurimum sumant & arrogent: quod quidem propterea eisdem usuvenit, quod ad res potiores contemplandas nunquam se converterint; mundi, inquam, & eorum, quæ in mundo maxima sunt. Nam si (ut res ferebat) hæc observassent, nihil omnino studii in reliquis admirandis posuissent: imo hæc ipsa omnia levia fuissent visa, & ad illorum præstantiam nulla penitus laude digna. Ego vero hujuscemodi sciolos non modo deriderem: sed & eum, quem sequi se prædicant, Aristotelem, (si modo is sit Aristoteles, ac non potius, quod nonnulli quidem asserunt, ejus discipulus Theophrastus, cujus ad Alexandrum Macedonem περὶ τοῦ κόσμου liber est editus) non sine irrisione demirarer talia dicentem, si de minorum artium professoribus, ac non potius (quod mihi quidem magis fit verisimile) de iisce loqueretur, qui spretis penitus, quæ ad animum ac mores spectant, disciplinis, levissimas tantummodo res, ac prorsus inutiles persequuntur, in hisque totum insumunt vitæ curriculum: alioquin si homines ipsi una omnes aut philosophiæ tantum (quod isti velle videntur) aut Juri Civili, aut si malueris Medicinæ, vel cuivis uni, quamvis necessario, artificio, natura essent, ingenioque suo, addicti, obstrictique, quanam obsecro via, aut ratione, civitates ipsæ, cœtusque hominum jure congregatorum conservari possent? ne dum augescere? pessime profecto, ne dum inutiliter, cum hominum genere actum esset.

Itaque, ut pedem pressius demum conferam, quum hæc mecum ipse tacitus sæpenumero cogitarem, simulque vetus illud M. Catonis elogium memoria repeterem, *Nihil agendo homines male agere discere*, facturum me rem neque ætati meæ alienam, neque patrii splendoris amatoribus penitus injucundam existimavi, si eum sermonem custodirem litteris, quem *de Orobiorum sive Cenomanorum origine* tres illi non solum sanguine, verum etiam ingenuarum artium doctrina, germani fratres, M. Marsilius, L. Petrejus, ac C. Julius Zanchi, apud M. Mauricium Annæum, qui tibi, eo tempore, quo apud nos degebas, Bembe, & familiaritate, & bonarum artium studio conjunctissimus fuit, inter se quondam habuissent: ut vel falsa illa opinio, quæ jampridem inolevisset, Orobios nimirum aut à Græcis, aut à Gallis ortum duxisse, tolleretur, expungereturque: vel mehercule etiam ut eorum virorum, à quibus patriæ nostræ origo est, memoriam jam prope senescentem, ac potius intermortuam (si modo possem) ab oblivione hominum

1 Plut. *Act.* 1. *Sc.* 11. 2 *Illud* γε *redundat.* 3 *Dictio* τις *excidit.* 4 *Lege* κρόμμυα.

num atque à ſilentio vindicarem. Quod quidem ſcribendi genus, etſi nimis læti & quaſi luxuriantis ingenii nonnullis forſitan videri poteſt, neſcio tamen quo pacto in adoleſcentibus, tanquam in herbis, ſignificare conſuevit, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ: quamvis (ut verum fatear) nequaquam intelligo, cur me tandem pudeat in colendis hiſce levioribus ſtudiis aliquantulum operæ temporiſque conſumere: in quibus non pauci ſane viri cum noſtra, tum patrum noſtrorum memoria, non mediocri cum laude ſint verſati. Parvarum namque rerum curam non defuiſſe Græcis Auctoribus, atque etiam Romanis, quis eſt qui neſciat? quum memoriæ proditum ſit, Lucianum ac Favorinum, clariſſimos plane Scriptores, id factitaſſe? quorum alter Muſcam, & Paraſiticam, Therſiten alter, & quartanam febrim ſcriptis celebravit ſuis. Quid? nonne apud Platonem Erexymachus ille Medicus legere ſe aliquando ſolitum meminit ſapientis cujuſdam viri librum, in quo ſal miris præconiis extolleretur? ut interea ſileam & Syneſium Cyrenæum, & Dionem Chryſoſtomum: è queis prior *calvitii*, poſterior vero *comæ laudes* fertur conſcripſiſſe: at vero noſtri generis quot ſummi, fortiſſimique, homines leviſſimis quibuſdam in ſtudiis atque artibus pauculas horas collocare non dedignati ſunt? quales (ut inquit Columella) fuere M. Ambivius, & Menas Licinius, tum etiam C. Mutius: quibus ſtudium fuit piſtoris, & coci, nec minus cellarii diligentiam ſuis præceptis inſtruere.

Et ut ad citeriora tandem ac notiora nobis domeſticæ virtutis exempla perveniam: Te nunc, Petre Bembe, Te, inquam, clariſſimum atque ornatiſſimum virum appello; qui quum in omni & litterarum, & virtutum genere jamdudum ita profeceris, ut vel in eloquendo, vel ſcribendo pares quidem paucos, ſuperiorem certe habeas neminem, manſuetiora tamen hæc ſtudia nunquam aut improbaveris, aut omnino contempſeris; quippe qui & *Ætnæ montis deſcriptionem* edideris, & in Virgilianos etiam luſus, ac Terentianas fabulas nonnulla cum jocunda, tum ſcitu quoque digniſſima, litterarum monumentis commendaris: quæ profecto præclara ingenii tui facinora (ut præſagire mihi ipſe jam videor) ita vigebunt memoria ſeculorum omnium, atque ita poſteritas alet, ut de tuis ſummis laudibus nulla unquam ætas tacitura ſit. Quare ſibi habeant illi, vel ſapientiæ, vel philoſophiæ nomen, obſcurum quidem illud (ut ſcite admodum inquit Cicero) & invidioſum: mecum ſane optime actum iri exiſtimabo, ſi in iis tribus, quos *de Orobiorum origine* ſcripturus ſum libris, cum noſtræ ætatis ac inſtituti adoleſcentibus, tum antiquitatis etiam obſervatoribus, non ingratum quid, nec prorſus inutile conficere potuero. Quanquam haud ſcio, (ut tuis nunc, Bembe, utar verbis) an etiam ſit hoc ipſum philoſophari; quid eſt enim magis philoſophi, quam perſcrutari veritatem? quacunque in re autem qua de agitur, quid ſit veriſſimum ſcire, vel veriſimillimum ſaltem, mea quidem ſententia pulcherrimum ſemper fuit. Verum ne longiores fortaſſe ſimus, quam res ipſa poſtulat, inſtituti tandem laboris opus aggrediar.

Igitur quum in omni amicitia nihil omnino, quod quidem in terris fiat, acceptius, nihil ad bene beateque vivendum accommodatius, inveniri queat, quam jucunda illa honeſtaque ſtudiorum ac vitæ communitas, atque animorum remiſſio, quæ maxime ſermone efficitur familiari, qui eſt in conviviis dulciſſimus, quo ita ipſi ſeſe homines concordi quadam benevolentia & charitate complecti ſolent, ut vix unquam, aut certe non admodum facile diſſolvi poſſint: ob id ſolebat mihi L. Petrejus memoriter ac jocunde narrare, (cui vel propter hominis virtutes, vel etiam propter ſtudia communia eram amiciſſimus) nonnunquam una cum Marſilio ac Julio ad M. Mauricium convivendi & diſſerendi aliquid gratia ipſius rogatu accerſituque convenire ſolitum: ubi quamvis multa & inter epulas, atque item poſt ſublatis menſis, de poeticis, deque oratoriis ſtudiis, plura & iiſce de rebus, quæ ad eam Philoſophiæ partem ſpectant, quam Græci ἠθικὴν, noſtri *moralem* vocant, invicem collata eſſent, ac diſputata, plurima tamen ajebat, ſaneque recondita, à Marſilio de principe Orobiorum ortu expoſita fuiſſe ac commemorata: è queis ea duntaxat, quæ eo referente didicimus, quæque & ad ſciendum digniora, & ad audiendum jocundiora videbuntur, ob amorem patriæ debitum, cujus nobilitatem falſis opinionibus obſcurari æquo animo nunquam ferre potui, tum etiam ut noſtrorum ingeniis viam faciam, quaſique exemplar aliquod de conſcribendis rebus antiquis proponam, in medium afferre conſtitui: neque enim non intelligo nihil nos magis niti decere, quam ne quid privatis ſtudiis de publica opera detrahamus: in quo quidem non modo noſmetipſos hebeſcere, & languere nolumus, ſed etiam, ut aliis exemplo proſimus, enitimur.

Itaque (ut ad rem redeamus) dicebat mihi idem ille Petrejus, quum aliquando apud M. Mauricium convivendi gratia unà omnes conveniſſent, plurimuſque inter diſcumbendum familiariter admodum, urbaneque, de litteris, quarum erat ſummum in omnibus ſtudium, ſermo fuiſſet habitus; tum demum ſecundis menſis poſt epulas jam remotis, ſeſe omnes in politiſſimam M. Mauricii bibliothecam contuliſſe; ubi quum omnes pariter aſſediſſent, tum Marcum ipſum alacriter admodum, ut ipſius ferebat uſus, ita fuiſſe exorſum: Ulyſſem illum Homericum probe noſtis, ornatiſſimi juvenes, quum diſcerpta navi enatando ad Phæacas appuliſſet, honorificeque ab Alcinoo, tum eorum rege, hoſpitio fuiſſet acceptus: tandem poſt epulas hujuſcemodi verbis regem allocutum *:

Ἀλκίνοε κρεῖον πάντων ἀριδείκετε λαῶν,
Ἤτοι μὲν τόδε καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶ ἀοιδοῦ
Τοιοῦδ' οἷος ὅδ' ἐστὶ θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν.
Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζονται ἀοιδοῦ
Ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν·
Τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Nunquid cenſendum eſt poetam illum, (ut fertur) poetarum omnium eruditiſſimum, in immoderatis epulis, exſtructiſque menſis, vel frequentibus poculis, aut muſicis denique cantibus voluptatem conſtituiſſe? minime gentium: nam qui opiparis dapibus affluenter appoſitis, ac vino in crateras large diffuſo, convivas præterea inducit inter hujuſmodi voluptates Poetæ cantu ſuaviſſimo demulceri, honeſtum proculdubio nobis convivium narrat: cujuſmodi qui ſapit ſibi imitandum proponat, transferens nimirum voluptatem à turpibus rebus ad decoras, atque ab eſcis corporeis ad ſpiritales. Quid enim aliud arbitramur, Ulyſſem illum, vel Homerum, hiſce verbis ſignificare voluiſſe, quam lauta proborum animorum alimenta in liberalibus collocutionibus conſiſtere? minime autem in altercationibus, quales ſunt in judiciis lites, contentiones, rixæ, captiones, cæteraque his ſimilia. Quæ quum ita ſint, quibuſnam jucundis, honeſtiſque, ſermonum illectationibus nunc nos peracta jam cœna corporea oblectari par ſit; quid vos ſinguli judicetis audire cupio.

Tum L. Petrejus, qui eo forte data opera, ut de *principe Orobiorum origine* diſputatio inſtitueretur, advenerat: Etſi, inquit, ſumus & ad ſcientiam, &

* Apud Homerum *Odyſſ.* I. ψ. 2.

 ad

ad actionem in lucem editi, naturaque ipſa ſic nos inſtituit, atque formavit, ut nulla quidem è parte nobis defuiſſe videatur, ſive ad ea, quibus opus eſt ad agendum, ſive quibus & ad ſciendum; attamen quum ipſa naturæ munera, quibus hominem maxime honeſtatum voluit, ipſe mecum reputo, facile adducor ut exiſtimem, nullum majus reperiri poſſe, quam ſtudium, vel cupiditatem potius ſciendi, quam ita eximiam & præſtantem nobis indidit, ut omnia ſcire expetamus, atque ea, quo magis ſcitu difficiliora ſunt, eo vehementiori ſtudio, curaque, indagare conemur. Itaque, ut præclare ſcribit Cicero, quum ſumus neceſſariis negotiis, curiſque, vacui, tum avemus aliquid videre, audire, ac diſcere, cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad bene beateque vivendum neceſſariam ducimus. Enimvero (ſi Maximo credimus) Alexandrum illum Macedonum regem ferunt, quum ad Ammonis templum perveniſſet, ſalutatuſque eſſet ab ipſo Ammone filius, fidem habuiſſe Deo, juxta Homeri teſtimonium, qui Jovem deorum atque hominum patrem appellavit, dicens:

Τὴν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Admiſſo igitur oraculo, non illum Darii fugam, non futuræ exitum pugnæ, utrumve infortunium Græciæ impenderet, an Aſiæ miſceri res & conturbari deberet, ſed quaſi hæc omnia recte procederent, curioſe potius de Nili fluminis ortu percunctatum fuiſſe ex Deo; quonam ſcilicet loco ille fluendi exordium ſumens in Ægyptum decurreret? quaſi hoc unum ad conſtituendum Alexandri imperium deeſſet. Verum ita natura (ut diximus) comparatum eſt, ut omnes ad veri cognitionem & ſcientiæ cupiditatem ducamur, atque inviti etiam trahamur; in qua nimirum, ut idem inquit Cicero, excellere, pulchrum quidem cenſeamus, labi autem, errare, neſcire, & decipi, & malum, & turpe arbitremur. Quamobrem (ut deſiderium meum vobis exprimam) quum omnis cogitatio, motuſque animi, aut in conſiliis capiundis de rebus honeſtis, aut in ſtudiis ſcientiæ, cognitioniſque, verſari debeat: porro, quum & pauci de numero eorum, qui priſcis temporibus in deſcribendis gentium originibus verſati ſunt, de *principe Orobiorum ortu* pauca diſſeruerint, alii vero nihil omnino retulerint, nonnulli autem, etſi eam ſuſceperint provinciam, tamen minus recte, quam par eſt, ſenſerint: nequaquam mihi vitio dari velim, ſi de re tam difficili, tamque ardua, diſceptationem à nobis ipſis habendam putem: quæ enim major poteſt eſſe ignavia, quam ortus ſui certa omnino neſcire principia? quid vero ſtultius excogitari poteſt, quam incerta pro certis habere, falſa pro veris? Quas ob res hortor vos, ac potius oro, atque obteſtor, ut ad hujus quæſtionis tractationem, (etſi perdifficilis eſt, & obſcura) ingenii tamen atque animi veſtri vires excitetis; ut & certa gentis noſtræ origo aperiatur, & ab iſtis Galliæ partibus excellentis ejus nobilitatis in toto orbe terrarum lumen eluceat.

Tum Julius, Quum in iis, inquit, quibus eadem ſtudia, eædemque inſunt voluntates, (quales ſumus nos) fieri ſoleat, ut æque quiſque alterius delectetur ac ſui ipſius deſiderio, efficiaturque (quod Pythagoras vult in amicitia) ut una omnium ſit voluntas; profecto petitioni tuæ contradicere, nemini fas eſſe judicarem, niſi Scriptores illi, qui de *Orobiorum ortu* nonnulla litteris mandarunt, tanta eſſent, & in varietate, & diſſenſione conſtituti, ut nulla adhuc (quod ſciam) de *vera Orobiorum origine* certa manarit, aut omnino probata ſententia. Sunt enim nonnulli, (quod te tamen minime latere arbitror) qui Orobiis ortum à Græcis Tyrrheno Duce, alii à Trojanis adjunctis Henetis ſub Antenore exſtitiſſe velint: plurimi vero contra, Gallis

A Senonibus ductore Brenno (quamvis quidam indocti Belloveſum malint) eam Orobiorum originem tribuant: quarum opinionum quæ vera ſit, Deus ipſe viderit: quæ autem veriſimillima, magna quæſtio eſt. Nunquid igitur inter has tam inter ſe diſcrepantes ſententias, nos ipſi, L. Petrei, dijudicabimus? quum præſertim ſuos quæque habeant Auctores, & quidem locupletiſſimos, & quibus (ut inter homines eruditos conſtare video) maxima etiam fides in hiſtoricis monumentis haberi ſolet: porro nec deſint ex recentioribus complures ſane viri nec ineloquentes, nec inerudití, à quibus varia maximique roboris argumenta pro hiſce

B opinionibus intendantur: quæ quidem non ejus generis ſunt, ut diſſolvi facile queant.

Imo vero, inquit Marſilius, facillime ſolvi poſſunt: quin dicam audacius quod ſentio, tam vera temporum ſupputatione, quam probatiſſimorum Scriptorum auctoritate ita queunt refelli, ut illorum error facile fiat omnibus manifeſtus.

Tum Marcus, Hoc ipſum, inquit, quod mihi ſemper cum ad diſſerendum ſane difficile, tum ad cognoſcendum non ingratum prorſus, nec inutile viſum ſit, hodierno in conſeſſu ac ſermone (ſi modo liceat) ex vobis intelligere magnopere optarim, ſtudioſiſſimi juvenes. Nam quum propter varias diſcrepanteſque doctiſſimorum hominum ea de re

C ſententias, id mihi vix optandum videretur, facile memoria atque animo jampridem exciderat. Nunc autem quoniam inſperante ſane me, ſed valde equidem optante, in hanc de *Orobiorum ortu* controverſiam perveniſtis, gratiſſimam mihi profecto rem feceritis, adoleſcentes, tuque inprimis, optime Marſili, ſi ea mihi, quæ hiſce de rebus ſummo vos ſtudio, curaque, perveſtigaſſe non me latet, expoſueritis.

Tum Marſilius, Pervulgatas res, inquit, requiris, Marce, tibique non incognitas. Quis enim noſtrorum hominum de his plurima non invenit? non etiam docuit? non denique ſcriptum reliquit? attamen ne ſi forte defugerimus, cauſam tibi ali-

D quam demus recuſandi; nequaquam gravabimur more noſtro (etſi nos intelligo & ſylvæ ligna, & mari undas addere) hac de re ea duntaxat, quæ cognita nobis ſunt, quam diligentiſſime ac breviſſime fieri poterit, explicare. Nam quemadmodum vulgo dici conſuevit, Κόρος οὐδεὶς τῶν καλῶν. Verum enimvero quoniam probabiliora omnino videri ſolent, quæ laceſſiti dicimus, quam quæ priores, idcirco diſceptationem hanc inter nos ita inſtituendam cenſeo, ut unuſquiſque veſtrûm, fratres optimi, ex iis Veterum opinionibus, quæ antea commemoratæ ſunt, eam nimirum, quæ maxime placuerit, (ſunt enim libera omnium judicia) defen-

E dendam ſumat: jam vero iſta conditione, dum mihi non ſolum libere ab Antiquorum ſententia deſciſcendi, verum etiam eos (ſi res ita poſtulaverit) non argumentis modo, ſed certis etiam teſtibus refutandi tribuatur facultas: ego enim, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia paratus ſum. Hæc namque (ut ſcitis, & Cicero ſcriptum reliquit) vetus eſt, & Socratica illa ratio, contra alterius opinionem diſſerendi; qua facillime, quod veriſimillimum eſſet, inveniri poſſe Socrates ille, Philoſophorum facile princeps, arbitrabatur: licet igitur veſtro arbitratu percunctemini.

Tum Marcus, Ingenue vero, inquit, atque ex ſententia exhibes te jam nobis, Marſili. Quapropter tuæ primum, Petrei, partes ſunt, quam præcipue Antiquorum opinionem probes, edicere.

F Et ille, Quoniam, inquit, auctoritatem tuam negligere, Marce Mauriti, fas mihi eſſe non puto; quibus ſane verbis potero, primam earum opinionum, quas modo Julius recenſuit, tueri conabor: hanc enim cæteris probabiliorem eſſe non eſt cur ambigam: quum & ratio ipſa, & probatiſſimo-

morum Scriptorum auctoritas id ita esse facile convincant. Principio namque quum maximam argumenti vim in rebus antiquis nominum interpretatio afferre soleat; quumque Orobiorum nomen (ut quisque, qui Græcas litteras vel primoribus, ut ajunt, labiis gustaverit, vel extremis digitis attigerit, judicare facile queat) Græcam sequatur, ut Græce dicam, ἐτυμολογίαν, quam Cicero *veriloquium* Latine dici posse censuit, omnino necessitas præscribit, ut vel inviti Orobiorum originem Græcam esse fateamur. At vero si Græca, igitur à Tyrrheno orti sunt Orobii; id enim recte sequi perspicuum est; quum is primus è Græcorum Ducibus in Italiam colonias duxerit, quemadmodum ab eruditis rerum gestarum Scriptoribus memoriæ proditum est. Quamobrem C. Plinius haud immerito (mea quidem sententia) Catoni illi, quicunque is fuerit, ignorantiæ crimen impegit, quod Orobiorum ortum nescire se scriptum reliquerit: quum à Græcis (ut aperte demonstratum est) dubio procul effluxerit: testimonio quoque Cornelii Alexandri, viri sane, quantum conjectura consequi possum, eruditissimi, cujus sententiam idem Plinius *lib.* III. *cap.* XVII. his verbis refert: *Orobiorum*, inquit, *stirpis esse Comum, atque Bergomum, & Liciniforum, & aliquot circa populos auctor est Cato. Sed originem gentis ignorare se fatetur: quam docet Cornelius Alexander ortam à Græcia, interpretatione etiam nominis, vitam in montibus degentibus. In hoc situ interiit Orobiorum oppidum Bara, unde Bergomates Cato dixit ortos, etiamnum prodentes se altius, quam fortunatius sitos.* Hæc ille. Cæterum hoc quidem loco, Marsili, multiplices possem ac varias ad ea, quæ diximus, probanda, confirmandaque, non veterum modo, sed recentium quoque Scriptorum rationes afferre; ni his jam ferme nihil opus esset, quum ea, quam proposuimus, ratio tam valida sit, ac stabilis, ut quicunque illam vel parum refutaverit, cæteras omnes labefactasse videatur. Quare exspecto quid ad hæc respondeas, Marsili.

Tum ille, Tametsi pervulgata hæc, inquit, sunt, Petrei, ac perinfirma potius argumenta, attamen ne à cœpto perquirendæ veritatis studio desistamus, quæ in contrariam partem plurimum mihi facere videntur opponam: tuoque primum argumento ita resistam, ut id, quod tu concludere conatus es, nec esse consequens, nec ex propositis sequi facile omnes exploratum habeant. Orobiorum namque originem Græcam esse ob id præsertim asseris, quod eorum quoque nomen Græcum sit, vel, ut rectius loquar, esse possit: verum id ex eo nequaquam effici, aut deduci posse, quis non satis videt? quis non intelligit? quum siquidem plura inveniantur gentium nomina, Græcam etymologiam sive notationem adsciscere, quarum tamen populos barbaros semper fuisse Strabo, Plinius, aliique nonnulli probatissimi Auctores tradidere. Quis enim est qui nesciat, Himantopodum, Phœnicum, Æthiopum, Hamaxobiorum, Troglodytarum, Anthropophagorum, Ichthyophagorumque nomina Græca esse, quum tamen hi omnes populi natura barbari semper exstiterint, longeque ab ipsa Græcia remotissimi? nam *Ichthyophagorum* quidem genti nomen piscium in victu usum dedisse, *Struthiophagis* vero è struthiis cibum, *Anthropophagis* autem, quod carnibus vescantur humanis, neminem ferme arbitror esse qui non exploratum habeat: at vero quis ignorat, *Troglodytas* ab eo quod cavernas subeant, *Hamaxobios* autem quod in plaustris vitam agant, fuisse nuncupatos? ut omittam interim & *Æthiopas* à nigris oculis, & à rubro colore *Phœnicas*, nec non & à flexis crurum nisibus *Himantopodas*, quasi loripedes appellatos: has ob res nos quoque pro Orobiis nostris responsum hoc volumus, quod quamvis eorum nomen ad Græcum etymon trahi possit, non continuo tamen eorum

A originem Græcam fuisse, sed potius barbaram, id est, Hebræam, ut postea probabimus. Non est igitur tam explorata ista ratio, ad id quod volunt isti confirmandum, quam videtur: unde quum Cornelius Alexander asserit Orobios à Græcis ortus sui principium omnino nactos fuisse, negandum est: quumque id ille à Græca nominis interpretatione, quod est validissimum in historia argumentum, probat; protinus dicerem non esse causam, quin verius dicamus eam Orobiorum originem barbaram esse, quam Græcam. Quid enim est hoc illo evidentius? nempe quum ipsum Orobiorum nomen incertæ, ambiguæque sit originis, ut scite admodum Cato docuit, quippe quod tam
B Hebræam quam Græcam etymologiam sequatur: porro quum lingua barbara antiquior sit, quam Græca, ut auctor est Plato in *Cratylo*, dicens: Nunquid potissimus nobis hic sermo? an ille? quod ipsa à Barbaris quibusdam accepimus? (nobis quippe antiquiores sunt Barbari) vel ob vetustatem ita ea discerni nequeunt ut & barbara: tum vero maxime Hebræa, utpote primo humani generis ortu mortalibus tradita, quemadmodum D. Augustinus aliique plurimi Sacrarum Litterarum enarratores eruditissimi tradunt: haud sane intelligo, cur non confiteri omnino necesse sit, Orobiorum nomen prius Hebræum quam Græcum, itemque eorum originem prius barbaram, id est, Hebræam fuisse,
C quam Græcam. Id enim recte sequitur, quod ubi nomen prius fuerit barbarum, ibi origo etiam prior exstiterit barbara; quamvis id nomen postmodum effluxerit in Græcam Latinamve linguam.

Non dubito, inquit Petrejus, quin barbara lingua, præsertim vero Hebræa, vetustior sit quam Græca; nec id nunc agitur; verum an Orobiorum nomen Hebræum esse possit à te probari velim.

Et ille, Concedis igitur, inquit, frater optime, Hebræam linguam antiquiorem esse Græca?

Prorsus, inquit Petrejus, concedo, Marsili. Tu autem Orobiorum nomen Hebræum esse nunquid probare potes?

Quid ni possim, respondit Marsilius? Nam, ut
D scis, ab ineunte protinus adolescentia Hebræam linguam ac litteras didici; atque quum hoc probatum fuerit, profligata jam hæc peneque ad exitum adducta erit quæstio. Quamobrem scias velim, quod quemadmodum apud Græcos ὄρος est *mons*, & βίος, *vita*, è queis Ὀρόβιοι Græce sint *vitam in montibus degentes*, ut ait Plinius: ita quoque apud Hebræos, quemadmodum ii, qui Hebræas dictiones interpretantur, apertissime tradunt; הרות *HOROTH* sunt *montes*, בנים *BANIM* vero *filii*, quibus, seclusa tantum è priori verbo postrema *TH* littera, simul junctis, effectum est nomen compositum הרובנים *HOROBANIM*, quod *montium filios*, sive, ut ita loquar, *montigenas*, Latine signi-
E ficat: qui postmodum à Græcis, ut antea diximus, Ὀρόβιοι, id est, *monticolæ*, sunt appellati: quapropter quum Orobiorum nomen, ut demonstratum est, Hebræam primum notationem sequatur, quam Græcam, quis non intelligit, eorum etiam originem prius Hebræam fuisse quam Græcam? At vero, si non à Græcis orti primum fuere Orobii, igitur neque à Tyrrheno primum Mæone, aut Antenore Phrygio: neque rursus ab Asiaticis Henetis, Paphlagonibusve: quia Hebræi non sunt, sed ab ipsa potius Judæa longe remotissimi. Cæterum his ita consideratis probatisque non possum non vehementer admirari C. Plinium, hominem omnium
F sententia doctissimum, M. Catonis verba tam parum fideliter retulisse: neque enim Cato unquam (qui ego sciam) nescisse se Orobiorum originem confessus est, quod ei tam parum ingenue à Plinio objectum est; sed incertam esse, & ambiguam asseruit: quod vel ex ipsius verbis facile quisque judicare potest: sic enim in quibusdam eorum,

quæ Catonis feruntur, *Originum fragmentis*, scriptum invenio: *Olanum*, inquit, *ante à Thuscorum Duce, qui cum Orobiis colonis ibi primus insedit: quorum origo incerta, uti Comi, Bergomi, Licinifori, & aliquot circa populorum: inde ab Insubrum Principe nomine Medo adaucta Mediolanum nomen servat.* Hæc Cato: è queis perspici facile potest diligentiore adhibita observatione, illud à Plinio, *Catonem Orobiorum ortum ignorasse*, non recte adfirmari, quum aliud quidem sit, longeque diversum, nescire verbi alicujus gentisve originem, aliud vero incertam & ambiguam asserere. Qui enim ignorat, nullam omnino novit originem: qui autem ambiguam & incertam esse dicit, aut duas, aut plureis esse posse exploratum habet: verum ambigit, quænam potissimum ex his eligenda sit. Quapropter, meo quidem judicio, potius esset affirmandum, M. Catonem ob id nequaquam dixisse Orobiorum originem incertam esse, quod eam ipse penitus nesciret; sed quod idipsum Orobiorum nomen incertam omnino & ambiguam etymologiæ rationem posset adsciscere: quippe quod tam è barbara, id est, Hebræa, quam Græca, ut Quintiliani utar verbo, originatione non incommode, nec admodum difficile deduci posse perspiceret. Nam quis obsecro adeo vecordi est animo, ut Catonem illum talem, tantumque virum, quid ὄρος, quidve βίος, apud Græcos significent ignorasse censeat? nemo profecto, nisi insanus quis, sine humanitate, sine ingenio, sine litteris: quum & ipsius Catonis scripta, & Ciceronis auctoritas Græcis litteris, doctrinisque, eum apprime eruditum fuisse clarissime ostendant. *Jus*, inquit Cato apud Ciceronem *de Senectute*, *augurum*, *pontificum*, *tracto: multum etiam Græcis litteris utor.* Quamobrem hac in re Plinio, viro alioquin eruditissimo, minime assentiendum esse, ipsius quoque testimonio facile existimarim. *Neminem enim*, ait in initio secundi *Naturalis Historiæ* libri, *unum sequor*, *sed quemcunque veriorem perspexero: stultum est enim propterea quod quis quædam vera scribit*, *etiam in erratis eum sequi: legamus ergo rosas, spinas vitemus.*

Tum Petrejus, Recte, inquit, Marsili, isthæc abs te dicerentur, atque aliter sentire propemodum furor esset: si libellum illum de *Originibus urbium Italiæ*, qui sub Catonis nomine passim circumfertur, ipsius Catonis genuinum esse demonstrare posses: quum & multorum auctoritate constet, M. illum Catonem plura, quam nunc habeantur, *Originum* volumina conscripsisse. Nam apud M. Tullium *de Senectute*, idem ipse Cato, *Septimus*, inquit, *mihi Originum liber est in manibus: omnia antiquitatis monimenta colligo:* tum etiam quod non pauca earum *Originum* verba & à Terentio Varrone, in libris *de Re Rustica*, & à Cicerone in *Oratione pro Cn. Plancio*, nec non & in quarto *Tusculanarum Quæstionum* volumine, aliisque pluribus in locis citari soleant: quæ nihilominus in pervulgato isto Catone nusquam gentium reperiri possunt. Quo negotio intelligi par est, aut falsum, aut commentitium, aut certe vanum esse Catoni libellum illum unicum, imperfectum, atque omnibus modis obtruncatum, minimeque sibi constantem, adscribere.

Tum Marsilius, Vera, inquit, & apertissima sunt, quæ commemorasti, Petrei, dicique aliter nequaquam potest: itaque assentior tibi, Catonem illum plures de *Originibus* libros edidisse, multaque eorum verba ab Antiquis recenseri, quæ tamen in eo opusculo, quod præ manibus habetur, minime inveniantur scripta. Verum hæc, frater optime, nihil ad nos: fallaci enim admodum ratiocinatione deciperis. Non enim liber ille *Originum* integer est, ut opinaris, & subcisivus, sed sunt potius, ut necessitas cogit ac ratio, fragmenta quædam, ita ut cernimus, in unum quoddam corpus redacta, quæ ex illis non paucis *Originum*

A libris, quos scripsit Cato, vel sola remanserunt: quemadmodum omnibus, illa nescio quæ Gulielmi Mantuani *Collectanea* legentibus, perspicuum esse potest. Quapropter mirari te haud sane decet, si plura & à Varrone, & à Cicerone, & à Macrobio verba citari consueverint, quæ tamen in hisce pervulgatis *Originum* fragmentis nequaquam scripta reperiantur: quando, uti dictum est, libellus ille *Originum* truncus admodum est ac mutilus, ex quo præter quædam de Italicarum urbium origine fragmenta, nihil penitus superest: attamen quod hæc, quantulacunque sunt, ipsius Catonis nativa ac genuina censenda sint, antiquorum virorum probat auctoritas: ac primum quidem Dionysii Halicar-
B nassei, quem M. Varronis libertum fuisse constat: is enim *libro* primo M. Catonem & C. Sempronium temere nimium, ne dicam insolenter, arguens, eorum de Ligurum origine sententiam ita recensuit: *Ligures*, inquit, *multa Italiæ loca incolunt*, *atque etiam Galliæ quædam possident: utra vero sit eis terra patria incertum est: nihil enim ulterius de his certi dicitur: doctissimi autem Romanorum scriptorum, in quibus est Porcius Cato, qui urbium Italiæ origines diligentissime collegit, & C. Sempronius, & alii plerique, Græcos eos fuisse dicunt, ex iis qui Achajam aliquando incoluerunt, multisque commigrarunt ætatibus ante Trojanum bellum. Non ulterius tamen diffiniunt; neque Græ-
C ci generis cujus fuerint, neque urbem ex qua profecti, neque tempus, neque migrationis ducem, quave usi fortuna sedes patrias reliquerint: verum Græca usi fabula, ne unum quidem eorum, qui Græca scripserunt, auctorem certum adhibuerunt: veritas igitur in occulto.* Hæc hic. Cajus quoque Plinius *libro* III. sæpenumero Catonem citare solet: præsertim vero *capite* XVIII. *Venetos*, inquit, *Trojana stirpe ortos*, *auctor est Cato.* Itemque *capite* XIII. ait, *Catonem scribere Ameriam urbem ante Perseum bellum annis ferme nongentis fuisse conditam.* Quæ quidem omnia in iisce Catonis, quæ passim feruntur, fragmentis scripta reperies: quibus illa quoque, quam antea commemoravimus, ejusdem Plinii de Orobiorum ortu sententia non incommode (ut opinor) addi potest. Nam etsi pa-
D rum fideliter eam retulerit, ab iis tamen, de quibus nunc loquimur, pervulgatis *Originum* fragmentis depromptam fuisse manifestum est. Quas ob res si quid es facturus, Petrei, nova aliqua conquiras necesse est: isthæc siquidem Cornelii Alexandri, ac sectatorum ejus, quantum valeat vel ratio, vel auctoritas, satis jam perspicue (ni mea me fallit opinio) demonstravimus.

Tum L. Petrejus, Solet, inquit, Marsili, & subtilius, & fusius his singulis à nonnullis responderi: sed ea, quæ perspicua sunt, ut ait Cicero, longa esse non debent. Quid enim iis, quæ à te tam multa dilucide, copioseque, dicta sunt, apertius? quid enodatius? quid denique verius dici po-
E test? itaque quoniam & ea, quæ dixisti, omnem (ut dici solitum est) fidem sensibus, id est, incorruptis, atque integris testibus, adsciscunt, & eadem mihi valde probata sunt, quod & istis puto; omittam profecto contra omnino amplius aliquid velle dicere. Verum nunc Julium, si ipsi commodum est, audiamus: studet enim noster hic audire Mauritius, quænam sit tua, C. Juli, (suo enim quisque studio maxime ducitur) de Orobiorum origine sententia. Quamobrem aggredere, quæsumus; est enim is tibi proprius disserendi locus.

Tum ille ridens, Nunquid obliti estis, inquit, quod vobis initio dixerim? me propter varias, dis-
F crepantesque, doctissimorum hominum opiniones, quid de Orobiorum ortu sentirem explicare vix posse: quis enim ea probare queat, quæ percepta, quæ comprehensa, quæ cognita non habeat? attamen, quoniam ita vultis, geram vobis morem; totamque eorum, (non ignorantibus tamen vobis quid sim dicturus) qui Gallis Senonibus Duce Brenno

no Orobiorum originem tribuunt, sententiam, quoniam ociosi sumus, explicabo: & agam quidem quam brevissime potero: etenim devictis Cornelii Alexandri, Pliniique, erroribus, longa de meo sermone detracta oratio est. Brennum namque illum Gallorum Ducem plerasque Orobiorum civitates condidisse, non equidem ratio ulla, aut disputatio, ut credam, impellit; sed nobilitas summorum, tum antiquorum, tum recentium Scriptorum, & auctoritas. Præsto enim mihi sunt præ cæteris tres magnæ apud Latinos existimationis viri hujusce opinionis quidam quasi duces ac principes: Trogus scilicet Pompejus, sive is potius Justinus sit, Paulusque Diaconus, ac Joannes Saresberiensis; qui omnes uno quasi ore tradunt, Brennum in Transpadana Gallia urbes plurimas condidisse: verum si placet, nec alienum putatis, singulorum verba proferam.

Perplacet vero, inquit Marsilius, nec alienum suscepto operi videri potest.

Tum ille, Quæso igitur, inquit, attendite: principioque Trogum Pompejum de Gallis, qui ductore Brenno in Italiam venerant, *lib.* XXI. *cap.* V. ita dicentem auditote: *His autem*, inquit, *Gallis causa in Italiam veniendi, sedesque novas quærendi, intestina discordia, & assiduæ domi dissensiones fuere: quarum tædio, quum in Italiam venissent, sedibus Thuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincentiamque, condiderunt.* Hæc ille. Paulus vero Diaconus, libro *Longobardicæ Historiæ* secundo, hunc ferme in modum scribit: *Antiquissimo*, inquit, *tempore Brennus rex Gallorum, qui apud Senonas urbem regnavit, cum trecentis millibus Gallorum Senonum ad Italiam venit, eamque usque ad Senogalliam, quæ à Gallis senioribus vocitata est, occupavit: causa autem, cur Galli in Italiam venerint, hæc fuisse describitur: dum enim vinum degustassent ab Italia delatum, aviditate vini illecti ad Italiam transierunt: horum centum millia non longe à Delphis insula properantes Græcorum gladiis exstincta sunt: alia vero centum millia in Galatiam ingressa, primum Gallogræci, postea vero Galatæ appellati sunt: & ii sunt, quibus Doctor gentium scripsit* Epistolam *Paulus. Centum millia Gallorum, qui in Italia remanserant, Ticinum, Mediolanum, Bergomum, Brixiamque construentes, Cisalpinæ Galliæ regioni nomen dedere: isti sunt Galli Senones, qui olim urbem Romuleam invasere.* Hæc autem & plura alia Joannem Saresberiensem sexto *Polycratici* volumine disserentem accipite: *Tradunt*, inquit, *historiæ, Brennum Ducem Senonum, qui exercitum Romanorum apud flumen Alliam confecit, ipsamque urbem Romam irrupit, cepit, & cæsis patribus, & subacta Italia invasit Græciam, vastans omnia, universisque terribilis, usque ad Delphici Apollinis templum, quod situm est in monte Parnasso, processit, ipsiusque Apollinis appetens spolia, scurriliter jocatus ait, locupletes deos largiri hominibus oportere: hunc, inquam, tradunt de majori Britannia, quæ ab adventu Saxonum in insulam vocatur Anglia, oriundum. Apud Trogum Pompejum in* XX. *reperitur, quia Senones Galli commilitones Brenni quum in Italiam venissent, Tuscos à suis sedibus expulerunt: in ea condiderunt urbes egregias, Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, atque Vincentiam: mansit autem exercitus ille Brenno Duce triumphator, & semper invictus, donec insurgere ausus est in Deos, ipsum Apollinis Delphicum invadens templum, ubi quum incolæ Dei opem suppliciter implorarent, juvenem supra humanum modum insignis pulchritudinis in delubri culmine conspexerunt, auditus est etiam stridor arcus, & strepitus armorum, subito etiam terræmotu pars montis abrupta Gallorum stravit exercitum: insequuta deinde tempestas est, quæ grandine & frigore saucios absumpsit. Dux ipse Brennus, quum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit.* Hæc hic. Quod igitur fundamentum hujus quæstionis est, id præclare jactum videtis: quod

A quoniam fere constat inter omnes non Veteres solum, quos recensui, sed etiam Recentiores haud paucos, quos data opera prætermitto, fateamur necesse est, Orobios à Gallis Senonibus Duce Brenno ortos fuisse: exclusa namque Cornelii Alexandri ac C. Plinii sententia, quum præterea nulla sit alia, isthæc Trogi Pompeji, & cæterorum Latinorum opinio maneat necessum est.

Tum Marsilius, Enumerasti, inquit, optime Juli, memoriter quidem ac distincte quorundam de Orobiorum ortu sententias: adversus quas, tametsi multa nunc cum vere, tum vehementer dici ac copiose etiam afferri possint, tamen dicere prætermittam: absurdum est enim, de tam perspicuo
B istorum errore, pluribus, quam opus est, verbis velle contendere. Sed ego nunc omissis iis omnibus, quæ negari facile queant, (ne contentiose rem agere videamur) quæ & certissima & clarissima mihi videbuntur, opponam. Principio igitur rationem eam, quam adfers, Juli, non satis firmam puto: quod enim plurimis cum antiquorum, tum recentium Scriptorum hominibus ita videatur, ut tu dixisti, id satis magnum esse argumentum ratus es, cur Brennum Orobiorum civitatum conditorem fuisse fateamur. Quod quam leve sit, tum etiam falsum videamus. Ac primum quidem quum Scriptores illi temporum, quos Græce *Chronographos* appellare consuevimus, quosque tuæ opinio-
C nis quasi duces adduxisti, hallucinati Græcorum fabulis ac mendaciis inveniantur: quis non intelligit, illorum testimonium nullius ferme vel ponderis, vel fidei esse, vel auctoritatis?

Atqui, inquit Julius, si istud obtinueris, traducas me ad te totum licebit.

Tum Marsilius, Facillimum id quidem est, inquit: nam quum Italiæ origo splendidissima exstiterit cum tempore, tum origine gentis, (cœpit enim aureo seculo, ut inquit Cato, quem Cicero religiosissimum testem vocat) sub principibus Diis Jano, Chamese, Saturno, gente Phœnicea & Saga, quæ post inundationem terrarum per orbem prima colonias misit: porro quum Trogus Pom-
D pejus, quem quasi ducem posteriores Historici sequuntur, *libro* XX. universam Italiam à Græcis ortus sui initium sumpsisse fidenter scribat, quis eum Græcorum fabulis ac commentis, qui à se principio emanasse Italiam existimant, non nisi deceptum, adeoque hallucinatum censeat, ut publicam probatissimorum Scriptorum fidem aut ignorasse, aut contempsisse, aut saltem Fabium Pictorem, M. Catonem, Cajumque Sempronium, viros plane eruditissimos, nequaquam legisse videatur? Cur autem ad ea Græcorum mendacia, quæ Antiquorum judicio, & eorum maxime, quos modo nominavimus, nota occurrunt & illustria, in sole caligarit, non satis equidem intelligi potest: nisi eum fortasse, quæ de Græ-
E corum mendaciis M. Cato ac C. Sempronius scripta reliquerunt, non accepisse sentiamus. Siquidem Cato in *Originum* suarum principio: *Græci*, inquit, *tam impudenti jactantia effunduntur, ut quoniam his dudum nemo respondit, ideo libere à se ortam Italiam, & eandem spuriam, & spurcam, atque novitiam nullo certo Auctore, aut ratione, sed per solam insaniam fabulentur.* Itemque C. Sempronius: *Hæ*, inquit, *sunt veræ tam priscæ Italiæ, quam urbis Romæ antiquitates & origines: quibus quoniam plures Græci postremis temporibus in Italiam commigrantes mixti fuerunt, ob id à se principio emanasse Italiam falso existimavit Græca cum levitas, tum fabulositas. Quis enim ex antiquissimis non scribit à Jano Janiculum, & Hetruscos veteres Gallos*
F *conditos? & tamen plures Græcorum tradunt à Tyrrheno Lydo, qui fuit nuper & heri, positos. Quin & Turrhenam Thuscorum regiam non puduit eos Romam asserere: tanta videlicet impudentia cum eorum jactantia est, ut omnium gentium, & imperiorum, atque urbium præclarissimarum se conditores esse apertis sæpe mendaciis conscri-*

scribant. Hæc ille. Verum hæc ratio minime congruerit, quandoquidem hi à Latinis non modo Scriptoribus, sed à Græcis etiam sæpenumero citari consueverint. Quid igitur? Ego mehercle, tametsi vereor in hoc loco, quid hac de re sentiam, exprimere, dicam tamen; ne qua forte refellendi pars in tam accurato sermone præterita esse videatur. Nemo fere vestrûm est, quin clarissimum illud M. Catonis vaticinium sæpe audierit, nonnunquam etiam in Antiquorum monimentis legerit, quod olim in Græcos ab eo tanquam ex oraculo editum fuisse C. Plinius *libro* XXIX. *cap.* I. testatur, dicens: *Quod clarissime intelligi potest ex M. Catone: cujus auctoritati triumphus atque censura minimum conferunt, tanto plus in ipso est. Quamobrem ipsius verba ponamus. Dicam, inquit, de istis Græcis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam: & quod bonum sit illorum litteras adspicere, non perdiscere: vincam nequissimum & indocile genus illorum; & hoc puta vatem dixisse: Quandocunque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet; tunc etiam magis, si Medicos suos huc mittet: jurarunt inter se barbaros omnes necare medicinâ: sed hoc ipsum mercede faciunt, ut fides his sit, & facile disperdant. Nos quoque dictitant barbaros, & spurcius nos, quam alios opicos, appellatione fœdant. Atque hic Cato sexcentesimo quinto anno urbis nostræ obiit,* LXXXV. *suo, ne quis illi defuisse publice aut privatim vitæ spatia ad expendendum arbitretur.* Hæc Plinius. Quare non alia de causa inficias irem, Trogum Pompejum Græcorum fabulas ac figmenta fuisse persequutum; nisi ne qua in parte divinum illud, quod diximus, M. Catonis oraculum evanesceret. Quocirca tua illa ratio, Juli, ex Trogi Pompeji auctoritate deducta, nihil tibi proderit: quippe quod Trogum ipsum, qui tuæ rationis quasi fons & fundamentum est, Græcorum commentis captum fuisse, atque hallucinatum, aperte probatum sit: sed hæc hactenus.

Nunc vero sit, necne, eidem Trogo, recentioribusque iisce Chronographis, quos nominasti, in historicis monimentis omnino fides adhibenda, expendendum est: ad quod præstandum, ex antiquissimo Persarum historico Metasthene optimum capi potest exordium: is enim in initio statim de indiciis annalium Medorum, atque Persarum, qui Auctores (ut Græce loquar) in chronographia recipi debeant, scite admodum his verbis docet: *Qui de temporibus dicere parant, necesse est illos, non solo auditu & opinione chronographiam scribere: ne quum per opiniones scribunt, uti Græci, cum ipsis pariter & se & alios decipiant, & per omnem vitam aberrent. Verum absque errore fiet, si solos annales duarum monarchiarum secuti, cæteros omnes ut fabulatores rejecerimus: in his enim tam liquido atque vere digesta sunt tempora, Reges, & nomina, quam apud eos splendidissime regnatum est: neque tamen omnes recipiendi sunt, qui de his regibus scribunt; sed solum sacerdotes illius regni, penes quos est publica & probata fides annalium suorum. Qualis est Berosus: nam is Chaldæus omne tempus Assyriorum digessit ex Antiquorum annalibus, quem solum, vel maxime unum, Persæ nunc sequimur.* Ex hac igitur perspicua Metasthenis præceptione, qui Auctores in describendis temporibus accipiendi, rejiciendive sint, facile intelligi, judicarique potest. Suscipiendos namque eos omnes absque controversia censet, qui publica probataque fide scripserunt: quales sunt cujusque imperii sacerdotes, penes quos antiquitus publica annalium fides habebatur. Eos siquidem publicos rerum gestarum ac temporum scriptores fuisse, præter Metasthenem, Cicero quoque noster libro *de Oratore* secundo confirmat his verbis: *Erat*, inquit, *Historia nihil aliud, nisi annalium confectio; cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex maximus, efferebat-*

A *que in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt: qui sine ullis ornamentis monimenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit, aliique permulti, talis noster Cato, & Pictor, & Piso, qui neque tenent quibus rebus ornatur oratio, (modo enim huc ista sunt importata) & dum intelligatur, quid dicunt, unam dicendi laudem putant esse brevitatem.* Hæc ille. Cæterum hujuscemodi publicæ probatæque fidei Scriptores ii sunt, qui quatuor maxime illustrium regnorum res gestas ac tempora litterarum monimentis commendarunt. In

B his autem facile mea quidem sententia cæteris antecellunt, inprimis quidem inter externos Berosus, patria quidem Babylonicus, dignitate vero Chaldæus: Chaldæi siquidem, Diodoro teste, eum locum in Babyloniorum republica obtinent, quem sacerdotes & Prophetæ apud Ægyptios: dehinc Metasthenes Persa, Manethon sacerdos Ægyptius, nec non & Philo Judæus: è Græcis autem Myrsilus Lesbius, Archilochus ac Xenophon: porro è nostris, Fabius Pictor, M. Cato, C. Cæsar, Crispus Sallustius, C. Sempronius, T. Livius, & si qui sunt alii, qui à Beroso ac publica quatuor monarchiarum annalium fide non desciscant. At Græcum istud quidem Monarchia verbum est: sed dabitis

C profecto, ut id quoque mutuemur, dicaturque tam Latine Monarchia, quam sæpe apud Ciceronem *Tetrarchia* dicitur: verum mehercule enitar, ut Latine loquar, nisi in hujuscemodi verbis, quibus, ut & aliis multis, consuetudo jam utitur pro Latinis. Cæterum nihil vos perturbet, viri ornatissimi, Metasthenem Persam duarum solum monarchiarum, Assyriæ scilicet ac Persicæ, annales comprobasse: nam hujusce rei causa illa mihi magis probanda videri solet, quod Metasthenis tempestate nondum duarum aliarum monarchiarum acta (faciamus enim tractando hoc verbum usitatius & tritius) descripta essent: Græcæ nimirum ab Alexandro Macedonum rege usque ad Philippum, novissimum

D Syriæ atque Asiæ regem; nec non & Romanæ, à Romulo usque ad Cæsarum tempora: quippe qui vel ante Alexandri Macedoniæ regis imperium, vel ejusdem potius temporibus floruerit, quemadmodum ex ipsiusmet verbis facile cognosci potest, ait enim: *Nostra ætate Arses annis quatuor regnavit, Darius ultimus, sex. Magnus Alexander, qui imperium in Græcos transtulit, annis duodecim. Seleucus Nicanor, qui nunc agit annum tricesimum, successit toti Asiæ, ac Syriæ.* Ex quibus sane verbis licet intelligere, in initio Græcæ monarchiæ ab Alexandro primum cœptæ Metasthenem ipsum floruisse. Quocirca credamus necesse est, de Græcæ monarchiæ annalibus, quid ipse sentiret, eum litteris

E mandare nequaquam voluisse. De Romanorum vero annalibus siluisse Persam hominem minime mirum est: aut quod Latinæ linguæ rudis esset, aut quod ejus ætate Romanorum annales nondum publicum accepissent. Nos vero harum etiam duarum monarchiarum, Græcæ scilicet ac Romanæ, annales & historias, nequaquam proprio freti judicio, adjecimus, sed antiqui pariter ac diligentissimi Hebræorum historici Philonis auctoritate apponendos curavimus: is enim scribit in historiis suis tempora quadrasse ad veros annales quatuor monarchiarum, qui soli emendatissimi habentur: quos soli, vel maxime primi retulerunt ex Chaldæis Berosus pro monarchia Assyriorum, & Metasthenes

F Persa historicus, in annalium indiciis: pari forma ait ex Græcis eos se sequutum, qui annales Græcorum sequuti sunt. LXXII. seniores Interpretes usque ad Ptolomæum & Hasmonaim, id est, Macchabæos; & inde Romanos, qui tempora sua diligentissime conservaverunt. Quapropter, ut aliquando

do totam hujus generis rationem concludam ac definiam, quum & Metasthenis Persæ, & Judæi Philonis testimonio satis admodum manifeste probatum sit, iis tantum, qui quatuor monarchiarum res gestas conscripserunt, præsertim vero ac magis teste Myrsilo Lesbio, iis, qui consentiunt in eorum patria historia, quam quibusvis aliàs eruditissimis, credendum esse: ecquid causæ erit, cur quisquam Trogum Pompejum, & eos, qui eum sequuntur, non penitus in ea disputatione, quæ est de Italiæ & Orobiorum nostrorum origine, rejiciendum censeat? quippe qui neque alicujus regni sacerdos exstiterit, nec ex publica aliqua, probataque annalium maximorum fide, sed solo ex auditu & traditione Græcorum, qui nihil non in historia audent, *Historiarum* libros ediderit: quod facile vel ex ipso Justino discas: *Trogus enim*, inquit[1], *Pompejus Græcas & Latinas*[2] *orbis historias Latino sermone composuit: ut quum nostra Græce, Græca quoque nostra lingua legi possent, prorsus rem magnam*[3] *& animi, & corporis aggressus.* Itemque: *Et quæ historici Græcorum, prout commodum cuique fuit, inter se gregatim occupaverant, omissis quæ sine fructu erant, ea omnia Pompejus divisa temporibus & serie rerum congesta composuit*, & cætera, quæ sequuntur: è queis illud recte sequi perspicuum est: Quidquid Trogus Pompejus de Italiæ atque Orobiorum ortu scriptum reliquerit, tametsi aliqua ex parte veritatis laudem assequatur, hac tamen in re fide penitus carere, uti à Græcis acceptum, quibus testimoniorum religionem nunquam habitam fuisse Cicero affirmat, dicens: *Veruntamen hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis litteras, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam, denique etiam si qua sibi alia sumunt, non repugno. Testimonium, religionem, & fidem nunquam ista natio coluit, totiusque hujusce rei quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant: unde illud est, Da mihi testimonium mutuum: num Gallorum? num Hispanorum putatur? totum istud Græcorum est: ut etiam qui Græce nesciunt, hoc quibus verbis à Græcis dici soleat, sciant.* Hæc ille, & quidem satis superque. Quare ultra non proferam orationem meam: etenim posset esse infinita, si mihi libeat hujusce gentis in testimoniis dicendis explicare vanitatem. Quanquam profecto nec ea quidem, quæ in Græcos pariter ac Latinos quosdam effudi, eo consilio à me dicta sunt, quo Scriptoribus his ego unus maxime fidem derogem, sed ut veritatis causam agam, hæc tamen aut publice, aut in concione dixisse, perabsurdum fortasse videri potuisset: sed in hujuscemodi familiari sermone & consessu nequaquam. Sed vereor ne aut molestus sim vobis, viri optimi, aut ingeniis vestris videar diffidere, si de tam perspicuis rebus diutius disseruero.

Tum Julius, Non equidem, inquit, facile negaverim ea esse omnino certissima ac clarissima, quæ à te præclare modo & erudite dicta sunt, Marsili: sed tamen aut nostram, aut Antiquorum de Orobiorum origine sententiam non multum aut infirmasse, aut labefactasse facile admodum ostenderim. Quid enim si doceo, si planum facio, ex Berosi quoque tui sententia, Brennum ipsum à Trogo Pompejo, aliisque nonnullis, nec perperam, nec incommode fuisse Orobiorum conditorem cognominatum? Quid si unico verbo repellaris?

Quale vero, inquit Marsilius, est illud?

Et ille, Brennum, inquit, mediusfidius Orobiorum civitatum conditorem, non alia de causa aut ratione à Trogo Pompejo appellatum fuisse censeo, quam quod earum exstiterit instaurator & amplificator. Non enim te fugit juvenem inprimis diligentem ac studiosum, quæ Berosus ille Chaldæus, cujus in nomine facile soles acquiescere, de Semiramide, quam Strabo & alii nonnulli Babyloniam condidisse affirmant, litteris mandarit: ea, si recte memini, sunt: *Quarto*, inquit, *loco regnavit apud Babyloniam uxor Nini Ascalonita Semiramis annis* XLII. *Hæc antecessit militia, triumphis, victoriis, & imperio omnes mortales, ipsa hanc urbem maximam ex oppido fecit, ut magis dici possit illam ædificasse, quam ampliasse.* Ex quibus facile potest intelligi Strabonem, Ovidium, Trogumque Pompejum, & alios nonnullos dixisse Babyloniam à Semiramide conditam, pro eo, quod erat, auctam, instauratam, amplificatamque: neque enim Semiramis illa Atergatis Deæ, quam Plinius, Athenæusque Δερκετῶν, Hebræi vero, ut fama est, *Dagon*, id est, *Piscem*, vocant, filia, Ninique primi Assyriorum regis uxor: sed Nimbrotus ille Saturnus Babylonicus Chuseo patre Chamesis filio natus, primus omnium Babylonicæ urbis fundamenta jecit, si modo vera sunt, ut profecto sunt, quæ Hieronymus, Augustinus, Josephusque, & ante eos Berosus, ac Moses litterarum monimentis prodidere. Hinc etiam apud complures gestarum rerum Scriptores legimus à Romulo Romam fuisse conditam, cognominatamque, quum tamen & Fabius Pictor, & C. Sempronius apertissime contraria scribant, Romam scilicet non à Romulo, sed à Roma Itali filia longe antea fuisse ædificatam; verum à Romulo multis sæculis post fuisse auctam & ampliatam: ita enim Fabius: *Suscepto*, inquit, *Italus Italiæ imperio, tum filiam suam Romam nomine Siculis & Aboriginibus in Latio præfecit. Quæ relicta Capena medium Palatinum tenuit, & in vertice, ubi hæret Exquilino, Romam oppidulum condidit, quod Valentiam sonat: post ejus obitum ob paludes neglectum oppidum fuit usque ad adventum Evandri, qui cum oppido simul restituit nomen.* Et paulo post: *Denique Romulus potitus rerum Albanorum, & usus maxima familiaritate regum Hetruriæ, & rex primus è regulis Italiæ creatus, in Latio Romam oppidulum in regiam Tetrapolim vertit, inque Palatino colle fundavit: adscito enim ex Hetruria vate atque sacerdote Olympum fecit, pomœriumque sacravit: & aratro ab Olympo in vico Thusco per Palatium circumducens, ab imo collis ad verticem, quadratam urbem signavit: & in vertice collis hærente Exquilino Romam oppidulum ampliavit. Et ita Romulus ex regulo primus rex à Thuscis declaratus est. Quam rem per occasionem acceptam Mithridates Rex Asiæ pro ignominia Romanis opposuit, quod vernæ fuissent Thuscorum.* Hæc hic. C. vero Sempronius: *Non igitur*, inquit, *à Romulo Roma, sed contra ab ipsa potius Roma, cujus adeo est occulta derivatio, Romulus nomen habuit: quæ ante ipsum Romulum cœpta legitur coli annis paulo minus octingentis ab Italo in Aventino, & filia ejus Roma in Palatino colle, & ante hos plusquam trecentis annis, aureo sæculo à Saturno; ubi nunc Saturni ædes ad radices Capitolini collis. At Romulus solum eam ex oppidulo Roma, in Palatino colle quadratam & regiam reddidit.* Hæc ille. Itaque minime in dubium venire debet, quin Trogus Pompejus, Paulusque Diaconus, & qui eos sequuntur, scriptitarint, Brennum illum Gallorum regulum plerasque Galliæ Cisalpinæ civitates condidisse, loco ejus, quod erat, ampliasse, aut restituisse, seu potius cultiores ac munitiores reddidisse: ac demum, ne multis vos morer, adsunt testes locupletissimi, & quidem è recentioribus rerum gestarum ac temporum scriptoribus permulti, qui asserant (quod me tamen in Bossianis potissimum *Chronicis* memini legere solitum) Brennum Gallorum Ducem, quum in Galliam Cisalpinam transcendisset, pulsis ex ea Hetruscis, plurimas hujusce regionis civitates, & quidem pervetustas, diruisse, ac solo æquasse: easdemque non ita multo post ab eisdem Gallis, ad hæc ipsa loca, M. Furii Camilli consilio ac virtute ex Roma, quam vi irruperant, postmodum ejectis, expulsis, fugatisque, iterum instauratas, nec non & fortioribus præsidiis, propugna-

1. In sua *Præfatione*. 2. Scribendum *totius*. 2. Alii legunt, *magni*.

culisque, ad propulsanda Romanorum arma, circummunitas ac septas fuisse. Qua in re, ut mea fert opinio, Marsili, Brennus ille non immerito, nec injuria, cunctarum ferme Galliæ Cisalpinæ civitatum à Trogo atque aliis conditor appellari meruit.

Tum Marsilius, Quamvis, inquit, Juli, quæ dixisti, quasi quodam ex oraculo attulisse videaris; scito tamen, nullam ex his ad id, quod quærimus, responsionem tuam esse. Ut enim isthæc omnia, quæ abs te modo dicta sunt, tibi ita esse concedam: quid ad rem? principem Orobiorum auctorem ac parentem investigamus, non amplificatorem, instauratoremve. Sed illud forte (ut opinor) statim repones, quod initio tibi jam sumpseras, nempe quum jam penitus C. Plinii, aliorumque tam Græcorum, quam Latinorum, de Tyrrheno, atque Antenore, exclusa fuerit opinio, quumque præterea nulla alia possit inveniri, tuam omnino manere necessum esse. Quis tibi hoc daturum putas, Juli? primum enim unde tibi notæ sunt omnium opiniones Scriptorum & nationum? perlustrasti ne tu omnia Ægyptiorum, Chaldæorum, Syrorumve monimenta litterarum? leve profecto, ac potius nullum, id quidem argumentum est. Verum desinamus aliquando ea refellere, quæ cum inania sunt, tum vero adeo aperta ac manifesta, ut mehercle nec egere quidem oratione videantur: quid enim potest esse tam apertum? tam perspicuum? quam, quum Brennus Orobiorum civitates instauraverit & auxerit, eas utique vel oppressas, vel direptas reparasse, vel parvas saltem atque humiles amplificasse? non igitur primum à Brenno conditæ Orobiorum urbes. Sed tamen illud minime silentio præterierim, (vide autem quam tecum agam liberaliter, Juli) eos omnes, qui suppresso Brenni nomine, Gallos tantummodo multas Cisalpinæ Galliæ civitates condidisse affirmant, si non plane defendi, certe vel excusari posse: atque ad id quidem obtinendum, confirmandumque, auctoribus uti optimis possumus, quod cum in omnibus causis, ut auctor est Cicero, & debet, & solet valere plurimum, tum vero primum in omni antiquitate. Verum enimvero ne aut forte cuiquam postea videar plura de istorum sententia dixisse, quam vel causa postularet, vel necessitas ipsa cogeret: aut ne dum huic (Julium intuens) obsequi studeo, tibi, Marce, atque aliis sim molestus, paulisper conquiescam: quum præsertim sermonem bene longum habueritis adolescentuli utinam non impudentis, illud quidem certe, non nimis verecundi: qui præsente te, Marce doctissime, tam multa & adversus Plinium, Trogumque Pompejum, atque eorum asseclas, de Orobiorum ortu disputaverim, nec sane perrecondita, aut multum difficilia.

Tum Marcus, Mihine, inquit, molestus sis? qui te idipsum maxime rogaverim. Sed neutrum istorum fiet, nam & à te perfici dissertationem hanc (si modo possum) volo, nec tua mihi oratio longa videri poterit. Perge itaque obsecro, sequentur enim quæ tu ingenue polliceris.

Et ille, Quoniam, inquit, si Diis placet, ipsi fontes jam sitiunt, quid de Gallico hocce Orobiorum ortu cognitum habeam, tua jam pene coactus, Marce, humanitate, quam brevissime potero, exponam. Dicimus igitur sinceriores illos gestarum rerum scriptores, qui circumcisis tam Gallicorum quam Græcorum Ducum nominibus, Gallos ἁπλῶς (uti Græca utar voce) plerasque Cisalpinæ Galliæ urbes ædificasse tradunt, ob id vel facillime expurgari posse, quod ipsum Gallorum nomen ambiguum est, & ut Græci vocant ὁμώνυμον, id est, ut nostri vertunt, *æquivocum*. Quæ profecto ὁμωνυμία plurimos sane eruditosque viros, potissimum tamen Græcos, aberrare quam sæpissime compulit. Cæterum de ambiguitate nominis Gallorum, hæc sunt, quæ apud Xenophontem legi: *Ogyges*, inquit, *plures fuere: primus supradictus atavus Nini, quem Babylonii Gallum cognominant, quod in inundatione etiam superstes alios eripuerit, & genuerit: hinc Sagæ, apud quos navigio servatus est & ereptus, ratem vocant Gallerim, quod ab undis servet: verum Græca lingua candidum & lacteum significat; Phrygia exsectum testibus; Latina gallinæ maritum: & Celtas, qui sunt Galatæ veteres à Galanthe filio Herculis, à quibus Galatæ in Asia, & Gallogræci in Europa: fuit autem priscus Ogyges in prima inundatione terrarum: alter vero Atticus in tertia.* Hic hæc: è queis facile apparet, Gallum, non solum eos populos, quos nunc communi vocabulo *Francos* appellamus, significare; sed generatim quoque, ac rectius omnes, qui à fluctibus atque aquarum eluvionibus servati sunt: quod hercle appositum, vel ut Græci dicunt, ἐπίθετον proprium fuit Noe, quem Berosus Chaldæus, & in hoc etiam loco Xenophon, atque alii quidam, Ogygem priscum, ac Janum patrem vocant. Cæterum in Gallorum genere tres discretas esse species, veteres Chronographi tradiderunt. Prima namque eorum species est, qui ante omnes alios Alpes Italiæ transscenderunt: quosque Celtas fuisse T. Livius in v. ab urbe condita auctor est. Hos namque Tarquinii Prisci temporibus, ab Arunte Clusino, in ultionem stupratæ à Lucumone uxoris, accersitos ex Gallia, in Italiam commigrasse M. Cato, Cajusque Sempronius prodiderunt. Altera vero eorum Gallorum est, qui aliquot seculis post, superato Apennino in Thusciam descenderunt, ac Romanam urbem incendio consumpserunt: hi autem fuere Boji, Senones, atque Insubres, quemadmodum iidem Cato & Sempronius scribunt: de quibus abs te satis multa, Juli, ex Trogo, Paulo, Joanneque nuper allata sunt: hosce autem Senonas, prioresve Celtas, nequaquam reor Orobiorum conditores (principes, inquam) ab Antiquis habitos fuisse, aut appellatos, sed instauratores tantum, amplificatoresque: quos tamen etiam conditores dici posse non incommode abs te, Juli optime, supra demonstratum est. At vero tertia, eademque & vetustior, & magis propria illorum sane fuit, quos κατὰ μετονυμίαν ab inundatione Gallos cognominatos fuisse scriptum reliquit Xenophon, eo quod Hebræi, Chaldæique, sacris in Litteris *undas* & *fluctus* גלים *GALLIM* dicant: quemadmodum apud regium vatem *Psalmo* XLII. legimus: כל משבריך וגליך עלי עברו, id est, *Col Misvaracha Vegallacha Halai Havaru*, hoc est, *Omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt*. Hi autem exstitere prisci illi Aramæi, qui Scythæ Sagæ vocantur à Beroso, Catoneque, in Armenia statim post Diluvium geniti: à quibus postmodum in Italia, Solino teste, manarunt Umbri. Sed de his alias fortasse copiosius. Ab istis ergo Gallis Umbrorum progenitoribus, qui etiam Janigenæ, id est, à Jano geniti dicuntur, non alienum, aut absurdum judicarem priscos Auctores intellexisse Orobios fuisse primum genitos. Habetis igitur, viri ornatissimi, explicatas omnes ferme (ut arbitror) de Orobiorum origine sententias: quibus de rebus quoniam satis à nobis dictum est, nunc, ut est in adagio, aliam quercum excutite. Atque ego te, Marce, hisce de rebus quid exploratum habeas, audire vehementer optarim.

Et Petrejus, Ego quoque, inquit, & Julius, Marce, id abs te petimus: scimus enim te non solum, ut dici solet, ad Aristophanis lucernam, sed etiam Cleanthis non pauca magnifica sane & perrecondita investigasse.

At ille, Ut ita, inquit, ista esse concedam, quæ sunt longe secus, (nam & pervulgata sunt, vobisque non incognita) ego mehercule eundem mallem Marsilium audire; ut qua eloquentia & eruditione falsos Orobiorum Auctores sustulit, eadem veros inducat: quamobrem nisi forte jam es defessus, Marsili, & si tibi non graves sumus, ea nobis ut edisseras, obtestamur: censemus enim hæc te faci-

cillime explanare posse, quod & Hebræum sermonem jam pridem didiceris, & complures jam menses ea ipsa te ex Beroso videmus exquirere.

Tum ille ridens, Age, age, inquit, satis enim scite, me nostri sermonis principium & finem esse vultis, hisce de rebus aliquid vobis, si modo possumus, (sum enim, ut Græci dicunt, ὡς κολοιὸς ἐν ταῖς μούσαις) explicemus. Verum enimvero, quia vetustas ipsa, rerumque remotissimarum obliteratio, earumque cognoscendarum cupiditas, ita postulat, altius quædam recensebo, & perquisita longo studio, & eruta multa antiquitatum pervestigatione, & cura: neque enim alienum suscepto operi, aut importunum, ut arbitror, videri poterit, si ante- A quam veram Orobiorum originem pandam, totius pene Italiæ res à remotissimis etiam seculis explicavero, & qui, & quales eam populi, regesque initio, aurea nimirum ætate, tenuerint, in memoriam revocavero. Quibus ut satisfaciam, crastinum in consessum dictionem hanc omnem rejiciendam censeo: nam & satis multa à nobis hodie disputata sunt, & sol ille jam ad occasum properat.

Tum Marcus, Rectissime profecto hæc, inquit, à te censentur, Marsili: proinde hoc in loco (quando id tibi placere jam video) ad ea, quæ restant, singillatim nobis explicanda convenies; B totum enim tibi crastinum dicamus diem: quæ quum essent dicta, discesserunt.

JOANNIS CHRYSOSTOMI ZANCHI,

BERGOMATIS, CANONICI ORD. D. AUGUSTINI,

DE

OROBIORUM,

SIVE

CENOMANORUM,

ORIGINE

LIBER II.



PLATONEM illum, quem Panætius *Philosophorum Deum* nuncupavit, dicere solitum accepimus, *à Jove reges esse atque philosophos.* Ego vero non reges modo, atque philosophos, sed optimos quosque liberalium ac ingenuarum artium scriptores à Jove, id est, Deo, vel maxime prodiisse contenderim: nam quum omnium rerum optimarum principia à Deo optimo maximoque duci ὁ θεοδίδακτος καὶ παμμέγας Areopagita Dionysius scite admodum docuerit: profecto neque artem, neque virtutem ullam, neque eam, quæ ad scientiam maxime spectat, veri indagationem, quempiam adipisci posse absque illius summi, consummatique boni consensu manifestum est. Quæ quum ita se habeant, indoctorum proculdubio quorundam, vel obtrectatorum potius linguam me haud evasurum plane confido: quippe qui & Trogum Pompejum, & C. Plinium, Romanarum alterum Græcarumque, naturalium alterum ac reconditissimarum historiarum scriptorem diligentissimum priori volumine acrius fortasse, quam operæ precium fuerat, oppugnaverim, viros, inquient, veritatis, quæ non nisi à Deo esse potest, & amantissimos, & indagatores quoque solertissimos: clamabuntque nonnulli eo me consilio, eaque de causa, eos vexasse, quo omnem illorum in tradendis rebus antiquis fidem penitus everterem, labefactaremque. Quibus ego illud primum haud temere forsitan objecerim; licere mihi quod & omnibus ferme tum vetustis, tum recentioribus hominibus semper licuit, contra aliorum opinionem disserere: præsertim vero in re tum controversa, tum multorum seculorum vetustate obliterata. Quis enim est qui non intelligat, quam & in physicis perscrutationibus invicem dissentiant Democritus, & Empedocles, Aristoteles, & Plato? Et in morborum curationibus dicant omnino diversa Herasistratus, Hippocrates, Asclepiades, Galenus, & Avicenna? At vero in historicis monumentis mirum est, quam inter sese C de rebus si non singulis, certe vel primis, vel maximis, cognituque dignioribus altercentur, qui antiquitus & regum illustrium, & imperiosorum populorum res gestas, & memoriæ veteris ordinem tradidere: atque adeo, ut præcipuum inter eos studium exstitisse videatur, quo alter alterum incesseret; & qui posterior esset, eos, qui ante se scripsere, vexaret. *In quantis enim,* inquit Josephus Judæus, *locis Hellanicus ab Agesilao de genealogiis discrepat? & in quantis Herodotum corrigit Acusilaus? aut quomodo Ephorus quidem Hellanicum in plurimis ostendit esse mendacem? Ephorum vero Timæus? Timæum qui post illum fuere?* D *Herodotum vero cuncti? sed neque de singulis cum Antiocho, & Phillisto, aut Callia Timæus concordare dignatus est: neque rursus de Atticis ii, qui Attidas conscripserunt, aut de Argolicis ii, qui de Argis historiam protulere, alterutros consecuti sunt. Et quid oportet dicere de civitatibus, brevibusque rebus, quando de militia Persica, & iis quæ in ea sunt gesta, tantum viri probatissimi discordare noscuntur? in multis autem etiam Thucydides tanquam fallax accusatur, licet scrupulosissimam secundum se historiam conscripsisse videatur.* Hæc ille. Mirum igitur si nos quoque Trogo, Plinioque, contraria dixerimus? quasi non & ipsi de E Orobiorum, deque Italiæ ortu diversa omnino, & vetustissimorum quoque Scriptorum fidei contraria penitus sentiant ac scribant. Itaque viderint illi quam honeste negari id possit mihi, patriæ splendorem, ac gloriam, veramque non Orobiorum modo, sed totius fere Italiæ originem pervestiganti, quod profanis, barbarisque gentium Scriptoribus gratis concessere. Etenim si præceptorem suum Platonem Aristoteli in pluribus vexare, si Aristotelem Epicuro contumeliosissime calumniari, si denique Leontio meretriculæ contra Theophrastum, Dioni Chrysostomo adversus Homerum, F Cæsari contra Catonem, & patrum nostrorum ætate, Laurentio Vallensi adversus omnes scribere licuit; cur me ipsum quoque non æquo animo ferent contraria nonnulla Trogo, Plinioque, nec non & cæteris, qui vel ex inscitia, vel desidia, vel antiquissimorum annalium, patrumve fide neglecta, calumniose quædam de Orobiorum & Italiæ ortu litteris mandarunt, edisserentem?

Sed ne fortaſſe longius quam par eſt progrediamur, iis demum, qui me eo conſilio Trogum Pompejum, ac Plinium, & eorum ſectatores impugnaſſe dicturi ſunt, quo eis omnino fidem derogarem, eorumque doctrinam inanem penitus oſtenderem, reſponſum hoc ſtatim velim, tantum id vero convenire, quantum, ut inquit Lucianus, convenit μόλυβδος ἀργύρῳ, καὶ χαλκὸς χρυσῷ, καὶ ἀνεμώνη ῥόδον, καὶ ἀνθρώπῳ πίθηκος. Ea ſi quidem contradicendi facultas, qua omnes ferme, ut dixi, uſi fuere, tantum ab evertendarum diſciplinarum conſilio abeſt, ut jactis firmioribus fundamentis, eas magis, magiſque ſtabilire videatur. Quid enim illa antiquorum philoſophorum tanta diſſenſio, quantam diximus, quid tandem effecit? nulla ne omnino ut eſſet naturalium rerum cognitio, ſive diſciplina? nequaquam: nam eo ipſo plures multo & incenſi olim fuere, & nunc paſſim ad perſcrutanda naturæ abdita incenduntur. Nullus ne item erit Medicinæ, Aſtrologiæ, Dialecticæ, Grammaticæ, cæterarumque liberalium artium uſus? nulla ne cognitio? quoniam & hæ totidem pene habent vel altercatores & quidem vehementes, vel rixatores potius cum primis acerbos, quot diſciplinarum magiſtros. Minime gentium: ſunt enim hiſce de rebus à complurimis præcepta cum in univerſum tradita, tum etiam in artem redacta, ac diſciplinam. At vero quid unquam obfuit Ariſtoteli, quod ne Platoni quidem magiſtro ſuo pepercerit? ſed contra ejus dogmata non pauca ſane diligenter, & ſcripſerit, &, ut quidam volunt, acute diſputaverit? nihil penitus. Tantum enim Ariſtotelis potuit nomen, & auctoritas, ut non maximos ſolum virtutum præcones habuerit, diſciplinæque, ac viæ ſuæ ſectatores, qui certa omnia apud illum, firma, & inconcuſſa arbitrarentur: ſed multo etiam plures, (ô indignum facinus) qui ſe magis Ariſtotelicos, Peripateticoſve, quam Chriſtianos dici maluerint. Memorare etiam hoc loco poſſem non ſolum veterum, ſed & horum etiam recentium, vel Philoſophorum, vel Theologorum, vel Mathematicorum, Grammaticorumve, aut Dialecticorum nominatim quoſdam vel maxime celeberrimos, qui eorum, qui ante ſe hiſce de rebus ſcripſerant, opiniones perquam ſtrenue quidem & coarguerunt, & labefactarunt: qui tamen à poſteris neque neglecti, neque repudiati fuerint; ſed contra plurimi in laudandis, extollendiſque, ingenii eorum viribus ipſos honeſtaverint, ni ea res longius nos ab incœpto traheret.

Proinde idipſum noſtra hac in cauſa dijudicari velim: neque enim nos Veterum fidem, aut doctrinam, vel evertere, vel labefactare ullo modo nitimur; ſed veram gentis noſtræ originem abſque ulla contentione, ſi fieri poteſt, indagare cupimus; idque ſummo ſtudio, curaque, perveſtigamus. Tribuant itaque illis alii quicquid velint, vel ingenii acumen, vel elegantiam, vel multarum rerum peritiam, per me ſane cuique liberum ſit, ego certe veritatis cauſam egi, agamque, dum vita comes fuerit: Beroſoque Chaldæo, & vetuſtiſſimo, & eruditiſſimo viro, ut qui à Moſe ſacrarum Litterarum ſcriptore certiſſimo, probatiſſimoque, nulla ferme in re diſſentiat, libentius fidem præſtiturus ſum, quam quibuſvis aliis, quamvis alias, ut inquit Myrſilus Lesbius, & eruditiſſimis, & eloquentiſſimis. Sed hæc ſatis, ſuperque. Quamquam ne opus quidem fortaſſe fuerat nobis iſta dixiſſe, niſi eorum gratia, qui totum hoc negotium, in quo tota hæc verſatur quæſtio, nequaquam intelligunt. Eos ſi quidem, qui Hebræas, Chaldæaſque, aut Græcas ſaltem litteras vel primoribus, ut ajunt, labris degustarunt, quique demum cum in perveſtiganda certa gentis noſtræ origine, tum in vetuſtiſſimis illis, doctiſſimiſque, rerum geſtarum, temporumque ſcriptoribus, Moſe Judæorum legiſlatore ſapientiſſimo, Beroſo Chaldæo, Metaſthene Perſa, A Philone Judæo, Fabio denique Pictore, Marcoque Catone verſati ſunt, nihil prorſus dubito ingentes mihi habituros gratias, etſi, quod conatus ſum, parum aſſecutus fuero. Quocirca libet mihi una cum Tullio antiquum illud exclamare:

Pro Deum, popularium omnium adoleſcentium
Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, atque imploro fidem,

non leviſſima de re, ut queritur ille, fieri in civitate facinora capitalia;

Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult.

Sed ut adſint, cognoſcant, animadvertant omnes; quæ de Italiæ, quæque de Cenomanorum, ſive Orobiorum noſtrorum ortu ſplendidiſſimo à nobis diſſeruntur, ſcriptiſque mandantur, utrumnam B ſint vera, an falſa, certa, an incerta, illuſtria, an ignobilia, gloriæ ne tandem inanis, an veritatis indagandæ gratia, ſcripta videri queant.

Cæterum his forte quam opus fuerat pluribus affari te, humaniſſime Petre Bembe, volui, antequam ea, quæ reſtant, aggredior. Te enim ſtudiorum meorum æquiſſimum non æſtimatorem ſolum & judicem, atque in primis amantiſſimum, verum etiam gentis noſtræ defenſorem & maximum, & acerrimum eſſe, ſatis ſcio, & compertum maxime ob id habeo: quod olim adoleſcens patre tuo Bernardo viro graviſſimo, atque integerrimo, omnique doctrinarum genere ſpectatiſſimo, ſumma cum laude prætorium munus apud Bergomates (noC ſtros ne dicam, an tuos?) gerente, talis ac tanta fuerit apud omnes tui exſpectatio, ut non præclarum modo ob ingenium, doctrinamque, & litterarum peritiam, quæ omnia in te ſumma ſunt, verum candidiſſimos potius ob animi tui mores cunctorum, vel eruditorum maxime, oculos in te unum paternarum virtutum quaſi imaginem quandam ita converteris, ut te nunc etiam tanto poſt in oculis ferant univerſi, humanitatem, modeſtiam, miram denique probitatem agnoſcant omnes, & prædicent. Sed hæc alibi, & copioſius, ſi quando majoris otii tempus nacti fuerimus: nunc vero, ſi placet, ad inſtitutum ſermonem revertamur.

Poſtero igitur die, quam ea fuerant ab illis ſatis D probe doctis adoleſcentibus, L. Petrejo, M. Marſilio, ac C. Julio, de Orobiorum origine diſputata, quæ ſuperiore *Libro* ſcripta ſunt, cum iidem apud M. Mauritium ad conſtitutum conveniſſent, ajebat mihi idem ille Petrejus ſeſe ab illo ingenti alacritate exceptos fuiſſe: ac demum cum amiciſſime inter ſe conſalutaviſſent, tum Marcum hilari vultu ac ſoluto, ut ſolebat, arridentem ita cœpiſſe. Quid tu tandem, Marſili? Nunquidnam ea diſſerere paratus es, quæ ſuperiorem poſt conſeſſum traditurum te nobis hodie promiſiſti?

Tum ille, Timide, vel verecunde potius, præſto, inquit, ſum promiſſa ſervaturus, quorum debitorem heſterna me diſputatione conſtitui: de prinE cipe videlicet Italiæ, atque Orobiorum, ſive Cenomanorum, ortu diſſerturus: re ſane quam difficili atque perardua, noſtriſque à majoribus aut non ſatis dilucide explicata, aut omnino parum diſerte pertractata. At vero utinam nos ii ſimus, qui & deſiderio veſtro, &, quam de me jampridem concepiſtis, opinioni, parte ſaltem ex aliqua reſpondeamus: nam aliis ſatis ut faciamus, qui hæc ipſa audituri fortaſſe à vobis ſunt, id vero prorſus futurum diffidimus, & ingenue quo vobiſcum agam, etiam deſperamus. Tamen ut conſuevere qui periculoſa tranant atque ignota flumina, quibuſdam quaſi contis tentabundus amnem aggrediar: nam, ut inquit Cicero, tardi omnino F eſt ingenii rivulos conſectari, & fontes rerum non videre: etiam ætatis eſt, uſuſque noſtri, à capite quod velimus arceſſere, & unde omnia manarint videre.

Perge vero fidenter, inquit Marcus, ſequentur enim quæ tu ſcientiſſime aggreſſus es.

Vultis ne ergo, inquit ille, principem Italiæ ortum

ortum à fonte repetamus? quo invento, non erit dubium quo ſit Cenomanorum noſtrorum origo referenda, quam quærimus? Quum omnes reſpondiſſent nihil aptius, nihil ad rationem inſtituti ſermonis commodius dici poſſe.

Tum ille, Abſolutiſſime, inquit, viri ornatiſſimi, principem Italiæ originem à M. Catone illo & rerum geſtarum, & memoriæ veteris indagatore ſolertiſſimo, ſtudioſiſſimoque, hiſce verbis traditam diu arbitratus ſum, quæ etiam pridem in gentis noſtræ gratiam edidici, & nunc libenter referam, ea ſunt: Italiæ ſplendidiſſima origo fuit tum tempore, tum origine gentis. Cœpit enim aureo ſæculo ſub principibus Diis Jano, Chameſe, Saturno, gente Phœnicea & Saga, quæ poſt inundationem terrarum per orbem prima colonias miſit. Qui vero eam populi ac reges primum tenuerint, vere atque enucleate Q. Fabium Pictorem virum ſane eruditiſſimum tradidiſſe exiſtimabam, cujus verba ſunt: Italiæ imperium penes duos populos principes exſtitit: poſterius Romani, principio Thuſci ſub Jano cœperunt in aureo ſæculo. Aurea ætas primo ortu generis humani fuit ſic dicta, quod poſterioribus ſeculis comparata æque atque aurum inter metalla effulſit, eam cœpiſſe ſub Ogyge ante Ninum annis circiter ducentis & quinquaginta, Xenophon atque majores prodiderunt.* Is Janus ſub initium aurei ſeculi lævum latus Tyberis Hetruriam tenuit; Chameſes vero ac Saturnus circa finem ejuſdem ætatis dextrum incoluerunt. Nunc autem in oſtendendis, explanandiſque, Italiæ ac Cenomanorum principiis, non dubitabimus remotiora quædam ſignificatioraque ſciſcitari, ac quærere: quorum ex indagatione ipſa hæc Italiæ & Cenomanorum origo clarior appareat, ſitque illuſtriore in loco poſita.

Nos quoque, inquit Petrejus, ita faciundum eſſe exiſtimamus.

Tum Julius, Me quoque, inquit, Petrei, adſcribito ſententiæ: verum tu ipſe jam ad loquendum, nos autem ad audiendum accingamur.

Tum Marſilius, Principio, inquit, ſatis conſtat, poſt inſignem illam terrarum inundationem, qua univerſus periit orbis, in majori Armenia, quam Beroſus & Cato Scythiam Sagam vocant, renatum fuiſſe genus humanum: ita enim Cato: De mundi quidem, inquit, origine auctores non paria ſentiunt: nam Chaldæi ſibi ſempiternitatem perſuadent, Phœnicibus vero, ac Sagis magis placet origo: inter utroſque convenit, ante Ninum circiter annis quinquaginta & ducentis, quibus duravit aureum ſeculum, terras fuiſſe inundatas, & in Scythia Saga renatum mortale genus. Sive enim ab æterno mundum exiſtimes; & ignis principio cuncta tenuerit, & ſenſim in ſua loca elementa coeuntia homines produxerint, ſive, ut fertur, ante aureum ſeculum terras ſubrutas inundatio poſſederit, & exſiccata humo apparuerint homines, equidem principatus originis ſemper Scythis tribuitur, à quibus auctis colonias per orbem miſſas ferunt. Verum quoniam ea omnia apertius atque enucleatius ſacræ primum Litteræ, deinde & Beroſi, Chaldæi hiſtorici, monimenta continent, idcirco iis ducibus erit nobis omnis noſtra explicanda traditio: quod veſtrum quoque eſſe conſilium, de vultus veſtri aſſenſu, hilaritateque, plane intelligo.

Rectiſſime vero, inquit Marcus, iſtis enim ducibus errari nullo modo poteſt.

Tum Marſilius, Datis ne hoc mihi vos quoque fratres? nam Marci hujuſce noſtri jam novi ſententiam.

Tum illi, Damus ſane, inquiunt, ſi poſtulas. Et recte quidem atque optime, inquit Marſilius. Quid enim ſacris ſanctiſque divinarum rerum Scripturis ſanctius? quid divinius? quid denique certius
A aut eſſe, aut excogitari poteſt? quum earum auctor
Deus ipſe optimus, maximuſque, & vere quidem
ſit, & ab omnibus, qui recte ſapiunt, eſſe cenſeatur?
At vero quid antiquius? quid probatius? quid
denique eruditius inter externos Beroſo illo inveniri
poſſe judicamus? quippe qui publica, probataque,
Scythicorum ac Babylonicorum annalium fide, totius
fere memoriæ veteris ordinem, & imperioſorum
populorum origines, & regum maxime illuſtrium
res geſtas, antea penitus incognitas, ac in
tenebris retruſas atque abditas aperuerit. Conſervatis
ſiquidem notatiſque omnium Aſſyriorum regum
temporibus, nihil quum illuſtre prætermi-
B ſerit, MCCCCLXXXXIII. annorum memoriam multis
voluminibus colligavit: ut merito quidem gloriari
queat, ſua perveſtigatione & cura, ſuiſque demum
vigiliis, ea ſe inveſtigaſſe, tradidiſſeque,
quæ Græcorum, aut Latinorum quiſquam, vel
Ægyptiorum, Perſarumve, aut aliarum gentium
(præter Moſen tamen, à quo nihil ferme deſciſcit)
nullus omnino eſſet antea conſecutus: quod quidem
ob meritum eum Ægyptii omnes, Perſæ,
Medi, Chaldæique, atque alii quam plures magni
nominis populi ſuſpexerunt, ſupraque hominem &
admirati, & venerati ſunt: quandoquidem Athenienſes,
ut auctor eſt Plinius, propter ingenii ex-
C cellentiam, clariſſimaſque rerum antiquarum traditiones
publico in gymnaſio inaurata lingua ſtatuam
illi collocarunt. Verum ad ea, à quibus digreſſi
fortaſſe videmur, redeamus. Quod igitur
in Armenia Saga principio reparatum fuerit hominum
genus, vel illud ſatis admodum declarare poteſt,
quod Moſes ille Hiſtoricorum omnium, ut
Græci dicunt, ἱστορικώτατος, ſcriptum reliquit: *Requievit*,
inquit, *arca menſe ſeptimo decima ſeptima die
menſis ſuper montes Ararat.* Quod Interpretum eruditiſſimus
Hieronymus explicans: *Eſt*, inquit, *Ararat
regio in Armenia campeſtris, per quam Araxes fluit incredibilis
ubertatis, ad radices Tauri montis, qui uſque
illuc extenditur: ergo & arca, in qua liberatus eſt Noe
cum liberis ſuis ceſſante diluvio, non ad montes genera-
D liter Armeniæ delata eſt, quæ appellatur Ararat, ſed
ad montes Tauri altiſſimos, qui Ararat imminent campis.*
Hæc ille. Quæ omnia ἐν τῇ τῶν χρόνων ἐπιτομῇ
Archilochus, & ex Mnaſea Phœnice, & ex Moſe
Judæo pulcherrime collegit, ita dicens: *Mnaſeas
Phœnix Damaſcenus libro* XCVII. Hiſtoriarum *aſſerit
ante Ninum ferme ducentis quinquaginta annis fuiſſe inundationem
terrarum, & quendam, cui teſtimonium perhibet
Moſeus antiquiſſimus Hiſtoricus, liberatum circa
fluvium Araxim, ad montes Caſpios: tumque recenti
cælo & rudi humano genere vixiſſe auream vitam, in
qua nullo ferente legem natura ipſa vivebatur, quouſque
Ninus & Semiramis arma populis inferentes primi vitam
vitiare cœperunt humanam. Verum* (ut hoc nunc παρέργως
E *agam) nequaquam vos conturbet, quod mons ille,
ad quem arcam delatam ferunt, à Hieronymo quidem
Taurus, ab Archilocho autem Caſpius, à Beroſo vero
Gordiæus nuncupetur: nam unus atque idem eſt mons,
quamvis diverſis in locis, variiſque à gentibus & Scriptoribus
diverſa ſibi adſciſcat nomina, uti potiſſimum videri
video C. Julio Solino, cujus verba in præſentiarum
omittere incurioſum plane videretur: eſt enim ejus de
Tauro monte & clariſſima, & illuſtris oratio: Mons,
inquit, Taurus ab Indico primo mari ſurgit: deinde à
ſcopulis Chelidoniis inter Ægyptium & Pamphylium pelagus
objectus Septentrioni dextro latere, lævo meridianæ
plagæ, Occidenti obverſus fronte profuſa, ſed modo intercluditur
Phœniceo, modo Pontico ſinu, interdum Caſpio,
F vel Hyrcano: quibus renitentibus ſubinde fractus contra
Mæoticum lacum flectitur, multiſque difficultatibus fatigatus,
Riphæis ſe jugis annectit, pro gentium & linguarum
varietate plurifariam nominatus: apud Indos Imaus,
mox Paropaniſus, Cohatras apud Parthos, poſt Niphates,
inde Taurus, atque ubi in excelſiſſimam ſublimitatem
Caucaſus, interea etiam à populis appellationem trahit:
ab dextro latere Caſpius dicitur, vel Hyrcanus, à lævo*

Ama-

Amazonicus, Moschicus, Scythicus: ad hæc vocabula habet alia multa. Hæc ille.

Nos vero, ut instituimus, ad reliqua pergamus; quæ tametsi possint à me & ornate, & electissimis quoque verbis recenseri, attamen quo & clariora vobis ipsis appareant, & summa cum delectatione orationi quoque nostræ auctoritatem afferant, & fidem, ea omnia Berosianis, Catonianisque verbis, quibus libenter admodum uti soleo, pertexam: ea sunt: *Itaque necesse est*, inquit Berosus, *nos ex præmissis confiteri quod & Chaldæi & Scythæ scribunt, siccato ab aquis orbe non fuisse nisi tantum octo homines in Armenia Saga, Noach scilicet cum tribus filiis Samo, Japeto, & Chamese, & uxoribus Titea magna, Pandora, Noela, & Noegla, & ab iis omne hominum genus in terris seminatum: exsiccata namque humo & torrefacta terra, quum, ut par erat, è Gordiæo monte in subjacentem planitiem cadaverum plenam descendissent, quam usque ad hanc ætatem appellant Miri Adam, id est, eviscerátorum hominum, continuo congressi conjugibus perpetuo geminos marem & fæminam edidere: qui adulti, & conjuges effecti, & ipsi binos partu liberos semper ediderunt. Neque enim unquam Deus, aut natura defuit necessitati, quæ ad universi orbis spectat opulentiam. Eo pacto brevi in immensum adaucto humano genere, omnique Armenia completa, quum eos inde recedere, atque novas sibi sedes conquirere necessitas compelleret, tum senissimus omnium ac sapientissimus pater Noach, qui & Janus, adhortatus est homines principes ad comparandas novas sedes, & communem cœtum inter homines agendum, & ædificandas urbes. Designavit itaque tribus filiis suis, ante diluvium genitis, tres illas orbis partes, Asiam, Africam, & Europam, ut ante Cataclysmum viderat: singulis autem his principibus singulas partes, ad quas irent, partitus est: illud in primis maxime præcipiens, ut nomina sua locis, quæ tenuerint, montibus scilicet ac fluviis, urbibus ac populis, quorum essent imperium obtenturi, imponerent in signum expeditionis à Jano patre sibi commissæ, & ad monimentum posteris, ut scirent quis eorum conditor fuerit: ipse vero per totum orbem colonias se traducturum pollicitus est.* Quapropter ex ea Scythia Saga, quam Berosus & alii Armeniam vocant & Aramæam, (Scythas enim populos, ut inquit Plinius, Persæ universos Sagas appellavere à proxima gente Saga, antiqui vero Aramæos) Janum patrem sive Noach cum coloniis primum transfretasse, præter Berosum ipsum, qui cuncta Jani gesta immortalitati scriptis suis consecravit, Cato quoque noster eruditissime admodum, succincteque, asserit, dicens: *Ex his Scythis tradunt venisse Janum cum Dyrim, & Gallis progenitoribus Umbrorum, rateque cum colonis per Tyberim vectum ad lævum Tyberis Hetruriam tenuisse locum: ubi colonias in continente primum exposuit, & ipsum Deum simul Vaticanum habitum dictumque fuisse, & regionem Vaticanam, id est, Vagicanam, dictam, quod ibi Janus quasi in cunis natam primum, vagientemque Italiam exceperat:* & quæ sequuntur.

Quocirca hisce omnibus ita consideratis, facile licet intelligi, de principe Italiæ ortu ita statui oportere, quemadmodum & Fabius Pictor & M. Cato monimentis testantur suis: aurea scilicet ætate natam Italiam gente Phœnicea & Saga, quam posteriores Armeniam Aramæamque dixisse, ex iis, quæ recensuimus, plane quidem compertum habemus. Sub universi vero terrarum orbis principe Noach, quem prisci Scythæ cum Ogygem Sagam, id est, ut Berosus exponit, illustrem sacrorum pontificem, tum ob inventæ vitis, vinique, beneficium, Janum patrem appellavere, (Aramæa namque, Hebræaque lingua vinum יין *Jain* dici nemo est qui nesciat, qui vel prima Hebrææ linguæ rudimenta perceperit) atque hinc Italiam primum à Jano Janiculam cognominatam fuisse

A Cato scriptum reliquit: *Italia*, inquit, *complura à Diis & ducibus sortita fuit nomina: à Jano quidem Janicula, quem quidam Oenotrium dictum existimant, quia invenit vinum & far.* Itaque, ne longius à proposito aberremus, qui primi Italiam tenuere populi, hos Scythas Aramæos sive Armenios Sagas exstitisse, neminem vestrûm ignorare jam arbitror: qui primum à Jano patre, ut dictum est, in Italiam deducti, à fluctibus quidem, à quibus aquosæ cladis tempore navi erepti sunt, Syro, Hebræoque sermone Galli Umbrorum progenitores, & ab ipso patre Jano Janigenæ sunt nuncupati: quos deinde Romani Hetruscos, Græci vero à sacrorum peritia Thuscos,

B & à Tyrrheno Tyrrhenos appellarunt, quemadmodum & ex iis, quæ hesterna die recensuimus, & ex Manethone Ægyptio, Myrsiloque Lesbio facile licet intelligi: ita enim Manetho: *Secundo*, inquit, *Menophis Ægyptiorum regis anno, Tarchon Priscus regnat apud Razenuos Janigenas, qui nunc dicuntur Tyrrheni, & Thusci, ob Tyrrhenum & peritiam divinorum, quæ à Jano didicerunt.* Myrsilus autem: *Ipsi quoque*, inquit, *Romani fatentur, Hetruscos esse vetustissimos, & aureo seculo natos, à quibus aras, ritus, divinationes, colonias, & disciplinas habuit prisca Italia, initio sumpto à prima eorum tetrapoli dicta Hetruria, à qua illos Romani Hetruscos cognominarunt.* Hæc illi.

C Sed nos his cum inquirendis, tum explicandis nimii fortasse sumus: ea enim tantum attigisse, quam membratim disseruisse consultius fortasse fuerat: verum quoniam hæc ipsa sunt hujusce indagationis nostræ principia, ob id permissum mihi fore arbitratus sum in hoc consessu licentiore uti posse, sive auctoritate, sive exemplis hominum sane doctissimorum. Quamobrem jactis hisce fundamentis, ad illa statim transeo, quæ secundo loco videntur ex Mose, Berosoque recensenda. Scribunt namque Noævum illum, quem rerum gestarum magnitudo olim inter deos exterarum gentium retulit, quemque Hebræi patria lingua *Noach*, Metasthenes vero Persa, & Archilochus, & Xeno-

D phon, & Fabius Pictor, & Solinus, aliique nonnulli Ogygem priscum, Janumque nuncupant, principique terrarum inundationi præfuisse, atque universo orbi tradunt imperasse, ante Cataclysmum, quum quingentos annos natus esset, tres filios genuisse, Samum scilicet, Chamesem, ac Japetum: qui Hebraica lingua *Sem*, *Cham*, *Japheth*, appellantur: à quibus post diluvium procreata sit omnium hominum multitudo, ab eisque è prisca Armenia centesimo primo post inundationem anno egressis, regna, gentes, linguas, ac primarias mundi partes cœptas, habitatasque fuisse: quas fama tenet fuisse duas & LXX. quemadmodum & ex IX. *Geneseos* capite, & ex his etiam

E Hori Apollinis Niliaci verbis facile licet cognosci: *Lunam autem, aut terrarum orbem, aut litteras, aut sacerdotem, aut iram, aut stagnum describere volentes, Cynocephalum pingunt: ac Lunam quidem primo, quoniam*, &c. Deinde non multo post hæc subdit, dicens: *Orbem terrarum vero, quia duas & LXX. regiones principales orbis terrarum esse ajunt*, & quæ sequuntur. Eo autem anno, quem diximus, orbis terræ divisionem à Jano patre factam fuisse, Pelegh, Heber filii, nomen aperte admodum arguit: nam illi ex eventu Pelegh, quod *divisionem* sonat, nomen impositum fuisse, Hebræa hæc Mosis verba significant: ולעבר ילד שני בנים

F שם האחד פלג כי בימיו נפלגה הארץ *ulhebær jullad scene banim, scem haachad Pelegh, chi bejamaf niplegagh haarez.* hoc est: *Et ipsi Heber nati sunt duo filii, nomen unius Pelegh, quoniam in diebus ejus divisa est terra.* At vero natum fuisse Pelegh anno post aquarum eluviem centesimo primo, quisquis apud Mosem annos vitæ, Sem, Arphachsad, Selach, &

& Heber computaverit, facile prorsus intelliget. His itaque temporibus, ut Philo Judæus aliique Hebræorum interpretes de multiplicato humano genere tradunt, Noæus ille, sive Janus pater, una cum tribus liberis ac coloniis nonnullis in Pontum venit, ratibusque æquor omne Mediterraneum circumlustravit, ostendens primo Sem littus omne Asiaticum à Tanai, ut scribit Arnobius, per Bosphorum usque ad Nilum Ægypti: Cham vero, sive Chamesi, à Nilo littus Africæ usque in angustias Oceani & Gadium: Japheth autem (quem Japetum Græci dicunt) omne littus Europæ à Gadibus usque ad Tanaim: & singulis provinciis, præsertim vero littoralibus, dimisit primas colonias. Verum hanc orbis terræ divisionem Græcus quidam sacrarum Litterarum interpres, cujus quod fuerit nomen aut patria nondum accepi, hunc in modum absolvit, dicens: Ὁ γὰρ δίκαιος Νῶε διαμερίζει πάντα τὸν κόσμον εὐθὺς τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ ἀπὸ κλήρου, διελθὼν ἑκάστην μερίδα, κατὰ κλῆρον ἑκάστῳ ἀπονείμας. καὶ τῷ μὲν πρώτῳ υἱῷ Σὴμ ὑπέπεσε κλῆρος ἀπὸ Περσίδος, καὶ Βάκτρων ἕως Ἰνδικῆς· μῆκος δὲ τοῦ κλήρου ἕως Ῥινοκούρας· κεῖται δὲ αὕτη ἡ Ῥινοκούρα ἀνὰ μέσον Αἰγύπτου καὶ Παλαιστίνης, ἀντικρὺ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης. Χὰμ δὲ τῷ δευτέρῳ ἀπὸ τῆς αὐτῆς Ῥινοκούρας ἕως Γαδείρων τὰ πρὸς νότον. Ἰαφὲθ δὲ τῷ τρίτῳ ἀπὸ Μηδίας ἕως Γαδείρων καὶ Ῥινοκούρας τὰ πρὸς Βορρᾶ. τῷ οὖν Σὴμ παῖδες καὶ παίδων παῖδες ἕως οὗ αἱ γλῶσσαι διεμερίσθησαν, καὶ εἰσὶ διεσπαρμένοι ἐν γλώσσαις· τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν εἰσί.

Ex his igitur tribus Jani filiis, LXXII. coloniarum duces prodiisse, tam Mosaica quam Berosiana loquuntur monumenta, è queis, LXXII. (ut diximus) primariæ orbis terrarum regiones ortum pariter ac nomen habuerunt. Ast ego ex his tantum eos referam, per quos Cenomanorum nostrorum manavit origo: seclusis iis omnibus, qui ad hanc rem minime pertinent. Itaque primo Chamesem Jani filium, quem Hebræi Cham, Ægyptii vero Chem & Chemesenuum, Zoroastremque, ac Saturnum suum nominant, quattuor filios genuisse Moses quidem ipse, & Hebræi omnes asserunt: quorum apud Hebræos propria hæc sunt nomina: *Chus*, *Mesraim*, *Chanahan*, *Phut*, è quibus priorem Chus (qui à Beroso *Chur* appellatur) Æthiopas ac Curetes genuisse præter Berosum Josephumque auctor quoque ille Græcus, cujus supra mentionem fecimus, ita scribit: *filii Cham Chus, à quo Chusæi Æthiopes.* Hinc & à Semiramide Chus Saturnum Æthiopem nuncupatum fuisse percepimus, in columna, quam Nino regi eam erexisse Xenophon tradit: in qua subscripta excisa erant verba, quibus Ninum maritum ita loquentem induxerat:

MIHI PATER IVPPITER BELVS
i. Nimbrotus
AVVS SATVRNVS BABYLONICVS
i. Chus
PROAVVS CHVR SATVRNVS ÆTHIOPS
i. Cham
ABAVVS SATVRNVS ÆGYPTIVS
i. Noach
ATAVVS COELVS PHOENIX OGYGES
AB OGYGE AD MEVM AVVM
SOL ORBEM SVVM CIRCVMLVSTRAVIT
i. Fluxerunt anni C. XXXI.
SEMEL AC TRICIES ET CENTIES
i. LVI.
AB AVO AD PATREM, SEXIES ET QVINQVAGIES
i. LXII.
A PATRE AD ME, BIS ET SEXAGIES
COLVMNAM, TEMPLVM, STATVAM,
IOVI BELO SOCERO, ET MATRI RHEÆ
IN HOC OLYMPO SEMIRAMIS
DICAVI

A Mesraim vero alterum Chamesis filium initio Ægyptum tenuisse, & ab eo Ægyptios fuisse cognominatos, Josephus, Hieronymus, Augustinus, aliique omnes tam Hebræi quam Græci, Latinique sacrarum Litterarum Interpretes constantissime tradunt: in sacris siquidem Litteris Ægyptum ubique *Mesraim* appellari solitam neminem ignorare arbitror, qui vetus saltem Hebraice legerit Instrumentum: sed & Auctor ille ἀνώνυμος: *Mesraim*, inquit, *à quo Mesræi Ægyptii:* & Suidas: *Meserem*, inquit, *est Ægyptus.* Verum multa hoc loco de Mesraim hoc Chamesis filio scitu nequaquam indigna sese nobis offerunt, quæ jampridem ex priscorum monimentis magno labore pervestigavimus: B quibus explicandis, quoniam haud est satis idoneum nunc tempus, cum sit res ipsa multiplex, ac majoris otii, multumque etiam laboriosa, non equidem invitus ea prætermittam. Vereor autem ne etiam fortasse vobis nimis antiqua & jam obsoleta videantur.

Tum Marcus, Ita ne nos, inquit, Marsili, cum in summam adduxeris exspectationem, deseris? Atqui hæc minime vetusta, aut obsoleta nobis videri poterunt, qui te hisce de rebus ut dissereres, præsertim rogaverimus: quî autem fieri potest, ut ea nobis obsolescant, (de me saltem loquor) quæ nihil dum audierimus? aut ab aliis (qui sciam) scripta legerimus? quamobrem perge obsecro; mul- C tum enim (ut opinor) ad eam priscarum rerum cognitionem, quam quærimus, explicatio tua ista profecerit.

Et ille, Etsi hæc, inquit, sunt, ut Græci dicunt, πάρεργα τὸ ἔργον, ne non tibi tamen, Marce, vel petenti, vel jubenti morem gessisse videar, ejus attingam, vel magis seligam eam partem, quam memoratu aut cognitione digniorem esse perspexero.

Tu vero, ut videtur, inquit Marcus: sed aveo audire quæ polliceris.

Tum Marsilius, Complures, inquit, à me, viri optimi, tum firmissimæ rationes, tum locupletissimæ quoque doctissimorum hominum auctoritates in medium afferri possent, & unaquæque earum D multis etiam argumentis confirmari, quibus facile admodum ostenderem Mesraim istum, de quo nunc loquimur, Osiridem illum Ægyptium exstitisse, quem & Apim, & Serapim, & Dionysium Libycum, & Jovem justum Olympicum, appellari solitum accepimus: ni; quum brevitati studeamus, ea res longius nos ab instituto traheret. Proinde hac una, quam nunc referam, ratione, eaque omnium vel firmissima, vel clarissima, contenti erimus. Principio satis vos existimo ex his, quæ supra diximus, intellexisse, Cham illum, sive Chamesem, Jani filium à priscis Saturnum Ægyptium fuisse cognominatum: quod & Semiramis in colu- E mna, & Berosus quoque noster hisce verbis eruditissime expressit, dicendo: *At vero Cham, quum publice corrumperet mortale genus, asserens, & re ipsa exsequens, congrediendum esse, ut ante inundationem, cum matribus, sororibus, filiabus, masculis, brutis, & quovis alio genere, ob hoc ejectus à Jano piissimo, & castimonia, atque pudicitia refertissimo, sortitus est cognomentum Chemesenua, id est, Chem infamis, & impudicus, incubus, propagator: est enim Esem apud Scythas Aramæos infamis, & impudicus*, Enua *vero tum impudicus, tum propagator. Eum inter homines hujus dogmatis secuti fuerunt Ægyptii, qui sibi illum suum Saturnum inter Deos adolescentiorem fecerunt, & civitatem illi posuerunt dictam Chemmin: à qua ad hanc ætatem* F *omnes cives illius appellamus Chemmenitas: verum posteri hoc vitiosum dogma neglexerunt, retento quod fuit primi moris, ut inter fratres & sorores conjugium iniri posset.* Hæc ille. Quum autem is Ægyptiorum Saturnus ex sorore pariter & conjuge Rhea filium suscepisse Osiridem nomine, una omnium voce prædicetur, eumque totius Ægypti imperium tenuisse

nuisse contendant universi, ecquid causæ esse potest, cur non eundem censeamus esse Osirim, qui & Mesraim est? quem jam supra demonstravimus, & Cham, sive Chamesenui filium, & Ægypti regem exstitisse? quum itidem ex Chamesenuo Rheaque natum fuisse ac generatum Osirim, ejusque sororem Isidem (ut interea sileam & Diodorum Siculum, & Plutarchum, nec non & Osirianam columnam, quam tamen, si tempus suppetet, non multo post referam) cum primis clarissime doceat idem ille Berosus; quem ego auctorem vehementer sequor: cujus è quinto volumine, diversis tamen in locis, verba hæc sunt: *Eodem*, inquit, *tempore Triton reliquit filium Hammonem regem Libyæ, qui accepit conjugem Rheam sororem Chamesenui Saturni Ægyptiorum, sed tamen ex Almanthea adolescentula, clam Rhea, Dionysium sustulit, & in Nysam urbem Arabiæ educandum misit.* Deinde paulo infra: *At apud Libyam lis orta est inter Rheam & Hammonem ob stuprum admissum cum Almanthea: quærebatque Rhea ubi Dionysius esset, ut eum perderet: & diu lis ista, rixaque perseveravit.* Et iterum: *Interea cum Italia discessisset Chamesenus; ad illum Rhea venit, & illi nupta, ambo contra Hammonem cum Titanibus pergunt: ibique bello commisso, pellunt regno Hammonem, & in Cretam cogunt, quum in Libya Chamesenus regnat, parit ex Rhea sorore Osirim, quem cognominavit Jovem.* Et paulo post iterum: *Eadem tempestate Dionysius Hammonis filius armis sumptis Rheam & Chamesenum regno paterno pellens & secum Osirim retinens, in filiumque adoptans, eum à patre suo Hammonem Jovem cognominavit, uti à magistro Olympo Olympicum: eique totius Ægypti regnum tradidit.* Et rursus: *Hujus*, inquit, (scilicet Semiramidis) *primo anno oritur ex Rhea & Chamesenuo in Ægypto Juno Ægyptia, cognominata Isis, maxima, frugifera, legifera, soror, & uxor Osiridis*, & quæ sequuntur. Quæ cum ita sint, perspicuum omnino est, quamvis nondum quisquam (qui sciam) id aperte dixerit, scriptumque reliquerit, eundem penitus fuisse Mesraim, qui & Osiris dicitur: cujus adeo multa ac diversa fuerunt nomina atque cognomina, (quot enim sunt hominum linguæ, tot esse Deorum nomina scite admodum apud Ciceronem Cotta loquitur) ut plerique eum tum Solem, tum Liberum patrem, ac Dionysium exstitisse crediderint: quemadmodum clarissime videri potest apud Diodorum Siculum, Eusebiumque, ac Macrobium, tum etiam apud Ausonium vatem, apud quem illud est epigramma XXIX.

Ogygiæ me Bacchum vocant:
Osirim Ægyptus putat:
Mystæ Phanetem nominant:*
Dionysium Indi existimant:
Romana sacrum Liberum:
Arabica gens Adonium:
Lucaniacus Pantheum.

Verum hanc nominum confusionem ob id præcipue accidisse contenderim, quia Græci, ut sæpe jam diximus, non tantum ritus & sacra veterum Deorum, sed etiam nomina eorum ac cognomina suffurati sunt: quorum princeps Orpheus, ut Demosthenes asserit, hujus Osiridis sacra ac ceremonias, nec non & cognomina, ex Ægypto advexit in Græciam, & in Jovis ac Dionysii Orgia transtulit. Quamobrem varias discrepantesque antiquorum Scriptorum de Osiridis nomine sententias Plutarcho Cheronæo insinuante didicimus eo in libro, qui ab eo *de Osiride ac Iside* ad Cleam mulierem editus est: quo quidem opusculo omnia ferme, quæ veteres Historici ac Philosophi de his tradiderunt, elegantissime complexus est: ubi illud in primis refert, Ægyptios credere, Osirim illum ex Saturno & Rhea natum fuisse, eumque, tanquam Ægyptiorum omnium Deorum ac Regum principem, oculo & sceptro in sacris eorum litteris, quæ ἱερογλυφικὰ nuncupantur, inscribi solitum: ac in oculo

* Alii *Phanacen*.

A lo quidem providentiam numinis, in sceptro autem potentiam declarari. Nomen vero Osiridis quosdam interpretari *multioculum* inflexione ducta, quod verbum OS, quod prima est hujus vocabuli syllaba, lingua Ægyptiaca idem significet quod *multum*; reliqua autem hujus nominis pars, quæ est IRIS, idem sit quod *oculus*: alios tamen dicere nomen Osiridis, ἀπὸ τοῦ ὁσίου, καὶ ἱεροῦ, id est, *à sancto, & sacro* compactum fuisse: quia communis ratio sit rebus cœlestibus & inferis, quarum priores sacræ, posteriores sanctæ à Veteribus appellarentur. Et post multa, quæ sub copiosa verborum ac rerum occultissimarum densitate luculentissime tradidit, quæque ob hoc solum nobis prætereunda sunt, ne
B usque ad fastidium sermo protrahatur, hoc postremo adjungit: Ægyptios recte dicere Osirim & Liberum patrem eundem fuisse, mox Osirim natura mortali exsutum, Apim ac Serapim appellatum, (consueverunt enim gentes, ut auctor est Lactantius, immutare nomina hominibus post mortem consecratis) per hæc Serapim Deum esse omnibus communem, qualem & Osirim norunt, qui ejus sacris initiati sunt: hinc Heraclitum physicum putare Serapim esse Ditem, sive Plutonem, ac Liberum patrem: præterea non recte affirmare Philarchum, Liberum patrem primum fuisse, qui ex India in Ægyptum duos boves adduxerit, quorum alter Apis, alter Osiris vocaretur: sed commodius Ægyptios sa-
C cerdotes existimare, duo nomina Osirim & Apim in unum Serapim coisse, coaluisseque, ac si *Osirapim* diceremus. Apidem porro ut speciosam imaginem Osiridis credi. Hæc atque alia complura facundissimus ille, eruditissimusque, Philosophus tradit: quibus si ea quoque, quæ de Osiridis præclarissimis rebus gestis Berosus ac Diodorus Siculus scriptis mandarunt suis, quam brevissime fieri poterit, adjunxerimus, (quamquam id à me minime exigeritis) satis me vestris fecisse votis existimabo.

Ferunt igitur regnante Osiride, quem Moses *Mesraim* vocat, inopem vitam & ferinos mores ab
D Ægyptiis depulsos fruge monstrata, ac legibus constitutis, publicatoque Deorum cultu: eum præterea Osirim scriptitant tanquam virum optimum, famæque cupiditate adductum Ægypti regno constituto, ac rerum omnium cura Junoni Isidi sorori, conjugique, tradita, coacto ingenti exercitu, universum peragrasse orbem, domuisseque, ac cicurofecisse hominum genus, non armis & bello compulsum, sed sermone blando magna ex parte adductum, suavibusque cantilenis illectum: quumque agriculturæ rudes adhuc essent homines, & pastoritiam tantum vitam agerent, docuisse eos & serere arbores, & putare vites, & arare terram: unde illud præclare apud Tibullum*:

Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores
Expressa incultis uva dedit pedibus.

Hujus igitur tot & tam ingentia merita ita Ægyptii remuneranda censuerunt, ut eum Apim ac Serapim cognominantes, sacrosque eidem tauros dicantes, hunc quidem Apim, alterum vero Memphitem nominatos, præclarum ejus nomen ac me-
F moriam perpetua veneratione celebrarent: tametsi non sum nescius Diodorum scribere, alia quoque de causa tauros Osiridi dicatos fuisse: nempe quod hæc præcipue animantia frugum inventoribus Isidi videlicet, atque Osiridi maximo usui, adjumentoque, & ad serendum, & ad communem agrorum

* Lib. I. eleg. VII.

rum culturam exstitisse commemorantur: unde Eustathius *in Dionysium Libym* refert, Tauros populos ab animali quadrupede tauro cognominatos, propterea quod ibi junctis bobus Osiris terram araverit. Ob id consuevisse priscos homines in numismatibus altera quidem ex parte regem, altera vero bovis effigiem extundere, auctor est doctissimus Homeri Interpres: Ἑκατόμβοιος, inquit, ἑκατὸν βοῶν τιμῆς ἄξιος, ἢ ἑκατὸν χρυσῶν νομισμάτων. οἱ γὰρ ἀρχαῖοι τιμῶντες τὸ ζῶον τὸν βοῦν, διὰ πολλὰ μὲν, καὶ ὅτι δὲ ἱερὸν ἐστὶν ἐνεχάραττον τῷ μὲν ἑνὶ μέρει τοῦ νομίσματος βοῦν, τῷ δὲ ἑτέρῳ, τὸ τοῦ βασιλέως πρόσωπον.

Cæterum his rebus ita gestis, illud postremo Berosus & alii tradunt, Osirim ipsum devictis, sublatisque in toto orbe terrarum infestissimis gigantibus, ac tyrannis, in Italiam demum anno post diluvium DXLIX. pervenisse, ejusque imperium annis ferme decem cum obtinuisset, & à suo cognomine Apeninam in triumphum appellasset, posthæc in Ægyptum reversum columnam erexisse; octavoque supra vigesimum imperii sui anno cessisse vitæ, sepultumque in Olympo monte una cum Iside conjuge: qui mons est in Æthiopia Ægypti secundum mare Erythræum: quod quidam à colore (sed an recte nescio) Rubrum vocant, non procul ab Heliopoli: hunc ajunt nonnulli ab ortu Solis ad quartam usque diei horam flammas emittere. Plerique tamen scribunt Osirim non in Olympo monte, sed in Memphi civitate fuisse conditum, quod Memphim nonnulli portum boum, alii Osiridis tumulum interpretentur.

Cæterum his ita traditis (ut & aliquantulum vager, & ne qua ex parte nostra desideretur oratio) illud minime inexplicatum præterierim, Italiam scilicet, ut & antea leviter attigimus, ab hoc Osiri, sive Api, quem Antiochus Taurum, Cicero sanctum Ægyptiorum bovem interpretatur, Apeninam, id est, Taurinam fuisse cognominatam: id enim Berosus & Cato vel soli (quod meminerim) apertissime scriptitarunt: è queis Berosus, *Vigesimo*, inquit, *nono Belochi decimi Assyriorum regis anno apud Celtiberos Lomnini florebant, & ædificaverunt à suo nomine urbem magnam Lomniniam. Anno autem sequenti Itali oppressi à tyrannis gigantibus in tribus Palensanis, advocaverunt Osirim, qui cum coloniis ad Histri vicinos fontes pervenerat. Osiris vero tota Italia potitus, decem annis illam tenuit, & à se nominavit in triumphum: & sub ditione positis gigantibus, regem Janigenis reliquit Læstrigonem gigantem, sibi ex filio Neptuno nepotem. His rebus gestis in Ægyptum reversus columnam, quæ permanet, inscripsit in monimentum expeditionis suæ per totum orbem.* Hæc hic. Quum ergo Osiris rex, Italiæ nomen dederit, utique eam à cognomine suo *Apiam*, sive *Apeninam*, appellasse consentaneum est: à quo antea & Peloponesum τὴν Ἀπίην γαίην, ut est apud Homerum, cognominaverit. Ita enim Antiochum Syracusanum (ut video nostrum Catonem scribere) affirmare solitum accepimus: *Italia enim*, inquit ille, *complura à Diis & Ducibus sortita fuit nomina: à Jano quidem Janicula, quem quidam Oenotrium dictum existimant, quia invenit vinum & far: Chamesena vero à Chamese, & à Saturno Saturnia, Saleumbrona quoque à gentilibus. Duravit Saturnia nomen totidem ferme annis, quot antea aurea ætas usque ad Apim Deorum Italiæ ultimum, ut Antiochus Syracusanus scribit: à quo Apenina, quam Taurinam idem interpretatur: etsi Græci de more quidam à bobus Herculis, quas opimos gignit Italia, ut ait Hellanicus; aut à vitulo egresso, ut ait Herodotus, vel quod quidam Græci boves vocant Italos, ut fabulator Timæus, dictam existiment. Inde à duobus fratribus, altero Hesperia, altero Italia, postremum nomen retinuit.* Hæc Cato. Præterea ab eodem Api in Italia Taurisium civitatem, quam corrupte *Trivisium* dicunt, nec non & Taurisanos populos (quos etiam *Tauriscos* Strabo appellat, dicens: *Quoniam à Polybio proditum est, sua ætate apud Aqui-*

A *lejam, maxime vero in Tauriscis & Noricis inventum fuisse aurum*) conditos fuisse, idem Cato testatum reliquit: *Taurisanos*, inquit, *Persæ gentem ab Api duce conditam asserunt. Quare hinc & Taurisium urbem nomen traxisse quis est qui dubitet? & montes quoque Taurisanos, de quibus erudite Plinius. Venetia*, inquit, *cujus fluvius Silis è montibus Taurisanis.* Sed hæc satis. Nunc quoniam quæ de Osiride postulasti, Marce, jam absolvimus.

Tum Marcus eum interpellans, Verum, inquit, profecto dicis, Marsili, sed si eam quoque Osirianæ columnæ inscriptionem, cujus Berosus meminit, & quam antea promisisti, reddideris, tum mehercule confecta res isthæc ex mea penitus erit senten-
B tia: existimo enim te in ea referenda, explicandaque, novi aliquid, ut soles, allaturum.

Tum Marsilius, O miram, inquit, memoriam, Marce, tuam! at ista mihi jam exciderant. Itaque ut tibi omni ex parte morem geram, ad Diodori Siculi me nunc libros convertam: cujus hæc sunt ex priori volumine de ea Osiriana inscriptione, quam requiris, verba: *Haud vero*, inquit, *inscius sum, à nonnullis scriptoribus tradi horum Deorum sepulchra in Nysa Arabiæ sita, à qua Nysæum Dionysium appellent, esse autem utrique dicatam columnam sacris sculptam litteris tradunt. Inque columna Osiridis hæc scripta dicuntur.*

C

MIHI PATER SATVRNVS DEORVM OMNIVM JVNIOR. SVM VERO OSIRIS REX, QVI VNIVERSVM PERAGRAVI ORBEM VSQVE AD DESERTOS INDORVM FINES: AD EOS QVOQVE SVM PROFECTVS, QVI ARCTO SVBJACENT VSQVE AD HISTRI FONTES. ET ALIAS QVOQVE ORBIS ADII VSQVE AD MARE OCEANVM PARTES. SVM SATVRNI FILIVS ANTIQVIOR: GERMEN EX PVLCHRO ET GENEROSO ORTVM: CVI
D NON SEMEN GENVS FVIT. NEQVE VLLVS EST IN ORBE, AD QVEM NON ACCESSERIM, LOCVS, DOCENS EA, QVORVM INVENTOR FVI.

Quo quidem in Osiriano Epigrammate illud inprimis scitu quam pulcherrimum atque optimum judicamus, Janum patrem, quem supra in Semiramidæa columna Cœlum fuisse nuncupatum audivimus, eundem nunc doctissime ab Osiride, *Non semen*, id est, castratum appellari, (Janum au-
E tem sive Noach patrem fuisse Chamesis Saturni Ægyptiorum, Chamesem vero Osiridis, jam satis supra demonstratum est) quo profecto cognomine historiam mehercule perreconditam de Jano & Chamese pauculis admodum verbis attigit: quam tamen nuper apud Berosum Chaldæum copiose ac diligenter explicatam reperi: cujus verba, quia memoria teneo, non illibenter expromam: *Cæterum*, inquit, *Noach antequam discederet ab Armenia, docuit illos simplicem agriculturam, magis curans religionem & mores, quam opulentiam & divitias, quæ ad illicita & libidines provocant, & cœlestium iram nuper induxerant. Primus tamen omnium invenit vites, atque plantavit, & vinum conficere docuit: cujus
F vim expertus, & vapore ebrius effectus, minus pudice in terram cecidit: erat autem illi, ut diximus, filius ex tribus primis adolescentior Chem, qui semper magicæ & veneficæ studens, Zoroastri nomen consequutus erat. Is patrem Noham odio habebat, quia alios ultimo genitos ardentius amabat, se vero despici videbat. Potissime vero idem infensus erat patri ob vitia. Itaque nactus opportunitatem, quum Noach pater madidus jaceret, illius vi-*

Fff

virilia comprehendens, taciteque submurmurans, carmine magico patri illusit: simul & illum sterilem perinde ac castratum effecit: neque deinceps Noach femellam aliquam fœcundare potuit: ob beneficium tamen inventæ vitis, ac vini, dignatus est cognomento Jano, quod Aramæis sonat vitifer & vinifer. Quocirca illud Græcorum impudentissimum sane furtum, apertissimumque mendacium, non satis digne mirari queo, qui (ut sunt genus hominum, auctore Plinio, in sui gloriam effusissimum) rem hanc tam inconcinne, tam etiam fabulose ad Saturnum Cretensem transtulerunt. Nam, ut inquit Cicero, vetus hæc opinio Græciam opplevit, exsectum Cœlum à filio Saturno, vinctum autem Saturnum à filio Jove. Sed de his disseruerunt & subtiliter, & copiose, Diodorus ac Lactantius Firmianus, & alii complures rerum gestarum scriptores, quos propter rationem brevitatis ac temporis prætereundos arbitror: tempus enim me citius, quam oratio deficeret, si ea omnia, quæ hisce de rebus non incommode dici possent, enumerare velim: etenim in singulis rebus ejusmodi materies est, ut dies singulos possim consumere: quanquam & hæc uberius fortasse diximus, quam aut ipse decreveram, aut historicorum usus plane desideret. Sed cum ea essent vel nova, vel recondita, ac taceri ullo modo nequirent, strictim omnia, ac summatim, ut putaram, afferri pro dignitate non potuerunt. Itaque ad tertium Chamesis filium redeamus. At vero Chanahan tertius Chamesenui filius, quem Phœnicem Græci dicunt, omnem Phœniciæ partem, quæ initium capit à Damasco, protenditurque usque ad Gazam extremam Palæstinorum urbem, tenuisse Berosus refert: *Chanahan*, inquit, *posuit colonias à Damasco usque in extima Palæstinæ. Itaque totam illam regionem, quæ & Damascenam, & Galilæam, & Samariam, & Judæam, & Palæstinam, & Idumæam complectitur, à Chanahan isto sive Phœnice Chananæam & Phœniciam nuncupatam ferunt divinarum Scripturarum interpretes. Phut autem postremum Chamesis filium, qui ab Ægyptiis quidem Phet, à Liguribus vero Pheriton, à Græcis autem, Latinisque Phaethon cognominatus est, in ea Mauritaniæ parte, quam Libyam incolæ vocant, initio colonias posuisse, & à se Phutensem, sive dicere mavis Phaethontæam, nuncupasse, præter Josephum Judæum, Hieronymus quoque noster aperte scriptum reliquit. Phut, inquit, est Libyes: à quo & Mauritaniæ fluvius usque in præsens Phut dicitur, omnisque circa eum regio Phutensis: multi Scriptores, tam Græci quam Latini, hujus rei testes sunt.* Hæc ille. Hinc & Græcus ille auctor ἀνώνυμος: Phut, inquit, à quo Phutæi Libyes. Is itaque Phaethon quum regnum in Phaethontæis, qui postea à Libyco Hercule devicti, in imperantis nomen, gentemque concessere, multos annos obtinuisset: tandem una cum filio Ligure, & nepotibus, & coloniis ex Africa & Ægypto in Atticam, & ex Attica in Italiam, ante Græcos omnes, colonias navibus transvexit, posseditque omnia ferme Transpadana loca, ac totum Eridanum, anno, teste Beroso, post diluvium CCCCL. ita enim ille: *Anno*, inquit, *penultimo Aralii septimi Assyriorum regis, classe venit ad Maloth Tagetem Janigenam Razenuum Phaethon cum suis: qui inveniens omnia ab Ausoniis occupata ab Oriente, & montana à Gallis & Aboriginibus possessa, planitiem vero à Razenuis Janigenis habitatam, donatus fuit parte Occidentali, possēditque cum sua posteritate montes, & totum Eridanum usque in regionem proximam Istris, relinquens nomina locis.* Ex hoc loco Catonem ac Sempronium auctoritatem sumpsisse perspicuum est, dum asseverant, Phaethontem primum ex Attica in Italiam cum coloniis transfretasse; quamquam Dionysius Halicarnasseus eos acriter admodum vexet, cujus verba hesterna in disputatione retulimus. Verum ei Plinius scite admodum pro Catone, Sempronioque, respondens: *Pudet*, inquit, *à Græcis Italiæ rationem mutuari*: nempe quia propriam omnino nesciunt, & de ea invicem altercantur. Sed de his alias fortasse plura etiam dicemus. Cæterum, ut inquit Livius, quum Thusci omnia loca, quæ trans Padum sunt, primi tenuerint, excepto Venetorum angulo, qui sinum circum incolunt maris, primus omnium Phaethon Venetos fundavit, totumque illum Venetorum angulum tenuit: quemadmodum Cato ac Sempronius tradunt. Venetis, inquit Cato, prima origo Phaethontæa est, quæ Græcis occasionem mentiendi de Phaethonte & Eridano præbuit: posterius mixta his nobilis stirps Trojana: à quibus Patavium suo conditore inclytum. Sempronius autem: Nam usque Attrianum fluvium, qui limes est Volturrhenorum & Venetorum, tenuere Hetrusci. Et Venetiam principio quidem Phaethontæi, postea Trojani eisdem mixti coluerunt. Hinc ergo perspicuum est principio quidem Phaethontæam à Phaethonte, postea vero Venetiam à Veneto ejus abnepote appellatam fuisse; uti postmodum enodatius explicabimus.

Ceterum hujus Phaethontis filium fuisse Ligurem Berosus, & Cato, & alii tradunt: à quo & Ligures populi, & Liguria Hetruriæ regio maritima nomen habuere, dicente Catone: Hetruria olim Italiæ princeps ab eorum Metropoli regia sic cognominata, à Tyberi in Macram diffunditur. Gens prima illorum maritima Ligurum, dicta à filio Phaethontis Ligure, quem montani Ligures Pherithon nuncupant: post Tyberina ostia Pheregenæ primum Hetruriæ oppidum in vicino littore, dictum à Genio Jano, qui primus ibi colonias posuit, & à Pherithone, id est, Phaethonte, qui colonias adjecit, uti in Liguria montana, ubi à Genii coloniis, Genua oppidum; & ab adjectis Pherethianis ad idem coloniis, amni proximo & regioni Pherethianæ nomen reliquit. Primus omnium Græcorum Phaethon ex Attica solvens cum Ligure filio, multis ætatibus & seculis ante Oenotrium Arcadem, colonias adjecit Italico littori ab Ostiis Tyberinis usque ad Nicæam Massiliensium: & in medio portum Ligurinum à filio nuncupans, ultro citroque littus omne Liguriam dixit. Hinc & Sempronius: Ligures, inquit, dicti sunt à Ligure Phaethontis filio, qui omnium primus, multis sæculis ante Græcos, ex Attica colonias in Italiam transportavit: adjecitque atque miscuit antiquissimis Italiæ populis, ab Ostiis Tyberinis usque Nicæam: hinc Veteres omnem maritimam dixerunt Liguriam. Fuit itaque Ligur Ligurum rex ac conditor, ac Hetruscorum regulus, quandoquidem Liguriam Hetruriæ principem maritimam regionem esse, scribit Cato, atque alii omnes tradunt. Unde & diversa variis in locis sibi Ligures adsciviste nomina C. Sempronius scribit. A Nicæa enim ad Macram, inquit, tenent Ligures montani, origine Phaethontæi: à Macra item ad Arnum, & portum Ligurinum incolunt Hetrusci cognomine Ligures Apuani: quos sequuntur Ligures Hetrusci Populonii à Ligurino portu ad caput Hetruriæ, à quo ad Tyberim sunt Hetrusci Ligures Tyrrheni, in quibus sunt campi completi lapidum, clari pugna Herculis, adhuc Lamones dicti, ab ipsius filio Lamone. Regnavit autem Ligur apud Ligures Hetruscorum populos, anno ferme à diluvio CCCCLXXX. ita enim Berosus: Hujus, inquit, Balei Xersis octavi Assyriorum regis temporibus, apud Ligures Phaethon relicto filio Ligure regressus est in Æthiopiam. Genuit vero Ligur iste, uti idem Berosus in genealogiis auctor est, filium, quem Syro, Chaldæove sermone Cydnum appellavit. Quicquid enim candidum est, ut Solinus scribit, Syri gentili lingua Cydnum vocant. Unde & amni Ciliciæ nomen inditum asserit: de quo illud est apud Tibullum*, poetarum suavissimum:

An te, Cydne, canam? tantis† qui leniter undis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis?

Tametsi non sum nescius & Lycophronis interpretem,

* Lib. I. eleg. VII. † Alii legunt *tacitis*.

tem, & Theocriti enarratorem, tradere, id Cydno nomen piscatores quosdam indidisse, quum illum è mari sustulissent, Cycnis plurimis circa eum volantibus. Cæterum is Cycnus à patre Ligure, Ligurum Hetruscorum rege, cum coloniis missus, omnem Transpadanam Galliam, quæ spectat inter occasum Solis & Septentriones, proximam Venetis, qui trans Attrianum flumen incolunt, initio tenuit, in eaque civitates multas montanis præsertim in locis exstruxit: à quibus Orobiorum cognomen adepti sunt ii populi, qui tum ab auctore, conditoreque, Cydno Cydnomani dicebantur: ejus tamen liberi, ut postea demonstrabimus, usque ad Istrum imperii ac regni sui fines protulerunt. Quibus è rebus judicare ipsi facile quidem ac recte potestis, Orobiorum nostrorum, sive Cenomanorum, originem (ut hesterna die dicebamus) à Janinæo, Hebræoque fonte ita defluxisse, quemadmodum,

Ionium mare ex Ægæo, Ægæum ex Hellesponto,
Hellespontum ab Euxino, Euxinum è Mæotide palude,
Mæotidem vero demum ab Oceano omnium parente,
Ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν,

oriri multorum testimonio proditum est. Cydnum siquidem Cydnomanorum patrem ex Ligure, Ligurem ex Phaethonte, Phaethontem ex Chamese, Chamesem vero ex Jano omnium patre, ortus sui initium traxisse, enucleate jam satis ostendimus. Sed tamen idcirco ad Janum illum supremum quasi quoddam mortalium omnium caput, à quo hominum genus omne processerit, principem Cydnomanorum originem referre maxime placuit, ne cui fortasse vestrum lutulenta Chamesis vitia, (si eum Cydnææ originis auctorem ac principem constituissem) quæ à Mose, quæque à Beroso referuntur, stomachum facerent: nimirum illud sibi vitio ac probro verti existimans, quod ab homine post homines natos turpissimo, sceleratissimo, omnium denique immanitatum ac libidinum maculis notatissimo, ortum traxisse contigerit: quamquam (ut mea fert sententia) nulla ejusmodi ortus ratio sit habenda: nam ut viris temperatissimis, sanctissimisque moribus ac virtutibus præditis, ad felicitatem comparandam nihil obest insolens ac facinorosa majorum vita, sic etiam hominibus sine ulla bona arte, sine litteris, humanitate, ingenio, moribus, quid tandem arbitramur avorum nomina parentum virtutes, quid generosum omnino prodesse genus? quum præsertim, auctore Sallustio, quanto vita majorum præclarior est, tanto posteriorum socordia sit flagitiosior. Itaque, ut multa nunc exempla Veterum prætereaam, quemadmodum Chamesi illi nihil penitus ad optimos mores adsciscendos sapientissimi prudentissimique patris sui Jani eximiæ virtutes, quibus illum maxime cæteris præstasse Berosus scribit, profuerunt: nec contra Jovi justo Osiridi hujusce Chamesis filio, quem, ut antea disserui, præclarissimo Ægyptiorum regno, vel orbis potius imperio, quamdiu vixit, præfuisse, obque ingentia ejus in omnes mortales merita inter Deos referri, ac divinos honores meruisse veteres historici memoriæ prodiderunt, nequaquam teterrima patris facinora obstiterunt, quin & clarissimus imperator, & felicissimus rex habitus sit: sic ego existimo Phaethonti, aut nepoti Cydno, minime dedecori, aut vitio dandum, quod ex impurissimo, contaminatissimoque, Chamese originem duxisse contigerit. In his enim, quæ non à consilio, aut voluntate, sed ab eventitiis potius quibusdam causis proveniunt, nulla omnino laus posita est, aut vituperatio. Quum autem vel ex probo, vel improbo nasci genitore in nostra minime situm sit potestate, sed magis casui atque eventui adscribi soleat; omnino perspicuum est, eos, quibus impuri, flagitiosique parentes obtigerint, ab omni penitus dedecore alienos esse: alioquin non modo Cenomanis, verum etiam cæteris triginta duobus populis, qui eodem è Chamese pro-

A cesserunt, inurenda hæc esset ignobilitatis, infamiæque cicatrix: è queis celebriores ferme fuerunt Æthiopes, Ægyptii, Taurisani, Phaethontæi, Libyci simul & Italici, Chananæi omnes, ac Phœnices, Assyrii, Babylonii, Tartessii, Arabes, Lydii, Afri, Veneti, Ligures, aliique complures, de quibus vos videritis, qui Mosen, Berosum, ac Josephum legitis: quos tamen populos à priscis rerum gestarum scriptoribus non nisi maximis semper laudibus ab antiquitate, ab incolarum moribus, institutis, legibus, à Deorum cultu, sacrorum peritia, à maximis denique rebus gestis ornari solitos, nemo est qui non exploratum habeat.

B Quamobrem, mi Marce doctissime, vosque fratres optimi, nihil vos paterna, nihil avita offendant vitia; sed spretis his omnibus, quæ sicut nec felicem præstant hominem, sic nec à felicitate quenquam deturbare possunt: eia agite illud, quo nihil est nobis solidæ laudis ac veræ nobilitatis præstantius, nihil optabilius ad immortalitatem gloriæ, nihil denique ad memoriam nostri nominis sempiternam excellentius potest accidere, virtutem scilicet, qua, ut inquit Isocrates, nulla neque gravior est possessio, neque stabilior, nec non & præclaram optimarum artium doctrinam ac sapientiam, quæ sæpe in amplissimo & dignitatis, & laudis gradu locare homines consueverunt, amplectamur:
C ita enim fiet, ut obscurum illud, atque improbum majorum nomen, quod quidem immerito posteris obtrectatores probro & crimini dare solent, virtutum ac morum splendore, veluti quodam clypeo, facile admodum possimus obtegere. Verum intelligo me in causa aperta, minimeque dubia, multo fortasse & plura, & pluribus etiam dixisse, quam res ipsa postularet: sed id factum est, non ut vobis rem tam perspicuam dicendo probaremus, sed ut malevolorum omnium, invidorumque, voculas ac reprehensionem frangeremus: qui eo sæpe negotio posterûm famam ac splendorem maculari posse arbitrantur: ignari quid gravitas, quid
D integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeat, quæ, ut præclare inquit Cicero, in tempestate quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco, manet tamen, atque hæret in patria, splendetque per sese semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit. Sed jam ad Cydnum, à quo longe egressa est, referat se oratio.

Est igitur annus ille, quo à Cydno illo Liguris filio orti sunt Cydnomani, quemadmodum ex Beroso computari facillime potest, à mundi quidem exordio MMCLVII. à diluvio autem novimestri DI. atque ante clementissimi Servatoris nostri Jesu Christi natalem diem MDCCCIIII. ita enim apud illum scriptum est: *Anno vigesimo Armatritis* IX. *As-*
E *syriorum regis, Ligur misit filium Cydnum, & Eridanum cum coloniis & fratribus, & nepotibus; & occupaverunt usque Istrum in Italia.* At vero ne quis forte dubitet qua in Italiæ regione Cydnus consederit, Pausanias, inter Græcos historicos doctrina, aut ingenio (ut mihi quidem videtur) nemini secundus, eo in libro, cui titulus est, Ἑλλάδος Περιήγησις, id aperte admodum explicans † tradit Cycnum Ἠριδανοῦ πέραν ὑπὲρ γῆς τῆς Κελτικῆς βασιλεῦσαι: id est, *In Gallia, quæ trans Padum est, regiam potestatem obtinuisse.* Ejus autem omnia Pausaniæ verba, quæ ad rem pertinent, in extrema hujusce dissertationis nostræ parte citabimus: nunc vero ad id quod instat. Hisce igitur rebus omnibus & quæ ad Italiæ, quæque ad Cenomanorum ortum, spectant, generatim ita traditis, consideratisque, nunc demum (si
F vobis videtur) non probabili modo argumentatione, verum etiam necessaria historicorum ratione concludere velim, Cenomanos ipsos à nemine alio, quam à Cydno, Liguris filio, fuisse genitos: res enim postulare videtur, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur.

† In *Atticis* cap. XXX.

Atqui, inquit Petrejus, locus iste est tibi, Marsili, etiam atque etiam confirmandus: quem si obtinueris, non modo nos, qui præsentes sumus, traducas ad te totos licebit, sed absentes quoque, & qui post aliis erunt in annis, si sic mihi loqui permittis.

Tum Marsilius, Quum præclarissimarum, inquit, gentium, civitatum, locorumque vetustatem, atque ortum ab impositis nominibus periti rerum gestarum scriptores comprobare maxime consueverint, (uti Livius*: *Mari*, inquit, *supero & infero, quibus Italia insulæ modo cingitur, terra marique*, Thusci *quantum potuerint, nomina sunt argumento: quod alterum Thuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum ab Adria Thuscorum colonia vocavere Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum, atque Adriaticum vocant*) ecquid causæ esse potest, cur non Cenomanos à Cydno illo conditos appellatosque fuisse confiteri necesse sit? quum auctore Beroso certum illud sit, atque perspicuum, priscos omnes coloniarum duces nomina sua gentibus ac locis, quibus imperabant, duabus maxime de causis indidisse; quas dicam eisdem quibus ille verbis scripsit: *Hi sunt*, inquit, *qui egressi sunt post Nimbrotum singuli cum familiis & coloniis suis, relinquentes nomina sua locis in signum expeditionis à Jano patre sibi commissæ, & ad monimentum posteris, ut scirent quis eorum fuerit conditor*. At vero ab his nequaquam dissimilis ratio illa est, quam Lactantius Firmianus refert: *Saturnus*, inquit, *quum potentissimus esset rex, ad retinendam parentum suorum memoriam, utriusque nomina cœlo & terræ indidit: quum hæc prius aliis vocabulis appellarentur. Qua etiam ratione montibus & fluminibus nomina sunt imposita, & mari: ut mare Icarium, Ægæum, Hellespontus, & in Italia Aventinus, & Tyberis, ita Saturnus natus est ex homine, cui nomen fuit Urano, sive Cœlo: quod esse verum Trismegistus auctor est, qui cum diceret admodum paucos exstitisse in quibus esset perfecta doctrina, in his Cœlum, Saturnum, & Mercurium nominavit*. Hic hæc. Itaque quum & ex Beroso, & Pausania satis constet, Cydnum in Transpadana Gallia Hetruscas, sive Ligusticas colonias posuisse, illud primum à vobis, viri ornatissimi, libenter admodum quæsierim, cuinam genti, cuive populo nomen suum indidisse Cydnum existimetis? An fortasse Insubribus? num Venetis? num Istris? num Volturrhenis, aut Libycis? minime gentium. Etenim vos tam exili ingenio præditos haud esse arbitror, quin facile admodum vosmet ipsi, neque Cydni nomen hisce earum gentium nominibus congruere, neque illorum etymon ab eo ullo pacto trahi posse, animadvertatis. Itaque reliquum est, non aliis quam Cydnomanis ipsis Cydni nomen omnino fuisse impositum: idque quo firmius etiam credamus, F. Pictoris viri sane eruditissimi facile, ut mihi videtur, cogit auctoritas. Is enim priori volumine auctor est, apud Veteres denominandi, aut imponendi gentibus, aut locis nova nomina, tantum regum illustrium jus ac potestatem exstitisse: neque tamen omnium, sed illorum præcipue, qui essent aut Thuscorum reges, sive reguli, aut in fano, Hetruriæ regni insignia à Thuscis Lucumonibus, aut regibus accepissent, si verissimo vati velut oraculo ita dicenti † credimus:

Templum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum sylvis, & relligione parentum.
Hic sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum.

Ad hanc autem Veterum consuetudinem demonstrandam, illud arbitror non parum conferre, quod & F. Pictor, & Trogus Pompejus asserunt, & nos hesterno die declaravimus, Romulum scilicet ex Hetruscorum regulo principem Romanorum regem à Thuscis regibus ac Lucumonibus initio fuisse declaratum: hancque ob rem ab eodem illo Fabio memoriæ proditum, Mithridatem illum Ponti atque Asiæ

* Lib. v. cap. xxxiii. † Virg. Æneid. vii. ℣. 170.

A regem, quem vel solum mortalium omnium certum est (ut Valerius & Quintilianus scribunt) duabus & viginti gentium linguis, quibus imperitabat, optime loquutum, Romanis ignobilitatem generis objecisse; quod videlicet eorum reges, vernæ prius, regulique Thuscorum exstitissent. Tenet enim fama præter Romulum illum, Numam quoque Pompilium Curibus parvis, & paupere terra missum in imperium magnum. Hæc autem est hujusce rei ratio, quod nemo illis temporibus rex, aut regulus, in Italiæ partibus esse poterat, nisi quem Thusci Lucumones elegissent, misissentque. Unde illud vos haudquaquam præterit, quod Solinus, & alii tradunt: Cacum Marsyæ regis legatum, quod circa Volturnum
B & Campaniam absque Thuscorum regum assensu regnum occupasset, à Tarchone eorum rege, duce Hercule, qui tum forte aderat, oppressum, in vincula conjectum. At vero contra quum Cydnus noster, à patre Ligure, Ligurum Hetruscorum rege, in eam Italiæ, sive Galliæ Transpadanæ, partem missus fuerit, quam olim Phaethonti avo, ejusque posteritati Maloth Thuscorum regem dono dedisse antea declaravimus, omnino necessitas cogit, ut Cenomanos ipsos non nisi à Cydno editos, appellatosque, fuisse censeamus: quemadmodum etiam docent pervetusta quædam tum urbium ac familiarum, tum montium quoque & fluminum nomina, quæ adhuc apud Cenomanos ipsos in antiquissimæ illius Aramææ, Scythi-
C cæque, originis monimentum perseverant: è quibus ea nunc quam paucissimis absolvam, & quæ mihi tenuis memoria suggesserit, quæque vel cognitione, vel memoratu digniora videbuntur: nam ut membratim percurram omnia, neque vos à me exigitis, & laboris esset infiniti. Itaque primum Catullianos illos versus attendite, quibus apertissime admodum Cydnæam originem innuit, dicens:

Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia Cycnea supposita in specula.

Quo dicto declarare nobis voluit poeta lepidissimus, principem illius arcis, summo in collis cacumine positæ, fundatorem ac conditorem fuisse Cydnum illum Liguris filium, quem Græci Cycnum vocant,
D ut postea docebimus: quippe quæ ad C. usque Cæsaris tempora, quibus Catullum floruisse plane compertum est, proprio nomine ab auctore Cycnea specula cognominaretur, ut habent nonnulla haud contemnendæ vetustatis exemplaria, non autem *Cichonia*, aut *Chinnea*, quod in libris minus accurate scriptis reperiri solet: atque id maxime in causa exstitisse video, cur Catullianus interpres, vir alioquin meo judicio apprime eruditus, ridicula quædam in hunc scripserit locum: quæ, quoniam & in hujuscemodi nugis invitus admodum facio jacturam temporis, & ad rem minime pertinent, expendenda doctioribus relinquo.

Verum ne de nostratibus Cydnææ originis moni-
E mentis nihil retulisse videamur, venit ecce perveteris illius in mentem Cednorum familiæ, quam hisce quoque temporibus apud Bergomates nostros exstare, neminem fugit: ex qua qui nunc sunt antiquo Hetruscorum more expuncta è veteri verbo D littera, ut paulo post dicam apertius, Ceni appellari maluerunt. Addam illud etiam, in intima Bergomatis agri valle, quam nostri populariter *Serianam* dicunt, antiquum adhuc superesse ejusdem nominis oppidulum, quod prisco, proprioque nomine cultores ejus loci, ut omnes probe scitis, *Cenum* vocant. Quamobrem ex iis omnibus, quæ à nobis sunt antea non aperte modo tradita, sed validis quoque (ut arbitror) argumentis comprobata, facile quidem
F perspexeritis, Cenomanos ipsos non aliunde quam à Cydno illo nomen & originem traxisse. Quamvis autem hæc ita exposita, probataque sint, illud tamen non spernendæ difficultatis contentionem merito excitarit, quanam ratione Cenomanis à Cydno inditum nomen videri queat: quum etymologiæ ratio postulet, ut vel à Cydno Cydnomani, vel à Cycno Cycno-

cnomani, non Cenomani nuncupari debeant? Illud etiam quæstionem non parvi momenti affert, quod jam antea sæpenumero diximus, Orobios eosdem omnino esse, qui & Cenomani, quum nonnulli velint Cenomanos Narbonensis Galliæ populos esse, quos olim juxta Massiliam consedisse Plinio referente didicimus.

Quamobrem ne quid intentatum relinquamus, de utraque re paucis dicendum existimamus. Et fortasse Strabonis, Ptolomæique, testimonio posterior hæc controversia facile dissolvetur. Nam Ptolomæus quidem in iis, qui orbis terræ situm accuratissime descripserunt, nullo inferior, *libro* III. eam Italiæ partem sejungens, quæ trans Padum sita est, in Venetos, Cenomanosque, atque Insubres ita dividit, ut præcipuas tamen Cenomanorum civitates Bergomum, Brixiam, Comum, & alias nonnullas constituat: quas Orobiorum quoque urbes esse manifestissime in *Originibus* Cato scriptum reliquit. Amasæus vero Strabo Cenomanos censet esse Transpadanæ Galliæ populos supra Venetos, ita dicens: *Regionem*, inquit, *Transpadanam incolunt Veneti, & alii usque Polam: super Venetos Carni, & Cenomani, & Medoaci, & Symbri: è quibus nomini Romano hostes exstiterunt nonnulli: verum Cenomani, Venetique socia junxerunt arma*, &c. Quas ob res necesse est, eosdem esse Orobios atque Cenomanos: quamvis ego medius fidius existimarim, ut ex iis etiam, quæ pristino die disputavimus, intelligi facile potest, Cenomanorum nomen ipsius quidem gentis proprium esse, ac genuinum, Orobiorum vero potius appositum, quod Græci vocant ἐπίθετον, ita ut Cenomani sint Orobii, id est, *filii montium*, sive *montigenæ*: quemadmodum Janigenas quoque à fluctibus quidem *Gallos*, & à divinarum rerum peritia *Thuscos* appellatos fuisse supra didicimus: adde his & Peloponnesum, quam Homerus Apiam, & Argiam, alii vero Pelasgiam & Æmoniam nuncuparunt; qua de re Lycophronis Interpres hæc scribit*: Ὁ δὲ Πέλωψ εἰς ὠκεανὸν ἐλθὼν, καὶ Ἡφαίστῳ ἁγνισθεὶς, λαβὼν Πίσαν, τὴν Οἰνομάου βασιλείαν, καὶ τὴν Ἀπίαν, Πελασγίαν λεγομένην, Πελοπόννησον ὠνόμασε. Et de his quidem hæc satis. Cur autem à Cydno non Cydnomani, sed Cenomani appellati fuerint, facillime id quidem ostendam, eos siquidem populos, qui Syro sermone Cydnomani, vel Cednomani, Græca autem denominatione tam Cydnomani, quam Cycnomani, Latina vero Cygnomani merito, mea quidem sententia, dici deberent, veteres Itali, præsertim vero Hetrusci, extrita è Chaldæo verbo D littera, Cenomanos appellarunt: quandoquidem Cydnum illum, à quo originem duxere Cenomani, quemque Latini *Cygnum*, Græci vero cum *Cycnum*, tum *Cydnum* dicunt, (nam apud eos, ut ait Hesychius, idem omnino sunt κύκνος & κύδνος, Aramæi autem, id est, Chaldæi, sive Syri *Cydnum* pariter, ac *Cednum*, utroque enim modo proferunt, vocant) priscos illos ac principes Italiæ populos, quos antea ex Fabii Pictoris sententia Hetruscos fuisse demonstravimus, per concisionem Chaldææ vocis *Cenum* dixisse memoriæ proditum est. Quamobrem iidem penitus sunt, & qui Chaldaica Lingua Cydnomani, sive Cednomani, & qui ab Hetruscis Cenomani nominantur; tametsi secundum diversarum linguarum varietatem aliter atque aliter proferri consueverint: nam quemadmodum in libro περὶ ἑρμηνείας auctor est Aristoteles, sicut, neque litteræ omnibus eædem, ita neque voces eædem omnino sunt: quam tamen litterarum varietatem haudquaquam ab iis præsertim, qui docti videri volunt, expendendam esse, præclare admodum à Socrate illo Philosophorum sapientissimo apud Platonem hisce verbis probatum arbitror: *Variare autem*, inquit, *licet per syllabas, ut videantur homini rudi quæ sunt eadem esse diversa: quemadmodum pharmaca medicorum coloribus, aut odoribus variata, sæpe quum eadem sint, nobis diversa videntur: medico autem vim pharmacorum consideranti, eadem judicantur; neque eum addi-tamenta perturbant: similiter forte & is, qui est in nominibus eruditus, vim illorum considerat; neque ejus turbatur judicium, si qua littera addita est, vel transmutata, vel dempta, vel in aliis litteris, ac permultis vis eadem nominis reperitur.* Cæterum quamvis tam apud Græcos quam apud Latinos rerum gestarum scriptores auctoritas jampridem obtinuerit, ut Cenomanos potius dicamus, quam Cydnomanos, sive Cednomanos: ego tamen (si liceret) hac potius recta Chaldæorum, quam concisa illa Hetruscorum appellatione uti mallem: verum hac de re alii postmodum subtilius viderint: nos vero ad reliqua pergamus.

Iis igitur, quæ ad Cydnum principem Cenomanorum auctorem spectant, hunc in modum traditis, deinceps nonnulla quoque de liberis ejus recensenda sunt. Itaque apud Berosum in genealogiis scriptum invenio, ex Cydno genitos esse filios duos, Eridanum alterum, alterum vero Venetum. Et Eridanum quidem nomen dedisse amni Eridano Cato scribit his verbis: *Padus*, inquit, *à duce coloniarum Eridanus, sed à profunditate Botigon ab Hetruscis, & Botigum à Liguribus, & à circa arbore picea Gallice Padus nuncupatur.* Oritur vero Eridanus, Plinio teste, à Vesulo monte, labiturque ad mare superum: quæ res fingendi occasionem Græcis Scriptoribus dedit, ut dicerent Eridanum inferorum esse fluvium, & inde ad superos scaturire: quod & Virgilius innuere videtur, dum canit †:

Inter odoratum lauri nemus, unde superne
Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis.

Ferunt autem nonnulli Eridanum exceptis in alveo suo septem fluminibus, septeno gurgite in mare demergi: quemadmodum nuper (ut me quandoque ab antiquis illis Auctoribus sejungam, & ad viros nostræ memoriæ doctissimos pariter & eloquentissimos revocem) luculente admodum decantatum legi ab homine tum singulari doctrina & ingenio, tum summa etiam virtute ac dignitate prædito, Petro Bembo æque omnium nostrum amantissimo: quem proximis superioribus annis à Leone X. Pont. Max. ut illi esset à secretis, honorificentissime accitum fuisse, nemo fere vestrum est qui non audierit: ejus de Eridano versus (si recte memini) hi sunt:

Tum rapidus, fluvioque Athesis spectandus amœno,
Populiferque Padus, genitor qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latissimus alveo,
Ubera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat: seque mari septenis amnibus infert.

Venetum autem Venetos à se nuncupasse, quum prius à Phaethonte Phaetonthæi dicerentur, ipsum equidem Venetorum nomen magno est argumento: tametsi nonnulli contra affirment ab Asiaticis Henetis, qui post Trojanum excidium cum Antenore in Italiam commigrarunt, appellatos fuisse. Ab iis enim, qui id asserunt, libenter quæsierim, quinam fuerint illi Venetiæ Padique accolæ, quos Dionysius Halicarnasseus priori volumine *Barbaros* vocat, à quibus vetustissimos illos Pelasgos ad Spineticum Padi ostium adnavigantes expulsos fuisse, idem auctor est Dionysius. Eos siquidem neque Græcos, neque Henetos exstitisse, quis non intelligit? quum ab eo & Barbari nuncupentur, & antiquissimos Pelasgos, quos multis ante Trojam sæculis in Italiam adnavigasse manifestissime tradunt Myrsilus Lesbius & Xanthus Lydius, depulisse dicantur. Verum sive à Veneto Cydni filio, sive ab Henetis illis Asiæ populis, dicti fuerint Veneti, equidem principem Venetorum originem à Phaethonte, Cydni avo, initium sumpsisse, ex iis, quæ sunt supra à nobis ex Beroso, Catone, Sempronioque de Phaethonte tradita, satis aperte probatum est. Hujusce vero Venetæ regionis civitates quidem complures de antiquis Cosmographis illustrissimus quisque connumerat: sed has inter inclytam Venetiarum urbem primatum obtinere nemini est ignotum: quam Latini Scriptores *Italiæ emporium* appellaverunt, ac scripserunt de ejus origine dignita-

* Comment. *in Cass.* ℣. 156.

† *Æneid.* VI. ℣. 658.

teque permulta. Cæterum ex eodem Veneto, Cydni filio, natos fuisse Tylam ac Ventum Berosus est auctor: quos quidem regioni, quæ Istro proxima est, quamque posteriores historici, & ab Japide Ætoli filio Japidiam; & à C. Julio Cæsare Forumjulium appellarunt, nomen dedisse affirmant. Huic autem rei satis magno esse indicio asserunt tum Tylaventum fluvium, tum Tylaventanam etiam regionem, de quibus apud Plinium, Ptolomæumque, fit mentio: quamvis recentiores nonnulli locorum Scriptores flumen ipsum perperam *Tiliamentum*, & ejus incolæ vernacula lingua *Tajamentum* nuncupare consueverint. Sed hæc de his hactenus. Habetis itaque, viri optimi atque ornatissimi, quæ ex me de principe Orobiorum sive Cenomanorum ortu voluistis audire: de quibus etsi accuratius atque ornatius dicendum fuerat, feci tamen hoc eo libentius, quod de his satis diligenter scriptum à nemine ad hunc diem videbam: quamquam multa quoque à me præterita esse intelligam, quæ post alii & pervestigaturi ipsi acutius, & apposite magis sint explicaturi.

Cæterum quod hic hodie convenerimus, te præsertim, Marce, auctore, relinquendus est suus cuique dicendi locus.

Ad hæc ille, Quoniam, inquit, quod difficillimum nobis videbatur, Orobiorum scilicet originem, abs te intelleximus, de reliquo jam nostra culpa fuerit, si te, nisi & pauca, quæ supersunt percunctanda, explicaveris, dimiserimus. Nam ex his, quæ verissime sunt de Orobiorum ortu à te tradita, mira incessit audiendi cupiditas, ecquæ causa fuerit, cur Ovidius Cycnum illum non Liguris, ut placet Beroso, sed Stheleni Mycenarum regis filium fuisse referat, atque in avem sui nominis conversum? refera igitur arcas, mercemque nobis hanc selectiorem explica: quod te per ipsos Cydni manes, à quo cuncti ortum ducimus, obtestatus rogo.

Tum Marsilius, Percalluisti, inquit, Marce Maurici, qua me esses arte ad eam rem tracturus, quæ fuerit à nostris hominibus hactenus omnino aut incognita, vel parum certe animadversa, dum per ipsos me Cydni conditoris manes obtestaris: geretur itaque à me tibi mos; nihil est enim ad quod penetrare ingenii vis nostri queat, quantulacunque ea est, quod non in gratiam simus patriæ & præstituri libenter, & habituri etiam iis gratiam, qui ad illam nos exornandam, honorandamque, invitarint. Primum itaque quum plurimi & à rerum gestarum Scriptoribus, & à Poetis, Cydni commemorentur, operæ pretium fore arbitror, si eos, qui recte disputant, sequutus, ambiguum illud Cycni nomen prius distinxero, quam describam: ut ea obscuritas tollatur, quam æquivoca nomina, nisi distinguantur, etiam excellentissimi ingenii hominibus offundere, indagandi sollertissimus, & præcipiendi optimus magister Aristoteles hisce verbis, in priori *de cœlo & mundo* volumine, scite admodum docuit: Πολλαχῶς γὰρ λεγομένων κἂν μηδὲν διαφέρει πρὸς τὸν λόγον, ἀνάγκη τὴν διάνοιαν ἀορίστως ἔχειν, ἄν τις τῷ διῃρημένῳ πολλαχῶς ὡς ἀδιαιρέτῳ χρῆται, ἄδηλον γὰρ κατὰ ποίαν φύσιν αὐτῷ συμβαίνει τὸ λεχθέν. Plures igitur exstitisse Cycnos tradunt nobis ii, qui interiores scrutantur, ac reconditas litteras: quod nuper quoque tuis in *Epitheton* commentariis, Petrei, scriptum legi, è quibus antiquissimus ille est Ligure natus, de quo multa ex Beroso à me nuper allata sunt. Alter fertur Stheleno patre natus, Mycenæus, de quo plura & Phanocles in *Cupidinibus*, & Naso in secundo *Metamorphoseos* libro ita cecinit:

Affuit huic monstro proles Stheleneia Cycnus,
Qui tibi materno quamvis à sanguine junctus,
Mente tamen Phaethon propior fuit: ille relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat urbes)
Imperio, ripas virides, amnemque querelis
Eridanum implerat, sylvamque sororibus auctam:
Quum vox est mutata viro, &c.

A Ejusdem etiam meminit nostri temporis poeta haud ignobilis, his versibus:

Nunc Genuam repetens sese hinc ad dulcia transfert
Musta Padi, curas genti pulsura sequaces:
Huc ubi rex Ligurum celeber confinia Cycnus
Protulit imperii quondam, cœloque ruentem
Deflevit Phaethonta, rogi post tristia busta,
Seque nova miserum stupuit canescere pluma.

Tertius is est, quem Martis filium fuisse, atque ab Hercule interemptum, priscis in Græcorum litteris invenimus: de quo & Lycophron, & ejus Interpres: *Quemadmodum*, inquit, *& Ætheus, & Evenus, & Phormas, & Dionysius Thrax, & Cycnus ab Hercule in-*
B *teremptus.*

Quartum vero ex Scamandrodice Neptunoque natum accepimus, quem Hellanicus ἄτρωτον, id est, *invulnerabilem*, dixit, quemadmodum & apud Dictym Cretensem, & Homerum, atque Palæphatum legimus: ex eo Tennen & Leucotheam genitos fuisse, hisce verbis Homeri Interpres asserit: *Tenedus autem insula est juxta Trojam sita: ita vero primum hoc nomen habuit; ex Cycno namque Neptuni filio Tennes & Leucothea geniti sunt.* Hunc autem ab Achille Trojano in bello interfectum fuisse, una cum Pindaro ejus quoque testatur Interpres: ita enim in *Olympiacis** Pindarus:

Κύκνον τε θανάτῳ πόρεν.

C Interpres vero: Παραδέδωκε τὸν Ποσειδῶνος καὶ Σκαμανδροδίκης· οἱ δὲ, Ἁρπάλης. Κύκνοι δὲ δύο, ὁ μὲν Ἄρεος, ὁ δὲ Ποσειδῶνος. Καὶ τὸν μὲν Ἄρεος κακῶς τὰ περὶ Θεσσαλίαν διαθέντα Ἡρακλῆς ἀπέκτεινε· τὸν δὲ Ποσειδῶνος Ἀχιλλεὺς στρατευσάμενον καὶ συμμαχοῦντα τοῖς Τρωσίν.

Fuerunt igitur quattuor, ac fortasse etiam plures Cycni: quorum primum Cenomanorum conditorem exstitisse jam satis aperte probavimus: tametsi quidam velint Stheleni filium: sed qui ita ajunt, videntur Beroso pugnantia referre: quum ille Cycnum Liguris filium, ac Phaethonti paterno sanguine junctum dicat: hi vero Stheleno Mycenarum rege natum, maternoque à sanguine Phaethonti proximum asserant. Sed hoc malum, ut inquit Lactan-
D tius, à Græcis ortum est: quorum levitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitaverit. Nam ut omnium gentium, & imperiorum, atque urbium clarissimarum se conditores ostenderent, veterum ferme omnium regum ac populorum, nec non & regionum maxime illustrium nomina, ut auctor est Josephus, immutarunt, & præclaras antiquorum res gestas, ad recentiores suos duces transtulerunt: quemadmodum de Cycno quoque Liguris filio actum fuisse nequaquam ambigimus: cujus res gestas posteriori Cycno, Stheleni filio, Græci aperto adscripsere mendacio: quum id, quod ipsi produnt, neque perspicuum quidem sit, neque ulla probatissimorum anna-
E lium fide probare queant, nisi confirment duos quoque Phaethontas exstitisse, quorum prior fuerit vetustissimus ille Libycus Chamesis filius, Cydnique nostri avus, ut antea diximus; posterior vero ac recentioribus temporibus Græcus ille Solis ac Clymenes filius, quem fabulantur Jovis fulmine paterno è curru dejectum, in Eridanum amnem exanimatum decidisse; cui junctus materno à sanguine Cycnus ille Stheleni filius, post priscum illum Cycnum Liguris filium principem Cenomanorum conditorem, in Transpadana Gallia Ligusticarum coloniarum ductor exstiterit. Quod sane discrimen mihi mehercule non admodum displicet: quum non desint probatissimi quidam rerum gestarum Scriptores, qui as-
F serant antiquissimum illum Phaethontem, non in Italia, sed in Æthiopia excessisse è vita, idque Berosus inprimis, cujus hæc sunt verba: *Hujus*, inquit, *Balei Xersis temporibus apud Ligures Phaethon relicto filio Ligure regressus est in Æthiopiam.* Quin C. quoque Plinius: *Theophrastus*, inquit, *in Liguria ele-*

* Ode 11. ℣. 147.

ctrum

ctrum effodi dixit, Phaethontemque in Æthiopia Hammonis obiisse, ob idque delubrum ibi esse, atque oraculum, & electrum gigni. Quocirca hoc esse jam satis constat, ad quod omnes talis controversiæ disceptatores præcipite & lubrico errore quovis modo offendunt: propterea quod unum tantum, eundemque Phaethontem exstitisse opinantur; & eum scilicet, quem principio in Italiam ante omnes Græcos cum coloniis venisse cognovimus, & illum, quem multis post seculis finxit sibi mendax Græcia è Sole, sive Helio, ac Clymene Oceani filia genitum: quum tamen necessitas cogat, ac ratio, aut duos vere fuisse Phaethontas, aut posteriorem illum (quod mihi magis fit verisimile) fictum omnino judicandum, quemadmodum & Sacerdotem illum Ægyptium in *Timæo* Platonis ita interpretari solitum accepimus. Tunc ex sacerdotibus quendam grandem natu dixisse, *ô Solon, Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam è Græcia senex:* cur istud diceret percunctante Solone respondisse Sacerdotem? *Quia juvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia: quod ideo vobis contigit, quia multa & varia hominum exitia fuerunt, eruntque maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquæ inundationibus provenire necesse est, minora vero aliis quibuslibet calamitatibus fieri. Nam quod apud vos fertur, Phaethontem quondam, Solis filium, currus adscendisse paternos, nec patris aurigatione servata exussisse terrena, ipsumque flammis cœlestibus conflagrasse, quamvis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est: fit enim longo temporum intervallo cœlestis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessario sequitur: tunc hi, qui edita & arida incolunt loca, magis pereunt, quam mari fluviisque vicini: nobis porro Nilus cum in plerisque rebus salutaris est, tum hujuscemodi à nobis arcet exitium.* Verum omissis fabulis, hujusce rei veritatem facile intelligemus, si Berosum ita dicentem attenderimus: *Eo*, inquit, *tempore* (quo scilicet Phaethon in Italia regnabat) *Italia in tribus locis arsit multis diebus, circa Istros, Cymeos, & Vesuvios: vocataque sunt loca illa à Janigenis Palensana, id est, regio conflagrata.* Hæc ille. Itaque quum hæc fabulosa sint, quæ hunc in modum de Phaethonte poetæ confinxerunt, non magnum est negocium intelligere, mythica quoque illa esse, quæ iidem de Cycno referunt: Cydnum videlicet Phaethontis avi obitum

Populeas inter frondes, umbramque sororum
Dum canit, & mœstum musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse juventam.

Quod aperte admodum Pausanias, cujus supra memini, in *Atticis* declarat, dicens: *Non procul ab Academia Platonis exstat monumentum, cui Deus protendit Philosophiæ præstantiam, atque id sane hunc in modum. Socrates superiore nocte quam Plato sibi futurus erat discipulus, Cycnum in sinum sibi advolasse per somnium vidit: musicæ autem palma Cycno tribuitur: nam ultra Eridanum in Gallia, Cycnum virum musicæ peritum, Ligurum regem fuisse narrant, post obitum Apollinis voluntate in Cycnum avem conversum: ego in Liguribus Cycnum regnasse non negarim: sed indignum fide arbitror quod avis ex homine factus sit.* Hæc ille.

Verum hæc de Orobiorum, sive Cenomanorum, origine, deque Cydno illorum parente dicta sufficiant: quanquam fuimus explicandis his fortasse, quam par est, longiores: sed, ut ipsi scitis, & juventus ipsa loquacior est, & vos me ad hæc multis etiam precibus invitastis, dum à priscis hæc Latinis intractata esse dicitis, & à recentioribus rerum gestarum ac temporum scriptoribus tam insigniter neglecta, tamque & incomposite aut disputata, aut perplexe tradita, ut illi ipsi, de his qui disseruerunt, vel parum ea intellexisse videri queant, vel ignorasse quibus essent auctoribus tradenda, aut quibus etiam verbis Latine explicanda. Cui parti etsi scimus à nobis exacte nullo modo satisfactum, nec munus hoc qua decet ubertate atque verborum dignitate adimpletum, juvabit tamen & morem gessisse vobis studiossimis viris, & viam præmonstrasse illis etiam, qui & auspicatius, & eruditius, majoreque cum ornatu hoc ipsum indagandi munus post nos (quos equidem non paucos fore arbitramur) prosequendum susceperint. Sed hæc nunc missa facientes, quoniam & advesperascit, & jam satis multa hodie dicta sunt à nobis, nostrum hunc ipsum dicendi, vestrumque audiendi laborem, alium in diem, consessumque in alium reservemus.

Tum Marcus, Ego vero, inquit, Marsili, neque te ipsum, neque istos hodie à me discedere æquo animo feram, nisi prius à vobis impetraro.

Quidnam, inquit Marsilius?

Tum ille, Ut cras, inquit, prima luce, aut peracto jam prandio, vel quando vobis erit gratum, hoc in loco iterum sitis: nam quum generatim de Cenomanis hodierna die multa admodum sint & perquisita diligenter, ac tradita, reliquum est, ut simili quoque ratione singillatim de præcipuis Cenomanorum civitatibus, & urbis Bergomi rebus antiquis nonnulla inter nos studiose ac sedulo differantur.

Ad hæc Marsilius, Geretur, inquit, tibi mos, M. Maurici: quod enim difficiles præstare nos tibi, præsertim amicorum omnium suavissimo atque officiosissimo, operæ pretium est, quo minus crastino die tecum simus, quo cum vel semper vitam agere felicissimum nobis duceremus?

Tum Marcus, Comis es nimium ac lepidus, inquit, Marsili. Sed quid vos moror amplius? itaque abitote felices: quo dicto statim omnes discesserunt.

JOANNIS CHRYSOSTOMI ZANCHI
DE
CENOMANORVM SITV,
AC
BERGOMI REBVS ANTIQVIS,
LIBER III.

Inter omnes ferme ingenuarum artium scriptores, Petre Bembe, ii mihi non minori laude digni videri solent, qui aut excellentium regnorum, aut clarissimorum hominum res gestas memoriæ commendarunt, quam qui leges, vel præcepta vivendi tradidere. Hi enim per documenta compendiarium quoddam iter ad instituendos optimis moribus animos ostenderunt: at illi salutaria nobis exempla repetendis antiquitatibus, revocandis memoriis, extollendis præclaris facinoribus, accusandaque improbissimorum hominum ignavia, protulerunt: quibus & juniores tum ad virtutes capessendas, tum ad bene beateque vivendum, redduntur instructiores:

&

& majores natu viri plus inde doctrinæ ac eruditionis hauriunt, quam quantum longissima hominis ætas afferre vix queat. Ab his denique ad comparandas ingenuas disciplinas, leges, atque instituta prodierunt: ab illis autem quædam quasi faces ac stimuli subjecti sunt ad virtutem, quibus nobiles præsertim animi ad gloriæ atque immortalitatis studium vehementer accenduntur. Verum & hisce de rebus eos quoque egregie meritos non temere (ut opinor) affirmaverim, qui clarissimarum nationum origines, locorum regionumve situs, aut vetustissimarum civitatum antiquitates ita litteris illustrarunt, ut nulla eas unquam oblivio obscuratura, nulla eorum recordationi allatura finem æternitas videatur: quum siquidem eorum opera & cura effectum sit, ut adversus edacis rerum temporis injuriam, Vulcaniis quasi quibusdam armis muniti, res fere universas priscis seculis præclare atque excellenter gestas tum memoria teneamus, tum cognoscamus etiam, qui primi exstiterint in orbe reges, qui illustrium populorum atque inclytarum urbium conditores, quæve origines, quibus denique temporibus; è Græcis, an ex Barbaris, clarisne an humilibus parentibus nati fuerint. Quæ profecto omnia, aliaque complura seculorum acta nisi ab illis essent mandata litterarum monumentis, quænam, obsecro, esset mortalium vita, in tanta obscuritate, ac rerum præteritarum ignorantia, nullaque cognitione veri, minima generis sui, ac stirpis, aut conditorum memoria, eaque anili tantum & fabulosa? Etenim si præstantissimi rerum gestarum scriptores ad earum gentium, quas exornandas sumunt, ex prisca rerum nobilitate, laudis & honorum accessionem petere consueverunt, quonam dolore, qua verecundia eos censeas occupari, in quos ea solent dici, cœlo patre, aut tellure matre nati sunt? aut è quercubus & saxis ortum traxerunt? Qui autem avi nomen dicere haud possunt, imo ne patris quidem, quo animo sint, ex eo facillime cognosci potest: quod qui Romano è sanguine manarunt, Æneam ac Romulum; qui Hetrusco, Janum patrem; qui Veneto, Phaethontem & Antenorem; qui Phrygio, Dardanum; qui Babylonico, Nymbrotum ac Semiramidem; qui Assyrio, Ninum; qui Ægyptio, Chamesem & Apim: atque ita complures alii magni nominis populi, suos quique præclarissimos auctores ac parentes gloriabundi proferre soleant. Eosne igitur non diligendos? non admirandos? non denique omni ratione defendendos existimamus? qui plurimis tum rerum, tum verborum ornamentis, monimenta non solum temporum, civitatum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt; verum etiam virorum sæpe fortium atque excellentium ancipites, variosque casus, vel memorabiles temporum varietates, vel fortunæ vicissitudines, accurate nobis descripserunt: quæ profecto jacerent in tenebris omnia, nisi clarissimis quibusdam quasi luminibus litterarum ab eis essent illustrata divinitus.

Verum enimvero, ne & omnia eorum præconia conquirere ambitiosius videar; & eos laudando, memet de meis studiis quis existimet aliquid prædicare, finem tandem dicendi faciam: neque enim (ut arbitror) insignes illi temporum & antiquitatum scriptores nostra vel laude, vel patrocinio, indigent: apud te præsertim, Bembe doctissime, qui plurimum semper veterum hominum, non imaginibus solum, ac statuis, verum etiam multo magis annalium monumentis, tanquam incorruptis virtutum illorum testibus, oblectari soleas. Non enim te fugit hominem omni liberali doctrina politissimum, quam ea litterarum studia sint honorifica, immortalia, atque divina, quam denique vigeant memoria fæculorum omnium. Nam quum cæteræ quidem res, neque temporum sint, neque ætatum omnium, neque locorum, hæc tamen studia quantum & adolescentiam agant, & senectutem oblectent, secundas res ornent, adversis profugium ac solatium præstent, de-
A lectent domi, nec impediant foris, haud hercle facile dixerim. Quis enim, obsecro, cohortari ad virtutem ardentius? quis à vitiis acrius revocare? quis vituperare improbos asperius? quis denique laudare bonos ornatius potest, quam iidem illi, à quibus illud maxime tanquam ab hominibus longe in posterum prospicientibus provisum fuit, ne egregia majorum nostrorum exempla atque facinora aut hominum interitus obrueret, aut oblivio posteritatis exstingueret? *Est enim historia*, ut magnifice admodum apud Ciceronem M. Antonium illum dicentem legimus, *testis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriæ*, *magistra vitæ*, *nuncia vetustatis*. Quid plura? nonne ex rebus præclare gestis, eam egregiis viris in pe-
B ctore flammam accendi solere, à summis eruditissimisque viris accepimus? quæ haudquaquam prius sedari consuescat, quam illorum virtus, superiorum famam ac gloriam adæquarit?

At vero quamquam post eximios illos fælicis priscæque ætatis Historicos, quibus nihil aut jocundius, aut elegantius, aut divinius inveniri, excogitarive potest, nullus sit ad hanc diem aut rerum gestarum, aut temporum, aut locorum Scriptor inventus, (cujus quidem scripta constent: de his enim qui nondum ediderunt, existimare haud sane possumus) qui historiam recte scripserit: tu tamen; vel una omnium voce, unus è nostris es, Petre Bembe, quo illam tractante brevi tempore doctissimi
C homines futurum sperant, ut in hoc etiam genere, neque verborum copia, neque ullo orationis ornatu priscis Latinis nihil cedamus: & merito, mea quidem sententia, si modo mihi de summo, præstantissimoque viro judicare fas est: tanta est enim tua ista incredibilis ac propemodum divina eloquendi facultas, quantum ex tuis elegantissime scriptis *Dialogorum* libris, qui jam maxima cum tui nominis laude in manibus hominum versantur, intelligi potest, ut id dubio procul, aut te, aut alium certe hisce temporibus neminem feliciter exsequi posse, exploratum omnes habeant. Plura nunc etiam mehercule de tua singulari vel doctrina, vel eloquentia dicere possem, si aut tuæ plurimæ virtutes longiorem orationem exspectarent, aut id fieri tua humanitas pa-
D teretur, aut denique res verba desideraret, ac non etiam silente me pro seipsa clarissime loqueretur. Quid est enim, per Deos immortales, quod quisquam aut dignum te, aut nostris, exterisve nationibus, aut cuiquam inauditum possit afferre? Quamobrem, ut & ineptiarum crimen effugiam, & ne videar, ut Græci dicunt, velle τὸ φῶς ἡλίῳ δανίζειν, redeo ad id, unde huc nostra declinavit oratio. Te igitur auctore, te duce, Petre Bembe, qui mihi unus instar es omnium, tertium, ac postremum hujusce laboris nostri volumen aggrediar; quod profecto nunquam attigissem, reprehensionem quorundam paulo severiorem reformidans, qui totum hoc scribendi genus
E tamquam inutile, minimeque necessarium adspernantur, nisi tibi hortanti, & patriæ memoriam mihi caram sæpius excitanti, non parere nefas esse duxissem. Sed malo, ut inquit Tullius, quum studio tuo atque amori sim obsecutus, desiderari ab his prudentiam, quam si id non fecerim, benevolentiam in te meam. Quamobrem sermonem M. Marsilii de Cenomanis reliquum, ac pene postremum, sicuti à L. Petrejo utriusque nostrum amantissimo accepi, memoriæ prodam: cujus cum domum sæpenumero ventitarem, horasque multas sermone suavissimo consumerem, hæc, quæ nunc *de Cenomanorum situ*, ac *Bergomatum rebus antiquis* referam, quæque antea *de Orobiorum*, sive *Cenomanorum*, *ortu* commemoravi
F apud M. Mauricium, cui vel primas doctrinæ patrum nostrorum tribuebat ætas, quam diligentissime à Marsilio tradita atque exposita fuisse narrabat. Verum multa prætereo, quæ temporibus illis, inter nos familiarissime admodum dicta, communicataque sunt, quæ vix verbis exsequi possem. Nam cum immatura M. Marsilii mors, tum ipsius quoque Petreji

treji ac C. Julii discessus, vitæque dissimilitudo, non est passa voluntates nostras communibus studiis ac consuetudine amplius conglutinari. Sed hæc hactenus.

Ut igitur sequenti die apud M. Mauritium inclinato jam in postmeridianum tempus die reverterunt; in primis offendisse sese dicebat Petrejus spectantem eum in tabula pictam Italiam: quem cum salutassent, simulque in subselliis consedissent; tum Marcum ita locutum: Jam dudum sedens exspectavi vos, viri amicissimi, ut ad constitutum conveniretis: sed & nunc quidem non importune quidem advenistis. Quærebam enim hac in tabula, quænam esset Italiæ salubrior regio atque jocundior. Tu ergo, Petrei, qui complures perambulasti Italiæ partes, quam cultiorem Gallia (ut nostri dicunt) Transpadana vidisti?

Ego vero, inquit ille, nullam arbitror esse, quæ tam tota sit culta. Primum enim quum in divisione orbis terræ; Europam plerique salubriorem esse censeant, quod ad Septentriones vergat, quam Africa, quippe quæ ad Meridiem spectet, (quæ autem salubrior, ut inquit Varro, ea & fructuosior) dicendum mihi videtur, Transpadanam Italiam, sive Galliam, cæteris Italiæ partibus salubriorem esse, ac cultiorem. Primum, quod sita est in Italia, omnium Europæ provinciarum fertilissima ac temperatissima: Secundo, quod ibi omnia ferme montana sunt loca, è queis Orobios *montium filios* appellatos fuisse, Marsilio auctore didicimus: quæ quidem loca, ut idem scribit Varro, quia leviora sunt, ideo salubriora, cultiora, ac fertiliora: quo fit, ut ea regio, quam diximus, totius ferme Italiæ pomarium jure optimo nuncupari queat. Sed plane video, cur hunc sermonem in medium adduxeris: nempe velles (ut opinor) nos ad priores sermones relabi, in primisque illud quoad contenebrabit, quam paucissimis absolvi, quod noster Marsilius hesterna die, te decernente, de præcipuis Cenomanorum civitatibus, deque urbis nostræ dignitate ac rebus antiquis referre instituit.

Tum Marcus, Id ipsum, inquit, est, Petrei.

Et ille non gravatus, Ego vero, si ita vultis, inquit, ac potius quia vultis (video enim vos velle) non diffugio, quin dicam duntaxat, quod est ἰσελκὸν de duabus rebus primis, quæ accepi, de Cenomanorum urbibus, ac patriæ nostræ dignitate: de tertia vero parte, ubi est de rebus antiquis, tu ipse, Marce, suscipies, ut hæc, quæ apud te sunt occulta atque recondita, in medium proferas: nemo enim, ut dici solet, omnia potest scire. Quum accepisset eam conditionem Marcus, ut suæ partes essent secundæ.

Tum statim Marsilius, Duobus, inquit, superioribus diebus de Orobiorum ortu cum adversus antiquorum recentiorumque quorundam opiniones disputavimus, tum etiam quæ esset doctissimorum ac vetustissimorum de ea re sententia demonstravimus. Nec vero tantum Orobiorum certam ac veram originem ostendimus: sed etiam totius pene Italiæ, qui fuerit princeps ortus, qui reges primum ejus imperium obtinuerint, quique principio eam populi possederint, enucleate satis (ut arbitror) explicavimus. Nunc autem consentaneum mihi videtur, singillatim de ipsis Cenomanorum, sive Orobiorum, civitatibus explicatius disserere: quas ordine suo tum demum persequar, cum præfatus fuero, quæ reor in universum ad eos maxime pertinere: ita enim vel sentit, vel docet Aristoteles ille non præcipiendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor & magister, lib. φυσικῆς ἀκροάσεως primo, hisce verbis: Διὸ ἐκ τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ καθέκαστα δεῖ προϊέναι, τὸ γὰρ ὅλον κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμώτερον· τὸ δὲ καθόλου ὅλον τί ἐστι· πολλὰ γὰρ περιλαμβάνει ὡς μέρη τὸ καθόλου.

Verum ad nostra. Omnes igitur, qui de Geographia priscis temporibus, tam apud Græcos, quam apud Latinos scriptitarunt, Italiam in Europa tertia orbis parte sitam esse confirmant: eam apud Alpes incipere, seque mediam perpetuo Apennini montis jugo attollentem inter Adriaticum & Thuscum mare procurrere, C. Sempronii viri sane eruditissimi, cujus meminit Dionysius Halicarnasseus, breviter ac summatim verba hæc ostendunt: *Universa*, inquit, *Italia à jugis Alpium oritur; & in Leucopetram, fretumque Siculum terminatur: cingitur Supero & Infero mari, & secatur Apennino: qui à jugis Alpium ortus, per mediam Italiam, à Liguribus ad Anconam porrectus, inde paulatim usque Venusiam reflexus, ibi ex transverso dividit Italiam, ex altera parte Brundusium, altera Veliam attingens circum sinum Tarentinum. Porro antiquitus Italia in medium Apenninum & in Cisapenninum ad inferum mare, & in Transapenninum ad superum pelagus: & in Alpes à Rhætiis ad Ligures dividebatur.* Hæc hic. Itaque Italia est omnis, ut supra demonstratum est, divisa in partes treis; in Alpes scilicet, Cisapenninam, Transapenninamque: è quibus Transapenninam, quam postmodum à Gallis victoribus Cisalpinam Togatamque Galliam, & à Longobardis Longobardiam appellarunt, Eridanus fluvius, qui Gallice Padus dicitur, duas in parteis disjungit, quarum altera Cispadana, altera vero Transpadana Gallia cognominata est. Verum quoniam hæc omnia Cato, ac C. Sempronius, & Strabo doctissime tradunt, non alienum videtur hoc loco eorum verba recensere. Itaque Cato: *Omnia*, inquit, *sub Alpibus Transpadana loca prisci convenæ Thusci missis coloniis tenuere: ab hisque multa loca nomina retinent; plura deleverunt Galli: qui primi Arunte Clusino duce Alpes transcenderunt, & sensim ab omni Gallia Cisalpina Hetruriam pepulere, ab hisque nomen sortita retinet Gallia Cisalpina, qua Mantua suo conditore Ocno Bianore Thuscorum rege illustris. Penetravere trans Alpes Boji, Senones, Insubres, & aliæ Galliæ Transalpinæ gentes. Gallia Cispadana olim Bianora à Victore Ocno, postea Felsina dicta, usque Ravennam: nunc Gallia Aurelia & Æmilia à Romanis ducibus nomen habet.* Sempronius autem: *Cisapenninam*, inquit, *Italiam flumina dividunt: & itidem Transapenninam Padus amnis Galliam Cisalpinam primo discrevit.* Et paulo post: *Senonum*, inquit, *Gallia Togata dicitur ab iis, qui duce Arunte primi in Italiam transcenderunt Alpes: à quibus sensim pulsi Hetrusci à Cispadana & Transpadana regione, quæ nunc Galliæ nomen habet. Et quidem omnem Transpadanam regionem Thuscorum prolem fuisse, inter omnes auctores convenit.* Porro Strabo: *Ante omnia*, inquit, *de subjecta Alpibus regione dicemus: est autem fælix admodum campus, & fructuosis collibus varius; hunc medium fere Padus dividit, eaque regio hinc Cispadana, hinc Transpadana dicitur. Cispadana Apenninis quidem montibus adjacet, atque Liguriæ: reliqua vero Transpadana est: ea vero loca tum Ligurum, tum Gallorum gentes inhabitant, tum in montibus, tum in campis commorantium, hinc Gallorum, hinc Venetorum*, &c. Hi hæc. Cæterum eam Italiæ Transapenninæ partem, quam à Pado flumine Transpadanam appellatam fuisse demonstravimus, incoluere Insubres, Veneti, atque Cenomani, cognomento Orobii, aliique nonnulli, qui tum à Ptolomæo, Plinioque, tum à Strabone, cæterisque Geographis commemorantur: de quibus quoniam multi multa scripserunt, hoc sermone de Cenomanis separatim ea tantum referam, & quæ ipse apud præstantissimos Scriptores animadverti & legi, & quæ à peritis harum rerum percepi ac didici.

Cenomani itaque, quos & Orobios appellamus, Transpadanæ Galliæ populi sunt inter Insubres ac Venetos Alpibus finitimi, spectantque inter occasum Solis & Septentriones. Eos à Cydno Liguris filio editos fuisse atque appellatos hesterna disputatione tum firmissimis (ut arbitror) rationibus, tum vetustissimorum quoque Scriptorum testimonio comprobavimus: ii initio editis in locis oppida ha-

habuere, urbesque permultas excelsis in collibus condidere, è queis Orobiorum nomen illis inditum fuit; earum tamen civitatum perpaucæ admodum supersunt; nam illarum quædam brevi multum auctæ antiquum pariter nomen atque ortum conservaverunt, uti Bergomum, Brixia, Comum, Liciniforum, reliquæ vero vel crebris Barbarorum incursionibus deletæ sunt, vel in alterius gentis nomen atque imperium concessère. Sed quoniam de communi Cenomanorum situ satis multa jam diximus, nunc demum singulas eorum civitates recensebo: quæ tametsi habeant rerum suarum tum antiquarum, tum præclare quoque gestarum, & laudatores, & scriptores accuratissimos, non incommode tamen me facturum arbitror, si è multis pauca nunc explicavero, & quæ ex veterum ac recentiorum quorundam scriptis accepimus, & quæ etiam nostro studio, curaque pervestigavimus.

Itaque ex iis Cenomanorum urbibus, quas antea commemoravimus, sit sane nobis prima Liciniforum: quam verum ac vetus nomen amisisse, valido satis argumento esse potest recens ipsum à Licinio Imperatore nomen impositum, quemadmodum & aliis quoque multis civitatibus sæpe contigit: quis enim nescit Corneliiforum ac Liviiforum, Æmiliæ olim urbes opulentissimas, à Cornelio, Livioque clarissimis Romanorum Ducibus, sicut & Juliiforum à C. Julio Cæsare fuisse nuncupatas? Quod autem fuerit Licinifori priscum nomen, nondum mehercule reperi: quæ res omnino haud parvam recentioribus historicis altercandi ansam præbuit: nam sunt nonnulli, qui velint Liciniforum id nunc esse Bergomatis agri oppidum, quod *Leucum* vocant incolæ: aliis placet Liciniforum eam esse civitatem, quæ secundum littus Larii lacus sita est, quamque vernaculo sermone *Lecen* dicunt. At vero contra non desunt è doctis multi, qui secus sentientes tradunt, Liciniforum obliterato priori nomine, nostra ætate ab accolis pagum *Incini* nuncupari, quod oppidum à Como decem millium intervallo abesse commemorant. Quarum opinionum quæ vera sit, alii viderint: illud certe inter omnes auctores convenit, Liciniforum urbem ab eruditis, probatisque, priscarum rerum Scriptoribus, inter Orobiorum civitates fuisse connumeratam. At vero Comum in Larii lacus, qui est apud Alpes, ripa positum esse, nemo est qui nesciat, qui vel Historicos legerit, vel Geographos perlustrarit: hujusce autem civitatis vetus nomen, quanquam jamdudum excidisse nonnulli censeant, ego tamen id ipsum Comi nomen (quod obstrigillandi gratia minime dictum velim) verum ac genuinum esse facile contenderim. Quum enim aliquando mecum ipse tacitus cogitarem, unde hæ Cenomanorum sive Orobiorum urbes, quas enumeravimus, nomina traxissent; illud in mentem veniebat, si Orobiorum ac Cenomanorum nomina essent barbara, ut pridie ac nudiustertius aperte demonstravimus, Comum quoque ac reliquas Orobiorum civitates barbaro nomine appellatas credi oportere: earumque etymon, non ex Græca, aut Latina, aut Celtica lingua, sed ex omnium vetustissima Hebræa quærendum esse. Nemo enim (si Hieronymo credimus) in altera lingua quempiam vocans, etymologiam vocabuli sumit ex altera. Itaque, quum me diu atque anxie torsissem, tum demum veteris illius Hebræorum linguæ peritia, quantulacunque ea est, adjutus, quod jam pridem optaveram, (ni fallor) sum consecutus. Siquidem auctore doctissimo hujusce eloquii viro, Davide Chimchæo Hispano, apud Hebræos קומה *Comah*, ædificii altitudinem significare didicimus, ut est apud præclaros vates Ezechielem *capite* XL. & Esajam *cap.* X. quo loco nonnulli ex Interpretibus קומה *Comah* excelsas trabes interpretantur. Quamobrem non temere fortasse dixerim, Comum ab Hebraico ver-

A bo *comah*, id est, ab altitudine fuisse nuncupatum, quasi excelsum ædificium, utpote in colle situm; quandoquidem non alia de causa Cenomanos Hebraico sermone Orobios, id est, *montigenas*, sive Græco *monticolas* cognominatos fuisse antea probavimus, quam quod montuosis in locis vitam agerent: adde quod & Græci, oppidum, vicum ac pagum, κωμόπολιν vocant: quæ tamen nomina ab Hebræis ducta fuisse quis neget?

At dicet aliquis, quum Comum non in monte, aut colle, sed potius in ima duorum montium planitie, hac præsertim tempestate, positum videa-
B mus, omnino perspicuum esse, inter Orobiorum civitates immerito à Geographis connumerari. Huic ego illud non incommode forsitan responderim: Consuesse priscos coloniarum duces ac principes, attestante Beroso, juxta Jani patris mandatum editis natura locis oppida, ac potius arces quasdam loco urbium munitissimas, quas Græci ἀκροπόλεις dicunt, construxisse: hac maxime de causa, (ut eruditus Homeri enarrator asserit) ne iterum vehementissimis illis terrarum eluvionibus obruerentur: ejus verba sunt: Ἰστέον, ὅτι οἱ παλαιοὶ οἱ κτίζοντες τὰς πόλεις ἐν τοῖς ὑψιλοτέροις τόποις ἀκροπόλεις ἐποίουν, διὰ τὸ ἐκεῖσε προσφεύγειν ἀπὸ τῶν κοιλοτέρων τόπων τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν τοῖς κατακλυσμοῖς. Cæterum quum nemo fere vestrum sit,
C quem nescire existimem, Comi exstare arcem quandam munitissimam in colle summo, admodum edito loco collocatam, adeoque difficili adscensu, atque perarduo, ut nisi obsidione expugnari non posse videatur, ecquid causæ tandem esse potest, cur non credamus hujusce arcis, ac potius urbis, (priscis namque temporibus arces & oppida loco urbium censebantur) verum ac vetus nomen fuisse Comum, id est, excelsa atque sublimis civitas? eaque maxime de causa ab antiquis locorum scriptoribus inter præcipuas Orobiorum urbes computari? inferiorem namque civitatem, quæ prope Larii lacus ripam jacet, posterioribus sæcu-
D lis Romanos Imperatores condidisse, ac Novumcomum cognominasse neminem latere arbitror, qui Strabonem saltem ita dicentem legerit: *Huic propinqua Verona est, amplissima & hæc civitas: his inferiores Brixia, ac Mantua, & Rhegium, & Comum: hæc mediocris erat colonia: cæterum Pompejus Strabo, Pompeji magni pater, colonos in eam restituit, quam antea Rhæti incumbentes vastaverant: inde C. Scipio tria hominum millia insuper adjecit: postmodum divus Cæsar quinque inquilinorum millia ad inhabitandum deduxit, è queis quingenti illustrissimi fuere Græci: hos etiam civitate donatos in habitatorum numero descripsit: haud tamen ibidem domicilium habuere, sed oppido nomen relinquentes, & Novumcomum appellantes, Novocomenses oppidanos vocavere.* Hæc ille. Quanquam autem hæc
E ratio satis firma sit, ac stabilis: potest tamen etiam illa afferri, non solum incolas, verum etiam accolas montium montanos vulgo dici: & quamvis, si, quos accolunt, montes respiciamus, non tam alto, quam depresso loco sedes sibi delegisse videantur, Cremonensibus tamen comparati, Mantuanisque, in edito atque excelso loco habitare sine controversia deprehenduntur. Quibus de rebus Comum inter Orobiorum civitates non injuria à Priscis annumeratam fuisse, nemo jam amplius (ut ego quidem arbitror) recte dubitaverit. Sed jam quæ de Como dicta sunt, hunc habeant terminum: neque enim ego nunc hujusce clarissimæ civitatis universa priscarum rerum monumenta conor afferre: nam neque oratione complecti omnia possumus, neque opus est, quum præ-
F sertim Benedictum Jovium Comensem, hominem summa & doctrina & ingenio præditum, ea omnia litterarum monumentis tradidisse, à viro ejusdem civitatis ornatissimo Francisco Mario Fabro oppido quam libenter acceperim.

Quare agite jam illa quoque ostiatim videamus, quæ me de cæteris duabus Cenomanorum civitatibus,

bus dicturum pollicitus sum. Harum igitur tertiam, quam posteriores Brixiam appellarunt, antiquissimis temporibus à Cydno Ligurum filio fuisse conditam, superiori in consessu ex Catulliano carmine satis aperte demonstravimus: non tamen totam à Cydno conditam asseruimus, sed eam duntaxat civitatis partem, quæ in collis molliter adscendentis capite posita est, quum eam ipsam Catullus à conditore Cycneam speculam cognominarit, & prisci etiam Auctores tradant (ut antea de Como jam diximus) fuisse hoc in more positum, institutoque majorum, ut veteres illi coloniarum duces editis in locis urbes maxime conderent, atque eas quidem adeo parvas atque humiles, ut acropoles potius, vel oppida viderentur, quam civitates, quas nunc cernimus amplissimas ac locupletissimas: quemadmodum latissime paret ex iis, quæ de Roma, Neapoli, Florentia, Mediolanoque, tam Græci, quam Latini Auctores litterarum monimentis prodidere. Quocirca non incommode fortasse dixerim, reliquam ejusdem civitatis portionem, quæ ad radices collis illius plano in loco sita est, pulcherrimisque mœnibus circumsepta, quamque idem ille poeta Cycnea in specula suppositam dixit, subcisivis deinde temporibus, diversis à regibus, exterisque nationibus, sensim auctam fuisse, atque amplificatam: quod quidem ipsum Brixiæ nomen aperte satis admodum indicat, quemadmodum facile intelligi potest ex iis libris, quos de rebus Brixianorum proximis hisce diebus Helias Capreolus, vir & totius antiquitatis, & bonarum litterarum studiosissimus, in lucem edidit. Nos autem missa hæc facientes, ne dum hisce in rebus, quæ jam penitus ex aliorum scriptis clara sunt, ac manifesta, diutius immoremur, aut vobis molesti simus, aut certe tempus parum suppetat, ad ea pertractanda, quæ de Bergomo quarta Cenomanorum urbe dicere institui: quando de Brixianorum rebus gestis, vel antiquitatum monimentis, aut situ, aut opibus, aut copiis, cæterisque hujuscemodi rebus ipso Helia afferre in præsentia melius quid possim, haud quaquam intelligam.

Itaque jam demum me ad dulcissimum patriæ nomen totum convertam: de quo si occultiora nonnulla, ac fortasse etiam plura dixero, quam de aliis antea fecerim, facile vos id mihi condonabitis: neque enim mihi est patria jocundius quicquam, nec charius, juxta illud Homericum*:

—— ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος, οὔ τι ἔγωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Itemque paulo post:

Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος, οὐδὲ τοκήων
Γίνεται.

Verum enimvero quia complures nostri generis viri sane doctissimi de hujusce civitatis situ, deque maximis rebus gestis permulta jam & conscripserunt, & nunc quoque nonnulli eisdem de rebus haud pauciora, sed prorsus ornatiora, scriptorum monimentis tradere, nec obscuro, nec vario sermone, sed & clarissima, & una omnium voce prædicantur: ob id & temporis brevitati, & instituto meo facturum me satis arbitror, si circumcisis iis omnibus, quæ mehercule etiam ex sese apertissima sunt, & manifesta, de Bergomæi nominis origine, interpretationeque, abditiora quædam persequar, vel non ita saltem pervulgata, ut merito cuiquam à nobis aut contemnenda, aut prætermittenda fuisse videri queant. Quam enim hæc ipsa nostra civitas loci quidem & natura, & situ, ædificiorum autem cum descriptione, tum pulchritudine sit nobilis, quamque præcelso in colle, atque conspicuo, inter duos saluberrimos amnes Serium ac Brembum condita, quis vestrum hoc ignorat? Nam quantum præterea sint ejus agri fertiles, quam jocundi, quantaque in his exsistat vel frugum bonitas, vel hominum frequentia, aut quot umbrosi nemorum saltus, quotve colles fœcundissimis vitibus consiti, aut quot denique campi suapte natura terrenos, arboreosque fœtus benignissime subministrantes, equidem non modo vos, qui isthæc cottidie contemplamini, sed nec ullos etiam nostri orbis populos longissimis licet locorum intervallis à nobis disclusos, latere puto, ad quos saltem nostræ vel urbis, vel regionis fama pervenerit. Verum, ne aliter, atque ostenderam, agere videar, pergam ad instituta.

Principio igitur, quum tres præsertim diversæ (quod vos quoque minime ignorare arbitror) & antiquorum, & nostrorum hominum discrepantesque de recta Bergomæi nominis interpretatione & origine, vel, ut significantius Græci dicunt, ἐτυμολογίας, sententiæ passim circumferantur, è queis alii quidem affirmant à *Bara*, pervetusto Bergomatis agri oppido, Bergomo nomen inditum: quidam vero, à nescio quo Gallorum duce *Pergamo*, Celtica lingua Pergamum, id est, (ut Galeotus interpretatur) montanam urbem fuisse cognominatam: aliis vero placeat à *Pergamo* Asiæ urbe ortum duxisse: quis non satis videt? quis non intelligit, earum opinionum vel primam, vel nullam esse veram? Quid enim tam aut falsum, aut fide indignum, aut denique commentitium judicari debet, quam quod & incertum est, & summa in sententiarum varietate ac dissensione constitutum? Primum namque illud objecerim, Chronica illa, ex quibus id se deprompsisse affirmant, ἀνώνυμα esse, planeque incerta; quibus non esse credendum superiori disputatione ex Metasthene Persa latissime demonstratum est. Quid autem est, obsecro, tam insulsum, rudique homine dignum, quam quod non satis explorate perceptum sit, à nulloque certo Auctore traditum, sine ulla dubitatione (quod isti faciunt) velle defendere? Huc accedit, quod in Bossianis *Chronicis*, in quibus de Bellionense quodam Mediolani Duce, cujus temporibus ferunt Pergamum illum Bergomum condidisse, nescio quid scribitur, nulla prorsus hujusce Pergami fit mentio: postremo repugnant apertissime his opinionibus Cato, Plinius, Ptolomæus, aliique nonnulli, cum Græci, tum Latini rerum gestarum scriptores eruditissimi: quædam præterea perantiqua urbis epigrammata, in quibus omnibus *Bergomum* ubique, non *Pergamum* scriptum annotavimus.

Verum, adversus postremas hasce recentium maxime historicorum opiniones (nam de priori ostendam equidem paulo post qui sit meus sensus) ut simplici quadam, ac pingui potius perscrutatione, vel, ut majores nostri dixerunt, Minerva explicatas, nihil fortasse afferri nunc debuit, nisi etiam indoctis satisfacere optarem, qui quod semel in Chronicis quamlibet rudibus & indocte scriptis legerunt, mordicus retinent. Itaque ex Hebræorum quasi quodam sancto, augustoque fonte, ex quo Cydnum etiam illum, principem Genomanorum auctorem, ortum duxisse, hesterno sermone clarissime demonstravimus, nostra omnis, de recta Bergomæi nominis interpretatione, manabit oratio. Quid enim tam consentaneum, ratum, firmumque videri debet, quam cum Cenomanorum atque Orobiorum nomina (ut superioribus diebus ostendimus) omnino sint Barbara, id est, Hebræa, Bergomum quoque, cum sit Cenomanorum Orobiorum civitas, Barbaro prorsus, id est, Hebræo nomine fuisse nuncupatam? ejusque ἔτυμον nequaquam ex Græca, aut Latina, aut Gallica, sed ex omnium vetustissima ac sanctissima Hebræorum lingua quærendum esse? quod cum à nobis in præsentiarum sit explicandum, video mihi necesse esse, ut quam sæpissime insuetas Latinis auribus, asperrimasque Barbarorum (ita enim Hebræos appellare libet) voces proferam: verum, id vos ut æqui ac boni consulatis, operæ precium est: neque enim

* Odyss. I. v. 27.

ego accusandus sum, sed aut ipsa fatorum vis, eventusque, aut ipsa potius rerum humanarum conditio improbanda: quippe quæ vel eum sermonem barbarum nobis effecerit, vel civitati saltem nostræ nomen illud non Græcum, aut Latinum, sed Barbarum penitus indiderit. Conabor tamen pro rerum ac verborum obscuritate, quoad fieri poterit, ut ea dicam distincte atque dilucide. Sed jam demum rem ad ipsam veniamus.

Bergomi igitur urbis nostræ nomen, quum omnino Barbarum sit, non aliunde profecto, quam ex his tribus Hebræis vocibus, ברדים גון מעון *Beradim*, *Gon*, *Mon*, compactum fuisse plane mihi videtur, ex quibus nimirum qualis ipsa vel initio extiterit civitas, declarari nobis quam facillime queat, ni ea me ratio penitus fallit, quam Plato Philosophorum omnium (ut mea quidem opinio fert) & eloquentissimus & eruditissimus, ex Cratyli sententia eo in libro affert, qui est *de recta nominum impositione*: nomina scilicet adeo perspicuas esse rerum imagines, atque adeo rebus ipsis esse similia, ut quum ea quis enucleate intellexerit, res quoque ipsas statim agnoscat: unde quum Bergomum quoque priscis temporibus, ut pervetusta quædam loquuntur annalium monumenta, regia civitas fuerit, facile est intellectu, non incommode à conditore Bergomum, id est, Gallorum regiam urbem, fuisse nuncupatam: quandoquidem apud Hebræos prima ejus nominis dictio, quæ est *Ber*, à ברד *Barad* ducta est, quæ sane vox apud eos, quemadmodum Hebraicis institutionibus eruditi apertissime tradunt, idem omnino significat, quod apud Babylonios & Assyrios *Gallim*, id est, *undas*, ac *fluctus*: à quibus, ex Xenophontis sententia, Janum patrem *Gallum*, ejusque omnes posteros epitheto paterno, *Gallos*, id est, *inundatos*, vel ab undis, aut aquarum illuvionibus superstites, fuisse cognominatos, nudius tertius clarissime demonstravimus. Cæterum hujusce Hebraici verbi *Barad* multitudinis numerus est ברדים *Beradim*, à quo ablatis duabus postremis *Adim* syllabis remansit prior *Ber*; quæ est earum dictionum princeps, ex quibus Bergomæum nomen coalitum fuisse supra declaravimus: in quo certe eandem obtinere significationem existimamus, quam *GALLIM* apud Hebræos pariter & Assyrios habere supra docuimus: cui sane rei maximam argumenti vim afferre potest illud saltem earum, quæ ab hisce Gallis emanarunt, gentium nomen, quod Hebraice עמברדים *Himberadim* rectius (mea quidem sententia) dici potest, quam aut Græce Ο῎μβροι, aut Latine, *Umbri*: est enim apud Hebræos עם *Him* populus: porro *Beradim*, ut dictum est, idem quod *Gallim*, id est, *inundati*, sive à fluctibus, aut aquarum eluvionibus servati: de quibus ita apud Solinum: *Gallorum*, inquit, *veterem propaginem Umbros esse M. Antonius asseverat: eosdem, quod tempore aquosæ cladis imbribus superfuerunt*, Ο῎μβρους *Græce nominatos: unde & M. Cato: Ex his*, inquit, *tradunt venisse Janum cum Dyrim & Gallis progenitoribus Umbrorum*. Ex his omnibus facile intelligi potest, illam M. Catonis, quam Plinius refert, de Bergomæi nominis origine sententiam, aliqua ex parte defendi posse. Nam si ad hunc sensum asseruit, Bergomates ab eodem nomine, à quo Bara quoque vetustissimum Orobiorum oppidum sibi nomen adsciverit, fuisse cognominatos, recte eum sensisse quis neget? quum id ipsum etiam Baræ oppidi nomen, quod Gallicum interpretamur, ab eadem Hebraica voce *Barad*, ex qua Bergomi quoque nomen compactum fuisse, demonstravimus, deductum fuisse liquido pateat. At vero si secus eum sensisse quis affirmarit, nequaquam medius fidius intelligo, qua ratione, aut via eam tueri opinionem facile possit: sed hæc alii postea viderint: nolo enim in iis, quæ perspicua mihi videntur, confirmandis longior videri, quam res ipsa postulet.

Altera autem Bergomæi nominis pars, quæ est

A *Go*, haudquaquam (ut opinor) incommode regia poterit interpretari: namque גון, *Gon*, apud Hebræos verbum est, *protegere* significans, à quo מגן *Magen*, id est, *Clypeus*, aut *scutum* ductum est, quod priscis regibus, ac ducibus, regni atque imperii tutamen erat: quemadmodum Naso innuere videtur his versibus:

Atque Ancile vocat, quod ab omni parte recisum est:
Quemque notes oculis, angulus omnis abest.
Tunc memor imperii sortem consistere in illo,
Consilium multæ calliditatis init.

Hinc effectum arbitror, ut ad hæc usque tempora usus obtinuerit, ut procedentibus regibus ac ducibus, vel urbium præfectis, scutum, tanquam insigne
B quoddam imperii, præferatur. Quocirca ea Bergomæi nominis particula, quæ est *Go*, recte (ut ego quidem existimo) dici potest aut *Scutata*, aut *Clypeata*: quo quidem verbo usus est Virgilius, qui ait*:

Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina densantur campis.

Unde est etiam apud Solinum civitas Clypea Africæ: verum, ut magis sensum exprimam è sensu, regiam, sive regalem (utroque enim modo Latine dicitur) interpretabimur.

At vero postrema Bergomæi nominis portio, quæ est *Mum*, apud Hebræos מעון *Maon*, & *Mon*, scribi solet, ac proferri: significatque, cum *oppidum*,
C tum *civitatem*, & *habitaculum*, quemadmodum facile intelligi potest ex Psalmo LXXXV. & LXXXIX. Quamobrem hisce tribus Hebraicis dictionibus *Beradim*, *Gon*, *Mon*, per concisionem duarum syllabarum, uniusque litteræ, in unum redactis, oritur dulcissimum illud atque pulcherrimum patriæ nomen ברגומעון *Bergomon*, quod Latine rectissime interpretari potest, *inundatorum Clypeata civitas*, vel *Gallorum regia urbs*, quæ à Græcis Ἀρχέπολις, à recentioribus autem Latinis, cum *princeps*, tum *ducalis* civitas, appellari solet. Cæterum hisce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo, ac definiri: sed utor, ut quam maxime significem, pluribus; quanquam perobscura quidem multa ex iis, quæ diximus,
D exstitisse video: quæ tamen à me non ita dicta sunt de industria, sed inerat & in rebus ipsis jam obsoletis, quibus ubertas orationis adhiberi vix potest, & in verbis illis incognitis, inusitatisque, isthæc omnis obscuritas. Quapropter quoniam ex his quibusdam quasi è scopulis nostra jam enavigavit oratio, quod reliquum est, quam paucissimis absolvam.

Quum igitur Bergomum regalem veterum Gallorum urbem exstitisse, nomen ipsum manifestissime doceat; porro nomina rebus adeo similia esse Plato affirmet, ut simulac quis nomina scierit, res quoque ipsas statim agnoscat, facile intelligimus ei aliquando civitati regiam potestatem, sive, ut vulga-
E to more loquar, ducalem principatum præfuisse. Verum enimvero, quia eorum temporum historiam, quæ ante Romanam Rempublicam fluxere, antiquitas abolevit, illud restat, ut quæ hujus rei, quam diximus, nomine ipso significari, possumus, monumenta explicemus. Constat itaque ex antiquorum monimentis atque historiis, quæ à Græcis *Chronica* nuncupantur, urbem nostram regibus quondam, sive ducibus, aut regulis paruisse: quod & adsignificant tum antiquorum statuæ atque numismata, tum permulti quoque elogiis excisi lapides: de quibus tum dicturum te, Marce, pollicitus es, cum ego Cenomanorum civitates persolvissem. Hic autem, viri optimi, nolite exspectare, ut ego nunc univer-
F sos Bergomatum duces, omniaque illorum facta, commemorem, vel si quid memoria dignum gesserint, aut certe dixerint, explicem; neque enim opus est, neque pudoris est mei, Francisco Bellafino viro doctissimo, & utraque lingua optime prædito, tum vero maxime scriptori harum rerum diligentissimo,

* Æneid. VII. ℣. 793.

mo, vivo & incolumi, me aut auctorem, aut prædicatorem monumentorum nostrorum profiteri.

Sed tamen ad confirmandam eam Bergomæi nominis interpretationem, quam modo declaravimus, quatuor tantummodo duces, quos quidem memoria teneo, referam: nam qui cæteros scire optarint, eos ad disertum atque eruditum Bellafini opus *de Bergomatum rebus antiquis* demittam. Id enim facile poterit, abundeque eis suppeditare quod requirent. Itaque prior ex iis Bergomæis ducibus, quos mihi quidem nunc tenuis memoria suggerit, Crotatius ille est, quem, cum esset regia atque illustri è familia, nobilissimisque è parentibus genitus, tradunt historiæ, tam multa, tamque præclara rei militaris facinora fecisse, ut imperio, virtute, victoriaque, totius Venetæ regionis principatum obtinuerit. (nondum enim præclarissimum Venetorum imperium cœperat) Quibus rebus adducti Bergomates, permotique, ut hujus fortissimi, invictissimique, Ducis rerum gestarum gloriam, ac memoriam virtutis sempiternam, futurorum hominum proli commendarent, defuncto monumentum quam amplissimum faciendum curarunt. Itaque erecta eo in tumulo marmorea columna, simulacrum illi quoddam egregie factum statuerunt, quod quidam *Plotatium*, alii autem *Crotatium*, Bellafinus vero noster *Plutonem*, appellatum fuisse commemorat. Posterior autem Bergomi Dux, hujusce Crotatii filius, fuit Lupus nomine: qui generis nobilitatem, gestarumque rerum gloriam, atque imperii majestatem, quas à patre acceperat multis in Rempublicam meritis, constantissimisque atque optimis actionibus, non modo confirmavit atque retinuit, verum etiam mirum in modum auxit, ampliavitque: fuit enim cum continentiæ, fortitudinis, ac pietatis, tum divini quoque cultus, ac moralium virtutum omnium exemplum quasi quoddam & specimen. Eo siquidem Duce, auctoreque, Bergomates nostri Christi optimi, maximique, cultum ac leges, auspiciis tamen ac meritis divi martyris Alexandri, Thebææ Legionis signiferi, primum suscepere. Quæ quidem ob merita, uno omnium consensu, inter Divos relatus est, maximique ei honores post mortem decreti, in testimonium scilicet vitæ, pie sancteque institutæ. Supersunt cæteri duo Bergomæi Duces, Gandulphus scilicet ac Rhotaris: qui aliquot sæculis post Crotatium Lupumque principes floruere: de quibus quoniam tum apud Bellafinum, tum etiam apud Paulum Diaconum accuratissimum eorum temporum Scriptorem in quarto ac sexto *Longobardicæ Historiæ* libro latissime scriptum est, prætermittam hoc loco ea velle dicere, quæ & vobis notissima sunt, & mihi ad commemorandum minime necessaria: cum præsertim memoria teneam, non ita pridem hæc vobis commonstrata fuisse, atque ostensa à Jovita illo Rapicio, homine & summo dicendi studio, & peracri prorsus ingenio ac singulari doctrina prædito: quem scire omnes facile potestis, tum multis civibus nostris, tum nobis præsertim & ad suscipienda, & ad ingredienda, isthæc politioris humanitatis atque ingenuarum artium studia principem, & auctorem, & magistrum exstitisse.

Sed jam satis multa de Bergomo verba mihi fecisse videor, quæ tametsi & inventa à nobis sunt acutius, & dicta etiam fortasse subtilius quam ut quivis ea possit agnoscere, tamen fretus intelligentia vestra disserui brevius ac strictius quam causa desideraret: nam me Sol ille præcipitans admonebat ne essem longior, ut tu quoque, Marce doctissime, provinciam tuam hodierno die explere posses atque perficere. Non sum tamen nescius plurima in hunc sermonem non esse collata, quæ & Bellafinus, & alii nonnulli diligentissime persequuti sunt: illis namque propositum fuit de his singillatim scribere, nobis vero abunde satis fuit, brevi hac dissertatione, nonnulla perstringere, quæ & vobis non injucunda penitus forent, cæteris vero non admodum pervulgata viderentur. Quamobrem, quoniam ego pensum jam absolvi meum, si sine tua molestia fieri potest, M. Mauriti, non modo petimus, verum etiam rogamus, atque exposcimus, ut ea antiquitatum monimenta, quæ te allaturum spopondisti, antequam Sol occidat, nobis exponas.

Imo vero, inquit ille, jubeatis; si quid possum, id totum vobis devoveo: nam quî potest esse molestum tempus, quod philosophiæ, quodque eruditis hisce collocutionibus impenditur? atqui si subcisiva hæc nobis disserendi tempora sæpius darentur, nihil profecto esset quod ad perfruendum studiorum nostrorum voluptate præoptandum mihi fore existimarem. Verum facis tu quidem, Marsili mi, abundantia quadam humanitatis tuæ, ut ea etiam à me roges, quæ prætermitti absque nefario ingratitudinis nomine nullo modo posse videntur. Nam cum diebus istis meo quidem rogatu & impulsu de principe Orobiorum ortu, descriptioneque, nec non & singulis eorum civitatibus plurima & distincte, & abundanter, & illuminate, tam rebus, quam verbis explicaveris, ingrate omnino fecerim, si meum erga te, fratresque tuos, studium ac voluntatem, iis præsertim in rebus, quibus vel maxime possum, declarare diffugiam: quanquam multis jam argumentis ea spero vobis non esse incognita. Itaque nunc pervetusta quædam hujusce civitatis ac regionis monimenta percurram: quibus & vobis, optimi adolescentes, quoad fieri potest, morem geram, & Bergomæa quoque nobilitas, etsi per se sit satis clara, tamen his etiam quasi quibusdam luminibus illustretur. Cæterum, ut id quam commode agatur, & ne qua forsitan excidant, proferam in medium haud contemnendæ vetustatis libellum, quo omnia ferme non modo nostræ urbis, sed exterarum quoque regionum omnium, ac civitatum epigrammata pervetustis marmoribus incisa breviter, & ut mihi quidem videtur, perdiligenter collecta sunt. Quum id dixisset Marcus, arrepto statim volumine, ac ea tantum oculis collustrans, quæ ad Bergomates spectabant, hunc in modum effari cœpit. Divi martyris Alexandri, optimi juvenes, templum est non longe ab ea urbis parte, quam nostri *Citadellam* populariter vocant, editissimo in loco situm, sane sanctum apud nostrates, ac religiosum: ibi complura sunt vetustatis monimenta: è queis illud in primis exstat P. Marii elogium marmoreo quodam, quadratoque lapide, grandioribus litteris exsculptum: quo non facile dixerim unquam me aliud vidisse aut pulchrius, aut elegantius: tametsi non tam multum in istis rebus intelligo: hujusce vero lapidis talis est inscriptio:

P. MARIO
VOT.
LVPERCIANO
EQ. R. EQ. PVB. OMN.
HONOR. MVNICIPAL.
ADEPT. JVDICI DE SELECT.
SACERD. CAENINEN. COLL.
FABR. CENT. DEND. M. B. PATRON.
CVJVS EXIMIA LIBERALITAS POST
MVLTAS LARGITIONES HVC VSQVE
ENITVIT. VT LVCAR IiiiiINAE
REDEMPTVM A REP. SVA VNIVERSIS
CIVIBVS SVIS IN PERPETVVM
REMITTERET. HVJVS TOT ET TAM
INGENTIA MERITA ITA
REMVNERANDA CENSVERVNT:
VT EFFIGIEM IiiIV. PERPETVA
VENERATIONE CELEBRARENT.
L. D. D. D.

Quo equidem epigrammate, cum sit vetustissimum, apparet, ut inquit Bellafinus, priscis temporibus

Ber-

Bergomum Romanorum municipium exstitisse: nam cum postremæ illæ quattuor epigrammatis notæ L. D. D. D. *locum datum decreto Decurionum* auctore Probo significent, porro ii, qui in municipiis publicam rem agebant, Ciceronis testimonio *Decuriones* appellarentur, eaque dignitate pollerent qua Romæ Senatores, facile est intellectu, urbem hanc, quod Decurionum dominatu quondam paruerit, municipali jure priscis illis Romanorum seculis viguisse. Id vero an prorsus verum sit, non est nunc disserendi tempus, sed cum vestro, tum aliorum judicio discutiendum relinquamus: illud tamen non importune (ut opinor) affirmaverim; ex vicorum, oppidorumque nominibus, quæ in Bergomati agro sita sunt, non antiquitatem modo Bergomatum, verum quam gratus etiam Romanis hic ager olim fuerit, quam facillime ostendi posse. Siquidem Marianum, Catianum, Statianum, Mutianumque non nisi à Mario, Catio, Statio, Mutioque deducta fuisse, nemini ignotum esse arbitror: in queis fortasse non incommode & Actianum, quod nunc *Alzanum* vocant, & Albinum adnumeraverim: quorum alterum ab Actio, alterum vero non minus ab Albo, quam à Sp. Albino, aut ab A. Albino deduci posse manifestum est. Sed de his alias: hæc enim admonendi modo causa volui dixisse: tu quanti id facias, Marsili, postea videris. Est aliud etiam præ foribus templi non indecorum epigramma, sed tamen mutilum & fractum, tale quippe est:

NTIO. SEX. F. VOT. ALPONI
AE. M. F. SECVNDAE.
IO. M. F. VOT. MACRO. PONTIFICI.
M. F. VOT. MONTANO. IiiiiI. VIR. IiiI. VIR.

Exstant præterea eo in loco tres alii miræ cujusdam venustatis & antiquitatis lapides: è queis primus hoc elogio est insignis:

ATESTIA I. D. L.
ATESTIAE
TERTIAE. PATRON.
BENEMERENTI. ET
CAPITONI BINETAE.
ET MARTIAE, ET PRIMVL.
DELICATIS. ET
TELAMIO CELERI
AMICO CARISSIMO.
ET ATESTIAE EGNATIAE.

In secundo autem ita scriptum est:

V. F.
L. BLANDIVS C. F.
VOT.
IiiiiI VIR. ET
AVGVSTALIS. ET
FLAMINALIS
SIBI ET
VALERIAE L. F.
RVSTICAE
VXORI.

Tertii vero hujuscemodi est inscriptio:

SPONSOR. L.
C. STATIO. C. L.
FAVSTO
NEGOTIATORI
ET
VITVLLIAE. SEX. F.
TERTIAE VXORI

In quo monumento obiter illud annotandum censeo, consuevisse Veteres otium & negotium per T scriptitare: quod secus multi nunc faciunt. Sed hæc alii viderint. Cæterum non procul ab ea divi Alexan-

A dri æde, quam diximus, sacellum quoddam est divo Petro Apostolorum principi dicatum, cujus in parietibus non inelegans elogium hoc inspicitur:

C. CORNELIO
C. F. VOT.
MINICIANO
PRAEF. COH. PRIM.
DAMASC. TRIB. MIL.
LEGIONIS III. AVGVST.
PRAEF. FABR. CVRATORI
REIP. OTESINORVM
IIII VIRO I. D. PONTIFICI
B FLAMINI DIVI CLAVDII
BERGOMI PATRONO
FLAMINI DIVI TRAIANI
MEDIOLANI
PLEBS VRBAN.

Quæ quidem inscriptio apertissime declarat consuesse majores nostros, reclamante tamen recentiorum, quotidianaque consuetudine, *Bergomum* per B scribere, quod ego aliis quoque in nonnullis Veterum inscriptionibus scriptum animadverti, cujusmodi illa est, quam nuper, Brixiæ cum essemus, exscripsimus: cujus hæc sunt verba:

P. CLODIO P. F. FAB. SVRAE Q. FLAMINI
C DIVI TRAIANI PONTIF. II VIR. QVINQVE TRIB.
LEG. II. ADIVTRI. PIAE FID. CVRAT. REI. P.
BERGOM. DATO. AB. IMP. TRAIANO. CVRAT.
REI. P. COMENS. DATO AB. IMP. HADRIANO
COLLEGIA. FABR. ET CENT.

Quibus ex epigrammatibus quis non videt? quis non perspicit quam facile commentitiæ illæ recentium Historicorum opiniones refelli possint qui asserunt hujusce urbis nomen non *Bergomum*, sed *Pergamum* dici debere? quippe quod vel à Pergamo Asiæ oppido, vel à Pergamo Gallorum duce emanarit, atque etymon duxerit: sed ô magna vis veritatis! quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas hominum insidias, se per seipsam facile defendat: quam enim tota hæc recens fabella? quam est sine argumento? quam nullum invenire exitum potest? nam sive ex Antiquorum elogiis petantur signa, quibus maxime veritas illustrari solet, quænam illis ipsis, quæ antea exposui, aut clariora, aut venustiora inveniri tandem possunt? sive patrum auctoritas quæratur, quænam obsecro major? quæ sanctior? quæ præclarior afferri unquam potest, quam M. illius Catonis, quem Cicero studiosissimum philosophiæ, justissimum virum, optimum judicem, religiosissimumque testem nuncupare solet? ut interea dissimulem Plinium, Ptolomæum, Trogumque Pompejum, atque è recentioribus complures, apud quos ubique *Bergomum*, non *Pergamum* scriptum invenitur: nec non & antiqua Bergomatum aurea numismata, in quibus ita scriptum est, *Lupus Dux Bergomi.* Sed ineptum omnino est, de tam perspicua istorum impudentia pluribus verbis disputare; quasi aut res ipsa dubia sit, vel obscura, aut ea, quæ hisce de rebus subtiliter, & ornate à M. Marsilio disputata sunt, nostræ vel confirmationis, vel approbationis indigere videantur. Quare redeamus ad id, unde divertimus. Visuntur igitur eisdem in parietibus alii quoque duo lapides; quorum alter hisce verbis ac literis incisus est:

M. CAECILIVS M. F.
FIRMVS.
BENDROPHORIS
LEGAVIT

Al-

Alter vero est hujusmodi:

L. MAVESI
L. CORN.
Q. STATI
L. POMPO.

Aliud quoque non longe à foro scimus esse fanum, nobilissimum quidem, ac sanctissimum, divo Vincentio martyri dicatum: quod templum in oculis, quotidianoque adspectu Populi Berg. est positum: ejus itidem parietibus monumenta nonnulla posita sunt; quorum prius tale est:

PVPIA. M. F. SECVNDA. V. F.
Q. SVLPICIO. Q. F. RVFO.
IIII VIR. Q. VIRO
Q. SVLPICIO. Q. F. SEDATO.
IIII VIR. I. D. FILIO.

Posterius autem hunc in modum se habet:

L. CLVVIENVS. L. F. ANI
CILO
BALNEVM. ET.
AQVAS. DEDIT.

Sed tamen ea, quæ ad ædem divæ Agathæ sunt, epigrammata nulli aliorum vel antiquitate, vel pulchritudine, cedunt: nam in altero ita scriptum est:

P. RVBRIVS
THEOPHILVS
PAEDAGOGVS
RVBBIAE. SIBI. ET. SV.

In altero autem hi quam pulcherrimi leguntur versus:

PVDENS M: LEPIDI. L. GRAMMATICVS.
PROCVRATOR ERAM LEPIDAE MORESQ.
REGEBAM
DVM VIXI MANSIT CAESARIS ILLA
NVRVS.
PHILOLOGVS DISCIPVLVS.

Est alia etiam apud divum Michaelem, quem nostrates dicunt *Putei albi*, pervetus hæc inscriptio:

IOVI
O. M. ET. DIS.
DEABVSQVE
IN MORTALIBVS.
C. VALERIVS
VALENS
L. M.

Alium quoque lapidem memini me quondam in ædibus splendidi ac nobilis viri Joannis Jacobi Ulmæi in hanc sententiam legere solitum:

D M
VIBIAE
VARIAE
CAETERIS

Et hæc quidem sunt antiqua hujusce civitatis monumenta: quæ vero in Bergomatis agri villulis atque oppidis continentur (quoniam Sol ad occasum properat) quam brevissime potero, expediam. Itaque primo ab urbe lapide, eo in pago, qui *Adhaste* dicitur, epigramma quoddam litterulis quidem corrosis, senioque nutantibus, sed tamen eruditissime scriptum, ita legitur:

M. CABARSVS
PATIENS DEDIT
XXX ET PRO FVNDI
DE VSVRIS Xiii. QVOT
SI IVVENATES EIVS
NEGLEXERINT FILIO
EIVS RETERE DEBE
BVNT XXX. AVT
SI QVIS HERES
FVERIT
POSIT FILIVS

A Quo in elogio permulta profecto notatu ac cognitione digna sunt: quæ nihilominus propter angustias temporis, tum etiam quod ea Bellafinus noster, vir & doctus, & harum rerum explorator diligentissimus luculente admodum, ac diligenter exposuit, prætermittam, pergamque ad reliqua. Albini igitur talis est inscriptio:

P. FVRIVS P. L.
HILARVS VI VIR.
VIVOS SIBI FECIT
ET FVRIAE. P. L.
A L. C E.

B Itemque apud Mutium, sive rectius Mutianum, insigne hoc epigramma conspicitur:

CAPITONI SPIRATIO
RVSTIAE P. F. MAXIMAE
MATRI. Q. CALLIDIO L. F.
MAGIO FRATRI. SEX.
CALLIDIO L. F. FRATRI
DVLCISSIMO.

Rursus apud Bulgarum duo hi exstant lapides: unius talis est scriptura:

C NEPTVNO SACRVM.
M.
DVNILIVS. HOMO.

Hæc autem alterius inscriptio:

PONTIVS CORNELIVS
CRIPONIVS
T. F. I. S.

Præterea apud Crassobium hujuscemodi è marmore exstat lapis:

C. CORNELIVS C. F. VOT
CALVOS. VIVOS. SIBI
ET L. CORNELIO C. F.
D VOT. FRATRI H. M. H.
N. S.

Lurani quoque in sacello divi Lini tale est epigramma:

D. M.
BAELIO TAVRO QVI VIXIT
ANN. XXI. DIES XXXXV.
FANNIA SEVERA MATER
FILIO PIENTISSIMO ET
SIBI ET AELIO LVCIO
MARITO RARISSIMO
V. F.

E Itemque hoc apud Martinengum:

MINERVAE
L. LONGINVS
MAXIMVS
EX PERMISSO
AELIORVM
S. S. L. M.

Sacellum præterea quoddam est divi Pauli, altissimo in monte admodum edito loco positum; quem locum vulgus *Argon* nominat: ibi duo hæc sunt monimenta; quorum alterum hac inscriptione insignitum est:

F HADRIAN.
L. PRISCVS. SI.
T. L. HADRIANO
L. HILARIO PATR.
NO. TESTAMENT.
SCRIPSIT FIERIQ.
IVSSIT.

Hac

Hac vero ornatum est alterum :

M. SERTORIVS
M. L. FAVSTVS
SIBI ET
SERTORIAE. M.
BENIGNAE.

Barrianum quoque, vetus oppidum & nobile decimo ab urbe lapide, scitis esse plenum clarissimorum monumentorum: id enim complures è nostris antiquum illud Orobiorum oppidum Barra esse arbitrantur, à quo Bergomates fuisse cognominatos, Catonem scriptitasse auctor est Plinius: sed de eo satis superque dictum est à te, Marsili: in eo loco nuper nonnulla veterum monumenta reperta sunt, atque in primis lapis quidam marmoreus, mancus tamen, ac mutilus, cujus in extrema tabella cælatum erat armentum, pastoresque haud pauci tauros naribus atque auriculis trahentes; apparet autem nunc epigramma hoc exesis prioribus partibus versiculorum, ac dimidiatis fere hunc in modum:

P. R.
IiiiI V I R
Q. R. VERECVNDO VR.
ET. VIBIAE. Q. L.
VERECVNDAE
T. F. I.

Exstant eodem in loco alii etiam duo lapides; ac in primo quidem scriptum est:

MARTI. MINERVAE.

In secundo autem ita legitur:

DOMITIO. L. F.
VOT
MONTANO.

At vero postremum omnium monimentorum, quæ quidem ad manus meas pervenerunt, illud est, quod nuper in agro Astezani inventum est tale:

L. QVINCTIO
L. L.
ORESTI

Hæc igitur sunt, ornatissimi juvenes, egregia illa veterum monumenta, nostræque ornamenta civitatis, quæ hodierno in consessu ex me voluistis audire: quibus rebus tametsi hæc ipsa urbs satis clara atque admiranda videri potest; ego tamen neque hac re, neque originis nobilitate, neque imperio, neque frequentia clarissimarum familiarum verius, præclariusque, ac magnificentius tam illustrari arbitror, quam quod optimis artibus atque ingeniis omni studiorum genere perpolitis, & quod prope caput est omnium, religione, moribus, ac Dei optimi, maximi cultu, omni quidem tempore ita floruerit, & nunc etiam maxime viget, ut jure optimo possit cum quavis illustrium civitatum ex æquo contendere. Enimvero quam multos è nostris civibus patrum memoria, quam multos nostra, cum rei militaris gloria, tum divinarum quoque humanarumque rerum omnium cognitio, atque eloquentia, in amplissimo & laudis, & dignitatis gradu collocarint, non hercle facile dixerim: nam quum innumerabilia ferme habeamus hujuscemodi clarissimorum hominum exempla, quænam tanta potest esse dicendi vis, tan-

A taque copia, quæ rem tam magnam, tam variam, possit, aut ingenio & viribus sustinere, aut memoria & oratione complecti? proinde ut hæc omnia prætermittam, quæ & audistis sæpe, & (ut arbitror) etiamnum tenetis animis; quænam unquam, obsecro, civitas, aut propriis civibus, aut patriæ suæ benevolis præcipue, atque insigniter diligendis magis pia grataque exstitit? Quæ vero aut venientibus malis fortius obstitit? aut quæ jam aderant, patientius toleravit, pertulitque? nulla unquam profecto, mihi credite, in rebus publicis, domesticisque, prudentior; nulla ad rectissima optimarum artium studia propensior; nulla denique erga Deorum immortalium curam ceremoniamque religiosior inventa est: testes sunt locupletissimi ac certissimi utriusque sexus pene innumerabiles, vita ac moribus sanctissimi ex hominum genere in cœlum recepti: qua de causa effectum arbitror, ut nostri homines, de numinibus ac patria pie meriti, ad omnes artes ingeniosissimi evaserint: quale Pindarus olim Rhodiis à Pallade, ob exhibitos sibi primum nascenti ab eis divinos honores, concessum fuisse canit.

Sed quorsum hæ tam longæ, & non sine invidia, ac fortasse etiam quorundam contemptu, si apud alios, quam apud vos loquerer, repetitæ patriæ laudes? nempe ut vos adolescentes, quos ut filios diligo, qui & nobiles estis, & rectissimis quoque studiis, atque optimis artibus dediti (adhuc enim patitur vestra humanitas me quid sentiam libere dicere) ad majorum vestrorum imitationem excitem: novi enim vos, novi patrem, cujus paucos pares hæc civitas tulit; novi domum nomenque vestrum; studia denique generis, ac familiæ vestræ; virtutis, humanitatis, plurimarum artium, atque optimarum, nota sunt mihi omnia. Itaque faciam ut imperatores instructa acie solent, quanquam paratissimos milites ad præliandum vident, ut eos tamen adhortentur; sic ego vos ardentes & erectos non cohortor solum, sed plane etiam rogo atque obtestor, ut tota mente omnique animi impetu in virtutem, doctrinam, patriæque vestræ gloriam ac honorem incumbatis: nihil est enim quod vobis majori fructui splendorique esse possit, nec quicquam ex omnibus rebus humanis est præclarius, aut gloriosius, quam de Republica, ut inquit Cicero, bene mereri: nam cum omnia brevia sint, fugacia & caduca, virtus tamen est una altissimis defixa radicibus, quam nulla vis eripere, nulla fortunæ procella impellere in scopulum potest. Hæc maxime illustratur magnis in patriam meritis, hanc omnes appetunt, amplectuntur universi, qui sese patriæ, qui suis civibus, amicis, qui laudi, qui gloriæ, non qui somno, & conviviis, & delectationi natos arbitrantur. Hanc igitur retinete, quæso, juvenes, quam vobis tanquam hæreditatem majores vestri reliquerunt: namque sic habetote, omnibus, qui patriam suis consiliis, laboribus, litterarum monumentis defenderint, conservarint, illustrarintve, certum esse in cœlo, (ut doctiores ac sapientes loquuntur) ac definitum locum, ubi beati sempiterno ævo fruantur. Quas ob res pergite, ut cœpistis, ornatissimi adolescentes, ut eam ingenii facultatem, quam complexi estis maximam, teneatis, perficiatisque: qua & vobis honori, & amicis utilitati, & patriæ tandem huic nostræ, totique Christianæ Reipublicæ emolumento aliquando esse possitis. Verum jam satis superque usus sum vestra humanitate; itaque, quoniam jam advesperascit, surgendum censeo. Quumque id dixisset, surrexerunt omnes pariter, & simulac vale dixerunt (erat enim extrema jam diei hora) domum continuo læti atque alacres recta concesserunt.

FINIS.

JOANNIS BAPTISTAE VILLANOVAE,

NOBILIS LAUDENSIS,

LAUDIS POMPEIAE,

SIVE

LAUDAE (nunc LODI) Urbis

HISTORIA.

DEDICATA

ILLUSTRISSIMIS EJUSDEM URBIS DECURIONIBUS.

Ex Italico in Latinum sermonem transtulit

ALEXANDER DUKERUS.

VIRI ILLVSTRISSIMI.



X se ipsa hæc patriæ nostræ *Historia* sapientissimorum ejus Decurionum brachiis illabitur, certo confidens, se illorum benignitate receptum, & auctoritate protectum iri. Verum quidem est, calamum meum non valuisse eam illa venustate exornare, propter quam illa mereri possit eorum favorem atque benevolentiam: veruntamen cum in hisce paginis multa legantur & singularia, tam virtutis bellicæ, quam civilium artium exempla, à majoribus nostris edita, quorum virtutes ad Vos, illustrissimi Viri, multosque alios nostrorum civium feliciter propagatas videmus; credere juvat, non ingratum iis fore, si heic, rudi licet stylo, illa viderint delineata, quæ ipsi pulchre adeo & ad vivum repræsentant heroicis factis suis. Quod si Latinæ eloquentiæ princeps illis, qui pro patria sudorem aut sanguinem profuderint, existimavit esse paratam gloriæ sedem in cœlo, ubi in *Somnio Scipionis* ita dixit: *Omnibus, qui patriam conservaverint, juverint, auxerint, certus est in cœlo & definitus locus, ubi beati ævo sempiterno fruuntur*; & ipse spero, me hoc labore locum aliquem in cœlo, id est, in vestra, illustrissimi Viri, gratia comparaturum, quod ego ex hujus vitæ felicitate primum numero omnium, ut qui me Vobis, illustrissimi Viri, devotissimum profiteor.

JOANNES BAPTISTA VILLANOVA.

AD LECTOREM.



ON hoc animo, Lector benevole, hunc libellum publico, ut gloriam inde aut splendorem nomini meo conciliem: nam ignorantia mea non tantas menti tenebras offundit, ut non cognoscam, me illud non mereri, adeoque injustum fore, si id postulare velim. Sed amoris affectus erga patriam, qui una cum homine nascens, pro ætatis incremento semper & ipse magis magisque invalescit, mecum natus est, nescio quo fato, statim ingens incredibilem in modum: ita ut credam, cum infans primum balbutire inciperem, me ante nomen urbis pronunciavisse, in qua lucem vidi primum, quam patris, cui ipsam debeo vitam. Ipse intendi etiam hunc insitum animi affectum: & adeo, si non valui patriæ commodis inservire, curavi tamen illa novisse, quibus ea poterat illustrari: typis editos auctores & monumenta manuscripta pervolvi, in quibus aliquam de ea notitiam me inventurum sperabam. Sed cum Laudam urbem usque adhuc suum non habuisse particularem Historicum, qua prærogativa tot gaudent aliæ, multum ipsa civitates inferiores, mihi doleret sane; ut ipse meo satisfacerem desiderio, variis ex scriptis illa selegi, quæcunque ad verum quam proxime accedere videbantur, atque ita hanc, si non perfectam Historiam, at saltem non interruptam composui narrationem. Atque eam cum communicavissem cum amico quodam, qui magna cum laude quasdam urbis nostræ rei gestas particulares in lucem emisit, ille nimio forsan affectu meam complectens ingenii tenuitatem, mihi persuasit, ut typis eam vulgarem. Nolim in tuam, benevole Lector, incurrere reprehensionem, quasi nimium promptus & facilis aliorum amicis auscultaverim exhortationibus. Sane enim certus esse potes, me eadem facilitate tuas amicas, queis erudiri percupio, admonitiones accepturum. Denique te illud, quod dici solet, in magnis voluisse sat est, *meminisse, & plurimum valere jubeo.*

NOS ACADEMIAE PATAVINAE REFORMATORES.



VM ex fide Reverendi Patris, Generalis Vicarii Patavini, cognoverimus, in libro, cui titulus Historia Laudæ urbis, *auctore Joanne Baptista Villanova, nihil contineri, quod sanctæ fidei Catholicæ adversetur; & item ex testimonio Secretarii nostri, nihil illi inesse Principibus adversum, aut quod contra bonos sit mores; typis eum publicari concedimus, ita ut leges observentur hoc in negotio receptæ, & duo ejus exemplaria in publicas Academias, Venetam & Patavinam, inferantur.*

Datum V. *Augusti* MDCLVII.

Lunardus Emus Reformator.

Zuannes Pesarus. K. Proc. Reformator.

FRANCISCVS VERDIZOTTVS Secret.

JOAN-

JOANNIS BAPTISTAE VILLANOVAE,

NOBILIS LAVDENSIS,

LAVDIS POMPEIAE,

SIVE

LAVDAE (nunc LODI) Vrbis HISTORIA.

LIBER PRIMVS.

AVS POMPEIA, sive LAVDA urbs, cujus historiam describere est animus, adeo est antiqua, ut Scriptores ad investigandam ejus originem à temporibus admodum remotis ejus initia repetant. Ex variis de ejus ortu opinionibus maxime recepta hæc est, eam à Gallis Bojis fuisse conditam, qui, ut Titus Livius *lib.* v. scribit, in Italiam hoc modo transcenderunt. Tarquinio Prisco Romæ regnante Ambigatus, qui tertiam Galliæ partem imperio tenebat, quam populi, *Celtarum* nomine dicti, incolebant, ipse gravis annis regnum suum exonerare constituit superflua hominum multitudine, qui in tantum numerum excreverant, ut patriæ sedes capere illos commode nequirent amplius. Duos itaque sororis filios, quorum alteri Belloveso, alteri Sigoveso nomen erat, magni animi roborisque juvenes, novas sibi sub alio cœlo sedes quæsitum ablegavit. Et ut resistere etiam, sicubi opus foret, possent illis, qui forte ipsorum incœptis vi obviam ire vellent, potestatem illis dedit, quantum vellent, abducendi secum ex sedibus avitis hominum numerum. Placuit juvenibus, suam utrique sorte assignari orbis partem, in quam ituri essent. Ita Sigoveso Sylva Hercynia, quæ in Germania est, Belloveso felicissima Italiæ regio obvenit. Atque huc ille Taurinis montibus, Alpibusque Juliis superatis, denique penetravit, innumeram secum trahens hominum multitudinem, Biturigum, Arvernorum, Senonum, Æduorum, Ambarrorum, Carnutorum, Aùlercorum. Contigit hoc anno Tarquinii Prisci regis primo & vicesimo, ut vult Bernardinus Corius *Historiæ Mediolanensis* P. I. qui incidit in annum ab Orbe condito quater millesimum sexcentesimum tertium, ex computatione Eusebii Cæsareensis in *Chronico.* Fama horum hospitum, qui recens in Italiam advenerant, cum ad Etruscos perlata esset, qui temporibus istis incolebant, aut potius imperio regebant illam regionem, quæ hodie *Longobardiæ* nomen tenet, hi ab novorum populorum incremento suopte imperio metuentes damnum armis sese ad Ticinum flumen opposuerunt Belloveso: sed post longum certamen fusi fuerunt & fugati. Cumque victores audivissent, istas esse populorum Insubrium terras, memores in Æduis quoque pagum esse, *Insubriam* nomine, & bonum inde capientes augurium, situ, quem maxime judicabant opportunum, novam condiderunt urbem, eamque MEDIOLANVM appellaverunt. Ille novæ expeditionis successus & Bellovesi fortuna mox alios è Gallia populos allexit, qui illo adjuvante & ipsi A paulo post per montes in Italiam transcenderunt, variisque consederunt in regionibus. Novissime omnium Alpes transierunt Boji, ad quos ortum LAVDIS POMPEIAE referunt Plinius, *Historiæ Nat.* lib. III. cap. XVII. Andreas Alciatus *Rerum Mediol.* lib. I. aliique celebres Auctores. Imo & ipsa civitas nostra iisdem suam adscribit originem, dum in quadam *Inscriptione*, facta Pompejo Straboni, quæ hodieque legitur in porticu basilicæ publicæ, ita dicit:

GN. POMPEIO STRAB. ROM. COS.
OB VRBEM A BOIIS OLIM CONDITAM
B NOBILITATE, AC AMPLITVDINE
CONSPICVAM
S. P. Q. R. DECR. IVRE LATINAE COLON.
AC PROPRIO NOMINE DECORATAM
LAVDENSES POMPEIANI
NOMINE, AC ORNAMENTIS
AVCTI
GRATI ANIMI MONVMENTVM
P.
ANNO DOMINI MDCXV.

Nihilominus arridet mihi Isidori Majani, Laudensis Physici, C sententia, qui in libro *De origine Laudæ veteris* autumat hanc urbem ab Etruscis seu Tuscis fuisse conditam, à Bojis autem instauratam. Quod si Scriptores illi, quos supra allegavimus, eam à Bojis conditam scripserunt, forte ejus instaurationem dicere voluerunt, cum nonnunquam hæc vocabula confundantur, ut pluribus locis bene observavit Leander Albertius in *Descriptione Italiæ*, & idem Majanus in *libro citato*, aliique. Et tanto magis illam probo sententiam, quia in antiquissimo quodam libro manuscripto Auctoris anonymi, in quo multa nostræ urbis monumenta continentur, illa esse condita dicitur DCCLII. ante nativitatem nostri Servatoris annis. Quod si non D legitur illic, à quo sit exstructa, omnino tamen temporum calculus aperte demonstrat, eam Tuscorum fuisse opus, qui ipso illo ævo Longobardiam tenebant, ut satis cum ratione plurimi testantur gravissimique Auctores. Hice igitur Boji, sive conditores, sive instauratores nostræ urbis, venerunt ex Gallia Lugdunensi, ut affirmat Plinius *Historiæ Nat.* lib. IV. cap. XVIII. & fuerunt in illa regione, ut alius quidam liber manuscriptus *De urbe Laude veteri* testatur, flos nobilitatis, ab eorumque nomine quidam volunt *Bojam* hanc urbem fuisse dictam. Alii *Alaudæ* nomen illi inditum volunt ab legione quadam eorundem Bojo-E rum, quæ Gallico sermone & ipsa appellata fuerit *Alauda.* Sed auctor libri manuscripti, quem supra citavimus, forte probabilius arbitratur, à laude, quam Bojorum populi ex militari virtute ge-

stisque eximiis sibi comparaverant, nomen *Laudis* ad ipsam eorum urbem fuisse derivatum.

Hanc itaque novam patriam tenuerunt hice populi summa cum potestate, & illis legibus, quas ipsis placuit sibi constituere, electo, qui cum imperio civitatem regeret, illo, quem præter ceteros dignum esse principatu censerent: usquedum Romani viribus suis non tantum Bojos, sed omnes adeo Gallos, qui in Italia dominabantur, oppresserunt, ut adeo alii alio digressi, meliorem sibi fortunam circumspicere cogerentur. Et Boji quidem, ut Ambrosius Calepinus in *Dictionario* docet, in illam Germaniæ partem concesserunt, quæ ab ipsorum nomine *Bojohemia*, & inde *Boëmia* dicta est: at pauci alii, qui remanserunt in Italia, imperio se Romanorum submiserunt. Arrisit Romanis patria nostra, civitasque Laudensis. Atque ita illa, non missis eo colonis aut novis habitatoribus, jure coloniæ Latinæ est donata, & instaurata à Cn. Pompejo Strabone Consule, à quo etiam *Pompeja* cognominata est. Post hunc Julius Cæsar Dictator Romana civitate Laudenses ornavit, eosque descripsit in tribu Papinia, & Ufentina, cujus rei indubitatam fidem faciunt antiquissimæ Inscriptiones: ut adeo nostri quoque cives sua haberent suffragia in creandis magistratibus, & ad dignitates illas atque honores adspirare possent, qui civibus Romanis patebant.

Occiso Julio Cæsare, Romanorum Imperatore, cum ad Octavianum Augustum rerum summa devenisset, anno ejus Imperii XLII. qui ex calculo Eusebii Cæsareensis in *Chronico* erat annus ab Orbe condito quinquies millesimus centesimus nonagesimus nonus, natus est Filius Dei, Jesus Christus, Servator noster, ex Maria Virgine.

Octaviano Augusto successit Tiberius, cujus imperii anno XVIII. crucifixus est Servator noster, cum innocentissimæ vitæ suæ annum ageret XXXIV. Tum Apostolis atque discipulis ejus per totum orbem sparsis, ut sacrosanctam & veram religionem Christianam prædicarent, antiquissima traditio est inter Laudenses, quæ confirmata est auctoritate sexti provincialis Concilii Mediolanensis *De diebus festis*, & item Francisci Bossi, Novariensis Episcopi, & in hac urbe Visitatoris Apostolici anno MDLXXXIV. *De festorum dierum cultu*, Laudenses prima accepisse Christianorum sacrorum lumina ex S. Barnabæ prædicationibus, qui illustris fuit nostri Servatoris Apostolus. Idem constanter asserunt Franciscus Scottus, *Itin. Ital.* P. I. Casparus Triffinus cap. I. *Actorum S. Savinæ*, Joannes Jacobus Gabianus *Laudiad.* lib. III. aliique. Deinde in sacra religione Christiana magis confirmati sunt Laudenses prædicationibus & miraculis Syri & Juventii, Sanctorum, ita ut tempore gravissimæ persequutionis, quam contra Christianos moverunt Diocletianus & Maximianus Imperatores, crudelissimi Servatoris nostri ejusque sectatorum hostes, illorum ad MCCCCLXXXVI. ut narrat Philippus Ferrarius in *Catalogo SS. Italiæ* XXIV. *Jul.* ob constantem ejusdem religionis confessionem gravissimum subierint supplicium, jussu Marciani præsidis cremati in templo, in quod cum Episcopo suo convenerant ad sacra officia obeunda. Princeps illustrium horum martyrum fuit miles quispiam, S. Julianus, (nam Episcopi nomen usque adhuc ignoratur) tum quia ille sermone suo plurimum animavit illos confessores Christi, tum quia superstes incendio una cum aliis aliquot, quos flammarum vis non consumpserat, fortiter jugulum gladio præbuit. Irrigatum horum martyrum sanguine templum Laudense, & adeo tanto magis gratia divina fœcundatum, aliis etiam temporibus istis protulit fructus pretiosissimos, cum illud juxta atque ecclesiam diligentissime sancti ejus Episcopi excolerent, & maxime S. Bassianus. Hic ex revelatione divina vocatus fuit ad sacrum hujus ecclesiæ regimen, cum, ut fugeret Sergii patris idololatræ, qui præfectus erat Syracusarum, persequutionem, S. Joannis Euangelistæ monitu Ravennam se recepisset. Quod ad reliqua attinet, devotum & curiosum lectorem remittimus ad Scriptores, qui prolixe sancti hujus Episcopi electionem, vitamque sanctissimam, ut & miracula ab ipso edita, exposuerunt.

Ceterum ab hoc tempore nihil apud Scriptores invenio, quod referri mereatur in hanc *Historiam*, quæ ad patriam solummodo nostram spectat, usque ad quintum à Christo seculum, quo illa subjecta fuit flagello, quod Deus multis etiam aliis Italiæ urbibus immisit. Nempe Attila, Hunnorum è Scythia rex, qui exercitum habebat, non minus truculentum aut barbarum quam ipse dux erat, Aquilegiam, Patavium, Vincentiam, Mediolanum, & Laudam destruxit anno partæ salutis CCCCLII. quo tempore Laudensium animas excolebat Cyriacus Episcopus, vir, tum ob vitæ sanctitatem, tum ob doctrinæ præstantiam maximus. Post multas strages editas Romam progressus est Attila, ut illam quoque communem patriam iisdem affligeret malis. Sed cum illi obviam processisset, ubi Mincius in Padum se exonerat, S. Leo, qui summus tunc temporis erat Pontifex, tantum valuit ille divina sua eloquentia, adjutus à S. Petro & Paulo Apostolis, ut Attilæ ferociam mitigaret, atque hic ab illo persuasus in Pannoniam regrederetur, quæ nunc Hungaria est, ubi anno CCCCLIV. in matrimonium ducta Indicone, seu Ildicone, nobilissima pulcherrimaque puella, cum in convivio nuptiali nimio hausto vino capite supinus dormiret, ipse suo sanguine misere suffocatus est, ex capite in fauces diffuso.

Post ejus mortem Herulorum & Thuringorum populi, qui una cum ipso fuerant in Italia, nunquam non memores ejus regionis deliciarum, adeo ferebant moleste se earum tam brevem percepisse voluptatem. Igitur Italiam repetere constituerunt, pristinis denuo fortunis frui gestientes, & creato sibi rege Odoacro, natione Rugo, sive, ut alii eum appellant, Russo, intraverunt eam anno CCCCLXXV. Romæ imperante Augustulo. Mox Aquilegia ad sinistram relicta, Tarvisium & Vincentiam petierunt: & per Veronensium Brixianorumque fines denique in Laudense pervenerunt territorium. Sed Augustulus Imperator, metuens, ne hice novi prædones pro sua barbarie solitas ederent strages, Orestem Patricium, patrem suum, illis justo cum exercitu opposuit. Hic cum ad hostem accessisset, collatis castris atrox prælium est commissum, quo cum victoria stetisset penes barbaros, Orestes fuga evasit in Ticinum, seu Papiam urbem. Scivit uti victoria Odoacer, & ad Ticinum progressus eam urbem occupavit, captumque Orestem, & Placentiam abductum, vitâ privavit, sic ut mortem tamen ejus cohonestaret, dum ipse cædis illius minister fuit toto inspectante exercitu suo, cui Papiam diripiendam diruendamque exposuit. Neque substitit heic fortuna Odoacri: nam totius Italiæ potitus imperio, spreto Imperatoris titulo, gloriosius duxit Romæ Italiæque rex salutari. Interim Augustulus sponte se imperio abdicavit, aut, ut alii volunt, ab Odoacro in Campaniam, seu *Terram laboris*, abductus est, & castello *Lucullano* inclusus anno CCCCLXXVI. quo tempore Laudensem ecclesiam regebat S. Titianus, natione Alemannus. Circiter annos quatuordecim regnavit in Italia Odoacer, semper inimicus nobilium familiarum, & maxime illarum, quæ Romanorum Imperatorum partibus faverant.

Hæ

Hæ igitur cum ab ipso aliisque suorum durius tractarentur, accidit, ut multæ illarum relictis patriis sedibus, alieno sub cœlo meliorem sibi fortunam quæsitum irent. Inter has Tressena, non præcipua solum inter Laudenses, sed inter omnes adeo Italiæ familias admodum conspicua, ut barbarorum dominorum vexationibus liberaretur, in Græciam remigravit, veterem patriam, unde, ut testatur Reverendus Pater, D. Casparus Trissinus, Vincentinus, *Actorum S. Savinæ* cap. I. in Italiam illa migraverat. Et in Græcia tam diu illa commorata est, donec una cum Belisario, Justiniani, Græci Imperatoris, Duce, Italiam & pristinas sedes repetiit.

Ceterum etsi neutiquam meum est institutum, origines referre nobilium patriæ nostræ familiarum, ut nec illos, qui eas præter ceteros illustraverunt, illud tamen non est prætermittendum, ex Tressena gente prodiisse S. Savinam, cujus matronæ nomen semper erit in hominum memoria ob insignem pietatem, qua ipsa prosequuta est Christianos, qui tempore persequutionis, ab Imperatore Maximiano motæ, religionis Christianæ veritatem suo sanguine confirmaverunt. Nam illorum corpora conquisivit illa diligentissime, & sepulturæ honore affecit, quanto maximo poterat. Inter hæc numerantur SS. Naboris & Felicis cadavera, qui suo ad *Silerum* amnem martyrio terras nostras consecraverunt: quæ Mediolanum secum abducta honeste condidit in templo Philippi de Oldanis, quod dedicatum fuit Servatori orbis. Neque ab illis non uberrimam accepit remunerationem, cum ad illorum sepulcrum preces effundens, tranquille obiit, animamque Deo reddidit anno secundum Patrem Trissinum, in ejus *Vita*, CCCXI.

Gemebat Italia, ut nostræ orationis filum repetamus, sub jugo servitutis & Odoacri dominatione, cum Zeno, Orientis Imperator, ad eam sublevandam Theodoricum Amalam eo, Gothorum regem, misit, eique regnum Italiæ concessit anno CCCCLXXXIX. Sed Theodoricus, bellicoso licet atque satis amplo exercitu secum adducto, protinus tamen Odoacrum debellare non potuit, quamvis eum vi armorum possessione cujusdam partis Italiæ exuisset. Denique autem victo eo atque occiso, quod accidit anno CCCCXCIII. Gothus ille sine exceptione, totum Italiæ regnum obtinuit. Atque hic novus rex cum multum delectaretur nostra urbe, teste Majano *De origine Laudæ veteris*, apprime studuit eam munire, & publica reficere opera, quæ diruerant Heruli. Et ut ea cum magnificentia, quæ magno regi convenit, nostræ frui posset deliciis urbis, sumptuosam in ea regiam exstruxit, quæ ab ipsius nomine *Theodorici Castellum* vulgo dicebatur; & mille extra urbem passibus munitam turrim erexit, sive castellum, in loco, cui *Salarani* nomen est.

Obtinuit Italiæ imperium Theodoricus ad annum usque DXXVI. & cum nulla relicta prole mascula vita functus esset, post varios multosque reges denique ad Vitigem illud pervenit. Hic cum Italiam tyrannico imperio regeret, Justinianus, Orientis Imperator, Belisarium, belli Ducem eximium, contra illum misit, qui post varios belli casus captum Vitigem abduxit Byzantium. Tum per aliquod tempus Mediolanum aliæque vicinæ civitates paruerunt Imperatoris Justiniani præfectis, qui cum intolerandum in modum vexarent populos, eo necessitatis illos adegerunt, ut denuo se regno submitterent Gothorum, qui post Belisarii ex Italia abitum regem sibi constituerant Ildoaldum, post hunc Araricum, tum Totilam, & deinceps Teiam, quorum hi duo insignes erant belli Duces. His Justinianus Imperator Narsetem eunuchum cum exercitu opposuit, celeberrimum fortissimumque bellatorem, qui primo Totilam, nec multo post Tejam, duobus præliis ingentibus superatos occidit, atque ita anno DLIII. imperium & nomen in Italia Gothorum funditus exstinxit.

A

Pro egregia hac opera, quam Imperatori suo navaverat, Italiæ regimen obtinuit ad annum usque DLXVI. quo tempore Justinus, qui Justiniano successerat, cum Sophiæ uxoris impulsu, quæ apud maritum omnia poterat, Constantinopolim revocavit, & in ejus locum Longinum substituit cum *Exarchi* titulo, quæ vox primum & summum magistratum denotabat. Dolebat Narseti, quod amœnam Italiæ regionem relinquere, & locum dare deberet successori, æmuloque fortasse suo: sed multo magis exacerbavit ejus animum Augusta, quæ contra eum inexpiabile conceperat odium, cum per literas illi significaret, se eum in aula exspectare, ubi ipsi hoc munus destinavisset, ut lanam exercendam dispensaret inter vilissimas aulæ famulas: nam hoc personæ ejus, quandoquidem ipse eunuchus esset, apprime convenire dicebat. Sed ille Sophiæ ingeniose respondit, eique significavit, se, quandoquidem ab Augusta judicatus esset idoneus ad istud exercitium, ocyus illi ejusmodi telam orsurum, quam ipsa per totam vitam retexere nunquam posset. Nec dicta res morata. Nam ille neglecto in Orientem atque aulam reditu Neapolim se contulit, ubi plurimos habebat sibi faventes atque addictos, & inde ad Alboinum, Longobardorum in Hungaria regem, legatos misit, eumque invitavit, ut horridam istam atque infœcundam regionem cum deliciis amœnissimi fertilissimique Italiæ soli commutaret. Et ut rebus ipsis comprobaret, quod verbis illi offerebat, magnam illi copiam præstantissimarum pretiosissimarumque rerum misit, propter quas hæc regio super omnes alias est expetenda. His allectus Alboinus, postrid. Cal. Apr. anni secundum Paulum Diaconum, *De gestis Longobardorum* lib. II. cap. VII. quingentesimi sexagesimi octavi excessit ex Hungaria, ubi duo & quadraginta annos egerat, & in hasce terras movit cum amplissimo Longobardorum suorum exercitu, qui insuper auctus erat viginti Saxonum millibus, comitantibus agmen uxoribus, liberis, ac re familiari.

B

C

D

Et quoniam hæc gens diu magnam Italiæ partem in potestate habuit, non alienum ab instituto nostro arbitror, illud indicare, Longobardos, ut idem scribit Paulus Diaconus *De gestis Longobard.* lib. I. cap. VII. primum ex Scandia, seu Scandinavia insula, cum majorem in numerum excrevissent, sedesque tenere cuperent ampliores, prodiisse auspiciis ductuque Iboris atque Aionis, qui fratres erant germani; & postquam diversas regiones pervaserant, atque armis plus semel fortitudinis suæ ediderant documenta, denique in Hungariam, & inde sub Alboino, decimo rege suo, in Italiam, ut diximus, concessisse. Qui plura cupit, apud citatum Scriptorem prolixe legere poterit de origine, progressibus, moribus, habitu, & adeo de omnibus aliis rebus, quæ ad hosce populos pertinent, qui *Longobardi* vulgo dicuntur à longis barbis, quas promittebant.

E

Alboinus itaque cum suis per Liburniam ingressus Forojuliensem ditionem, cum eam occupavisset, & ad regimen regionis illius admovisset Gisulphum cognatum suum, ipse per Tarvisianorum fines perrexit ulterius. Et tum quidem nihil omnino curavit ista expugnare loca, quæ munitionibus firmaverat Longinus Exarchus, qui Ravennæ sedem habebat, cuique non satis aut animi, aut virium erat ad resistendum tanto hostium ingruenti numero, maxime quia multum hominum ex pestilentia perierat, quæ paulo ante totam fere Italiam misere afflixerat. Ita Longobardi in eam denique

F

 nique

nique regionem pervaserunt, cui *Longobardiæ* nomen ipsi fecerunt, & anno DLXX. Brixiam, Bergomum, Mediolanum, Comum, nostramque Laudam ceperunt urbes. Multo difficiliorem expertus est Alboinus Ticini seu Papiæ expugnationem, quæ inter præcipuas erat urbes, quas Longinus Exarchus firmioribus instruxerat munitionibus. Nihilominus ad ultimum post triennii obsidionem & ipsa in victoris concessit potestatem. Sed & hice domini novi non minus graves aut odiosi fuerunt populis Italiæ, quam Gothi fuerant. Atque hinc jam factum est, ut plurimi homines, quo illorum sese vexationibus eriperent, & suarum rerum possent esse securi, cum facultatibus suis in loca quædam palustria & aquis undique cincta se conferrent, ad quæ, nisi navigiorum præsidio, penetrari non posset. Inter hos multi Laudenses fuerunt & Cremonenses, qui inter quosdam lacus, quos Addua, Ollius, & Serius amnes formabant, cum se primum communivissent, & mox opportuna exstruxissent domicilia; eodem anno DLXX. ut Alemanius Finus in *Historia Cremæ urbis* lib. I. Carolus Sigonius *De regno Italiæ* lib. I. aliique asserunt, novæ urbi dederunt initia, quam CREMAM esse dictam volunt à Creme quodam, sive Cremete, qui ipsorum quasi Dux & caput fuerit. Et cum exsiccatis deinde, quæ eam undique obsidebant, paludibus solum factum fuisset firmum ac habitabile, adeo crevit illa, ut fuerit, & hodieque sit satis opulenta & incolis frequens urbs.

Sed dum Itali securitatem suam in nova urbe & alibi locorum quærunt, Alboinus eam in ipsa domo sua non reperit. Cum enim in Verona urbe solenni quodam convivio Rosimundam uxorem bibere coëgisset ex poculo, quod confectum erat ex Cunimundi regis cranio, quem ipsius Rosimundæ patrem ille prælio victum occiderat; regina tanta in virum exarsit ira, ut muliebribus artibus Perideum quendam ad interimendum Alboinum perduceret. Post hujus necem Longobardi, habito Papiæ concilio, quam urbem caput esse regni sui voluerant, regem sibi Clepham constituerunt, suæ gentis virum nobilissimum, qui octodecim post mensibus manu cujusdam familiaris sui regnum simul cum vita amisit. Ex barbaris & feris hujus Clephæ moribus factum est, ut Itali, & ipsi etiam Longobardi, adeo abhorrerent nomen regium, ut hi in urbibus aliisque locis præcipuis præfectos constituere Ducum titulo decreverint. Inter urbes, quas novis Ducibus assignaverant Longobardi pro sedibus, à Scriptoribus nostra quoque Lauda numeratur. Verum, sive nova hæc regiminis forma successu caruerit, sive aliis de causis, certe post decennium, ut affirmat Paulus Diaconus *De gestis Longobardorum* lib. III. cap. XVI. rerum summam denuo regum imperio subjecerunt, & anno DLXXXV. Autharem, Clephæ filium & egregium juvenem, regem sibi creaverunt. Post Autharem multi alii reges fuerunt, sub quibus nihil quicquam memorabile accidit, quod ad nostrum facere possit institutum. Denique cum hæc gens in Italia regnavisset ducentos & sex annos, anno DCCLXXIV. Desiderius, rex Longobardorum ultimus, debellatus captusque est à Carolo Magno, Franciæ rege, quem in Italiam evocaverat Hadrianus Pontifex, ut insolentiam comprimeret istius Longobardi, qui ipsi etiam ecclesiæ Dei multas urbes & castella ademerat. Igitur Leo III. Pontifex Carolum solenniter renunciavit Occidentis Imperatorem, & regnum Longobardorum, quod ipse armis occupaverat, ad ipsum ejusque successores transtulit. Sed Imperio deinde ad Germanos delato Itali, & maxime Longobardiæ populi, cum illorum non ferrent dominationem, per annos aliquot sibi reges creaverunt Berengarios, Hugonem, Lotharium, Albertum, & Ardoinum, qui cum Imperatoribus plurima habuerunt certamina. Et quia apud Scriptores, qui illa exponunt, nihil invenio memoria dignum, quod ad nostrum pertineat argumentum, ad eosdem Auctores remittimus lectorem, qui de illis cognoscere cupit.

Deinde cum ad Imperii fastigium Conradus, Dux Franconiæ, sive, ut alii dicunt, Saxoniæ, evectus esset ab Electoribus, à Gregorio V. Pontifice confirmatus, penes quos hodieque est dignitas Electoralis, Heribertus ab Intimiano, Archiepiscopus Mediolanensis, ex antiquo jure decessorum suorum *Roncalliam* concilium multorum episcoporum principumque convocavit, in quo multis actum fuit de producendo ad Italiæ regnum illustri quodam viro, qui cum auctoritate sustinere posset adeo magnificum sceptrum. Sed cum per sententiarum varietatem nihil constitui hac de re posset, Heribertus in Germaniam transiit, & privata auctoritate sua novum Cæsarem Conradum salutavit Italiæ regem. Atque huic adeo fuit gratum istud Mediolanensis episcopi factum, ut, cum antea decessores Heriberti consecrarent solummodo episcopos Laudenses, Imperator singulari privilegio hoc ipsi juris addiderit, ut iisdem dare quoque posset annulum & baculum pastorale, ut accurate narrat Sigonius *De regno Italiæ* lib. VIII. Rediit in Italiam Heribertus, & cum anno partæ salutis MXXV. obiisset Nucerius, episcopus Laudensis, ille, qui à Conrado hoc se juris obtinuisse asserebat, ut episcopos nostros non ornare tantum pontificalibus insignibus, sed & ipse eligere pro arbitrio posset, misit ad nos Ambrosium Arlunum, patria Mediolanensem, & ejusdem ecclesiæ Canonicum, ut vocant, ordinarium, ut nostri secundum electionem ab ipso factam, pro pastore suo cum reciperent. Sed quoniam hæc postulata contra inveteratam illam consuetudinem pugnabant, qua nostri cives suos ipsi soliti erant episcopos eligere, fortiter illi sese Heriberto opposuerunt, & Ambrosium coëgerunt ad suum reverti Archiepiscopum, qui hanc ob rem vehementer exacerbatus, per vim sibi vindicare, quod pactionibus consequi non potuerat, constituit. Et quia temporibus istis in rebus etiam civilibus Archiepiscoporum Mediolanensium summa erat auctoritas in ista magna urbe metropoli, ita tamen, ut una eam obtinerent duodecim alii nobiles, qui *Consules* dicebantur, narrante Carolo Sigonio *De regno Italiæ* lib. VII. in proclivi illi fuit validum colligere exercitum: quem cum ad mœnia nostra admovisset, neque nostri tantis viribus possent resistere, cedere potentiæ adversarii, & eundem Ambrosium episcopum admittere visum fuit. Hoc amplius jusjurandum fidelitatis ab Laudensibus obtinuit Heribertus, quanquam illi satis probaverunt, se omnia hæc fecisse vi & necessitate coactos. Deinde enim, ut ex sequentibus apparebit, cives Laudenses perpetuos se & capitales Mediolanensium hostes sunt professi. Sed ad altiora etiam adspiravit Archiepiscopus Heribertus, & à Mediolanensium ducibus ac præfectis castellorum portarumque (*Valvassores* vulgo dicuntur) idem jusjurandum fidelitatis & homagii postulavit. Verum illi non tantum illi obedire sunt dedignati, sed etiam ipsius nece liberare se ab ejusdem insolentia constituerunt. Sed hoc consilium cum exsequi non possent, eorumque molitiones detectæ essent ab Archiepiscopo, hic eos feudis, dignitatibus, & nobilitate spoliatos patria expulit. Tum novis præfectis ac ducibus constitutis, quibus portas Mediolani tuendas demandavit, multos conduxit milites extraneos, eosque cum suis copiis conjunxit, imperio totius exercitus ad Eliprandum Vicontium delato, magnæ auctoritatis virum, & rei militaris peritissimum. Mediolanen-

nenses exsules cum ad nostram se urbem recepissent, benignissime à nostris sunt accepti, cum hi eorum opera posse ultionem exigere ab Heriberto & Mediolanensibus sperarent. Igitur illis subministraverunt, quæ opus erant ad exstruendum castellum inter Laudem Pompejam & Mediolanum, quod MOTTÆ nomine dictum fuit. Huc illi habitatum migraverunt, &, quia nobilitate jam spoliati erant, ut diximus, ut se à vulgo tamen segregarent, quod nomen nimis est odiosum honesto loco natis, *Mottenses* se dixerunt. His itaque cum se fœdere inito adjunxissent nostri, ut & *Seprianis* & *Martesanis*, qui & ipsi veteres erant Heriberti hostes, utrinque multæ contigerunt & atroces pugnæ. Harum una infeliciter occisus est Oldericus, quem nostri episcopum elegerant & opposuerant Ambrosio, quem ipsis dederat, ut diximus, Heribertus Archiepiscopus.

Hic bellator Archiepiscopus primus invenit *Carrocium*, cujus frequentem faciunt mentionem horum temporum Scriptores. Erat hoc ingens vehiculum, cui solium insistebat, rubro panno contectum. Ex hoc iterum magnus insurgebat malus, qui à multis hominibus, qui circa erant, ita sustinebatur, ut recta semper emineret. In summo malo crux aurea conspiciebatur, infra quam vexillum album rubra cruce intexta emicabat. Trahebant hanc machinam quatuor boum paria, qui & ipsi à parte dextra rubris, à sinistra albis integumentis operti erant. Præsto erat ad regimen *Carrocii* vir illustris, & in armis exercitus, qui ad hoc munus obeundum electus erat à Republica: ejusque imperio certus militum numerus & octo tubicines erant addicti. Præterea sacerdos quidam ad hoc delegatus erat, ut quotidie sacram *Missam* ante *Carrocium* celebraret. Potissimum autem hunc in finem Heribertus hoc inventum commentus est, ut milites isto consilio à fuga inhiberet. Nam cum tarde moveretur hæc machina, magnumque dedecus esset eam in hostium potestate relinquere, & pro eodem haberetur *Carrocium* amittere, & prælio inferiorem esse, milites obstinatius pugnaturi videbantur.

Cum hac itaque machina magnoque cum exercitu Heribertus profectus est contra Laudenses, & Mottenses, aliosque eorum socios, spe eos debellandi. Sed fefellit eum opinio, & post varias pugnas pugnatas denique ingenti prælio, quod commissum est in loco, qui dicebatur *Campus Malus*, referente Sigonio *De regno Italiæ* lib. VIII. ita male habiti sunt & prostrati Mediolanenses, ut, cum ne quidem sufficeret illis animus sociorum viribus resistere, nedum illos opprimere, ut putaverant; Heribertus ad Imperatorem Conradum sese receperit, qui motus ejus precibus in Italiam perrexit anno MXXXVII. & suis Archiepiscopique viribus conjunctis fudit fugavitque Mottenses, eorumque socios. Sed deinde Imperator, cum tollere vellet novarum contentionum inter Laudenses & Mediolanenses occasionem, Heriberto non competere privilegium istud pronunciavit, ut episcopum in urbe nostra constituere posset, quæ præcipua omnium turbarum fuerat causa. Ægerrime hoc tulit non Heribertus solum, sed ipsa adeo Respublica Mediolanensis. Atque inde inter eam & Conradum deinceps atrocissima bella sunt orta, quorum casus referre lubens prætereo, quia nihil ad nostram pertinent historiam. Denique in Germaniam regressus est ille Imperator, ubi vitæ finem fecit anno MXXXIX. quo, ut scribit Bardus *Chronologiæ* suæ Parte IV. nocte quadam in urbe nostra auditi sunt ingentes terribilesque per aërem clamores. Arnulphus, Scriptor Mediolanensis, qui non multo post hæc tempora vixit, in libro quodam manuscripto narrat, inter Mediolanenses & Laudenses, indies factos invicem sibi inimiciores, tot hostilia bellorumque certamina contigisse, ut, qui ea describere cuncta vellet, multorum voluminum, ut ipsius verbis utar, contexturus esset historiam. Sed cum earum rerum narrationem neque apud Arnulphum, neque apud alios Scriptores inveniam, neque ego meis lectoribus benevolis illas exponere possum. Bardus quoque *libro citato* mentionem facit, nescio cujus belli, anno MCIV. inter cives nostros & Cremenses gesti, quo de nihil tamen scriptum reperio apud alios Auctores.

Floruit his temporibus celeberrima sanctitatis eximiæ fama Joannes, nobilis Laudensis, quem Ugellius, *Italiæ sacræ T.* I. *De Episcopis Eugubinis*, Grammaticum appellat. Hic cum omnibus se negotiis subduxisset, quæ in itinere, quod accelerare studebat, ad perfectionem Christianam morari ipsum possent, exiguum sibi, sed sanctissimum exstruxit sacellum, ut majore copia divina frui gratia & favore posset. Deinde autem cum de Petri Damiani Sanctitate audivisset, qui postquam raro continentiæ exemplo Cardinalem renunciaverat dignitatem, & monasterium condiderat in loco, cui nomen *Fons Avellanæ*, in *Eugubino* territorio; exemplo suo doctrinaque magnum monachorum numerum ad summam veræ virtutis metam ducebat, Joannes noster & ipse relicta patria ad Petrum Damianum profectus est, & in ejus disciplinam receptus. Hic brevi tantos fecit progressus, ut sanctus ille magister ad sacerdotalem dignitatem evectum adeo judicaverit in virtute perfectum, ut magna ex parte cum illo sacrum hunc locum regendum communicaret, cujus post Damiani mortem ipse etiam præses, seu *Prior Generalis*, ut vocant, est factus. In hoc munere obeundo tanta virtutum ejus enituit excellentia & splendor, ut ejus vitæ enarratio, quam concinnavit reverendus Pater, Silvanus Racius in *Vitis Sanctorum & Beatorum Camaldolensium*, non minus admirationem lectoribus, quam religionem incutiat. Deinde episcopatu Eugubino vacante cum de novo episcopo non conveniret illis, qui ejus eligendi potestatem habebant, ab Joanne Cardinale, qui Paschalis II. Pontificis nomine hanc diœcesin cummaxime visitabat, ad multiplices clericorum populique preces ex monasterio, seu potius eremo, protractus est Joannes noster. Inde cum nihil proficeret submissa, licet admodum pertinaci recusatione, in sede episcopali illius ecclesiæ est collocatus, & ipsius summi Pontificis manu consecratus. Hanc cum per unum solummodo annum rexisset, & brevi illo tempore verissimum reliquisset omnibus numeris absoluti pastoris sacri exemplar, denique ejus anima benedicta anno MCVI. a. d. VII. Id. Sept. in cœlum evolavit, ut ibi meritorum suorum frueretur præmiis. Post mortem vero cum ejus sanctimonia illustraretur à Deo miraculis clarissimis, sicut, dum viveret, admirabilis fuerat ob singularem virtutem, ab eodem Christi Vicario in numerum Sanctorum est relatus. Mentionem ejus faciunt Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italiæ* ad diem 7. Septembris, Ludovicus Jacobillus in *Vitis Sanctorum & Beatorum Umbriæ*, aliique. Mortuum vero acerbe luxit populus: & cadaver, quod hodieque servatur incorruptum, honorifice conditum est in cathedrali templo Eugubino, hoc addito epitaphio:

D. O. M.
D. IOANNI LAUDENSI EUGUBINAE ECCLESIAE
PONTIFICI, QUI OB VERAM, INVICTAMQUE
PIETATEM, ET SPLENDIDISSIMAS ANIMI SUI
DOTES AN. CHRISTI MCVI. IMMORTALITATE DONATUR AETATIS SUAE
ANNO LXXX.

Sed

Sed ut redeamus ad nostrarum rerum narrationem, cum anno insequenti, id est, MCVII. inimicitiæ essent ortæ inter Papienses atque Dertonenses, & hi valida auxilia petiissent & impetravissent etiam à Mediolanensibus, Papienses se quoque confirmaverunt, inito cum nostra civitate fœdere. Atque illa tantum iis subsidii misit, ut, cum ad manus ventum esset, fusis fugatisque Dertonensibus, urbem eorum arcta obsidione Papienses clauderent, & plus semel repulsis auxiliaribus copiis, quas Mediolanenses ad liberandos obsessos emiserant, incensisque mense Augusto Dertonæ suburbiis, domum redirent. Non multo post, nimirum ex sententia Sigonii, *De regno Italiæ* lib. x. anno MCIX. nostri à Cremonensibus fuerunt novis bellis impliciti. Hi enim cum Brixianis contendentes de finibus, cum non alia via consequi postulata sua possent, quam vi armorum, belli societate nobiscum inita, & Ollio amne superato, conjunctis copiis, Brixianorum fines ingressi sunt. Hos late depopulati ipsam urbem obsidione cinxerunt, &, ut nonnulli volunt, etiam occupaverunt. Sed breve illis hoc fuit gaudium. Nam Mediolanenses cum venissent auxilio Brixianis, Cremonenses nostrique, quæ occupaverant, relinquere, & hostium subita impressione facta recedere coacti sunt. Cum igitur in receptu salutem sibi quærentes ad Ollii amnis ripam pervenissent, tanta illorum strages edita est, ut testante Corio in *Historia Mediolanensi* P. I. amnis ille deformaretur cæsorum sanguine. Ceterum exinde Brixiani gravissimum conceperunt odium contra Laudenses, & sociis Mediolanensibus adeo nostræ urbi supervenerunt ex improviso, ut eam defensoribus nudatam facile in potestatem redigerent prid. Non. Jun. ejusdem anni MCIX. Sed nequaquam ingrati Cremonenses, cum satis scirent, Laudenses non sua, sed ipsorum causa tantam pati calamitatem, ita nostros adjuverunt, ut mox urbem hostium manibus iterum eriperent. Tum vero Cremonenses, quia nostris succurrerant, novis multantur malis à Mediolanensibus, qui una cum Brixianis & Dertonensibus crudelem in modum eorum patriam laceraverunt. Omnia enim, quæ in agris erant, cum prorsus devastavissent, vi in ipsam Cremonam urbem perruperunt, & diversis in locis igne injecto magnam ejus partem cremaverunt a. d. IV. Id. Aug. ejusdem anni.

His in Longobardia turbis motus Imperator Henricus IV. ex Germania in Italiam venit, & *Roncaliæ* conventum habuit, cui interfuerunt præcipuarum in Longobardia urbium Oratores, ut cum ipsis ageret de modo, quo tandem aliquando sopiri & exstingui possent bella illa, quæ illi regioni ultimum videbantur exitium allatura. Heic Joannes Mostus in *Chronico Laudensi*, quod hodieque manuscriptum servatur Mediolani in bibliotheca Ambrosiana, gravissimas narrat fuisse contentiones ortas inter nostros & Mediolanensium Legatos levissima de causa, id est, quod Mediolanensium famulus quidam male multaverat nostrum quendam ex plebe hominem, cumque hominum utrinque concursu facto ad manus ventum esset, nostri male accepti erant, & leviter vulnerati. Hoc vero cum nostri Oratores vidissent, adeo sunt exacerbati, ut protinus conscensis equis subito Laudam pergerent, & cum exposuissent populo, quod gestum erat, injuriamque à Mediolanensibus acceptam amplius justo exaggeravissent, plebis animos orationis vehementia ita concitaverunt, ut hæc modis omnibus vindicandam esse armis injuriam succlamaret isti privato factam, in cujus persona dicebant violatam esse Reipublicæ dignitatem, cujus anxios admodum custodes se nostri semper probaverunt. Mediolanensium Legati cum nostrorum animos adeo esse exacerbatos cognovissent, vene-

A runt & ipsi Laudam, populique mitigare iram studuerunt, non esse æquum monentes, ob levem adeo & privatam causam turbare publicam pacem, & utramque civitatem novis bellorum calamitatibus exponere. Sed surdi ad has aliasque Mediolanensium rationes nostri, ocyus illos finibus suis expulerunt parum honeste, addita etiam verborum contumelia. Hoc cum displiceret nobilitati, Oldradus Tressenus, qui cum generis nobilitate civilis prudentiæ scientiam conjunxerat, validis & opportunis rationibus multitudinem placare molitus est. Sed cum illa effectu plane contrario adhuc ferocior intumesceret, ipse vinctus est duris compe-

B dibus & in carcerem conjectus, ædes ejus dirutæ, interempti etiam per summum nefas innocentes ejus liberi. Tum alii nobiles, qui subscribere nolebant tumultuario isti decreto populi, ex patria profugi Mediolanum se contulerunt. Hic cum per aliquod tempus perpessi essent incommoda illa, quæ comitari solent exsilium, solicitaverunt Mediolanenses, ut arma caperent ad vindicandam popularium suorum insolentiam, & nobiles in patriam restituendos: quod ipsis non admodum difficile factu fuit. Mox enim Cæsare per Alpes in Germaniam regresso, Mediolanenses tum ob causam, quam modo diximus, tum quod veterum cum Laudensibus

C contentionum adhuc memores erant, aut propter fœdus, quod nostri paulo ante cum Cremonensibus inierant, aut denique quod ipsi Longobardiæ regnum affectantes consiliis suis opportunum esse judicabant, primum nostram sibi patriam subjicere; omnia illa, quam poterant occultissime, præparaverunt, quæ opus sunt ad urbem occupandam. Tum mense Majo anni MCXI. cum sociorum suorum copiis conjuncti, adeo ex improviso nostræ supervenerunt urbi, adeoque illam arcta obsidione clauserunt, ut in eam sociorum subsidia penetrare non possent, cum ipsa peræque à militibus, quam ab annona prorsus esset imparata. Atque ita cives

D infortunati, ne fame perirent, adacti fuerunt urbem dedere hostibus Cal. Jul. ejusdem anni. Ita Sigonius *De regno Italiæ* lib. x. Laudam in potestatem Mediolanensium redactam refert. Sed Joannes Mostus in *Chronico Laudensi* manuscripto, quod, ut haud ita multo ante diximus, in bibliotheca Ambrosiana servatur, quam maximo studio sumptuque collegit Fridericus Borromæus Cardinalis, qui vivet in æternum gloria, multo aliter multoque disertius exponit res inter Mediolanenses & Laudenses gestas, quæ in horum desierunt exitium.

Secundum ejus igitur narrationem Mediolanenses cum copiis suis Laudensium fines ingressi ad Si-

E lerum amnem castra posuerunt, quibus cum fortiter sese objecissent nostri, prælium commissum est satis animose, & magna utrinque jactura. Sed cum hostes progressus istos, quos animo conceperant, frustra tentavissent, furore suo in ædificia, humilia juxta atque magnifica, quæ prope urbem nostram erant, effuso, abierunt & in fines suos se receperunt. Sed nostri cum non satis haberent forciter hostibus restitisse, publico etiam decreto bellum indixerunt Mediolanensibus, & belli ducem sibi sumpserunt Georgium Tinctorium, magnæ famæ virtutisque virum. Inde omnibus, qui arma ferre poterant, tam intra, quam extra urbem, ad

F signa evocatis, dum hostes eorum fines repetunt, ut denuo belli fortunam tentarent, & nostri velitationibus aliquot hostem tenent occupatum, interim Tinctorius ab altera parte hostibus iter intercludit. Ita factum, ut turbatis ordinibus in fugam darentur, relictis cæsorum millibus duobus, magnoque captivorum numero. Hæc fortuna tantum animi Laudensibus addidit, ut postero die cum omnibus copiis Mediolanensium fines ingrederentur. Ibi cum multis ab urbe passuum millibus ad ho-

hostem accessissent, qui victoribus obviam egressus erat, atrox prælium est commissum, quo utrinque ad duo millia militum perierunt, mille sauciati sunt. Sed cum victoria penes Laudenses stetisset, animose hi intra sua mœnia hostem compulerunt, & ad urbem castris admotis cum à Papiensibus & Cremonensibus petiissent impetravissentque auxilium, viginti millium habebant exercitum. Hinc imperatori Laudensi in proclivi fuit totum deprædari Mediolanensem agrum, in quo ita tamen moderate, ut Auctor ille dicit, & humaniter sese gessit, ut neminem lædi magnopere permiserit, ut ipsi etiam homines illi, qui in urbem refugerunt, constanter testati sunt. Egressi sunt ex porta Ticinensi Mediolanenses, ut obsidentes magna eruptione invaderent, sed nostrorum virtute intra urbis munimenta protinus se recipere compulsi sunt. Ad hanc capiendam Tinctorius inter portam Ticinensem & Romanam castellum exstruxit, & complanata hostili fossa, cum murorum quoque partem disjecisset, vi in urbem perrupit, & ad templum usque S. Euphemiæ pervasit. Hic cum superare non posset munitissima propugnacula, quæ exstructa ibi erant, antequam tamen à Mediolano recederet, ædem istic locorum tropæi loco voluit erigi, titulo *S. Petri in campo Laudensi* insignem.

Sed deinde Mediolanenses, adeo graviter à nostris percussi, quod vi non poterant, consilio assequi constituerunt. Igitur per clandestinas consultationes Gothardum Abbonem in suas partes pertraxerunt, qui consilii conscios fecit, sociosque sibi assumpsit Bernardum Saccum & Hubertum Aciarum. Hisce tribus, qui ex principibus apud Laudenses viris erant, cum magnifica fecissent promissa Mediolanenses, convenit, ut in horum potestatem Lauda traderetur. Proditio cœpta est in templo, S. Michaëli dedicato, & perfecta die Dominico ad hunc modum. Per fraudem occiso Alderico, arcis apud Laudenses præfecto, conjurati occupato castello, & acceptis in eam aliquot militibus Mediolanensibus, qui eo loci se contulerant ex constituto, haud difficile postea fuit, omnibus mox hostium copiis supervenientibus totam urbem occupare. Sed hoc non possum, quin heic addam, Defendentem Lodum in *Dissertationibus historicis* Diss. VII. diligentissimum antiquitatum Laudensium investigatorem, etsi non omnino rejicit hanc narrationem, negare tamen trium illorum hominum, quos diximus, proditionem. Utut acciderit nostræ urbis occupatio, in eo consentiunt omnes omnino Historici, Mediolanenses, cum mœnia ejus essent ingressi, incolas sine ulla commiseratione rebus omnibus fuisse ab iis spoliatos, multos occisos, ædificia omnia, tam publica, quam privata, solo æquata, & ut uno verbo dicam, omnia barbarum in modum fuisse cremata atque desolata. Inter has ruinas omnium maximo damno fuit publici Archivi aliorumque privatorum monumentorum incendium: unde postea factum est, ut exiguam adeo notitiam habeamus antiquiorum patriæ nostræ rerum gestarum. Conati etiam sunt hostes pretiosissimis privare nos S. Bassiani, episcopi quondam nostri & Patroni, reliquiis, sed dum temerarias manus arcæ sacræ admovent, divino miraculo repulsi inde fuerunt, & humi strati. Etiam sanctus pastor cum ipsis se hostium oculis obtulisset, habitu episcopali summaque pulchritudine insignis, quod omnium animis magnam admirationem religionemque incussit; visus est, relicta tantum non cineribus suis sepulta patria, in vicinum se collem recipere, qui, ut nonnulli volunt, mons ille est, quem veteres *Egecionem* dixerunt, ubi hodie Lauda nova est. Hunc exitum habuit Laus Pompeja vetus, qua de huc usque diximus.

A Sita illa erat in planitie late patente, & firmissimis muris cincta, qui, ut Majanus vult *De origine Laudæ veteris*, jussu Pompeji Strabonis ornati fuerunt pinnis ex solido saxo elegantissimis, & mirabili artificio elaboratis. Præter hosce muros munita illa etiam erat ampla profundaque fossa, ut & affabre constructa arce, quæ omnibus istis propugnaculis instructa erat, quibus loca munita temporibus istis tantum non inexpugnabilia censebantur. Non destituta erat infelix patria superbis ædificiis, & vetustorum monumentorum ornamentis, quæ insculpta erant marmoribus præstantissimis, quorum plurima à victoribus alio fuerunt asportata. Ab Oriente illa Silero amne alluebatur, ab Occidente
B Lambrus fluvius non longe ab urbe profluebat, a quo Laudenses, ut nonnulli volunt, *Lambrani* fuerunt dicti. In proclivi nostris fuisset desolatam instaurare patriam, nisi victores Mediolanenses eos hoc incœpto prohibuissent: quare multi relicto solo patrio in varias Italiæ urbes commigraverunt, alii autem, qui pauci numero remanserunt, durissimis ab hoste legibus acceptis, sex suburbia seu castella prope dirutæ urbis suburbia condiderunt, in iisque consederunt. In horum uno, ut refert Otho Morena in *Historia rerum Laudensium tempore Friderici Ænobarbi Cæsaris*, quod dicebatur *sub-*
C *urbium Placentinum*, & omnium erat maximum, statum mercatum sive nundinas instituerunt, quas singulis diebus Martis celebrarent, ut & soliti fuerant in urbe facere. Ad has cum vicinorum locorum homines concurrerent, & in Laudensium diverterent domos, multum inde emolumenti ad hos redundabat. Sed cum ægre ferrent Mediolanenses, nostros paulatim & numero & opibus augeri, miseris hominibus illo mercatu interdixerunt, & eos in aperto incultoque campo illum habere coëgerunt. Atque ita Laudenses cum isto etiam subsidio nudati essent, multi eorum ad extremam inopiam sunt redacti.

D Cum ad hunc modum nostri homines languerent summis oppressi miseriis, interim anno MCLII. rex Romanorum electus est Fridericus, Sueviæ Dux, qui à barba comaque rubra *Barbarossæ* cognomen accepit, Scriptorum consensu Princeps sane egregius. Hic in urbem Constantiam totius Imperii concilium indixit, quo omnes fere præcipui Germaniæ Principes convenerunt. Ad hoc concurrebant omnes ex toto Imperio homines, injuste ab aliis oppressi, quorum causas ex justo & æquo confestim expediebat Cæsar. Hoc comperto duo Laudenses humili conditione, quorum alter, ut Otho Morena, scriptor Laudensis, *libro* paulo ante *cita-*
E *to* dicit, Albernardus Alamanus, alter Homobonus dicebatur, cum illo ipso tempore forte Constantiæ essent negotiorum causa, quæ ad ejus urbis episcopum pertinebant, & hanc esse opportunam occasionem judicarent ad querelas suas exponendas, seque liberandos ab injuriis, gravissimisque malis, quæ ipsi & omnes adeo Laudenses passi fuerant, & eummaxime patiebantur à Mediolanensibus, templum quoddam intraverunt, & cum ingentem uterque crucem humeris sustulisset, in Cæsaris aliorumque Principum, qui in concilio aderant, conspectum prodierunt, & nihil aliud, quam flentes ad Cæsaris se pedes prostraverunt ipso die
F sacrorum cinerum anni MCLIII. Motis admiratione Principibus istis ad ejusmodi spectaculum, cum Fridericus eos consurgere jussos interrogaret, quam ob causam ad istum modum se ipsi obtulissent, Albernardus, qui optime linguam Teutonicam callebat, in hunc modum respondit:

Sacratissime rex & domine, miseri nos cives Laudenses Deo tibique nostras de Mediolanensibus querelas exponimus. Hi injuste patria nos expulerunt, majores nostros, ne quidem sexui imbecillo parcen-

 tes,

tes, bonis spoliaverunt, fortissimos optimosque nostrorum interemerunt, ipsam urbem diruerunt, & paucos istos, qui mortem effugerant, gravissimo jurejurando obstrinxerunt, se non amplius in urbe ejusve suburbiis habitaturos. Hinc alii extorres per diversas orbis partes vagantur, alii, qui patriis in finibus remanserunt, alia sex exstruxerunt suburbia priscis vicina, & in eorum uno, quod dicitur suburbium Placentinum, pristinas instituerunt nundinas, quas singulis diebus Martis soliti fuerant in urbe diruta celebrare. Ad has cum multi homines ex vicinis terris convenirent, & in Laudensium domos diverterent, multum his lucri atque utilitatis illi afferebant. Hoc invidis oculis videntes Mediolanenses, cum moleste ferrent, nos paulatim à pristinis resurgere calamitatibus, & metuerent, ne patria nostra forte pristinum recuperaret splendorem, denuo nos prohibuerunt celebrem istum & lucrosum mercatum in prædicto habere suburbio, nosque cogunt eum in desolato campo habere. Ob hanc vero incommoditatem cum eo non conveniant solito numero populi vicini, nos, servi tui, omni privamur emolumento subsidioque: unde plurimi infelicium Laudensium ad extremam deplorandamque calamitatem rediguntur. Quare majestatem tuam, rex sacratissime, Vosque, Principes ceteri, supplices oramus; vos quidem, ut pro nobis apud regem intercedatis; te vero, rex sacratissime, ut populo Mediolanensi per literas & legatum imperare digneris, ut pristinum mercatum nobis restituant, nosque sinant eum habere in loco consueto.

Qui in concilio aderant, non sine commiseratione Albernardi sermonem audierunt, & omnium animis ad miseros Laudenses sublevandos inclinatis, constitutum est, ut Cæsar Mediolanum mitteret Sicherium, illustrem virum, cum edicto Imperatorio, quo Mediolanenses jubebantur nostris veterem mercatum restituere secundum petitionem duorum istorum Laudensium. Hi lætantes de gratia impetrata, protinus quam velocissime domum perrexerunt, ut cum oppressis Laudensibus communicarent, quod à clementia Cæsaris erant consequuti. Sed hoc cum intellexissent Consules aliique viri sapientes, cum hinc non omnino crederent illorum verbis, inde metuerent, ne, si hoc publicaretur, Mediolanenses irritati crudelius adhuc secum agerent, sub capitis pœna Albernardo & Homobono interdixerunt cum quoquam ista de re colloqui. Deinde in Longobardiam Sicherius ille cum regiis literis advenit, & cum ad suburbia se contulisset, in quibus nostri agebant, in publico conventu Consulum & Sapientum Cæsarem optime erga nos affectum esse, nobisque sublevandis studere, exposuit, seque propterea ab eo missum ad Mediolanenses cum literis ac mandatis, eam in rem opportunis. Sed Laudenses, cum hinc illa Cæsaris ingenti clementia confusi essent, inde metuerent, ne literæ ejus effectum sortirentur plane contrarium ejus erga nos benevolentiæ, Sicherium admonuerunt, duos istos homines, qui ad Imperatorem supplices accesserant, fecisse id suopte consilio & arbitrio, nullo mandato publico interveniente. Satis enim manifestum esse dicebant, se, ut qui sine armis, sine muris, aut munimentis essent, semper expositos esse Mediolanensium, hostium suorum, libidini: qui hoc duntaxat comperto, Laudenses cogitare de sua à præsentibus calamitatibus & miseriis liberatione, eos funditus oppressuri exstincturique essent. Orabant igitur legatum, ut ad Cæsarem regrederetur, atque ipsis literas ejus redderet, si forte sibi prodesse quandoque possent, aut Cæsare in Italiam transgresso, aut alia occasione opportuniore. Denique æternum se Friderico obstrictos testabantur ob ejus incomparabilem erga se benignitatem.

Sed nihil valuerunt hæce Laudensium preces. Dicebat enim, se non posse non obtemperare mandatis Imperatoris. Ita Mediolanum profectus, convocatis Consulibus publice sui adventus causam exposuit, literasque reddidit Cæsareas. Atque hinc jam illud ipsum contigit, quod nostri præviderant. Perlectis enim literis adeo sunt exacerbati Mediolanenses, ut humi projectas, majoris contumeliæ causa pedibus etiam conculcarent. Ipse Sicherius magno labore furorem eorum ægre evasit: & egressus noctu Mediolanum festinus Laudam venit, narratoque, quod acciderat, perturbatus admodum ad Imperatorem suum revertit, miserosque Laudenses multis reliquit suspicionibus turbatos, & maximo terrore consternatos, ut qui se videbant expositos hostium suorum libidini atque impotentiæ, per casum hunc recentem gravius exacerbatorum. Igitur quidam illorum in remotiores terras abierunt, alii in vicinas se receperunt, noctu tantum & furtim ad miserabiles domos nonnunquam redeuntes.

Atque hæc sicut non temere metuebant Laudenses, ita re vera Mediolanenses ultimum ipsis machinabantur exitium, quod ipsis imminebat certissimum, nisi innotuisset, Fridericum constituisse cum ingentibus copiis in Longobardiam venire. Hæc fama sicut non leviter Mediolanenses perculit, ita ad magnas spes erexit Laudenses, qui ingentem ex auro purissimo clavem fabricarunt, eamque per Gulielmum, Montisferrati Marchionem, qui se illis patronum obtulerat, donum Friderico obtulerunt, orantes ut se suaque in tutelam recipere Imperatoriam dignaretur. Accepit donum Cæsar, nostrisque suam abunde pollicitus est opem. Atque hæc ejus erga nos benevolentia confirmata etiam est ad preces Cremonensium & Papiensium, qui illi munera obtulerunt splendidissima, quo eum nostris amicum, adversum autem redderent Mediolanensibus, quorum etiam recusavit munera Fridericus. Denique Cæsar, cum episcopis aliisque primoribus Imperii mandavisset, ut festo S. Martini die anni MCLIV. cum omnibus copiis suis præsto essent ad *Roncalliam* Longobardiæ, ipse mense Novembri ejusdem anni fines nostros intravit, & ipsa Vigilia S. Andreæ Apostoli divertit ad S. Viti & *Castionem*. Hinc eodem die Germani, quos penes se habebat, sive quod rei cibariæ penuria laborarent, sive, ut alii dixerunt, prædæ cupidi, armis invaserunt suburbium Placentinum, in quod unum relictis aliis Laudenses concesserant. Sed Laudenses nequaquam pristina sua virtute destituti, invasoribus fortiter restiterunt. Postero die Imperator cum aulico comitatu & exercitu ad *Roncalliam* se contulit, ubi Mediolanenses præsto fuerunt, tantaque Imperatorem cum prudentia tractaverunt, ut promissis illi quatuor marcarum argenti millibus, tunc quidem in gratiam ejus se insinuarent. Ex *Roncallia* Fridericus quendam Sacellanum suum misit ad Laudenses, qui ab illis jusjurandum fidelitatis exigeret. Hoc tamen ille non ante obtinuit, quam nostris hoc facere permisissent Mediolanenses, in quorum potestate tunc temporis erant. Et illi quidem gratias nostris egerunt, quod ad hunc modum cum ipsis egissent. Interim Imperator ad nostra suburbia se contulerat, &, in quo maneret, Placentinum suburbium elegerat, quo facto Laudenses confirmati ad suas domos redierunt, quas metu Germanorum deseruerant. Deinde Fridericus, *Roncalliæ* conventu procerum finito, cum Mediolanensibus constituit, ut se copiasque suas per commodissimam tutissimamque viam ultra Ticinum flumen perducerent. Sed hoc illi non præstiterunt Mediolanenses. Quare cum post longum iter & gravissima suorum, qui ab annona destituti erant, incommoda denique fluvium illum superavisset, accipere ab illis noluit quatuor illa marcarum argenti millia, quæ ipsi, ut supra dictum est, ad *Roncalliam* promiserant.

rant. Imo se hostem eorum professus, in posterum non habiturum se verbis eorum fidem pronunciavit, nisi ipsi extemplo cederent omni illo jure, quod ipsi in Laudenses & Comenses sibi vindicabant. Sed hoc cum illi facere recusarent, hostes Imperator eos declaravit, & quædam etiam loca diruit, quæ in Mediolanensium erant ditione. Deinde post alias in Longobardia factas expeditiones Romam profectus est Cæsar, & ab Hadriano IV. Pontifice solenniter ornatus Imperatoria corona, Augustusque salutatus. Deinde cum feudorum, id est, Apuliæ, Marcæ, & Romaniæ nomine Pontifici satisfecisset, in Germaniam regressus est anno MCLVI.

Deinde, cum Cæsar superatis Alpibus in Germania esset, Mediolanenses victoriis à Papiensibus reportatis, quarum nihil ad nos pertinet narratio, inflati, desiderio flagrabant opprimendi etiam Laudenses, qui indies & numero & opibus augebantur. Itaque in publico consilio sub exsilii & publicationis bonorum pœna sanciverunt, ne Laudenses aut vendere, aut alienare quid, aut alio habitatum migrare possent ipsis inconsultis. Et per hanc calumniarum occasionem nostris ultra trecenta pondo auri, si pretium æstimetur, abstulerunt. Insuper mense Novembri sequentis anni ipsi Consules Mediolanenses Laudam venerunt, & ab Laudensibus exegerunt tributum, quod illis temporibus *fodri* nomine appellabatur, sub interminatione exsilii, nisi statim illud repræsentavissent. Itaque multi illorum, quia Mediolanensium fortasse postulatis satisfacere non poterant, domos suas deseruerunt: alii præstito tributo remanserunt, quo graviorem à se calamitatem averterent. Deinde mense Januario anni MCLVII. iidem Consules redierunt Laudam, atque ab omnibus Laudensibus, qui annorum quindecim & amplius erant, postulaverunt jusjurandum, quo se illorum dominio subjectos fore promitterent, seque iis in omnibus obtemperaturos, quæ ipsis libuisset imperare sibi. Atque hoc faciebant, ut prætextum aliquem haberent, quo eos patria ejicere, eorumque bona occupare possent. Post longam consultationem responderunt ad hanc petitionem Laudenses, se hoc jusjurandum præstituros addita hac exceptione: *Salva Imperatoris fidelitate*. Nam, ut supra dictum est, jam Imperatori fidem suam nostri jurejurando obstrinxerant, ipsorum etiam, quod majus est, Mediolanensium consensu. Sed cum Consules postularent jusjurandum sine exceptione, nostris malum minati Mediolanum repetiverunt infensissimis erga nos animis. Itaque Laudenses novarum calamitatum metu Lanfrancum, qui ex Comitum Cassinensium gente erat, patritium & episcopum Laudensem, una cum Lanfranco, ecclesiæ majoris *Præposito*, multisque aliis episcopis, sacerdotibus, & primoribus urbis, Mediolanum miserunt, qui in ædibus Huberti Pirovani, Archiepiscopi Mediolanensis, quo Consules aliique Mediolanensium magistratus convenerant, enixe petierunt, ne fidem semel Cæsari datam violare, atque ita manifestum admittere perjurium cogerentur. Sed utcunque hæc Laudensium desideria justissima niterentur ratione, iisque ipse etiam Pirovanus Archiepiscopus plurimum faveret, nihil omnino nostri impetraverunt, ægrisque animis domum sunt regressi.

Interim Deo ita volente in Longobardiam venerunt duo Cardinales, Hadriani IV. Pontificis, de quo non multo ante diximus, legati, Arditius de Rivoltella, & Otho de Brixia, qui in mandatis habebant, ut omnibus modis pacem componere studerent inter Longobardiæ civitates, quæ contentionibus inter se & discordiis laborabant. Hi itaque à nostris edocti de violentia & injuriis, quibus eos exagitabant Mediolanenses, & justissimæ causæ nostræ æquitate commoti, cum Mediolanum venissent, neque rationibus ad officium reducere Mediolanenses potuissent, denique illis Dei & sanctæ Sedis Apostolicæ nomine imperaverunt, ne ob caussam adeo iniquam nostris ullum omnino damnum aut malum inferrent. Paruerunt Mediolanenses imperio legatorum, quamdiu illi in his terris morabantur. Sed post abitum eorum protinus ipso ante Pascha die Martis sub acerbissimi exsilii pœna omnes Laudenses ante primum diem Jovis post Pascha sibi præstare jusjurandum fidelitatis jusserunt ad istum modum, ut ipsi volebant, id est, sine ulla exceptione. Stupefacti steterunt aliquandiu nostri, cum se eo redactos viderent, ut aut perjurium admittere deberent, aut patriam simul atque omnia sua relinquere. Ad ultimum vero, cum, ut ejusdem Othonis Morenæ *lib. citato* verbis utar, plus Deum timerent, quam Mediolanenses, eumque non rebus tantum suis, sed & sibi ipsis anteponerent, prorsus istud jusjurandum recusaverunt. Itaque Mediolanenses necdum elapso tempore præscripto, die Mercurii post Pascha magno numero armati Laudam accesserunt, & vi domos infortunatorum civium ingressi, qui oculis quidem intueri atque deplorare hanc suam extremam miseriam, manibus autem aut viribus tueri se suaque non poterant; omnes exspoliaverunt, infelicibus illis cujuscunque sexus atque ætatis extrema minantes, ni confestim se proriperent. Quare illi sub vesperam insequentis diei domos suas ceterasque facultates relinquere sunt coacti, & abire, quo quemque consilium, aut fortuitus animi ferebat impetus. Plurimi illorum per totam istam noctem maximis cum incommodis itinere continuato Picigitonem pervenerunt, castellum ad Adduæ fluminis ripam: ubi cum ad tantam multitudinem capiendam non sufficerent hospitia, multi ex his, oppressi malis istis, quæ facile quilibet lector cogitare potest, misere sunt exstincti.

Per hanc occasionem multi Laudenses per varias urbes sunt dispersi, inter quos Cadamosti Venetias se receperunt, ut de hac familia Victorius asserit in *Historia* patriæ suæ, qua conscribenda cummaxime est occupatus. Eodem die, quo Laudenses vixdum deseruerant penates suos, denuo reversi Mediolanenses, postquam diripuerant, quicquid ex rebus Laudensium adhuc supererat, igne injecto cremaverunt, quæ secum ferre non poterant, excisis vitibus atque arboribus, & Laudensibus istis, qui pauci numero aut ob infirmitatem, aut alia de causa, fugæ comites esse non potuerant, captis & Mediolanum abreptis.

Hæc altera patriæ nostræ desolatio post priorem contigit anno XLVII. quo temporis intervallo Laudenses in sex habitaverunt suburbiis prope veterem urbem, ut supra dictum est, exstructis. Sed illorum nomina apud Scriptores non invenio, excepto duntaxat illo, quod *Placentinum* dicebatur, & omnium erat primum. At in archivo quidem episcopatus nostri mentio fit cujusdam ex illis, quod *S. Naboris*, & adhuc alterius, quod *Mediolanense* fuerit dictum. Item in archivo ædis nostræ cathedralis alterum invenio *in Carea* dictum, in quo episcopus cum Clero suo per idem tempus habuit sedem, prope ædem, Beatæ Virgini dedicatam. Hæc autem suburbia cum aperta essent, & prorsus nullis firmata munimentis, nostrique armis, aliisque rebus, quæ ad fortiter se tuendum requiruntur, essent destituti, nihil mirum est, eorum domos levi negotio fuisse dirutas, ipsosque dissipatos, & tantum non penitus exstinctos ab adeo potente validoque hoste, ut illo tempore Mediolanenses erant. Porro autem hi æstivo ejusdem anni tempore in agros nostros redierunt, & frugibus, quæ aderant, avectis, turres Monticelli, Castionis, S. Viti, & Camaragi sunt demoliti. Sed cum in tractum Cavacortæ venissent, sub signis obviam sibi tendentes viderunt paucos istos Laudenses, qui Picigitonem se receperant.

rant. Hi insita animi generositate ac virtute incitati, adjutique ab aliis quibusdam istius castelli, ut & paucis equitibus Cremonensibus, cum prope ad hostem essent, adeo se pugnandi avidos ostenderunt, ut Mediolanenses, non numero, sed audacia & animi magnitudine nostrorum conterriti, pugnam detrectarent, & in castra sua ad Castilionem regressi, Mediolanum inde redirent.

Ejusdem hujus anni mense Julio Fridericus Imperator validissimo cum exercitu denuo venit in Longobardiam, una cum rege Bohemiæ, multisque archiepiscopis, episcopis, aliisque proceribus. Hic cum multis damnis multavisset Brixianos, qui ejus se copiis opposuerant, & Adduam amnem transiisset nequicquam obsistentibus Mediolanensibus, qui magnis viribus eum isto transitu prohibere conati fuerant, cumque per vim occupato Trecio castello, prope flumen Lambrum versus Salaranum venisset, accesserunt ad illum præcipui ex Laudensibus, qui, post civitatem suam à Mediolanensibus desolatam, in vicina loca illa concesserant. Hi cum verbis eam in rem aptis Friderico oppressionem suam exposuissent, atque injurias, quas acceperant, & cum maxime patiebantur à Mediolanensibus, supplices eum oraverunt, ut locum ipsis assignare vellet, ubi novam condere urbem, & securi suarum rerum possent agere. Has preces cum ille benevolo accepisset animo, & ex iis intellexisset, hoc ad consilium arridere ipsis Egecionem montem, quod illud est exiguum promontorium, quod in peninsulæ formam ad Adduæ amnis ripam exsurgit; se postero die abiturum eo promisit, sique locum eum ipsorum desideriis cognovisset opportunum, lubentem illis ejus copiam facturum. His promissis læti Laudenses ad sua se hospitia receperunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

JOANNIS BAPTISTAE VILLANOVAE
LAVDIS POMPEIAE,
SIVE
LAVDAE (nunc LODI) Vrbis
HISTORIA.
LIBER SECVNDVS.



NON defuit promissis Fridericus Imperator, & a. d. III. Non. Aug. qui forte dies erat Dominicus, anno MCLVIII. una cum multis suorum, proceribusque Laudensium, conscenso equo ad montem se contulit Egecionem, ut istic novæ urbi condendæ locum assignaret Laudensibus. Cum eo pervenisset, hoc, quod omnes faustissimi ominis loco habuerunt, accidit. Cœlo admodum sereno subito ingens decidit imber, qui cum exiguum tempus duravisset, denuo cœlum effulsit pulcherrimum, nulla omnino nubecula obtectum. Itaque cum Fridericus accurate loci situm perspexisset, eumque judicavisset opportunum novæ urbi exstruendæ, delineavit eam, præscriptis illis terminis, qui ipsi videbantur esse idonei. Hinc cum Laudensibus Consulibus, qui isto tempore erant Cosmus Morena, Archimbaldus Summaripa, Lotterius de Abbonis, aliique, vexillum in manus tradidisset, solennitate illa novæ se illis patriæ possessionem tradere, eamque inaugurare dixit. Hanc deinde Imperatorio diplomate confirmavit, quo cum etiam contineantur privilegia illa, quæ pro benignitate sua Fridericus Laudæ ac Laudensibus concessit eximia, illud de verbo ad verbum huic inserere *Historiæ* visum fuit.

PRIVILEGIVM CONCESSVM NOVAE CIVITATI LAVDAE.

In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, FEDERICUS Divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Quamvis omnibus, qui Imperatoriæ libertatis filii esse dignoscuntur, tutelæ Imperialis Jure debeamus præsidium, quadam tamen speciali prærogativa dilectionis, & brachiis consolationis, illi à nobis sunt amplectendi, quorum ex devotione, in argumentum fidei, magis est cognita fidelitas ipsa, ad exaltandum Imperialis nostræ Coronæ gloriam, amplius est operibus comprobata. Notum sit igitur omnibus Imperii nostri, tam futuris, quam præsentibus, qualiter nos divino nutu compuncti, & super miserabili destructione Laudensis Civitatis, necessaria miseratione miserti, fidelibus nostris Civibus Laudensibus novum locum habitationis in Monte videlicet Ghezzonis à ripis Abduæ quantum sufficiat ad ambitum Civitatis, & Suburbia construenda super Abduam flumen nostrum, Imperiali auctoritate, & Vexillo designavimus, & veterem Urbem à Mediolanensibus destructam, ad titulum nostri nominis, & Imperatoriæ Majestatis in novam transtulimus; has commoditates, sicut seriatim in sequentibus exponuntur, ex gratia nostra eis indulgentes.

Primum igitur hanc facultatem concedimus, quatenus ad numerum nostræ Civitatis, Muros, & Fossata, & cætera Propugnacula contra impetus Inimicorum construant; Ad majorem quoque nostræ Urbis utilitatem eis indulgemus, ut super Flumen Abduæ, & alias Aquas in Episcopatu Laudensi decurrentes ad commoditatem transeuntium Pontes faciendi liberam habeant potestatem; sed eorundem Pontium, pensitationes, Tolonea, Pedadia, Regali Fisco reservamus; Statuentes etiam præcipimus, ut prædicta Civitas Portum Generale, & Communem Navium stationem, remota omnium contradictione, semper habeat, & Mercatorum Naves per Abduam superius ascendentes, vel in-

inferius descendentes ad eundem portum secure confluant, vendendi vel emendi habita libera facultate; Nec aliquis alius Portus ad Naves arrivandas in toto Flumine Abduæ ordinetur sine nostro Imperiali præcepto, nec minus ipsi Laudenses per omnes Aquas Lombardiæ navigabiles, liberum habeant navigandi arbitrium, soluti ab omni toloneo, illo tantum excepto, quod ad Fiscum Imperiale pertinere dignoscitur. Quia vero nulla Civitas via publica de Civitate ad Civitatem, de loco ad locum pro communi usu carere potest, vel debet; Imperiali edicto nostro, novæ Laudensi civitati donamus liberas vias, & liberos transitus ex omni parte usque ad publicas, & communes vias, quæ ducunt ad singulas Civitates in circuitu adjacentes. Præterea Decreto nostro prorsus interdicimus, ne toto Laudensi Episcopatu Castrum aliquod, vel Turrim, vel aliam Fortitudinem, aliquis ædificare, vel destructa restaurare præsumat. Ad augmentum quoque gratiæ nostræ Civitati supra memoratæ Zerbos, & alias terras arabiles ex utroque latere jacentes ad communem usum Pascuorum ita deputamus, ut ab illis Dominis, quibus de jure pertinent, tali prætio comparentur, quo ante annum unum, priusquam Civitas nostra fundaretur, poterant comparari; quorum Pascuorum termini ex uno latere Castri Episcopi, sicut via sunt, usque ad Pontem veterem de Fanzago versus Abduam protenduntur; ex alio autem latere, sicut Costa Pulignani, & Costa Isellæ, & Costa Juvenici veteris, & Costa Juvenici novi, & Costæ Civitatis versus Abduam clauduntur. Quia vero Mediolanenses ante guerram, & tempore guerræ multa bona prædictorum, Laudensibus violenta usurpatione abstulerunt, hanc eis potestatem donamus, ut bona sibi ablata possint repetere, nulla præsumptione temporis obstante. De cætero præfatam Laudensem novam Civitatem, & universa jura, tam in Civitate, quam per totum Laudensem Episcopatum in nostra jurisdictione, & propriam jurisdictionem ita libere vendicamus, & penitus ascribimus, quatenus ad nullam potestatem, nullamque personam aliquem respectum habeat, nisi ad solam nostram Imperialem Majestatem, & nostros successores Reges Romanos Imperatores; Aliud quoque adjacentes præcipimus, ut sicut Communis nostra per medium veteris Civitatis ibat, ut nihilominus per Novam Laudensem Civitatem nostram libere, expedite transeat. Ut autem hæc omnia inviolabiliter observentur, præsentem cartam, & auctoritatis nostræ sigillo confirmamus.

S. Signum Domini Federici Romanorum Imperatoris Invictissimi.

Ego Rainaldus Cancellarius vice Federici Coloniensis Archiepiscopi auctoritate Cancellarii recognovi.

Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LVIII. *Regnante Domino Federico, Romanorum Imperatore gloriosissimo, anno Regni ejus* VII. *Imperii vero quarto. Acta sunt in Vigueria* III. *Non. Decembris.*

Denique placitum est Friderico, primum, ut in vetustissimo libro manuscripto legitur, quem supra citavimus, ponere lapidem in nova hac urbe exstruenda: quo brevissimo tempore Laudenses, qui per vicinos tractus erant dispersi, undique ingenti cum gaudio concurrerunt, atque ocyus ibi sacras ædes, excellentes domos, aliaque publica & privata ædificia exstruxerunt.

Interim Fridericus, dum patria nostra resurgere incipit, ultionem à Mediolanensibus exigere constituit. Itaque eodem mense Augusto, postrid. Non. una cum rege Bohemiæ exercitum ad Mediolani mœnia admovit. In hanc expeditionem præter Cremonenses & Papienses multi etiam nostrorum Laudensium sequuti sunt Imperatorem, & per varias occasiones strenuissime rem gesserunt. Inter hos præcipue memorantur Joannes Judæus, & Petrasius Pusterla, qui cum natalium splendore eximiam virtutem atque animum invictum habe-

A bant conjunctum: sed dum retro in urbem compellunt hostes, qui ex porta Arcus Romani eruptionem fecerant, mortiferis sunt affecti vulneribus. Sed ad scriptores rerum Mediolanensium ablegamus, quicunque sigillatim cognoscere desiderant res in illa obsidione gestas, cujus denique secundus Friderico fuit eventus. Nam consilio Vidonis, Blandratæ Comitis, & apud Mediolanenses viri principis, obsessi per Legatos pacem ab Imperatore petierunt, eamque impetraverunt certis conditionibus; quarum prima hæc fuit, *ut Laudenses & Comenses penitus exempti essent Mediolanensium potestati.* Ita motis castris, cum aulicorum quosdam re-

B liquisset, coram quibus jusjurandum fidelitatis Mediolanenses præstiterunt Friderico, ipse cum aulico comitatu copiisque militaribus Moguntiacum (hodie *Monza* dicitur) se contulit, & inde perrexit *Roncalliam.* Huc cum multos Principes, proceres, Consulesque convocasset, celeberrimi quidam doctores, quibus eam curam delegaverat, multas expedite controversias de jurisdictione atque dominio diremerunt, quæ ipsi Imperatori cum Principibus istis atque civitatibus intercedebant. Et ibidem serio ille Mediolanensibus imperavit, ut pacem cum vicinis, & maxime cum Laudensibus colerent. Inde pro-

C fectus Bononiam abiit, postquam nonnihil contentionum inter Legatos ejus, & Placentinos, atque Cremenses acciderat, & ipse Laudæ aliisque in urbibus, Longobardiæ præfectos constituerat, qui eas suo nomine regerent. Veruntamen hoc juris ille vindicare sibi non potuit in urbe Mediolanensi, ubi magna cum Cæsaris contumelia male habiti fuerunt Rainaldus, *Cancellarius* Imperatoris, & Otho Falgigranus, qui nomine Friderici eadem de causa Mediolanum se contulerant. Ita Mediolanenses ejus contra se iram provocaverunt, quæ magis etiam adaucta est, cum ille cognovisset, eos armorum vi occupavisse Trecium castellum, in quo ipse Germanorum suorum collocaverat præsidium. Sed quan-

D quam Imperator his novis turbis auditis venerat Laudam, tamen protinus abiit denuo nulla re gesta Bononiam.

Interim vero dum civitas nostra renascitur, etiam in animis Mediolanensium pristinum contra Laudenses odium recruduit. Hinc a. d. VII. Cal. Jun. ipso Pentecostes die festo anni MCLIX. magno numero advenerunt, ex improviso nostram oppressuri urbem. Sed parum prospere hoc illis consilium cessit. Nostris enim obviam hosti progressis, prælioque commisso, licet ipsi amplius quinque millia haberent equitum, turpiter & confusis ordinibus fugam arripere coacti sunt, multique eorum capti à

E Laudensibus. Hoc cum missis illico nunciis ad aures Cæsaris esset perlatum, eximiis inde laudibus & applausu nostri fuerunt ornati. Et ipse etiam Fridericus Laudam deinde cum venisset, eadem repetiit encomia in publica quadam alloqutione, donoque Mediolanenses istos accepit, qui eodem prælio capti fuerant, eosque Papiam abduxit. Neque tamen adversa hac fortuna abducti sunt hostes à consilio novæ hujus urbis opprimendæ. Quin etiam cum Cremensibus contra nos inita belli societate, ita rem præparaverunt, ut hi a. d. V. Id. Jun. magnis cum copiis nos invaderent ab ista parte Adduæ amnis, quæ versus Cremam est, ubi eodem tempo-

F re pontem nostri ædificabant. Sperabant enim Mediolanenses, dum nostri heic Cremensium armis distinerentur, interim ipsis in proclivi fore ab altera parte intrare atque occupare Laudam. Sed neque his cœptis successit. Nostri enim ab utraque parte à solis ortu ad medium usque diei contra geminum hostem pugnando, utrosque ægris animis domum redire coegerunt, nullo prorsus urbi nostræ damno illato.

Ob hoc factum Cremenses, simul etiam quod

 urbis

urbis suæ muros dejicere fossasque complanare noluerant, ut mandaverat Cæsar, non leviorem, quam Mediolanenses, ejus in se iram concitaverunt. Igitur ille castigaturus utrosque, Cremonensibus negotium dedit, ut obsidione cingerent Cremenses, veteres hostes suos, quod & prompte illi sunt exsequuti a. d. VII. Id. Jul. ejusdem anni. Octo post diebus cum ad obsidionem accessisset cum exercitu suo Fridericus, ad eamque urgendam tantum copiarum reliquisset, quantum satis ipsi videbatur ad eam perficiendam, ipse a. d. XIII. Cal. Aug. cum Germanis equitibus trecentis Laudam perrexit, suisque Laudensium equitatum cum addidisset, cum opportunis ad consilium suum exsequendum copiis ad *Landrianum* processit. Hinc cum Papiensium copias quasdam versus Mediolanum emisisset, & Mediolanenses magno numero urbe egressi, ut se iis objicerent, jam eosdem persequerentur, longeque superiores illis, victores domum redirent; ab Imperatoris Laudensiumque copiis, quæ in tempore ex insidiis prodierunt, intercepti sunt, victique victores. Amplius trecenti ex fortissimis Mediolanensium capti fuerunt à Cæsare: hostium equi quadringenti in ejusdem venere potestatem.

Post hanc expeditionem denuo ad obsidionem Cremæ Fridericus accessit, quo non multo post etiam uxor ejus, Beatrix nomine, profecta est. Sed illa quidem cum inter arma agere fastidiret, cum venia mariti Laudam venit, ibique à primis nobilium, magnoque matronarum numero, eo cum gaudio & honore, qui tantæ Principi debebatur, est accepta. Inde, cum apud nos per aliquot dies esset commorata, per Bergomum se contulit Venetias. Cum interim Imperator obsidionem Cremæ prospere ad finem perducere cuperet, nostri officiose illi ducenta dolia aliamque materiam subministraverunt, quibus post varias res gestas, quæ nihil ad nos pertinent, completa fossa, denique Cæsar potitus est urbe a. d. VII. Cal. Febr. anni MCLX. hac conditione, ut excederent Cremenses urbe, asportatis, quæ semel secum ferre possent. Mediolanenses autem & Brixiani, Cremensium socii, exarmati sunt, atque ita dimissi. Tum urbe direpta, incensa, dirutaque Imperator in præmium navatæ sibi à nostris in ista obsidione operæ, ex hostium spoliis trecentas loricas cum totidem galeis, scutisque, & multa insuper crurum tegmina dono illis dedit. Hinc ille Laudam venit, & inde cum exercitu Papiam profectus est.

Mortuo autem anno præcedenti Hadriano IV. Pontifice, in ejus locum à duobus & viginti Cardinalibus sublectus est Rainaldus, patria Senensis, qui Alexandrum III. se dici voluit. Sed hujus electioni cum non affuissent tres alii Cardinales, hi Papam, vel potius Antipapam, creaverunt Octavianum, civem Romanum, & ad S. Clementis Cardinalem, qui se Victorem appellavit. Cumque Alexander in ipsis initiis hoc tolli schisma cuperet, missis legatis Fridericum Imperatorem rogavit, ut auctoritatem suam interponeret. Hic itaque cum & verum, & suppositititium Pontificem Papiam venire vellet, ut ibi decerneretur, uter illorum verus esset Pontifex; hoc autem minime arrideret Alexandro, hic Anagniam, Victor Signiam se recepit. Hoc cum ægre ferret Imperator, duos episcopos ablegavit, qui Alexandrum, ut privatum & Cardinalem, ad Concilium Papiæ celebrandum citarent. Sed hi ab illo rejecti Signiam ad Victorem perrexerunt, qui statim lubens Papiam cum ipsis est profectus, ubi eum Fridericus, congregatis multis Archiepiscopis, Episcopis, aliisque proceribus ecclesiasticis, ut verum Pontificem, solennibus hoc in negotio cerimoniis est veneratus. Non destitit quidem Alexander Fridericum Imperatorem & Victorem Antipa-

A pam admonere officii, sed quia hoc sine fructu erat, utrumque cum multis aliis Principibus atque populis, inter quos & Laudenses erant, excommunicavit, eorumque episcopos dignitate sua privavit, quod Imperatoris impulsu Antipapam sequerentur & adjuvarent. Hinc securitatis causa in Franciam transgressus, Clermontiam Concilium indixit, in eoque omnia conciliabuli Papiensis acta rescidit, & denuo excommunicavit Victorem, ut & Fridericum, qui Papia Dertonam profectus est.

Interim ex insito Mediolanensibus contra Laudenses odio, ceu ex mala radice, semper & mala germina proveniebant. Itaque cum vixdum surge-
B ret hæc nova urbs, protinus eam opprimere studuerunt, & ipso ante Pascha die Martis ejusdem anni MCLX. magno cum peditum equitumque numero subito advenerunt, Laudamque acerrime oppugnare sunt aggressi. Sed nostri hostium impetum non solum fortiter sustinuerunt, sed multi etiam Laudensium militum magno animo eruptione facta, vulneribus & morte plurimos hostium multaverunt, etsi deinde nostris, utpote numero multum inferioribus, primum in fossam, inde in urbem retrocedendum fuit, paucis aliquot suorum amissis captisque. Veruntamen multo majus damnum passi sunt hostes, qui recollectis copiis suis Mediolanum redierunt, non
C victi solum, sed delusi etiam & exsibilati. Gratissima Friderico Imperatori hujus certaminis accidit fortuna, cum eam ex Laudensium Legatis cognovisset, maximo omnium collaudata nostrorum audacia, quibus tam paucis numero & animus fuisset, & favisset fortuna ad tantam hostium multitudinem superandam. Cumque deinde cum copiis suis Laudam venisset, gratias agere civibus dignatus est, quod adversus suos Imperiique hostes tam strenue rem gessissent; paterna tamen admonitione addita, ne temere adeo ex urbe erumperent, ut ne virtus illorum quandoque ab nimio hostium numero opprimeretur. Satis enim Laudensibus dicebat esse
D debere, si tueri novam patriam possent. Postea Imperator illorum copias militares ab illis petiit, & ad *Pontirolum* profectus, ubi Mediolanenses pontem in Addua flumine maximis sumptibus erexerant, capto incensoque ipso castello, solutoque & in flumen dejecto ponte, Laudam regressus est. Inde cum iisdem copiis, auctus insuper Cremonensium aliquot equitibus, denuo ad *Pontirolum* venit, ibique templum quoddam diruit, quod affatim instructum omnibus illis, quæ ad se tuendum erant opus, Mediolanenses adhuc tenebant. Mox cepit diripuitque Farræ castellum, & paulo post Mediolanensium fines depopulatus, cum suos uberrima præ-
E da locupletasset, Papiam rediit, atque ibi militibus Italicis veniam dedit ad sua redeundi.

Digresso Imperatore statim Mediolanenses hac occasione sunt usi ad urbem nostram denuo armis infestandam, & a. d. VII. Id. Jun. usque ad Villam Corneliam progressi, quæ hodie *Cornelianum* dicitur, non amplius mille quingentis ab urbe Lauda passibus, quidam eorum cum ad ipsam usque urbem facerent excursiones, ab Laudensium quibusdam non tantum repulsi fuerunt, sed & multi illorum, antequam ad suos recipere se possent, occisi captique: etsi deinde omnibus hostium copiis adventantibus, nostri, qui pauci numero erant, cum
F resistere tantis viribus non possent, ad urbem refugerunt; atque hostes eorum vestigiis inhærentes, & captos ex suis recuperaverunt, & ex Laudensibus ceperunt Vitum Tressenum, Bernardum Banniolum, Arberium Lomellinum, Ottobellum Cadamostum, Othonem Meciapirentum, aliosque. Veruntamen manserunt in potestate nostrorum quidam etiam præcipui ex Mediolanensibus, inter quos fuerunt Codeguerra Vicontius, Monacus Palatinus, Bruno Concoregius, filius quidam Borri à Burris, Joannes Sa-

Salerius, Ambrosius Palliarus, Joannes Feroldus, Hugo Camerierus, Otho Bellabucca, & Obicius Paganus. Sed neque hac sinistra fortuna confusi Mediolanenses, postero die magnum denuo armatorum numerum contra nos emiserunt, iisque mandaverunt, ut ad urbem usque nostram progredientes, cum prodiissent nostri ad manus cum ipsis conserendas, fugam simularent, & per fines se Laudensium reciperent. Sperabant enim, sibi interim in proclivi fore, ab alia parte ex improviso supervenire urbi, eamque occupare. Verum sicut præterita eorum consilia fuerant irrita, ita & hoc stratagema fefellit. Nam stationes nostrorum cum è longinquo hostium adventum speculati essent, adeo opportune Laudensium milites, qui necdum longe erant dispersi, de eo admonuerunt, ut illi in tempore præsto essent ad urbis defensionem, & ad portam Cremonensem acie directa hostes exspectarent. Sed hi cum prope ad urbem constitissent, ac nostrorum ordines instructos, animosque & consilium perspexissent, fortunæ loco duxerunt, nihil ulterius tentato incolumes ad sua redire.

Inde inexpiabili contra nos odio conciti, denuo patriæ nostræ experiri excidium constituerunt. Itaque a. d. XIV. Cal. Aug. ejusdem anni ingentes peditum equitumque copias ad urbem admoverunt, adducto secum etiam *Carrocio*, multisque carpentis, ballistis, arietibus, aliisque machinis bellicis, quæ temporibus istis erant in usu, arctaque eam obsidione clauserunt, castris ab illa parte positis, quæ à palude ad portam Imperialem ad portam usque Cremonensem protenditur. Mox inter Mediolanenses nostrosque, qui ex urbe eruperant, ingens exorta est pugna, qua multi utrinque cæsi fuerunt. Inde cum in castra se hostes recepissent, omnibus Ducibus suis ad *Carrocium* convocatis certum disposuerunt atque constituerunt ordinem, quo omnis undique exercitus impetu facto urbem esset oppugnaturus, divisis copiis, prout maxime videbatur opportunum, singulisque cohortibus suo loco assignato, quem oppugnarent. Ita illis, qui inter portam Vercellinam & Ticinensem tendebant, ista pars urbis est assignata, ubi *S. Vincentii Posterna* erat: qui inter portam Orientalem & Romanam, pars urbis ad Sylvam Græcam: qui inter portam Comacinam & Novam, porta Imperialis una cum Papiensi & Cremonensi. Atque hinc etiam ignem per machinas bellicas in urbem destinaverant injicere. Omnibus ad hunc modum præparatis, deinde cum opportunum ipsis tempus esse videretur, ingenti clamore tubarumque sonitu fecerunt impetum, quem non modo sustinuerunt nostri, sed etiam fortiter repulerunt ab omnibus undique partibus, cæsis vulneratisque multis oppugnantium. Sed ad Sylvæ Græcæ portam, cui nomen *Seravallis*, difficilius nostris certamen fuit cum Mediolanensibus, qui magna facta impressione tanto ardore nostros in urbem compulerunt, ut hi cum se magno labore recepissent, feliciter tamen clausa urbe hos oppugnatores excluderent. Tum vero hi in *Collinam* tantum fecerunt impetum, ut, cum isto tempore urbs nostra non muris, sed paludibus solummodo ac fossis vallisque & situs altitudine munita esset, denique *Collinam* magno propugnatorum terrore intrarent, quorum multi fugientes ad alteram interioremque se fossam receperunt. Sed alii audaciores, qui vitam amittere, quam patriam in Mediolanensium potestate positam videre præoptabant, tanto cum ardore ac virtute se illis objecerunt, ut eos expellerent urbe, quibusdam cæsis, aliis in Adduam amnem, qui vicinus ibi currit, præcipitatis. Tum ad expugnandam urbem nonnulli hostium ultimam tentavere fortunam, & primum Sylvæ Græcæ palude, inde fossa superata, in illam urbis partem escenderunt, ubi Henrici domus erat, dicta *Sertosani*. Sed neque

A hi meliorem ceteris experti sunt fortunam, ocyus ab Laudensibus repulsi & in fugam acti. Itaque non superati solum, sed dolore & ignominia confusi hostes, cum magnam diei partem frustra pugnavissent, signo receptui dato, in castra sua redierunt. In patria tuenda multorum civium summa virtus enituit, & inter hos Theobaldi Bardonis, qui fortissime pugnans honesta morte occubuit.

Sed deinde cum vererentur Laudenses, ut soli tantis Mediolanensium viribus resistere possent, qui post hanc pugnam magna Placentinorum militum subsidia acceperant, & ipsi ad Imperatorem Legatis Papiam missis, & item ad Cremonenses, socios suos,
B valida protinus impetraverunt auxilia. Hinc nostri multum confirmati, animose ad prælium Mediolanenses provocaverunt cum Placentinis conjunctos. Sed non satis illi habuerunt animi ad manus cum nostris conserendas, & contractis omnibus copiis suis, castrisque motis, cum suo *Carrocio* in fines suos regressi sunt. Sed crebræ hæce contra urbem nostram Mediolanensium molitiones, qui civitatis hujus erant hostes inexpiabiles, in causa fuerunt, ut Laudenses securitatis suæ causa urbem firmare muris, fossis, castellis, aliisque munimentis omnibus, quæ temporibus istis erant in usu, constituerent. Itaque hanc in rem utentes opera Tincti Musæ,
C patria Cremonensis, qui cognomine *Gattus* dicebatur, & primi nominis erat architectus, a. d. III. Non. Aug. primum novis muris lapidem posuit Albericus Merlinus, nobilis, & isto tempore episcopus Laudensis. Ita illa cum abunde propugnaculis instructa esset, deinde novis ædificiis, & civium numero, opibusque indies est aucta. Nobile hoc oppidum forma rotunda est, & duorum millium passuum ambitu. Cives ejus, qui temperato salubrique cœlo fruuntur, multum valent ingenio, non minus ad armorum, quam literarum tractationem idonei; & ad negotiationes exercendas attenti, paternis domibus magnas accessiones adjecerunt. Territorum autem Laudense celebre est ob fertilitatem, magna frugum fructuumque cujuscunque generis ubertate
D præstans. Præter cetera pascuis abundat amplissimis, ubi magno numero armenta non Longobardiæ tantum, sed magnæ parti Italiæ caseum suppeditant præstantissimum. Non procul ab ipsa urbe flumen satis celebre currit, quod ab Addua monte altissimo & nomen habet, & natales.

Sed dum urbs nostra munimentis firmatur, non cessatum interim fuit ab actibus hostilibus. Nostri enim cum aliquot Cremonensium equitibus conjuncti, qui tum forte Laudæ erant, ad *Cropellum* sunt profecti, ubi Mediolanenses denuo pontem in Addua flumine exstruxerant: quo prospere occupato dirutoque, multis secum captivis abductis, læti do-
E mos suas redierunt. Non æque secunda fortuna fuerunt usi Laudenses isti, qui cum ducentis Cremonensium equitibus versus castellum Carcanum abierunt, à Mediolanensibus obsessum, militibus commeatibusque Fridericum Imperatorem sublevaturi, qui istum eximere obsidioni nitebatur locum, ut qui ipsius partibus addictus egregie se tuebatur. Nam cum ante adventum nostrorum Imperatorem inter & Mediolanenses prælio pugnatum esset acerrimo, quo Cæsar inferior cum reliquiis copiarum suarum Comum se receperat; nostri, cum non in tempore
F advenissent, nequicquam fortissime pugnantes cum Mediolanensibus, quippe nimium quantum numero hostibus inferiores, in fugam sunt acti, multique eorum, etsi alii incolumes Comum evaserunt, capti. Utilius fuit auxilium illud, quod nostri Friderico tulerunt, cum ille profectus Como, & Cremonensium, Papiensium, Laudensiumque copiis militaribus auctus, adversus Placentinos movit, pontemque ex navibus confectum disjecit, quem illi è regione Placentiæ in Pado flumine ædificaverant.

Postea

Postea autem Imperator, cum malis illis, quæ meditatus erat, afficere eos non posset, Cremonam abiit. Tum Placentini, qui cum Mediolanensibus semper in nostra conspirabant damna, recens irritati contra Laudenses, quod hi Cæsari contra ipsos tulissent auxilium, a. d. IV. Id. Mart. anni MCLXI. nostros fines sunt ingressi, & in quosdam ex militibus nostris inciderunt, qui nocte præcedenti eodem locorum excurrerant, qua Placentini faciebant iter, si forte damnum aliquod inferre hostibus possent. Cumque surgente Aurora Placentini animadverterent, nostros non idoneis instructos esse armis, magno cum ardore eos aggressi fugam arripere coëgerunt, multis suorum in hostium potestate relictis, licet hi quoque non omnes domum redierint, eorumque nonnulli una cum equis suis ab nostris fuerint capti. Mox alteram itidem in agrum nostrum fecerunt excursionem eorundem Placentinorum equites, & usque ad *S. Mariam in via* sunt progressi. His cum obviam prodiissent Laudenses, pugna exorta in hostium potestatem cum aliis aliquot pervenit Tricafolia Pusterla, prætor isto tempore Laudensium, & vicissim occisus Jacobus Visdominus, nobilis Placentinus.

Morabatur his temporibus in Longobardia Fridericus Imperator, & ut in urbe nostra, quandocunque ipsi libitum foret, agere posset illo cum splendore, qui majestati ejus conveniebat, magnificum in ea palatium exstrui voluit prope monasterium S. Joannis. Principes autem Germaniæ, cum Imperatoria majestate indignum esse judicarent, Fridericum diutius in Longobardia morari sine idoneis ad subjugandos debellandosque suos hostes viribus, qui jam subtrahere se ejus imperio etiam vi armorum audebant, ultro in hanc transire regionem constituerunt cum tantis copiis, quæ perdomandis rebellibus sufficerent. Ex horum Principum numero fuerunt Lantgravius, cognatus Imperatoris; Conradus, Comes Palatinus, & ejusdem frater; Fridericus frater Conradi regis, qui fuit Cæsaris avunculus; Rainaldus, electus Coloniæ Archiepiscopus; regis Bohemiæ filius, præter alios principes viros proceresque ecclesiasticos. His viribus, ut & multarum Longobardiæ civitatum, interque eas Laudæ nostræ militibus Imperator auctus, a. d. III. Cal. Jun. fines Mediolanensium ingressus, omniaque, quæ in agris erant, depopulatus, castra à *Cassina Guacini de Aliate* ad *Morsengiam* usque extendit, deinde mutato loco ad *S. Dionysii* castra posuit hoc animo, ut tandem aliquando Mediolanum urbem occuparet, semper Imperio, eique addictis inimicam. Egressi urbe sua Mediolanenses, cum Papiensium aliisque Longobardis militibus, qui in Imperatoris exercitu erant, animose manus conseruerunt, ac post longum & pertinax certamen, quo multi utrinque aut libertate, aut vita sunt privati, ad mœnia sua se receperunt. Sed ex his Mediolanensibus omnium sortitus est vitæ finem infelicissimum Adamus Palacius, nobilis Mediolanensis, qui captus ab Imperatoriis, jussu Friderici in conspectu civium suorum suspendio necatus est. Postero die cum obsessi iterum ex urbe erupissent, nova exorta est pugna. Sed ab Laudensibus, aliisque Longobardis itidem militibus, qui se illis objecerant, multis suorum amissis in fugam hostes acti sunt. Veruntamen multi etiam Laudensium cæsi captique sunt, quod certe non accidisset, si Germani, nimium soliciti mandatorum Cæsaris observatores, qui edixerat, ne cum Mediolanensibus certamen inirent, illis opportunum, ut debuerant, tulissent subsidium. Deinde Fridericus mutato loco ad portam Vercellinam cum exercitu movit: & interim dum castra ponebantur, Mediolanenses eruptione facta eum sunt aggressi. Hic cum anceps aliquandiu certamen fuisset, multis utrinque

A cæsis ac vulneratis, denique Mediolanenses, cum resistere hostium numero non possent, intra urbis portam sunt compulsi, multique tum eorum ob loci angustiam in fossam præcipitati.

Sed tunc quidem Mediolani obsidio intermittenda Friderico fuit, quo adesse posset in conventu, seu conciliabulo, quod primum Papiam, inde Cremonam fuerat indictum. Sed novissime in Laudam urbem jussu Imperatoris convenire hoc tempore cœperunt proceres ecclesiastici, aliique Principes a. d. XIII. Cal. Jul. Hic maxime actum fuit de Victore Antipapa, cujus supra mentionem fecimus, pro vero Pontifice agnoscendo, quod &

B antea jam factum erat Papiæ anno MCLX. & nunc denuo factum est. Præter Imperatorem ac Victorem, multosque alios proceres ecclesiasticos atque principes, interfuerunt huic Concilio Dux Bohemiæ; Peregrinus, patriarcha Aquilegiensis; Guido & Rainaldus, hic Treverorum, ille Ravennæ Archiepiscopus electus; & Viennensis Archiepiscopus. Alii vero, qui illi non interfuerunt, veluti Daniæ, Norvegiæ, Hungariæ, & Bohemiæ reges, & Archiepiscopi aliquot aliique clericorum principes, cum se excusavissent quod ipsi ad hoc Concilium venire non possent, per Legatos tamen sunt testati, se Victorem pro vero successo-

C re Petri agnoscere, & omnia ejusdem Concilii acta rata habere. Excommunicati autem in eo fuerunt Hubertus Pirovanus, Mediolanensis Archiepiscopus, & una Consules Mediolanenses, tum Placentiæ & Brixiæ urbium episcopi & Consules, eorumque consiliarii, multique alii. Tum postea cum de nonnullis adhuc aliis rebus fuisset actum, dimissus est conventus ipso S. Jacobi die festo.

Sed Fridericus, qui inter hujus acta conciliabuli neutiquam deposuerat iram suam atque odium contra Mediolanenses, denuo cum omnibus copiis ad Mediolanum venit, & castra posuit ad locum, cui nomen *Cerrum*, denuo minitans urbi excidium.

D Tum perculsi timore Mediolanenses Lantgravio, ac Duci Bohemiæ, Comitique Palatino, ipsius Imperatoris fratri significaverunt, se percupere, ut Consules urbis suæ cum ipsis in colloquium venirent, dummodo illis fides daretur, se tuto id facturos. Hoc cum facile impetravissent, & Consules ad constitutum se locum conferrent, quidam, qui circa *Cancellarium* erant Imperatoris, prorsus inscium istius conventionis, cum procul eos vidissent, quasi hostes, jure belli ceperunt apud Bannioli monasterium. Sed dum inter hosce Germanos & Mediolanensium milites, qui suos liberare Consules nitebantur, pugnatur acriter, parum abfuit, quin

E principes illi, qui eos fore securos promiserant, *Cancellarium* vita privarent. Sed ille cum ad Imperatorem confugisset, eique suam exposuisset innocentiam, ab illo, quam desiderabat, securitatem impetravit. Posthæc Cæsar à toto exercitu Mediolanenses impetu facto voluit oppugnari, & ipse, prout maxime sibi videbatur opportunum, instruxit aciem. Hic cum Mediolanenses undique se hostibus viderent circumdatos, nec tantis resistere posse viribus sperarent, maxime cum bonam equitum suorum partem in urbe reliquissent, fugam ad mœnia sua arripuerunt. Sed Imperatore cum copiis ad pontem usque fossæ eos insequente, præter

F ingentem cæsorum numerum multi equitum peditumque Mediolanensium capti fuerunt, & Laudam abducti, inque carceres conjecti. Inter hanc pugnam magno fuit in periculo Fridericus, & dum in ipso ponte urbis fortissime pugnat, equus ejus hostium telis est confossus, ipse vulneratus: sed à suis alium in equum impositus, vespera superveniente in castra rediit. Tum, ut nunquam alias, Mediolanum urbem in suam redigendi potestatem cupidissimus, eam arctissima clausit obsidione, ita ut

ut nulli omnino in eam penetrare commeatus possent, & infelicibus illis, qui fame compulsi ex ea egrederentur, alteram præcidi manum jussit. Inde toto Mediolanensi agro devastato, & obsessis omni spe annonam in urbem introducendi præcisa, Papiam se contulit. Sed cum videret, se istic agentem, non posse Placentinos atque Brixianos, Mediolanensium amicos, impedire, quo minus obsessis nonnullum ferrent subsidium; hyemandi causa Laudam, tanquam ad maturandam expugnationem locum opportunissimum, venit una cum Beatrice uxore, multisque Principibus & proceribus ecclesiasticis, ibique diligentissime attendit ad omnes in urbem aditus intercludendos, ne ulli omnino in eam pervadere commeatus possent.

Inter hanc obsidionem cum Fridericus aliquando Lauda Cremonam se contulisset, amplius quingenti Mediolanenses, qui temporibus istis extra Mediolanum urbem erant, Laudensium fines sunt ingressi, ut nostros, quanto maximo possent, damno afficerent; & cum se majorem partem in nemus abdidissent, quod *S. Joannis* dicitur, ubi hodie Capucini sunt, centum ex illis ab reliquo se agmine segregantes, ad *Lavandarium* usque *Puliniani* excurrerunt, magnasque prædas egerunt. Hoc comperto Laudenses una cum Duce Rotenburgensi multisque Germanorum militum urbe egressi, adeo hostes invaserunt, ut turbatis illorum ordinibus, nonnullos hostium caperent, prædamque recuperarent. Sed hoc cum alii illi cognovissent, qui in insidiis erant, opportune ex illis progressi suis auxilio venerunt, & denuo nostris adempta præda, multos Laudensium Germanorumque ceperunt, pertinaci prope Cassatorum ædem S. Martini certamine, & pari fere fortuna.

Denique Imperator Laudam reversus est, ut tandem aliquando ad finem perduceret obsidionem istam, & adeo arcte occlusit aditus illos, per quos nonnunquam Brixiani & Placentini aliquid rei cibariæ in urbem Mediolanum inferebant; adeoque severe castigavit, qui obsessis annonam suppeditare conarentur, ut infortunati Mediolanenses eo miseriarum redigerentur, ut sextarius salis duodecim denariis, frumenti sextarius duobus solidis veniret, quod istis temporibus pretium erat carissimum. Igitur illi cum hinc considerarent, se vitam sustentare non posse, tantisper dum novi prodituri fructus essent, inde autem obstinatum Cæsaris animum viderent non solvendæ hujus obsidionis, donec urbem in suam redegisset potestatem, in consilio suo satius esse duxerunt pacem quibuscunque conditionibus, utut gravissimis accipere, & Imperatoris implorare misericordiam, quam diutius in tantis vivere calamitatibus. Quare Legatos miserunt Laudam, ubi ille agebat, eique significaverunt, se paratos esse in ejus honorem muros sex diversis partibus urbis dejicere, fossasque complanare, & ab auctoritate Imperatoria præfectum accipere. Sed Fridericus cum Principes Imperii, & Laudenses aliosque socios suos convocasset, iisque exposuisset, quæ Mediolanenses attulerant, ex consilii sententia respondit, se nunquam alias pacis conditiones Mediolanensibus concessurum, quam quas ipsi clementia humanitasque sua dictavisset. Quare admodum ægris animis Legati Mediolanum redierunt, ubi cognito Cæsaris responso Mediolanenses metu atque dolore admodum perturbati fuerunt. Denique autem cum abunde cognoscerent, se prorsus resistere viribus Imperatoris non posse, misericordiæ se ejus permittere constituerunt, ad eamque impetrandam supplices ad eum Legatos miserunt.

Inter hæc ipsis Cal. Mart. anni MCLXII. conflatum, nescio quomodo, incendium in Vallicella Laudensi, & vento, qui vehemens flabat, propulsum atque adauctum, fere dimidium ejus consumpsit. Cremata est ædes S. Mariæ Magdalenæ, una cum templo monacharum S. Joannis, multisque aliis ædificiis. Postero die, id est, a. d. VI. Non. Mart. Laudam venerunt Consules Mediolanensium, Otho Vicontius, Amicius de Porta Romana, Anselmus Mandellus, Godofredus Mainerus, Ardericus Cassina, Anselmus Ortus, Aliprandus Judex, & Ardericus Bonates cum octo aliis Mediolanensium optimatibus. Hi cum in palatium & conspectum Cæsaris essent adducti, traditis illi maxime actu habituque supplici gladiis nudatis, quod temporibus istis solenne signum erat, victum se prorsus arbitrio ac potestati victoris permittere, sese una cum urbe sua dediderunt Friderico, dato, ut ille volebat, jurejurando, se in perpetuum obtemperaturos mandatis ejus, & insuper promisso, se curaturos, ut idem jusjurandum præstarent omnes etiam alii Mediolanenses. Proximo die Dominico itidem venerunt, ut Imperatoris potestati se submitterent, trecenti Mediolanensium milites, inter quos sex & triginta signiferi traditis vexillis pedes ejus sunt exosculati. Præsto fuit etiam Quintelinus, celeberrimus architectus militaris, quo plurimum fidebant Mediolanenses, & ad Imperatorem detulit claves urbis, eique perpetuam fidem atque obedientiam suam jurejurando addixit. Voluit etiam Fridericus, ut omnes illi, qui Mediolani consulatum gesserant intra proximum triennium, Laudam venirent cum parte copiarum militarium. Itaque sequenti die Martis mille pedites cum *Carrocio* quatuorque & nonaginta signis militaribus præsto fuere: quæ omnia una cum duabus buccinis, Rempublicam Mediolanensem repræsentantibus, in manus tradita sunt Imperatori. Postero, qui Mercurii erat, die Fridericus Mediolanenses exemit proscriptioni Imperatoriæ, aliosque centum & quatuordecim Mediolano venire milites jussit, qui cum aliis istis, de quibus supra diximus, quadringentorum militum efficiebant numerum, eosque apud se retinuit obsidum loco: aliis autem militibus veniam dedit ad sua cuique redeundi. Deinde ad unamquamque urbis portam tantum compleri fossarum, tantumque murorum dejici mandavit, qua ipse commode intrare cum exercitu suo posset. Præterea sex homines Longobardos, totidemque Germanos delegit, iisque Mediolanum missis, voluit, ut ipsi suo nomine à Mediolanensibus omnibus jusjurandum fidelitatis & obedientiæ exigerent. Inter hosce Longobardos fuit Acerbus Morena, patria Laudensis, & Othonis Morenæ filius, ut ipse de se testatur in *Historiæ* paternæ continuatione, & illo ipso tempore prætor, seu præfectus Laudensium, qui una cum Friderico de Asia, Imperatoris cubiculario, Mediolanenses circa portam Novam habitantes Cæsaris nomine sacramento obstrinxit.

His ista gestis, Imperator Lauda Papiam se contulit una cum Augusta, omnibusque proceribus ecclesiasticis & principibus Imperii, ut & copiis militaribus obsidibusque Mediolanensium. Itaque cum jam sperare possent Mediolanenses ad obsequium Cæsaris reducti, se respirandi tempus habere à præteritis calamitatibus, tum vero secum animo considerans Imperator, Mediolanum urbem semper fuisse majestati suæ inimicam, & fere semper suis adversam consiliis, ab eaque semper illos populos atque civitates oppressas, quæ se Imperio probaverant addictas, cum postrid. Id. Mart. ejusdem anni in ædibus episcopi ad consilium convocasset prædictos Principes atque proceres ecclesiasticos, exposuit illis, hoc, quod ceperat, ingentem illam urbem funditus diruendi atque exstinguendi consilium. Cumque rationes istas attulisset, quibus ad id perductus erat, in consilio omnia approbata collaudataque sunt. Igitur ad illud exsequendum proximo die Lunæ Mediolanensium Consulibus mandavit Fride-

ricus, ut intra diem octavum extra urbis mœnia curarent egredi omnes incolas, tam mares, quam fœminas. Et ita factum istis cum ejulatibus atque lamentis, quæ Lector quilibet humanus facile concipere animo potest. Abierunt infelices isti, alii Papiam, alii Laudam, alii Bergomum, aliasque vicinas urbes. Plurimi tamen ad fossas relictæ urbis consederunt, spe impetrandæ à misericordia Cæsaris gratiæ, ut patriam repetere urbem possent. Sed Imperator a. d. v. Cal. Apr. cum ad Mediolanum accessisset una cum Principibus Imperii, ac Laudensibus aliisque populis amicis, totam urbem dirui soloque æquari jussit, Laudensibus illa parte assignata, quæ pertinebat ad portam Orientalem, cui vulgo *portæ Renciæ* nomen, & aliis itidem populis assignatis aliis partibus urbis. Atque hi omnes tanto cum furore jussa Cæsaris sunt exsequuti, ut paucis diebus tantam ederent stragem, quantam nemo fieri posse ab omnibus illis hominibus crederet totis duobus mensibus. Intacti tamen manserunt urbis muri, circiter centum turribus instructi, & ex ingentibus pulcherrimisque lapidibus erecti: item ad campanarum usum inserviens turris templi majoris, ob altitudinem magnitudinemque admirabilis, licet hæc quoque jussu Imperatoris deinde solo fuerit æquata, & lapsu suo magnam ipsius templi partem humi prostraverit.

Ceterum Laudenses, vexationum memores, quas à Mediolanensibus perpessi erant, præter omnes alios in eorum urbe evertenda, quæ semper ipsis fuerat adversa, conspicui fuerunt. Referunt autem historici, mala ac miserias, quibus hoc tempore Mediolanenses fuerunt afflicti, immane quantum superavisse omnes alias, quas antea toleraverant, calamitates. Et est hæc Scriptorum constans opinio, pro sua justitia Deum hæc ita voluisse fieri, quo pœnam ab illis exigeret vexationum, quibus antea afflixerant ipsi Papienses, Laudenses, Comenses, aliosque.

Ad hunc modum diruta Mediolano cum Imperator Papiam, Laudenses Laudam, & ita alii quoque domos suas rediissent, ipso Paschatis die festo in eadem urbe Papia, quo Imperator præter Principes Imperii præcipuos etiam Italiæ proceres, omniumque Longobardiæ civitatum præfectos convocaverat; ille una cum Beatrice Augusta in templo majore solenniter coronatus fuit corona Imperatoria. Neque enim hoc antea factum erat, quia constituerat Fridericus Imperatorium diadema capiti non imponere, quamdiu Mediolanum non cepisset urbem. Peractis his solennibus Imperator in episcopi Papiensis ædibus convivio excepit proceres ceterosque principum, una cum illarum civitatium Consulibus, quæ ipsi erant addictæ, inter quos & fuit Acerbus Morena, cummaxime præfectus patriæ suæ urbis Laudæ.

Sed inter hasce pompas & pacis actus adeo non relanguit bellicosus Friderici animus, ut proximo Martis die ipso coram episcopi, Marchiones, Comites, proceres Longobardiæ, & Laudæ aliarumque civitatum Imperio parentium præfecti juramento se obligarent ad Placentiæ urbis obsidionem, quæ cum eversa Mediolano fœdus inierat. Hoc comperto Brixiani, cum & ipsi Cæsaris iram metuerent, quippe qui ejusdem cum Placentinis culpæ erant rei, ad Fridericum Consules suos & una multos ex militibus suis miserunt, qui die Dominico post octavam Paschatis in conspectum ejus adducti, solenni cum actu nudatos porrigendi gladios, totam se urbem in potestatem ejus tradere dixerunt. Benigne fuerunt accepti à Cæsare his conditionibus, ut dejicerent muros atque turres urbis suæ, & Cæsaris arbitrio præfectum acciperent, eique præter aliud ingens argenti pondus omnem illam pecuniam repræsentarent, quam ipsi à Mediolanensibus acceperant, quo

A se Imperatori opponerent: præterea ut omnes arces atque castella, quæ in ipsorum finibus erant, ducibus Cæsareis traderent, ipsique in perpetuum fidem suam jurejurando obstringerent. Hoc cum intellexissent Placentini, qui jam belli contra ipsos decreto, quod juramento confirmatum erat, ut supra diximus, erant conterriti, quibuscunque possent, artibus uti constituerunt, ut imminentem ab se averterent patriæ ruinam. Itaque Conradi opera, qui ipsius Imperatoris erat frater, à Cæsare veniam impetraverunt iisdem fere, quibus Brixiani, conditionibus.

Eodem hoc tempore Fridericus instituit *Cattaneos*
B & *Valvassores*, ministrorum aulicorum genus quoddam, iisque aquilam pro insigni dedit. *Cattanei* erant, qui vasorum quorundam habebant curam, in quibus aqua ad mensam Imperatoris continebatur, quæque vulgo *catinorum* nomine dicuntur. *Valvassores* appellabantur, qui ad januæ custodiam, seu ad *valvas* Imperatorii cubiculi stabant. Insuper Brixianis Marcoaldum de Gambara, Bergomatibus Anguinolfum, Placentinis Arnoldum de Barbavaria, Ferrariensibus Comitem Conradum de Balamite, Comensibus Magistrum Paganum, aliisque civitatibus alios præfectos dedit, qui *Podestæ* dicebantur, ut hodieque dicuntur, à *potestate* & auctoritate, qua
C illas regebant urbes, in quibus erant constituti. Verum Laudensibus, Cremonensibus, Papiensibus, aliisque sibi addictis civitatibus ut gratum probaret animum, nullis omnino præfectis eas subjecit, sed suo modo suisque legibus regi eas jussit à Consulibus suis.

Ad hunc modum Longobardiæ rebus ordinatis, mense Julio Imperator versus Bononiam se contulit, quæ nondum penitus ipsi subjecta, neque satis dicto audiens erat. Bononienses tanti Principis victoris contra se adventu cognito, cum ad resistendum ipsi idoneis destituerentur viribus, ut imminentes à se calamitates averterent, quas Mediola-
D nensium malis non inferiores jure timere poterant, si belli fortunam experiri cum Friderico voluissent; satius esse duxerunt inservire tempori, & paulo diversis, quam Placentini & Brixiani, conditionibus ejus se imperio submiserunt. Bononia subacta, Forum quoque Cornelii, (nunc *Imola* est) & Faventia, aliæque civitates omnes atque castella, non Longobardiæ solum, sed totius adeo Italiæ, ad obsequium ejus præsto fuere: excepto duntaxat Garda castello, quod istis temporibus insuperabile censebatur, situm ad lacum, qui inde *Lago di Garda* (olim ille *lacus Benacus* dicebatur) vulgo appellatur. Tenebat hoc illis temporibus nobilis quidam ex gen-
E te Turisendorum, & ipse Turisendus nomine, sed novissime illud in deditionem accepit, & Bergomatium, Brixianorum, & Veronensium copiis pro Imperatore expugnavit Marcoaldus Comes. Eodem anno Fridericus una cum uxore Germaniam repetiit, & inde in Italiam summa cum potestate misit Rainaldum, electum Coloniæ Archiepiscopum, & postea Hermannum, Verdensem in Saxonia episcopum, qui multos populos, discordiis inter se laborantes, in pacem & concordiam redegerunt, Principum & civitatum illarum commodo, quæ bene affectæ erant erga Cæsarem. Idem Coloniæ Archiepiscopus anno MCLXIII. Montis Mali castellum
F in Laudensium finibus refici atque instaurari curavit.

Eodem anno, a. d. v. Cal. Nov. Imperator una cum Augusta in urbem Laudam rediit è Germania, magno episcoporum Principumque comitante numero: eodemque Victor Antipapa una cum suæ factionis Cardinalibus ad eum accessit postrid. Cal. Nov. Biduo post cadaveris S. Bassiani translatio ex urbe vetere in novam facta est maxima cum pompa, humeros supponentibus arcæ sacræ, dum illa ex

ex templo efferretur, Victore, Friderico, Patriarcha Aquilegiensi, & Cluniacensi Abbate, identidem altero in alterius locum succedente. Adeo gloriæ ducebant & contendebant hice ecclesiastici politicique principes isto honorari sacro munere obeundo. Ad exstructionem ædis cathedralis, in cujus inferiore *Choro* hodie quiescit & adoratur hoc sacrum corpus, ipse Imperator triginta denariorum Imperialium pondo obtulit, Beatrix Augusta quinque. Semper apud Laudenses propagata continuataque est in suum hunc sanctum Patronum & quasi deum tutelarem religio, ut præter multa alia indicia manifestum est ex solennibus illis, quibus dies festus, ejus honori dicatus, quotannis celebratur. Neque enim quidpiam publicæ rei geritur triduo ante, & item triduo post illum diem: neque ipso die festo quidpiam venum exponitur: & adeo fiunt omnia, quæcunque isti solennitati magnificentiam atque religionem possint addere. Antiquitus etiam ad voluptatem illorum populorum, qui magno numero ex vicinis urbibus ad hoc festum confluebant, ludi edebantur seu venationes eximiæ ferorum taurorum, luporum, aliarumque ferarum. Sed cum petulans juventus eo proterviæ procederet, ut signa quædam, quibus insculptæ erant duæ literæ S. B. quibus S. Bassiani nomen significabatur, extraneorum frontibus, qui ad festum hunc diem convenerant, etiamsi illi altioris conditionis, primique loci homines essent, auderent imprimere, se eos hoc actu inter clientes S. Bassiani referre dicentes; atque inde tumultus ac turbæ orerentur, quæ festivitatem hanc in funestos tragicosque mutabant actus, à majoribus nostris prohibita fuerunt spectacula illa profana.

Peracta corporis S. Bassiani translatione, Imperator a. d. XVI. Cal. Dec. cum exercitu suo Papiam se contulit, ibique totam illam hyemem egit. Tum ut affectum, quo prosequebatur Laudenses, ostenderet, simul & aliquod magnitudinis suæ monumentum illis relinqueret, in territorio nostro castellum S. Columbani iterum exstrui curavit, & ipse Cal. Apr. anni MCLXIV. Laudam venit. Inde Papiam denuo regressus, Veronensium, Patavinorum, Vicentinorum, aliorumque Marchiæ Tarvisinæ populorum rebellionem intellexit, qui nimiis premi se querebantur oneribus à Comite Palatino, cui Imperator Gardam castellum donaverat, aliisque præfectorum ejus. Parum ipsi gratum accidit hoc novi, & ut in ipsis principiis tantas opprimeret turbas, ad eos misit quosdam Laudæ, Papiæ, Cremonæ, Novariæ, & Comi urbium legatos, qui cum Veronam venissent, convocatis hujus urbis totiusque Marchiæ Tarvisinæ proceribus sententiam Imperatoris exposuerunt, iisque nomine ejus asseveraverunt, si durius ab ejus essent tractati præfectis, ipsum protinus illis ex justo & æquo subventurum, atque ita facturum, ne unquam pœniteret eos ipsi fidos addictosque esse. Hice legati à Veronensibus eorumque sociis hoc impetraverunt, ut quidam illorum una cum ipsis irent Papiam, quo ibi cum ipso Imperatore de rebus componendis posset agi. Sed post longas disputationes tum quidem nihil aliud ipsi, quam verba & promissa acceperunt. Quarta feria post octavam Paschatis anni ejusdem in urbe Luca decessit Victor Antipapa, & in ejus locum à Cardinalibus, aliisque factionis istius ecclesiasticorum principibus, inter quos & numeratur Albericus Merlinus, Laudensis episcopus, sublectus est Vido de Crema, Sacerdos, Cardinalis titulo S. Calixti, qui Paschalem III. se dici voluit.

Sed Imperator, rebellionem punire Veronensium aliorumque Marchiæ Tarvisinæ populorum cupiens, cum exercitu suo paucorum aliquot Germanorum & illorum militum, quos ipsi nostra aliæque addictæ urbes subministraverant, Veronensium fines ingressus est, multosque in isto tractu vicos atque castella devastavit. Sed cum Veronensium validas admodum vires offenderet, quas magnam partem aliæ sociæ civitates illis suppeditaverant, & valde dubitaret de secunda fortuna, si quando prælium cum illis consereret, maxime cum civitatum Longobardiæ milites parum videret inclinatos, ipsius ad hoc bellum castra sequi; tum quidem consultius ipsi visum est evitare prælium, & in Germaniam regredi ad novas vires colligendas, ut & fecit mense Septembri, relictis tamen in Longobardiæ civitatibus, quæ ipsius imperio parebant, præfectis suis & procuratoribus. Itaque apud Laudenses hunc honorem adeptus est Lambertus Viniatus, nobilis Laudensis, cui etiam Cremensium subjecit civitatem. Sed dum Imperator in Germania commoratur, præfecti illi & procuratores ejus in muneribus suis obeundis adeo se barbare crudeliterque gesserunt, ut ipsorum tyrannide potius, quam regimine omnes omnino populi opprimerentur, magni juxta atque exigui, nec minus ecclesiastici, quam politici ordinis homines. Omnium maxime sub hoc gravi servitutis jugo gemebant Mediolanenses, quibus ex omnibus agrorum suorum fructibus nonnisi tertiæ partis pars tertia fiebat reliqua. Et ne sigillatim enumeremus omnes rapinas atque mala, quibus in tota Longobardia ministri illi Imperatoris & facultates hominum, & ipsos adeo homines affligebat, neque lectori faciamus tædium, sed rem in pauca conferamus, certe illa prorsus intoleranda fuissent, ni spes illa solatio fuisset ipsis, Imperatorem, quem ignarum esse vexationum illarum rebantur, cum in Italiam venisset, extracturum ipsos ex tantarum miseriarum voragine.

Denique igitur mense Novembri anni MCLXVI. Fridericus una cum Beatrice uxore in Longobardiam rediit, comitantibus, ut fieri solebat, multis principum Germanorum; & cum Laudam venisset, in alloquutione quadam ad suos, multosque Longobardiæ proceres, quod ceperat, Romam cum exercitu proficiscendi consilium, illis exposuit. Hic præsto fuerunt ecclesiastici politicique illarum civitatium legati, quæ adeo erant male habitæ ab ejus procuratoribus, & magno cum doloris sensu querelas suas exposuerunt, ab eoque supplices præsentaneum & efficax remedium petierunt. Ad hæc Imperator maximam inde animi molestiam præ se ferre, re ipsa nullum omnino afflictis malorum ferre remedium. Itaque infelices illi nullum adepti solatium, omnia, quæ ipsi toleraverant mala, ipsius Imperatoris consensu sibi accidisse suspicabantur, & in futurum majores adhuc subeundas sibi calamitates suspicabantur. Præterito sanctissimo nostri Servatoris die natali, Fridericus a. d. XVII. Cal. Febr. anni MCLXVII. cum uxore & exercitu versus Bononiam abiit, Romam eundi consilio. Petiit impetravitque à Bononiensibus XXX. obsides, ut de fide eorum posset esse securus, eosque Parmam misit, ibique ut diligentissime custodirentur, mandavit. Bononia digressus ad *Imolam* (olim Forum Cornelii erat) accessit, & isti urbi minitans excidium, magnas ejus incolis pecunias abstulit. Eodem modo egit cum Faventinis, Forolivianis, & Foropopilianis, quorum in terris usque ad S. Petri diem festum commoratus est. Deinde exercitum ad Anconam admovit, quam tamen vi atque uno occupare impetu, ut cogitaverat, non potuit. Nam urbem eam admodum permunitam Anconitani aliquandiu strenue defenderunt, quanquam deinde & ipsi denique pactionibus cum Imperatore transigere debuerunt, & illi se obligare ad satis magnam vim pecuniarum solvendam, datis obsidibus, ut illarum securus esse posset.

Cum ad hunc modum Imperator ad urbem Romam pergeret, Longobardiæ populi crudelius adhuc, quam antea, tractabantur opprimebanturque

à præfectis, quos Imperator illis reliquerat. Atque adeo nihil intentatum relinquere constituerunt, quo à cervicibus suis adeo intolerabile jugum excuterent, sub quo prorsus vivere amplius non posse videbantur. Itaque Mediolanenses, qui præter ceteros, ut dictum est, acerbius affligebantur, ut conventus indiceretur, effecerunt, ad quem legati Cremonæ, Bergomi, Brixiæ, Mantuæ, & Ferrariæ civitatum convenirent, ut & factum est a. d. VII. Id. Apr. in æde S. Jacobi de Pontida, in finibus Bergomatium. Hic alii cum aliis inhumanam præfectorum suorum, qua ipsi misere obterebantur, sævitiam communicaverunt, & omnia experiri constituerunt, quo illi se eximerent: satius esse dicentes, semel honeste mori, quam duris adeo legibus imperii torqueri diutius. Convenit itaque, ut altera civitas, quandocunque in auxilium vocata esset, subveniret alteri, si quæ se præfectis opponere haberet opus: ita tamen, ut diserte omnes testarentur, sibi propterea non esse animum violandæ fidei, quam alias Imperatori obstrinxerant. Præterea constitutum est, ut omnes illæ civitates certo tempore copias suas Mediolanensibus auxilio mitterent, ad fossas antiquæ urbis expurgandas, & pristinas sedes iterum occupandas. Atque ita factum etiam a. d. IV. Cal. Maji magno Mediolanensium gaudio, qui firmata sibi patriæ possessione, sociis suis ex animo gratias egerunt, eosque domos suas dimiserunt.

Sed cum perpenderent Mediolanenses, res suas, nisi auxilio & amicitia Laudensium, stare non posse, negotium Cremonensibus dederunt, qui veteres erant nostrorum socii, ut eorum sibi amicitiam conciliarent. Itaque Laudam profecti Cremonensium legati, à Republica Laudensi petierunt, ut fœderi se adjungeret, quod cum Mediolanensibus inierant civitates illæ, quas supra diximus, cum hoc fieri posse non violata fide, quam obligaverant ipsi Friderico; ut & paratas ad suam defensionem semper ipsis fore Mediolanensium ceterorumque sociorum vires asseverarent. Sed cum hice legati nihil à Laudensibus impetravissent, qui se vitæ potius, quam fidei atque devotioni erga majestatem Imperatoriam renunciaturos dicebant, ægris animis domum redierunt. Sed cum vel sic Cremonenses in istius fœderis societatem pertrahere nostros sperarent, novam & magis solennem miserunt ad Laudenses legationem, qui in sententia sua persistentes, eos eodem dato responso dimiserunt. Deinde cum legatis earundem civitatum sociarum denuo in consilium convocatis omnia Cremonenses exposuissent, quæ incassum annixi fuerant ut à Laudensibus obtinerent, parum sibi profuturum novum fœdus omnes existimaverunt, nisi ad illud Laudenses quoque accederent. Belli enim temporibus Mediolanenses ab re cibaria non satis instruere se posse videbantur, nisi ab agrorum nostrorum fertilitate & commeatibus adjuvarentur: simul etiam, quamdiu inter Imperatorem & Laudenses tum arte, tum ipsorum ingenio, firma perduraret amicitia, difficulter tota Longobardia contra Cæsaris potentiam tueri se posse videbatur. Constituerunt itaque collectis viribus suis, quantis maximis possent, Laudenses adigere ad societatem cum ipsis ineundam, & communem omnium salutem tuendam. Sed antequam armis invaderent eos, denuo missis omnium sociarum civitatum nomine legatis, nostrorum expugnare animos tentaverunt, sed frustra. Igitur ad arma ventum est, & a. d. IV. Id. Maji ejusdem anni MCLXVII. fœderatarum urbium, id est, Mediolanensium, Bergomatium, Brixianorum, Mantuanorum, Cremonensium, Ferrariensium, & Cremensium copiæ hostili animo fines nostros intraverunt, multis secum advectis machinis bellicis, & item per Adduam flumen multis navibus apertis tectisque. Inde hostes ad urbem castris admotis, obsidione eam cinxerunt, sic ut Cremonenses ad Sylvam Græcam Addua flumine tenus multis una cum navibus oppugnationem urgerent; Mediolanenses autem cum reliquis omnibus, Bergomatibus duntaxat exceptis, à loco, cui nomen *la Corte d'Isola*, usque ad nosocomium S. Blasii, quod ad Sylvæ Græcæ paludem est, castra ponerent, simul etiam se extenderent ad portam usque Imperialem, Papiensem, & Cremonensem; & denique Bergomatium pedites aliquot post diebus ab altera parte Adduæ amnis urbem oppugnarent. Exortæ sunt inter obsidentes obsessosque plures pugnæ, eæque sanguinolentæ semper & atroces, varia partium fortuna. Mox fœderati, ut majore incommodo turbarent obsessos, ex navibus pontem in Addua flumine prope portum exstruxerunt, atque inde continuos dies noctesque saxa aliaque tela in urbem conjecerunt, quibus male multabantur propugnatores, qui nihilominus plus semel feroces hostium impetus magnis animis ac virtute repulerunt. Sed ad ultimum Laudenses, cum penuriam perpenderent annonæ, quæ non sufficiebat alendis in urbe militibus, civibus, hominibusque rusticis, qui intra mœnia obsessæ patriæ se receperant; cumque viderent, se non diu posse resistere tantis hostium copiis; postquam gravissimis damnis malisque & facultatum & corporum suorum erant multati, pacem cum fœderatis civitatibus fecerunt, cujus conditiones à Sigonio recensitæ *De regno Italiæ* lib. XIV. ita habent: *Fœderatæ civitates; &c. Fœderatæ civitates agrum Laudensem ab omnium injuria tutum præstabunt: urbem, si bellum ingruet, mille amplius armatis propriis sumtibus tuebuntur: muris attollendis ac construendis auxilio erunt. Mediolanenses posthac decimam ab eis non exigent, libera commercia a vectigalibus civitatum, liberam Padi navigationem permittent, pacemque eis à Pontifice impetrabunt. Contra Laudenses nemine fœderatorum nocebunt. Venetos, Veronenses, Vicentinos, Patavinos, Mediolanenses, Tarvisinos, Mantuanos, Ferrarienses, Parmenses, Placentinos, & si qui alii huic fœderi se adjunxerint, bello paceque juvabunt, salva fide, Friderico Cæsari data.*

Ad hunc modum pace facta, sociorumque copiis dimissis, urbs nostra obsidione liberata est. Eodem hoc tempore Paschalis Antipapa, qui Viterbii commorabatur, denique ab Imperatore, ut Romam veniret, impetravit, ad quod iter ille jam pluries eum solicitaverat, auxilio se Alexandrum III. Pontificem ejusque sectatores oppressurum speraret. Sed illa quidem, quæ tum in urbe Roma contigerunt, quia nihil ad nostram pertinent *Historiam*, & apud alios videri possunt scriptores, ut omittamus, nostramque persequamur narrationem; Imperator multis contra illos, qui in Alexandri partibus erant, victoriis partis, in æde S. Petri solenni ritu ab Antipapa ornatus est diademate Imperatorio, & itidem coronata ejus uxor. Dehinc multos suorum Principum & majorem exercitus partem amisit ex pestilentia, quam Deus forte ipsi immisit, ut eum castigaret, quod Paschalis Antipapæ partes tuebatur. Inter illos post longam infirmitatem mortuus est etiam Acerbus Morena, patria Laudensis, & præfectus aulæ Imperatoriæ (*Majorem domus* vulgo dicunt) in urbe Senensi. Itaque visum fuit Imperatori, quo majorem suorum effugeret cladem, in Longobardiam redire. Ibi cum in itinere Pontremulenses eum transitu prohiberent, quos armis invadere non poterat, propter imminutas plurimum copias suas, & infirmitatem illorum, quos exiguo numero secum habebat; per terras istas, quæ in ditione erant Obicii Malaspinæ, Marchionis, denique a. d. III. Id. Sept. ejusdem anni MCLXVII. Papiam pervenit. Hic ipso S. Matthæi die festo in publico concilio omnes illas civitates, quæ, ut supra dictum est, fœderis societatem contra ipsum inie-

inierant, Imperatoriæ proscriptioni subjecit præter Cremonam & Laudam, cum edoctus esset, hasce duas civitates, & maxime quidem nostram se aliis illis adjunxisse, necessitate illa, quam supra exposuimus, coactam. Mox Imperator exercitum suum auxit equitatu Papiensium, Novariensium, Vercellensium, ut & Gulielmi, Montisferrati Marchionis, & Marchionis Obicii Malaspinæ, Comitisque Blandratæ, qui tum apud ipsum erant Papiæ. Cum his copiis Mediolanensium fines intravit, & Rosate, Abbiategrassum, Macentam, Corbettam, aliaque loca deprædatus est, edita ubique strage, & ingenti præda abducta. Itaque Laudenses, ut fœderis conditiones, quas supra retulimus, implerent, adacti fuerunt, una cum aliis sociorum auxilio Mediolanensibus accurrere. Et subito tantæ sociorum convenerunt copiæ, ut Imperator ocyus Papiam se reciperet. Inde, sic ut ne quidem descenderet equo, ad S. Petri in *Cœlum aureo* se contulit, atque hic cum pauco se cibo refecisset, celeriter cum omnibus copiis per pontem, quem ex navibus confecerant Papienses, transgressus Padum flumen, aliquot in Placentinorum finibus loca devastavit, magnasque inde prædas abstulit. Sed neque heic magnos facere progressus potuit, subito concurrentibus eo sociarum urbium copiis: atque adeo utile ipsi visum est, cum agmine suo in Papiam se urbem recipere.

Ceterum nostri his ipsis temporibus à Papiensium militibus multis sunt affecti damnis, qui in eorum fines factis excursionibus, magnas inde prædas avexerunt. Sed deinde, cum Laudenses missis Papiam legatis, qui se ab ipsis sine causa infestatos esse conquererentur, cum antea semper inter se fuissent amici, seque paratos esse dicerent, istam porro etiam conservare amicitiam, recuperare sua non possent, & neutiquam ex æquo responsum acciperent; pulchre illi par pari retulerunt Papiensibus, & in eorum fines cum bene armati excurrissent, magnas inde prædas domum avexerunt. Sed Fridericus, cum in Longobardia non istis potiretur victoriis, quas speraverat, ejusque vires multum essent imminutæ, postquam totam hyemen Papiæ, Novariæ, Vercellis, Montisferrati, atque Astæ egerat, fere ut privatus mense Martio sequentis anni MCLXVIII. in Germaniam regressus est. Post ejus abitum S. Galdinus de Sala, Archiepiscopus Mediolanensis, & Alexandri III. summi Pontificis legatus in Longobardia, Mediolano misit Abbates S. Ambrosii & S. Vincentii, ut Albertum de Casano, *Præpositum* majoris templi Laudensis, aliosque clericos omnes, ut & Consules Laudenses admonerent, ut relictis Paschalis & Friderici partibus, Alexandrum pro vero Pontifice agnoscerent, & ex officio illi satisfacere animum inducere ob injuriam illi factam, quod Antipapæ & Imperatoris, inimici sui, partes fovissent. Hoc amplius mandaverunt illis, ut ocyus episcopi catholici electionem aggrederentur. Quod si his parere mandatis recusarent, pœnas illis & censuras ecclesiasticas denunciabant, quibus subjici solent illi, qui in sanctam Ecclesiam sunt contumaces. Hac legatione plurimum conturbati sunt Laudensium animi, quippe qui tum maximam partem jurejurando Paschali jam & Friderico se obstrinxerant, tum autem veri Pontificis timebant indignationem. Denique autem post varias longasque consultationes vero Pontifici Alexandro obedire constituerunt, ejusque se partibus adjungere, quippe cujus causa nitebatur justitiæ tibicine. Itaque ante Pascha die Jovis, id est, a. d. IV. Cal. Apr. ejusdem anni MCLXVIII. Clerus episcopum Laudensem elegit Albertum de Quadrellis, qui isto tempore *Præpositus* erat templi in Ripa alta, homo ista bonitate ac religione, quæ requirebatur ad hoc, quod ipsi muneris injungebatur, quique hanc ecclesiam tanta

A deinceps cum virtute rexit, ut post mortem suam Sancti honores titulumque meruerit. Sed cum ille hoc tempore Bergomi ageret, omnes ordines Laudensium eo concurrerunt, magnaque cum pompa Laudam accitum ipsis Idib. Apr. ingenti cum gaudio ad ecclesiæ suæ possessionem capessendam deduxerunt, inter frequentes applausus & lætissimas omnium acclamationes.

Postquam Imperator Italia excesserat, ut supra dictum est, sociis Longobardiæ urbibus se adjunxerunt Vercellenses, Astenses, Comenses, Obicius Malaspina Marchio, aliique. Itaque illæ multum auctæ viribus, bello oppugnare Papienses & Mon-
B tisferrati Marchionem constituerunt, qui partes adhuc Imperatoris sequebantur. Quod ut eo facilius exsequi possent, eodem hoc anno ad ripam Tanari amnis, inter Dertonam & Astam, novam exstruxerunt urbem, ejusque mense Majo ineunte feliciter jecerunt fundamenta. In hanc ex vicinis urbibus & nostra etiam Lauda brevi tempore tantus hominum numerus confluxit, ut Scriptorum testimonio intra vertentem annum quindecim millia incolarum illa haberet, & vallo cincta, & castellis fossisque satis profundis munita staret, quod tota non sine admiratione cognovit Italia. Et ut ægre facerent Imperatori, nomen eam habere voluerunt à summo Pont.
C Alexandro, & ALEXANDRIAM dixerunt: quanquam Papienses aliique Cæsari faventes *Cæsaream* eam appellaverunt, & si quando *Alexandriam* dicerent, contumeliæ causa vocem *paleæ (della paglia)* addebant, quod cognomen illa hodieque servat: ut scilicet eam parum fore durabilem significarent. Dehinc civitates sociæ legatos suos miserunt Laudam, ibique denuo confirmatum est fœdus illud, quod jam antea inter se inierant, additis nonnullis conditionibus, ad communem omnium securitatem & publicæ pacis conservationem opportunis. Ita igitur pax denique multos in annos duravit, Longobardique respiraverunt à bellorum calamitatibus, quibus tanto tem-
D pore fuerant afflicti. Anno MCLXX. è vivis excessit Paschalis Antipapa, inque ejus locum à sectatoribus ejus substitutus est Joannes, natione Hungarus, & Abbas Sirmiensis, qui se Calixtum III. dixit.

Fama dehinc in Germaniam ad Imperatorem perlata, omnes fere Longobardiæ urbes ab ipso descivisse, quintum in Italiam transire constituit, ut à rebellibus contra se populis pœnas exigeret. Itaque a. d. IV. Non. Oct. anni MCLXXIV. per *Moncenes* profectus, protinus cepit evertitque Segusium urbem, (nunc *Susa* est) & pactis conditionibus Asta potitus, infesto animo ad expugnationem novæ urbis Alexandriæ se accinxit. Verum illa ita erat
E instructa ab omnibus illis rebus, quæ ad diuturnam obsidionem sustinendam requiruntur, ut quarto mense, postquam eam arcta obsidione clauserat Imperator, elusis omnibus ejus consiliis atque viribus, feliciter illa liberaretur armis Imperatoriis, & Imperator Papiam se recipere prorsus re infecta deberet. Tum quia sociæ urbes in armis habebant ingentem validumque exercitum, peritissimis ducibus additis, qui proinde terrore percellere poterat animum Friderici, primum ille prædictis civitatibus quasdam induciarum, mox & certæ pacis conditiones proposuit. Sed ille nonnisi hoc responsum tulit, socios nihil omnino hujusmodi cum ipso agere
F velle, nisi prius ea de re certior redderetur summus Pontifex Alexander. Sed intermissum est hoc negotium, cum Imperator nuncium accepisset de quorundam in Germania Principum rebellione. Itaque in Germaniam sibi celeriter abeundum ratus, ita declaravit animum suum atque consilium, ut ex sola fama adventus ejus tumultus isti sedarentur, & rebelles ad officium redirent.

Quare tum illi commodum fuit sextum Italiam petere, quo secum adduxit una cum Augusta ma-

gnas peditum equitumque copias, viamque ingressus est Comensem. Nihil adventu Cæsaris conterriti sunt Mediolanenses & Laudenses, aliique sociorum, quin ocyus conjunctis copiis, cum agros Papiensium, aliorumque terras, qui in Cæsaris persistebant partibus, devastavissent, magnisque eos multavissent damnis, in apertum campum procederent, exspectantes Imperatorem, eique pugnandi copiam facientes. Lætus ad hunc nuncium Cæsar, ut qui magni erat atque audacis animi, jam oblatam sibi occasionem sperabat, unico prælio de civitatibus illis, quas ipse pro rebellibus habebat, pœnas exigendi, quas sæpius illis comminatus fuerat. Itaque cum exercitus ad invicem accessissent, atrox consertum est prælium, inter equites primum, mox & inter pedites. Sed dum utrinque pertinaciter pugnatur, signifer, qui aquilam Imperatoriam ferebat, cum nimium temerarius in confertissimos se hostes immisisset, protinus misere periit, aquila in hostium potestate relicta. Hoc cum vidisset Imperator, adeo commotus est ira & furore, ut nullo habito personæ suæ respectu, ad istam se partem aciei stricto gladio conferret, ubi Mars erat atrocissimus, quocunque accederet, non vulgaribus fortitudinis suæ atque audaciæ documentis editis, multisque suapte manu in ipsa acie aut occisis, aut vulneratis. Denique autem tanto ille hostium numero est obrutus, ut ejus equo collapso uterque exercitus eum in ista turba vita privatum opinaretur. Atque hoc sicut prorsus fregit animos Germanorum, ita Italicos ad spem plenissimæ victoriæ evexit, quam & adepti sunt feliciter, ingenti hostium numero cæso, præter illos, qui in Ticino amne perierunt, juxta quem commissum est hoc prælium. Afflixit hæc clades tum quidem vehementer omnes illos, qui in partibus erant Cæsaris, tum vero maxime omnium Friderici calamitatem deflevit Beatrix Augusta, quæ Comi substiterat. Hæc cum eum jam esse mortuum crederet, & cadaveri illa pietatis officia præstare cuperet, quæ solet uxor erga maritum optime affecta, protinus lugubri veste induta, quam fieri posset diligentissime, quæri illud jussit inter reliqua cæsorum infelici prælio cadavera: quod cum frustra fuisset, missis ad Mediolanenses eorumque socios legatis, illud ut sibi redderetur, petiit. Sed dum funus apparatur Friderico, ille non tantum vivus, sed valens etiam & intactus, Imperatoriaque chlamyde ornatus, quinque post dies Papiam venit. Huc ocyus etiam convenerunt una cum exsultante Augusta copiarum suarum reliquiæ, earumque duces, aliique Principes, qui ipsi adhærebant. Ab his serio admonitus, hoc, quod ipse Antipapam tueretur, & opprimere studeret Alexandrum III. verum Pontificem, ac successorem Petri, esse illud grave peccatum, quo Dei contra se iram provocaret, ideoque adversam experiretur belli fortunam; denique animum induxit, prorsus Antipapæ partibus relictis, obedientiam, ut justum erat, Alexandro præstare, conspicuo Christi ecclesiæ capiti. Cœptum est agi primum hac de re per legatos, deinde tota res expedita est Venetiis, ut plerique Scriptorum tradunt. Huc postquam se Pontifex contulerat, eodem & Imperator profectus est, atque ibi una cum suis notæ ecclesiasticæ exemptus, ut apud diversos Scriptores videre potest, quisquis hæc cognoscere cupit. Mox induciæ armorum in sexennium constitutæ sunt inter Cæsarem & fœderatas Longobardiæ civitates, quas deinde, ut in sequentibus dicetur, diuturna pax excepit, quæ anno MCLXXXIII. facta est in urbe Constantia. Tum Venetiis Romam Alexander, Fridericus in Germaniam abiit, & Calixtus Antipapa fassus errorem suum, depositoque habitu Pontificio, veniam rogavit impetravitque à vero Pontifice. Atque ita sublatum est Schisma, quo per multos jam annos sancta Ecclesia fuerat afflicta.

A Tum vero Laudenses, ne inde, quod novam sibi urbem exstruxerant, aut æmuli eorum, aut quicunque alii turbarent eorum jurisdictionem, prærogativam, aut privilegia, quæ in vetere patria ipsi obtinebant, petierunt impetraveruntque ab Alexandro III. Pontifice, dum ille Venetiis ageret, sequens diploma Apostolicum, quod non ingratum fore lectoribus arbitror, si hic de verbo ad verbum oculis eorum subjicere voluimus.

CONFIRMATIO FACTA PER SVMMVM PONTIFICEM NOVAE CIVITATIS LAVDENSIS.

B **Alexander Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis, Filiis Consulibus, & Populo Laudensi Salutem, & Apostolicam Benedictionem.**

Cum Civitas Vestra de loco, ubi constructa fuerat ab antiquo, ad alium locum sit translata: Ne occasione hujus Civitatis quicquam de his, quæ prius habebatis, vobis possit subtrahi, vel auferri, postulastis Statum Civitatis vestræ, Apostolicæ Sedis munimine roborari. Nos itaque postulationibus vestris benignius annuentes, & attendentes devotionem, quam circa nos, & Romanam Ecclesiam exhibetis, statum Novæ Civitatis C *Vestræ cum omnibus bonis, & Possessionibus Vestris, & cum omni Territorio, quam intus, vel foris Civitatem veterem contingebat, ratum habemus, & firmum, ipsumque auctoritate Apostolica confirmamus præsenti pagina, statuentes, ut possitis liberos homines, qui fuerunt de Crema, vel de locis aliis, se ad vos transferentes, sine contradictione recipere, & receptos tenere, sicut nuper inter vos, & Rectores Lombardiæ rationabiliter noscitur esse statutum. Datum Venetiis in Rivoalto* XVII. *Kal. Julii* 1177.

A Tergo

Dilectis Filiis Consulibus, & Populo Laudensi.

Anno MCLXXIX. prid. Non. Jul. è vivis, id est, ex miseriarum inexhausta voragine ad cœlestem patriam migravit S. Albertus, episcopus Laudensis, D postquam hanc ecclesiam sancte rexerat undecim annos cum mensibus tribus. Cadaver ejus insigni cum pompa elatum est ad templum cathedrale, ibique conditum in sepulcro lapideo sub altari, in ejus honorem erecto. Deinde Ludovicus Taberna, Laudensis itidem episcopus, anno MDLXXXVIII. transtulit illud in subterraneam ejusdem templi partem, & majore cum decore sub altari *Sanctissimæ Pietatis* è regione S. Bassiani reposuit. Venerabile tamen S. Alberti caput argento vinctum honorifice servatur in vicina fenestella, & quotannis ipsius die festo civium oculis exponitur, qui grato animo tum illa beneficia, quæ ab eo, dum viveret, hæc civi- E tas accepit, tum illa singularia, quæ post mortem suam continuo ad nos demisit ex Paradiso, agnoscentes, eum advocatum & patronum suum esse voluerunt, & quotannis festum felicis decessus ejus diem celebrari constituerunt. Hic S. Albertus Laudæ primus instituit *Cleri Consortium*, atque illud magnis locupletavit facultatibus, quæ in optima pietatis opera impenduntur.

Sed Fridericus Imperator cum in Germania, ut dictum est, commoraretur, gravis annis, fessusque tot molestiis bellique laboribus, quos per quinque & viginti annorum spatium pertulerat, atque adeo F quietis jam cupidus, in publico concilio, quod Magontiacum indixerat anno MCLXXXI. quo eodem anno fato functus est etiam Pontifex Alexander III. quinque, quos habebat, filiis prospexit, interque eos paternam divisit hereditatem. Henricum, natu maximum, regem Romanorum eligi curavit: Secundo, id est, Friderico, Sueviæ Ducatum legavit: Othoni, qui tertius erat, Ducatum Burgundiæ: reliquis, Conrado & Philippo, oppida quædam

dam reditusque satis amplos assignavit. Denique cum conditionibus potius, quam armis pacem firmare cum fœderatis Longobardiæ civitatibus cuperet, quibuscum constitutæ Venetiis armorum induciæ adhuc durabant, aliud concilium indixit Constantiam, & ad illud legatos etiam suos ut mitterent, eas invitavit, quo amice omnes utrinque controversiæ dirimerentur. Itaque cunctæ lubentes eo suos Oratores ablegaverunt, & inter ceteras Laudensis civitas Ufentium Fissiragam, & Anselmum Summaripam eodem misit. Sopitæ sunt hoc in conventu omnes omnino veterum contentionum offensæ: fecit potestatem prædictis civitatibus Imperator suam cuique Rempublicam administrandi suis legibus moribusque: restituit illis pristinam jurisdictionem, civilem juxta & criminalem, ut & potestatem suos sibi Consules & præfectos eligendi: denique voluit eas omnium illorum recipere possessionem, quæ inter præterita bella amiserant. Contra autem sibi suisque posteris à quibusdam judiciis ad suum tribunal provocationem reservavit, eumque pro Principe suo atque Imperatore agnoverunt eædem civitates, quæ & fidem illi suam atque obedientiam jurejurando obstrinxerunt. Ita mutuo utrinque cum gaudio vera certaque & perpetua pax est publicata anno MCLXXXIII.

Dehinc fida aliquandiu inter nostram urbem atque Mediolanensem amicitia duravit. Quin & anno MCIX. inter duas hasce civitates solenniter pax est renovata, sic ut Mediolanenses liberam Laudensibus Cavacortæ, Montis mali, S. Columbani, Grafinianæ, Somasani, Gardellæ, Roncadelli, aliorumque locorum jurisdictiones relinquerent.

Idem hic annus memorabilis est morte Friderici Imperatoris, cognomento Barbarossæ, qui summi Pontificis jussu cum ingentibus copiis in Asiam profectus, Christianis in ea parte orbis laturus opem, quo & multi eum sequuti sunt ex fortissimis Laudensium; dum, ut nonnulli volunt, urente quondam solis æstu ad lavandum, ut consueverat, quoddam Minoris Armeniæ flumen ingreditur, vi torrentis abreptus misere periit a. d. VII. Id. Jun. anno Imperii sexto & trigesimo. Magnanimi hujus Principis liberalitati nostra civitas multas prærogativas, immunitates, & privilegia accepta refert. Quin & in privilegii cujusdam, quod ille nostris episcopis concessit, diplomate, scripto Papiæ a. d. VIII. Cal. Oct. anni MCLXIV. *sacri Romani Imperii principum* titulo eosdem ornat. Veruntamen omnium maximum nostris præstitit ille beneficium, cum hanc ipsis novam conderet urbem, in cujus exstructione promovenda, ut Radevicus Frisingensis testatur *De rebus gestis Friderici* I. *Rom. Imp.* lib. I. cap. XLVI. liberalitas ejus vere Imperatoria magnifice enituit. Quare & Laudenses, haudquaquam in tantum ingrati benefactorem, una cum ejus effigie marmorea posuerunt illi in curiæ porticu ad majorem basilicam hanc inscriptionem:

FRIDERICO I. AENOBARBO AVG.
OB LAVDEM E BELLICO CINERE
VINDICATAM
IN HOC EDITIORI LOCO
FOELICIORIBVS AVSPICIIS ERECTAM
AC CIVIBVS EXPLETAM
DEC. POP. Q. LAVDENSIS
ANTIQVI SPLENDORIS, AC DIGNITATIS
RESTITVTORI
MARMOREVM SIGNVM, AC ELOGIVM
P.
ANNO DOMINI MDCXV.

Friderico successit Henricus, filiorum natu maximus, quo auctore anno MCXCI. ut scribit Antonius Campus, historicus Cremonensis, in *Historia* A *Cremonæ urbis* lib. II. Laudenses inita cum Cremonensibus, Comensibus, Marchione Montisferrati, Papiensibus, & Bergomatibus societate, & Mediolanensium fines ingressi, sive ut novo Cæsari gratum facerent, sive quacunque alia de causa, quam apud scriptores non invenio; incendiis illos multum deformaverunt. Deinde cum anno MCXCIII. sive, ut alii volunt, MCXCIV. nostri fossam à Lauda urbe ad amnem usque Lambrum duxissent, quæ plurimum ipsorum usibus inserviebat, Mediolanenses cum Brixianis, Cremensibus, Placentinis, & Mantuanis eo profecti, omnia moliti sunt ad eam obstruendam. Sed cum progressi illis obviam Laudenses, B eorumque socii, agros Mediolanensium essent depopulati, prid. Cal. Jul. prælium est commissum, quo hostes fuerunt superiores. Capti sunt nonnulli milites Laudensium, & plures Cremonensium una cum suo *Carrocio*, & item alii sociorum, præter multos, qui in Addua flumine infelici morte perierunt. Tum Mediolanenses & Brixiani victoria utentes, Cavenagum expugnaverunt, incenderuntque Zovanengum, in Laudensium ditione loca, & eodem infortunio multaverunt quoque Caravagium & Soncinum, loca Cremonensium. Deinde anno MCC. pax inter nostros & Mediolanenses est restituta, ita ut in horum ditione manerent Melenianum, C Calvensagum, Cerrum, Vigisolum, & Aniarellum.

Florebat his temporibus magna prudentiæ fama Saccus de Saccis, nobilis Laudensis, quem proinde, cum non vulgaris esset ejus auctoritas, arbitrum delegerunt magnarum quarundam inter se contentionum Mediolanenses, qui in plures factiones distracti, uno eodemque tempore plures civitatis suæ præfectos creaverant, quæ res huic Reipublicæ haud leves minabatur turbas. Sed opportune illas sopivit Saccus, eamque ob causam adeo gratus acceptusque fuit Mediolanensibus hic vir sapiens, ut ipsorum postea præfectus ille fuerit anno MCCIII. & item D anno MCCXXI.

Etiam nostra civitas anno MCCXI. magno belli intestini periculo est defuncta. Plebs à nobilitate dissidebat, & ingentes videbantur tumultus imminere. Sed in tempore efficax remedium ægro corpori additum est, studiaque partium sublata opera Achillis Belloti, Pellegri Fissiragæ, Fossadi Summaripæ, & Gualteri Gavacii, civium Laudensium, ut & Hugonis Prealonis, patria Mediolanensis, & cummaxime Laudensium præfecti.

Eximia erat his temporibus Gualteri Garbani sanctimonia, patria Laudensis, qui hereditate paterna inter egenos divisa, infirmorum servitio se addixit E in nosocomio S. Raimundi, quod in quodam Placentinæ urbis est suburbio. Post biennium in patriam regressus, eadem pietatis officia continuavit in S. Bartholomæi nosocomio extra Laudam, & insigni erga infirmos charitate aliud nosocomium addito etiam sacello exstrui curavit non longe ab eadem urbe nostra in via, quæ Mediolanum fert. Hoc cum deinde ampliavisset Henricus Settara, Archiepiscopus Mediolanensis, & Gualtero amicissimus, primo *nosocomium Misericordiæ*, deinde à conditoris nomine *S. Gualteri nosocomium* est dictum. Et quoniam probitatis exempla multo magis faciunt ad aliorum animis religionem incutiendam, quam meri F duntaxat sermones, multi popularium suorum utriusque sexus ad ipsius imitationem in loca se deserta contulerunt, vitamque sectati sunt monasticam. Incedebat hic servus Dei nudis pedibus, etiam in longissimis itineribus. Cibi adeo parcus erat, ut vix tantum sumeret, quantum sustentandæ vitæ sufficiebat. Vestitu itidem sordido vilique utebatur. In precibus ad Deum fundendis adeo erat assiduus, ut re ipsa exsequeretur, quod ille mandat Apostolus: *Sine intermissione orate.* Multas ille susce-

cepit peregrinationes religionis causa, ex quibus magnum ad morbosos redundabat commodum, cum ille ad sublevandos eos diversis in locis opportuna nosocomia curaret exstrui, ex quibus illud ad Vercellas, item aliud ultra Dertonam, in via, quæ Genuam fert, iterum aliud ad Cremam, & denique illud prope Melenianum maxime fuerunt celebria. Atque hæc ipse subinde visitare solebat, cura ægrotantium sociis suis delegata, præscriptisque utilibus, ut bene curarentur, præceptis. Denique ætatis anno circiter quadragesimo, plus meritis, quam annis gravis, a. d. XI. Cal. Aug. anni MCCXXIV. ut vult Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italiæ*, feliciter Deo reddidit animam, qui defunctum tantundem illustravit miraculorum gloria, quantum viventis sanctimonia admirationi fuerat omnibus. Corpus ejus honorifice humatum est in prædicto *Misericordiæ* templo, ibique multos per annos quievit, donec inde à quibusdam furtim ablatum est in templum nosocomii S. Blasii, quod est in suburbio portæ Cremonensis, & inde in vicinum S. Pauli templum. Sed hinc paullo post iterum translatum est cum solenni pompa in idem *Misericordiæ* templum, atque ibi mansit, usque dum in cathedrali templo honorifice reconditum est.

FINIS LIBRI SECUNDI.

JOANNIS BAPTISTAE VILLANOVAE
LAVDIS POMPEIAE,
SIVE
LAVDAE (nunc LODI) Vrbis
HISTORIA.

LIBER TERTIVS.



NON ita sane durabilis fuit, ut sperabatur, pax illa recens inter nostros constituta, quin non multo post denuo factiones in urbe non leves orerentur, quarum altera cum opprimere studeret alteram, manifesti belli civilis Laudenses experti sunt mala. Prævalebat inter alias gens Overniagorum, quæ plebis erat caput. Contra ex nobilibus gens Summariparum satis illustris, caput erat nobilitatis. Sed cum numerus, ut fieri sæpe videmus, dignitatem superaret, ut plurimum in magistratibus eligendis, & in tota adeo Reipublicæ administratione plebs nobilitate superior erat. Itaque anno MCCXXIII. Summaripæ, ut suarum partium haberent præfectum, Arnoldum Fissiragam, & itidem plebeii ex suis Castellanum Boloniam elegerunt. Et ita quoque sequenti anno MCCXXIV. duo præfecti fuerunt constituti: unde quilibet sanæ mentis homo facile colligere potest miserabiles Laudensium, adeo pertinaciter inter se dissidentium, calamitates. Denique autem cum Mediolanenses se interponerent, & nobiles plebemque Laudensem in concordiam reducere studerent, a. d. v. Id. Nov. anni MCCXXV. in curia Mediolanensi, quo capita & legati partium convenerant, omnium controversiarum dirimendarum arbitrium ad præfectum ejus urbis est delatum. Ita non multo post ab judicibus & assessoribus istius præfecti, interposita etiam publici consilii auctoritate, constitutum est, ut positis armis, præteritisque injuriis invicem condonatis, partes ad perpetuam inter se pacem colendam sacramento se obligarent. Overniagi per quinquennium in urbe Mediolano habitare jussi sunt, & præfectus Mediolanensis arbiter constitutus, si quædam forte quocunque tandem casu difficultates orerentur, quæ novam turbare pacem possent. Atque adeo Guacinus Rusca, præfectus Mediolanensis, a. d. IX. Cal. Apr. anni MCCXXVI. mandavit, ut cives rusticique Laudenses impensas illas refunderent, exsolverentque debita, quæ occasione prædicti belli civilis erant facta, & ad duodecim millium pondo summam excurrebant, non connumeratis usuris. Præterea constituit ille, ut Overniagi, quinquennio suæ relegationis in Mediolanum urbem elapso, Laudam quidem redeundi, sed non item in pristinis domibus suis habitandi potestatem haberent, verum in illis, quas magistratus Mediolanenses ipsis essent assignaturi: item, ne turres, aliave ædium munimenta sibi exstruerent, neque plus octo homines Laudam secum deducerent, venderentque possessiones illas, quas ad *Barganum* habebant, ut Summaripis nimium vicinas: liceret illis tamen, quotannis bis venire Laudam, ibique viginti dies commorari, quo facultatum suarum reditus exigere possent: contra, ut Summaripæ in perpetuum unam urbis portam nomine Mediolanensium in sua tenerent potestate: denique, ut pax tanto durabilior esset, conditionesque ejus exactius observarentur, transgressoribus mille denariorum mulctam recens percussorum irrogavit.

Hoc eodem anno cum in Italia esset Fridericus II. Imperator, in Honorii III. Pontificis indignationem ille incurrit, & graves adeo contra sanctam Ecclesiam offensas exercuit, ut à Pontifice excommunicatus etiam fuerit, Imperioque privatus. Hæ inter Pontificem atque Imperatorem contentiones in causa fuerunt, ut multæ Longobardiæ vicinarumque regionum civitates ad communis salutis defensionem fœdus inter se inirent, & suam tueri libertatem statuerent viribus omnibus, easque conjungere contra quoscunque, qui labefactare eam conarentur: imo & ipsi se Imperatori opponere, si forte ille armis ipsas invadere aut turbare studeret. Maxime enim ille contra Veronenses aliosque nonnullos erat exacerbatus, ob injuriam quandam ab illis acceptam, cum in Germaniam transcenderet. Hujus fœderis sociæ fuerunt hæ civitates: Mediola-

lanum, Lauda, Bononia, Brixia, Verona, Mantua, Placentia, Vercellæ, Cremona, Bergomum, Augusta Taurinorum, Alexandria, Vicentia, Patavium, & Tarvisium. Omnium hanc in rem maxime frequens actus est conventus ad S. Zenonis in Veronensium Mantuanorumque confinio. Deinde in urbe Mantua leges hujus fœderis solenni scripto confirmatæ sunt, ut & jurejurando illorum legatorum, qui aderant. Idem deinde factum in multis aliis illarum urbium, quas modo retulimus: & Laudæ quidem civitatis nomine hoc jusjurandum præstiterunt Carbo de Aqua & Oldradus Tressenus. Factum est hoc fœdus in annos quinque & viginti, ita tamen, ut prorogari illud posset, si ita visum foret majori parti sociorum. Atque adeo per hanc occasionem usi sunt Longobardi potestate illa atque auctoritate, quam concesserat illis in Constantiensi conventu Fridericus I. Imperator, nempe ut societatem & fœdera cum aliis inire populis possent, confirmatam deinde ab Henrico V. Othone IV. & Friderico II. cummaxime imperante. Sed non levem hoc fœdus, quod *Longobardiæ societatis* nomine dicebatur, scrupulum injecit animo Friderici, qui ut illud dissolveret, aut saltem viribus imminueret, Mediolanenses ab reliquis avellere molitus est. Verum illi nihili facientes ejus promissa, & minus etiam comminationes, constanter in fœderis societate cum reliquis perstiterunt.

Deinde Fridericus cum se Pontifici submisisset, & ad subsidium Christianorum cum exercitu in Asiam profecturum jurejurando illi promisisset, benigne veniam ab illo accepit. Sed cum ad Mediolanum pergeret, quo istic, ut moris est, corona ferrea coronaretur, & ad castellum S. Donnini pervenisset una cum Cardinali Portuensi, Pontificis legato, malum sibi metuens ab urbium sociarum armis, quæ ne quidem à proposito suo abduci poterant per censuras ecclesiasticas, quo eas notabat idem legatus, consultius ipsi visum est retrogredi. Neque nos etiam hic ulterius esse pergendum arbitramur in illarum rerum narratione, quæ postea inter Gregorium IX. qui Honorio in Pontificatum successit, & Fridericum acciderunt; aut in illarum, quæ gestæ sunt in Asia, ut quæ prorsus ab nostra *Historia Laudensi* sunt alienæ.

Itaque ut illuc revertamur, Mediolanenses anno MCCXXXIII. Lauda urbe acciverunt, & præfectum sibi, qui temporibus istis summus erat magistratus, constituerunt Oldradum Tressenum, de quo supra diximus, summa prudentia virum, & inprimis catholicorum sacrorum cultorem vindicemque severissimum, ut satis manifeste probavit, cum ingentem hæreticorum numerum ad flammas damnaret, qui temporibus istis multas urbes atque oppida peste sua inficiebant. Et ut tanto sinceriorem in urbe Mediolano conservaret sanctam fidem, & Christianas virtutes, operam dedit, ut in eam induceretur Seraphica S. Francisci religio, & ipse prima dedit initia templo sumptuosissimo, quod hodieque isti Sancto dedicatum visitur, cum antea istic loci fuisset exiguum sacellum, in honorem S. Naboris & S. Felicis exstructum. Denique tanta cum laude omniumque applausu præfecturam gessit, ut sibi posterisque suis honestos promeruerit à publico reditus, & item satis nobile monumentum in *Broletti* curiæ, quam ipse curavit exstrui, frontispicio, ubi hodieque statua ejus equestris ex marmore visitur, hisce versibus additis:

Atria qui grandis Solii regalia scandis
Civis Laudensis fidei tutoris, & ensis
Præsidis hac memores Oldradi semper honores
Qui solum struxit Catharos, ut debuit ussit.

Inter hæc Fridericus II. Imperator, cum maximam adhibuisset diligentiam, ut Henricum filium legitimum (habebat enim & alium ejusdem nominis filium, sed spurium) ad regnum Romanorum promoveret, in Italiam misit copiarum ducem regium, (*Marescallum* vulgo dicunt) qui Anselmus Intigensis dicebatur, una cum Valcherio Januembro, Herbipolis urbis Archidiacono, ut novi Cæsaris nomine jusjurandum fidelitatis ab Longobardiæ civitatibus exigerent. Verum hice homines, subornati forte à quibusdam, qui parum favebant Friderico, a. d. XV. Cal. Jan. Mediolanum nomine Henrici, novi Cæsaris Romanorum, concilium indixerunt, ad quod præter Mediolanenses etiam Marchio Montisferrati, Brixiani, Bononienses, Novarienses, nostrique cum venissent, omnes uno ore se hostes Friderici sunt professi, ut & Cremonensium & Papiensium, qui partes ejus sequebantur. Potissimum hoc in concilio constitutum fuit, ut prædictæ civitates in fide erga Henricum, regem Romanorum persisterent, semperque abhorrerent ab omni fraude & malignitate contra ipsum, sique sibi de malignis aliorum consiliis contra ejus majestatem innotuisset, aperirent illi, omnibusque viribus ea facere irrita atque disturbare studerent: præterea ut eædem civitates exemptæ essent omnibus tributis regi solvendis, neque obligatæ ad milites extra Longobardiam mittendos, aut obsides dandos, aut denique aliud aliquid promittendum; utque fœdus suum, *Longobardiæ*, *Marchiæ*, & *Romaniæ* dictum, integrum maneret ac salvum. Contra obligatus esset Henricus rex ad sociorum urbes finesque, ac populos & facultates, ut & omnes illos, qui ipsorum fœderi se essent adjuncturi, defendendos à quibuscunque hostibus, & sigillatim à Papiensibus & Cremonensibus: utque cum his ipse nunquam pacem facere, aut armorum inducias constituere posset, nisi Mediolanensium consensu.

Deinde mense Februario anni MCCXXXVI. Fridericus Imperator in Italiam venit, sed mox cognita ejusdem Henrici filii rebellione, qui res novas & patri periculosas moliebatur, ocyus in Germaniam revocatus est, relictis tamen in Italia præfectis duobus. Cum in Germaniam venisset, filium regno privatum in Apuliam relegavit, quanquam alii eum patris jussu clandestina morte multatum volunt. Inde denuo in Italiam venit Imperator, & ad Brixiam oppugnandam profectus est. Ibi cum Mediolanenses, & Placentinos aliosque sociorum ingenti cum exercitu invenisset ad *Aulam novam*, (*Corte nuova*) hoc animo, ut eum à Brixia urbe repellerent, facta ipsis pugnandi potestate, sociisque in aciem progressis, post atrox & cruentum certamen victoria penes Cæsarem stetit. Sociorum alii cæsi, alii fugati fuerunt, multi etiam capti, inter quos præfectus Mediolanensium, & Petrus Tiepolus, Jacobi, Venetiarum Ducis, filius, qui elephanto impositus, atque ita per Cremonam & Laudam deductus, & inde in carceres Apuliæ compactus, ex ærumnis doloribusque periit.

Tanta parta victoria Fridericus, quem jam excommunicaverat, tanquam libertatis ecclesiasticæ violatorem, Pontifex; cum omnibus copiis, ut in *Annalibus Cremonensibus* narrat Ludovicus Cavitellius, movit contra Laudenses, quibus auxilio profecti sunt Mediolanenses una cum aliis Longobardiæ populis, Pontifici addictis. Per tres menses armis Imperatoriis restiterunt nostri: sed ad ultimum urbem dedere Friderico sunt coacti, non tam alia quadam necessitate, quam quorundam civium suorum perfidia, ut *Antiquitatum Vicec.* lib. IV. dicit Georgius Merula. Atque illos in *Dissertationibus Hist. de Lauda urbe*, *Dissert.* VII. Defendens Lodus fuisse Overniagos addit, qui temporibus istis Gibellinorum Laudensium erant capita. *Gibellini* hoc ævo dicebantur omnes illi, qui partes Imperatoris sequebantur; *Guelphi*, qui fidi erant & addicti summo Pontifici. Et in omnibus adeo Italiæ ur-

urbibus hæce factiones & partium studia fervebant, aliis cum Pontifice, aliis cum Imperatore sentientibus. Per hanc occasionem misera urbs Laudensis subire debuit crudelitatem hostium, qui male multaverunt Guelphos, inter quos Summaripæ, qui ex illorum præcipuis erant, ab Imperatore in Apuliam fuerunt relegati, unde postea ipso mortuo ad patrios lares redierunt. Sed Fridericus, iram suam in politici ordinis homines evomere non contentus, contra ecclesiasticos etiam insævire cœpit, & ut ex Innocentii IV. Pontificis mandato quodam Apostolico ad Bonjoannem Fissiragam, nostræ urbis episcopum, colligitur, fuit quondam (ut verbis ejusdem summi Pontificis utar) à ministris impietatis publice crematus monachus quidam ex ordine *Minorum* S. Francisci, non aliud ob crimen, quam ob fidem, quam erga Romanam Ecclesiam servare inviolatam volebat. Itaque aut expulsis, aut sponte ex urbe digressis monachis istis *Minoribus*, patria nostra auxiliis illis cœlestibus, quæ hic ordo Seraphicus affatim subministrare solet populis, tantisper orbata fuit, dum idem ille Pontifex ipsorum rogatu Fissiragæ episcopo mandavit, ut locum illis aut monasterium assignaret, & ipsorum ad habitationem & civium ad usus opportunum, quod & factum est anno MCCLII. Veruntamen Fridericus partium studium & affectum suum erga Gibellinos urbis nostræ probavit abunde, eosque fortunis & honoribus auxit modis omnibus. Insuper castellum satis munitum exstruxit ad portam Cremonensem, & sequenti anno Laudensibus cudendæ pecuniæ, ut Tristanus Calchus affirmat *Historiæ Mediol.* lib. XIII. facultatem concessit, quod istis temporibus privilegium erat non sane vulgare, propter exiguam, quæ tum erat, auri argentique copiam. Deinde Reipublicæ administratione in Gibellinorum potestate relicta, Lauda profectus Imperator abiit Papiam. Fuit hic Imperator, ut dictum est, hostis Ecclesiæ, summorumque Pontificum; ideoque cum sæpius ab illis excommunicatus esset, etiam nostra urbs anno MCCXXXIX. interdicto subjecta fuit, ut in *Dissertatione* VII. notat Defendens Lodus, à Gregorio IX. Pontifice, nostraque ecclesia episcopali dignitate privata, quia Imperatoriorum militum præsidio tenebatur.

Atque hæc forte causa fuit, ut Mediolanenses, quanquam tempus fœderis inter Longobardiæ civitates initi necdum effluxerat, anno MCCXLIII. arma moverent contra Laudenses, quorum in fines, cum se illis Marchio Montisferrati, Novarienses, & Vercellenses junxissent, factis excursionibus, magnam per agros ediderunt stragem. Sed gravius damnum patria nostra experta est à pertinacibus & implacabilibus inter se Guelphorum & Gibellinorum factionibus, quæ eam per multos annos misere distraxerunt. Quoniam autem Guelphi viribus inferiores erant Gibellinis, qui à Friderico adjuti contrarias partes opprimebant, Aciarorum, Abbonum, & Saccorum familiæ, quæ Guelphorum erant capita, opem petierunt à Consulibus Mediolanensium, quo idoneas ab illis vires impetrarent, quarum auxilio non solum opponere se, sed & prævalere Gibellinis possent. Hinc exacerbati contra illos non tantum Masnerius de Burgo, qui eodem tempore ex mandato Imperatoris Laudensium præfectus erat, sed & Consules Laudensium & *Paratici* constituerunt, ut gentibus illis in posterum nunquam liceret in castello Brembio ejusve finibus habitare, aut ullas ibi comparare sibi possessiones: quin etiam, si forte quidam ex illis ex aliorum hereditate quasdam istic locorum possessiones acciperent, sive mares, sive fœminæ; eas ut intra proximum mensem Reipublicæ Laudensi vendere deberent, cujus ditioni & ipsum castellum est adjectum, ut & præfectos istic constituendi, & jurisdictionem exercendi potestas. Omnia hæc solenni scripto sunt confirmata: & ne temporis tractu hoc decretum paulatim in desuetudinem unquam abire posset, constitutum insuper est, ut omnes illi, qui à Laudensibus ad præfecti munus eligerentur, jurejurando ad ejus exsequutionem se obligarent.

Anno MCCXLV. Innocentius IV. Pontifex, Lugduni in Gallia Concilio celebrato, omnium, qui aderant, consensu imperium Friderico abrogavit, multis de causis, quas brevitatis ergo non lubet referre, eumque insuper excommunicatum pronunciavit. Sed ille adeo contra Mediolanenses exarsit ira, ut eversurum se Mediolanum urbem juraret, & neutiquam cum illa benignius acturum, quam fecisset avus ipsius. Itaque hanc in rem Laudendensium, Bergomatium, Cremonensium, Dertonensium, & Alexandrinorum copias militares, quantas maximas colligere possent, auxilio petiit, quas illæ civitates etiam lubentes ipsi suppeditaverunt. Jam vero, quæ inter Imperatorem deinde ejusque socios & Mediolanenses fuerunt gesta, huic inserere *Historiæ* nostræ nihil attinet.

Toto quinquennio proximo nihil quicquam memorabile accidit, quod ad nostrum facere possit argumentum. Sed æstivis anni MCCL. mensibus denuo Mediolanenses armati totum fere Laudensem agrum depopulati sunt, & maxime in Zinidam, Barganum, & Fissiragam castella sævierunt, eaque funditus devastarunt, cum nostri, ut debuerant, parati non essent, aut viribus idoneis instructi ad resistendum hostibus. Sed deinde longe aliter res est gesta, cum Mediolanenses in loco quodam castra posuissent, qui profundis fossis erat munitus, in quas Lambrum etiam amnem immiserant. Tum enim nostri Papiensium copiis aucti cum castra castris hostium contulissent, per multos dies egressu ex munimentis castrorum eos prohibuerunt. Mox cum non advenirent milites Placentini, quorum subsidium frustra hostes exspectabant, adacti fuerunt incensis castris Mediolanum repetere. Ibi cum in itinere Zinidam inter & Barganum *nostri*, quibus se adjunxerant Cremonenses, se illis objecissent, ad fossam Panisperditi (*Panperduto*) deflexerunt, & cum nostri inhærerent eorum vestigiis multos suorum amiserunt. Sed longe majus detrimentum utrinque copiis accessit ab æstu solis, qui adeo fuit ista tempestate vehemens, ut ad tria millia hominum misere ex eo perierint. Sed procul dubio Mediolanenses, cum quibus una erat etiam Gregorius de Monte longo, Pontificis legatus, gravius adhuc vulnus à nostris accepissent, ni iter Mediolanum tutum illis præstitisset Spinella de Medicis, quem magnis cum copiis Cremenses illis auxilio miserant.

Anno sequenti civilium bellorum contentiones in urbe Lauda, sic ut nunquam alias, exarserunt vehementissime inter Vistarinorum aliorumque exsulum factionem, & Averciagorum; quorum hi Bosium Dovaram, Cremonæ principem aliosque, illi Mediolanenses in auxilium vocaverunt. Hice utrarumque partium auxiliares cum in urbem intravissent, ipso S. Laurentii die ad manus ventum est, sic ut ad ultimum Cremonenses urbe cogerentur excedere per illam ipsam portam, quæ *Cremonensis* dicebatur. Tum vero Mediolanenses, ne istac iterum in urbem pervadere Cremonenses possent, admodum firma istic munimenta exstruxerunt: & illi quidem adducto secum *Carrocio*, omnibusque suis amicis sociisque collectis, omnes intenderunt vires, quo in urbem perrumpere iterum possent, sed murorum parte disjecta cum superare tamen vires Mediolanensium nequirent, qui & ipsi una cum *Carrocio* suo valida acceperant auxilia, incensis castris domum regressi sunt. Mediolanenses autem cum armis expulissent Cæsareos ad eandem portam castello, quod istic

istic Fridericus exstruxerat, ut supra dictum est, atque illud diruissent; vetere agitati odio, quo semper illi nostros sunt persequuti, omni hostilis insolentiæ genere miseram nostram patriam vexaverunt. Quare nostri, ut ultimum ab sese exitium averterent, cum his temporibus mortuus esset Fridericus II. cujus ipsi semper in partibus fuerant, toto animo & cogitatione in illud incubuerunt, ut suos in concordiam reducerent, tam illos, qui in urbe erant, quam etiam exsules. Itaque duos hanc in rem procuratores elegerunt; Gratium Gresspiaticam, qui civium, Oldradum Cotticam, qui exsulum causam ageret. Hice post longas disputationes denique controversiarum arbitrium detulerunt ad Accursium de Nigdarda & Vertusium Marionum, quos & civitas Mediolanensis eam in rem legatos esse judicesque voluit, & arbitrium istud ad se delatum recipere. Hi itaque inter utrasque partes pacis conditiones quasdam, & inprimis illud constituerunt, ut perpetuo silentio obliterarentur offensæ illæ atque injuriæ, quæ tam publice, quam privatim, factæ utrinque erant: item ut urbe ejecti, patriam repetere possent; & alia nonnulla, quæ ad pacis securitatem spectabant.

Præfectus populi Laudensis in decennium creatus est Sucius Vistarinus, ita ut prorogari illi posset imperium, quandocunque populo ita visum foret. Et quoniam civitas nostra Friderici II. ut dictum est, hostis Ecclesiæ, partes sequuta, ideoque etiam censura ecclesiastica una cum ipso notata, summorum Pontificum contra se indignationem concitaverat, quæ res omnium ipsi malorum, quæ per tot annos pertulerat, causa fuerat & origo; efficere nostri his temporibus studuerunt, & impetraverunt etiam, ut in Pontificis Innocentii gratiam restituerentur. Atque adeo ille cum dignitatem episcopalem, qua privaverat eam, ut supra dictum est, Gregorius nonus, nostræ urbi restituisset, omnes quoque sacerdotes & ecclesiastici pristinam dignitatem receperunt. Dehinc plurimum emolumenti ex ista pace patriæ reddita redundavit ad urbem Laudam, quæ ab hoc tempore commodis ejus & fructibus eximiis satis diu gavisa est.

In urbe Mediolano his temporibus quasi regnum exercebat summa cum potestate Martinus de Turre, sive Turrianus, frater Pagani, qui in *Valsasinam* benigne receperat copiarum Mediolanensium reliquias post cladem illam, quam ad *Aulam novam*, ut supra exposuimus, à Cæsareis acceperant. Quare non ingrati Mediolanenses Paganum suam in urbem deduxerant, eique suæ Reipublicæ administrationem magna ex parte permiserant. Sed post eum Martinus paulatim oppressis illis, qui ipsi se opponebant, & iidem maxime ex nobilibus erant, tantum non prorsus absolutam apud Mediolanenses potestatem obtinebat, in qua ut se confirmaret, multos ex principibus urbis patria expulit; quorum nonnulli cum Laudam se recepissent, humanissime accepti tractatique fuerunt ab Laudensibus, & maxime à Summariparum gente. Hinc verens Martinus, ne quandoque illi propter hanc vicinitatem res novas contra ipsum molirentur, eumque regno illo deturbarent, quod sibi vindicabat apud Mediolanenses; cum auctoritas ejus atque vires multum jam cepissent incrementi post fusas ad Cassianum Adduæ fugatasque Ecelini, qui Patavium tenebat, aliorumque sociorum ejus copias; ingenti cum exercitu Laudensium fines ingressus est anno MCCLIX. Hic cum omnia igni esset depopulatus, excidium urbi minitatus est, ni suspectos ipsi Mediolanenses protinus ejicerent nostri. Extemplo ita factum: neque hoc solum, sed patefactis etiam portis in urbem acceptus est Turrianus, ejusque potestati ipsa urbs subjecta, sive pleno jure, ut Calchus narrat *Historiæ Mediol.* lib. XV. sive in quinquennium duntaxat, ut

A vult Corius in *Historia Mediolani urbis*, Parte II. licet neque per hoc annorum spatium ille eam tenuerit. Nam cum anno MCCLXIII. Laudæ in morbum incidisset, Mediolanum inde abductus, a. d. XII. Cal. Dec. ejusdem anni vitam finivit, summa rerum ad Philippum fratrem translata. Sed cum hic quoque anno MCCLXV. repentina morte exstinctus esset, perpetuus Mediolani aliarumque urbium præfectus constitutus est Napus, sive Napoleo, ut alii eum appellant, filius Pagani, qui ejusdem Philippi Turriani frater fuerat.

Sed ut ad nostra redeamus, cum usu deprehensum esset, magnæ utilitati Longobardiæ civitatibus
B esse consociationem illam, cujus supra mentionem fecimus, anno MCCLXVII. in urbem Mediolanum convenerunt, ut suarum civitatium nomine de integro sancirent eam jurejurando, legati Vercellarum, Novariæ, Comi, Bergomi, Brixiæ, Mantuæ, Ferrariæ, Vicentiæ, Patavii, Parmæ. Et nostra quoque civitas legatos eo misit Sucium Vistarinum, Hubertum Summaripam, Gulielmum Fissiragam, & Albericum Carnesellam. Præter hasce civitates Atestinus quoque, sive *Estensis*, & Montisferrati Marchionis se fœderi adjunxerunt. Deinde apud Laudenses novæ turbæ sunt exortæ ab Overniagorum gente, quæ cum diu fuisset in exsilio,
C quod Gibellinis partibus nimium fuerat addicta, denique anno MCCLXIX. in patriam revocata erat. Tum vero sive ad ultionem exigendam, sive alia quapiam de causa cum res novas illi molirentur, excitatæ sunt inter cives, ut narrat Calchus, scriptor Mediolanensis, *Historiæ Mediol.* lib. XVI. tantæ seditiones atque discordiæ, ut Mediolanenses, quo hoc incendium in ipsis restinguerent initiis, copias suas in fines nostros emitterent. Sed hæ cum ad urbem ire deberent ad discordias sedandas, agris depopulandis sunt immorati, & nulla re alia gesta, hyeme adventante domum præda onusti redierunt.

D Sed anno insequenti cum primum per tempestatem liceret, majoribus cum copiis, utpote Novariensium, Bergomatium, Placentinorum, & Cremonensium, sociorum suorum militibus aucti, denuo fines nostros ingressi sunt, duce exercitus Napo Turriano. Tum iterum vastatis direptisque agris, urbem arctissima obsidione clauserunt, & ut eo facilius invicem auxilium ferre possent, sicubi opus foret, pontem ex navibus, quas Cremonenses subministraverant, in Addua flumine construxerunt. Interim Summaripæ, qui è patria exsulabant, Paganum Terciagum, magna auctoritate virum, sibique amicissimum, ad Raimundum Turrianum miserunt, cummaxime Comensem episco-
E pum, atque hujus arbitrio permiserunt omnes controversias, quæ ipsis cum Napoleone Turriano aliisque hujus familiæ intercedebant. Non recusavit hoc episcopus, & a. d. IX. Cal. Jul. pacem inter utrosque & præteritarum injuriarum æternam oblivionem publicavit his conditionibus, ut Summaripensium partium homines, qui in urbe Lauda erant, efficerent, ut Albertus Catascus, præfectus isto tempore Laudensium, & Bosius Dovara, nec non Cremonensium, Placentinorum, & Mediolanensium exsules intra sextum diem Lauda urbe ejusque finibus excederent; & Napoleoni nostræ urbis præfectura deferretur, ita ut sibi, quemcun-
F que vellet, vicarium substituere posset. Ad hunc modum inter Turrianos & Summaripas pace facta, Napus urbem nostram acrius obsidere instituit, quam a. d. III. Non. Jul. cum in potestatem suam redegisset, magna cum pompa eam ingressus, magnoque cum gaudio & applausu populi exceptus est. Sed dum Napoleo cum præcipuis suorum sumit prandium, interim inter Overniagorum & Summariparum familias pugna est exorta. Et expulissent urbe Summaripas eorumque asseclas Overniagi à Vista-

starinis adjuti, nisi honestiores ex Mediolanensibus protinus in forum procurrissent. Horum auxilio Summaripæ confirmati tantum in adversarios fecerunt impetum, ut ad quadraginta illorum morte multaverint, inter quos & periit Sucii Vistarini filius, cujus ædes una cum Overniagi ædibus, ut grassari solet licentia militaris, direptæ fuerunt atque exspoliatæ. Ipse autem Sucius cum altero filio non aliud sibi quærere refugium commodius potuit, quam in Napoleonis Turriani hospitio, qui ocyus indutus armis, iisque copiis collectis, quas in isto temporis articulo poterat, primo ad forum se contulit, inde per urbem circumvectus, & nemine invento, qui se ipsi opponeret, feliciter composuit hasce turbas. Sed Mediolanenses cognitis, quæ Laudæ gesta erant, Napoleoni tria millia peditum subsidio miserunt, qui cum mane diei in tempore Laudam venissent, ita vires animosque Turriani auxerunt, ut Laudenses fidem suam ipsi addicere jurejurando postularet. Inde cum Vistarinum una cum filio Mediolanum misisset, duorum castellorum ordinavit structuram, ut de urbis possessione securus esse posset, quæ eodem Julio mense cœpta sunt exstrui, unum ad portam, quæ Mediolanensis dicebatur, ad Regalem alterum. Atque ita ille, cum Fissiragarum gentem, Vistarinis æmulam, opibus honoribusque auxisset, victor Mediolanum rediit.

Memorabilis est Laudensibus annus MCCLXXIII. in Laudam urbem adventu Gregorii X. Pontificis, patria Placentini, & ex gente Vicontiorum, cui, antequam ad summam dignitatem provectus esset, *Theobaldo* nomen fuerat. Huc Raimundus Turrianus, Comensis episcopus; Manfredus, summus sacerdos majoris templi Mediolanensis; aliique ex gente Turriana ad eum accesserunt una cum legatis sexaginta, qui splendidissimum comitatum apparatumque secum ducebant. Pontifex per aliquot dies Laudæ commoratus, Lugdunum in Galliam abiit, ubi Concilium est celebratum, in eoque consultatum de sublevanda *Terra Sancta*, quæ misere affligebatur à Turcis.

Anno MCCLXXVII. gens Turriana, quæ favore populi summam potestatem & quasi regnum obtinebat in urbe atque ditione Mediolanensium, quæque ut prorsus se confirmaret in hoc imperio, id agebat, ut nobilissimas quasque familias opprimeret, ipsa fortunæ vicissitudinem est experta. Æmuli enim eorum, quorum caput erat Otho Vicontius, Mediolanensis Archiepiscopus, cum multas copias militares contraxissent ad Turrianos oppugnandos, Napusque Turrianus & reliqui gentis suæ fere omnes *Decium* se contulissent, locum decem millibus passuum à Mediolano distantem, ibique majorem exspectarent copiarum suarum partem, quas una cum *Carrocio* celeriter Mediolano exire jusserat Napoleo, quo illas Archiepiscopo aliisque exsulibus opponere posset; Turriani proditi sunt ab iisdem Decianis, qui in Othonis, apud ipsos quondam *Canonici*, partibus erant. Itaque hostibus ex improviso in Decium receptis facile fuit una cum suis asseclis opprimere Turrianos, ex quibus Comenses, qui Vicontium adjuvabant, ceperunt ipsum Napum, tum præterea Carnevarium, Henricum, Lombardum, Muscam, & Vidonem, qui Comum abducti, ibique in arce Baradello barbarum in modum caveis quibusdam fuerunt inclusi, quæ ex validissimis trabibus erant compactæ. Reliqui Turrianorum fuga evaserunt, alius Cremonam, alius alio. His ita prospere gestis Vicontius Archiepiscopus una cum aliis viris nobilissimis ovans ingressus est urbem, ibique exceptus non tantum inimicis Turrianorum, sed toto adeo applaudente populo, qui victoris fere sequi fortunam solet.

Hæc mutatio rerum apud Mediolanenses in nostra quoque urbe turbas excitavit. Anno enim sequenti, id est, MCCLXXVIII. Overniagi, Vistarini, aliique, qui his temporibus è patria exsulabant, sive Vicontii Archiepiscopi, cujus in partibus ipsi erant, sive aliorum in Mediolanensi Republica potentium hominum auxilio, armis Barganum castellum, quod in Laudensium ditione erat, occupaverunt. Hoc Laudæ cognito, cum omnes tantam rem, tamque novam, Reipublicæ Mediolanensis voluntate ac mandato factam, ac proinde concordiam illam atque pacem violatam esse arbitrarentur, quæ sibi cum Mediolanensibus aliquandiu jam intercesserat; Laudam acciverunt Cassonem Turrianum, qui in Cremonensium finibus satis magna Germanorum militum, aliorumque sociorum atque amicorum cum manu morabatur, ut adeo hisce novis auxiliis rerum suarum possent esse securi. Plurimum sibi Vicontius ab hac nostrorum cum Turrianis consociatione metuere cœpit, nostramque debellare urbem, si res ita ferret, constituit, ut in ipsis principiis mala ista opprimeret, quæ ipsi ab vicinis adeo hostibus inferri quandoque possent, quorum fortitudinem magnosque animos sæpius jam experti fuerant Mediolanenses. Itaque copias militares, quantas maximas poterat, collegit, & Papiensibus, Novariensibus, Vercellensibus, Comensibusque in auxilium vocatis mandavit, ut ad veterem Laudam præsto essent, quo eodem Albertum Fontanam, Mediolanensium præfectum una cum *Carrocio* jam præmiserat. Sed hicce apparatus longe alium, quam speraverat Otho, sortiti sunt exitum. Cum enim ejus copiæ aliquandiu circa Laudam veterem substitissent, multa quidem damna locis agrisque vicinis intulerunt, sed mox inter eas exortæ sunt discordiæ atque seditiones adeo infestæ, ut nihil omnino sperari posset iri gestum, quod in rem erat. Quin imo cum multi militum signa relinquerent, & totis simul manipulis Vicontii partes desererent, exercitus adeo numero est imminutus, ut non abs re esse Vicontio videretur *Carrocium* in locum tutum reducere. Et prudenter ille hoc consilii cepit, quandoquidem nox exiguo nostrorum numero superveniente, fortunæ loco hostibus fuit, fuga se intra fines suos recipere, quamvis multi eorum, ut Corius dicit in *Historia Mediolani*, Parte II. ab nostris fuerint capti.

Interim Casso Turrianus, dum in urbe nostra morabatur, valida & opportuna accepit auxilia ab Raimundo de Turre, sive Turriano, patriarcha Aquilegiensi, qui cognitis vexationibus, quibus suæ gentis homines à Vicontiis aliisque Mediolanensium nobilibus opprimebantur, in Longobardiam se contulit, Laudamque illis auxilio venit, trecentis hastatis multisque sagittariis equitibus secum adductis. Huc cum multi etiam alii convenissent ex illis, qui olim cum Turrianis steterant, decretum est, Cassonis & Forojulianorum viribus, additis etiam Laudensium copiis, armis Barganum castellum repetere, quod & ad primam statim denunciationem sese illis dedidit. Inde in hosticum agrum factis excursionibus, opimas prædas abduxerunt, & quædam loca igne injecto cremaverunt, ruptoque ponte, quem hostes in Addua amne tenebant, populabundi ad ipsam usque Mediolanum urbem excurrerunt. Tum denique hostium copiis ex urbe eductis, quo victori se exercitui objicerent, atrox & pertinax utrinque prælium est commissum, quo Turriani, priorum fortunarum amissione, simul & spe illarum recuperandarum animos illis addente, Laudensium copiis firmati adeo strenue rem gesserunt, ut hostes misere terga vertere, & fuga salutem sibi quærere cogerentur. Edita est hoc certamine strages non vulgaris, & captivorum quoque, qui in victorum potestatem pervenerunt, præda fuit insignis, non ipso numero tantum, sed multo magis etiam dignitate eorundem. Ultra centum ex nobilissimis apud Me-

Mediolanenses familiis capti numerantur, inter quos nominatim referuntur Mucius Soresina, Casparus Vicontius, Antefossa Vercellinus, unus ex Lampuniana, alii duo ex Prealeonum gente, duo Pontiroli, Antonius de Carnisio, duo ex familia De Cruce, Balsarinus Lita, Landrianæ gentis unus, & Remus Rhò. Hujus victoriæ quasi torrente Turriani *Cassanum*, *Trecium*, *Vavarum*, *Montem Briancia*, *Brinianum*, *Trivillium*, *Caravacium*, & adeo omnia alia loca, quæ Vicontii præsidiis firmaverant, occupaverunt, ipsamque etiam Cremam urbem, quæ cummaxime Vicontiis parebat, expugnaverunt incenderuntque. Hinc ad urbem Mediolanum abierunt, & usque ad portæ Ticinensis suburbia progressi, omnibus modis aut seditiones ac tumultus inter Mediolanenses concitare, aut in campum eos & prælium perlicere conati sunt: sed cum utrumque frustra fuisset, Addua iterum amne superato se receperunt. Respiravit Archiepiscopus Otho, cum hostem procul esse videret, & cum suis copiis in campum progressus, ocyus *Cassanum* recuperavit, qui & multæ opulentiæ, & maximi momenti locus erat. Sed dum materiam huc artificesque ex proximis undique locis arcessit ad reficiendum in Addua flumine pontem, quem, ut antea diximus, labefactaverant Turriani, denuo hostium multitudine obrutus, consilio non perfecto ocyus Mediolanum urbem se recepit. Turriani non multum curantes fugibundum longe persequi Archiepiscopum, cum denuo Cassanum castellum valido præsidio firmavissent, circumjacentes, ut moris est, depopulati sunt agros.

Labefactatis Vicontii viribus, at non item animi constantia ingeniique calliditate, ad peregrina auxilia animum convertit, & Gulielmum Montisferrati Marchionem Mediolanum invitavit, summa urbis potestate ad eum delata, luculentoque stipendio pacto in quinquennium. Accepit conditionem Marchio, & primo Papiam, inde Augusto mense Mediolanum venit comitantibus voluntariis trecentis, & cum applausu populi exceptus, in forum cum pervenisset, pro concione verba facientem audivit Jacobum de Moncia oratione ejusdem, ad temporum conditionem accommodata, non dux solum, sed dominus quoque Mediolani appellatus. Contra Marchio pollicitus est, dato etiam jurejurando, se novum munus obiturum, non ista tantum cum fide, ut magnos viros par est facere, sed omnibus etiam rationibus initis, quascunque ipse Mediolanensi Reipublicæ maxime utiles cognovisset. Confirmatus Otho Archiepiscopus adventu Marchionis, qui satis validas in ejus auxilium vires contraxerat, copiis, quantas maximas poterat, comparatis, ultimas contra nostros Turrianosque vires intendere decrevit. Itaque Rainero Zeno, nobili Veneto, & cummaxime Laudensium præfecto, ac Simone de Locarno comitibus, quibus paulo post Zaninus Beccaria, qui Papiensium præfectus erat, Gulielmus Preda, copiæque Comensium se adjunxerunt, cum ex urbe *Carrocium* eduxisset, omnis exercitus ad Laudam veterem in castris consedit, & brevi tempore *Mombrioncio*, *Fossa alta*, & Bargano castello occupatis, quod cum aliquantisper defendissent, consuetis bello conditionibus dediderunt obsessi hostibus; hi nemine obvio Laudensium agros sunt deprædati, ubique locorum solitis nimiumque funestis cladium vestigiis relictis. Deinde autem cum tueri se posse diffiderent, quæ occupaverant, munimenta demoliti sunt, rupto etiam ponte, qui in Lambro amne erat. Quin & cognito, nostris auxilio venire Parmensium Cremonensiumque copias, ne quidem conspecto hoste, celeriter cum omnibus copiis bellique apparatu in urbem se Mediolanum receperunt.

Veruntamen Otho, quantumvis afflictus minus

A prospero armorum successu, non mutavit denuo belli fortunæ contra patriam nostram experiundæ consilium, quam ut tanto arctiore ac faciliore obsidione cingere posset, rem aggressus est non minus difficilem, quam utilem cœptis suis, si perficere eam potuisset. Cursum Adduæ amnis alio avertere, & totum flumen in Lambrum amnem derivare conatus est, ut Adduæ alveo, qui Laudam præterfluit, aquis vacuo, continenti undequaque urbem nostram & arctissima obsidione claudere posset. Itaque necessarios ad tantum opus fossores emisit, ad eosque tuendos exercitum duce Zeno, urbis præfecto. Sed dum omnes in tractu Melciano (*di Melzo*) incassum

B hærent per integrum mensem, visum est Othoni Archiepiscopo ad Gorgonsolam semet conferre, ut ipse præsens acrius urgeret opus. Cum de hac ejus abitione Laudenses Turrianique cognovissent, hi opportunam sibi occasionem oblatam rati, Vicontio in Gorgonsola vices referendi illarum cladium, quibus ille in castello Decio ipsos antea affecerat, quantas colligere subito poterant, Lauda urbe copias eduxerunt, & cum citato agmine noctu ad Gorgonsolam accessissent, ex improviso impetu facto, pluribus locis momento temporis ignem injecerunt, ut consternati hostes, quid fugerent potissimum, aut quo se verterent, nescirent. Nec fe-

C fellit consilium, Vicontii copiis strepitu & improviso tumultu confusis, majoremque partem una cum incolis loci misere trucidatis. Othoni autem hactenus fortuna favit, ut in turriculam se abderet sacelli cujusdam, quod incogitantes Turriani, secus ac reliqua ædificia, diruere, aut flammis mandare neglexerunt. Quod si ille aut libertatem ibi, aut vitam amisisset, in proclivi fuisset Turrianis suas recuperare fortunas, & forte etiam pulchre stabilire. Vix dum nostri cum Turrianis, præda onusti, magnoque captivorum cum numero, quos inter quinquaginta fuere Novarienses, domum redierant, cum Otho, evitato istoc extremo periculo

D lætus, valens ac salvus Mediolanum venit, & ad salutis suæ fortunarumque securitatem attendens animum, denuo Bonifacium Pusterlam, S. Celsi Abbatem, ad Marchionem Montisferrati misit, qui, munere suo se abdicaverat, in quinquennium solummodo illud sibi delatum indignatus; factis illi promissis ingentibus, si redire Mediolanum, sibique ferre auxilium vellet.

Othonis res adversæ ad magnas spes evexerunt Marchionem, qui frigore licet intensissimo, in continenti Mediolanum abiit, quo cum advenisset, se neque copias educturum, neque rei quicquam pro Mediolanensium Republica acturum pronunciavit,

E nisi liberum ipsi summumque imperium ac potestas decerneretur, ut adeo quibuscum ipsi & quocunque tempore libitum foret, & pacem & bellum facere posset. Duodecim dies tanta auctoritate Marchioni decernenda sunt absumpti, cum nonnullis damnosum nimis atque periculosum esse libertati publicæ videretur, res suas ac fortunas omnes potenti atque extraneo Principi in manus tradere. Denique autem cum convenisset, ut per proximum decennium summum ille imperium obtineret, utilius ipsi visum est, inter Vicontios, Turrianos, ac Laudenses pactionibus componere certamina, quam ferro atque armis transigere. Itaque illis significa-

F vit, in sua manu positum esse, dummodo ipsi præteritas injurias oblivioni mandare vellent, pacem illis restituere. Sed cum apud Laudenses Raimundi patriarchæ aliorumque gentis ejusdem animos parum ad pacem inclinare videret, Marchio contractis copiis una cum Henrico ex Lumelli Comitum familia, qui tum temporis Mediolanensium præfectus erat, ad Moguntiacum (hodie *Monza* est) se contulit prid. Cal. Jan. ejusdem anni MCCLXXVIII. ibique per octo dies commoratus, nihil aliud quam

vires hostium exploravit, qui capto *Vicomercato* non amplius quinque millibus passuum ab ipso aberant. Hinc cum exercitu ad *Trecium* movit, quod cum frustra occupare conatus esset, motis castris Vavarum castellum aggressus est. Ibi cum variis pugnis multos suorum amisisset, dum huc illuc movet, incertus quid ageret potissimum, rumor sparsus est, sed vanus, castellum illud desertum esse ab hostibus. Hoc cum ipsi nimium faciles credidissent, dum magno cum ardore munitiones superare & castellum intrare contendunt, à victoribus non tantum repressi sunt, sed repulsi etiam, plurimis suorum cæsis ac vulneratis. Itaque omni spe illius occupandi abjecta, Marchioni visum fuit receptui signum dare, & ut tutum inde regressum haberet, pontem in Addua flumine prope *Trecium* reficere.

Dum hæc geruntur, Bergomatium civitas, sive metuens, ne hujus belli incendium, adeo ipsis vicinum, latius serperet, & suos quandoque fines corriperet, sive alia quapiam de causa, duos legatos miserunt, Bertramum Græcum & Albertum Rivolam, cum mandatis, ut pacem inter partes componere studerent. Et tantam horum intercessio vim habuit, ut nostri Turrianique generositate atque animi magnitudine non vulgari constituendæ ejus arbitrium ad ipsum Montisferrati Marchionem deferrent, summum Vicontii Mediolanensiumque ducem. Itaque S. Agnetis die festo anni MCCLXXIX. armorum induciæ sunt publicatæ, atque ita cum ab armis cessaretur, ultro citroque commeatum est ab militibus in utraque castra. Sed cum Marchio multorum Mediolanensium magnam erga Turrianos, veteres dominos suos, benevolentiam deprehenderet, ne turbæ inde aut impedimentum paci oreretur, Turrianos voluit ultra Adduam amnem se recipere, ut extemplo etiam factum est. Non multis post diebus in Melenianum castellum convenire jussit Turrianæ gentis principes, interposita, quod ad hanc rem opus erat, fide publica pro ipsorum salute: & ipse quoque eodem se contulit una cum Conrado Castilione, magnæ auctoritatis viro. Heic post longas disputationes constituit denique Marchio, licet illud impedire conarentur Vicontii, Pusterlæ, Soresinæ, Mandelli, & Crivelli, ut præteritæ omnes injuriæ oblivioni perpetuæ mandarentur, captivi sine pretio utrinque redderentur, Turrianis bona restituerentur, quibus erant spoliati, arces & munimenta communium utrinque amicorum præsidiis militaribus firmarentur, & denique in patriam exsules restituerentur, quanquam Comenses pertinaciter recusaverunt istos liberare Turrianos, quos in arce Bardello captivos tenebant. Tractata etiam & composita est in eodem hoc conventu pax inter Laudenses ac Papienses.

Sed parum fuit pax durabilis inter Turrianos & Vicontios, Laudenses, ac Mediolanenses. Nam cum utrinque apud partes, quarum in animis cruda adhuc & recentia erant præteritarum injuriarum vulnera, omnia suspicione ac timore plena essent, ideoque Turriani Laudam, tanquam in asylum suum, iterum se recepissent, Mediolanenses urbem nostram obsidione cingere deliberaverunt. Verum nostri capientes arma & ex improviso urbe egressi, ad ripas usque Ticini amnis factis excursionibus, multa Mediolanensium opulenta loca sunt deprædati, interque ea *Abbiategrassum*, *Albairatum*, & *Macentam*, occisis, quoscunque hostium in agris habebant obvios, inter quos etiam periit Gulielmus Pusterla, ex nobilissimis Mediolanensium. Sed dum victores nostri agros istos depopulantur, Marchio Montisferrati exercitu versus Adduam amnem educto, quo hostem ex Mediolanensium finibus abstraheret, postquam invaserat ceperatque vi armorum Trecium castellum, mox flumen transgressus, levi negotio totam oram Addua amne tenus occupavit.

A Post tot ruinas etsi pax denuo publicata est inter Vicontios & Turrianos, Mediolanenses, atque Laudenses, & ita constituta observataque, ut illorum civitates, dicente Corio *Historiæ Mediol.* Parte II. communes esse viderentur, nihilominus anno MCCLXXXI. nescio quo casu, denuo bellum exarsit, in quo nostris auxilium tulit Raimundus Turrianus, patriarcha Aquilegiensis, & Laudam quingentos Forojulianos adduxit, quorum unusquisque minimum tres equos secum habebat. Etiam nostris se adjunxerunt ducenti Cremonensium milites, Manfredus Turrianus, Moguntiaci (*Monza*) summus sacerdos, Casso, Gothofredus, Salvinus, ceterique B omnes Turrianæ factionis, una cum multis Brixianorum, Papiensium, & Vercellensium. Ex his hominibus atque Laudensibus exiguo, sed firmo exercitu contracto, omnes excepto Raimundo patriarcha, qui Laudæ substitit, a. d. XV. Cal. Jun. ad Vavarum se contulerunt, quod in Mediolanensium finibus castellum Adduæ amni imminet. Hoc cum Mediolanenses intellexissent, præfectus eorum atque dux cum omnibus copiis profecti, quæ Comensium quoque manu & Novariensium auctæ erant, a. d. XI. Cal. ejusdem mensis in castris ad Gorgonsolam castellum consederunt. Hinc cum triduo C post movissent ad Vavarum, pugnaturi cum nostris, hi cognito hostium adventu, illis obviam sunt progressi, cum in exercitu suo non amplius duo equitum, totidemque peditum millia; contra autem hostes triginta millia peditum haberent, cum tribus, aut, ut alii dicunt, sex equitum millibus. Prælio commisso cum non accideret, quod speraverant Turriani, nempe Mediolanenses, quorum ipsi tanto tempore fuerant principes, contra se non pugnaturos, paucorum virtus obruta est hostium multitudine, quibus tamen, ingenti suorum numero cæso, magno constitit hæc victoria; etsi & ex nostris pauci domum redierunt, fere omnibus aut in flu- D mine submersis, aut captis, aut occisis. Inter hos fuit Porta Scurta, patria Parmensis, & idem præfectus Laudensium, Cassoque Turrianus, qui cum aliis Turrianis capite truncatus est. Sed omnium gravissimum vulnus hoc prælio Laudenses, Forojuliani, & Cremonenses acceperunt.

Hæc victoria multum auxit Mediolanensium animos, qui ad majora adspirantes, & ab Laudensibus severiorem sumere ultionem avidi, mense Augusto, Marchione Montisferrati duce, qui trecentos milites Hispanos totidemque sagittarios apud se habebat, magnasque insuper Comensium, Novariensium, Vercellensiumque manus, fines nostros in- E gressi omnia devastaverunt, multisque castellis occupatis, cum nostri intra urbis mœnia se continerent, denique mense Octobri Mediolanum regressi sunt. Inde pacis mentio quædam facta, sic ut Novembri atque Decembri mensibus ad eam promovendam legati Laudensium Mediolanum, & vicissim Mediolanensium Laudam irent. Sed tunc quidem nihil aliud potuit effici, quam ut captivorum præteritis bellis utrinque permutatio fieret. Deinde autem anno MCCLXXXII. cum jam armorum induciæ constitutæ essent, legatis Laudensium, Ottobello Carnesella & Bassiano Catenago Mediolanum pro- F fectis, & in conventum admissis, in quo Gulielmus, Montisferrati Marchio dominusque Mediolani, (sic enim jam palam appellabatur) tum Rufinus Gutuerius, Mediolanensium præfectus, & Giraldus Castellus, militarium copiarum dux, aliique insuper octingenti homines aderant, quod Mediolanensis civitatis majus erat consilium, pax facta est his aliisque conditionibus, ut Mediolanenses Vistarinos & Overniagos Mediolano, nostri Turrianos eorumque asseclas, nec non omnes alios Mediolanensium, Comensium, & Novariensium exsules Lauda ejicerent, ceterique Laudensium socii po-

potestatem haberent, huic se pacis fœderi, quandocunque ita visum illis foret, adjungendi.

Sperabant post tantas calamitates jam denique longum otium nostri, cum spes illorum turbavit Matthæus Vicontius, anno MCCXCIV. Vicarius Imperatoris ad totam regendam Longobardiam constitutus. Hic admonitus, Turrianos denuo reditum parare Laudam, ut ibi se confirmarent, ingentem collegit exercitum, cum eoque ad Laudam profectus, vi armorum occupare urbem conatus est. Sed obsessi cum fortiter sustinerent impetus hostium, re infecta eos ad sua redire coëgerunt. Liberati obsidione Laudenses, multis suorum militum sociorumque collectis, versus *Pontiliatum* abierunt, ultionem sumpturi à Mediolanensibus, sed neutiquam ex voto hoc illis consilium cessit. Ex improviso obruti magno equitum numero, qui apud Mediolanenses stipendia faciebant, nostrorum circiter ducenti ab hostibus capti fuerunt, quos inter præcipui fuere Imbaralus Turrianus duoque Huberti de Ocino filii. Imbaralus una cum alio quodam, qui Lupus Potentianus dicebatur, in imam turrem castelli Trecii compactus est; Ocini cum alio quodam ex Patavinorum præfectis militaribus (*Connestablios* vocant) carceri inclusi in castello Setteciano.

Sed Matthæus Vicontius, cum non posse commode & tranquille sua frui potestate sibi videretur, ni subjecisset sibi aut evertisset urbem nostram, nocte dieque consilia meditabatur, quibus istud explere desiderium suum posset. Itaque proximo anno MCCXCV. magno cum exercitu ad veterem Laudem Pompejam accessit, validoque præsidio ad S. Petri templum relicto late hoc patente fossa cinxit, castellumque ibidem ædificavit ligneum, validis undequaque munimentis firmatum. Inde Mediolanum regressus, novisque copiis collectis, cum triginta armatorum millibus Laudam veterem repetiit, atque hinc cum universo exercitu ad S. Columbani profectus, denique ad nostræ urbis mœnia accessit mille & quingentorum passuum intervallo, magnamque agri nostri partem ipsaque suburbia est depopulatus. Sed ipsam urbem nostram neque hoc impetu capere potuit, nostris magnas illas hostium vires majore animo sustinentibus. Itaque copiis retro Mediolanum abductis, cum hujus belli perpenderet difficultatem, ad salubrem firmamque pacem convertere animum cœpit. Et adeo post longas consultationes, missis Laudam & ad *Montem Columbæ* Mediolanensium legatis, denique pax constituta publicataque est magno non tantum Laudensium, sed & ipsorum adeo Mediolanensium gaudio. Inde inter nostros ac Mediolanenses adeo obtinuit pax sincera, ut hi anno MCCXCIX. ex Laudensibus duos sibi præfectos constituerent, Bisacam Ricardum, & mox Fridericum Summaripam.

Tum vero post longum hoc atque difficile bellum jam in eo erat, ut Laudenses ultimum patriæ suæ viderent exitium, nisi pro misericordia sua Deus eos mirabili modo respexisset. Prope urbem tanta aquarum copia ex vicinis amnibus nimium intumescentibus coierat, ut amplissimus inde lacus exsisteret, cui *Maris Gerundi* nomen est inditum. In hisce stagnantibus aquis natus est, nescio quomodo, draco sive serpens immanis, qui fœtorem exhalabat intolerabilem & virulentum adeo, ut multi inde infelicium civium misere perierint. Cumque reliqui jam sarcinas collegissent patriam deserturi, quo periculum istud effugerent, Bernardinus Talentinus, patriâ Laudensis, idemque episcopus urbis, aliique procerum, nescientes quodnam humanum remedium imminenti desolationi exitioque patriæ adhiberent, & indies incolarum stragem ingravescere videntes, denique sano consilio ad opem divinam confugerunt. Itaque bonus ille episcopus cum torpentes metu cives in concionem convocasset, & efficacibus rationibus adhibitis, ut in misericordia divina spem suam reponerent, exhortatus esset, certa cum fiducia, humiles infimasque preces suas ab ea rejectum non iri; persuasit illis, ut Deo solenne votum facerent, se magnificum in honorem sanctissimæ Trinitatis & S. Christophori templum exstructuros, si tanto ipsos liberare malo numini summo placuisset. Deinde sacris quibusdam & solennibus pompis, (*Processiones* vocant) devotisque precationibus institutis, & recens confirmato voto, non diu cessavit Deus supplicem sibi submissamque patriam nostram benigno vultu respicere, ita ut uno eodemque die geminum ederet miraculum. Exstinctus est pestilens draco, & una lacus ille, sive palus exsiccata ipsis Cal. Jan. anni MCCC. Usque in hunc diem in prædicto S. Christophori templo, quod hodie Patres Olivetani magnificentius à se refectum tenent, visitur os ejusdem serpentis sive draconis ingens, & una quoque ipsa historia legitur in tabella, quæ hodieque in S. Christophori sacello suspensa apparet.

Mense Majo anni MCCCI. novis bellorum motibus exortis, nostri ad obsidendum S. Florani castellum sunt profecti, quod tum in Tressenorum potestate erat, & proximo mense Julio una cum Cremonensibus, Cremensibus, & Bergomatium exsulibus ad *Romanum* se contulerunt, quod in Bergomatium erat ditione, ac non ipsum modo oppidulum, sed & castellum occupaverunt. Inde ad Bergomum perrexerunt urbem, hoc consilio, ut vi in eam reducerent exsules, sed cum ipsis obviam processissent Bergomates & Mediolanenses, quorum in urbe Bergomo præsidium erat, post longum certamen victi fuerunt nostri, multique eorum capti.

Jam Matthæus Vicontius ad magnam dignitatem ac potentiam processerat, suspiciendus non ob affinitates modo multarum ex primis Italiæ familiarum, sed & terrarum, quas possidebat, amplitudinem. Hinc à prospera fortuna animis inflatus, licere sibi putabat promissorum violare fidem in rebus etiam gravissimis. Ita Zacharinam filiam, quam desponderat Richardino Langosco, mox animo, nescio qua de causa, mutato, in matrimonium dedit Octorino Ruscæ, Comensi. Hoc vehementer indignatus Langoscus, animum appulit ad opportunam occasionem circumspiciendam, quo efficere posset, ut Vicontium facti sui pœniteret, eumque docere, quanto dedecori damnoque viris principibus esse soleat non servare fidem datam. Primum itaque in partes suas & consilii societatem pertraxit ex Laudensibus Antonium Fissiragam, qui isto tempore patriæ suæ præerat, tum anno MCCCII. Gulielmum Brusatum, Novariensem, & Vercellensium Advocatos, Joannemque, Montisferrati Marchionem, quibus se ocyus adjunxit Albertus Scottus, qui & ipse exacerbatus erat ob similem injuriam à Vicontio acceptam. Deinde Turriani quoque ab exsilio revocati protinus Cremonam & Laudam venerunt, promissa illis in veterem patriam restitutione ab omnibus his, quos diximus. Matthæus aut ignoravit, aut certe non credidit hanc ingentem contra se conspirationem, usque dum hostes in tractum, cui *Lavaniæ* nomen, exercitum adduxissent, quibus ut resisteret, quam poterat celerrime Mediolano urbe egressus cum omnibus istis copiis, quas illo temporis articulo colligere poterat, castra posuit ad *Pioltellum*, ad regendam urbem relictis Galeacio & Huberto, quorum hic frater, ille filius ipsius erat. Mox ab arce Besentrato Mediolanum abduci & in carcerem conjici jussit Petrum Vicontium, cognatum suum, cujus fides ipsi suspecta erat: inde iterum in Settecianum castellum, ubi adhuc in vivis erat Oliverius Turrianus, eum transferri ibique custodiri voluit, tanquam in loco tutiore. Hæc in Petrum Vicontium acerbitas non parum detrimenti Matthæi rebus attulit. Statim An-

Antiochia Crivella, Petri uxor, irritata mariti captivitate eique illatis injuriis, plusquam muliebri animo ad Seprium profecta, ibique suæ gentis hominibus amicisque collectis, & præter cæteros Conrado Rusca, genero suo, brevi tempore ad decem millia militum contraxit, præter quos multi etiam alii homines, sedibus suis ejecti, se illi adjunxerunt.

Hæc nova cum Turrianis innotuissent, & Fissiragæ Laudensi, Scottoque Placentino, qui & ipsi, ut dictum est, contra Vicontium conspiraverant, multum illis auxerunt animos, eosque ad spes majores erexerunt. Itaque à *Lavania* motis castris ad *Besenciatum* consederunt, utpote suis consiliis locum opportuniorem. Contra Matthæus à *Pioltello* digressus, inter *Melcium* & *S. Erasmi* castra posuit, locis quibusdam vicinis commeatus, qui opus erant, suppeditantibus, quia è Mediolano urbe, ubi Galeacius filius ejus parum securus agebat, non submittebantur ipsi alicujus momenti subsidia. Quin etiam populus, dominationi se Vicontii subtrahere cœpit, & in omnibus se ipsi prodere inimicum. Insuper Moguntiacum quoque oppidum repente Langosci Turrianorumque partibus se adjunxit. Tum vero Matthæus tantis undique malis oppressus, cum undequaque se hostibus cinctum, auxilia autem longe adhuc abesse videret, quæ Atestinus, sive *Estensis* Marchio ipsi destinaverat, non minus belli viribus, quam animo deficere. Interea Venetorum legati quatuor, qui aderant, identidem in utraque castra ultro citroque commeabant, pacis componendæ causa. Itaque ad ultimum Matthæus, pene ab omnibus desertus, cum ad *Pioltellum* quatuor istorum Venetorum fide interposita se contulisset, quo etiam convenerant Laudensium, Cremonensium, Papiensium, aliorumque legati; constitutum est, ut omnes controversiæ, quæ Turrianis eorumque partibus intercedebant cum Vicontiis eorumque sociis, Alberti Scotti permitterentur arbitrio. Hic cum Venetorum legatis omnibus compositis, mandavit, ut oblivioni mandarentur omnes anteactæ offensæ, & Turriani eorumque asseclæ Mediolanum revertendi, pristinasque domos suas & bona, quibus nudati erant, repetendi potestatem haberent. Matthæus autem Mediolanensium ducatu eidem Scotto cedere coactus, in castello Melcio aliquandiu commoratus est, quod in ipsius Scotti erat potestate, & inde postea digressus, extorris alio locorum abiit. Turriani Mediolanum patriam urbem cum reverterentur, in itinere præter multos alios Laudensium, præfectum eorundem & Antonium Fissiragam comites habuerunt, quem Mediolanenses præfectum urbis suæ creaverunt anno MCCCIII.

Interim vero dum Turriani rebus utuntur prosperis, quæ paulatim ipsos ad absolutam fere Mediolanensis urbis potestatem evexerunt, Matthæus Vicontius patria profugus, sed neutiquam pristina animi magnitudine destitutus, semper illud meditabatur, qua ratione amissas fortunas non recuperare tantum, sed etiam augere posset. Itaque trecentis equitibus, quatuorque peditum millibus collectis ad Varesium, Belincionam, & Luganum castella occupanda profectus est, quod nec multum ipsi difficile factu fuit ob veteres, quas istic locorum contraxerat, amicitias. Quin etiam viribus auctis ad Comum urbem accessit, ejusque fines depopulatus, ipsam urbem in periculum salutis adduxit. Sed Turriani, qui æmulum suum atque hostem aut opprimere, aut hisce saltem terris expellere constituerant, cum Fissiraga Comum versus abierunt, contractis multis sociorum copiis, qui valida undique ipsis auxilia miserant. Tum vero Vicontius, vir non minus prudens, quam fortis, cum non posse se viribus hostium resistere videret, egregia cum disciplina militari Comensium finibus excessit, & cum omnibus copiis Placentiam abiit, ibique humanissime est acceptus.

Deinde anno MCCCV. Bergomates cum intellexissent, exsules suos Mantuanorum, Brixianorum, Veronensiumque auxilio vi reditum in patriam parare, petierunt & ipsi à multis civitatibus auxilia, inter quas & Lauda magnam illis armatorum manum subministravit. Itaque cum exercitus Bergomatium usque ad viginti millia hominum excrevisset, exsulum auxiliariis consultius visum est retro ad sua abire, quam armis experiri.

Jam in Germania Henricus Lucemburgensis fuerat Imperator electus, qui cum anno MCCCX. in Italiam transgressus Astæ moraretur, Vido Turrianus, Mediolani dominus, satis sciens, quanto ille studio Gibellinis esset addictus, diu incertus hæsit, utrum Cæsarem in urbem reciperet, an vero se illi opponeret. Denique autem ex consilio multorum suæ factionis hominum, qui nonnullas urbes in potestate sua habebant, interque eos Antonii Fissiragæ, Laudæ domini; & cum præterea videret, Mediolanensium animos ad Cæsaris partes inclinare; Philippum Langoscum & Antonium Fissiragam, hunc Laudæ, illum Papiæ dominum, ut in Asta urbe Henricum suo nomine salutarent quam officiosissime, misit, eumque in urbem Mediolanum invitarent, addita asseveratione, eum quanto maximo fieri posset cum honore atque reverentia à principe Turriano acceptum iri. Excepit hos legatos Cæsar admodum hilari in speciem vultu, quamvis probe conscius esset de Vidonis Turriani in se malevolentia.

Sed Matthæus Vicontius Imperatoris adventu cognito, spes animosque ad meliores fortunas, pristinasque recuperandas opes ac potentiam erexit. Itaque mutato habitu perque devia facto itinere, ne facile cognosci posset, aut in manus hostium incideret, Astam se contulit, ibique cum non difficulter ad Imperatorem admissus esset, ad pedes ejus prostratus infimis precibus enixe ab eo petiit, ut se ex miserabili rerum suarum fortuna, quacum conflictabatur cummaxime, sublevaret. Gratum tulit ab Imperatore responsum, qui fidem illi fecit, se nunquam concessurum, ut sui homines, sibique addicti & fidi ab inimicorum suorum potentia opprimerentur: tum humo levatum multa cum benignitate atque clementia tractavit. Aderant forte huic sermoni Mediolanensium principis, Vidonis Turriani legati, Langoscus & Fissiraga, quos dum Vicontius amplexurus adiret, Fissiraga manu eum repulit, dixitque: *Tu, Matthæe, semper fuisti pestilentiæ similis, quæ primum contagione sua homines inficit, mox occidit. Per totum enim vitæ cursum semper discordiarum inter alios sparsisti semina: ubicunque, si posses, bella semper concitavisti: publicam turbavisti quietem, omniumque malorum causa fuisti: & nunc quoque, ut nunquam alias, præteritas calamitates referre nobis paras.* Ad hæc Matthæus in speciem nihil omnino turbatus, ita respondit: *Taceamus quæso turbas anteactas, & omnibus litibus nostris atque controversiis arbitrio Henrici, benignissimi Imperatoris nostri, permissis, ab ejus justitia tranquillitatem ac pacem exspectemus.* Interposuit auctoritatem suam Cæsar, & imposito utrique silentio effecit, ut Turriani legati cum Vicontio omnes controversias componerent. Inde constituit, ut Matthæus & una Turriani in urbe Mediolano habitarent, singulique suis ædibus, reditibus, dignitatibus, privilegiisque fruerentur, ut antea factum fuerat, quam discordiæ inter ipsos & inimicitiæ erant exortæ. Omnia quidem agebat Imperator, ut erga utrasque partes perinde se proderet affectum, attamen illud facere tanta cum prudentia non poterat, quin legati Turriani satis animadver-

A verterent, ejus animum ad Vicontii partes inclinare: quamobrem ægri admodum animis erant, Vicontii in integrum restitutionem, suamque hinc calamitatem prævidentes. Itaque ut in rem suam temporis beneficio possent uti, variis excusationibus rationibusque allegatis persuadere Cæsari studebant, ut iter Mediolanum differret, cum Cæsaris animum in suas partes se interim pertracturos sperarent. Hoc cum animadvertisset sagacissimus Vicontius, admonuit Imperatorem, Langosci & Fissiragæ verba non ex sincero, sed ex versipelli malignoque derivari animo, ideoque modis omnibus protinus ipsi recta Mediolanum esse pergendum.

B Non opus habuit multum sumere molestiæ Vicontius, ut hoc, quod ipse cupiebat, persuaderet Cæsari: qui proinde egressus Asta, Mediolanum petiit, comitantibus aulicis, aliisque viris principibus. Obviam illi ex urbe progressi sunt multi ex Mediolanensium nobilibus, postque illos cum ingenti procerum ex Guelphica factione comitatu Vido Turrianus, qui cum ad Cæsarem accessisset, ut honorem illi haberet, equo descendit, dextrumque ejus pedem est exosculatus. Videbatur primo Imperator benigne eum excipere, mox autem magna cum severitate ad hunc modum eum alloquutus est: *Tempus adest, Vido, quo te nobis submittere, supremamque auctoritatem nostram ac potentiam agnoscere debeas: nam certe nunc quidem, crede mihi, adversus stimulum calcitrare non poteris.* Aliud C non multum fere loquutus, suumque prosequutus iter, Mediolanum intravit, ibique Epiphaniæ die festo anni MCCCXI. corona ferrea, qua coronari solebant Imperatores, solenniter ornatus est à Cassone Turriano, qui isto tempore Mediolani Archiepiscopatum tenebat, præsentibus, dum hæc solennia fierent, Treverorum Genuæque Archiepiscopis, una cum episcopis harum urbium: Patavii, Veronæ, Brixiæ, Bergomi, Laudæ, qui isto tempore erat Ægidius de Aqua; multisque etiam aliis D ecclesiasticorum proceribus Principibusque, & omnium fere Italiæ civitatium Legatis. Veruntamen pronunciavit Imperator, se nolle hunc actum solennem temporibus insequentibus unquam esse præjudicio Moguntiaco (*Monza*) oppido, ubi alioqui coronatio ista fieri consueverat.

Post hæc Imperator mense Februario, cum à rebus novis sibi metueret in urbe Mediolano, quippe civibus ejus urbis oppido parum ipsi faventibus, quod magnam iis auri vim extorserat; Romam secum specie honoris abducere deliberavit centum ex primis nobilium Mediolanensium, interque eos E ipsum quoque Matthæum Vicontium, ejusque filium Galeacium, præter multos alios partium Vicontiarum; ex gente autem Turriana Vidonem, ejusque filios, & itidem multos alios Turrianæ factionis. Hoc vulgato Franciscinus, Vidonis Turriani, & Galeacius, Matthæi Vicontii filius, extra portam Ticinensem in colloquium venerunt, cumque segregassent se ab asseclis suis, diu multumque soli consilia contulerunt. Jam licet eorum non essent auditi sermones, ex crebra tamen mutuaque manuum compressione, & item ex dicto quodam, quod Franciscino forte exciderat, pro certo creditum fuit, eos in perniciem Cæsareorum F conspiravisse. Itaque Germani cum suo equitatu urbe perlustrata, ut cognoscerent, an re ipsa contra se conspiratio esset inita, quibusque armorum virorumque viribus; cum ad Matthæi domum accessissent, & hic in secretissima ædium suarum parte arma hominesque abdidisset, vultuque sereno Germanos acceptos vino epulisque largiter invitasset; hi neque in animo Vicontii aliquid mali, neque in ædibus bellici apparatus contra se aut Imperatorem suspicantes, abierunt. Hinc ad Turrianorum progressi ædes, multos invenerunt homines armatos: cumque per totam undique urbem ad arma conclamaretur, ferreturque fama, Vicontios ac nobilitatem ipsis adhærentem se cum Turrianis populoque in perniciem conjunxisse Germanorum, multi utriusque factionis homines ad portam novam concurrerunt, prope quam habitabant Turriani, promiscue se ad Germanorum excidium invicem exhortantes, quos barbarorum atque avarorum hostiumque communium nomine appellabant. Sed dum hic atrociter pugnatur inter Mediolanenses ac Germanos, quibus una cum suis fortiter resistebant Turriani; nobiles atque asseclæ Vicontiorum, cum neminem inter illos viderent principum suorum, adeoque se deceptos esse putarent, domos suas redierunt. Hinc Germani superiores, illorum, qui una cum Turrianis remanserunt, ingentem ediderunt stragem. Franciscinus autem & Simo periculo evaserunt, & extra urbem se contulerunt, quo & Vido pater eorum, qui morbo decumbebat, ab amicis est translatus.

In hoc tumultu Matthæus Vicontius, homo callidissimus, per ædes illas, ubi episcopus Tridentinus hospitium habebat, ad Imperatorem accessit, Germanis fidum optimumque Cæsaris amicum eum salutantibus. Imperator magno eum cum gaudio accepit, interrogavitque, cur tanto tempore ad se venire supersedisset; & num verum esset, Galeacium ipsius filium cum Turrianis in suam conjuravisse perniciem. Matthæus adventus sui tarditatem excusavit, allegato per istas turbas in publicum procedendi periculo, & enixissime sanctissimeque asseveravit, se & esse, & una cum suis & vivere & mori velle fidum addictumque Cæsari. Interim Galeacius quoque, Matthæi filius, opera Boscini Mantegaciæ cum Germanis se conjunxerat, totamque per urbem volitabat, & solo æquabat Turrianorum domos, nec non illorum, qui ipsis addicti erant atque amici. Quin & multi, qui neutrarum erant partium, cæsi fuerunt, eorumque domus dirutæ, ædesque Vidonis Turriani crematæ, nequicquam obsistente precibus etiam additis Galeacio. Hoc in tumultu primum audita Mediolani fuerunt *Guelphorum Gibellinorumque* nomina: & Cæsarei, eorumque amici, qui *Gibellini* dicebantur, cum se invicem ad Guelphorum exhortarentur perniciem, multi eorum misere fuerunt exstincti; & nihil proficiente præsentia atque auctoritate Matthæi Vicontii, qui cum bona Cæsaris gratia per urbem circumvehebatur tumultus sedandi causa, per sex continuos dies direptæ sunt vastatæque Guelphorum domus non tantum in ipsa urbe, sed & in oppidis locisque circumjacentibus. Denique rebus compositis Henricus Imperator, cum Vidonem Turrianum, & filios ejus, aliosque, istius conspirationis fuisse auctores crederet, quosdam illorum varios in locos urbesque relegavit, alios, qui parere huic denunciationi recusabant, ex imperii sui finibus in exsilium ejecit. Hinc etsi postea Turrianæ gentis homines redire studuerunt, nihilque reliquerunt intentatum, ut in integrum restituerentur, nunquam tamen illud effici potuit: adeoque illi, ut historici dicunt, per varias Italiæ urbes, Veronam, Cremonam, Genuam, Bergomum, aliasque fuerunt dispersi; quam eandem fortunam & multi alii magni viri sunt experti.

Ceterum Antonius Fissiraga, qui isto tempore Laudam imperio regebat, cum se in patriam recepisset urbem, parum amice erga Imperatorem affectus, ex consilio Sabaudiæ Comitis, qui inter præcipua erat factionis Guelphicæ capita, omnibus viribus efficere conabatur, ut ne Henrico in Mediolanum urbem commeatus submitterentur. Sed cum pericula consideraret, quibus tanti Principis

cipis ira provocata se patriamque exponebat, Mediolanum ire una cum Bassiano fratre, Antonio de Aqua, aliisque suarum partium hominibus constituit. Hic cum se Imperatori submisisset, eique claves tradidisset urbis, etsi eum neutiquam benigne aut cum aliqua gratiæ specie Cæsar accepit, tamen pro eo intercessit Augusta: & Imperator nonnihil remittens de pristina severitate, cum Antonio nimiam in tuendis Guelphorum partibus contra Gibellinos pervicaciam exprobravisset, eumque gravem commeritum pœnam pronunciavisset, Mediolani eum apud se retinuit. Sed ejus fratrem Bassianum & Antonium de Aqua cum primo copiarum duci, seu *Marescallo* suo, Henrico Flandriæ Comiti dedidisset, quo ipsorum opera ipse in Laudam urbem acciperetur; clausas invenit portas, & muros vallumque optime ad defensionem instructum, quum una cum ipsis magnaque armatorum manu ad eam accessisset. Quare motus ira Cæsar proximis arboribus suspendi eos jussit, prorogata tamen, cum jam spoliati essent, sententia, concessaque illis potestate, ut in urbem mittere quem suorum possent, qui nunciaret, ipsos & Antonium Fissiragam, omnesque alios Guelphicarum partium, qui in Imperatoris erant potestate, crudelem in modum cruciatibus & denique morte multatum, finesque Laudensium devastatum, omniaque flammis ignique exstinctum iri, nisi protinus hominibus Cæsaris aperirent portas urbis. Hoc cum in urbem relatum esset primum ad Fissiragas, mox ad publicum consilium, ut cives suos servarent, patriamque vindicarent ab imminentibus periculis, Laudenses a. d. xv. Cal. Apr. liberum Germanis in urbem fecerunt aditum, quo eodem deinde quoque post celebratum Pascha una cum Augusta venit Imperator, comitante magno nobilium numero. Ceterum ille erga Laudenses vere Imperatoriam exercuit clementiam, fuissentque nostri abunde gavisi cumulatique ejus gratia, nisi Valerianus, frater Imperatoris, levi de causa multos crudelem in modum vita privavisset, alios meliore bonorum parte exuisset. Lauda Henricus abiit Cremonam, ita tamen, ut de urbis possessione satis posset esse securus, valido copiarum præsidio Gibellinis relicto, qui ipsius favore in patriam restituti omnia sua receperant. Cremonam secum abduxit Antonium Fissiragam, sive ut Guelphos adeo potenti capite orbaret, sive ut ejus consiliis, si usus veniret, uteretur, ut ipse dicebat.

Cremonenses in eadem cum Laudensibus sententia fuerant, sed cum ipsi suam infirmitatem cum Cæsaris potentia conferrent, quanto maximo cum honore possent, excipere eum constituerunt. Itaque multi eorum extra urbem multis illi passuum millibus obviam progressi habitu (verba sunt Campi, scriptoris Cremonensis, in *Historia Cremonæ urbis*, lib. III.) miserabili, capitibus apertis, nudis pedibus, & laqueis colla revincti, cum in ejus conspectum venissent, genibus flexis subinde misericordiam expostulabant magnis vocibus, additis etiam lacrymis ac lamentis, quibus se patriamque victoris clementiæ commendarent. Sed cum nihil prodessent eorum preces atque lamenta, Cæsar omnes in custodiam dari jussit, quod cum ocyus factum esset, mox pene omnes misere trucidati fuerunt: & nihil his victimis placatus Cæsar Cremonam intravit, adspernatus arcuum tropæorumque apparatum, quem, ut introitum ejus solennitate quadam celebrarent, adornaverant Cremonenses. Inde Cremonæ aliquandiu commoratus, denique Romam perrexit, quo cum advenisset, anno MCCCXII. corona aurea, ut solent Cæsares, coronatus est à summo Pontifice.

Interim Comes Vernerius Hombergius, quem in Longobardia præfectum Henricus summumque

A copiarum suarum ducem reliquerat, vi armorum multos populos rebelles ad obedientiam Cæsari præstandam reduxit, & male multavit multos Guelphicarum partium principes. Tum Antonius Fissiraga, quem sæpius nominavimus, in patriam redeundi potestate ab Imperatore impetrata, cum castella pagosque Laudensis agri ad rebellionem concitavisset, eosque in fide Guelphorum contineret non contra Cæsarem tantum, sed & contra Laudenses Gibellinos, qui in urbe erant; Vernerius ille magno cum exercitu advenit, quem magnam partem ipsi subministraverant illæ civitates, quæ pro Cæsaris partibus fœdus inter se inierant,
B & brevi tempore totum agrum Laudensem recepit, multosque captos Laudam in carceres misit. Deinde dum Guelphi terras infestare hostium moliuntur, subito Vernerius, qui ingens agmen militum secum trahebat, obviam illis est factus, tantoque eos cum ardore invasit, ut ocyus acie rupta in fugam agerentur. Hinc Vernerius cum versus Placentiam movisset, & eodem Antonius quoque Fissiraga & Philippus Langoscus, qui Placentiam urbem ad rebellionem contra Imperatorem concitare studebant, tenderent magno validoque cum exercitu, quo consilium suum perficerent; utrinque ad arma ventum, tantaque fortitudine pugna-
C tum est, ut diu prorsus anceps fuerit prælium, quo tamen Cæsarei denique superiores evaserunt, & Fissiraga ac Langoscus fusis fugatisque copiis suis capti & Mediolanum abducti sunt in potestatem Matthæi Vicontii.

Sed Henricus Imperator dum hoc eodem ferme tempore debellare molitur Robertum, Siciliæ regem, & hostem suum capitalem, atque ingens Guelphicæ factionis columen, eumque in finem maximas terra marique vires contrahit, vehementissima febri correptus è vivis excessit anno MCCCXIII. Erecti sunt hoc casu Guelphi ad spem melioris fortunæ, maxime cum à Clemente V. Pontifice & Ro-
D berto Siciliæ rege adjuvarentur, qui etiam Præfectus seu Vicarius Imperii in urbibus Italiæ constitutus est. Sed ocyus hæc eorum spes concidit morte Pontificis, ex qua Matthæus Vicontius tantum sibi, ut nunquam alias, animorum sumpsit, factio autem contraria maxime metuere cœpit ejus potentiam. Clementi V. successit Joannes XXII. qui adversissimus fuit Matthæo Vicontio, adeo ut eum excommunicaret una cum liberis sociisque suis. Idem, quo facilius eum opprimeret, egit cum Henrico Flandriæ Comite, qui tum temporis cum bona venia Imperatoris Laudam urbem tenebat, ut eam sibi traderet, ingentibus illi pecuniis munerib-
E busque oblatis. Comes facile ad Pontificis se accommodavit voluntatem, maxime illud considerans, quandoquidem Lauda tanto intervallo remota esset à Flandria, ubi ipse possessiones suas terrasque habebat, admodum sibi difficile fore copias eo in subsidium mittere, si quando illa ab hostibus invaderetur. Itaque cum in Longobardiam magno cum militum numero advenisset, antequam Laudam pergeret, Mediolanum se contulit, ibique magna cum honoris specie à Vicontio est acceptus.

Sed dum hac de re Comitem inter & Pontificem agitur, Vistarini, qui Matthæi Gibellinorumque partes sequebantur, Laudæ occupandæ consilium
F inierunt, & feliciter perfecerunt. Cumque arce etiam potiti essent, ejectis urbe omnibus illis, quos Comiti favere suspicabantur, protinus Matthæum per legatos certiorem fecerunt omnium, quæ gesta erant, eumque rogaverunt, ut ipsis significaret, qua potissimum ratione parta tueri possent. Et ille collaudatis Vistarinis protinus in subsidium pecunias copiasque lubens obtulit. Contra Henricus Comes, maximopere offensus, dolensque Laudæ jacturam, graviter cum Vicontio de Vistarinis conque-

querebatur. Sed ille, qui ab ineuntibus annis optime didicerat simulare, magnam quidem ea de causa doloris atque ægritudinis speciem præ se ferebat, multis tamen rationibus adductis persuadebat Comiti, pro re nata omnia ipsi esse dissimulanda, quandoquidem ad recipiendam Laudam, validis munimentis præsidiisque firmatam, non haberet vires idoneas.

Ita anno MCCCXXI. Bassianus Vistarinus princeps Laudæ factus est, eique Jacobus & Sucius filii successerunt. Sed Henricus Laudæ recipiendæ anxie cupidus, ad Canem Franciscum de Scala respexit, qui cummaxime Veronam urbem summa cum potestate tenebat, eumque rogavit, ut Marchionem Spinettam Malaspinam, virum nobilissimum, mitteret Laudam, ubi ille multas habebat amicitias ac familiaritates, utque ita res istic componerentur, quo ipse in pristinam restitueretur possessionem. Venit Marchio Laudam, atque ibi à privatis simul & principibus urbis perhonorifice quidem acceptus est, sed consilium tamen suum perficere non potuit: adeoque Flandriæ Comes omni spe abjecta Mediolanum regressus est, ubi eum Matthæus Vicontius in speciem honorifice semper & amicissime habuit. Mediolani integrum illum annum Comes exegit, & deinde Montisferratum abiit, ibique adventum legati Pontificii exspectavit. Ceterum varii acciderunt memorabilesque casus Matthæo Vicontio, qui præter cetera denuo etiam excommunicatus est à Pontifice: sed quia illi nihil magnopere ad nostram faciunt *Historiam*, exponere eos alienum esse ab instituto nostro arbitramur, adeoque lectorem, qui de iis cognoscere forte cupiat, ad illorum temporum historicos ablegamus. Decessit hic vir magnus, qui in vita sua expertus est variam fortunæ vicissitudinem, contra cujus malignitatem semper ille se prudenter munire scivit, anno MCCCXXII.

Successit illi in principatum Galeacius filius natu maximus, virtute atque animo non inferior patre, ut inter ipsa imperii sui initia satis probavit. Nam voluntariorum duo millia & quingentos, militumque decem millia collecta ad liberandum Bassinianam castellum cum misisset, quod post obitum patris occupaverant Guelphi, in eoque collocaverant cum præsidio Raimundum Cardonam, qui jam constitutus erat Vicarius Pontificis in Longobardia; commisso prælio Vicontii exercitus Cardonæ copias fudit fugavitque, & castello hostes expulit. Hujus rei gestæ fortuna animis auctus Galeacius, cum Placentiam ab hostibus suis occupatam comperisset, adeo non turbatus est, ut constanti vultu suis faceret animos, iisque se ocyus eam urbem recuperaturum polliceretur. Sed cum aliud fere ex alio venire malum soleat, Galeacius paulatim ab suis est desertus, & postea adeo manifesta proditione circumventus, ut fuga salutem quærere consultum sibi videretur. Itaque Mediolano Laudam se recepit, ibique eum Vistarini, qui Laudam tenebant, quam poterant humanissime atque amicissime acceperunt, donec ille denuo ad Mediolani principatum revocatus est, quo etiam rediit eodem anno MCCCXXII. magno comitante militum agmine, quod securitatis & honoris causa ipsi addiderant Vistarini.

Florebat his temporibus Oldradus de Ponte, ex nobilissima apud Laudenses familia Jurisconsultus celeberrimus, qui primum Bononiæ, inde Patavii tanta omnium cum laude & applausu jurisprudentiam professus est, ut glorioso *Patris legum* cognomine ornaretur, & Romam etiam vocaretur ad eandem doctrinam, in quam egregios commentarios composuit, publice docendam. Hic cum causidicus Ecclesiasticus, seu *Consistorialis*, ut vocant, & causarum cognitor (*Auditores* vulgo dicuntur) factus

A esset, tantum gratia atque auctoritate valuit, maxime apud Joannem XXII. Pontificem, ut hic ipsius potissimum uteretur opera in gravissimis Christianæ Reipublicæ negotiis componendis. Multa ille reliquit opera, manu sua conscripta, ex quibus hodie nihil aliud superest, quam doctissimum *Consiliorum* volumen, quod typorum beneficio in lucem editum est. Ad ultimum accitus Avenionem ad ejusdem scientiæ professionem publicam, vitam istic finivit a. d. VI. Id. Apr. anni MCCCXXXV. Sepultus est ante portam templi Patrum Prædicatorum sive Dominicanorum, ejusque sepulcrum duobus epitaphiis insignitum, quorum alterum temporum vetustate consumptum legi amplius non potest, alterum vero ita

B habet:

Hic jacet Oldradus Dominus de Ponte vocatus
De Laude natus laus hujus, & ab omnibus notus
Fuit in jure doctus eximius vere pro cujus
Anima quisque Deum velit orare
Qui obiit an. 1335. *die Lunæ Idus Mensis Aprilis sexto.*

Anno MCCCXXIV. parum abfuit, quin Raimundus Cardona, qui, ut dictum est, Pontificis erat Vicarius in Longobardia, nostram urbem improviso impetu oppressisset. Subornaverat ille piscatores quosdam, qui cum aliud agere se, & per Adduam

C amnem piscari simularent, qui mœnia urbis nostræ præterfluit, quidam eorum subruta murorum parte aditum in urbem aperuerunt: cumque mox à Cardona missi duces quidam cum copiis militaribus, & una ipsorum Laudensium aliisque Cremensium exsulibus, per eundem aditum in urbem jam pervaderent, quasi miraculo quodam, ut ait Corius *Historiæ Mediolanensis* Parte III. detecti fuerunt à civibus, qui cum celerrime eodem loci concurrissent, certamine cum hostibus conserto, multos eorum interemerunt, interque eos quendam Barbaranum *Connestablium*, & item alium ex Ecclesiæ ministris, qui *Maximi* dicuntur, præcipuos ducum. Alios au-

D tem cum cepissent, qui supererant, fortunæ loco duxerunt fuga salutem tueri: atque ita nostra urbs insidiis hostium est liberata.

Anno MCCCXXVII. Mediolani, ubi adhuc in custodia asservabatur, fato functus est Antonius Fissiraga, pluries in hac *Historia* memoratus, qui, præterquam quod nos de eo narravimus, legitur etiam fuisse Florentinorum dux militaris. Corpus ejus translatum est Laudam, ibique sepultum in magnifico S. Francisci templo, quod ipse condiderat una cum monasterio: sicut Flora Tressena ipsius uxor religiosam S. Claræ ædem condiderat. Ad sepulcrum Antonii hoc legitur epitaphium:

E *Corde time Christum, corde, qui conspicis istum,*
Servans jussa Dei, spem mundæ progeniei,
Nam jacet hac arcta fulgens ANTONIVS *Arca*
De FISSIRAGA, *moriens pro lege beata,*
Nobilis, & Clarus, nec egenis Crux, nec avarus,
Militiæ præsul cunctis laudibus exul,
Vrbis Curator, patriæ Laudensis amator,
Cui tu posce Deum veniam Cœloque trophæum.

Anno MCCCXXVIII. mirabili funestoque casu in urbe nostra sunt afflicti Jacobus & Sucius Vistarini, Laudæ urbis principes. Hi inter ceteros ministros suos habebant quendam Petrum Temacoldum, co-

F gnomento *Seniorem*, patria Laudensem, & ex Castione castello oriundum, obscuro quidem genere natum, sed magni ingenii animique hominem, qui proinde tantum gratia valebat apud patronos suos, ut eum quæstorem palatii, sive *Cancellarium* suum constituerent, & ad præfecturam quarundam copiarum militarium promoverent, quin & ipsius fidei committerent ipsam portarum urbis custodiam: ut adeo ille juxta apud cives atque extraneos in magna esset auctoritate. Sed cum Sucius Vistarinus, ut Co-

Corius scribit *Historia Mediolanensis* Parte III. cujusdam Temacoldi cognatæ pudicitiam violavisset, tanta homo ille contra patronos suos exarsit ira, ut clanculum in urbem introductis mille quingentis hominibus, cum nocte quadam se ducem illis adjunxisset, per urbem discurreret armatus, magnaque voce una cum suis clamitans, *Vivat populus*. Hinc cum ad Vistarinorum ædes accessisset, atque hi ingenti illo strepitu excitati eum interrogarent: *Quidnam, fili, hoc tumultus est?* ille nihil aliud, quam uni urbi unum sufficere dominum respondit, & verbo non addito protinus duorum principum manibus post terga religatis, eos una cum quatuor aliis suæ gentis in carceres abripuit, reliquis, interque eos Soncino omnium minimo, fuga elapsis. Sed Temacoldus, ipsos patronos suos libertate privavisse non contentus, mox variis modis excruciatos tormentis gravissimis misere fame enecavit. Atque hic providentiam justitiamque divinam mirari subit. Hice infelices nimiumque acerbi domini iisdem cruciatibus affecerant multos alios, audire gaudentes lamenta & miserabiles multorum miserorum voces, neque sinentes illis quicquam omnino cibi porrigi, ut adeo fame illi misere languerent, & denique exspirarent. Itaque Deus, judex justissimus, eadem ipsos etiam tormenta sustinere voluit, eodemque supplicii genere finire vitam, idque jussu hominis vilissimi, qui ipsorum quondam servus fuerat. Tum autem hicce homo, patriæ nostræ principibus sublatis, se proclamari Vicarium S. Ecclesiæ curavit. Sed deinde mutato animo Mediolanum ad Comitem Gulielmum de Monteforte, Imperatoris Vicarium, misit, eique significavit, sibi animum esse Laudam urbem in obedientia ac fide erga Imperatorem continere, Vistarinos se vita privasse testatus propter consilium, quod ipsi cepissent, legato Pontificis tradendi urbem. Veruntamen non admodum diu duravit hujus novi hominis tyrannis, si nullam aliam ob causam, at saltem ob natalium sordes intoleranda Laudensibus, qui cum ipsi patriæ regimen sibi vindicassent, a. d. IX. Cal. Oct. anni MCCCXXXV. consensu eam subjecerunt potestati Azonis Vicontii, Mediolanensium principis, & Galeacii filii natu maximi.

Hic cum anno MCCCXXXIX. decessisset nulla relicta prole mascula, Mediolanenses in ejus locum substituerunt duos patruos ejus, Lucinum & Joannem, quorum hic regimine ecclesiastico contentus, (erat enim Archiepiscopus Mediolanensis) totam potestatem administrationemque Reipublicæ Lucino fratri concessit, belli pacisque artibus principi præstantissimo. Sed nostris perniciosa admodum fuit hæc principatus mutatio. Cum enim Lucinus filium spurium haberet, nomine Brucium, eumque ad præfecturæ dignitatem apud Laudenses promovisset, in hoc munere obeundo ut superbum dominum sævumque hostem ille se gessit. Ut immensis sufficere sumptibus posset, quos una cum uxore facere consueverat, multos Laudensium possessionibus suis exuit, quibus deinde tractu temporis collocupletatum est majus nosocomium Mediolanense. Non aliam sequebatur in omnibus rebus normam regulamque, quam corruptissimos immoderatosque affectus suos. Ædes ipsius, quasi portus & asylum flagitiosissimo cuique & sceleratissimo patebant. Denique quod à patre impetrari nequibat, lubens largiebatur filius: neque ab Lucino opem implorare, ac ne hiscere quidem saltem ad dolorem significandum licebat. Sed cum anno MCCCXLIX. hujus novi Neronis decessisset pater, ipse à furente populo expulsus est urbe, eoque redactus, ut in Patavinis montibus misere moreretur in tugurio quodam.

Lucino in imperium Reipublicæ Mediolanensis successit Joannes frater, ejusdem urbis Archiepiscopus, qui anno MCCCLIV. Joanni Galeacio cognato castellum S. Angeli, quod in Laudensium finibus erat, item Montem bonum & Mairanum, quæ olim Mutius Vistarinus tenuerat loca, dono dedit. Sed non diu Mediolani imperio potitus est Joannes, & a. d. III. Non. Oct. ejusdem anni MCCCLIV. fato functus est, Stephani fratris filiis, Matthæo, Bernabone, & Galeacio, heredibus relictis. Hi divisis inter se oppidis castellisque, quæ isto tempore ad Mediolanensem principatum pertinebant, Matthæo Lauda, Placentia, Bononia, Lugum, Massa, (olim *Herculis fanum* fuisse creditur) Bobium, Pontremulum, & castellum S. Donnini obvenerunt: Bernaboni Cremona, Crema, Soncinum, Bergomum, Brixia, Camuni, (nunc *Vallis Camonica*) Lona una cum tractu ad Lacum Benacum, (hodie *Lago di Garda*) Ripa alta, & Caravacium cum Ponte Vavari: Galeacio Comum, Novaria, Vercellæ, Asta, Alba, Alexandria, Dertona, Castellum novum, Bassiniana, Viglevanum, Pons Ticini, Castellum S. Angeli, Mons bonus, & Mairanum: Mediolanum & Genuam ab omnibus teneri conjunctim placuit.

Anno MCCCLVI. decessit Matthæus, unus ex triumviris istis, non relicta prole mascula: adeoque ditionem ejus inter se diviserunt Galeacius & Bernabo fratres, sic ut huic Lauda nostra obveniret, ubi deinde anno MCCCLXX. civitatis consensu arcem ille exstruxit. Cumque multos ille haberet filios, & unumquemque eorum parte quadam imperii ac terrarum, quæ ad ipsum redierant, ornare cuperet, Marco dimidiam urbem Mediolanensem concessit: Ludovico Laudam & Cremonam: Carolo Parmam, Castellum S. Donnini, & Cremam: Rodulpho Bergomum, Soncinum, & Giaram Adduæ: Martino omnium minimo Brixiam assignavit & Camunos, (*Valle Camonica*) una cum tractu circumjacente, ejusque infirmæ ætati matrem subvenire sua prudentia voluit. Non minus erga uxorem suam, Reginam Scaligeram, munificum se probavit Bernabo, eique donavit Somalliam, Castellum novum ad Adduæ ostium, Roncalliam, Majanum, Montedradum, aliaque Laudensis agri loca. Sed dominabatur in suos ille Bernabo tanta cum acerbitate atque sævitia, ut eum abominarentur, non tantum qui ipsius imperio subjecti erant, sed & exteri remotique populi, adeo ut ad nomen ejus inhorrescerent omnes. Et filii quoque ejus nihil à patre degeneres, oppida illa, quæ, ut supra dictum est, cum imperio ipsi regebant, adeo affligebant vexationibus inauditis, ut eorum prorsus intolerabilis esset modis omnibus dominatio. Quin & contra Joannem Galeacium illi conspirationem inierunt, patruelem suum, qui Papiæ sedem habebat, ut eo sublato ipsi ditionem quoque illius ad se traherent. Sed detexit eorum consilia Joannes Galeacius, & ut saluti suæ prospiceret, in speciem totum sese religioni dedidit, ita ut visitandis templis, aliisque ejusdemmodi rebus intentum, Bernabo ejusque filii contemptui ac ludibrio haberent, & ut pusilli abjectique animi hominem tractarent. Joannes propinquorum erga se contemptum callide dissimulans, cum satis longo post tempore opportunum ipsi videretur, religionis causa ad sacrum beatæ Virginis templum, quod vulgo *Montis* dicitur, & juxta Varense castellum est, se ire finxit, & Papia digressus cum armatorum manu, Mediolanum petiit, se hac opportuna occasione Bernabonem patruum ex itinere invisere velle dictitans. Hic itaque cognati sui adventu cognito, honoris causa Ludovicum & Rodulphum filios illi obviam misit, & mox ipse etiam, licet fidissimi suorum eum ab hoc consilio abducere studerent, profectus est, ut illi occurreret, eumque tanto majore honoris atque affectus specie reciperet. Sed cum ad nosocomium S. Ambrosii extra portam Vercellinam accessisset Bernabo, & eodem quoque Joannes Galeacius, cognatus ejus, loco

loco amicarum invicem gratulationum Joannes Bernabonem & una duos filios ejus comprehendi jussit prid. Non. Maj. anni MCCCLXXXV. & castello portæ Giobbiæ, quod ipse Joannes custodia tenebat, & inde Trecio castello inclusit. Hic infelix Bernabo reliquum vitæ captivus exegit, & veneno, ut nonnulli volunt, sublatus est a. d. XV. Cal. Jan. ejusdem anni. Postea Joannes Galeacius Mediolanum intravit, & summo in urbem potitus imperio, reliquis filiis Bernabonis fuga elapsis, multisque ejus aulicorum ac ministrorum in custodiam datis, plerosque vicinorum Principum his de rebus certiores fecit.

Nostra civitas, cognito Joannem Galeacium in Mediolanensi Principatu plenissime confirmatum, & ipsa se tertio post die ejus imperio subjecit, dato, ut moris est, fidelitatis jurejurando ipsis Cal. Maj. anni MCCCLXXXVIII. quo multæ Italiæ urbes, interque eas & nostra, atrocissima sunt afflictæ pestilentia. Deinde Joannes Galeacius, tantarum terrarum felix dominus, petiit & impetravit etiam ab Venceslao Imperatore coronam titulumque Ducis, atque hanc in rem amplissimum diploma Cæsareum ad eum detulit Benesius, Cunsingii Comes, pro quo eum Cæsari centum millia florenorum aureorum repræsentavisse nonnulli dicunt. Deinde ipsis Non. Sept. anni MCCCXCV. ut vult Corius *Historiæ Mediolanensis* Parte IV. in urbe Mediolano novi Ducis coronatio peracta est insigni cum pompa, apparatuque & magnificentia.

Anno MCCCXCIX. variis in locis, veluti Mediolani, Papiæ, Laudæ, & vicinis tractibus prodigia in cœlo visa sunt insolita. Per plures horas sol clarus parum aut nihil fere splendoris emittere visus est: interdum ignem & scintillas micantes misto fumo ad instar fornacis evomere: nonnunquam cæruleum, mox alium iterum assumere colorem. Atque hæc portenta Antonius Meravillia Jurisconsultus se ipsum vidisse scribit, cum Laudæ Vicarii munere fungeretur.

Defuncto Joanne Galeacio, cum novum Ducis titulum & coronam rebus satis prosperis obtinuisset per septennium, filii ejus secundum divisionem ab ipso factam in paternas ditiones successerunt. Natu maximus Joannes Maria Mediolani Ducatum, tum præterea Laudam, Cremonam, Comum, Placentiam, Parmam, Regium seu Forum Lepidi, Bergomum, Brixiam, & quæ hinc ad amnem usque Mincium sunt, accepit: alter Philippus Maria Papiam, Novariam, Vercellas, Dertonam, Alexandriam, Veronam, Vicentiam, Feltriam, Belunum, Bassanum una cum tractu Tridentino ad eundem usque amnem: Gabriel, & ipse Joannis Galeacii filius, sed non legitimus, Pisas accepit & Cremam. Sed Joannes Maria quidem non modo parum prudenter suum administrabat imperium, sed & adeo invisa miseris populis cum acerbitate, ut multæ civitates ab ipso deficerent, & diversis earundem principibus viris subjicerentur. Ita Cavalcabi Cremonam sibi vindicaverunt, Suardi Bergomum, Ruscæ Comum, Arcelli Placentiam, & alii alias urbes, ut videri potest apud illorum temporum scriptores. Et nostra quoque civitas non ex ultimis fuit illarum, quæ nimium grave servitutis jugum, quo eas premebat Joannes Maria, cervicibus suis excusserunt. Gravissimis enim inter Guelphos & Gibellinos, quorum partes Joannes Maria sequebatur, contentionibus exortis, cum Guelphi prævalerent, & ex Gibellinis præter ceteros oppressi essent Vistarini, quorum nonnulli publice cremati fuerunt, eorumque domus dirutæ; quidam Antonius Fissiraga, diversus ab illo, quem supra sæpius memoratum, anno MCCCXXVII. fato fuisse functum diximus, inimicus Vistarinorum, & Guelphicarum partium caput, per aliquot menses Laudæ urbis tenuit imperium.

A Sed & vexatus est Joannes Maria Vicontius iisdem hisce temporibus à Bonifacio IX. Pontifice, qui ad Ecclesiæ imperium retrahere studens urbes illas, quas ejus pater Joannes Galeacius occupaverat, geminum contra Joannem Mariam strinxit telum. Cumque populos exhortatus esset, ut se ejus dominationi eximerent, nostri quoque missis legatis ad Balthasarum Cossam, Cardinalem & legatum Apostolicum, qui cummaxime Bononiæ commorabatur, ab eodem soluti sunt jurisjurandi religione, quo fidem suam Joanni Mariæ obstrinxerant, & exempti quoque aliis notis omnibus, quæ ipsis possent infligi olim, quod se Ducis imperio
B subtraxissent. Quin & idem legatus copias Pontificias ad Parmam usque deduxit, quo nostris, si usus veniret, subsidium ferrent ad consilium suum perficiendum. Sed ille Fissiraga quomodo vitam finierit, de eo non consentiunt inter se scriptores. Corius in *Historia Mediolani urbis*, Parte IV. eum veneno sublatum vult opera Joannis Viniati Laudensis, qui ex tenui fortuna, & natalibus satis obscuris, ut idem Corius dicit loco citato, eo jam provectus erat, ut se Fissiragæ in Laudæ urbis imperium sperare posset successurum, ut & factum est. Veruntamen Defendens Lodus, harum rerum scriptor accuratissimus, in *Dissertationibus Hi-*
C *storicis*, Differt. X. rejicit opinionem Corii, & Viniatum jam istis temporibus ex primis & potentissimis nobilium Laudensium fuisse asserit, eumque ad imperium patriæ non aperuisse sibi iter tanto scelere, ut veneno decessorem suum interciperet; sed Fissiragam, sive quod urbem subjicere iterum Joannis Mariæ, Mediolani Ducis, dominationi studuerit, Laudensibus omnino invitis & adversis, sive quacunque alia de causa, ab ipsis civibus non imperio tantum, sed & libertate, & forte etiam vita privatum: eaque occasione Joannem Viniatum, quod virtute & ingenio plurimum valeret, Laudæ imperium suo sibi Marte quæsivisse; quod
D factum est a. d. IX. Cal. Dec. anni MCCCCIII. Quidam addunt; inter quos idem Defendens Lodus loco citato, & *De rebus gestis Joannis Viniati, principis Laudensis*, eum Vercellis quoque & Alexandria potitum. Florentinæ Reipublicæ magistratus, cum Viniatum ad Principatum Laudæ provectum comperissent, sive ex fama, sive ex ipsius literis, legatos ad eum miserunt, qui illi suo nomine gratularentur. Etiam in epistola quadam, a. d. XVII. Cal. Jan. ejusdem anni ad eundem Viniatum lingua Latina conscripta iidem magistratus Principi nostro multa dant consilia atque præcepta, quibus diu, ut illi Florentini dicunt, magnaque cum gloria
E partum tueri posset imperium. Non defuit fortunæ suæ Joannes, & ut tanto magis se confirmaret in recenti potestate, externa circumspexit auxilia, Margaretha sorore sua data in matrimonium Octavio Ruscæ, qui una cum Francino fratre Comum urbem imperio regebat: item filiam suam Carolo Cavalcabo, qui in Cremonæ Principatum Ugolino successerat.

Anno MCCCCIV. Viniatus cum Comensi principe, eodemque affini suo, consilium iniit occupandæ Mediolani urbis: & cum ita convenisset, ut Rusca multis cum copiis per portam novam intraret in urbem, Viniatus per Romanam, prior qui-
F dem recte partes suas est exsequutus, sed nimium cunctatus est cum suis advenire copiis Viniatus. Itaque Joannes Maria cum subito accurrisset ad tumultum, non tantum Comensium sustinuit impetum, sed & repulit eos, ita ut Rusca & Viniatus, qui sero accesserat, fortunæ loco ducerent, ad fossas urbis, & inde domos suas se recipere posse. Atque adeo hoc consilium successu caruit, quem alioqui scriptorum testimonio prosperum sine dubio habuissent, nisi per Viniati cunctationem Joan-

ni Mariæ, Duci Mediolanensi, tempus superfuisset ad multos nobiles militesque colligendos, hostemque repellendum. Quanquam autem consilium suum non perficere potuerunt Viniatus & Rusca, tamen adeo arduam suscepisse expeditionem, multum eorum famam atque auctoritatem auxit: adeo ut in rem suam esse videretur Duci Mediolanensi, cum Laudæ principe inducias pacisci mensium quatuordecim. Quin & tantum cepit incrementi apud alios Principes ejus existimatio, ut Michaël Stenus, Venetorum Reipublicæ Dux, una cum ejusdem civitatis majore consilio eum anno MCCCCVI. posterosque ejus omnes in nobilium Venetorum adsciscceret numerum, quem honorem ista Respublica potentissimorum Principum familiis, & ipsis etiam dignitatis regiæ personis solet impertire. Inde Gabrini Fondulli conjuratione patefacta, qui in convivio quodam occiderat Carolum Cavalcabum in Macastorma castello, Viniatus sibi mortem generi ulciscendam ratus, ac hostem se Gabrini professus, justo cum exercitu contra eum movit: & protinus occupato Macastorma castello, armis processurus erat ulterius, nisi Venetiarum Dux se interposuisset, qui se controversiis inter Viniatum & Gabrinum intra biennium dirimendis obtulit arbitrum, ita ut prorsus interim cessaretur utrinque ab armis. Quin & induciis, quæ inter Ducem Mediolanensem & Viniatum constitutæ erant, in alios menses quatuor prorogatis, Laudæ dominus, cum secure ac tranquille suo frui imperio, & itidem cives suos pace otioque beare cuperet, lubens cum Philippo Maria Vicontio, Mediolanensis Ducis fratre, armorum pactus est inducias, quæ ad solennem buccinarum sonitum publicatæ sunt a. d. VII. Id. Jan. anni MCCCCVIII. Mox a. d. XIII. Cal. mensis ejusdem novæ sunt induciæ constitutæ in triennium duosque menses inter eosdem: id est, Joannem Mariam, ejusque fratrem, Papiæ Comitem, & Viniatum, Laudæ Principem. Sed hæ quidem novis contentionibus intervenientibus non diu duraverunt: & adeo Viniatus utile sibi ratus illas rumpere, denuo Mediolanensi Duci bellum indixit, gessitque prospera primum fortuna. Nam cum anno sequenti Melenianum oppidum una cum castello occupasset, iterum positis armis induciæ inter duos istos principes sunt publicatæ, ab VIII. Cal. Jun. anni MCCCCX. usque a. d. III. Non. Jul. anni sequentis duraturæ.

Eodem anno Joannes Viniatus Antonium fratrem amisit, suarum copiarum ducem summum, qui diem supremum obiit a. d. XI. Cal. Oct. Sed auxit quoque feliciter imperium suum Viniatus, Laudæ, quam tenebat, adjecta Placentia, non ex infimarum numero urbem, quam pecunia sua emit ab Antonio, Hostenduni domino, & Francorum duce militari, qui eam Philippi Mariæ Vicontii, Papiensis Comitis, nomine tenebat. Abunde hoc probant nummi argentei, qui hodieque supersunt, & ab una parte impressa habent Viniatæ gentis insignia, ab altera effigiem S. Bassiani & S. Antonini, quorum hic Placentiæ, ille Laudæ urbis patronus sive genius tutelaris est. Præterea publicum & authenticum superest instrumentum, ab Ludovico Abbone confectum, quo idem Hostenduni dominus plenissime sibi testatur satisfactum pretii nomine, quod ipsi pro urbe Placentia debebat Viniatus. Ceterum idem hic Joannes adeo abundabat auro, ut anno MCCCCXI. a. d. XV. Cal. Oct. Rufino Recannino, patria Mantuano, monacho, & ex ordine S. Joannis viro nobili, gratis commodaret duo aureorum ducatorum millia, quæ pro istorum temporum conditione ingens erat pecuniæ summa.

Ceterum non satis prospere ad ultimum Joanni cessit cœptum cum Duce Mediolanensi bellum, qui ipsi iterum ademit oppidum castellumque Melenianum. Atque hæc victoria solenni festivitate celebrata est in urbe Mediolano, ineunte Januario mense anni MCCCCXII. Sed non diu hoc gaudium constitit Joanni Mariæ Duci, qui postrid. Id. Maj. ejusdem anni misere vita privatus est à multis conjuratis, inter quos & nonnulli ex ipsius aulicis ac familiaribus erant, ut Corius *Historia Mediolanensis* Parte IV. aliique prolixe narrant. Successit illi in Ducatum Philippus Maria frater, Papiæ Comes, inter quem & Joannem Viniatum induciæ mensium octodecim sunt constitutæ, adjecta conditione, ut uterque interim eosdem amicos inimicosque haberet. Effectum hoc est per Ludovicum, Joannis filium, qui Lauda Mediolanum se ea de causa contulerat.

Anno MCCCCXIII. mense Januario, Leonarda, Joannis filia, in matrimonium juncta est Bartholomæo Malaspinæ, Nicolai filio, ex cujus sponsi sponsæque, ut & parentum utrinque titulis, quibus illi in sponsalibus ornantur, cognosci potest, quanta temporibus istis fuerit harum duarum familiarum potentia. Sed cum Joannes urbem Laudam tenere cuperet Imperatoris etiam voluntate & consensu, qui tunc temporis erat Sigismundus, a. d. XVII. Cal. Febr. anni ejusdem procuratores, qui à Cæsare amplissimam in Laudensi principatu confirmationem sibi impetrarent, constituit, idque singulos plena cum potestate, sive *in solidum*, Brandam Castilionem, S. Clementis Cardinalem, & Placentiæ episcopum; Jacobum Arigonem, patria Laudensem, & ejusdem urbis episcopum; Comitem Piponem Ocioram, summum Cæsarearum copiarum ducem; Abbatem Sassoriensem, & Hugonem de Hertfort, virum nobilem, & natione Germanum, qui Cæsaris in Italia legati erant: tum Matthæum Visdominum, patria Placentinum, & causarum inter ecclesiasticos patronum, sive *Advocatum*, ut vocant, *Consistorialem*; Jacobum & Ludovicum, filios suos; Maffæum Mucianum, Ludovicum, seu Aloisium Bocconem, & Betinum Vitalem, nobiles Laudenses. Et adeo Cæsar fuit pronus in ipsius favorem, ut eodem anno talem ab illo confirmationem in nova potestate acciperet, ut ampliorem aut prolixiorem ne votis expetere quidem posset, quemadmodum satis apparet ex ipso diplomate Imperatorio, dato *Mirembergi* prid. Non. Mart. quo Sigismundus apertis verbis primum Viniati virtutes commemorat, ejusque erga Imperium fidem, ut & facta ad utilitatem ejusdem, & deinde eum confirmat in Principatu Laudæ ad hunc modum: *De tuis justitia & fidelitate confisi, & ut evellas, destruas, dissipes, & disperdas, ædifices, & plantes, sicut justitiæ & rationis ordo requirunt. Te, liberosque tuos legitime descendentes, & hæredes tuos, animo deliberato, propriique nostri motus instinctu, non per errorem, aut perinde,* &c. *Sacro Principum, Comitum, Baronum, nobilium, & fidelium nostrorum accedente Consilio, ac Romanæ Regiæ potestatis plenitudine, ac de certa nostra scientia, & nostri Imperii Sacri,* &c. *Civitate Laudæ, ac ejus districtu, Episcopatu, & Diœcesi, cum totis fluminibus Abduæ, & Lambri, undequaque ubique sint, vel decurrant, ac cum omnibus aquis, & aquarum ductibus decursum habentibus vel habere solitis per dictum Episcopatum Laudæ, Diœcesi, & districtu, & pertinentiis, Dominum, & Dominos ordinamus, facimus, creamus, & constituimus per præsentes. Dantes ex nunc & concedentes tibi, hæredibusque tuis plenam, liberam, & omnimodam auctoritatem, jurisdictionem generalem, & specialem, ac gladii potestatem, merum, ac mixtum Imperium:* & quæ sequuntur.

Schismate his temporibus laborabat orbis Christianus quoniam tres insimul erant, qui se veros esse Petri successores Christique vicarios asserebant: nempe Petrus de Luna, Hispanus, qui se Benedictum

ctum XIII. Angelus Corrarus, Venetus, qui se Gregorium XII. & Balthasarus Cossà, qui se Joannem XXIII. dici volebat. Ad liberandam hoc pernicioso dissidio Ecclesiam in Laudam urbem Joannes XXIII. & Sigismundus Imperator convenerunt, quorum hic splendido Joannis Viniati, Principis Laudensis, utebatur hospitio, ille Jacobi Arigonis, civis Laudensis, & ejusdem urbis episcopi. Celebravit in majore sive *cathedrali*, ut vocant, templo nostro, ad S. Bassiani aram, infra *Chorum* sitam, natalem Servatoris nostri noctem Pontifex, & ipse Imperator in ista *Missa* solenni munus obiit diaconi, cecinitque euangelium, *Exiit Edictum à Cæsare Augusto*, &c. Novissime hice duo supremi principes constituerunt, ut in urbe Constantia Concilium celebraretur, ad quod Ecclesiæ divinæ proceribus convocatis totus populus Christianus ad obedientiam unius capitis Christique Vicarii revocaretur. Hic conventus ecclesiasticus cum Laudæ quoque publicatus esset a. d. v. Id. Dec. ejusdem anni, Pontifex & Imperator, qui in eadem urbe per duos menses Viniati Principis & Arigonis episcopi hospitio fuerant usi, antequam inde abirent, monumento quodam relicto testari voluerunt, sibi grata acceptaque esse benevolentiam illam atque honorem & officia, quibus eos prosequuti erant Laudenses. Itaque Pontifex aram S. Bassiani, ad quam ipse *Missam* celebraverat, plenaria & perpetua indulgentia, sive remissionis peccatorum potestate ditavit. Imperator autem a. d. IV. Cal. Jan. magna cum pompa in templo cathedrali, eodem summo Pontifice, multisque Cardinalibus & Principibus proceribusque Imperii coram, Viniatum nobilitate armisque eam in rem solennibus suapte manu ornavit, renovata insuper Principatus Laudensis confirmatione, Comitisque titulo ipsi addito.

Sequenti anno MCCCCXIV. ineunte mense Januario, Pontifex & Imperator Lauda Placentiam abierunt, quo se contulit etiam, ut ex Cavitellii *Annalibus Cremon.* colligitur, Viniatus, Laudæ Comes, eosque serius ipso eodem advenientes maximo cum honore excepit quam officiosissime, oblatis etiam Sigismundo clavibus urbis, ejusque præsidio Cæsareis militibus demandato. Neque tamen verum est, quod Corius dicit in *Historia Mediol.* Parte IV. jure refutatus à Defendente Lodo, nobili & erudito scriptore Laudensi, in *Dissertationum Hist. decima:* nimirum Placentiam urbem omnino donatam fuisse Imperatori. Nam, ut idem Lodus observat, Viniatus Comes paulo post interveniente scriptorum fide Jacobo & Ludovico filiis potestatem concessit, fidei & obedientiæ jusjurandum exigendi à præfecto, rectore, ducibus militaribus, aliisque, qui erant, quique futuri essent magistratus Placentinæ urbis arcis, portarum, aliarumque munitionum intra fines ejusdem. Atque hanc in rem solenne instrumentum manu Ludovici Abbonis est confectum prid. Cal. Mart. anni MCCCCXIV. Quin etiam ex publico quodam scripto, quod Cremonæ datum est Idib. Jan. ejusdem anni, manifeste idem colligitur: quandoquidem in eo se obligat Sigismundus, se Placentiam una cum omnibus munitionibus ad eam pertinentibus Joanni Comiti restituturum intra anni spatium, aut etiam ante, quam primum ipse in Germaniam regressurus esset. Certe igitur nihil aliud quæsivit Imperator, quam ut tutum sibi suisque haberet receptaculum, mansionemque commodam, quamdiu ipse in Italia commoraretur.

Deinde Placentia Imperator profectus est Constantiam, ut istic Concilio interesset, de quo supra diximus. Refert Corius *Historiæ Mediol.* Parte IV. ante abitum ejus inter ipsum & Viniatum Comitem convenisse, ut Mediolani Ducem armis deprimerent. Itaque Jacobus, ejusdem Comitis filius, (ut Georgius, à Lodo citatus in *Dissert. Hist.* & idem Corius loco allegato testantur, licet non consentiant in eundem annum) ad Melenianum profectus est hoc animo, ut castellum illud ex improviso opprimeret ex pacto, quod inter ipsum & Carmaniolam, summum Mediolanensis Ducis copiarum præfectum convenerat. Sed in fraudem inductus est miser ille, & captus ab eodem Carmaniola, atque ita in potestatem Duci traditus a. d. XIV. Cal. Sept. anni, ut proxime ad verum accedere videtur, MCCCCXV. Sed in diversa abeunt Scriptores in hujus infelicis juvenis captivitate referenda. Alii eum in ipsa urbe Lauda fuisse captum volunt, ibique non ipsum tantum, sed & patrem ejus ac fratrem Ludovicum proditione circumventos fuisse. Alii vero, eum per insidias extra portam Regalem ejusdem urbis deductum, tum postea comprehensum, & Mediolanum in captivitatem abreptum. Mihi maxime omnium illud fit verisimile, quod supra dictum est ex Georgii Coriique auctoritate. Jam quanto cum gaudio Philippus Maria, Dux Mediolanensis, hunc acceperit captivum, colligi potest ex odio isto implacabili, quod primo inter decessorem suum, deinde inter ipsum & Joannem Comitem, Jacobi patrem, intercesserat. Quin & cogitavit ille filio uti ad ipsum patrem, Joannem Comitem, in potestatem suam redigendum, quo istis eum multaret infortuniis, quæ post exponentur. Hunc itaque in finem mota anno MCCCCXVI. controversiarum componendarum mentione, denique inter duos hosce principes pax facta est, maxime opera Comitis *de Virtù*, natione Galli, cognati sui, Astæque domini, his conditionibus:

Ut Dux Joannem Comitem in imperio Laudæ finiumque ejus urbis confirmaret cum omni solita jurisdictione ac prærogativa, hac tamen lege, ut ipse hactenus Duci subjectus esset, ut ex sola voluntate aliis bellum faceret, aut pacem induciasve constitueret.

Per biennium ad servitium Ducis paratos haberet trecentos & quinquaginta hastatos, isque eorum opera posset uti per sex menses utroque anno.

Gratis in libertatem restitueret Jacobum Lonatum, Seccum de Montaniana, & Antonium Cornacianum, una cum uxore liberisque Joannis de Cremona.

Ab omnibus, Ducis imperio parentibus, nonnisi istud vectigal posset exigere, quod illi solvissent jam temporibus patris sui, primi Ducis Mediolanensis.

Juxta ecclesiastici & politici ordinis homines, eidem Duci subjecti, sine controversia possessiones & prædia tenere possent in agro Laudensi.

Eidem Duci omnia restituerentur, quæ primus Dux Mediolanensis in eodem agro possedisset.

Liberum per urbem finesque Laudensium pateret iter omnibus Ducis copiis militaribus, easque tum Viniatus Laudensium hospitiis exciperet.

Omnes hæ conditiones à consilio majore Laudensis ratæ haberentur.

In manus Ducis traderetur scriptum illud Imperatoris, sive literarum obligatio, ad Placentiam urbem spectans.

Civibus Mediolanensibus temporis mora nullo esset damno in negotiis istis, quæ Laudæ ipsi haberent, à morte primi Ducis ad hanc usque pacem compositam.

Sed omnium maxime illud urgebat Philippus Maria, ut Joannes Viniatus polliceretur se Mediolanum iturum, quo istic confirmarentur ratæque haberentur pacis conditiones, atque ipse Duci jusjurandum fidelitatis præstaret. Contra autem Dux spondebat, se filium Joanni Comiti restituturum, ita tamen, ut per proximum adhuc biennium ille maneret Astæ in potestate Comitis Virtutum, (*di Virtù*) qui istam urbem imperio tenebat: sique isto temporis spatio Viniatus pactorum fidem violavisset, Comes filium ejus denuo captivum in manus tra-

tradere Ducis cogeretur: contra autem, si Dux fœderis leges non implesset, Jacobus protinus liber esset, & ad patrem remitteretur. His itaque conditionibus firmata pace, Laudæ princeps Alexium, qui ipsi à Secretis erat, Mediolanum legati loco misit, ut ibi nomine suo jusjurandum præstaret, pactisque subscriberet, ut & factum est prid. Id. Oct. ejusdem anni MCCCCXVI. Comite Virtutum coram. In solenni pactorum libello hæ subscriptiones apparent: *Philippus Dux*, & paulo infra: *Comes Virtutum*, tum denique: *Franchinus*, *Urbanus*, *Alexius Orator*. Ceterum ad implendas prædictas pacis leges scribit Antonius Campus *Historiæ Cremonensis* lib. III. hoc eodem anno fœdus fuisse factum inter Ducem Mediolanensem, Viniatum Comitem, Ruscam, Comi dominum, aliosque, ad Fondullum, Malatestam, aliosque principes bello petendos.

Interim Joannes Comes cum ferre amplius non posset Jacobi filii orbitatem, neque suapte prudentia in consilium adhibita, neque monitis & sapientibus amicorum, & maxime Florentinæ Reipublicæ, consiliis auscultans, motus amore patrio Mediolanum se contulit, ut ibi Philippo Duci fidem suam jurejurando obstringeret, ab eoque in principatu Laudæ Comitis titulo confirmaretur, & inprimis, ut filium videret, eumque Philippi Mariæ manibus eriperet. Acceptus ille fuit Mediolani insigni cum magnificentia, habitusque splendidissime, ut asserit Georgius, à Defendente Lodo citatus loco allegato; deditque ipsi Philippus Maria tanta benevolentiæ atque amoris indicia, ut nihil ultra posset desiderare Viniatus. Renovata fuit pax, prædictæ conditiones ejusdem ratæ habitæ, fides juramento obligata Philippo Mariæ, & Joannes solenniter confirmatus in principatu Laudæ. Sed dum gaudia & mutua utrinque amoris fiducia in summo esse fastigio videntur, Viniatus parum cautus à Philippo Duce in arcem ad portam Giobbiam deductus est, ibique in cœnaculo quodam solus relictus, & mox comprehensus & in carcerem abreptus ab Oldrado Lampuniano, primo aulicorum, intimoque Ducis, eodem anno MCCCCXVI. Non desunt Scriptores, qui, ut Vicontium proditionis infamia liberent, Viniatum asserunt illo ipso tempore, quo fidem illi suam obstringebat, contra ipsum conspiravisse cum ejus inimicis, & inprimis cum Malatesta, ut eodem tempore fama fuit in aula Ducis, interque Mediolanenses. Sed parum hoc est verisimile: neque enim Viniatus, si talium rerum conscientia fuisset oneratus, videtur adeo imprudenter tantoque tempore se ultro commissurus fuisse tam potentis principis potestati. Atque adeo non ita res nova aut mira foret, si ipse Dux, ut famæ suæ consuleret, ex suo cerebro in vulgus emisisset hoc, quod diximus. Addunt nonnulli Scriptorum, post Viniati Comitis captivitatem multas misisse Ducem copias ad Laudam urbem occupandam, & eodem ipsum quoque captivum abductum, ut Laudenses, si principem suum in ista viderent calamitate, tanto facilius suis cedere armis animum inducerent; sed Laudenses urbe egressos fortiter quidem cum hostibus pugnavisse, ultimaque expertos, quo illum eorum manibus eriperent, ad ultimum tamen adactos urbem suam & una Joannis Comitis filium natu secundum ipsis dedere. Utcunque tandem hæc sint, in eo omnes consentiunt, capto Comite Laudam urbem in Philippi Mariæ Ducis potestatem concessisse, & item secundum, quem diximus, ejus filium Ludovicum. Ad hunc modum ex improviso Mediolani captum infelicem Comitem Viniatum Corius dicit *Historiæ Mediolanensis* Parte IV. & jussu Ducis Papiam fuisse abductum, ibique in caveam ligneam conclusum; cumque contumeliosam in publico mortem parari sibi vereretur, ad desperationem adactum ita caput allisisse ad ejusdem caveæ trabes, ut misere exanimaretur a. d. v. Cal. Sept. ejusdem anni. Hoc comperto Dux mortui cadaver omnino Mediolanum voluit advehi. Hoc facto cum illud in eum locum esset deductum, ubi damnatorum sententiæ publicari solebant, habito judicio pronunciatum est, Viniati corpus publice suspendendum infami patibulo, & ita quoque factum est, multis præterea aliis indignis contumeliis eidem corpori illatis. Hunc infelicem vitæ finem denique tantus ille vir habuit, per tredecim annos secundam semper fortunam expertus, & ad eam dignitatem ac potentiam provectus, quam in hac *Historia* exposuimus. Quod si verum esset, quod Corius aliique narrant, nosque supra refutavimus, nimirum eum ad potentiam sibi iter aperuisse per Antonii Fissiragæ mortem, eumque veneno sustulisse, agnoscendæ in hac Viniati calamitate forent illæ, quibus Deus vindex justissimus persequi malefacta solet, pœnæ. Filii hujus infortunati patris eadem hac fortunæ clade periisse credi possunt, quia post hoc tempus nulla amplius eorum mentio occurrit. Neque tamen interiit in urbe nostra gens Viniatorum, quin è contrario semper illa floruit, & floret hodieque, semperque egregios dedit & in literarum armorumque tractatione viros excellentes. Sicut multis ante annis, quam Joannes principatum Laudensem obtineret, Cilius, seu, ut alii eum vocant, Ægidius Viniatus anno DCCCCXXIV. Laudis Pompejæ veteris fuit episcopus, & deinde anno MCXI. Ardericus Viniatus eadem sede episcopali potitus est; ita Ambrosius Viniatus, vir nobilis & Comes, inter Jurisconsultos primum locum tenuit, ut abunde apparet ex doctissimis libris ejus manuscriptis, & typorum beneficio publicatis, ut & ex eo, quod in Academiis publice jurisprudentiam docuit Augustæ Taurinorum, Bononiæ, aliisque in urbibus. Multi quoque alii nobilissimæ hujus gentis principes muneribus functi sunt amplissimis, togisque senatoriis, atque aliis titulis honoribusque eximiis ornati, quos lubens prætereo, cum non sit nostri res instituti nobilium familiarum Laudensium claritatem exponere.


Paruit Philippi Mariæ Vicontii, Ducis Mediolanensis, imperio nostra civitas, quamdiu ille vixit, hoc est, ad annum usque MCCCCXLVII. Et toto hoc temporis spatio, quo nostris pace profundoque otio frui licuit, nihil quicquam apud Scriptores reperio gestum fuisse memoria dignum, quod ad nostram patriam pertineat, præterquam quod ad Martinum Garratum, patria Laudensem, attinet. Hic floruit anno MCCCCXXXVIII. & sequentibus, tanti nominis famæque Jurisconsultus, ut in æternum gloria sit victurus per eximios libros ab ipso conscriptos, quibus merito inter eruditissimos jurisprudentiæ doctores locum ille habet. Memorabile etiam est, quod Pater Innocentius Biniamus Laudensis in *Annotationibus Hist. de Lauda urbe* scribit accidisse anno MCCCCXLV. nempe Adduam amnem adeo immodicum intumuisse aquis, ut præter gravissima alia damna, vicinis terris illata, ipsum quoque torrente suo pontem superaverit, in eodem flumine exstructum extra portam illam, quæ *Adduæ* dicitur.

FINIS LIBRI TERTII.

JOAN-

JOANNIS BAPTISTAE VILLANOVAE
LAVDIS POMPEIAE,
SIVE
LAVDAE (nunc LODI) Vrbis
HISTORIA.

LIBER QVARTVS.



ANNO MCCCCXLVII. ipsis Id. Aug. post mediam noctem hora fere secunda, è vivis excessit Philippus Maria Vicontius, ultimus ex hac nobilissima familia Mediolani Ducum: cumque ille nullam omnino prolem legitimam reliquisset, incertum erat, quis potissimum illi successurus esset in imperium. Videbatur jure ad Imperatorem pertinere Ducatus Mediolanensis, tanquam beneficium seu feudum coronæ Imperatoriæ. Contra alii putabant, à defuncto Alphonsum, regem Neapolitanum, fuisse heredem institutum: & in urbe Mediolano jam præfecti quidam aliique viri militares prompti erant ad asserendum jus causamque regis illius. Tum Franciscus Sfortia, qui in matrimonio habebat Blancam Mariam, Philippi Mariæ filiam spuriam, & ab eodem quoque adoptatus erat; ad dominium terrarum adspirabat, quas socer ipsius tenuerat, & armorum vi, quibus multum ipse valebat, illarum sibi possessionem vindicare destinabat. Etiam Carolus, Dux Aurelianensis, qui ex Valentina, Joannis Galeacii Vicontii, primi Mediolanensium Ducis, filia natus erat, jure sibi hunc nobilissimum Ducatum deberi credebat. Hinc cum omnia in ipsa urbe metropoli essent perturbatissima, præfectis militaribus ac nobilibus, & toto adeo populo, in varias partes distractis, post varias turbas, quæ nihil ad nos attinent, denique Mediolanenses nulli se in posterum principi subjicere, sed ad Reipublicæ modum suam administrare civitatem constituerunt, & urbes illas, quæ antea subjectæ fuerant Ducibus, perinde in suam potestatem quasi jure successionis asseruerunt. Veruntamen hoc quidem penitus consequi non potuerunt, multis populis in hac confusione maximaque rerum mutatione in libertatem se vindicantibus.

Sed nostra civitas, in qua prævalebant Guelphi, subjicere se constituit Venetæ Reipublicæ potestati, quæ multas urbes terrasque imperio regebat moderatissime. Itaque nostri militibus illis, quorum defunctus Dux præsidium Laudæ collocaverat, expulsis, quod non difficile factu fuit per ducum absentiam, Caroli Gonciagæ & Vidonis Antonii de Faventia; legatos miserunt ad Michaëlem Attendolum, cummaxime summum belli ducem apud Venetos, ut veniret Laudam, urbisque possessionem adiret. Hoc cum mox factum esset a. d. XVI. Cal. Sept. ejusdem anni MCCCCXLVII. Jacobus Antonius Marcellus, præfectus, seu *Provisor*, ut vocant, Venetiarum, satis magnam manum militum Laudam adduxit, ut de urbis possessione securus posset esse Senatus Venetus, in cujus potestatem iisdem fere diebus etiam urbs Placentia concessit, quæ, cum itidem in ea Guelphi præva-

A lerent, imperium novæ Reipublicæ Mediolanensis adspernata, ultro sese Venetis dedidit, & ab eodem Marcello valido præsidio fuit instructa. Veneti Lauda potiti, mox etiam castellum S. Columbani omniaque fere Laudensis agri loca in potestatem suam redegerunt, expulsis militibus, qui ea præsidio tenebant. Sed Mediolanenses, Venetorum potentiam metuentes, qui tanta ipsos ditionis suæ parte multaverant, quo illorum resisterent armis, summum copiarum suarum ducem creaverunt Franciscum Sfortiam, magni nominis imperatorem, qui brevi tempore Venetis ademit Placentiam urbem, Papiamque etiam recepit, quanquam B hæc illi se dedidit hac conditione, ut privatim in ipsius, non vero in Mediolanensium ipsa potestate esset, eumque Papiæ Comitem appellavit.

Hoc tempore, quo urbs nostra Venetorum paruit imperio, translatio corporis S. Danielis est facta. Hic natione Gallus, cum Carolo Magno in Italiam delatus, & pro vera religione pugnans contra hæreticos in loco quodam prope Laudam, qui tunc temporis *Roccabruna* dicebatur, hodie ædes habet Comitis Cassini, lapidis ictu perierat, & raptim una cum aliis cæsorum sepultus erat. Sed cum divinitus Carolo Magno revelata essent ingentia hujus militis Christiani merita, ut & ipse lo- C cus, ubi corpus ejus erat humatum, adeoque hoc jussu Imperatoris erutum esset; tam eximium illud ac fragrantem spirare odorem visum est, ut satis appareret, quam carus ille Christi miles vixisset Domino, & quanta ipsius esset gloria in paradiso interque Sanctorum choros. Itaque solenni cum pompa ac religione honorifice illud est collocatum in templo, quod ibidem loci dedicatum erat Mariæ virgini. Sed temporis tractu & per varias rerum mutationes deperdita fuit hæc sanctarum reliquiarum memoria, quæ deinde tamen novo miraculo iterum repertæ sunt, & in templum illud translatæ, quod in honorem S. Bassiani extra Lau- D dæ mœnia exstructum erat. Sed cum deinde paulo ante hæc, quæ narramus, tempora per bellorum causam nostri una cum suburbiis ædem quoque istam diruissent, anno MCCCCXLVIII. a. d. VI. Cal. Apr. solenniter illi easdem reliquias in urbem transtulerunt. Affuerunt huic translationi Bassianus Veggius, qui *Præpositus* erat S. Michaelis & *Vicarius Generalis* Antonii Bernerii, patria Parmensis, Laudæque episcopi, qui tum forte aberat, tum etiam clerus universus, politicus & ecclesiasticus, *secularis* & *regularis*, & Bernardus Contarinus, nobilis Venetus, qui Reipublicæ Venetæ nomine *Provisor* erat, sive præfectus urbis E nostræ, comitantibus una cum toto populo Laudensi multis nobilibus præfectisque militaribus Laudensium, inter quos in *Historia translationis* illius, quæ legitur in veteri quodam manuscripto monumentorum Laudensium, nominatim referuntur Ar-

noldus Fissiraga, Jacobus Villanova, Petrus Cadamostus, David de Aqua, Joannes Viniatus, Bartholomæus Cadamostus, Batacinus Garratus, Orinus Ricardus. Finita est pompa sacra sive *Processio* in *cathedrali* seu majore templo, ubi collocatum fuit istud sanctum corpus, & hodieque servatur.

Sed parum diu Senatus Venetus urbem ditionemque Laudensem tenuit. Nostri enim à militaribus copiis Reipublicæ Mediolanensis obsessi, iisque urbem atque arcem dedere coacti sunt. Tum vero Franciscus Sfortia, qui Mediolanensibus relictis cum Venetis fœdus amicitiamque junxerat, Mediolanensem sibi Ducatum comparare percupidus, animoque considerans, quantum sibi hanc in rem posset urbs Lauda usui esse, & quantum ex ea damni levi negotio ipsi urbi Mediolano posset inferre, ejus occupandæ consilium iniit, & perfecit etiam. Ipse venit cum lectissimis militum, qui sub ipso stipendia merebantur, cum tamen jam antea de urbis traditione inter ipsum & legatos Laudensium convenisset, qui à Sfortia obtinuerunt, quæcunque desiderabant. Itaque anno MCCCCXLIX. novus princeps Laudam est ingressus, ibique exceptus ingenti omnium cum gaudio atque applausu. Tum callidissimus Sfortia ex vicinis undique & remotis etiam urbibus ingentem frumenti vim coëmit, atque illud omne Laudam transferri, ibique, ut in loco opportuno, servari voluit, ut in tempore suis copiis subministrare annonam posset, prout usus olim postularet. Sed ægris oculis hosce progressus Sfortiæ intuebantur Veneti, qui animi magnitudinem ejus ac virtutem cognitam habentes, pro solita prudentia sua eum ad nimiam forte potentiam processurum, atque ipsorum forte imperio olim aliquid turbarum concitaturum suspicabantur. Itaque cum Mediolanensibus inita societate, insurgentem Francisci potentiam reprimere constituerunt. Sed ille, nihil omnino horum potentissimorum populorum contra se fœdere inito conterritus, copiis suis viribusque auctis Lauda excessit, & non modo in fines Mediolanensium victor perrexit, sed ipsam quoque metropolin adeo arcta clausit obsidione, ut illa ad extrema ex penuria cibi redacta, victoris potentiæ cedere deberet, qui triumphans eam ingressus est a. d. IV. Cal. Mart. anni MCCCCL. & dominus salutatus in hac principe nobilissimi Ducatus Mediolanensis urbe. Fuit ille primus ex gente Sfortia, qui hanc nobilissimam regionem imperio rexit, quod sane satis debebatur virtuti ac meritis tanti viri, cujus res gestas, exceptis duntaxat illis, quæ ad urbem Laudam pertinent, si quis scire cupit, eum ad illorum temporum Scriptores ablegamus.

Paulo post varii bellorum motus hinc inter Venetorum Rempublicam & Sfortiam Ducem exstiterunt, inde inter eundem Ducem & Gulielmum, Montisferrati Marchionem. Denique tamen post varios bellorum casus hi sedati sunt opera Renati Andegavensis, qui ex Gallia venerat in Italiam; illi industria Petri Barbi, Venetorum legati, qui deinde in ecclesiasticorum ordinem adscriptus, & ad summum Pontificatum promotus, se Paulum II. dixit. Composita est hæc pax a. d. V. Id. Apr. anni MCCCCLIV. in urbe Lauda, quo se contulerat Dux Franciscus, qui prudentia sua & justitia ita feliciter rexit Laudenses, ut summo illi fruerentur otio & quiete. Quin & nostros ille homines ex merito quemque suo promovebat: unde in exercitu isto, quem ille contra Gallos misit auxilio Genuensibus, militavit etiam Carolus Cadamostus *Connestablii* titulo, cujus, ut & aliorum ducum militumque Sfortianorum virtute fugati victique sunt hostes.

Anno MCCCCLIX. servæ Dei ex S. Francisci ordine tertio, quæ quinque & viginti numero habita-

A bant in domo, quæ dicebatur *S. Mariæ Elisabethæ*, Hungarorum regis filiæ, & intra urbem quidem Laudam, sed proxime ad mœnia ejus erat; quod eadem domus ob loci situm incommoda admodum & parum salubris esset, ex auctoritate Pii II. Pontificis, qui optime edoctus erat de harum virginum virtute & probitate, meliorem & amplissimam habitationem adeptæ sunt isto in loco, qui hodie dicitur *S. Clara*. Harum cum in dies augeretur fama disciplinæ, usque ad centum numerus earum excrevit, sed deinde alimentis tantæ multitudini non suppetentibus, usque ad quinquaginta numerus earum est contractus. Vivebant autem ex solis eleemosynis, & ejusdem S. Claræ *regulam* sive disciplinam profitentes, pietatis exemplo erant universo populo. Ex his in æternum gloria vivet Soror Mansueta, quæ, ut scribit Franciscus Gonciaga *De origine Seraphicæ Relig. Franc. p.* II. *de Mon. S. Claræ Laudæ*, sacrosanctam eucharistiam ex manu Angeli accepit: & item soror Veronica Summaripa, quæ plus semel cum Domino nostro Jesu Christo familiariter colloquuta est.

Eodem anno MCCCCLIX. Maphæus Veggius decessit, nobilis Laudensis, & ex hac caduca, ut sperari fas est, ad meliorem vitam transiit. Hic vir doctrina & moribus adeo fuit excellens, ut elogia atque encomia multorum celebrium Scriptorum meruerit, inprimis laudatus à modestia singulari, & Martino V. Pontifici à diplomatibus ac mandatis Apostolicis. Inde promotus ad Canonicatum S. Petri, factusque *Datarius*, ut vocant, qua in dignitate confirmatus etiam est ab Eugenio IV. & Nicolao V. opimum episcopatum refutavit, quem ipsi humanissime offerebat summus Pontifex. Singularem erga S. Augustinum, patrem literarum, professus est devotionem, & pretiosa S. Monicæ, matris illius, ossa transferri curavit Ostia Romam, & pro dignitate in cistam componi magnificam, condique in nobilissimo sacello, quod ipse in ejus honorem sua pecunia exstruxit in templo ejusdem sancti doctoris. Vivit & vivet in æternum tanti viri memoria, per insignes libros typis ab ipso relictos, quorum catalogus partem in tomo XV. *Bibliothecæ veterum Patrum* exstat, partem in quodam ipsius voluminum, præter libros manuscriptos, qui pretiosi thesauri loco in bibliotheca Vaticana asservantur. Sepultus fuit in eodem sacello, quod ipse exstruxerat, ejusque memoria à poëtis illius temporis celebrata multis carminibus, ex quibus Ghilinus in *Elogiis doctorum virorum*, Parte II. hoc refert:

Maphæi Veggii tumulus.

Lauda tibi lucem Urbi, munera, & ossa reliquit:
Et si quæris, ubi est Spiritus? astra tenet.

Et hoc aliud Caroli Aretini:

Hic, Maphæ, jaces inimica morte solutus,
Quem sibi præreptum lingua Latina dolet.
Non lascivus eras, quales sunt sæpe Poëtæ:
Mens tibi cum casto corpore sancta fuit.
Edita testantur centena volumina per te,
Ingenii fuerint flumina quanta tui.
Urbs te Laudensis Vegiorum è sanguine claro
Edidit: extinctum Roma vetusta tenet.

Anno MCCCCLXVI. postrid. Non. Mart. Franciscus Sfortia, postquam per annos sedecim potitus erat Ducatus Mediolanensis imperio, in summa potentia atque existimatione positus, quam prudentia & virtute sua sibi alios apud principes comparaverat, anno ætatis quinto & sexagesimo repentina morte defunctus est in imperii sui urbe metropoli. Laudes magni hujus principis si quis scire desiderat, eum adire horum temporum historicos jubemus. Blanca ejus uxor, tanto orbata marito, postquam modis omnibus, quos ejus animi magnitudo postu-

postulabat, testificata erat dolorem, quo ipsa ex irreparabili isto damno erat affecta, de morte ejus certiores fecit principes vicinos, & simul auxilium eorum, quando illo opus esset habitura, petiit, quo filii sui sine controversia in paternas ditiones succederent. Sed protinus per literas domum revocavit Galeacium Mariam, filium natu maximum, qui tunc temporis in Gallia agebat, dux exercitus fortissimi, quem Franciscus pater auxilio miserat Galliæ regi Ludovico XI. qui insigniter vexabatur à multis Galliæ principibus, qui fœdus contra ipsum inierant. Galeacius Maria, patris morte cognita, Petrum Franciscum Vicontium ad regem Galliæ misit, ut illi hunc casum significaret, & ipse protinus Mediolanum perrexit, postque superatas aliquot difficultates, quæ in via se ipsi obtulerant, a. d. XIII. Cal. Apr. urbem intravit per portam Ticinensem, fauste acclamantibus, eumque salutantibus Ducem civibus, quos tanto cum amore atque justitia pater ejus imperio rexerat. Tum novus Dux legatos ab omnibus fere principibus Christianis accepit, qui illorum dolorem ex morte Francisci Ducis testificarentur, simul & ipsi gratularentur de successione. Veneti autem quia prorsus nullo officii genere eum prosequebantur, suspecta habens eorum contra se consilia, fines suos, quatenus ipsorum terris imminebant, validis firmavit præsidiis, & milites veteranos, qui sub patre suo stipendia meruerant, novo sacramento obstrinxit. Jam vero cetera, quæ in Imperio Galeacii Mariæ acciderunt, referre nobis non est animus, cum nihil ille sigillatim rei gesserit, quod ad Laudam urbem pertineat. Ceterum non omnino ille Blancam matrem imperii regimine exclusit, quin contra omnium rerum cum illo summam participaret. Deinde autem discordiæ semine inter eos sparso ab hominibus malis, matrem filius prorsus ab omni rerum administratione removit: atque adeo illa, vehementer indignata, Mediolano urbe excessit, Cremonam abeundi animo, quam ipsi urbem Philippus Maria pater in dotem dederat; sique ibi Galeacius quadam forte molestia ipsam turbaret, porro Venetias petendi, quamvis alioquin ex insita animi indole haberet odio Venetos.

Hæc ejus consilia cum persentisceret Galeacius, iisque obviam ire meditaretur, fati providentia hanc illi curam exemit. Blanca enim cum Melenianum venisset, quo animi causa se ire finxerat, medio fere Octobri mense anni MCCCCLXVIII. adeo gravem in morbum incidit, ut medici de ejus salute desperarent. Sed cum nemo esset, ut plerumque magnis principibus accidere solet, qui eam admonere sustineret de vitæ periculo, quo ipsa cummaxime laborabat, parum aberat, quin illa è vivis excessisset sine *Sacramentorum* aliarumque divinarum rerum viatico. Veruntamen Deus ita voluit, ut monachorum *Observantium* S. Francisci, qui solennem conventum egerant in urbe Lauda, (hanc enim potissimum ad hoc elexerant, ut quæ insigni cum pietate hominibus religiosis affatim eleemosynas aliaque omnia suppeditat, quæ istiusmodi occasionibus illi habent opus) uno eodemque tempore duo & septuaginta paria, ita ut alteri de alteris nescirent, Melenianum, decem millibus passuum à Lauda urbe dissitum, convenirent Ducis Blancæ visitandæ causa, quæ eximiæ pietatis princeps, istos Dei servos lubens in conspectum suum admisit. Inter hosce erat frater Michaël de Carcano, qui ex virtutibus suis deinde Beati nomen accepit, ita ut corpus ejus pro Sancto hodieque colatur Laudæ in templo S. Francisci. Hic sacerdos intellecto morbi periculo, ea arte se Blancæ Duci insinuavit, ut eam permoveret ac præpararet ad sanctissima Sacramenta recipienda, quod illa cum fecisset magna cum reverentia ac religione, postridie, id est, a. d. X. Cal. ejusdem mensis feliciter vitam finivit, etsi quidam eam veneno sublatam mussitaverunt.

Galeacius filius maximum ex ejus morte dolorem præ se ferens, protinus valido præsidio Cremonam firmavit, & corpus matris Mediolanum deferri, ac in S. Gothardi templo collocari jussit, unde biduo post motum, & maxima cum pompa funebri prope mariti sui cadaver conditum est in majore templo. Ceterum Galeacius Maria cum se multis invisum reddidisset libidine sua & crudelitate, quæ multum obscurabant ejus virtutes, alioqui vere principe dignas; in templo S. Stephani, ipso ejusdem Sancti die festo, infeliciter interfectus est anno MCCCCLXVI. à multis conjuratis, inter quos & nonnulli ex suis erant familiaribus, graviter contra ipsum exacerbati, quod nimis familiariter cum ipsorum egerat uxoribus.

Successor ipsi datus est, & Dux Mediolanensis salutatus Joannes Galeacius filius, nullis magnopere turbis aut rebus novis intervenientibus. Sed quoniam ille adhuc puer erat, rerum administrationem suscepit Dux vidua, eademque mater pupilli, *Bona* nomine, & re civili atque militari, prout securitas atque utilitas imperii postulare videbatur, ordinata, à secretis primo loco constituti Cicum Simonettam, natione Calabrum. Verum hic homo adeo se efferre cœpit, ut caput ipse fieret consilii cujusdam sanctioris, quod in arce habebatur, & quibuscunque majoris momenti rebus ordinandis inserviebat, ut adeo ab ipsius arbitrio dependerent omnia. Hoc cum ægerrime ferrent impuberis Ducis cognati, & inprimis patruus ejus Ludovicus Sfortia, cognomine *Maurus*, aliique viri principes, multæ inde contentiones ortæ sunt, sed sopitæ tamen opera legatorum illorum, quos varii principes Mediolanum miserant ad solennia officia præstanda, primum luctus, deinde gratulationis. Sed cum Simonettæ æmuli ferre prorsus non possent, illum, qui extraneus erat, ipsis in rerum administratione antepositum, seque tutela Ducis exclusos, quam ratione consanguinitatis ad se pertinere putabant; dum in omnibus obtinere contendunt, quæcunque sibi deberi postulabant, prævaluit auctoritas Simonettæ, ac patria ipsi pulsi, & in exsilium ejecti sunt. Ad postremum autem post varios casus, quos referre nihil ad nostram *Historiam* attinet, anno MCCCCLXXIX. in patriam reversi, ita omnia præparaverunt, ut nullis fere majoribus turbis exortis, Ludovicus Sfortia Simonettam comprehenderet, eumque in arcem Papiensem abductum, & Bonæ, viduæ Ducis, consensu habito, mox judicio culpæ mortisque reum pronunciatum capite truncaret, a. d. III. Cal. Nov. anni MCCCCLXXX.

Tum Ludovicus tutela Ducis rerumque administratione sibi vindicata, omnia ad arbitrium agebat. Joannes Galeacius etsi jam in matrimonium duxerat Isabellam Arragonensem, Calabriæ Ducis Alphonsi filiam, & neptem Ferdinandi, regis Neapolitani, quæ insigni cum pompa Mediolanum deducta est, prorsus tamen solus Ludovicus gerebat imperium, non ut tutor, sed quasi justo titulo dominus, adeo ut pro lubitu de pecuniis quoque & reditibus principalibus statueret. Hoc cum prorsus ferre non possent Joannes Dux ejusque uxor, hæc per literas certiorem de eo fecit Alphonsum patrem, qui eas cum patre suo, rege Neapolitano, communicavit. Hi juvenum principum infelici conditione deplorata, postquam frustra per legatos ista servitute eximere eos tentaverant, denique armis efficere, quod alio modo non poterant, constituerunt. Tum vero Ludovicus Maurus, timens ne regno suo excideret, cui semper ambitiosissime inhiaverat, ut se muniret contra Arragonensium potentiam, in auxilium vocavit Carolum VIII. Galliæ regem, qui validissimo cum exercitu in Italiam venit anno

no MCCCCXCIV. cumque Astam venisset, obvium habuit Ludovicum Maurum. Ab Asta rex una cum Ludovico Papiam progressus est, ibique Joannem Galeacium Ducem visitavit, qui morbo decumbebat, ita ut rex Placentiam profectus nuncium acciperet, eum è vivis excessisse, magnumque inde dolorem præ se ferret. Ludovicus autem quo rumorem exstingueret, nimirum qui in vulgus emanaverat, se in tempore fratris filium veneno sustulisse; per biduum mortui cadaver omnium oculis exposuit, in eoque nullum omnino veneni signum apparuisse Scriptores affirmant. Egit quidem Ludovicus cum populo de Francisco, defuncti Ducis filio natu maximo, successore ipsi designando, ut consanguinitatis ratio postulabat. Sed cum ille adhuc puer esset, & quidam succlamarent, forte ab ipso Mauro subornati, *Non illud esse tempus, quo Mediolanensis Ducatus sceptrum puerili manu sustineretur, sed opus esse viro, ætate, prudentia, ac virtute conspicuo*, ipse Dux Mediolani salutatus est eodem anno MCCCCXCIV. & in Ducatu amplissime confirmatus ab Imperatore Maximiliano, cui anno præcedenti Blancam Mariam, cognatam suam, & Joannis Galeacii sororem in matrimonium dederat. Pro solenni autem confirmationis diplomate, quod sequentis anni MCCCCXCV. mense Majo ad ipsum delatum est à *Brisani* episcopo & Conrado Strucina, fama est eum Cæsari trecenta millia scutatorum aureorum persolvisse. Deinde Ludovicus a. d. VII. Cal. ejusdem mensis corona solennibusque Ducatus insignibus ornatus est insigni cum pompa ac magnificentia.

Jam vero Gallicorum armorum in Italia progressus, ut qui nihil ad nostram faciunt *Historiam*, cum sigillatim exponere non sit nostrum, illud solummodo indicare lectorum commodo sufficiat, Carolum regem Etruriam ingressum, intra paucissimos dies Pisanos in libertatem vindicavisse, victorem in urbem Florentiam acceptum, nullo obsistente Romam perrexisse, ibique cum Alexandro VI. Pontifice controvesiis quibusdam diremptis, in gratiam cum eo rediisse. Inde cum exercitu regni Neapolitani fines intravit, & primum Alphonso fuga elapso, mox & Ferdinando, Alphonsi Arragonensis filio, qui florentissimum istud regnum tenebant; intra diem tertiumdecimum, ex quo advenerat, occupavit illud rex Carolus. Hæc fortuna bellique gloria ejus adeo perturbavit Italiæ principes, ut Pontifex & Veneti, & ipse etiam Ludovicus Sfortia, qui eum ex Gallia in Italiam contra Arragonenses evocaverat, eodem timore perculsus, nimirum, ne Carolus ad totam sibi Italiam subjiciendam adspiraret, & Neapolis ad tam ardua cœpta exsequenda iter ipsi aperiret, belli societatem inter se inirent ad Italiæ libertatem tuendam. Præcipuus hujus fœderis auctor fuit Pontifex, qui missis legatis non solum Venetos & Sfortiam in ejus societatem pertraxit, sed auxilium etiam ab Imperatore Maximiliano & Hispaniæ rege petiit. Quin & Carolum in regno Neapolitano confirmare recusavit, aperte se hostem ejus professus, & crudelitatem ac libidinem Gallorum exsecratus, qua de causa ipsi etiam in maximum jam venerant odium Neapolitanorum.

Itaque brevi tempore Caroli vires in regno Neapolitano adeo sunt imminutæ, Gallique adeo facti sunt invisi Neapolitanis, ut rex, metuens ne ipse forte majore quodam infortunio aut clade afficeretur, firmo præsidio in urbe metropoli, aliisque locis, ubi opportunum videbatur, relicto, regredi in Franciam constitueret, & relicta Neapoli cum flore exercitus Romam peteret. Huc cum advenisset, summum Pontificem, ut ipsius evitaret occursum, inde abiisse comperit, & militarium copiarum præsidio, quas Veneti auxilio ipsi mise-

A rant, Centumcellas, (*Civita vecchia*) & inde Perusiam petiisse hoc animo ut Anconam, & porro etiam Venetias pergeret, si ita in rem esse videretur. Ad hunc modum rex à Pontifice delusus, sanctam urbem tamen prorsus intactam reliquit, eaque egressus, in itinere Florentiam non attigit, quoniam parum sibi fidebat à Florentinis, ob libertatem Pisanis datam ipsi infensis, atque ita per viam Pontremulensem nullo obsistente in Longobardiam venit. Sed jam copiæ fœderatorum, id est, Venetorum, qui egregium validumque exercitum collegerant Francisco Gonciaga, Mantuæ Marchione, aliisque fortissimis viris ducibus; & B Ludovici Sfortiæ, qui suis Joannem Franciscum Sanseverinum ducem addiderat, quibus se nonnullæ quoque Pontificiarum copiarum addiderant, in hæc se contulerant loca, quo regi se objicerent. Et adeo Carolus, postquam rei periculo motus per legatos frustra liberum iter à sociorum ducibus, & maxime à Venetis, petierat, ad Tarum amnem prælium cum ipsis inire necesse habuit, quod cum utrinque cruentum paulo amplius horæ spatio duravisset, utrique victoriam ejus ad se traxerunt. Fœderati enim castris hostium & impedimentis, aliaque opima præda potiti sunt. Contra autem rex paulo post militari dolo hostibus delusis, eo- C rum manibus elapsus est, & exercitum incolumem in urbem Astam deduxit, quam Ludovicus Aurelianensis tenebat. Erat hic princeps tum temporis in urbe Novaria, quam ipse Ludovico Sfortiæ ademerat, contra quem eum in arma concitaverat rex Carolus, cum primum occupata Neapoli eundem Ludovicum ab se esse abalienatum deprehenderet.

Interim fœderati Novariam urbem vi armorum restituere in Sfortiæ Ducis potestatem constituerunt, eamque obsidione clausam ad extrema adegerunt, postquam obsessi frustra auxilium exspectaverant, à Carolo rege iteratis vicibus promis- D sum. Sed cum jam in eo esset, ut urbs se dederet obsidentibus, Carolus quasdam conditiones pacis cum Sfortia Duce proposuit, quas brevitatis causa referre non lubet, & denique aliquot pactionibus constitutis, Novaria Aurelianensis excessit, eaque urbs in potestatem rediit Ludovici. Rex autem Carolus magnis itineribus in Galliam contendit, ibique paulo post adversam audivit armorum suorum fortunam in regno Neapolitano. Ferdinandus enim Arragonensis à Messana, quo se receperat, in ejusdem regni fines regressus, & post varios casus Neapolim deinde delatus, fœderatorum, & maxime Venetæ classis, auxilio brevi tempore omnia E recepit, quæ ipsi ademerant Galli, ut fusius legere potest, quisquis de his cognoscere cupit, in *Historiis* Neapolitanorum & aliis etiam Scriptoribus.

Anno MCCCCXCV. nova perniciosissimi belli occasio in Italia exorta est, Florentinis, qui Pisanos se ipsorum imperio subtraxisse, & in libertatem se vindicavisse, ferre non poterant, bellum contra eos moventibus; Pisanis autem, qui Florentinorum potentiam metuebant, auxilium petentibus à Ludovico Sfortia, qui non aperte quidem se illorum amicum professus Lucium Malvecium tamen ad illos misit, magni nominis ducem. Hic pecuniis ab ipso Duce acceptis tantum effecit, ut Pisani satis F resistere possent validis Florentinorum viribus, quas vel sic nimium suspectas cum habarent, urbis suæ imperium Sfortiæ Duci obtulerunt. Sed ille pro conditione illorum temporum omnibus rite perpensis, Pisas recusavit in deditionem accipere, quod ægre ferentes Pisani, claves urbis per legatos ad Senatum Venetum miserunt. Sed neque Veneti aperte voluerunt accipere, quod offerebatur, attamen magnum militum numerum cum quodam præfectorum suorum Pisanis auxilio miserunt.

Hoc

Hoc cum admodum invito ad aures accideret Ludovico, qui, ne hac occasione Venetis aliquid potentiæ accederet, metuebat, fœderatis principibus consilium proposuit de Pisanorum defensione ac tutela conjunctis viribus suscipienda, & Maximiliano quoque Imperatore in Italiam evocando. Verum hic jam lectorem ablegamus ad illos auctores, qui latiores & prolixiores conscripserunt *Historias*, ne illarum rerum narratione obruamur, quæ nimium à nostro proposito sunt alienæ. Sufficiat dixisse, Maximilianum ab Ludovico persuasum in Italiam venisse, & cum eo colloquutum fuisse primum ad *Malsium* in Germaniæ finibus, deinde ad *Bormium* anno MCCCCXCVII. ab eoque acceptum habitumque insigni cum pompa ac magnificentia; ut & factum est, cum Imperator à bellis Etruriæ non sine damno rediens, per Mediolanensium ditionem iter fecit in Germaniam regressurus.

Hoc eodem anno è vivis excessit Beatrix Estensis, dilectissima Ludovici Sfortiæ Ducis uxor, cum mortuum infantem infelici partu eniteretur. Dux ob talem uxorem, quæ virtutibus ornata erat non vulgaribus, amissam insolabili dolore perculsus, funus illi & exsequias tanta cum pompa ac magnificentia celebravit, quanta forte nunquam alias in urbe Mediolano fuit cujusquam funeris, atque idem fieri voluit in omnibus urbibus atque oppidis sui Ducatus; & ne cives isto premerentur onere, ipse pecunia sua omnes eum in usum impensas exsolvit.

Sed Florentini, urbi Pisanæ occupandæ avidissime inhiantes, cum valido Venetorum militum præsidio firmatam armis subigere frustra tentavissent, inter ipsos Venetosque convenit, ut Hercules Estensis dijudicaret, uter duorum populorum Pisas imperio suo adjiceret. Hercules autem ex publica sententia ita pronunciavit, ut Veneti a. d. VII. Cal. Maj anni MCCCCXCVIII. Pisis omnes suos milites educerent, & propterea centum millia ducatorum à Florentinis acciperent, ut adeo Pisani, Senatus Veneti auxilio nudati, in potestatem venirent Reipublicæ Florentinæ. Sed ista sententia effectum sortita non est, cum Pisani prorsus abhorrerent ab imperio Florentinorum. Itaque receptis armis, Florentinorum copiæ levi negotio Pisas occupassent, nisi Paulus Vitellus, summus eorum belli dux, qui deinde ea de causa Florentiæ capite truncatus est, ab Ludovico Sfortia corruptus, non ex fide navasset operam patriæ. Ceterum ex eo, quod Sfortia semper Venetorum Reipublicæ impedimenta objicere moliebatur, ne illa Pisarum urbem potestati suæ subjiceret, tantum Senatus contra eum concepit odium, ut deinde semper ejus ruinam animo volveret, sicut contra etiam Sfortia suis rebus non deerat, & omnia agebat ad Venetos deprimendos. Itaque hanc in rem per Galliæ proceres quosdam aliosque viros auctoritate præstantes reconciliare sibi Carolum Galliæ regem, cum eoque fœdus inire studuit certis conditionibus, inter quas ipse ab rege petebat, ut Joannem Jacobum Trivultium sibi dederet, indicato ipsi modo, quo salva personæ regiæ existimatione, ut ipse dicebat, facere illud posset. Contra ipse regi ad Venetorum Rempublicam oppugnandam, regnumque Neapolitanum recipiendum valida offerebat auxilia. Et forte perfectum fuisset hoc fœdus, nisi Carolus Ambosiæ in Turonibus, dum pilæ lusu fessus ad recipiendum spiritum cancellis porticus cujusdam innititur, infelici casu prolapsus fuisset & exanimatus anno MCCCCXCVIII.

Successit Carolo Ludovicus Aurelianensis, cognatus ejus, & a. d. VIII Cal. Jul. ipso S. Joannis Baptistæ die festo, solenniter Parisios urbem ingressus est, ibique coronatus, & salutatus Galliæ rex Christianissimus. Senatus Venetus protinus legatos misit ad Ludovicum, non tantum ut illi gra-

A tularetur de novo regno, sed vel maxime, ut eum in Italiam pelliceret ad Mediolanensem Ducatum occupandum, quem ab Ludovico aliisque Sfortiis asserebat nunquam justo titulo fuisse possessum, sed ipsi deberi dicebat, ut qui natus esset ex Carolo, filio Ludovici & Valentinæ Vicontiæ, unicæ Joannis Galeacii, Ducis Mediolanensis, filiæ. Neque contentus Venetorum Senatus Galliæ regem contra Sfortiam Ducem incitavisse, Alexandrum quoque Pontificem multis rationibus induxit ad fœdus cum Ludovico Venetisque jungendum, eundemque Sfortiam opprimendum. Itaque rex Christianissimus belli societate cum Pontifice ac Venetis inita, cum

B regni sui fines per pactiones nonnullas tutos præstitisset à molestiis & vexationibus, quæ ab Imperatore ac Hispaniæ rege, ut & Burgundiæ Duce ipsi metuendæ erant, denique anno MCCCCXCIX. in Italiam misit Joannem Jacobum Trivultium, ut ille Astæ regii præfecti munere fungeretur, & Bellimontium *(Monsignor di Beaumont)* Venetias, ut Venetos contra Sfortiam exstimularet. Hic itaque ut imminentem à se calamitatem averteret, frustra primum belli societatem cum Helvetiis inire studuit: mox Trivultio per amicos, quos ad eum in Astam urbem miserat, cum Ludovico rege pacis conditiones proposuit, quæ forte etiam composita fuis-

C set, nisi Sfortia mutato animo recessisset ab illis conditionibus, persuasus ab Imperatore, qui prompta ipsi & ingentia pollicebatur subsidia ad Mediolanensis imperii, tanquam feudi Cæsarei, defensionem.

Denique igitur Ludovicus ingentes peditum equitumque copias in Italiam misit extremo mense Julio ejusdem anni MCCCCXCIX. quæ Astam venerunt Obinio, Comite Linii, & Joanne Jacobo Trivultio ducibus. Et hic quidem, natione Italus, & partium Guelphicarum, multas variis in urbibus castellisque habebat opportunas amicitias ad belli consilia feliciter exsequenda. Sfortia summam bel-

D li Galeacio Sanseverino genero commisit, qui Aracium arcem non procul ab Asta urbe omnibus quidem necessariis instruxit, quam fieri poterat diligentissime, sed Galli tamen ab Asta moventes eam occupaverunt, defendente Augustino Maneria, Genuensi. Post Aracium expugnatum victores ceperunt quoque *Annonem*, Valentiam, Dertonam, multaque alia loca, & Alexandriam obsederunt, cum interim Veneti ab alia parte magnos progressus facerent in *Ghiara Addua*, & victores ad Laudam usque urbem populationibus excurrerent. Inter hæc tantis damnis Dux animo consternatus, in consilium vocavit tres Cardinales, Ascanium fra-

E trem, Fridericum Sanseverinum, & Hippolytum Estensem, cognatum suum, eundemque Archiepiscopum Mediolanensem, aliosque amicorum intimos, iisque exposuit, hujus belli incendium sibi conflatum esse à Republica Veneta, quæ per suum exitium viam sibi aperire ad totius Italiæ imperium conaretur: & in summa cum illis ob oculos posuisset ingens periculum, in quo cummaxime ipse constitutus erat, consolati eum sunt illi, qui aderant in consilio, quæcunque in sua potestate essent, in auxilium ipsi offerentes. Præterea ad eum delati sunt quindecim hominum nomina, qui ab ipso ad potentiam & opes provecti cum hostibus conspira-

F bant: sed Dux quadam quasi abundantia benignitatis nihil aliud, quam per totam urbem homines ad armorum tractationem idoneos describi jussit, ut in extremis periculis eorum opera posset uti. Et cum omnium maxime ab isto sibi bello metueret, quo ipsum Galli persequebantur, Joannem Franciscum Bernardinum Vicontium, & Joannem Franciscum Sanseverinum, Galeacii Sanseverini fratrem, ab istis imperii finibus revocavit, quos ipsi contra Venetorum arma tuebantur, ut pontem in Pado flu-

mine exstructum transgressi subsidium ferrent Alexandriæ, quam Galli obsidebant, ut supra dictum est. Sed Joannes Franciscus Sanseverinus, qui clanculum cum hostibus conspirabat, usque eo exercitus iter protraxit, ut Galeacius Sanseverinus, frater ipsius, & summus Sfortianarum copiarum belli dux Alexandria excedere, eamque in potestate hostium relinquere cogeretur. Galeacio Mediolanum adveniente, cum Alexandriam esse captam compertum esset, magnus inter cives tumultus est exortus, in eoque Simon Rigo vulneravit Antonium Landrianum, præcipuum illorum, qui circa Ducem erant, cujus fidei ac virtuti regimen ac securitatem imperii magnam partem ipse Dux commiserat: quibus ex vulneribus, etsi mortifera non erant, ut crediderat Rigo, tamen biduo post mortuus est Landrianus.

Hinc vehementer Dux consternatus, &, ne toto excideret imperio, metuens, de sua filiorumque salute cogitare, & in Germaniam meditari fugam cœpit. Itaque primoribus urbis convocatis miserabilem & sui ipsius, & totius adeo imperii, quæ cummaxime erat, fortunam exposuit, à Maximiliano Imperatore subsidium se exspectare dictitans, qui è Germania cum ingentibus auxiliis adventaret, seque illi honoris causa filios suos obviam mittere constituisse. Inde omnes ad fidem principi suo servandam exhortatus, omnibusque, quæ ad urbis defensionem necessaria esse videbantur, quam diligentissime ordinatis, & arcis custodia Bernardino de Corte, patria Papiensi, commissa contra omnium fere prudentiorum sententiam, qui eum parum ipsi fore fidum asseverabant; ipsaque arce, in quam & pecunias suas magnam partem recondidit, omnibus illis instructa, quæ ad longam obsidionem sustinendam requiruntur, prid. Cal. Sept. Comum versus dimisit Maximilianum & Franciscum filios, quorum ille natu maximus novem annos, hic septem habebat natu secundus, comitantibus Ascanio & Friderico Cardinalibus, & Camilla, Alexandri Sfortiæ, Pisauri principis, vidua, aliisque viris illustribus, ut & immensi pretii thesauris, ingentique pecuniæ summa. Tum vero quisnam fuerit Ducis infelicis dolor, cum sibi filiis abeuntibus quasi à visceribus suis divelli videretur, facilius animo concipi, quam verbis exprimi posse arbitror. His ita gestis Dux illos sequi certus, viros aliquot elegit, qui adhuc alios octo cooptarent, ut illi conjunctim Reipublicæ administrationem in se susciperent: Ducatum Bariensem Isabellæ, Joannis Galeacii uxori, concessit: multa loca primoribus quibusdam viris restituit, & arcis omniumque aliorum Liguriæ castellorum curam Joanni Augustino Adorno demandavit, ut is pro lubitu suo de illis statueret. Inprimis autem Bernardino de Corte, cui ne quidem alium addere collegam voluit, licet id ab eo peterent Ascanius frater & Galeacius Sanseverinus, qui Bernardini fidem admodum suspectam habebant, impense commendavit arcem Mediolanensem, eique de omnibus signis edocto, quibus editis significare ex ipsa arce posset, quæcunque usus exigeret, ad ultimum promisit, tertium intra mensem procul dubio eum ab omni hostium vi molestiaque liberatum iri: quod si secus accideret, potestatem ipsi fecit de arte Mediolanensi pro arbitrio statuendi.

Ad hunc modum rebus ordinatis Ludovicus, cum suorum intimis magno cum amoris affectu valedixisset, & templum Mariæ virginis Gratiarum religionis causa visitavisset, rediit inde, ut sequentem noctem in arce ageret, & proximo mane circa horam undecimam una cum Hippolyto Estensi & Hermete Sfortia, cognatis, ut & Galeacio Sanseverino, & Galeacio Alexandroque Sfortiis, multisque peditibus equitibusque, qui numerum ad quater mille hominum conficiebant, Mediolano egressus

A Comum petiit. Hoc cum intellexissent Comenses, convocatoque consilio deliberavissent, an in urbem acciperent Ludovicum, an vero eum ejus ingressu prohiberent, visum fuit, principem suum, etsi ab adversa fortuna afflictum, non esse excludendum illa urbe, quæ per tot annos in fide erga eum perstiterat. Itaque in urbem receptus est à Comensibus, multum ejus calamitatem commiserantibus, & in episcopi ædes deductus. Proximo mane civibus ad se convocatis, qui magno numero convenerunt, Dux exposuit, istæc infortunia, quibus cummaxime conflictabatur, non accidere sibi, quod officio suo defuisset, sed ex hostium suorum perfidia: B & Comenses exhortatus est, ut Gallis se subjicerent, neque tamen affectum erga legitimum principem suum dimitterent, & ut adeo parati essent, se reversum, quod ocyus sperabat esse futurum, denuo ut principem suum recipere. Comenses Duci magna cum fidei ac reverentiæ testificatione responderunt, & arcem sive castellum urbis sibi tradi petierunt, quod & concessit illis, primum licet nonnihil reluctatus. A Como Dux per Vallem Tellinam iter fecit, & quondam nocte in specu quadam, comites autem ejus sub dio plurimis maximisque cum incommodis pernoctare debuerunt. Denique ille cum suis Oenipontem venit, ubi mox Imperator C Maximilianus, per affinitatem ipsi conjunctus, eum invisit, summaque cum humanitate ac benevolentia tractavit, & inprimis se ipsi ocyus idoneas vires subministraturum pollicitus est, quibus imperium suum pristinamque potentiam recuperaret.

Ceterum post Ludovici abitum ex urbe Mediolano, totam occupare Mediolanensem ditionem, & ipsam quoque urbem metropolin, Gallis in proclivi fuit, ipsis etiam populis cum applausu eos excipientibus. Sed quod magis adhuc dolendum fuit, & vehementer afflixit Ludovicum Sfortiam, cum illud audiret ad *Maranum*; Bernardinus de Corte, principi suo infidus, & æternam sibi contrahens D infamiam, Joanni Jacobo Trivultio dedidit arcem Mediolanensem, quam satis diu defendere potuisset contra multo majores etiam, quam Gallorum erant vires. Ludovicus rex, qui Lugduni erat, armorum suorum in Italia successu cognito, gaudii plenus excessit è Galliis, & superatis Alpibus magnis itineribus in Italiam contendit, ovansque Mediolanum urbem est ingressus, ibique multos reditus terrasque nobilitati Mediolanensi, & præter ceteros Joanni Jacobi Trivultio, à quo sibi egregiam operam esse navatam dicebat, *Viglevanum* aliaque loca donavit. Populo quoque à multis oneribus immunitatem concessit, etsi ille quidem pro more vulgi E imperiti parum contentus erat, & majores adhuc perpetuasque ab rege postulabat immunitates. Tum multi principes Italiæ Mediolanum gratulabundi ad Ludovicum regem venerunt, alii præter Fridericum, regem Neapolitanum, legatos ad eum miserunt. Dum ad hunc modum rex integri fruitur Mediolanensis Ducatus possessione, excepta *Ghiara* Adduæ, & Cremona urbe, quæ portio Venetorum accessesserat imperio ex fœderis legibus, quibus illi cum Ludovico rege belli societatem contra Sfortiam inierant, ex quibus etiam Pontifex filio suo, Duci Valentino, Forum Cornelii, *(Imolam)* Forum Livii, F *(Forli)* aliaque loca acquisierat; interim vero in Germania Ludovicus Sfortia suis rebus intentus, Constantinopolim usque tres legatos misit, separatim singulos, ut saltem unus eorum ad aulam Turcicam perveniret, iisque literas & mandata dedit exactissima, quo Turcarum Imperatorem ad bellum Venetæ Reipublicæ, cui omnem calamitatem suam acceptam ferebat, movendum perducerent. Deinde cognito Ludovicum regem in Galliam rediisse, & populos imperio ipsius, ejusque præfectorum, & maxime Joannis Jacobi Trivultii, parum acquiescen-

scentes, sæpius Sfortiæ nomen invocare; cum præterea à multis nobilibus invitaretur, ut pristinum recuperare tentaret imperium; non amplius exspectare auxilia Imperatoris, plus semel ipsi promissa, sed re ipsa nunquam subministrata; & cum fratre Ascanio suo Marte rem gerere, bellique tentare fortunam constituit, & sua pecunia octo Helvetiorum millibus, & quingentis Burgundionibus conductis, versus Comum profectus est. Trivultius, cui rex ex Italia abiens summam rerum commiserat, cognito adventu Sfortiæ, ad Venetos misit, ut copias suas ad Adduam amnem admoverent; Alegrumque à Duce Valentino ad se revocavit una cum Helvetiis Gallisque, quibus ille imperabat, duplicato militum numero, quod Comi præsidium erat, ad primum Ludovici impetum excipiendum. Sed Ludovicus cum una cum Cardinale fratre & parte militum conductorum ad Comum accessisset insigni celeritate prudentiaque usus, & Galli Comensium animos ad Sfortias inclinare cum viderent, hi excesserunt urbe, quæ protinus veteri se domino submisit.

Comum occupatum fere totius imperii recepti Ludovico principium fuit, quoniam hoc novi cum audivissent, adeo tumultuati sunt Mediolanenses, ut Trivultius spe servandæ regi suo urbis abjecta, in arcem se reciperet, atque inde noctu digressus, cum copiis militaribus Novariam peteret. Post ejus abitum primum Ascanius Cardinalis Mediolanum ingressus est, mox & Ludovicus anno MD. maximo totius populi gaudio. Post Mediolanum urbem Papia quoque & Parma in potestatem Ducis redierunt, quod idem certe etiam facturæ fuissent Lauda & Placentia, nisi eo Veneti misissent partem copiarum illarum, quas ad Adduam amnem contraxerant.

His lætis principiis Ludovicus animo recepto, omnibusque, quos poterat, militibus collectis, & enixe rogato Cæsare, ut celeriter sibi mitteret toties auxilia promissa; cum omnes amicos in auxilium vocasset, & ipsum quoque Senatum Venetum, cui amplissimas conditiones offerebat, sed frustra, tentavisset, denique Mediolano excessit, cujus urbis castellum, quod adhuc tenebant Galli, obsidebat Ascanius Cardinalis; & satis magno cum exercitu Ticinum amnem transgressus *Viglevanum* cum occupavisset, ad urbem Novariam exercitum admovit, eaque feliciter potitus, ad arcem expugnandam se accinxit. Sed Ludovicus rex tanto rerum suarum detrimento audito, protinus in Italiam misit Tremolliæ dominum, qui cum se cum Trivultio & Linio conjunxisset, adductis secum copiis nonnullis, quæ recens superaverant Alpes, ut & illis, quas alii duces regii habebant, inter quas decem erant Helvetiorum millia, ad urbem Novariam castra posuit. Hic infelix Ludovicus Sfortia proditus est ab Helvetiis illis, quos ipse in Italiam deduxerat, dum hi pugnare contra populares suos recusant, qui in Gallorum erant exercitu. Et cum misero principi, neque quod suam pecuniam inter ipsos diviserat, neque preces additis etiam lacrymis quicquam prodessent, jamque se una cum Novaria urbe in Gallorum potestate fore prævideret, eosdem Helvetios oravit, saltem concederent sibi mutato habitu, & ipsorum more armatum, per ipsorum stationes urbe egredi & saluti suæ prospicere. Idem Galeacius etiam Sanseverinus, duoque alii viri primores cum fecissent, & hoc novo habitu Novaria egressi per medium Gallorum exercitum incederent; sive agniti à quodam, cui hoc muneris demandatum erat, sive ab iisdem Helvetiis indicati, certe omnes quatuor correpti fuerunt & in custodiam dati. Ludovicus in Franciam abductus, & cum impetrare non potuisset, ut in conspectum regis admitteretur, in turrim *Loccesiam* conclusus est,

A ubi captivus reliquum vitæ, id est, decennium circiter exegit, princeps multis sane virtutibus præditus. Veruntamen, quia cognatis debitum præripuit imperium, & Turcas contra Christianos concitare studuit, non est deplorandus vitæ finis ejus miserabilis. Mediolani captivitate Ludovici nunciata cum undique trepidaretur, Ascanius Cardinalis, frater ejus, & una alii propinqui amicique Sfortiarum profugerunt urbe. Ascanius *Rivoltam* se contulit ad fines Placentinorum, quem locum Conradus Landus, cognatus ipsius amicusque, tenebat, ibique dum salutis suæ securus esse credit, ab ipso Lando proditus, ducibusque Venetis in potestatem traditus est
B una cum aliis aliquot comitum. Hoc intellecto rex Galliæ adeo vehementer, additis etiam minis, à Senatu Veneto petiit Ascanium sibi dedi, ut Veneti, ne sibi forte magnum aliquod malum conciliarent, denique eum regi dederent. Tum illum in Franciam abductum rex vidit, majore erga ipsum, quam erga fratrem ejus, humanitate usus, & in turrim compegit in urbe Bituricensi (*Bourges.*) Sed Mediolanenses, non exspectato victorum adventu, ad quibus resistendum neque vires ipsis, neque animus suppetebat, legatos miserunt ad Cardinalem Rhotomagensem, (*de Rouen*) qui citra Alpes vicarius erat, seu præfectus regius, veniamque ab eo petierunt, quod regis imperio se subtraxis-
C sent, & Sfortiæ potestati se iterum subjecissent. Cardinalis civitatem in fidem suam accepit, irrogata tamen illi trecenties mille ducatorum multa, quæ deinde majorem partem Mediolanensibus humanissime remissa est ab clementia regis.

Mediolani exemplum sequutæ sunt aliæ civitates, quæ itidem ab rege desciverant, & peræque etiam multatæ fuerunt quæque pro facultatibus. Ditio Mediolanensis paruit imperio Ludovici Gallorum regis ab anno MD. ad annum usque MDXII. quo Julius II. Pontifex, successor Pii III. qui tantummodo septem & viginti post Alexandrum VI.
D diebus gessit Pontificatum, fœdere cum rege Hispaniæ Venetisque inito, quibus anno MDIX. Galli Cremonam ademerant, constituit Maximilianum Sfortiam, Ludovici Mauri filium, in paternum restituere imperium. Itaque Maximilianus relicta Germania, quo pater eum ablegaverat, ut antea diximus, & copiis secum adductis, quas ipsi Cæsar dederat, maxime Helvetiorum auxilio, quos ipsi adjunxerat Pontifex, feliciter recuperavit Mediolanum urbem, protinus sine certamine relictam à ducibus copiisque Gallorum. Lauda nostra inter primas fuit illarum urbium, quæ se Maximiliani imperio subjecerunt; & una cum arce militibus se
E fœderatorum dedidit, qui sociorum principum nomine possessionem ejus adierunt. Idem fecerunt reliquæ urbes Ducatus Mediolanensis, in cujus imperio confirmatus ab Cæsare, eaque de causa magno populorum gaudio, qui vehementer desiderabant Italicum & Sfortianæ gentis principem habere, solenniter Mediolani coronatus est Maximilianus a. d. IV. Cal. Jan. anni MDXII. Supra modum regi Galliæ molesta accidit hæc repentina Mediolanensis Ducatus amissio. Veruntamen cum adhuc in potestate sua haberet Mediolani, Cremonæ, & Genuæ urbium arces, atque has ipsi posse adjumento esse ad recipiendum Ducatum putaret, op-
F portuna mandata dedit ad numerosissimum exercitum conscribendum, iterum belli fortunam in Italia tentare certus. Mox inter Pontificem, Imperatorem, & Venetos, qui jam belli societatem contra ipsum inierant, multis contentionibus & simultatibus exortis, artibus ille penitus eos divellere studuit, suisque viribus quempiam adjicere fœderatorum. Igitur ad postremum fœdus iniit cum Senatu Veneto hac conditione, si Ducatus Mediolanensis reciperetur, Cremona tunc & *Ghiara* Adduæ

duæ ad eundem Ducatum pertinere intelligerentur, præter multas alias, quæ legi possunt in *Historia Veneta* Pauli Parutæ, lib. 1.

Postea regis copiæ in Italiam venerunt ad viginti millia militum numero, & Alexandria capta Novariam petierunt, quo se Maximilianus Dux contulerat hoc animo, ut se hostibus opponeret maxime Helvetiorum opera, quorum magnam apud se manum habebat. Hoc eodem tempore Bartholomæus de Alviano, dux Venetorum, Mediolanensem ditionem ab ista parte aggressus, qua *Ghiara* Adduæ est, facile occupaverat Cremonam urbem; Laudaque nostra, ejus exemplum sequuta, sponte sese dediderat eidem Bartholomæo. Itaque rebus undique turbatis, & fluctuante adhuc Maximiliani fortuna, populus Mediolanensis aliarumque urbium, insita plebi levitate, quæ semper novarum rerum solet esse cupida, mussitare cœpit, ita ut jam præ Duce suo exterorum iterum dominium probare videretur, quos paulo ante adeo fuerat exosus. Verum denique Gallorum duces, inter quos primum locum obtinebant Joannes Jacobus Trivultius & Tremolliæ dominus, cum Helvetios corrumpere, qui sub Maximiliano Duce militabant, atque ita ipsum Maximilianum in potestatem suam, sicut olim Ludovicum patrem ejus, redigere frustra tentavissent, de belli victoria armis decernendum fuit. Itaque ad Novariam pertinaci & cruento prælio commisso, virtus fidesque Helvetiorum victoriam Maximiliano Duci peperit, Gallorumque copiæ gravi vulnere accepto, celeriter superatis Alpibus in Galliam redierunt.

Per hujus prælii fortunam cum Sfortia Dux pristinam apud suos existimationem atque auctoritatem recepisset, Mediolanenses ex præcipuis suorum missa legatione petierunt ab eo, & impetraverunt quoque veniam, quod ad primum quasi tumultum Gallicorum armorum in Italia ab obedientia ipsi debita recessissent. Idem fecerunt etiam reliquæ urbes Mediolanensium ditionis, quæ Como & Novaria exceptis, Sfortiani imperii jugum excusserant, à quibus collatas multæ nomine pecunias maximam partem Helvetii optime de Sfortia Duce meriti acceperunt. Maximilianus imperium recuperatum aliquandiu rerum suarum securus obtinuit, præfecto regni Neapolitani (*Viceregem* vulgo dicunt) partes ejus amplexo, qui in Longobardia erat cum multis Hispanorum aliarumque gentium copiis, & post commissum prælium valida illi auxilia Novariam submiserat. Præterea Alvianus, summus Venetorum belli dux, cum exercitu in Veronensium fines recesserat, quo facto Hispani Cremonam diripuerunt, quia Cremonenses Venetorum copias in urbem acceperant. Interim Galliarum rex Ludovicus, qui neutiquam ex animo ejecerat cogitationem illam in Italia se confirmandi & amissa recuperandi, dum ad consilia sua exsequenda magnos facit apparatus, & Venetorum legati de belli ratione cum eo constituturi in Galliam proficiscuntur, Parisiis fato functus est ipsis Cal. Jan. anni MDXV. nulla relicta prole. Itaque in Galliæ regnum successit illi Franciscus Valesius, regio sanguine satus, & proxima defuncto cognatione conjunctus, qui magni animi altissimique spiritus princeps, cum decessoris sui consilia vehementius etiam agitaret animo, simulac ad regnum accessisset, omnium primum cogitationes suas in illud intendit, quomodo recipere posset regnoque suo adjicere Ducatum Mediolanensem. Cumque ad hoc Veneti quoque acriter eum incitarent, denique ad illud consilium exsequendum belli fœdus inter eos est initum iisdem conditionibus, quibus antea inter eosdem Venetos & Ludovicum XII.

Itaque ingenti utrinque cum apparatu eodem tempore rex per insuetas vias Alpibus superatis Mediolanensium ditionem ingressus est magno cum
A exercitu, & itidem Venetorum duces cum quindecim millibus militum in eundem penetraverunt Ducatum. Mox Novaria & Papia occupatis hinc ad *Marinianum* rex castra posuit, inde Veneti Laudæ substiterunt, quam urbem cum ejusdem anni MDXV. mense Julio cepisset Rentius Cerius ex præcipuis Venetorum ducibus, ut dicit Alemanius Finus *Historiæ Cremensis* lib. VIII. eademque mox ab eo relicta in potestatem venisset Helvetiorum, qui sub Sfortia Duce stipendia merebant, atque hi desperantes de ejus contra vicinos Gallos defensione, in tutiora se inde recepissent, iterum occupaverat Alvianus. Tantis ut resistere viribus posset Dux
B Maximilianus, belli cum eo societatem inierunt Leo X. Pontifex, qui Julio II. successerat, Hispani, Florentini, & Helvetii, ex quorum sola gente ad quadraginta millia peditum numerabantur. Postea cum rex cum exercitu ad S. Donati movisset prope Mediolanum, ibique posuisset muniissetque castra, Helvetii optime instructis ordinibus in aciem processerunt: atque adeo a. d. XV. Cal. Oct. ejusdem anni MDXV. prælio commisso tanta utrinque virtute pugnatum est, ipso Francisco rege eximia fortitudinis suæ documenta edente, ut sola nox dirimere certamen posset. Itaque dum proximo mane denuo eodem undique cum ardore pugnatur,
C cum adhuc prorsus anceps esset fortuna prælii, superveniens Alvianus Venetorum dux, qui à Lauda cum lectissimis voluntariorum ducentis regi in auxilium profectus erat, una cum Gallorum equitatu impressione facta, satis magnam edidit Helvetiorum stragem, qui ordines suos aliquantum laxaverant. Veruntamen hi dextre conglobata iterum acie, intra Mediolanum urbem servatis ordinibus se receperunt, ut adeo videretur non satis dijudicari posse, penes quos victoria stetisset. Sed dum rex, etsi non parum afflictus morte quorundam ex suis principum virorum, ad urbem Mediolanum occupandam, quæ tanto tamque fortium virorum, id
D est, Helvetiorum præsidio munita erat, instruit consilia, hi postero die insita animi levitate relictis signis urbe egressi sunt, & domos suas abierunt, mille tantum & quingentis in arce remanentibus, in quam se Maximilianus Dux receperat. Itaque Galli superiores, & jam sine exceptione victores, cum præterea etiam abiissent Pontificis Hispanorumque copiæ, inter quas æmulatio & simultas erat exorta, sine certamine Mediolano urbe facile sunt potiti. Quin imo legati Mediolanensium protinus ad Franciscum regem iverunt, & præteritorum veniam petentes, inque futurum exactissimam illi obedientiam pollicentes, urbem illi de-
E derunt. Veruntamen ipse Mediolanum intrare noluit, non convenire majestati suæ ratus in ista morari urbe, cujus arcem tenerent alii. Itaque misso in eam Carolo Borbonio, mandataque arcis oppugnatione, in qua Petrus Navarrus cuniculorum agendorum inventione eximiam navavit operam, Maximilianus post unius mensis obsidionem dedidit eam regi, & in Galliam abductus est, ibique ex pacto percepit annua triginta scutatorum millia, quoad vixit. Ad hunc modum rex arce in potestatem suam redacta, Mediolanum intravit tanta cum pompa ac magnificentia, ut triumphi potius, quam simplicis ingressus speciem exhiberet. Paulo post Fran-
F ciscus cum à Senatu Veneto missos legatos quatuor aliquandiu apud se retinuisset magna invicem cum amicitiæ non vulgaris & humanitatis specie, Venetisque multas suarum copiarum subministravisset, Lautrecii domino, magni nominis duce addito, ut illarum auxilio recipere sua possent, quæ præteritis bellis amiserant; in Galliam rediit anno MDXVI. Carolo Borbonio Ducatu Mediolanensium, & omnium adeo rerum, quæ in Italia ad Galliæ regnum attinebant, summa commissa.

Sed Maximilianus Imperator, res suas in Italia promovere vehementer cupiens, ipse eo proficisci constituit, ut se confirmaret in illarum urbium possessione, quas istic tenebat, & Gallos, si fieri posset, Ducatu Mediolanensi, Imperii feudo, expelleret.

Itaque multis copiis collectis, magnaque Helvetiorum manu conducta, per viam Tridentinam cum exercitu Veronensium fines attigit eodem anno MDXVI. & hinc in Brixianum agrum profectus est. Inde *Asolæ* expugnatione tentata, quem locum valido præsidio firmaverant Veneti, Adduaque amne transito, cum Galli, qui eodem advenerant, quo illi se objicerent, Mediolanum se recepissent, in Cæsaris potestatem concesserunt, quæcunque Athesin & Padum fluvios interjacent, exceptis Crema & Cremona. Hinc animis auctus Imperator ad sextum ab urbe Mediolano lapidem progressus est, civibusque, quorum juxta atque militum magna erat trepidatio, significari jussit, se in Italiam venisse, ut more majorum coronaretur Mediolani, Gallosque inde expelleret, injustos Ducatus illius possessores, quem esse partem & feudum Imperii dicebat. Proinde ipsi, ut principi suo, ocyus portas aperirent, omniaque à se bona exspectarent, contra vero ultimum exitium, si parere his mandatis recusarent. Mediolanenses ex Gallorum voluntate Ducatum istum jam ab Imperio divulsum esse responderunt, aliisque concessum ingentium pecuniarum mercede Imperatoribus persoluta, jamque eum hereditatis jure aliisque titulis juste ad Galliæ reges esse translatum, iisque jure debita tueri certum sibi esse. Interim vero dum Imperator armis tentare urbis expugnationem cunctatur, quatuor in illam venerunt Helvetiorum millia, quos Galliæ rex conduxerat, quo facto sicut oppidani confirmati sunt, ita non parum perturbatus est Imperator. Itaque ille maxime metuens, ne Helvetii sui, quibus parum exacte stipendia solvebantur, conspirarent cum aliis suæ gentis, qui inter Gallos militabant, & pecunia corrupti forte semet ipsum hostibus proderent, aliam prætendens abitus causam cum ducentis equitibus in Germaniam rediit, reliquo exercitu in Italia relicto, qui ipso digresso ocyus est dilapsus. Helvetii autem cum Laudam nostram ingressi crudeliter diriperent, & omnia, quæ circa erant, depopularentur, alii illi, qui Mediolani erant Gallorum mercenarii, admonuerunt eos, ut ab illis injuriis abstinerent, addita interminatione, si porro ita pergerent, se Mediolano urbe egressuros, ipsosque vi armorum expulsuros Italia. Itaque ne manus civili sanguine fœdarent, Helvetii Cæsarei, nihil præterea hostile ausi, cum per aliquot dies in urbe agroque Laudensi substitissent, domos suas abierunt.

Dehinc nihil magnopere aliud novi contigit, quod ad nostram faciat *Historiam*, usque dum defuncto Maximiliano Imperatori anno MDXIX. Carolus V. successit, cujus principis virtutem ac prudentiam & fortunam noverunt omnes. Hic Mediolanensem Ducatum Gallorum manibus eripere studens, fœdus iniit cum Leone X. Pontifice, hac inter alias conditione, ut Ducatus ille, si receptus esset communibus viribus, Francisco Sfortiæ daretur, Maximiliani fratri, qui in Gallia captivus detinebatur. Cumque Venetos etiam à societate Francisci regis divellere Carolus frustra tentavisset, denique in Italiam misit ingentem exercitum, in quo multa Helvetiorum millia militabant Prospero Columna duce, nec non copiæ Pontificiæ, quibus imperabat Fridericus, Marchio Mantuanus. Contra hunc exercitum profectus cum Gallorum copiis Lautrecus, cum Adduæ amnis transitu prohibere hostes frustra tentavisset, adeoque Mediolanum se recepisset, Prosper ad suburbia usque ejus urbis progressus, magis ut armorum periculum faceret, quam quod magnopere aliquid amplius speraret, impetum in illa fieri jussit. Hunc cum sustinuisset Theodorus Trivultius, qui istic cum Venetorum manu præsidio relictus erat, sed eodem Helvetii, etsi illis à Lautreco imperatum erat, accurrere nollent, seroque advenirent Vascones, Cæsarei primum in suburbia, mox in ipsam quoque urbem perruperunt, & promiscue omnibus direptis, Gallisque fuga elapsis, brevi tempore totam urbem in potestatem suam redegerunt. Lautrecus Mediolano cum equitatu profugit, eumque ante omnia servare incolumem studens, primo Comum, inde mox per viam Laudensem in Venetorum fines deduxit. Sed voluntarii milites Venetorum, dum Lauda urbe digressi, ubi Lautrecus in receptu Mediolanum cum parte copiarum ac tormentis alioque belli apparatu præfectum reliquerat, Mediolanum pergunt ad auxilium Lautreco ferendum, à Cæsareis intercepti omnibusque exuti fuerunt.

Mediolano occupata multæ aliæ civitates sese Cæsareis dediderunt, interque eas non postremo loco Lauda. Lautrecus & Veneti, magna Helvetiorum manu aucti, postea quidem Mediolanum urbem & reliqua, quæ amiserant, recuperare tentaverunt, sed dum Novariam urbem illi expugnant, Columna Francisci Sfortiæ Mediolanum introducendi occasionem arripuit. Hic pecuniis à Medicæo Cardinale acceptis, Tridento digressus cum sex Germanorum peditum millibus, per Veronensium Mantuanorumque fines primum Placentiam, inde Papiam se contulerat, iter illi tutum præstante Marchione Mantuæ cum trecentis militibus Pontificiis. Papia itaque clam noctu profectum, ut inter ipsum & Columnam convenerat, & ad *Sextum* usque progressum, idem Columna, qui ibi eum exspectabat, cum valido militum præsidio Mediolanum deduxit, ubi quanto cum gaudio & applausu exceperint eum Mediolanenses, qui in ipso omnes antiquos Sfortias suos recipere sibi videbantur, verbis exprimi satis non potest. Lautrecus occupata Novaria ad Papiam expugnandam se accinxit, sed copiæ ejus, dum impetu urbem invadere cunctantur, quod acriter, sed nimium forte præpropere postulabant Helvetii, à Prospero Columna, qui cum exercitu suo Mediol. excesserat, à Papia recedere coactæ sunt. Veruntamen mox Gallorum Venetorumque duces, cum resistere amplius Helvetiis non possent, qui omnino pugnare volebant, jamque tumultuabantur ob non soluta stipendia, Columnam in ipsis castris suis invadere constituerunt, ad locum, cui *Bicoca* nomen, à Mediolano non amplius quatuor passuum millibus distantem, sed antea Laudam urbem, quam receperant, munimentis firmare voluerunt, ut in omnem eventum tutum receptum haberent. Itaque atroci prælio commisso, quo ingens utrinque fuit cæsorum numerus, Cæsarei tamen pelli nequaquam potuerunt. Inde Helvetii per tumultum stipendia poscentes, neque auscultantes salubribus ducum consiliis, eos cum omnibus copiis recipere se *Trecium* ad Adduam amnem coëgerunt, unde mox Helvetiis dilapsis, Lautrecus cum aliis Gallorum ducibus, ut regem de statu rerum in Italia certiorem faceret, in Galliam abiit, parte copiarum in Cremonam urbem dimissa, & item parte Laudam, quam Fridericus à Bozolo & Bonavallis cum sex equitum centuriis alioque peditum firmo præsidio intraverunt. Sed ocyus accurrerunt Cæsarei ad urbem nostram Gallis eripiendam, & eodem die, quo hi eam sunt ingressi, isti ab altera parte, præcedente cum Hispanorum peditatu Avali Marchione, ad eandem accesserunt. Itaque hi urbem aggressi, antequam Galli præsidia & custodias disposuissent, aut se præparavissent ad defensionem urbis, cum necdum omnis peditatus Gallorum in eam pervasisset, facile inde eosdem expulerunt, qui cum tumultuaria fuga ad pontem in Addua flumine se reciperent, ab insequentibus eos Hispanis nonnulli eorum capti fuerunt. Hispani autem mox infelicem in urbem regressi, totam exspoliaverunt anno MDXXII. Paulo post Prosper Columna ad Cremonam castra posuit, eamque certis conditionibus in deditionem accepit ab Lescuno, Lautreci fratre, qui eam præsidio tenebat.

Neque tamen adversæ Gallorum res in Italia magnum Francisci regis animum fregerunt, quin ille denuo constitueret in Italiam redire cum viribus istis, quas sua majestas tamque arduum bellum postulare videretur, quod ipsi eo difficilius erat futurum, quia Veneti, qui antea ipsius fuerant amici, nunc novum fœdus inierant cum Hadriano VI. Pontifice, qui Leoni X. successerat, & Impera-

peratore, ac Francisco Sfortia, multisque aliis principibus, ad Italiam, & maxime etiam ad Franciscum Sfortiam in Mediolanensis Ducatus possessione tuendum. Denique autem Franciscus, cum tunc quidem aliis rebus impeditus ipse in Italiam abire non posset, Boniveti dominum, primarium Galliæ belli ducem, (*Admiralium* vocant) eo misit, & una duo hastatorum, & XII. peditum millia, ex variis gentibus collecta, quibus deinde multæ aliæ copiæ accesserunt. Sed Prosper Columna cum non multum curaret hasce Gallorum copias, usque eo illæ progressæ sunt, ut Ticino amne superato ad Mediolanum castra ponerent. Tum vero Prosper cognito, quod erat, periculo, magnopere petiit à Venetis, ut ex fœderis legibus copias suas, quibus imperabat Dux Urbini, summus ipsorum præfectus belli, mitterent ad imperium Mediolanense tuendum. Insuper ille, quantum poterat, copias suas undique contraxit, Laudamque nostram præsidio, quod habebat, nudavit, quo illo uteretur ad illorum locorum defensionem, quæ ipsi majoris esse momenti videbantur. Itaque Galli anno MDXXIII. Laudam occupaverunt & egregie communiverunt.

Ceterum per hasce in Italia turbas maximis afflicti sunt Laudenses incommodis, cum illorum urbs toties mutaret dominos, atque adeo multi eorum alio locorum concedere opus haberent. Si enim illa aliquem ex Guelphica factione dominum habebat, Gibellinis ex urbe fugiendum erat: & contra Guelphi se proripiebant, si quis eam Gibell. teneret. Sed commodum Laudensibus perfugium fuit Crema urbs, in qua per hasce occasiones sæpe aliquot centeni nostrorum conspecti fuerunt, Cremensibus eos humanissime excipientibus istius effugii memoria, quo multi illorum in urbe nostra saluti suæ consuluerant anno MDXIV. quo illorum urbs misere infestabatur atroci pestilentia. Tumque itidem illi Cremensium, qui Guelphicæ factionis erant, clanculum in Lauda urbe commorari debebant, quia illis temporibus apud nos prævalebant Gibellinæ partes. Sed Gallorum dux Bonivetus non multum proficere potuit in terris Mediolanensium, & post varios casus magna parte copiarum ejus dilapsa, retro per Alpes in Galliam recedere magno cum damno coactus est. Tum Alexandria, nostraque urbs Lauda, quæ solæ in Gallorum potestate remanserant, ocyus sese fœderatis dediderunt; Alexandria Aterni, sive *Pescaræ* Marchioni, Lauda Duci Urbinati. Neque tamen Fridericus de Bozolo antea dedere Laudam voluit, quam certus esset, Bonivetum jam superavisse Alpes, quo eodem deducta fuerunt sine ullo impedimento quinque millia peditum Italorum, qui in duabus illis urbibus stipendia inter Gallos merebant.

Sed Franciscus rex nihil conterritus tantis infortuniis, neque ab incepto depulsus rebellione Caroli, Ducis Borbonii, qui regii sanguinis princeps cum Angliæ rege clanculum res novas magnosque tumultus in Gallia concitare molitus, detectis mox ab rege consiliis ejus, Cæsaris se partibus adjunxerat; ingentibus viribus collectis citius omnium opinione secundum in Italiam venit, & recta Mediolanum petiit.

Statim Cæsarei, qui non ordinaverant, ut oportebat, ad defensionem necessaria, urbe excesserunt, & Franciscus Sfortia, regnique Neapolitani præfectus, Duxque Borbonius, quem Imperator supremum in Italia præfectum suum constituerat, *Soncinum* abierunt, *Pescaræ* Marchio Laudam: atque adeo Francisco fuit in proclivi Mediolanum urbem occupare Cæsareis vacuam. Hæc res non mediocriter Clementis VII. Pontificis Senatusque Veneti perculit animos, qui suspectam quoque habentes Imperatoris potentiam, cum illi non in animo esse suspicarentur Franciscum Sfortiam in Ducatu Mediolan. confirmare, sed illum Ducatum suo imperio adjicere; relictis partibus Imper. cum Francisco rege fœdus fecerunt, hac tamen conditione, ne Veneti auxilium illi ferre ad eundem Ducatum occupandum tenerentur. Sed rex exercitum ad Papiam urbem admovit, in qua ex Cæsareis erat Antonius Læva, celeberrimus peritissimusque belli dux, cum trecentis equitibus, & quinque Ger-

A manorum Hispanorumque peditum millibus, veteranis omnibus, totiusque flore exercitus. Sperabant illi quidem, si Papiam in obsequio fideque erga Cæsarem continerent, vana fore omnia regis consilia, verum hic eam obsidione clausam, cum alimenta jam deesse obsessis inciperent, adeo ad extrema redegit, ut Cæsar. copiarum duces aut subsidium, quod satis esset, illi submittere, aut hostem ad prælium compellere, & ultimam experiri fortunam decernerent. Itaque illis Lauda urbe egressis, & versus Papiam contra Gallos profectis, celebre illud commissum est prælium anno MDXXV. cujus singulos casus quicunque cognoscere cupit, apud alios legere poterit scriptores. Victoriam ejus adepti sunt magna cum gloria
B Cæsarei, quæ maxime fuit insignis Francisci Galliæ regis captivitate, qui cum aliquandiu in Picigitone arce in finibus Cremonensium fuisset in custodia, deinde in Hispaniam abductus est.

Tum vero quomodo fuerint affecti Pontifex & Venetorum Senatus, ipsum lectorem facile dijudicare posse credimus. Itaque illi metuentes, ne Cæsar non solum Mediolanensem Ducatum sibi vindicaret, sed & totius Italiæ tentaret dominium, belli contra eum societatem ad communem libertatem tuendam inierunt Pontifex, Veneti, & Florentini, pro quibus spopondit Pontifex pro potestate illa, quam ipsi ad eum hujus rei causa detulerant. Contra Imperator isto contra se principum Italico-
C rum animo cognito, omnia agebat, ut in hoc fortunarum suarum fastigio sane quam moderatissimum se illis probaret. Itaque per Ducem Suessanum significavit Pontifici, se fidam firmamque cum omnibus pacem facere cupere, atque ultro Francisco Sfortiæ Mediolanensem restituere Ducatum velle, si ille culpæ non convinceretur ob traditam Venetis ex conventione Mediolani urbis arcem; sin aliter, se in eodem Ducatu confirmaturum Maximilianum fratrem ejus, qui in Gallia erat. Sed cum hisce Friderici promissis præter ceteros exiguam fidem haberet Senatus Venetorum, dum fœderati denuo parant arma, inter Cæsarem Galliarumque regem pax facta, geminique matrimonii vinculo firmata est, & Franciscus in li-
D bertatem restitutus, interque alias pacis conditiones hoc quoque constitutum, ut Mediolanensis Ducatus Borbonio Duci daretur, atque hic Reneam, cognatam regis uxorem duceret.

Verum non diu pax duravit inter hosce principes, dumque alter contra alterum clanculum omnia moliuntur, Imperator Pontificem Venetosque in suas pertrahere partes conatus est, iisque per Hugonem de Moncada significavit, se nihil æque, quam firmam atque stabilem undique pacem expetere, non hostium metu, sed Christianæ Reip. bono. Responderunt illi, eum hoc re ipsa comprobaturum, si Mediol. arcem, in qua Franc. Sfortia erat, obsidione liberaret, eique Mediolani restitueret im-
E perium. Interim post multas disputationes inter Pontificem Galliæque regem & Venetos fœdus ictum est in hoc, ut Imperatorem armis adigerent ad restituendos Galliæ regi filios, quos hic illi dederat obsidum loco, cum liberaretur captivitate, utque Sfortias in Ducatum Mediolanensem restituerent, suaque viribus communibus defenderent. Ad hasce fœderis leges implendas cum socii copias suas in Mediolanensium terras misissent, Ludovicus Vistarinus, nobilis Laudensis, ut patriam insolentia & crudelitate militum Neapolitanorum liberaret, qui mille & quingenti numero Laudæ præsidio erant, Fabricio Maramaldo, itidem Neapolitano, duce, ad Urbini Ducem, Venetorum imperatorem, se contulit, cum
F eoque de Lauda occupanda constituit. Itaque a. d. VII. Cal. Jul. ejusdem anni MDXXV. Dux Urbini, ut convenerat, Malatestam Ballionem cum aliquot millibus peditum ad nostram urbem misit, qui cum ad mœnia & munimentum quoddam accessissent, dum Vistarinus in urbe cum aliis aliquot hominibus sex milites Neapolitanos, qui ibidem loci custodiam agebant, aggressus, ad hunc tumultum commilitonibus eorum accurrentibus laborare jam inciperet, opportune munimentum istud scalarum beneficio conscenderunt, & Vistarino liberato in forum ur-

urbis progressi sunt, militibus Neapolitanis partim una cum duce suo in arcem fuga elapsis, partim captis & spoliatis. Cognita hujus expeditionis fortuna Dux Urbini mox ipse Laudam accessit, Ollium atque Adduam amnes admirabili celeritate transgressus, atque urbi reliquit quantum satis erat præsidii ad tuendam eam contra molestias, ab hostibus, qui in arce erant, metuendas. Hoc nuncio Mediolanum delato Vasti Marchio, eam esse rem magni momenti ratus, cum equitibus aliquot, tribusque peditum Hispanorum millibus ad recipiendam Laudam est profectus, quod in proclivi sibi fore putabat, primum in arcem, quam tenebant adhuc Cæsarei, inde in urbem digresso, quæ tamen eum frustrata spes est. Nam post longam inter Cæsareos Venetosque in ipso foro pugnam, illi in arcem suam repulsi sunt, & Marchio re infecta Mediolanum repetiit. Mox Venetorum tormentis imperante Urbini Duce ad arcem admotis, milites, qui eam præsidio tenebant, cum defendere se eam posse diffiderent, clanculum inde excesserunt: atque adeo urbs una cum arce in potestatem Venetorum concessit, qui tamen Francisci Sfortiæ nomine eam se tenere sunt testati. Quam damnosa Cæsareis Laudæ amissio habebatur, quæ urbs modis viribusque omnibus tuenda ipsis esse videbatur, tantum existimationis atque utilitatis ejus occupatione sociis accessit, cum urbs nostra ob ipsum loci situm in istis turbis plurimum commodi domino suo afferret.

Interim cum Franciscus Sfortia omnium rerum penuria laboraret in arce Mediolanensi, fœderati conjunctis copiis suis Mediolanum petierunt hoc animo, ut subsidii aliquid illi submitterent, non sine spe ipsius quoque urbis occupandæ, cum pro amplitudine sua non satis validum illa haberet præsidium, civesque insolenter ac superbe tractarentur à militibus Cæsareis. Sed utraque spe destituti fœderati à Mediolano urbe recesserunt, &, licet mox secundo eodem pergerent ad ferendas Francisco suppetias, etiam tunc vana fuerunt eorum consilia, quia duplici vallo ipsam arcem clauserant Cæsarei, quibus denique eam dedere Sfortia coactus est hac conditione, ut ipse ex ea Comum abiret, eaque urbs in ipsius potestatem restitueretur. Sfortia primum ad castra sociorum se recepit, & non auscultans ducum consiliis, ut in sociorum maneret exercitu, qui maxime eam ob causam in armis erat, ut in paterno ipsum tueretur imperio, & Comum profectus cum impetrare non posset, ut Cæsareorum præsidium ex pacto ea excederet urbe, ocyus inde abiit, & fœdere cum Pontifice Venetisque confirmato Laudam urbem ingressus est, quam protinus ipsi tradiderunt fœderati, ibique commoratus est, usque dum Cremonam urbem receptam ab hostibus sedem sibi elegit.

Accidit his temporibus celebre illud certamen singulare inter Ludovicum Vistarinum, cujus supra mentionem fecimus, & Sigismundum Malatestam, patria Ariminensem, & in Cæsaris exercitu copiarum ducem. Hic Vistarinum violatæ fidei incusaverat, quod ipse miles Cæsaris cum Urbini Duce de tradenda ipsi Lauda urbe, ut supra exposuimus, conspiravisset. Vistarinus, homo nobilis, qui honoris sui atque existimationis non exiguam habebat curam, graviter ferens hanc injuriam, seque illud fecisse asseverans eo tempore, quo ipse jam missionem ab Imperatoris habebat militia, ut satis etiam constat ex ipsius epistola quadam, quam in margine citavit Franciscus Guicciardinus *Historiarum* lib. XVII. scripta ad eundem Urbini Ducem, in qua ante expositam ipsi Laudæ occupandæ rationem affirmat, se deposuisse munus illud, quod à Cæsare acceperat, atque illud iniisse consilium, ut patriam liberaret ab intolerandis molestiis, quibus milites Cæsarei Laudenses nostros affligebant; Malatestæ significavit, se paratum singulari cum ipso certamine suam defendere causam, objectique se purgare criminis. Malatesta provocatus accepit conditionem, & utroque, id est, Cæsaris & sociorum exercitu inspectante cum armati in campum processissent, Vistarinus Malatestam, qui magno cum ardore congeminabat ictus, quos admodum tamen dextre ipse avertebat, ita ut ipsius equus tantum vulneraretur, arte tractatum, atque ita fatigatum, ut vix respirare posset, mox ipse tam fortiter

A tamque perite aggressus est, ut in manu validiore neratum ad armorum tractationem redderet inutile atque adeo Malatesta dexteritate atque velocitate e plus semel sine certamine per campum circumvecto, perveniente mox nocte victor ipse salutaretur.

Dehinc per aliquod tempus in Mediolanensium t ris nihil accidit memorabile, quod ad nostram faciat *storiam*, ut quidem multa & magna contigerunt alibi corum. Ita Romam diripuerunt Imperatoris copiæ rolo Borbonio duce, qui justo Dei judicio ad muros s ctæ urbis sclopeti ictu vulneratus infeliciter vitam fi vit. Mox Clementem VII. Pontificem Cæsarei in a S. Angeli captivum tenuerunt, ad quem liberandum B nuo Galliæ rex Senatusque Venetorum inita belli soc tate se obstrinxerunt.

Sed ut hæc missa faciamus, & ad nostra revertamu Veneti persistentes in Sfortiæ restituendi consilio, no MDXXVII. pecuniis sublevatum perpulerunt, ut La dam veniret, quo facilius cum ipsorum se exercitu co jungere posset, quem in hæc loca deduci jusserant. Ea dem ob causam cum viribus ingentibus in Italiam v nit Lautrecus, à rege Galliarum missus, qui arctissim ut nunquam alias, fœdere cum Venetis se junxerat Pontificem in libertatem & Franciscum Sfortiam in M diolanensem Ducatum restituendum; quamvis Lautr C cus, qui aliquot locis occupatis Alexandriæ inprimis u bi suorum militum imposuerat præsidium, nulla fac mentione Sfortiæ eam tradendi, suspicionem concitar quasi Galli non ista cum sinceritate agerent, qua par rat. Mox Lautrecus, nullos ultra progressus, ut fac potuisset, facere conatus, ex Longobardia Romam Neapolim profectus est.

Deinde anno MDXXVIII. ex Germania in Italiam ve Dux Brunsvicensis, missus à Ferdinando, fratre Imper toris, cum duodecim millibus militum, qui postqua exiguo cum fructu Venetorum quasdam urbes expugn re tentaverat, & ipse Mediolanensium ditionem ingre sus, cum Antonii Lævæ copiis se conjunxit, qui ist præfectus erat Imperatoris, atque una cum iis ad La dam urbem castra posuit hoc animo, ut eam expugna ret, cum hanc urbem rerum Cæsaris in Longobardia i D gens fore pondus & momentum crederet. Itaque Læv protinus, ut urbem sibi dederet, postulavit ab Joan Paulo Sfortia Francisci Ducis fratre, sed spurio, que frater ad urbem tuendam reliquerat cum tribus millibu militum, additis ducibus fortissimis: quod nisi ille co festim traderet urbem sibi, minabatur Hispanus se ip omnibusque suis sævissimi belli calamitates acerbissima illaturum. Sed respondit Joannes Paulus, neutiquam bi in animo esse ad nudas duntaxat minas urbem hosti bus dedere, suæ fidei commissam ab illo, qui legitim justoque titulo ejus esset dominus, seque primum auxi lio Dei, justarum causarum patroni atque vindicis, tu suorum militum armis fidere, atque urbem se fratri spe E rare servaturum. Itaque Læva & Brunsvicensis, cu verba nihil proficerent, vim adhibere cœperunt, cum que muros ab ista parte, qua parum firmi erant, tor mentis bellicis labefactavissent, & tantum illorum deje cissent, quantum satis erat ad impetum faciendum, Ger mani in oppugnanda urbe facile primas concesserunt pe ditibus Hispanis, qui parmis, quantum fieri potis erat, contra propugnantium tela se munientes, per disjectam murorum partem in urbem perrumpere conati sunt. Sed cum semper repellerentur, multique eorum caderent, & inprimis fortissimus quisque atque audacissimus in ipsa fossa aut occideretur, aut vulneraretur, atque etiam bi- F pennibus hastisque signiferi quidam transfixi, qui ni mium progressi erant intra mœnia, signaque eorum in urbem asportata essent; Antonius Læva tamen neuti quam suos revocabat à certamine, sed contra eos, ut imbelles timidosque, increpans, denuo impetum facere jussit, nimis durum fore ratus, si suæ gentis milites, qui se in ejusmodi occasionibus repelli non posse gloriari consueverant, nunc à militibus Italicis retro agerentur. Veruntamen denique Brunsvicensis cum tantam Hispanorum videret stragem, Lævam perpulit, ut receptui si-

gnum

gnum daret, atque ita Lauda urbe hoc à furentibus hostibus periculo liberata, Joannes Paulus ultra modum lætus ducibus suis militibusque gratias egit ob rem tam bene fortiterque gestam. Sed Læva & Brunsvicensis cum impetu Laudam occupare frustra tentavissent, fame domare eam constituerunt, atque adeo obsidione clauserunt. Sperabant enim, quoniam illud ipsum tempus erat frugum ex agris colligendarum, ideoque parum annonæ in urbe supererat, obsessos coactum iri, ne fame perirent, portas ipsis aperire. Sed neque hoc consilium successit felicius primo Cæsareis. Etsi enim adeo laborabat fame civitas, ut solis militibus panis appenderetur, civibus autem vix superesset, quo misere vitam sustentare possent, tanta tamen fuit obsessorum constantia, ut totum fere mensem in extrema perdurarent inopia. Interim inter Germanorum copias, quas Dux Brunsvicensis adduxerat, grassante pestilentia, quæ plurimos eorum abstulit, adeo illi languere ac torpere cœperunt, ut à ducibus jussi denuo impetum facere ad urbem expugnandam, parere nollent, tumultuantes etiam ob non persoluta stipendia. Itaque cum à mœnibus recessissent hostes, tormentaque bellica abduxissent, dimisso exercitu nostra urbs obsidione liberata est. Læva Mediolanum rediit, eamque urbem annona ceterisque necessariis instruxit, quo eam ab hostibus defenderet.


Franciscus enim, Galliarum rex, cui necdum cogitationes de Italia exciderant, multum solicitatus à Venetis, denuo S. Pauli dominum cum viribus ingentibus ad persequendum bellum miserat, quam eandem ob causam Veneti quoque jam cum exercitu miserant Urbini Ducem in terras Mediolanensium. Hic Laudam nostram quam diligentissime firmari præsidio munimentisque suadebat, quoniam fœderati, hanc urbem in potestate habentes, non tantum Bergomatium Cremensiumque finibus prohibere hostes, sed & ad ipsas usque Mediolani urbis portas excursiones facere poterant, resque Francisci Ducis semper ulterius promovere. S. Pauli dominus cum in Longobardiam venisset, & ad *Monticulos* cum Duce Urbini colloquutus, post varias consultationes potissimum Neapolim ad ferendum suis auxilium pergendum sibi censeret, denique constitutum est, ut dilata Mediolani urbis oppugnatione Papia tentaretur. Itaque cum hanc vi atque impetu feliciter cepissent fœderati diripuissentque, & statim quoque Novaria, aliaque aliquot loca se illis dedissent, S. Pauli dominus loco promovendi arma in Ducatu Mediolanensi, se à Venetis sejunxit, & ad ferendum Trivultio auxilium profectus est, qui nomine Francisci regis arcem Genuensem defendebat, quod cum frustra fuisset, Alexandriam regressus est. Inde cum propter anni tempestatem ad finem jam decurrentis utiliter in bello persisti non posset, S. Pauli dominus Alexandriam se recepit, Franciscus Dux Papiam, Dux autem Urbini Laudæ & circa hyemare parans, cum parum id esse gratum Francisco Duci videretur, mutato consilio copias suas trans Adduam amnem abduxit.

Anno MDXXIX. variæ conditiones pacis inter Cæsarem & Franciscum regem ejusque socios propositæ fuerunt, sed cum Cæsar non adeo paratus esset, ut quidem desiderabant ceteri, Sfortiam in Mediolanensem restituere Ducatum, quod ante omnia postulabant Veneti, tum suæ securitatis, tum libertatis Italiæ causa, nihil illis effectum est. Itaque cum ad arma undique rediretur, S. Pauli dominus, Dux Urbini, & Franciscus Sfortia Mediolanum & Comum occupare destinabant, quæ ex majoris momenti locis duæ duntaxat urbes à Cæsareis adhuc tenebantur. Sed mox Gallus ille, dum infelici consilio denuo versus Genuam convertere vult arma, in itinere victus est ab Læva, exercitus ejus disjectus, ipseque captus: quæ etiam causa fuit, ut Urbini Dux *Cassanum* ad Adduam amnem se reciperet, ibique castra probe communiret. Interim Venetorum Senatus suspicari cœpit Franciscum Sfortiam id agere, ut cum Cæsare in gratiam rediret, atque adeo ut ab illo securus esse posset, Urbini Ducem cum exercitu in urbem Laudam mittere meditabatur, quod tamen effectum non est, cum Venetis mox accurrendum esset ad arcendos Veronensium finibus Germanos, qui illos invadere parati erant. Deinde inter Cæsarem Galliæque regem pace facta Cameraci, Imperator maximis cum viribus in Italiam venit, Genuamque profectus est, quo ad eum accesserunt de adventu gratulantes omnium Italiæ principum legati Venetis exceptis, qui tamen Francisco Duci, ut suos eo legatos mitteret, non dissuaserunt, quoniam Mediolanensis Ducatus Imperii feudum erat. Genua Carolus Imperator Bononiam abiit, quo paucis ante diebus, id est, a. d. VIII. Cal. Nov. jam advenerat Clemens VII. Pontifex. Hic cum ad certam firmamque pacem componendam in conventu procerum omnes essent controversiæ dirimendæ, quæ in Italia erant, ipse quoque Franciscus Sfortia eo profectus est, cum ante liberam veniendi abeundique potestatem diplomate sancitam ab Imperatore impetravisset, quo hac erga eum reverentiæ ac submissionis specie res suas promoveret. Itaque cum ad eum accessisset, primum gratiis actis de facta sibi Cæsarem visendi potestate, humi projecit diploma istud, satis se esse tutum sua innocentia inquiens, quandoquidem certus esset, Cæsarem nihil quicquam suæ culpæ deprehensurum, quod ipsius mereret offensam, ex quo tempore à Marchione *Pescaræ* arci Mediolanensi fuisset inclusus. Admodum Cæsari placuit ingenuitas Francisci, qui post varias disputationes superatis denique maxime Pontificis opera omnibus impedimentis, inauguratus est sive confirmatus in Ducatu Mediolanensi, hac conditione, ut istius beneficii nomine fisco Imperatoris persolveret quingenta ducatorum millia, & insuper alia trecenta ad sumptus belli explendos. Voluit etiam Imperator affinitatis vinculo Franciscum sibi Ducem adjungere, data illi in matrimonium Christerna, Daniæ regis & Isabellæ Austriacæ, sororis suæ, filia, quæ primum Bruxellis cum Comite Maximiliano Stampa, quem ille ad hoc procuratorem sibi constituerat, solennia nuptiarum exsequuta est, & deinde anno MDXXXIV. Mediolanum deducta, quanta cum maxima fieri poterat pompa atque magnificentia.

Sed non diu duraverunt Ducis ac Mediolanensium gaudia, quia ille sequenti anno MDXXXV. oculi dolore laborans & febre correptus è vivis excessit extremo mense Octobri, sepultusque fuit solenni funere apud alios gentis suæ Duces. Sed quod sine liberis decesserat Franciscus, qui ipsi succedere in imperium possent, illud vero diverse affecit animos principum Christianorum. Cæsar exinde gravissime videbatur afflictus, maxime cum Dux vidua, cognata ipsius, Neapolim ad ipsum veniret: Francisci regis sopitæ cogitationes de imperio Mediolanensium occupando iterum expergiscebantur: Veneti impense metuebant, ne aut novum in Italia conflaretur belli incendium, aut Ducatu in Cæsaris potestatem redacto expeditius illi pateret iter ad ipsorum libertatem opprimendam. Variæ conditiones propositæ fuerunt, per quas satisfieri posset illis, quorum intererat. Actum fuit de Mediol. imperio aut ad Aurelianensem Ducem deferendo, ut volebat pater ejus, rex Franciscus, aut ad Engolismæ Ducem, itidem Francisci filium, sed natu tertium, ut volebat Imperator, ita ut ille viduam viro Christernam uxorem duceret. Sed cum omnia frustra essent, novi bellorum motus exspectabantur. Deinde anno MDXLIV. inter Imperatorem regemque pace facta, præter multa alia hoc quoque pactum est, ut Dux Aurelianensis uxorem duceret filiam Ferdinandi, fratris Imperatoris, cum eaque dotis nomine Ducatum Mediolanensem acciperet. Sed cum anno MDXLVI. Dux Aurelianensis decessisset, perfici hoc pactum non potuit. Denique sine ulteriore armorum strepitu in Imperatoris potestatem totus Ducatus concessit. Cumque Deus eum voluerit esse quasi splendidam gemmam potentissimorum & invictissimorum regum Catholicorum coronæ, deinde ille feliciter à Carolo V. Imperatore ad ejus filium Philippum II. Hispaniarum regem, & inde ad reliquos ejus serenissimos successores devenit, sub quorum imperio Lauda nostra & totus adeo Ducatus felici otio fruitur.

FINIS QVARTI ET VLTIMI LIBRI.





209

ANTIQ
ITALIÆ

TOM·III·
I

92